6
9-A 11
7

6
17 0
23

11 6-9.A.4

HISTORIA
REI LITERARIÆ
ORDINIS S. BENEDICTI
VOLUMINA IV.

K. 251. VIII.

HISTORIA REI LITERARIÆ ORDINIS S. BENEDICTI,

IN IV. PARTES DISTRIBUTA.

OPUS

ERUDITORUM VOTIS DIU EXPETITUM,

AD

Perfectam Hiſtoriæ Benedictinæ Cognitionem ſummè neceſſarium, & univerſim omnibus bonarum Artium Cultoribus non utile minùs, quàm ſcitu lectúque jucundum,

A

R. P. MAGNOALDO ZIEGELBAUER,

Ord. S. Bened. Presbytero, Theologo & Hiſtoriographo

Ichnographicè adumbratum,

RECENSUIT, AUXIT, JURISQUE PUBLICI FECIT

R. P. OLIVERIUS LEGIPONTIUS,

Ejusdem Inſtituti ad S. Martinum Coloniæ Cœnobita, SS. Theologiæ Licentiatus, & Profeſſor emeritus, Societ. Lit. Germ. Bened. Promotor & Secretarius.

PARS PRIMA

PRÆLIMINARIS SIVE GENERALIS

Studiorum in O. S. B. Origines, Progreſſus, Fata, Inſtaurationes, Mæcenates & Promotores; necnon celebriores Scholas, Bibliothecas, Archiva, ac Rei Literariæ Cimelia, horúmque Cuſtodes, & alia memoratu digna repræſentat.



PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VIND. & HERBIPOLI,

Sumptibus MARTINI VEITH, Bibliopolæ,

ANNO MDCCLIV.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

S. R. E. CARDINALI

ANGELO MARIÆ QUIRINO

BRIXIENSI EPISCOPO...

SOCIETATIS LITERARIÆ GERMANO - BENEDICTINÆ

PROTECTORI PRÆSTANTISSIMO,

PRINCIPI PIO, FELICI, OPTIMO...

INCOLUMITATEM!

NIxu ſoſpite ſuis tandem è latebris, velut è concha teſtâque, emergens imbellis Partus noſter Literarius ad TE pronus perreptat Eminentissime Purpurate! Tuæ Magnitudinis & Benevolentiæ captaturus gratiam, quæ ſibi præſidio ſit & ſplendori. Utriusque acceſſionem illi haud dubiam fore confidimus, tum ex amplitudine Benignitatis Tuæ, tum ex celſitudine Dignitatis, quâ in Orbe Literario juxtà ac Eccleſiaſtico præfulges. Ea enim eſt Illuſtriſſimi Nominis Tui longè latéque in proximas remotásque nationes diffuſa celebritas, ea Doctrinæ fama, amplitudo, majeſtas, eáque Virtutum, quibus animum ad optima quæque accomodatum geris, commendatio, ut quidquid ratum gratúmque habes, magnum efficias, quidquid Tuo dignaris patrocinio, ſacrum reddas & venerabile.

Æquitas verò poſtulat, ut Operi, cui illuſtre eſt à Viris Illuſtribus, quos exhibet, meritum, nec minus à rerum, quas continet, gravitate & copiâ pretium, ſummum etiam à Patrono fœneretur decus & præſidium. Quod autem illuſtrius, quod præſtantius atque dignius huic imbelli noſtro partui addi poſſit, quàm à TE EMINENTISSIME PRINCEPS! qui tantam in fovendis Literis & Literatis conſecutus es gloriam, quantam poſt hominum memoriam, nemo unus attigit. Quem enim Orbis Eruditus TIBI parem oſtentat, veneratur & deprædicat Mæcenatem? Quem etiam TIBI benefaciendi virtute ſimilem Romana Eccleſia inter purpuratos Proceres nominare valet? Et quem verò Familia Benedictina, quæ omni ſemper ævo celeberrimorum Virorum fœcundiſſima fuit Mater & Altrix, hodie TEcum auſit componere? Nihil heic auribus dabo (*nec enim blandimentis ſum inſitus*) aſt certè tam præclarè veram genuini Eccleſiæ Principis ſummiq; Herois imaginem exprimis, ut laudes, quæ præſtantiſſimorum etiam Virorum merita excederent, Tua omninò non æquent. In TE enim uno omnia eminent & rutilant Virtutis & Doctrinæ decora, quæ in aliis reſperſa ſuſpiciuntur; In TE omnes optimi Præſulis dotes, omnia Illuſtriſſimi in Orbe Literario Viri decora, omnia ornamenta, quæ inſignem efficiunt Mæcenatem, cujus partes ſunt Literas & Literatos benevolentiâ complecti, fovere clementiâ, officiis proſequi, exemplo concitare, tueri patrocinio, & auctoritate à malevolorum inſultibus reddere ſecuros.

TE igitur unum adire decuit, QUIRINE EMINENTISSIME! TE unum è tot Proceribus & Gentis noſtræ Principibus ſeligere licuit, Cui has qualescunque laborum noſtrorum primitias nuncuparemus. TU enim inter omnes Familiæ noſtræ Præſtites unus ille es, quem PROTECTOREM ſuum pars Orbis eruditi, ſi non major, ſanior certè agnoſcit; TU ille unus is es, Cui ſi facultas daretur, voluntas etiam eſſet fugientes Literas ab interitu vindicandi; TU idem ille, cujus ſe fidei, tutelæ, ac defenſioni ipſa ſe *Societas noſtra* non invita ſubjecit; cujus potiſſimùm favore is ſacrarum Literarum incaleſcit amor, is melioris doctrinæ cultus viget, iſque in exercenda virtute modus prævalet, quibuſcum ſe convenire ſanctè ſapientes jam pridem teſtati ſunt, hodiéque profitentur. Neque verò fas erat

Opus

Opus, in quo tot clariſſima Gentis noſtræ Lumina coruſcant, tótq; Virorum Illuſtrium merita, exantlatíque ad proferendam Rem Literariam & tuendam Religionem labores æternitati conſecrantur, in alienigenam exterámque fidem tranſire, cùm inter Indigetes præſto occurreret, qui ad ſe confugientes in ſuæ Tutelæ præſidium adſciſcere per ampliſſimam Dignitatem poſſet, & in ſinum recipere per ſummam benignitatem vellet.

Quæ ergò animos addere potuiſſent Auctori noſtro, ut Opus à ſe elucubratum Tuo Nomini, Tuíſque honoribus inſcriberet, Eminentissime Antistes! ea mihi Editori & Secundaneo feliciter obveniſſe ex animo lætor. Nec comittendum putavi, ut opportunam hanc ac divinâ veluti virgulâ mihi oblatam conteſtandi animi & referendæ Tibi gratiæ occaſionem præterveherer. Id enim poſtulant non modò ſpecialis illa dignatio & benignitas, quâ me meáq; ſtudia jam dudum clementiſſimè proſequeris, ſed etiam eximia in *Societatem noſtram* merita, quæ invida nunquam delebit oblivio. Vix enim nata inſignis ad Familiæ noſtræ decus Soboles, ac penè ſuo in ortu plures experta Herodes, quàm Heroës, ad TE non ſecùs atque in ſinum paternum confugit, TE *Protectorem* quæſivit, & *Parentem* invenit, *Mæcenatem* petiit, & *Defenſorem* accepit. Suſtinuiſti cauſam illius momento triplici, *Auctoritate, Clementiâ, & Favoribus;* primo vim arces, altero Socios allicis, tertio animos erigis, eâ ſolatii ſpe, eóq; levamine, quod luctuosâ quorumdam moroſitate afflicti ſtatores in acie primi poſtulant & exſpectant. Quo operæ pretio, TU noveris, quo exitu, TU Ipſe effeceris, & animi magnitudine, & Patrocinii præſtantiâ ac æquanimitate.

Felices nos reputabimus, Em. Princeps! ſi quâ benignitate rebus hactenus faviſti noſtris, eâdem hoſce primitivos labores noſtros Tibi ſuſpiciendos putes. Felices, ſi ad publicam grati memoríſque animi in TE noſtri teſtificationem aliquid conferre poſſit hæc Rei Literariæ Benedictinæ Hiſtoria, quam non modò Illuſtriſſimum Nomen Tuum in fronte præferre, ſed etiam in decurſu Animi Tui Virtutúmque Tuarum ſimulacrum, pingui licet Minervâ adumbratum, repræſentare voluimus, ut quas referre Tibi ex æquo nunquam poterimus grates, haberi tamen à nobis, & juſtiſſimis de cauſis haberi, agnoſcant omnes, qui has legerint pagellas, atque adeò ipſi ſuis laudibus & præconiis gratiarum vices Tibi pro nobis quodammodo rependant. Vide

Vide igitur qualis quantúſque ſis, QUIRINE EMINENTISSIME! vide etiam quàm ſecurè, quàm libenter tot Illuſtres Viri, tot Scriptores, tot rei literariæ Mæcenates, & Sacrorum Antiſtites, quorum in hiſce Comentariis enarrantur geſta, texuntur elogia, celebrantur ingenii monumenta, Tuæ ſe Fidei, Clientelæ, Præſidio committant. Nam ad illum confugiunt, quem ſacra Dignitas ſummáq; Eruditio ad amorem erga ſui ſimiles ſuâ ſponte cùm excitaverit, ingenium inſtituerit ad benignitatem, animi magnitudo compoſuerit ad munificentiam, probíſq; omnibus & doctis hominibus tuendis & protegendis conſuetudo exercitatióq; aſſuefecerit, tum ſolùm abs TE ſe rejici poſſe putant, cùm mitem tuam indolem & naturam, TE demùm abs TE ipſe rejeceris. Magnus verò non eſſes, ſi humiles deſpiceres, non religione pius, ſi Indigetes non coleres, non clementiâ excellens, ſi Tuos negligeres, non undequaq; ſpectandus, ſi TE Literæ & Literati ubique gentium non haberent Mæcenatem. Patere ergò ut talem TE conteſtetur *Societas noſtra*, hócq; primigenium ſuæ propaginis germen in ſinum Tuum deferat, non tam ut ſempiterni cultûs & obſervantiæ pignus, quàm ut memoriale quoddam firmandæ Tuæ in Nos benevolentiæ ſacrum. Vive felix & ſoſpes, diúque interſis numero Tuorum! dum tandem, cujus munere nobis datus es *Protector*, eodem ſerus redeas, ubi omne compenſatur meritum. Ita uno Sodalium voto, dicat, vovet, precatur,

REVERENDISSIMÆ AC EMINENTISSIMÆ
CELSITUDINIS TUÆ

Cliens obſequentiſſimus
P. OLIVERIUS LEGIPONTIUS.

PRÆFA-



PRÆFATIO.

AD ſcribendas Hiſtorias, qui ſe conferunt, eos non unam, nec eandem ſtudii ſui cauſam rationémque, ſed plures eáſque plurimùm inter ſe differenres habere, jam pridem ſcitè advertit Hiſtoricorum Gentis Hebrææ facilè Princeps FLAVIUS JOSEPHUS: *Quidam enim,* inquit, *ut eloquentiam oſtentent; gloriámque captent ad hoc diſciplinæ genus feruntur; Alii verò, ut illis gratificentur, de quibus ſcriptionem inſtitutam eſſe contigit, plus in ea laboris, quàm vel ferre valuêre, ſuſceperunt; ſunt, quos ipſa rerum neceſſitas adduxit, ut quibus gerendis interfuerunt, eas ſcripto complectentes memoriæ proderent; Multos etiam magnitudo rerum utilium in obſcuro latentium perpulit, ut narrationem earum in communem utilitatem proferrent.* Quænam ex dictis jam cauſis Auctori noſtro obtigerint, ut hujus, quam ſiſtimus, Hiſtoriæ Literariæ O. S. B. ſciagraphiam adornaret, ipſe luculenter exponit in ſua ad novum illius conſpectum Ratisbonæ A. 1739. in folio editum Præfatione, quam hîc libet referre integram, ut tanto meliùs conſtet, quâ in re ipſius noſtráque induſtria maximè verſata fuerit; ita verò habet:

„ Cum multi ex Benedictinis Scriptoribus, etiam non infimæ doctrinæ viri, res Benedictinas variò ſermone in hiſtoriam contuliſſent, nullus eorum tamen ſubinde comparuit, qui *Hiſtoriam Literariam Ordinis Sancti Benedicti* ex inſtituto ac pro dignitate conſcribendam ſuſciperet. Rem ſanè indignam! quòd, cùm in cæteris ferè omnibus Religioſis Ordinibus res literaria ſcriptis illuſtrata fuerit, in ſolo Ordine noſtro, qui nulli vel antiquitatè, vel dignitate & Scriptorum copiâ cedit, nihil, aut parùm fuerit literis poſteritatique mandatum. Equidem ego *Trithemii, Yepeſii, Wionii, Bucelini, Acherii, Mabillonii,* aliorúmque, qui piè ac religioſè Acta Sanctorum Ordinis noſtri memoriæ prodiderunt, diligentiam ac induſtriam nunquam non laudavi; animo tamen interea dolor ſæpiùs eſt obortus, nulli hactenùs noſtrorum in mentem veniſſe, ut ævi præteriti rem literariam, ac Majorum noſtrorum ſtudia literis conſignaret, ex quibus Benedictini Ordinis excellens gloria & priſca illa in ſcholis auctoritas, non deploratò tamen iſtô tempore, manifeſtiùs ob oculos poneretur. Tantùm igitur abeſt, ut Hiſtoria Benedictina fuerit ad faſtigium evecta, ut vix ad dimidium perducta ſit

umbilicum. Ut enim ſapientiſſimus ille Angliæ Cancellarius, Franc. Baco Verulamius de augment. ſcient. l. 2. cap. 4. ſapientiſſimè ait: *Hiſtoria mundi* (quidni & Familiæ Benedictinæ?) *abſque literaria hiſtoria ſtatuæ Polyphemi oculo eruto non abſimilis cenſeri poteſt, cùm ea pars imaginis deſit, quæ ingenium & indolem perſonæ maximè referat.* Ex quo neceſſitas Hiſtoriæ Literariæ Ordinis noſtri conſcribendæ intelligi datur. Monoculam enim Benedictinam Hiſtoriam ni diutiùs ſupereſſe velimus, altero etiam cum lumine, Scientiâ, inquam, depingenda eſt. Hoc quamdiu carebit, ſtatua tamdiu erit, ſi non monſtrum, *cui lumen ademptum* alterum.

„ Quare operæ pretium facturus videri poteſt, quicunque Benedictinus Ordinis ſui Hiſtoriam Literariam monumentis tradere literarum aggreſſus fuerit. Hoc facere verò ad illum ut cùm maximè attinet, qui non modò virorum doctrinâ præſtantium operâ & conſilio uti poteſt, verùm etiam omnibus ad id dotibus affatim inſtructus per ſe præſtare ipſe potis, miniméque eſt ineptus. At enim dum unus alteri id ſeu honoris, ſeu laboris relinquit, mihi viſum eſt, hujus ſaltem Hiſtoriæ jacere fundamenta. Quòd ſi cuipiam tamen audentior videbor, qui tantam rem aggredi tam imbecillus audeam, ſtudio promovendi decus Ordinis hanc temeritatis culpam viros apud cordatos redimere poſſum.

„ Quid enim Benedictinis Alumnis magis neceſſarium, atque Ordinis ſui hiſtoriam, *Vitæ Magiſtram*, non ignorare? Annon dies antiquos in mente habere, & cogitare generationes ſingulas divino monemur oraculo? ut rectè pronuntiatum ſit, *pueros, ſi lux hiſtoriæ ipſis affulgeat, jam ſenes videri: ſenes verò ſi rudes ſint hiſtoriæ, in puerorum cenſu haberi.* Qui fieri verò poteſt, ut quis Benedictinam calleat hiſtoriam, ſi, quæ illius eſt poſt Acta Sanctorum pars præcipua, neſciat *Hiſtoriam Literariam?* ſi, quæ ſtudiorum prima in Sacro Ordine incunabula, eorúmque vel in melius, vel in pejus mutationes fuerint, ignoret? ſi nihil de Scholis, nihil de Diſcipulis, nihil de Magiſtris celebrioribus intelligat? ſi Scientiarum atque Artium, quæ principem locum in omni bene inſtituto monaſterio tenere conſueverunt, nullam habeat cognitionem? ſi Bibliothecas, Archiva, Itinera literaria, idque genus plura alia, quæ ad rem literariam pertinent, cúmque diſciplinæ regularis obſervantiâ conjuncta ſunt, ne carptim quidem delibaverit? Neceſſarium eſt, quis enim diffiteatur? ut inſtituti, quod quis profitetur, hiſtoriam non ignoret; quin imò hiſtoricum ſtudium hinc primò exordiri tenetur: atqui Hiſtoriæ Benedictinæ magnam partem eſſe hiſtoriam literariam, jam antea oſtendimus: quis eam igitur à Benedictino ignorari, æquò ferat animò? cæterarum hiſtoriarum cognitionem Benedictinæ Familiæ alumnis utilem, jucundam, & honorificam eſſe poſſe non negaverim; Literariæ tamen Ordinis ſui planè neceſſarium eſſe contendo, niſi ſiquis oculatus Ulyſſes foris, domi autem cœcus Tireſias eſſe malit.

„ Obſervârunt non tantùm hanc neceſſitatem, quâ Benedictini horum notitiam ſibi comparare tenentur, viri literati, ſed utilitatem etiam atque jucunditatem, quæ ex hujus hiſtoriæ cognitione naſcuntur. Ut enim, quod mox dicebam, omittatur, Benedictinæ Familiæ alumnis vitio non immeritò verti, Ordinis ſui, adeóque Literariam Familiæ neſcire Hiſtoriam, atque in ea errores committere, notitiam ex illa haurimus veterum Scholarum, Magiſtrorum, Diſcipulorum, Mæcenatum, Bibliothecarum &c. Viam, quam illi ſeu in docendis, ſeu diſcendis literis tenuerunt, cognoſcimus; quæ in

Digitized by Google

ſtudiis amplectenda, vel rejicienda, addiſcimus, & prudentiam comparamus literariam; Viras ac Scripta virorum Ordinis noſtri ingeniô, doctrinâ atque eruditione illuſtrium oculis animóqne luſtrantes, non ſolùm otium & ignaviam deteſtamur, ſed ad diligentiam & ſolertiam incitamur. Enimverò Hiſtoriam Literariam ad induſtriam Majorum æmulandam, & deſidiam ex monaſteriis ejiciendam conducere, conſtans eſt omnium ſententia. Quis enim ejus cognitione non impellatur cum diligenti ratione, ut Majorum ſuorum non in Virtutum modò, ſed Scientiarum etiam diſciplinis ſimilis eſſe contendat? Nam omnis ratio ſic conſtat, ut quæ probamus in aliis, eadem ipſi facere velimus. Quis ècontra, cùm ſocordiâ & ignaviâ quorundam monachorum non ignorantiam modò in monaſteria importatam, ſed diſciplinam regularem peſſumdatam eſſe audiat, non ab ea veluti peſte refugiat? Nempe hoc eſt, ex prætetitis prudentiam comparare, & aliorum induſtriam, ſolertiam, laborem ſtrenuè æmulari, aliorum fugere inſcitiam, deſidiam, inertiam. *Ex vitio alterius*, inquit Publius Syrus, *ſapiens emendat ſuum.*

„ Sed nec minor ex Hiſtoriæ Literariæ notitia percipitur jucunditas. Quid enim ſcitu lectúque jucundius, atque intelligere, Majorum noſtrorum ſtudia monaſtica fuiſſe ingenti utilitati ac emolumento Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, Angliæ &c. totique adeò Reipublicæ Chriſtianæ, non minimo præſidio Eccleſiæ Catholicæ, ſummo autem decori ac gloriæ Ordini Benedictino? Delectat utique permultùm horum cognitio: atque adeò vel ſola illa, quæ hinc exiſtit, innocua voluptas idonea eſt, ut quemvis Ordinis ſui verè amantem ad hanc hiſtoriam percurrendam alliciat, oculos illius teneat, animum mulceat, à qua ſiquis abhorrere ſe dicat, parùm abſit, quin ipſe ſe tantæ rámque literatæ Familiæ iners atque ineptum fateatur membrum.

„ Quodnam igitur argumentum aggrediar, quod majori cum dignitate, fructû, ac jucunditate vel à me conſcribatur, vel ab Ordinis noſtri Sodalibus evolvatur? Utinam verò tam præclara, rámque illuſtris hiſtoria in aliquem magnitudine ac varietate ſua dignum ſcriptorem incidiſſet! Nunc verò induſtriam meam evocavit, qui ſcribendi genere ejus adæquare amplitudinem minimè poſſum. Laudandus tamen forſan hoc nomine ero, quod dignum Viro Religioſo ac Benedictinæ Familiæ alumno conſilium ceperim; felix quoque ero, quod Opus à nemine uno ante me rentatum perfecerim: ſed à multis in reprehenſionem vocabor, quod illud non limatius in lucem emiſerim; & in eo mihi ipſe infeliciſſimus videor, quòd ope ac auxilio deſtitutus, magnum atque excellens elucubrare haud potuerim.

„ Etſi verò in hoc Opere non omnia debita accuratione perpolita, aut ad incudem revocata deprehenderis, audacter tamen dixerim, nullum ſcripti genus in ſacro Ordine noſtro extare, ex quo aut plura, quæ ad rem literariam Benedictinam ſpectant, aut citius & minori animi contentione addiſcantur. Niſi me igitur amor laboris mei, & ex amore ſpes decipit, ſua erit huic Operi utilitas, ſuáque commendatio. Tantùm illud exoptandum, ut aliqui è noſtris (neque enim unius ſufficere vires videntur, ut quæ tredecim ſeculis ſparſa fuère, ſolus ipſe colligat) Hiſtoriam Literariam O.S.B. adornandam ſuſcipiant. Quod uti dudum mihi erat in votis, hodiéque eſt, ita *novum* illius *Conſpectum* hic ſiſto, quò alios & do-

ctrinâ & eruditione præſtantes Benedictinos ſollicitem, ut pulcherrimum Opus auſpicentur. Id quod fortaſſis effectui non ita difficili negotiô dari poſſet, ſi noſtræ Religionis Alumni, veluti ex condicto inter ſe diſtributis operis, in Hiſtoria Literaria contexenda ad non injuſtam æmulationem occupari vellent. Genus certè eſt hiſtoriæ ejusmodi, quod maximè animos eorum excitare atque inflammare ad ſcribendi ſtudium debeat. Mihi laudem eſſe tribuendam exiſtimo, quod in jaciendis & ſtruendis hiſtoriæ hujus fundamentis primus deſudârim; veniam verò dandam, quod imperfectam reliquerim. *Sciagraphiam* nempe ſcribo, in qua nemo prudens Hiſtoriæ Literariæ Benedictinæ, non dico perfectionem, ſed ne mediocritatem quidem deſiderabit.

„ Ne quis verò cum Viro illo Religioſo ſentiat, qui, *Mabillonium* Hiſtoriam Literariam Ordinis S. Benedicti jam pridem ſcripſiſſe, mihi objecit, inſignem quidem ille librum *de Studiis Monaſticis* edidit, ſed qui minimè tamen eſt ſuô ordine contextum Hiſtoriæ Literariæ Benedictinæ compendium. Id quò minùs in dubium voces, ſcias, tria *Mabillonium* à ſe declaranda ſuſcepiſſe: Primum, ut ſtudia literarum Monaſtico ſtatui non tantùm non repugnare, ſed ad tuendam monaſticæ diſciplinæ obſervantiam planè neceſſaria eſſe contenderet; Alterum, ut, quæ ſtudiorum genera Monachis potiſſimùm conveniant, declararet; Tertium, ut finem, quem ſibi in ſtudiis ſuis proponere debent Monachi, ob oculos eis conſtitueret. Qui quidem Tractatus de Studiis Monaſticis maximo ſuo merito lectus fuit & laudatus à ſapientiſſimis quibusque Viris; ſed nemo rerum intelligens ea propter dixit, Hiſtoriam Literariam Benedictinam à *Mabillonio* contextam fuiſſe. Hæc enim eſt, quæ ad ævum Sanctiſſimi Legiſlatoris *Benedicti* reſpiciens, inde usque repetens, per ſingula ſecula univerſim ſtatum ſtudii literarum in Ordine ab ipſo fundato deſcribat, & ſi quæ fortè ſeparatim videantur exponenda, certis tradat in libris, qui ſua diſpeſcuntur in capita. Eam igitur laudem facilè concedet quilibet Mabilloniano operi, ut contra Adverſarium, Abbatem Trappenſem, Studia Monaſtica egregiè fuiſſe propugnata cenſeantur; at titulus, *Hiſtoriæ Literariæ Ord. S. Bened. Conſpectus*, meo rectiùs adjudicabitur Operi.

„ Præſentem deinde lucubrationem non alia de cauſa hujus generis primam eſſe contendo, quàm ut magnæ ejus imperfectioni faciliùs ignoſcatur, & vel conatui meo nonnihil gratiæ tribuatur. Ipſemet ſatis illius imperfectionem agnoſco, neque tamen, neceſſariis præſidiis deſtitutus, tollere eam omninò poſſum. Ordinis noſtri Sodales addant, corrigant, refingant, per me licet, quæ omiſſa, parùm benè dicta, minùsve explorata mihi fuiſſe ipſis videbuntur. Neque enim, quòd *Novum* hunc *Conſpectum* undequaque perfectum exiſtimem, in vulgus exire illum jubeo, ſed quod defectum melioris ſupplere poſſit. Si Mæcenatem nactus fuero, non difficile mihi erit, eundem cum inſigni auctario iteratis typis vulgare. Interea *ex ungue leonem*. Et ut Pythagoram ajunt è modulo pedis, quanta corporis mole fuiſſet Alcides, conjeciſſe: ſi cuivis rerum perito ex hac *Sciagraphia* de Hiſtoriæ Literariæ Ord. S. Ben. dignitate atque præſtantia judicium ferre promptum erit.

„ Ad ſcribendi genus quod attinet, ſermonis nitori & elegantiæ non admodùm ſtudui: Hiſtoria enim, quò magis ab artificio remota, minúsve eloquentiæ pigmentis colorata, eò purioris & incomptæ fidei habe-

tur.

tur. Veritatis, quæ prima dos eſt boni Hiſtorici, majorem rationem habui. Anteceſſorum noſtrorum laudes ita extollo, ut nec nævos eorum taceam. Eò enim fine Hiſtoria Literaria concinnatur, ut ſuum cuique decus poſteritas rependat, æmuletur induſtriam, oderit ignaviam. Semper etiam ego ſententiam meam ab illis noſtris Sodalibus ſejunxi, qui ita ſurdis ſunt auribus, ut, niſi quod præclarum, eximium, ac cum laude Majorum conjunctum ſit, ipſi audire velint nihil: alia omnia, ſiquæ inſcitè, deſidiosè, ignaviter facta ſunt, faſtidiant, atque tacita relinquenda exiſtiment. Unde ab ipſis vapulat *Joannes Trithemius*, quod in Annalibus Hirſaug. & alibi quorundam Abbatum ac Monachorum inſcitiam, ignaviam atque inertiam ſilentiò non preſſerit: acſi verò horum exiſtimatio prævalere veritati debuiſſet. Vellem profectò, non ita ſemper eſſe, ut ſcribo, ſed veritatis volunt leges, ut ita ſcribam. Harpocratem tamen nonnunquam ago, ne minùs commodos ſeram ſermones. Neque enim me præterit, quòd *veritas odium pariat:* neminem autem propter veritatis ſtudium volo habere iratum. Utinam id penitus mihi liceret, quod Poëtæ in more poſitum habent, qui, ne eorum exiſtimationi atque gloriæ, quos carminibus celebrant, officiant, adverſam ſæpè fortunam diſſimulant; ſed cùm Hiſtorici partes ſuſceperim, nemo prudens vitio mihi vertat, ſi, quàm iniqua fortuna aliquando in quibusdam Familiæ noſtræ monaſteriis Muſæ uſæ fuerint, ſuò locò paucis aperiam. Neque hoc ſuò carebit fructu: *Sive enim Hiſtoria*, inquit Venerabilis Beda, *de bonis bona referat, ad imitandum bonum auditor ſollicitus inſtigatur: ſeu mala commemoret de pravis, nihilominus religioſus ac pius auditor ſive lector, vitando, quod noxium eſt, ac perverſum, ſolertiùs ad exequenda ea, quæ bona ac Deo digna eſſe cognoverit, accenditur.* Ubi igitur ita res tulit, ut quorundam ſuperioris ætatis monachorum vel ignavia vel inſcitia notanda eſſet: feci id, ut & natura mea fert, & veritatis ſtudium depoſcit, liberè: ſed ea tamen moderatione, ut imminutam eſſe à me dignitatem Ordinis nemo noſtrûm conqueri poſſit. An ſola Benedictina Familia tantum ſibi tribuat, ut nullos neque deſides, neque inertes unquam alumnos habuiſſe gloriari debeat? quod neque ulli Religioſæ communitati unquam contigit, & majus eſt, quàm ut ab humanæ ſocietatis fragilitate exſpectari oporteat. Nullum alvear, nullúmque apum examen ita felix, ut non ignavi quidam fuci ſeſe intrudant, atque præſepia occupent.

„ Quoniam verò datur obtrectatorum genus, qui, quò totam infamare vineam poſſint, in paucas etiam labruſcas inquirunt, conſilii eſſe duco, ut iis occurram, qui, ut ſacro Ordini noſtro doctrinæ atque eruditionis laudem apud alios detrahere queant, ad Monachorum quorundam ignaviam, atque imperitiam ſe convertunt. Hanc è libris eruunt, ſtudioſè annotant, atque cum ludibrio aliis propinant. Cum quibus ego maledicentiæ dentem uti exercere nolim, ita mihi credant velim, nullam à me ipſis fieri injuriam, ſi ſcarabæos vocem, & eos quidem ſcarabæos, qui non in fimo tantùm ac ſordibus volutari delectantur, ſed quibus etiam ex aliorum ſordibus fœtorem excitare volupe eſt. Exempla afferre poſſem, ſed iis conſultò abſtineo.

„ Cæterùm cùm annò * abhinc Prodromum hujuſce Conſpectûs in lucem emitterem, non de ratione tantùm Operiſque conſilio monitos feci Literatos omnes, ſed certos etiam eſſe juſſi, ſic inſtituta eſſe omnia & com-

* (1737.)

parata, ut intra anni ſpatium exire poſſit Opus. Nec os, ut nonnemo alius, Lectoribus ſublinivi. Quò minùs verò pollicitis nunc ſtare poſſim, ea ſola cauſa eſt, quòd in Opere ad faſtigium perducendo multò plus difficultatis ex librorum penuria, quàm ex re ipſa experiar. Annus propemodùm abiit, quòd in libro, cujus uſu carere nec poſſum, nec debeo, comparando laborem. Fortunæ beneficium debebo, ſi vel nunc Venetiis, ubi venalis proſtat, in Germaniam deferatur. Nonnihil etiam de iis expoſtulare poſſem, qui tametſi ad rei literariæ Benedictinæ decus promovendum mirè promptos atque alacres verbis ſe oſtentent, ſiquandò tamen manum commodare ad notitiam hujus vel illius Scriptoris, Libri, Scholæ, Bibliothecæ, Archivi &c. ſuppeditandam rogantur, ita ab omni humanitate derelicti ſunt, ut ne quidem ad literas humaniſſimè ſcriptas reſpondere dignentur. Dolere hoc animo poſſet, niſi longè me doctioribus id uſuveniſſe pro explorato haberem. Semper enim fuerunt, qui, quæ ipſorum potiùs, offerre, quàm aliorum intererat, ab ipſis efflagitare, aut celârunt, aut denegârunt. Neque hæc eò dixerim, ut alios imprudenter accuſem, ſed ut alii, cur univerſum Conſpectum non unò partu in lucem effundam, cognoſcant, & quod non faciam, ignoſcant.

„ Nunc igitur Partem primam *præliminarem*, ſeu *generalem* Orbi literato ſiſto, quam poſt aliqua menſium intervalla Pars ſecunda ſive Principalis ſequetur, vel certè quidem illius Liber primus; quem deinde ſecundus, & hunc tertius, ſuis etiam menſium intervallis, excipient. Fateor autem ſponte ultrò, Sciagraphiam hanc tam accuratam, & tam diligenter elaboratam non eſſe, ac exoptandum foret, eò quòd in ea concinnanda multis neceſſariis præſidiis deſtitutus fuerim; ne confeſſio tamen hæc mea lucubrationem hanc deſpectui obnoxiam reddat, illud de me prædicare auſim, quòd eos omnes, qui in eodem argumento verſati fuerunt, exſuperârim. Quid dico? in eodem argumento? cùm hoc nunquam pertractatum à noſtrorum quopiam fuerit. Nihil enim hactenus de Hiſtoria Literaria Ordinis S.Benedicti, nihil de celebrioribus ejus ſcholis, illuſtribus Diſcipulis, gratioſis Mæcenatibus, nihil de præſtantioribus Bibliothecis & Archivis, nihil denique de Itineribus literariis peculiari libro unquam typis mandatum fuit. Primus igitur ſtudium hoc ingredior, in quo utinam poſt me alii decurrant, à quibus longò intervallò poſt ipſos relinqui uti non ægrè feram, ita viam me iis præiviſſe animitùs lætabor. „

Et hæc quidem ſunt, quæ *Magnoaldus* in eo, quem ediderat, hujus Operis conſpectu præfatus eſt, rationem ſui propoſiti redditurus. Etſi verò reliquas partes ſigillatim ibidem propoſitas ita quidem ad umbilicum adduxerit, ut nihil eorum omiſerit, quæ ad totius ſyſtematis perfectionem facere poſſunt, priùs tamen ſupremum diem ipſe explevit, quàm adhibita fuerit Operi poſtrema manus. Integro labori ſucceſſi, qui dudum in partem accitus fueram; cúmque viderem hunc præ cæteris illius Viri Operibus poſthumum ingenii fœtum Eruditorum approbatione celebrem, votis expetitum, uſu præſtantem, excitandis ad ſtudia animis idoneum, illuſtrandæ Hiſtoriæ Benedictinæ percommodum, Religioſorum componendis moribus apprimè utilem, mihi præcipuâ quadam induſtriâ laborandum duxi, ut ab interitu vindicaretur, eáque formâ ederetur, quæ doctis placere, & rudiores juvare poſſet. Quò autem cumu-

latiùs

latiùs concitatæ Eruditorum exſpectationi hac in re ſatisfacerem, priores illos commentarios *Sciagraphiæ* inſtar ab Auctore adumbratos levitérque informatos, partim augendos, partim ſupplendos, emendandos, & illuſtrandos mihi præſumpſi, ac ſollicita ejus premens veſtigia, comportatis undique iis, quæ Operi exornando prodeſſent, tria poſtrema volumina editioni proximè aptavi; primum jam editum ex integro refudi, ut omni ex parte ſecum conſentiret Opus, ſibíque conſtaret. Quæ verò trunca, mutila, hiulca, mendoſáque comperi, non ſine multo labore reficienda, & elimanda ſuſcepi. Neque ſolùm dubias & malè cohærentes aut luxatas periodos hinc inde retexui, ſed eas ſcholiis quandoque & notis illuſtravi, ut intelligentia eſſet facilior, lectio jucundior, & fructus uberior. Quâ in re etſi ſtudium & labor maximus, plus tamen alienæ utilitatis laudiſque ſtudioſus, quàm meæ, nihil, quod ad ſplendorem & ornatum Operis conduceret, prætermiſi, nihil operæ peperci, ut quam ſui exſpectationem ſuſcitavit, illam quoquo modo ſuſtineat; quod me non dubiis argumentis aſſecuturum ſpero, ſi quæ ſuo in ſpecimine oſtentavit Auctor, cum iis, quæ à me præſtita ſunt, æquus Lector contulerit. *

Nunc igitur, quod diu fruſtra deſideravit, & cujus unquam obtinendi ſpem ferè omnem depoſuerat Civitas Literaria, è manibus noſtris tandem, quâ licuit, abſolutum perfectúmque Opus promiſſum benevolè excipiat, & merenti illius Auctori primario, nexas laureolis coronas, magnarum præmia frontium, imponat. Nihil enim aut ab ingenio conatibúſque vulgi magis remotum, aut glorioſius ætati noſtræ, aut ad omnem poſteritatem illuſtrius ſuſcipere, ſuſceptúmque perficere potuit *Magnoaldus*, quàm ſi nobiles illas omníque ævo digniſſimas Rei Literariæ Benedictinæ reliquias, præter meritum ferè neglectas, & indigniſſimis tenebris ſepultas, ex ſuis velut urnulis colligeret, doceréque gentes exteras admirandam Majorum noſtrorum in excolendis bonis artibus & diſciplinis induſtriam curámque agnoſcere, venerari memoriam, Virtutémque & Doctrinam ſuſpicere. Quo ipſo auſpicatum ſanè ad benè ſperandum de Noſtrorum ſtudiis, & futuro aliquo certiſſimóque ſplendore ſignum ſuſtulit *Magnoaldus*, effecítque adeò, ut jam excutere Benedictini Neotericorum Exterorúmque Doctorum turpe illud ac moleſtum jugum, & ex ſeipſis ſapere, ſi modo velint, poſſint.

Habent enim in hoc Opere præſenti Domeſticorum Scriptorum tam largum, támque copioſum apparatum, ut vix aliqua extet, aut excogitari poſſit diſciplina, quam à noſtris non ſuperabundè illuſtratam hîc conſpiciant. Habent hîc verum & ampliſſimum, ſi quis rectè uti noverit, eruditionis omnigenæ compendium, quod & brevitate ſuâ placere, & vaſtitate ſaturare pectus poſſit. Habent Religioſi, ubi diſcant, quorumnam conatu, & laboribus Benedictina Religio pleraſque Europæ partes ac longinquas regiones pervaſerit; Qualis in ea viguerit per ſingulas ſeculorum periodos, bonarum Artium & Literarum cultura; Quo pacto ſibi aſſerant *Gregorium Magnum, Bedam, Alcuinum, Bonifacium*, alióſque vel Sanctitatis laude, vel eruditionis gloriâ Illuſtres Viros. Habent præcipua ſuorum ſtudia, aſſerta Ordinis decora, ad obtrectationes reſponſa, ac omnium penè Gentis noſtræ Scriptorum, omniúmque monumenta temporum. Habent denique præclara ad virtutis & ſapientiæ amorem incitamenta, ſi traditum lege-

* Vide hâc de re dicta ad calcem hujus Tomi pag. 657. & Præfationes ad ſeqq. Tomos.

legerint, quantis contemptis moleſtiis eorum Majores Chriſti cultum ampliaverint, fidem propugnaverint, Religionem extulerint, populum ab erroribus & inſcitiâ liberaverint, bonos mores excoluerint, meliores diſciplinas artéſque illuſtraverint. Quid plura? *Habet Bibliothecam integram, eámque toto gravidam mundo liber unus.*

Atque ex his, opinor, ſatis conſtat ſumma hujus Operis præſtantia & utilitas. Sed & multò plures uſus præſtare poteſt noſtra hæc Hiſtoria, ad quam diligentiùs excolendam meritò Eruditorum ſtudia conſpirare deberent; Licet enim cujuſque generis Hiſtoriæ utilitates multæ ſint & inſignes, Literaria tamen ad uſum & fructum reliquas tanto præit intervallo, quanto propiùs hæc animi dotes contingit, & omnibus Scientiis facem accendit, lucémque fœneratur maximam. Ex hac quippe diſcimus non ſolùm primos ſcientiarum natales, lætabiléſque progreſſus, fatáque triſtia, ſed etiam totius Rei Literariæ phaſes, momenta, nexum, mutationes, periodicas dogmatum vices, incruſtationes, illuſtramenta, ſtudiorum ſucceſſiones, Opinionum diſcrimina, ſapientûm Virorum Dictà, Scripta factáque, & alia non ſpernenda defæcatioris diſciplinæ, & ſanctioris vitæ exempla, quæ utì multum præſidii & incentivi conferunt ad Virtutem & Doctrinam peramplius excolendam, ita mirum quantum luminis adſpergunt, ut non facile novitatis ſpecie nos fallant, quæ vel in ſacris, vel in quibuſcunque doctrinis oriuntur ſententiarum divortia, quæve à novis Doctoribus venditantur dogmata, qualia nemo miratur, aut in iis pando ore hiat & ſtupet, qui ex hiſtorico hoc ſtudio ſyſtematum origines, ſectarúmque ſucceſſiones & doctrinas habet cognitas.

Demeretur hæc quoque Hiſtoria quamlibet Gentis noſtræ familiam, nec levi merito, dum Virorum eruditione Illuſtrium nomina ab interitu vindicat, eorum ſcripta & ingenii monumenta, quin & memoriam famámque immortalitati conſecrat, ac eos inprimis, quos ætates ſuperæ tamquam præſtantiores magíſque videri & coli meritos ſuſpiciebant, velut redivivos è luto & cinere reproducit, memorabilíque ſpectaculo in theatrum inducit, atque in ſcena exhibet, quidquid deſiit eſſe Mortalium. Jam verò quàm dulce & ſuave id accidit Rei Literariæ ſtudioſo, cum ſuos olim Concellitas & Sodales virtute illuſtres, ſanctitate conſpicuos, doctrinâ præſtantes temporum injuriâ fatíſque æternâ quaſi oblivione ſepultos derepentè videt exſurgere, nova Chriſtianæ fidei Adverſariis bella indicere, horum errores depellere, illius dogmata propugnare, ac ritè ſancita firmiùs ſtabilire. Quantâ etiam animi voluptate Religioſus quiſque vitæ in melius informandæ præcepta excipit; quàm prompto animo ad eorum ſcita mores componendos ſibi proponit; quàm denique pronâ mente ipſorum amplectitur doctrinam, æmulatur ſtudia, ſectatur induſtriam, & aniles quorumdam fabulas nugáſque deſpicit & explodit.

Non ergò ignobilem, nec ſterilem agrum excolit, qui in hoc campo aratrum ducit, hoc præſertim tempore, quo per ſeculi felicitatem accenſis æmulatione Scriptoribus, præclarum adeò bellum contra ignorantiam, ejúſque Patronos ſuſceptum eſt. Arma quippe militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed ſpiritualia ad deſtructionem munitionum, quæ extollunt ſe adverſus Scientiam Dei. Ex hoc autem Opere diſcent commilitones noſtri quid in Heroibus ſuis potiſſimùm reſpicere, admirari, & imitari debeant. Sícque avitæ gloriæ ſervandæ, augendæ, propagandæque ad Poſteros

ſteros generoſi ſpiritus ſenſim excirabunrur, ipsáque juventus ad præclara Majorum exempla acriùs ſectanda, quotidianâ eorum lectione & piâ inter ſe agitarione magis magísque inflammabitur. Et ſanè, *qui per hæc ſubſellia juniores circumduxerit Magiſter, plus illos brevi tempore docuerit, quàm multis annis è conſuetis & umbratilibus ſtudiis capere poſſint.* Ex hoc enim fonte quisque inrra Muſæum ſuum facilè poterit omnem rotius ampliſſimi Ordinis, imò univerſi prope Orbis eruditi doctrinam haurire, & quid ſolidi, quid amœni occurrar in artibus, quid ſublime ac pulchrum in Scientiis, quid ſingulis penè ſeculis in Lireris omnibúsque diſciplinis, præſtitum ſit, cognoſcere, & uno veluti intuitu contemplari.

Probabitur verò maximè *(niſi vehementer fallor)* hæc Hiſtoria Sodalibus noſtris, vel ex eo capite, quòd æmulorum & maleferiarorum hominum conviciis inſcitiam paſſim Monachis objectantium impoſturas detegat, convellat calumnias, falſásq; & iniquas eſſe oſtendat criminariones vulgò decanratas. Quis enim conſpectis rot Illuſtribus ſummæ Doctrinæ monumentis, quæ ad ſeræ poſteriratis commodum inſtitutionémque luculenter admodùm nullo non ſeculo edidêre Benedictini, facilè credat *(quod ipſi blaterant)* Monachos aut inſcitiâ laboráſſe, vel otio & ventri deſides promiſcuè litáſſe? Immò quis non potius ex tanta Scriprorum & ingenii monumentorum ſegere, eos ſuſpiciat, miretúrque, ut Viros Literis addictos, magnáque eruditione pollenres? Damnétque eapropter inſultantium præpoſterorum ejusmodi obſtrigillarorum remeritatem atque ſtultitiam illoto mendacíque ore eos ut indoctos, inertes & inſipidos traducentium? *Probatio eruditionis* (quis dubiter?) *exhibitio eſt Operis, quod Cornicum oculos configere poſſit.* En verò:

Quæque Viri docto veteres fecêre novique
Pectore, Lecturis inſpicienda damus.

Atqui ex hoc ipſo capite mihi quidem perſuaſeram homines ſtudioſos, ac præſertim Sodales noſtros aliquam nobis grariam habituros pro aſſertâ ram ſplendidè Ordinis gloriâ, & ſuppeditatâ ipſis tor rerum notitiâ, quas & ſibi glorioſas, & ſcitu dignas, & à nobis primùm indicatas negare non porerunt. Sed longè alirer animatos experti ſumusnonnullos, qui fucorum ritu *immunes aliena ad pabula ſedentes*, palàm ſignificârunt, quidvis potiùs ſe ignorare malle, quàm de Literis & Lireratis quidquam audire. Nec defuerunr, qui alienam ſpeciem rebus obtendere ſueti, ea, quæ bonum in finem à nobis ſuſcepta erant, malè interpretantes, inſignem hunc partum è medio tollere, tórque Illuſtres Viros æternæ oblivioni retrudere moliti ſunr. *Præclari nempe*, ſi Muſis placet, *Heroës, premendæ ſtivæ potiùs, quàm bellis Domini gerendis nati!* Hi tamen ſunt, quibus Rei Literariæ ac Monaſticæ clavum torquere Numen conceſſit. Aſt *Mediùs fidiùs!* ſi quod res eſt fareri debeam, in quibusdam candorem, in aliis judicium, in omnibus ſenſum bonarum rerum deſideravi, ne contra ſe plagas rexerenr, ſuóque indicio ſeſe ut ſorices proderent, & Sapientibus deridendos propinarent.

Quamvis autem rem magis invidioſam & obtrectationi obnoxiam, quàm inſipidis ejusmodi hominibus gratam ſuſcepiſſe animadverterem, plus tamen apud me valuit boni publici amor, & provehendæ rei literariæ zelus, quàm ipſorum zelotypia atque perverſitas. Et cerrè meticuloſus meritò vecórsque à cordatis Viris vocari meruiſſem, ſi animum in-

ſringi hiſce pluſquam anilibus rixis ſiviſſem. Quin tantò magis ſtimulum indies admoveri mihi ſentiebam, ut Opus perficerem, perfectóque gauderem, quò magis verebar, ne monumenta infinitis laboribus conquiſita ſimul omnia æternùm ſuppreſſa perirent, quóve plures ante me, vel ad primam lineam ptolapſos, vel in medio curſu deſtitutos, vel denique ad ipſam metam impacto vitæ curriculo effuſos, conatus in vanum exercuiſſet. Nihil ergò moratus demuſſatas iſtorum hominum obtrectationes, nihil difficultates & viciſſitudines, ſic totum Opus refudi, ut quamvis idem ſit, quod *Magnoaldus* adumbraverat, aliud tamen à nova cultura videri poſſit.

Verùm ô fatalem rerum humanarum ſortem! Quod quisque vitet, caveat, & prævertat nusquam homini ſatis cautum. Hærent vel poſt ſupremam artificis manum terſiſſimis quibúsque artis Operibus ſui nævi, hæret aqua, hærent maculæ. Sol ipſe, quo nihil ſplendidius, emaculatius nihil occurrit aſpectui, ſuas plerumque umbras, ſua patitur deliquia. Quid mirum, ſi quid in tanto Opere minus accuratum, ſi quid animadverſione dignum irrepſerit? Non poteſt ex tam multa rivulorum colluvie coactum flumen nihil contrahere fæcis aut luti; non poteſt tam diverſis ac ſæpè diſſidentibus viæ ducibus humana mens non errare. Veritati inveſtigandæ nos quidem totos contulimus, an eam ubique aſſecuti fuerimus, dijudicabunt peritiores, nec nobis vitio vertent, ſed ſorti, cui ſubjecta eſt omnis creatura, aberrationes adſcribent. Errare námque humanum eſt, & ſi nihil in lucem prodiret, niſi quod exactum, perfectum, ſuíſque numeris omnibus abſolutum eſſet, prodiret omninò nihil.

Aſt dolebunt mecum boni omnes tot támque gravia irrepſiſſe errata typographica, ut nonnullis in locis ſenſum penè totum corrumpant, alicubi in Priſcianum impingant, *aſperrima*, quod ajunt, *aſperiſſima* reddant, nemini quàm mihi graviora, qui neque typo adeſſe, nec ullâ curâ *(quamvis ad poſtam ſemper currente calamo)* impetrare potui, ut is, cui incumbebat, averruncandis nævis acriùs inſiſteret. Quocirca ut *Lector* ignoſcat, obſecro, ac etiam leviores illas deproperatæ operæ maculas à me admiſſas eò benigniùs interpretetur & toleret, quòd *nulla res*, ut Apuleius ait, *poteſt eſſe eadem feſtinata ſimul & examinata, nec eſſe quidquam omnium, quod habeat & laudem diligentiæ ſimul & celeritatis.* Si qui poterant, neceſſatiis me adjutum voluiſſent ſubſidiis, hoc Opus ad longè majorem deduxiſſem perfectionem. Sed ſteriles expertus Mæcenates, & inhoſpitales Caucaſos, bonum perficere nequivi, quod volebam. Satis dixi. Tu interim *Lector candide!* labore noſtro ſoſpes fruere, & Literarum felicitati propitiorem precare Erigonem, quæ, ut Manilius ajebat:

- - - Secli Regina vetuſti
Ad ſtudium ducit mores, & pectora doctis
Artibus inſtituit.

CONSPE-

CONSPECTUS
UNIVERSI OPERIS.

Quod Geographis ſolemne eſt, ut aliquam Orbis Partem deſcripturi, totius regionis delineandæ tractum, Urbes, Oppida, Montes, Flumina contrahant in tabellam, atque depictam regionem ob oculos legentium ita proponant, ut unico veluti obtutu iis liceat intueri & perluſtrare, quidquid totius orationis procurſus deinceps latiùs eſt explanaturus; ſic etiam in hujus Operis fronte ſigillatim & contractè edocendum duximus Lectorem, quæ illius ſit facies, quæ ſtructura, conditio, ſeries, forma, quódve cujusque Partis ſeu Voluminis argumentum exiſtat, ut ipſo ſtatim in limine, uno quaſi intuitu de totius Operis contextu, præſtantiâ, utilitate, & dicendorum copiâ Lecturus inſtruatur. Igitur.

PARS PRIMA
PRÆLIMINARIS ET GENERALIS.

Sex Capitibus prolegomena & præcognita tradit de ſtudiorum in Ordine S. Benedicti Origine, Cultu, Progreſſu, Viciſſitudinibus, Decrementis, Inſtaurationibus, eorúmque Promotoribus & Mæcenatibus, ac etiam de celebrioribus Scholis, Collegiis & Lycæis, necnon de Itineribus Literariis, de præſtantioribus Bibliothecis, Archivis, Chartophylaciis, horúmque Cuſtodibus & Præfectis.

Caput I.

Rei Literariæ Studium in Ordine Benedictino, ejúsque origines, progreſſus, fata, decrementa, inſtaurationes & ſtatus ab anno 480. per tredecim Seculorum decurſum ad noſtra usque tempora. *pag. 3. ad 140. Ubi ſyſtema inſtituendæ Societatis Literariæ Germano-Benedictinæ, totiúsque facti ſeries, ad pag. 187.*

Caput II.

Præcipua Ord. S. Bened. per Italiam, Angliam, Galliam, Germaniam, Hiſpaniam & cæteras provincias Monaſteria Studiorum gloriâ ſuperiori ævo, vel noſtrâ ætate nobilitata. - - *pag. 188. ſeqq.*

§. I. *Schola Caſinenſ. omniũ antiquiſſima. pag.* 193.
§. II. *De Fuldenſi Schola Virtutum ac Literarum officinâ.* - - 199.
§. III. *Scholæ San-Gallenſes.* - 204.
§. IV. *Augiæ Divitis Gymnaſium. p.* 214. *col.* 2.
§. V. *De Corbeienſi in Saxonia Lycæo. p.* 221.
§. VI. *De Schola Hirſaugienſi.* - 229.
§. VII. *De Floriacenſi ad Ligerim palladio.* 233.
§. VIII. *De Beccenſi in Neuſtria pædagogio.* 236.
§. IX. *De Oxonienſi Academia & Glocestrenſi Collegio.* - - 241.
§. X. *De Cluniacenſi Seminario Pariſiis.* 247.
§. XI. *De Collegio Gregoriano Romæ A.* 1621. *erecto.* - - 254.
§. XII. *De Collegio Anſelmiano Romæ A.* 1687. *fundato.* - - 262.
§. XIII. *De Ettalenſi apud Bojos Academiâ.* 272.
§. XIV. *De Cremifanenſi in Auſtria Nobilium Palæſtrâ.* - - 277.
§. XV. *De erigendo communi per Germaniam Seminario Benedictino ad excolendas ſolidiores ſcientias.* - - 282.
§. XVI. *Methodus ſtudiorum tum humaniorum, cùm ſeveriorum, prout ea deincept in Scholis & Gymnaſiis Benedictinis per Germaniam tradenda Superiorum nutu præſcribuntur.* *pag.* 294. *ſeqq.*

Caput III.

Viri Illuſtres, qui è Scholis & Magiſterio Benedictinorũ prodierunt. *p.* 307. *ſeqq.*

Caput IV.

Mæcenates Rei Lit. Benedictinæ cùm Exteri, tum Domeſtici. · *p.* 343. *ſeqq.*

CONSPECTUS

CAPUT V.

Itinera Literaria Benedictinorum cùm veteris, tum recentioris ævi. *pag.*406.

§. I. *Johannis Tritbemii Itinera Literaria.* 408.
§. II. *Pauli Langii Zwicavienſis Monachi Iter Litt.* - - *pag.* 413.
§. III. *Claudii Etiennot Congr. S. Mauri Itinera Literaria.* - - *pag.* 415.
§. IV. *Joannis Mabilloni Itinera Lit.* 416. *c.* 2.
§. V. *Bernardi Montfaucon Iter Lit.* 425. *c.* 1.
§. VI. *Emin.* ANGELI MARIÆ QUIRINI *S. R. E. Card. Itinera.* - - *p.* 430.
§. VII. *Edmundi Martene & Urſini Durand Itinera.* - - 443.
§. VIII. *Peziorum Fratrum Bernardi & Hieronymi Itinera.* - - 446.
§. IX. *De Calmeti & Fangai itinere Helvetico.* - - *pag.* 450. *col.* 2.

CAPUT VI.

Bibliothecæ & Archiva, eorúmque Origines, Fata, Incrementa, Cimelia, Cuſtodes, & reliqua memorabilia. *p.* 452.

SECTIO I. De celebrioribus Monaſteriorum Bibliothecis, earúmque cladibus præſertim in Anglia. - - *pag.* 453.

§. I. *De Bibliothecis Italiæ.* - - 462.
§. II. *De Bibliothecis Hiſpaniæ & Galliæ.* 468.
§. III. *De Lotharingiæ Bibliothecis.* - 476.
§. IV. *De Bibliothecis Belgii.* 479.
§. V. *De Germaniæ utriusque Bibliothecis.* 483.
§. VI. *De Bibliothecis Auſtriæ.* - 514.
§. VII. *De Bibliothecis Bavariæ.* - 528.
§. VIII. *De Bibliothecis Sueviæ.* - 559.
§. IX. *De Bibliothecis Helvetiæ & Vicinis.* 579.

SECTIO II. Archiva Benedictina, & horum fata. - - 591.

§. I. *Archivum Caſinenſe.* *pag.* 594. *col.* 2.
II. *Cavenſe.* - *pag.* 595. *col.* 2.
III. *Sixtinum Placentiæ.* - - *ibid.*
IV. *Ticinenſe S. Salvatoris.* - - *ibid.*
V. *Caſaurienſe* ſeu *Piſcarienſe.* - *ibid.*
VI. *Ferrarienſe.* - *pag.* 596. *col.* 1.
VII. *Rhegienſe.* - - *ibid.*
VIII. *S. Mariæ Florentiæ.* - *ibid.*
IX. *Ad S. Severinum Neapoli.* - *ibid.*
X. *Farfenſe.* - - *pag.* 596. *col.* 2.
XI. *Bobienſe.* - - *ibid.*
XII. *Ticinenſe S. Mariæ Theodatæ.* 596. *col.* 2.
XIII. *S. Facundi in Hiſpania.* - *ibid.*
XIV. *Cluniacenſe in Gallia.* *pag.* 597. *col.* 1.
XV. *Majoris Monaſterii in Gallia,* *ibid. col.* 2.
XVI. *Silviniacenſe.* - - *ibid.*
XVII. *San-Dionyſianum Pariſiis.* - *ibid.*
XVIII. *Corbeienſe in Saxonia.* *pag.* 599. *col.* 1.
XIX. *Stabulenſe.* - - *ibid.*
XX. *Benedicto-Buranum in Bavaria.* 600. *col.* 1.
XXI. *Attilenſe.* - - *ibid.*
XXII. *S. Maximini Treviris.* - *ibid.*
XXIII. *S. Martini Coloniæ.* - - *ibid.*
XXIV. *Diſibodibergenſe in comitatu Spanheimenſi.* - - *pag.* 600. *col.* 2.
XXV. *Spanheimenſe.* - - *ibid.*
XXVI. *Hirsfeldenſe.* - - *ibid.*
XXVII. *S. Michaëlis Bambergæ.* *p.* 601. *col.* 2.
XXVIII. *Mellicenſe in Auſtria.* *p.* 602. *col.* 1.
XXIX. *Lunælacenſe in Auſtria ſuperiore.* 602. *c.* 2.
XXX. *Admontenſe in Styria.* - *ibid.*
XXXI. *Prumienſe.* - *pag.* 603. *col.* 1.
XXXII. *Campidonenſe.* - *ibid.*
XXXIII. *Werthinenſe.* *pag.* 606. *col.* 1.
XXXIV. *Laureshemenſe.* *pag.* 607. *col.* 1.
XXXV. *San-Gallenſe.* *pag.* 607.
XXXVI. *Einſidlenſe.* - - *ibid. col.* 2.
XXXVII. *Murenſe.* - - *ibid.*
XXXVIII. *Sanct-Emmeramenſe Ratisbonæ.* 608.
XXXIX. *Fuldenſe.* - - 608. *col.* 1.
XL. *Mediolacenſe in agro Treverico.* 608. *col.* 2.
XLI. *Brzevnovienſe in Bohemia.* 609. *col.* 2.
XLII. *S. Georgii Pragæ.* - - *ibid.*

SECTIO III. Bibliothecarum Præfecti & Illuſtratores. - - *pag.* 610. *ſeqq.*
Archivorum Cuſtodes. - *pag.* 643. *ſeqq.*

PARS SECUNDA

SPECIALIS SIVE PRINCIPALIS,

Quæ Complectitur Hiſtoriam Literariam O. S. B. ſtrictè dictam, adeóque Hiſtoriam Artium & Scientiarum, ab ævo S. Benedicti ad noſtra usque tempora per Seculorum ſeriem apud Benedictinos excultarum, hoc ordine:

CAPUT I.

Speciatim pertractatur Hiſtoria Theologiæ cùm Poſitivæ, tum Scholaſticæ, Polemicæ, Moralis & Myſticæ.

SECTIO I. *Hiſtoria Theologiæ poſitivæ.* *pag.* 1.
SECTIO II. *Hiſtoria Theologiæ Scholaſticæ.* 73.
SECTIO III. *Hiſtoria Theologiæ Dogmatico-Polemicæ.* - - 115.
SECTIO IV. *De Theologia Morali.* - 159.
SECTIO V. *De Theologia Myſtica & Aſcetica.* - - 189.

CAPUT II.

Hiſtoria Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ, Civilis & publicæ præſertim Imperii Romano-Germanici. - *pag.* 220.

SECTIO I. *De Origine, Progreſſu, viciſſitudinibus & cultu Juris Canonici ſeu Eccleſiaſtici.* - - 221.
SECTIO II. *De Jure Civili, ejúsque inter Benedictinos Cultu.* - - 243.
SECTIO III. *De Juris Publici Scientia quatenus à Benedictinis exculta.* - 251.

CAPUT III.

Hiſtoria Philoſophiæ, Ethices, Medicinæ, Chimiæ, Matheſeos, Muſicæ, & aliarum Artium. *pag.* 262.

SECTIO

Sectio I. *Hiſtoria Philoſophiæ in genere, ac in ſpecie Benedictinorum.* p. 262.
Sectio II. *Hiſtoria Ethicæ ſeu Philoſophiæ Moralis.* 291.
Sectio III. *Hiſtoria Medicinæ prout inter Benedictinos exculta.* 299.
Sectio IV. *Hiſtoria Chimiæ, & ſecretioris Philoſophiæ.* 317.
Sectio V. *Hiſtoria ſtudii Mathematices.* 324.
Sectio VI. *De Muſices inter Benedictinos Cultu.* 336.

CAPUT IV.
Hiſtoria Studii Sacræ juxta ac Profanæ Hiſtoriæ, necnon Monaſtico-Benedictinæ. 348.

Sectio I. *De Studio Hiſtoriæ Sacræ, ſeu Eccleſiaſticæ.* 349.
Sectio II. *Hiſtoria Studii Profanæ ac Civilis Hiſtoriæ.* 377.

Sectio III. *Hiſtoriæ Studii Hiſtoriæ Monaſtico-Benedictinæ.* 398.
Sermo clauſtralis *de excolenda in Cœnobiis Hiſtoria.* 423.
Diſſertatio Em. Card. Quirini *de Monaſtica Italiæ Hiſtoria conſcribenda.* 431.

CAPUT V.
Hiſtoria Studii Diplomatici, Critici, & Antiquarii. 444.

Sectio I. *De Studio Rei Diplomaticæ.* 445.
Sectio II. *Hiſtoria Studii Critici.* 464.
Sectio III. *Hiſtoria Studii Antiquarii.* 509.

CAPUT VI.
Hiſtoria politioris Literaturæ & Philologiæ, quatenus à Benedictinis excultæ. 544.

PARS TERTIA BIOGRAPHICA,

In qua

Vitæ ac Scripta Virorum Doctrinâ Illuſtrium, Ord. S. B. inde ab Origine ad noſtram usque ætatem repræſentantur hac ſerie:

CAPUT I.
Vita Fundatoris SS.mi P. Benedicti, cum ejusdem S. Regula, indque eam Commentariis, Verſionibus, Editionibus, aliisque Lucubrationibus ad eandem illuſtrandam in lucem emiſſis. † 543. pag. 2.

Sectio I. De Regula S. Benedicti. pag. 6.
§. I. *Sacræ Regulæ autographi & apographi, ſeu Manuſcripti Codices.* 6.
§. II. *Sacræ Regulæ Verſiones.* 8.
§. III. *S. Regulæ Editiones, Declarationes, Variæ Lectiones, Notæ & Obſervationes.* 10.
§. IV. *Comentatores in Sacram Regulam.* 12.
§. V. *Authores, qui in S. Regula quadam Capita & loca difficiliora Comentati fuerunt.* 24.
§. VI. *Qui lucubrationes ad S. Regulæ Comendationem, praxin & uſum ediderunt.* 29.
Sectio II. Alia Opuſcula S. P. B. adſcripta. 32.

XIII. Alfricus Caſinenſis Monachus S. R. E. Cardinalis. † 1089. 93.
XIV. B. Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis. † 1089. 94.
XV. S. Anselmus Archiepiſcopus Cantuarienſis. † 1109. 99.

APPENDIX
De Gothescalco Orbacenſi Monacho Seculi IX. Cilone, qui noſtra ætate etiam ſuos habet & Adverſarios & Patronos. 104.
Ejus Vindiciæ per Em. Card. Henricum Noriſium. 105.
Ludov. du Meſnil S. J. in eum criminationes. 122.

CAPUT II.
SS. Patrum O. S. B. Corona, eorúmque Vitæ ac Scripta.

§. I. S. Gregorius I. P. M. † anno 604. pag. 34.
II. S. Ildephonsus Archiep. Toletanus. † 669. 39.
III. S. Aldhelmus Epiſc. Schirburnenſis. † 709. 43.
IV. *Venerab.* Beda Presbyter. † 735. 46.
V. S. Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus, Germaniæ Apoſtolus. † 754. 54.
VI. Ambrosius Autpertus Abb. in Monaſterio S. Vincentii ad Vulturnum in Italia. † 778. 57.
VII. B. Alcuinus Præceptor Caroli M. † 804. 60.
VIII. B. Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus. † 856. 65.
IX. S. Paschasius Radbertus Abbas Corbeiæ Veteris. † 860. 77.
X. B. Servatus Lupus Abbas Ferrarienſis. † 860. 83.
XI. S. Ado Archiepiſc. Vienenſis. † 875. 86.
XII. B. Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis. † 1072. 88.

CAPUT III.
Vitæ Virorum Doctrinâ Illuſtrium O. S. B. Medii Ævi, inde à Seculo XII.

I. Odo Abb. S. Martini Tornacenſis atque Epiſc. Cameracenſis. † 1113. pag. 126.
II. S. Bruno Epiſc. Signienſis, S. R. E. Cardinalis. † 1125. 129.
III. Herveus Burgidolenſis Aſceta. C. 1130. 130.
IV. Goffridus Abb. Vindocinenſis, S. R. E. Cardinalis. † 1131. 132.
V. *Venerabilis* Hildebertus. † 1134. 134.
VI. Drogo S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Oſtienſis. † 1136. 140.
VII. Eadmerus Epiſc. S. Andreæ in Scotia. † 1137. 140.
VIII. Petrus *Diaconus* Caſinenſis. † 1140. 143.
IX. Sugerius Abbas S. Dionyſii, & Regens Franciæ. † 1152. 147.
X. S. Petrus Mauritius, cognomento Venerab. Abb. Cluniacenſis. † 1156. 151.

Digitized by Google

CONSPECTUS

XI. Wibaldus Abb. Stabulenſis & Corbeienſis. † 1158. - - *pag.* 155.
XII. Godefridus Abb. Admontenſis. † 1165. 160.
XIII. Petrus *Cellenſis* Abbas, ac poſtea Epiſcopus Carnotenſis. † 1187. - 162.
XIV. Reinerus Monachus S. Laurentii Leodienſis. Claruit. 1182. - - 166.
XV. Cæsarius Prumienſis poſtea Heiſterbacenſis Monachus. Clar. 1222. - 170.
XVI. Mathæus *Pariſius* Regis Angliæ Hiſtoriographus. † 1259. - - 171.
XVII. Bernardus Abb. Caſini & S. R. E. Cardinalis. †. 1282. - - 172.
XVIII. Engelbertus Abbas Admontenſis. † 1331. - - 175.
XIX. Clemens VI. P. M. † 1352. - 180.
XX. Petrus Berchorius Prior Collegii S. Eligii. † 1362. - - 183.
XXI. Adamus Eston S.R.E.Card. † 1397. 185.
XXII. Basilius Valentinus. a. 1413. - 188.
XXIII. *Venerab.* Nicolaus de Mazen Abbas Mellicenſis. † 1425. - 192.
XXIV. Joannes Lidgatus. † 1440. - 194.
XXV. Joannes Whethamstedus Abbas S. Albani in Anglia. † 1440. - 195.
XXVI. Nicolaus Tedescus Abb. Panormitanus. † 1445. - - 198.
XXVII. Martinus Abbas Scotorum Viennæ Auſtriæ. † 1470. - 201.
XXVIII. Carolus Fernandus Profeſſor Regius in Univerſitate Pariſienſi. † 1496. 203.
XXIX. Adamus Villicus Abb. S. Martini Maj. Coloniæ. † 1499. - - 204.
XXX. Joannes Raulinus Regii Navarræ Gymnaſii Magnus Magiſter. † 1514. 213.
XXXI. Joannes Trithemius Abbas Spanheimenſis. † 1516. - - 217.
XXXII. Joannes de Marre, Epiſcop. Condomienſis. † 1521. - - 333.
XXXIII. Joannes Piemontanus cognomento Bouzbachius Lacenſis. † 1526. 335.
XXXIV. Nicolaus Ellenbogius. † 1543. 338.
XXXV. Gregorius Cortesius S.R.E.Card. † 1548. 21. Octob. - 339.
XXXVI. Isidorus Clarius Fulginei Epiſcopus. † 1555. - - *pag.* 344.
XXXVII. Joachimus Perionius Theologus Univerſitatis Pariſienſis. † 1559. - 348.
XXXVIII. Dionysius Faucherius Prior Lerinenſis. † 1562. - - 351.
XXIX. Florianus Treffiirus. † 1665. 352.
XL. Jacobus Billius Abbas S. Michaëlis in Eremo. † 1581. - - 353.
XLI. Joannes Feckenamus Abbas ultimus Weſtmonaſterienſis in Anglia. † 1585. 357.
XLII. Ninianus Winzetus. † 1592. 360.
XLIII. Gilbertus Genebrardus Archiepiſcopus Aquenſis. † 1597. - - 361.
XLIV. Joannes de Castanniza. † 1599. 367.

CAPUT IV.

Vitæ Virorum Illuſtriū Recentioris ævi.

I. Leonardus Rubenus Abb. Abdinckofenſis. † 1609. - - 368.
II. Jacobus Breulius Prior S. Germani à Pratis. † 1614. - - 370.
III. Jacobus Bossutius Conſultor Congregationis de auxiliis. † 1626. - - 371.
IV. Gulielmus Gifford Archiepiſcopus Remenſis. † 1629. - - 373.
V. Antonius Perezius Archiep. Tarraconenſis. † 1637. - - *pag.* 375.
VI. David Gregorius Cornerus Gottwicenſis in Auſtria Monaſterii Abb. † 1648. 375.
VII. Benedictus Hæftenus Præpoſitus Affligenienſis. † 1648. - - 377.
VIII. Constantinus Cajetanus Abbas S. Baronti. † 1650. - - 379.
IX. Clemens Reynerus Abb. Lamſpringenſis. † 1651. - - - 383.
X. Placidus Vigellius Abb. Majoris Augiæ Brigantinæ. † 1651. - - 384.
XI. Carolus Stengelius Abbas Anhuſanus. † 1663. - - - 386.
XII. Adamus Adami, Epiſcopus Hierapolitanus, & Hildeſienſis ſuffraganeus. † 1663. 389.
XIII. D. Franciscus Delfau. † 1676. - 395.
XIV. Ludovicus Engel, SS. Canonum Doctor & Profeſſor. † 1674. - 401.
XV. Gregorius Geisserus Abb. ad S. Georgium in Sylva Nigra. † 1690. - 403.
XVI. Angelus de Nuce, Archiepiſcopus Roſſanenſis. † 1691. - - 407.
XVII. Vitalis Terra Rubra è Congregatione Caſinenſi. † 1691. - - 413.
XVIII. Augustinus Rhedino, Abbas & Princeps Einſidlenſis. † 1692. - - 415.
XIX. Coelestinus Sfondratus, Princeps & Abb. San-Gallenſis, S. R. E. Cardinalis. † 1696. - - - 416.
XX. Josephus Saenz de Aguirre S. R. E. Cardinalis. † 1699. - - 420.
XXI. Claudius Stephanotius. † 1699. 424.
XXII. Ignatius Clavenau. † 1701. - 427.
XXIII. Oderisius Pierius. † 1702. - 430.
XXIV. Otto Aicherus Profeſſor Univerſitatis Salisburgenſis. † 1705. - 435.
XXV. Joannes Mabillonius. † 1707. 436.
XXVI. Claudius de Vert Prior S. Petri Abbatis-Villæ. † 1708. - - 439.
XXVII. Paulus Rabusson Superior Generalis Congr. Cluniacenſis. † 1717. - 441.
XXVIII. Antonius Augustinus Touttée è Congregatione S. Mauri. † 1718. - 442.
XXIX. Ludovicus Bablnstuber Theologus Ettalenſis. † 1726. - - 444.
XXX. Benedictus Bacchinus Abb. Congregationis Caſinenſis. † 1721. - 445.
XXXI. Dionysius *de Sainte-Marthe.* † 1725. 451.
XXXII. Mathæus Petit-Didier. † 1728. 455.
XXXIII. Corbinianus Khamm. † 1730. 457.
XXXIV. Carolus Meichelbeck Benedicto-Buranus in Bavaria Monachus. † 1734. 458.
XXXV. Bernardus Pezius Bibliothecarius Mellicenſis. † 1735. - - 466.
XXXVI. Marianus Armellinus è Congregatione Caſinenſi. † 1737. - - 446.
XXXVII. Bernardus de Montfaucon Congregat. S. Mauri Decus inſigne. † 1741. 479.
XXXVIII. Godefridus Besselius Gottwicenſis in Auſtria Monaſterii Abb. † 1749. 481.
XXXIX. Placidus Böckhn. † 1752. 484.

CAPUT V.

Vitæ Authorum Fœminei ſexûs O. S. B. Doctrinâ, Eruditione, ac Scriptis Illuſtrium. - - 485.
I. Roswitha Monialis Gandersheimenſis. Claruit anno 980. - - 491.

II. Die-

II. Diemudis Sanctimonialis Weſſofontana. Claruit anno 1073. - - 494.
III. Bertrada Vilecenſis Sanctimonialis. Claruit anno 1030. - - 496.
IV. Adela Monialis Marcianenſis. † 1110. 497.
V. S. Elisabetha Schœnaugiæ Abbatiſſa. † 1160. - - - - 499.
VI. Heloissa Paracletēſis Abbatiſſa. † 1163. 501.
VII. S. Hildegardis Abbatiſſa in Monte S. Ruperti prope Bingas. † 1178. - 503.
VIII. Rilindis ſeu *Regilindis* Abbatiſſa Hohenburgenſis. † 1169. - - 508.
IX. Herradis Hohenburgenſis Abbatiſſa. Sec. XII. - - - - 509.
X. SS. Gertrudis & Machtildis Sorores C. Sec. XIII. - - - - 510.
XI. Angelica Baitelli. C. 1657. - 514.
XII. Helena *Lucretia Cornelia Piſcopia.* † 1684. - - - - 514.
XIII. Regina Jurata. † 1685. - - 528.
XIV. Maria *Crucifixa à Concept.* † 1699. 528.
XV. Maria *de Blemur* Sanctimonialis è Congr. perpetuæ adorationis SS. Sacramenti. † 1696. - - - 530.
XVI. Maria *Stella Scutellari.* † 1701. 533.
XVII. Maria *Magdalena Gabrielis de Rochechouard* Abb. Fontebraldenſis. † 1704. 533.

Caput VI.

Recenſentur nomina aliorum utriusque ſexûs Scriptorum, qui variis ingenii ſui monumentis Rempublicam Literariam locupletârunt. *pag.* 535. usque ad 639.

Appendix I.

De Script. Anonymis & Pſeudonymis. *pag.* 639.
§. I. *De Anonymis.* - - 639.
§. II. *De Pſeudonymis.* - - 645.
§. III. *Alii Benedictini, qui in Eruditorum Societates adlecti variâ nomina tulerunt.* 651.

Appendix II.

Exhibet Scriptores omiſſos in ſuperiori Indice cum additionibus & correcturis. *pag.* - - 654. usque ad 674.

PARS QUARTA BIBLIOGRAPHICA,

Quæ

Bibliothecam Scriptorum Ord. S. Ben. Hiſtorico-Criticam Realem per claſſes digeſtam exhibet hoc ordine.

Caput I.

Bibliotheca Benedictina Theologica.

Sectio I. De Theologia Poſitiva.
Recenſentur Libri ad eam ſpectantes hâc ſerie:
§. I. *Biblia Sacra Benedictina Correctionis, Verſionis, atque Editionis.* - *pag.* 2.
II. *Interpretes totius Sacræ Scripturæ, aliiq; Compendiarii, qui divinas Scripturas in ſynopſin & compendium redegerunt.* - 16.
III. *Interpretes Bibliorum ex parte.* - 23.
IV. *Cōmentatores, ſeu Poëtæ Biblici, qui Sacræ Scripturæ libros, loca, argumenta, laudes ac commendationem ligatâ oratione expreſſerunt.* - - 54.
V. *Scriptores Concordiæ Veteris & Novi Teſtamenti.* - - 57.
VI. *Scriptores in quadam Loca utriusque Teſtamenti.* - - 58.
VII. *Scriptores, qui in Sacram Scripturam Tractatus Iſagogicos ediderunt.* - 60.
VIII. *Grāmatici, Lexicographi & Concordantiæ ad uſum Sacræ Scripturæ.* - 64.
Sectio II. De Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis Ord. S. Benedicti. - 68.
§. I. *Sancti Patres Benedictini, qui de rebus Divinis ante natam ſcholam, maximè de SS.mo Eucharistiæ Sacramento ſcripſerunt.* - 68.
II. *Patres alii Benedictini, atque Scriptores Eccleſiaſtici, quorum Scripta & Opera habentur in Bibliothecis Veterum Patrum.* 76.
III. *Alii iterùm Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, quorum Opera in Bibliothecis Veterum PP. partim prætermiſſa, partim in unum corpus digeſta ſeparatim edita fuerunt.* 85.
IV. *Qui ſanctorum Patrum Scripta deflorando ex iisdem nova Opera condiderunt.* *pag.* 88.
V. *Collectiones variæ, ſeu Bibliothecæ Patrum Veterū; Eccleſiaſticorum Scriptorum.* 91.
VI. *Editiones & Verſiones SS. Patrum, Veterúmque Auctorum, qui adornârint.* - 99.
Sectio III. Theol. Scholaſticæ Scriptores. 111.
Sectio IV. Theologiæ Polemicæ Scriptores. 122.
Sectio V. Theologiæ Moralis Scriptores. 134.
Sectio VI. Aſcetæ, ſeu Theologicæ Myſticæ Scriptores. - - 140.
Sectio VII. Qui de Doctrina Chriſtiana ſcripſerunt, vel Libros Catholicos ediderunt. 151.
Sectio VIII. Qui Homilias, Sermones, ac Conciones ſcripſerunt. - - 155.
Sectio IX. Qui de Deo, ac SS.ma Trinitate ſcripſerunt. - - 163.
Sectio X. Qui de Chriſto, Generis Humani Redemptore ſcripſerunt. - - 166.
Sectio XI. Qui de Sanctiſſima Dei Genitrice Maria ſcripſerunt. - - 170.
Sectio XII. Qui de Angelis, Sanctis, horúmque Laudibus, Cultu, Reliquiis, ac Imaginibus methodicè ſcripſerunt. - - 186.

Caput II.

Jurisprudentia Ecclesiastica.

Sectio I. Conditores, Collectores, atque Editores Juris Canonici. - - *pag.* 193.
§. I. *Sum̄i Pontifices ex Ordine S. B. qui Literas, Bullas ac Conſtitutiones ediderunt.* 193.

II. *Qui*

CONSPECTUS

II. *Qui præter Sum̃os Pontifices Canones, Decreta, & Statuta in Conciliis condiderunt.* - - - pag. 200.
III. *De Diſciplina Eccleſiaſtica, Sacrorumq; Canonum Obſervantia qui ſcripſerunt.* 206.
IV. *Libros, qui Pœnitentiales vocantur, quinam conſcripſerunt.* - - 211.
V. *Orationes in Conciliis, ſynodis qui habuerint.* - - 218.
VI. *Qui Collectiones Canonum, ſeu Corpora Juris Canonici & Eccleſiaſtici condiderunt.* - - 215.
VII. *Scriptores, Editores, atque Collectores Conciliorum, nec non Literarum, atq; Bullarum Summorum Pontificum.* - 221.

Sectio II. Elucidatores Juris Canonici.

§. I. *Authores, qui in Jus Canonicum commentati fuerunt.* - - 229.
II. *Qui Tractatus, Quæſtiones, Conſilia, &c. de variis Juris Eccleſiaſtici argumentis ſcripſerunt.* - - 233.
III. *Qui de jure controverſo inter Sacerdotium & Imperium ſcripſerunt Benedictini.* 240.
IV. *Alii Scriptores, qui Sedis Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ libertatem defendendam ſuſceperunt.* - - 246.
V. *Qui jura ſuarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum editis ſcriptis propugnárunt.* 249.
VI. *Appendix eorum Authorum, qui Jurisprudentiam Civilem, & Publicam, hisque affinem Politicam attigerunt.* - 258.

Sectio III. Scriptores Appendicum Juris Eccleſiaſtici.

§. I. *Scriptores Librorum, quibus in Com̃uni traditur de Divinis Officiis.* - 266.
§. II. *Qui Breviaria, & quæ in iiſdem continentur, compoſuerunt.* - 270.
§. III. *Qui Ritualia, & quæcunque ad Sacramenta & Sacramentalia pertinent, conſcripſerunt.* - - 278.
§. IV. *Qui de Celebratione Miſſæ, rebúsque aliis ad eam attinentibus ſcripſerunt.* 282.

Caput III.

Scriptores de Medicina, Philosophia, et Mathematica.

Sectio I. Medici. - - 287.
Sectio II. Philoſophi. - - 290.

§. I. *Scriptores Logicæ, ſeu Scientiæ Cogitationum rectricis.* - - 290.
§. II. *Scriptores Metaphyſicæ, ſeu primæ Philoſophiæ.* - - - 291.
§. III. *Scriptores Phyſicæ, ſeu Scientiæ Naturæ.* - - - 294.
§. IV. *Scriptores Ethicæ, ſeu Morum Scientiæ.* - - - 298.
§. V. *Qui in Platonem, Ariſtotelem, Porphyrium, univerſámque Philoſophiam commentati fuerunt.* - - 300.
Sectio III. Mathematici. - - 304.
§. I. *Qui de Matheſi in genere ſcripſerunt.* 304.
§. II. *Scriptores de Arithmetica, & Arte Computiſtica ſive Calculatoria.* - 305.
§. III. *Scriptores de Geometria.* - 307.
§. IV. *Scriptores de Aſtronomia.* - 309.
§. V. *Scriptores de Muſica, & Inſtrumentis Muſicis, Cantúque Eccleſiaſtico.* - 311.

Caput IV.

Scriptores Historici.

Sectio I. Scriptores Iſagogici, & de Chronologia, & Geographia. - pag. 319.
§. I. *Chronologi.* - - ibid.
§. II. *Geographi.* - - 323.
§. III. *Qui ſua vel aliorum Itinera literis mandárunt.* - - 326.

Sectio II. Scriptores Hiſtoriæ Univerſalis 329.
§. I. *Qui Hiſtoriam Rerum Sacrarum ſimul & Profanarum ab Orbe condito in literas retulerunt.* - - 330.
§. II. *Qui Hiſtoriam ejusmodi à Chriſto Nato condiderunt.* - - 336.
§. III. *Qui Res ſui temporis annotárunt.* - 342.

Sectio III. Scriptores Hiſtoriæ Sacræ & Eccleſiaſticæ. - - - 346.
§. I. *Scriptores Hiſtoriæ Biblicæ.* - ibid.
§. II. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Univerſalis Scriptores.* - - - 349.
§. III. *Scriptores Hiſtoriæ Pontificiæ.* - 353.
§. IV. *Hiſtorias Epiſcopatuum, Vitáſque ac Geſta Epiſcoporum qui conſcripſerint.* 359.
§. V. *Scriptores Hiſtoriæ Conciliorum & Synodorum.* - - - 367.

Sectio IV. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Particularis Scriptores. - - 372.
§. I. *Scriptores Hiſtoriæ Eccleſ. Nationalium.* ibid.
§. II. *Scriptores Hiſtoriæ Religioſ. Ordinum.* 380.
§. III. *Scriptores Hiſtoriæ Sacrarum Expeditionum ad recuperandam terram ſanctam.* 386.
§. IV. *Scriptores Sectarum, Hæreſum, Schiſmatum ac Perſecutionum Eccleſiæ.* - 389.
§. V. *Scriptores Hiſtoriæ Stationum Beatæ Virginis.* - - 396.
§. VI. *Scriptores Vitarum Virorum Illuſtrium Status Eccleſiaſtici.* - - 399.
§. VII. *Scriptores Diſſertationum de rebus in Eccleſiaſtica Hiſtoria controverſis.* - 401.

Sectio V. Scriptores Hiſtoriæ Sanctorum. 407.
§. I. *Hagiographi.* - - 408.
§. II. *Martyrologi.* - - 411.
§. III. *Scriptores Sacrarum, ut vocant, Legendarum.* - - 415.
§. IV. *Qui Hiſtorias de Sanctorum Reliquiis, Miraculis, ac Canoniſatione ſcripſerunt.* 421.

Sectio VI. Scriptores Hiſtoriæ Profanæ. 425.
§. I. *Qui Hiſtoriam prophanam Univerſam à Chriſto Nato ſcripſerunt.* - - ibid.
§. II. *Scriptores Hiſtoriæ Romanæ, ac Rerum Italicarum.* - - - ibid.
§. III. *Rerum Germanicarum Scriptores.* 430.
§. IV. *Scriptores Rerum Francicarum.* 448.
§. V. *Scriptores Rerum Gothicarum, Vandalicarum, & Longobardicarum.* - 457.
§. VI. *Scriptores Rerum Normannicarum.* 459.
§. VII. *Scriptores Rerum Anglicarum.* 461.
§. VIII. *Scriptores Rerum Hiſpanicarum.* 468.
§. IX. *Scriptores Rerum Bohemicarum.* 471.
§. X. *Scriptores Hiſtoriæ peregrinæ, variæ, & exoticæ.* - - 372.
§. XI. *Scriptores Vitarum Virorum ac Fœminarum Illuſtrium Status ſecularis ac Politici.* - - 477.

Sectio

SECTIO VII. Scriptores Quinarum Hiſtoriæ in Communi Appendicum. - *pag.* 482.

§. I. *Scriptores Hiſtoriæ Gentilitiæ.* - 482.
§. II. *Scriptores Hiſtoriæ Iconologicæ.* - 489.
§. III. *Scriptores Rei Diplomaticæ.* - 494.
§. IV. *Scriptores Rei Nummariæ.* - 501.
§. V. *Hiſtoriæ Literariæ Scriptores.* - 508.

SECTIO VIII. Scriptores Hiſt. Benedictinæ. 518.
§. I. *Hagiographi, ſeu Scriptores Vitæ Sanctorum Ord. S. Benedicti.* - - *ibid.*
§. II. *Martyrologi Monaſtico-Benedictini.* 523.
§. III. *Scriptores de Viris Illuſtribus Ord. S. Benedicti.* - - 525.
§. IV. *Scriptores Hiſtoriæ Generalis Benedictinæ.* - - - 529.
§. V. *Scriptores de variis Sacri Ordinis Congregationibus* - - - 534.
§. VI. *Chronographi Monaſteriorum.* - 536.
§. VII. *Qui Vitas, Hiſtorias, Geſta, Elogia, & Catalogos Abbatum literis conſignârint.* - - 565.
§. VIII. *Scriptores de Prioratibus, ac Monaſteriorum Prioribus.* - - 572.
§. IX. *Necrologia ſeu Diptycha Mortuorum.* 574.
§. X. *Scriptores de Diſciplina Monaſtica, ejúsque Hiſtoria.* - - 578.
§. XI. *Scriptores de Sacri Ordinis Conſuetudinibus, Ritibus, & Ceremoniis.* - 587.
§. XII. *Scriptores de Privilegiis Sacri Ordinis, ejúsque Monaſteriorum.* - 592.
§. XIII. *Scriptores Hiſtoriæ Literariæ Benedictinæ.* - - - 600.
§. XIV. *Scriptores Critici de Rebus in Hiſtoria Benedictina controverſis.* - 612.
§. XV. *Apologiſtæ Sacri Ordinis, ejúsque Jurium, ac Prærogativarum.* - 617.

CAPUT V.

SCRIPTORES ELEGANTIORIS LITERATURÆ.

SECTIO I. Grammatici & Linguiſtæ. - 627.
SECTIO II. Rhetores, ſive Oratores. - 635.
SECTIO III. Poëtæ celebriores. - - 642.
SECTIO IV. Scriptores Panegyrum, Applauſuum, Elogiorum, Anagrammatum, Inſcriptionum, Epithalamiorum, Epitaphiorum &c. - - - 648.
SECTIO V. Qui Rhetorices, Poëſeos, Hiſtoriæ, atque Epiſtolographiæ &c. præcepta ſcripſerunt. - - - 654.
SECTIO VI. Critici Veteres & Novi. - 657.
SECTIO VII. Polygloſſi, & linguarum, ùt vocant, Originalium Cultores. - 661.
SECTIO VIII. Comici. - - 666.

CAPUT VI.

SCRIPTORES ET AUCTORES MISCELLANEI.

SECTIO I. Apologiſtæ. - - *pag.* 671.
SECTIO II. Epiſtolographi. - - 675.
SECTIO III. Interpretes, ac Verſiones Librorum. - - - 681.
SECTIO IV. Antiquarii Monachi, quinam, & quàm utiles Eccleſiæ, bonisq; Artibus. 687.
SECTIO V. Variorum Authorum Collectiones miſcellaneæ. - - 693.
SECTIO VII. Scriptores inediti, ſeu Anecdota. - - - 699.
SECTIO VII. Scriptores, quorũ libri rariores. 706.
SECTIO VIII. Philologi. - - 712.
SECTIO IX. Scriptores, quorum Opera conjunctim edita. - - - 715.
SECTIO X. Authores Operum imperfectorũ. 716.
SECTIO XI. Scriptorum Libri deperditi. 720.
SECTIO XII. Rerum novarum Inventores, & Artifices Nobiles. - - - 725.



APPROBATIO CENSORIS.

Cùm Opus quadripartitum, cui titulus: *Hiſtoria Rei Literariæ Ordinis S. Benedicti &c.* ab admodùm Reverendis & Clariſſimis Viris, P. Magnoaldo Ziegelbauer & P. Oliverio Legipontio, ejusdem Inſtituti Alumnis, Theologis & Hiſtoriographis, laborioſo molimine multisque lucubrationibus, ſapienter & eruditè concinnatum, inſignia ſacræ illius Familiæ in Literas merita, aliáque non ſpernenda Virtutis & Doctrinæ exempla ad imitationem repræſentet; nihil verò à Fide Catholica, aut bonis moribus diſſonum in eo animadverterim: hinc typis in vulgus ad inclyti illius Ordinis ſplendorem bonarúmque artium cultum, & Orbis eruditi commodum emitti poſſe cenſeo, dignúmque exiſtimo.

Auguſtæ 6. *Octobris* 1754.

Franciscus Josephus de Handl, SS. Theol. Licent. Rev.mi & Ser.mi Principis Epiſcopi Auguſtani Conſiliarius Eccleſiaſticus, Major Pœnitentiarius, & Librorum Cenſor; nec non inſignis Eccleſiæ ad S. Mauritium Canonicus & Parochus. *mppria.*

IMPRIMATUR.

Ex Vicariatu Auguſtano die 8. *Octobris* 1754.

Nicolaus Antonius Seiz, J. U. Doctor, SS.mi D.N. Papæ Prælatus Domeſticus, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, & ſummus Scholaſt. Rev.mi & Ser.mi Principis Epiſcopi Auguſtani Vicarius in Spiritualibus Generalis. *mppria.*

ELOGIUM HISTORICUM
R.P. MAGNOALDI ZIEGELBAUERI.

† 1750. XIV. *Junii.*

§. I.

Ejus natales, ſtudia & religionis ingreſſus.

LUcis hujus uſuram hauſerat *Magnoaldus* in Elwangenſi Sueviæ & Diœceſis Auguſtanæ oppido, honeſtis parentibus circa A. 1689. orbi editus, jámque tenerâ adhuc ætate coruſcantibus in eo præſtantis ingenii ſcintillis humaniorum literarum ſtudiis ſtatim addictus fuit. Vix pubertatis annos expleverat, cùm ſpretis mundi illecebris in Imperiali ad Duplices aquas vulgò *Zwifalt* Monaſterio D. Benedicti legibus nomen dedit, ſolemnibus votis ſub R.mo Abbate *Wolfgango* eruditionis cultore præcipuo die XXI. Novembris A. 1707. emiſſis. Peracto regulari morum tyrocinio Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudiis admotus, ea mox edidit præclari ingenii ſpecimina, quæ ipſum præ aliis diſtinguebant. Presbyter anno 1713. die XI. Martii Conſtantiæ ordinatus, paulò poſt ipſe bonarum artium profeſſuram ſuſtinuit. *Wolfgango* Abbate A. 1715. fatis functo, cùm ſortes illius alia funderent oracula, privatæ librorum ſcriptioni animum appulit, cúmque Marianophilus eſſet eximius, provehendo magnæ Matris Deiparæ Virginis cultui laborum primitias ex aſſe ſacravit, edito *Conſtantiæ* A. 1720. in lucem opuſculo mole quidem exiguo, ſed ſucco & pietate referto, cui titulum indidit: *Mancipatus illibatæ Virginis Mariæ*... de quo ipſe plura Part. IV. hujus Operis *pag.* 183.

Prima ſcribendi tentamina.

Domeſticas ſimultates

II. Primo hoc ſui ingenii fœtu felicitatus, majores alios mente concipiebat, cùm ecce denſiores quædam turbarum nubeculæ animum ejus ita proſtrârunt, ut prope mentem à ſtudiis caſtísque Muſarum deliciis avocarent. Nempe quùm inimica ſit bonarum artium oſorum converſatio, quòd nemo non aliquod nobis vitium aut commodet, aut imprimat, vel inadvertentibus illinat, *non adeò tutum eſt cum multis vivere, & inter ignavos, ſtupidos, rixoſos & ambitioſos verſari: Quandoquidem*, ut ſcitè Palingenius in zodiaco vitæ, * *inviſa eſt iſtis ſapientia propter diſſimiles nimium mores. Contraria ſemper ſeſe oppugnant, ſempérq; adverſantur & obſtant.*

Hinc periêre Sophi complures, quòd voluêre
Carpere ſtultorum mores, ac dicere verum.
Et quia non poterant ferre, & malefacta tacere,
Afflicti à ſtultis, interfectique fuêre...

Abſceſſu fefellit ſuo

III. Similes moleſtias expertus noſter, ac ſubinde illiberali quorumdam convictu offenſus, ut ſalvum ab his caput retraheret, malevolos abſceſſu fefellit ſuo, & in ſuperioris cellæ parochiam Diviti Augiæ obnoxiam ſe recepit, ubi illud condidit opuſculum, quod *Conſtantiæ* A. 1727. typis exſcriptum prodiit ſub titulo: *Triumphale ſilentium S. Georgii Megalo-Martyris in exemplum Sodalibus confraternitatis per ipſum Authorem erectæ in Parochia Augiæ Divitis ſuperioris cellæ ad abrogandam jurandi, convitiandi, & imprecandi, conſuetudinem peſſimam.* Vid. Part. IV. *pag.* 192.

IV. Sed enim, quia Divo dictante Gregorio, *nunquam deeſt tribulatio perſecutionis, ſi non deſit obſervantia pietatis*, MAGNOALDUS ſudes in oculis eorum, penes quos erat vitæ ipſius arbitrium, ſubortis iterùm aliis ſimultatibus, ut invidiæ & pallori averten- tia ſacra faceret, impetratis à ſuo Abbate dimiſſorialibus in Divitis Augiæ monaſterium ſeceſſit, ubi Theologiam aliquamdiu docuit, edidítque Libellum *de Præſidio & Patrocinio S. P. Benedicti in articulo mortis.* Conſtantiæ typis *Joan. Ignatii Neyer* in 8. anno 1730. Tum etiam Commentarios Rabani Mauri in *Danielem* Prophetam & in *S. Joannem Evangeliſtam* ex Augienſi Bibliotheca erutos prelo aptavit, & notis illuſtravit.

In Augiam Divitem digreſſus.

* pag. 226.

deinde in Auſtriam.

V. Exinde in Auſtriam ob quædam ejus Abbatiæ negotia in Aula Cæſaris expedienda digreſſus, Vindobonæ per aliquot menſes moratus eſt, ubi cùm in Ill.mi Gottwicenſiũ Abbatis GODEFRIDI Literatorum Mæcenatis Literatiſſimi notitiam veniſſet, ab eo Gottwicum accitus eſt prælegendæ ejus Cœnobii junioribus Theologiæ morali. Quo in loco extra invidiam quidem, nec tamen extra gloriam erat. Sed diu illîc non ſubſtitit, Viennam A. 1733. regreſſus, ac ſubinde RR. PP. Benedictinorum B. M. ad Scotos favoribus fruitus, dum tandem meo interventu Illuſtrium Adoleſcentûm DD. *de Laterman* moderationem ineunte Aprili A. 1734. in ſe recepit. Unde arctior illa inter nos conſuetudo coaluit, quæ non niſi ſupremis fatis diſſolvi potuit.

Labores ejus litt. Viennæ.

VI. Cōmodam hanc ſortitus ſpartam otiúmque deſideratiſſimum *Magnoaldus* publicas Urbis Bibliothecas ſedulò frequentare, inter Auctores ſapientiæ continuò verſari, nondum inventa quærere, quæſita componere, compoſita expolire, majoráque moliri cœpit. Tum verò Hiſtoricam illam relationem germanicè conſcripſit *de Vexillo S. Georgii Equitis & Mart. quod priſcis temporibus Germaniæ Nobilitas equeſtris in bello ſacro & civili præferre conſueverat.* Viennæ 1735. in 4. Secuto inde anno *Acta S. Stephani Protomartyris*, primarii Vindobonenſium Patroni ibidem in lucem dedit; quo de Opuſculo vid. Part. IV. pag. 411. Aliud deinde Opus parthenicum de Immaculatæ Conceptionis myſterio condidit, quod Rezii in Auſtria prodiit A. 1737. in fol. hoc rubro: *Noviſſima de Negotio Seculorum*. . . de quo Part. IV. pag. 183. Edidit ibidem Opuſculum patrio idiomate conſcriptum de Sanguine D. N. J. C. hoc tit: *Pretium Magnum Redemptionis Humanæ.* de quo Part. IV. p. 170. Aliud itidem conſcripſit opuſculum vernaculè ſub tit. *Planctus filiæ Jephte* i. e. cōmunis Chriſtianorum luctus ſuper patientis in carne Dei ac humani generis Redemptoris J.C. humanitatem. . .

Novus Rei Lit. Ord. S. B. conſpectus.

VII. Sed nullo noſter ingenii monumento doctrinam ſuam Orbi literato magis adprobavit, quàm formato per id tempus *Novo Rei Literariæ Ord. S. Ben. Conſpectu*, quo non ſolùm Hiſtoriam Lit. penè univerſam proſequi, ſed ſuas etiam de omni Scientiarum genere obſervationes criticas, ac judicia de Scriptoribus exhibere conſtituerat. Dederant jam quidem in hunc agonem ſua nomina *Trithemius, Wion, Stengelius* & alii. Sed ab iſtis prima duntaxat jacta fuêre grandioris ſtructuræ ſundamenta; Quorumdam intra verba ſtetit fides; plurimos in ipſo labore mors oppreſſit; huic indignatio præreptæ laureæ, illi obortæ difficultates, aliis alia obfuére impedimenta, quominus deſideratum Opus perficerent. Tandem verò omnem omnium penè jactum ſuperaverat Cl. P. BERNARDUS PEZIUS Mellicenſis Bibliothecarius *, ſed cùm ille Scriptoribus Benedictinis undique colligendis ſuos indulgeret annos, laborem cepit multum, fructum laboris percepit nullum, eidem immortuus A. 1735.

Qua occaſione Operis ideam formaverit.

VIII. Curam eo tempore gerebam Bibliothecæ Gottwicenſis, cúmque ſpes evulgandæ *Pezii* Bibliographiæ proſtrata jaceret, *Magnoaldo* auctor fui, ut ſociatis mecum laboribus ad ſimile quid moliendum aggrederetur. Pacto inter nos fœdere *de mutuis ſymbolis*, manum ille Operi admovit tanquam primarius Architectus, atque demùm año 1737. illius Sciagraphiam publico dedit. Tot alii ejus ingenii partus in lucem editi, uti jam ipſum omnibus Reipublicæ Literariæ civibus ſpectabilem reddiderant, ita non potuerunt non provocare Eruditos ad generoſum hunc auſum ſecundandum. Natæ hinc ipſi cum pluribus ſummis Viris amicitiæ, & epiſtolaris conſuetudo ſubſidiis undique fenerandis opportuna.

Ejus ad Calmetum epiſtola, quâ petit inſtrui,

IX. Eos autem præ cæteris interpellandos duxit, in quibus eruditio cum humanitate certabat; quos inter cùm facilè princeps emineat Doctiſſimus Abbas *Calmetus*, prolixiori epiſtolâ Cal. Maji A. 1737. datâ, ** ad ſuppetias è ſua divite penu ſufficiendas eum in hæc verba ſupplex provocabat; „ *Primum* cùm mihi de alma Congregatione SS. Hidulphi & Vitoni, non à Virtutum duntaxat, ſed literarum etiam ſtudiis ornatiſſimâ, nulla, vel certè quidem exigua, ac pro rei dignitate haud ſufficiens adſit notitia, eam mecum à ſuorum quopiam communicari jubeat. Atque ante omnia edoceri cupio, quinam Rei Literariæ hac noſtrâ ætate in Congregatione veſtra ſit ſtatus, & quænam præ cæte-

de Rei Literariæ ſtatu,

ris

* Vide Pezii Epiſt. ad Calmetum in propyleo Bibliothecæ Lotharing. pag. XIX. ſeqq. & XXVII.

** Extat integra in fronte Bibl. Lothar. pag. XXV.

ris ſtudia vigeant? Nullus dubito, quin ſtudium s. Scripturæ primas partes teneat, quod proh dolor! apud pleroſq; Benedictinos in Germania nequidem ſecundas, ſed planè nullas obtinet. Num ex Philoſophia & Theologia ſpinoſæ, implexæ & inutiles quæſtiones eliminatæ ſunt? An docetur in Theologia gratuita prædeſtinatio, intrinſeca gratiæ efficacia, ad ſolos actus bonos & virtuoſos præmotio? Quæ aliæ in Congregatione Scientiæ docentur.

Studiis.

Scholis & Academiis,

„ *Alterum*, ut ſchola alicujus Monaſterii, v. g. ſi placet, S. Vitoni, quondam celebris habita, diductiùs deſcribatur, enixè precor. In Hiſtoria diſſidii literarii circa ſtudia Monaſtica *Mabillonium* inter & Abbatem Trappenſem me legiſſe memini, quòd is, quem poſtremo loco nominavi, affirmare non dubitaverit, *S. Michaëlis Academiam vel à primo ſuæ Inſtitutionis anno fuiſſe ſuppreſſam, propter inordinationes eorum, qui ejus corpus conſtituebant. Hinc factum eſt, ut P. Procurator Generalis Congregationis S. Vitoni non minus graviter, quàm obſequenter eum expoſtulaverit.* Rei ſeriem & ſcholæ hiſtoriam à primis incunabulis usque ad hodiernam diem pleniùs edoceri efflagito.

de Bibliothecis &c.

„ *Tertium*, quod precor, eſt deſcriptio unius ſaltem, ſi non plurium, nobilioris Bibliothecæ, præprimis *Senonenſis* veſtræ, tum *Mediani Monaſterii*, in quam causâ Dictionarii Biblici ſeſe abdidiſſe R.ma Paternitas ſua fatetur. Addatur, ſi placet de R. P. *Cathelinot*, aliiſque Bibliothecariis ſuccincta notitia, una cum quibusdam Archivis celebrioribus, eorúmque Cuſtodibus.

Mæcenatibus,

„ Pro *quarto* inſtrui cupio de Mæcenatibus Rei Literariæ, ſi qui ſe doctiſſimæ Congregationi veſtræ præbuerunt. Addatur, ſi placet, relatio itineris literarii, ſi quod vel R.ma Dominatio ſua, vel alius è Congregatione confecit.

de vita Petitdidier.

„ Ulteriùs ſollicito efflictim vitam R.mi *Matthæi Petitdidier*, Catalogum ejus Operum, præſertim uberiorem notitiam *de criticis obſervationibus in Bibliothecam Scriptorum Eccl.* à Ludovico Elia Dupinio *conſcriptam*. Legi. quæ *Graveſon* hac de re ſcripſit, ſed certiora à Domeſticis me acceptu rum ſpero.

„ Rogito etiam ſyllabum eorum inſignium Virorum, qui è Congregatione veſtra *Opera illa egregia*, quorum meminit *Mabillonius* in ſuo Tract. de Stud. Monaſt. Part. 2. cap. 20. in lucem emiſerunt. An R.ma Domin. ſua *Bibliothecam Cluniacenſem*, cujus conſpectus in Nov. Lit. Lipſ. A. 1718. Menſ. Jan. à me lectus fuit, Juris publici fecerit, me ſanè, uti multa alia fugit.

de Cluniacenſi Bibliotheca.

& Collegio,

„ Cum verò inter Scholas Ordinis noſtri celebriores ſchola Collegii Cluniacenſis, quod eſt Pariſiis, numeranda mihi videatur, ejus nos quidem conſtitutiones, quas edidit *Bulæus* in Hiſt. Univerſ. Pariſ. habemus, ſed notitiam Illuſtrium Virorum, qui in eo vel docti fuerunt præclariſſimas ſcientias, vel easdem docuerunt, ſupplex contendo. Fors tamen ſchola illius Monaſterii Cluniacenſis præ Collegio deſcribenda eſſet; ſed *Bibliotheca Cluniacenſis* mihi ad manum non eſt; Scio illam hîc loci in Bibliotheca Cæſarea haberi, ſed ab iis, ad quos ea res ſpectat, inveniri non poteſt.

Senones adire cogitat.

„ Satìn multa efflagito? Utinam per R.mam P. ſuam liceret mihi Senones venire, & veluti ex condicto inter doctiſſimos Congr. veſtræ Sodales diſtributis Operibus in conſcribenda *Hiſtoria Lit.* S. Ordinis noſtri laborare. Certè non vacuus venturus eſſem; poſſem enim non parvum afferre mecum apparatum.

„ Præterea pro Tomo VII. Operum *B. Rabani Mauri*, quorum novam editionem R.ma Dom. ſua in Comment. S. Scripturæ ſuaſit, duodecim tractatus habeo, quorum duos *in Joannem & Danielem* in Augienſi Bibliotheca, dum Theologiam eò loci aliquot abhinc annis docerem, erutos illuſtravi.

De quibusdam Operibus elucubrandis.

„ Prætermitto alia viginti duo Opera, quibus vel de novo componendis, vel emendandis &c. doctiſſimi Congr. veſtræ Sodales occupari poſſent; unum ſpecificare liceat: *Fides Benedictina de Ss. Eucbariſtiæ Myſterio, ſive Patres, Authores & Scriptores Ord. S. Bened. de Ss. Altaris Sacramento à Seculo IX. usque ad XII. incluſivè, quorum Scripta & Opera in unum corpus, ſeu Bibliothecam collecta, ac notis & obſervationibus illuſtrata exhibentur.* In Hiſtoriæ Literariæ Bened. Conſpectu, cujus ſumma capita typis exſcribenda, amicorum ſuaſu, brevi cum Eruditis communicabo, recenſeo triginta aliquos Scriptores &c. Verùm ne primâ vice verboſior ſim, finem facio eâ, quâ par eſt reverentiâ, ſupplicans ut R.ma ſua Dom. reſponſionem, ſi quam da-

re dignata fuerit, ad R. P. *Æmilianum Danelli* Scotenſis Monaſterii Viennæ Priorem dirigere, haſce verò ſubmiſſas preces meas æqui boníque conſulere dignetur. . .„

De nova Rabani Operum editione.

X. De reliquis, quæ tunc prelo pàrata habebat Operibus ita ipſe literis 25. Octobris A. 1737. ad me datis reſcribebat: *Poſt Conſpectûs noſtri editionem cogito ſeptimum vel etiam octavum Tomum Operum* Rabani Mauri *adornare eorum, quæ vel inedita adbuc ſunt, vel extra ſex Tomos à* Colvenerio *olim quondam vulgatos typis exſcripta fuerunt. Et boc tanto magis quia R.*^mus^ *Abbas* Calmetus *ad novam ejusmodi editionem bortatur. Licetne verò TE in partem ac Societatem Operis vocare? TE inquam, qui Moguntiæ laborabis pro Moguntinenſi Archiepiſcopo & Fuldenſi Abbate, cujus in dignitate Succeſſor Cel.*^mus^ *Princeps* ADOLPHUS *ex Ill.*^ma^ *& literatiſſima Gente Dalbergica, apud quam Tu Bibliotbecarii munus ſuſtines...* Rabani *Commentarium in Joannem & Danielem ex celeberrima Ord. noſtri Bibliotbecâ pridem erutum notis jam illuſtravi. Tu quâ occaſione, quibusque literis Pariſios ſcribes, à San-Germanenſibus petere poteris Commentarios in libros Judith & Eſther, qui apud eos deſcripti manu* Petri Schifletii *aſſervantur. De aliis cùm editis tum ineditis Tomo VII. vel etiam VIII. inſerendis TEcum agam peculiaribus literis. Ad banc verò editionem potentiori Patrono erit Opus; unde cogites velim, quâ ratione fieri poſſit, ut ſub auſpiciis Cel.*^mi^ *Principis Fuldenſis ſcribamus...* Venio ad aliam curioſam lucubrationem, cujus licet longiorem titulum adſcribo:

Aliæ lucubrationes.

Ven. BEDÆ *Epiſtola de Chriſtiani Præſulis Officio ac Miſſionariis conſtituendis, olim quondam data ad* EGBERTUM *Archiep. nunc verò denuò recuſa & oblata RR. PP. Miſſionariis Benedictinis in Archiepiſcopatu Salisburgenſi, propoſito ſimul exemplo* S. CUTHBERTI *aliorúmq; recentioris ævi O. S. B. Miſſionariorum.* Accedit hiſtorica Animadverſio ad *D. Caroli Ludovici Baronis de Pöllnitz* declamationem in Celſiſſ. Archiep. & Ven. Clerum Salisburgenſem causâ emigrationis Ruſticorum. *Hanc lucubrationem Viennâ Salisburgum tacito Auctoris nomine miſſam legit Celſiſſ. Archipræſul, qui me Salisburgum vocari juſſurus erat, niſi aulæ Cancellarius obſtitiſſet. Bene factum, quia aliis occupatus non veniſſem... Aliam Diſſertationem prelo paratam babeo, cujus titulus:* Hungaria & Auſtria Mariæ Virgini Deiparæ dicatæ, Turcarum tyrannide oppreſſæ, ejusdem verò Divæ Virginis ope ac auxilio in libertatem vindicatæ. . . *Aliud iterùm Opus Parthenico-didacticum condidi boc titulo:* Sacra Sponſalia Virginem Deiparam inter & duodenos cœlites. . . *Eſtne Moguntiæ, qui ſuis velit impenſis ea prelo ſubjicere? fac periculum.*„ Hæc ipſe.

Strigonium in Hungaria.

XI. Ineunte autumno A. 1737. in Hungariam profectus Strigonienſem Archiepiſcopum adiit, utì ipſe reſcribit in ſuis ad *Calmetum* literis A. 1738. his verbis: *Cùm autumno ſuperiore apud Celſiſſ. Archiep. Strigonienſem eſſem, is in laudes R.*^mæ^ *Dom. ſuæ denuò & ſponte ingreſſus, ejus in S. Script. comentaria ſummis laudibus extulit, & omnibus aliis prætulit. . . De feſto Electionis* B. M. V. in Deiparam, *inſtituendo nibil, bis rebus ſtantibus fiet, de quibus multa ſcribere tantum non exiſtimo. Obſiſtendum fuit Lutberanis, ne indulgentiâ Imperatoris ad preces Imperatricis vel antiquam Poſſidonii Eccleſiam eriperent Catbolicis, vel novam conderent. Sed de bis nonniſi trepidâ manu. . .*

& Mellicum in Auſtria petit.

Ex Hungaria redux Mellicum ad perluſtrandam defuncti Cl. P. BERNARDI PEZII Bibliothecam Benedictinam ſe contulit, ipſúmque apparatum, qui magnis quatuor thecis concluſus ibid. adſervatur ad ſatietatem oculis perluſtravit, ut ſolidius de illo Opere judicium ferre & Auctoris labores Orbi erudito impenſiùs comendare poſſet, quâ de re in laudata ad Calmetum Epiſtola: *Eram etiam*, inquit, *Mellicii, ubi in Bibliotbeca magnum apparatum* Bernardi Pezii *vidi, ſed indigeſtum adbuc, pro Bibliotbeca Bened. conſcribenda; nolui rogare pro iis, de quibus R.*^ma^ *Dominatio ſua; prævidebam enim me nibil obtenturum eſſe. Nos enim Benedictini Germani à veſtra bumanitate multum adbuc diſtamus. . .* Cùm autem ipſum monuiſſem, ut adverſaria, quæ cum *Pezio* comunicaveram à Mellicenſibus meo nomine repeteret, ita reſcribebat die 8. Februarii A. 1738.

De Pezii Apparatu ad Bibliothecam Bened.

Pro Conſpectu meo apparatum ſatis magnum ipſe congeſſi, quamvis omnibus ferè præſidiis deſtitutus. Sed quid labor improbus non vincit? Ex R. P. HIERONYMO PEZIO *audivi Fratrem ſuum morti proximum Mellicenſibus ſuaſiſſe, ut Apparatum ſuum in Galliam ad RR. PP. Congr. San-Mauriana mitterent, cùm Mellicii nemo ſit ei perficiendo par, & præſidiis tam vaſtæ eru-*

ditionis

ditionis ſatis inſtructus... Nolo plura. Vide igitur ne tua intercidant, aut cum blattis & tineis aliquando rixentur. Author es mihi, ut Cel.[mo] *Principi Fuldenſi Conſpectum Rei Literariæ Benedictinæ dedicem, & ego Tibi author ſum, ut ex promiſſis mihi Mæcenatem priùs concilies... Pro transmiſſa ſynopſi vitæ R.*[mi] PETITDIDIER *debitas rependo grates; ad illa verò, quæ de* Paulo Rabuſſon *ſignificâſti, nonnulla alia, quæ mihi conſtant, adjiciam... Vitam* Claudii Etiennot, & Mariæ de Blemur *ex operibus poſthumis Mabillonii, ut latinè reddas, obſecro... ſi Bibliothecam Dupinii ad manum habes, amabo! ex Gallico in Latinum verte,* Hiſtoire de la conteſtation ſur l' autheur du livre de l' imitation de Jeſus Chriſt. *Extat Tom.12.p.157.*

Quædam Magnoaldi Opuſcula.

XII. Rursùs in aliis 23. Maji ad me exaratis: *Opuſcula,* inquit, *quæ in lucem & edidi, &, ſi Mæcenates nactus fuero, editurus ſum, ſunt ferè 12. vel 13... Multo plura & majoris ſunt momenti, quæ niſi neceſſariis deſtitutus eſſem præſidiis, elucubrare adgrederer. Unde eorum ſyllabum conſpectui intexam, ut qui voluerit, elucubranda vel ſolus vel mecum, vel etiam cum aliis ſuſcipiat. Meâ nihil intereſt ſeu Titius ſeu Cajus pro gloria S. Ordinis laboret, modo fiat. Nuper literas à R. D. P.* Montfaucon *amiciſſimè ſeriptas accepi, in quibus ſe conſpectum meum cum voluptate legiſſe, atque cum aliis Sodalibus ſuis communicâſſe ſignificat. Idem in ſuis ad me literis notificat doctiſſimus Abbas* Calmetus. R.[mus] verò Bernardus Baillius *Abbas monaſterii Scotorum Ratisponæ plura meum conſpectui inſerenda communicavit. Exſpecto à TE & ab aliis plura...*

Conſpectus Hiſt. Litt. partem 1. evulgat.

XIII. Comportatis igitur ad tantæ molis Opus neceſſariis *Magnoaldus* ineunte autumno A. 1738. cum Ratisbonenſi typographo *Memmelio* tranſegit, ut primam Conſpectûs partem excuderet; Qua de re in ſuis ad me literis x. Octobris, *Conſpectûs*, ſcribit, *Hiſtoriæ Literariæ Benedictinæ prima pars præliminaris actu ſub prælo Ratisbonenſi ſudat; à quo poſteaquam liberata fuerit, Partis II. Liber primus, tum ſecundus ac deinde tertius ſeparatim imprimentur. Ut conjunctim omnes in lucem emittantur à multis quidem deſiderabitur, ſed ut id fiat majores ſumptus requiruntur, quàm quos ego ferre poſſim... Pro transmiſſo in conatus meos pereleganti Epicinio* * *laudes tuas in Conſpectu meo ſemel atque iterùm leges. Et quia Chronicon Spanheimenſe à* Trithemio *ſcriptum ab anno 1500. ad hæc usque tempora TE deduxiſſe ſeribis, operæ pretium facturus es, ſi vitam hujus ipſius Authoris concinniùs & pleniùs exarares; nam ea, quam Joan. Buſæus S. J. Scriptor edidit, numeris ſuis abſoluta non eſt. Illuſtris* Ludewigius *Cancellarius Univerſitatis Hallenſis in Saxonia bonas horas haud malè ab illo collocandas exiſtimat, quicunque demùm novam Trithemii vitam adornare ſuſtineat... In hac igitur concinanda nullam non adhibe diligentiam... De vita* Joachimi Perionii *à Te conſcripta & mecum communicata in ſinu TE amo. Utinam tuâ quoque operâ acciperem Vitam* Davidis Corneri *unácum catalogo Operum, quæ Abbas hic inſignis in lucem emiſit...* Iſta ibi. In alia verò epiſtola 21. Martii 1739. ad me iterùm hæc reſcribebat: *Catalogum tuum de Scriptoribus Benedictinis ad R.*[mum] *Abbatem Gottwicenſem transmiſſum antea exſpectare malui, quàm reſponſorias ad TE darem. Interea nec apicem, nec ſyllabam hactenus vidi. Tuum erit adlaborare, ut mihi reddatur. Jacta enim eſt alea. TE monente expunxi caput illud* de libello Imitationis Chriſti, *in cujus locum ſubſtitui Caput V. hoc titulo:* Appendix Virorum Illuſtrium cùm ex congeſto forſan Joannis Griesherren, tum certè quidem ex collectione R.D.P.Oliverii Legipont... *Rationem cur to forſan addiderim in meis literis pridem ſignificavi, quia nempe dubito,* an Griesherri manuſcriptum Cod. ex Cæſarea Vindobonenſi Bibliotheca deſcribendum nanciſci potero... *Utinam non aures præbeas illi, qui inter TE & ME amicitiam fors direptam cupit. Certiſſimò TE pœnitebit. Forſan unà eſſe & laborare poterimus. Nondum dico ubi & quando, ſcies autem poſtea... In literis tuis A. 1737. die X. Decembris ad me datis ſcripſiſti,* Rabani Mauri Libros Judith & Eſther *haberi manu deſcriptos in Bibliotheca majoris Ædis Moguntinæ, cum aliis ejusdem Opuſculis. Quæſo TE, Catalogum mihi texe horum MSS. de* Rabano, *quæ Moguntiæ, cum in prædicta æde, tum fors alibi aſſervantur. Deinde mentem mihi tuam aperi de* Rabani *Commentariis in Judith & Eſther. Crucem enim mihi figit* Mabillonius *in elogio* Rabani, *quod Sec. IV. Tom. II. his verbis inſeruit:* Ex enumeratis à Rudolfo deſunt in Collectione *Pamelii* Comentarii in li-

* Inſertum legitur in ipſius Conſpectûs propylæo. Confer Acta Lipſ. Kal. Decembris A. 1741. n. x. pag. 673.

bros Judith & Eſther ineditì, qui penes nos ſunt deſcripti manu Petri Franciſci Chifletii... *Cujus ergò ſunt Commentarii à Pamelio editi? Solves mihi hunc nodum penè gordium.*

Invitatur ad varios labores Literarios.

XIV. Nactus interea transmiſſum à me Indicem Scriptorum O.S.B. hos in plauſus erumpebat: *Magnam Tibi nuntio lætitiam. Bibliographia Tua quatuor ab hinc ſeptimanis mihi Gottwico reddita eſt, quam aliis occupatus laboribus obiter tantum evolvi; nihilo tamen ſeciùs ingentem tuam ex eadem perſpexi induſtriam & eruditionem... Interim typis vulgatam Partem I. præliminarem Conſpectûs Rei Lit. O.S.B. velim ad manum Tibi eſſe, ut quæ adjicienda vel immutanda judicaveris, adnotare poſſis. Quanti enim faciam tuas animadverſiones, pluribus in locis leges...* Tum in aliis die 9. Maji rurſus ad me datis hæc inter alia nuntiabat: *Scire aves ubinam eſſe & laborare poſſimus. Eloquar an ſileam? Res actu in motu eſt. Abbas præpotentis cujusdam monaſterii benè de Re Literaria Bened. mereri cogitat; cui ego meam operam pro libris veterum Benedictinorum maximè Hiſtoricorum junctim edendis eâ ſolùm conditione addixi, ut TE in adornandis id genus collectionibus Socium adjungat. Nolo enim tantos tàmque graves ſubire labores, ut iis potiùs opprimar, quàm ad calcem perducam... Quid ſi TE videbo brevi Moguntiæ? Quid ſi Tu mecum Pariſios? Nudiustertiùs ab amico accepi literas, qui omnem opem & auxilium ſpondet, ut Abbas pro Itinere literario pecunias nobis ſuppeditet. Habe patientiam,* ſuaviſſime Oliveri! *omnia TE diligenter edocebo...* Rurſus in literis 18. Aug. ejusdem A. 1739. *Tibi*, inquit, *gratulor, mihi gaudeo. Tibi quod vitam* TRITHEMII *eâ eruditione & doctrinâ conſcripſeris, ut quam à* Joanne Buſæo *habemus nemo deinceps deſideraturus ſit. Mihi quòd illa magnis expetita votis Viennam denique ſalva & incolumis appulerit... TE amabo! literas D.* de Barcos *Abbatis S. Cyri, quas gallicè ſcriptas Mabillonius ad calcem Tom. I. Annal. Bened. retulit, latio dona. Habeo etiam ex ejusd. Mabillonii Operibus poſthumis vitam* Mariæ de Blemur, *ex Nizeronii Memoriis*, Pauli Rabuſſon, Claudii du Vert, Joſephi d'Aguirre, Jacobi Billii, Ludovici Bulteau, Joannis Raulini &c. *vitas gallicè deſcriptas, quas, ſi annuis, latinè vertendas proximè ad TE ſubmittam. Obſecro hoc bellum milita...*

Emblemata Meyeri.

XV. Iisdem diebus edidit *Emblemata Meyeriana in hiſtoria Pacis Weſtphalicæ.* Subortus illi hic partus inopinatò, occaſione *Relationis Hiſtoricæ Actorum Pacis Weſtphalicæ ab* Adamo Adami *ad Maximilianum Henricum Colon. Archiep. ſummâ fide ſummóque judicio conſcriptæ*, cujus exemplar nactus *Godefridus de Meyern*, vir acatholicus, ſplendidam quidem, ut par erat, Operis editionem A. 1737. procuraverat, & Em. Cardinali *Paſſioneo* Viennenſi Nuntio Apoſtolico inſcripſerat; ſed *dolor!* nullus illo unquam in boni Editoris leges impegit turpiùs, dum innumera prope loca pro lubitu invertit, mutilavit, omiſit, aut interpolavit. Quod cum advertiſſent quidam viri prudentes, in quorum manus Autographum inciderat, novâ hac editione cum illo Mſ.^to collatâ, malam Editoris fidem illicò poſtulârunt, atque *Magnoaldum* obnixiùs rogitàrunt, ut ſollicitæ indaginis oculos manùsque porrigeret officioſas, & diſcrepantias, ſphalmata, interpolationes diligenter adnotaret. Annuit ille votis, illúdque procudit Opuſculum, quod *Memmelius* Ratisbonenſis Typographus, ut à calamo venerat, typis exſcripſit A. 1739. in 4. hoc rubro: *Meyeri emblemata, ſive loca quædam in Adami Adami relatione P. W. à Godefrido de Meiern interpolata, inverſa &c.* .. His in publicum ſparſis *Apologeticum* quidem ex adverſo evulgavit *Meyerns*, ſed ita ut facti reíque evidentiâ convictus *Magnoaldo* correctori ſuo herbam porrigeret. Ita enim ille: *Non difficulter concedo cuncta, quæ in Emblematibus tuis longâ ſerie recenſuiſti loca in mea Adami editione haud exiſtere...* Etſi verò utilis eſt iſte libellus ac auctori etiam ſuo honorificus, magis tamen Orbem eruditum ſibi devinxiſſet noſter, ſi quam ſpoponderat, genuinam & integram momentoſæ illius Hiſtoriæ editionem re ipsâ procurâſſet. Verùm damnabilis Bibliopolarum præſenti lucro unicè inhiantium moroſitas in excudendis id genus Operibus maximè utilibus & neceſſariis, hanc cum aliis publico jacturam intulit, quam interim ex parte levabit memorata locorum inverſorum recenſio.

Magnoaldi Iter in Bohemiam.

XVI. Tot tantíſque laboribus Viennæ exantlatis cùm præclara ipſius Nominis fama ſeſe latiùs effunderet, ineunte anno 1740. in Bohemiam à R.^mo Domino Abbâte Brzevnovienſi

acci-

accitus fuit, ut Regii illius monaſterii Hiſtoriam conderet. Commodum id noſtro accidit variis de cauſis, tum ut Rem Literariam Benedictinam ejus provinciæ coram indagare, tum ut Abbatum conſilia de erigendo comũni ſtudio promovere fortiùs poſſet. Illuc igitur ſub finem autumni profectus, ſelectis aliquot ex illo Religioſorum cœtu operarum ſociis, qui ſymbolas conferrent, eruderandis inclyti illius Archiſterii veteribus notitiis & monumentis, ad quorum amuſſim exaſcianda eſt hiſtoria, laboris prima cum iis ſtipendia fecit. Tum verò comparatis ad Opus neceſſariis documentis, iis enucleandis & in ſeriem digerendis tam ſedulam navavit operam, ut trimeſtri illud ſpatio ad umbilicum deduceret, eodémq; anno typis exſcriptum publico daret. In ea porrò lucubratione, utut extemporaneâ, cumprimis ipſius Auctoris ſolertia, circumſpectio, & in rerum ſelectu judicium, æquè ac in digeſtione accuratio, ſatis enitent. Nos nihil perinde optamus, quàm ut doctiores illius Cœnobii in regno Bohemiæ antiquiſſimi & principalis incolæ corrivatis & recollectis in unam quaſi officinam viribus animi, ac operis ſimul junctis, reliqua tum ſui, tum aliorum illius provinciæ Monaſteriorum tam extantium, quàm ſuppreſſorum, aut in uſus promiſcuos converſorum monumenta undequaque colligerent, & luce publicâ donarent. Exinde rebus Bohemicis hactenus in obſcuro poſitis non parum lucis & ſplendoris affunderetur.

Epitome Hiſtorica Brzevnovienſis de quâ P. IV. pag. 472. 497. & 541.

XVII. Menſe Majo è Bohemia Vindobonam regreſſus elaborando *Conſpectui ſuo* curas & ſtudia ſtatim reddidit, jámque ſub initium Julii ejuſdem anni 1740. libris tribus ad umbilicum ferè perductis, de procuranda illius editione ſollicitus circumſpiciebat. Aſt erumpentibus interea bellicis tumultibus Muſarum tranquillitati maximè infeſtis, ſereniora tum tempora reſupino labori exſpectanda fuerunt. Sedatis demùm tantiſper Bellonæ furiis, non ſibi ſolùm Muſiſque cecinit *Magnoaldus*, ſed familiari conſuetudine, quæ ipſi opportunè cum R.^{mo} D.^{no} *Bennone* * Brzevnovienſi Abbate, & Illmo D. *Philippo Joſepho Comite de Kinski* ſupremo Regni Bohemiæ Cancellario tunc Viennæ interceſſit, probè utendum ratus, omnem ſuis affatibus operam dedit, ut res literaria per ejus Provinciæ Abbates Benedictinos majus deinceps caperet incrementum. Et quia, ùt Cicero ajebat, *nullum munus Reipublicæ afferre majus aut melius Principes poſſunt, quàm ſi doceri & erudiri juventutem curent*, hinc agitata ſunt inter eos conſilia de erigendo Pragæ academico Nobilium Collegio *ſub directione Patrum Benedictinorum*, quos à primis retro ſeculis in hac Palæſtra magno ſuo & Reipublicæ cõmodo paſſim deſudâſſe conſtat.

De erigendo Pragæ Nobilium collegio.

XVIII. Id genus Inſtituti *Kinskio* ſummæ prudentiæ viro eò magis videbatur neceſſarium, quòd, ùt ipſe ajebat, *Nobiles Bohemi ex defectu occaſionis opportunæ ac debitæ informationis paſſim excurrant ad exteras Academias, ubi ſubinde peſſima imbibunt principia.* Neque verò hæc res levis eſt momenti, à qua totius propemodum Reipublicæ ſalus aut pernicies dependet. Negotio itaque Auguſtiſſimæ Bohemorum Reginæ propoſito, quùm ſalubre conſilium ſummoperè probâſſet, ejus Promotor *Kinskius* nihil reliqui fecit, quo illud perficeret. Demandata igitur provincia Cl. P. *Anſelmo Deſing* viro in tali inſtitutione verſatiſſimo, ut Profeſſores ad formandum illud Collegium maximè idoneos ex aliis per Germaniam Monaſteriis Pragam invitaret. Acciti proinde Statores in acie primi RR.PP. *Magnoaldus Ziegelbauer, Oliverius Legipont, & Udalricus Weis*, ineunte anno 1744. ad Brzevnovienſe S. Margarethæ prope Pragam O. S. B. Monaſterium convenerunt, ubi collatis ſimul conſiliis, mutuiſque officiis prima tanti moliminis jecère fundamenta; jámque eo ventum erat, ut hac in parte felicem quiſque ſibi ſponderet rei eventum, cùm ecce recrudeſcentes inopinatò Bellonæ furores ſtructuram omnem propè ſubverterunt. Menſe namque ſextili Rex Boruſſiæ clam admoto in Bohemiam exercitu Pragam acriori rurſus impetu preſſit, & milite deſtitutam triduo expugnavit.

Ejus exordia & fata.

XIX. Agebam interea Vindobonæ cum Cl. P. *Deſingo* in conficiendo Bibliothecæ Kinskianæ ad uſum futuri Collegii ab Ill.^{mis} ejus Poſſeſſoribus conceſſæ catalogo diſtentus, dum triſte advenit nuntium, *Pragæ omnia ſus déque verti.* Quocirca relicto Viennæ *Deſingo* ad Rayhradenſe in Moravia Monaſterium me recepi, illic præſtolaturus belli exitum. Paulò pòſt *Magnoaldus* cum D. Abbate Brzevnovienſi ex Bohemia Vindobonam ſe contulit, ubi

* Obiit ille A. 1751. die 2. Decembris.

Magnoaldus Bibliothecam Bohemicam adornat.

ubi reliquâ æſtate conſedere juſſus meliori exſpectatione ſuſpenſum lactabat animum. Nec tamen ibi ab Opere languidus ceſſavit, ſed majori conatu per hyemem metere geſtiens fructus, quos autumni fortuna negârat, hortatu rogatúque *Comitis de Kinski* & Abbatis Brzevnovienſis condendæ *Scriptorum rerum Bohemicarum Bibliothecæ* manum admovit, omnéque ſtudium vaſto Operi perficiendo deinceps impendit. Qua de re in ſuis ad me literis ineunte anno 1745. Pragam miſſis: *Viennæ*, inquit, *otioſus non dego, ſed Operi lucubrando conſtanter inſudo, cujus eſt titulus:* Bibliotheca Bohemica, in qua notitia traditur Auctorum, qui ſcripsêre de rebus Bohemicis. *Quam ceu prodromum excipiet nova collectio Scriptorum rerum Bohemicarum præ* Freherianâ *multùm auctior, locupletior atque emendatior. Hujus collectionis* (quæ minimum VIII. Tomis conſtabit, cujusque deſignatio majorem in modum Viris eruditis placuit) *tacitus mecum TE Socium & adjutorem deſignavi, atque adeò apud R.mᵐ D. Brzevnovienſem Præſulem Tui, verbis ſanè honorificis, memini. Jam ex literis tuis intelligo aliam Tibi delatam eſſe provinciam. Rem tamen è tua exiſtimatione futuram facies, ſi donec profeſſuram auſpiceris, opem feras. Peto verò à TE efflictim, ut ſequentium Scriptorum pleniorem notitiam unde unde Pragæ comparare non graveris**. *Crede* Mi Oliveri! *non ſolùm mihi ſed & Tibi arabis. Ætas mea ingraveſcit, Tibi lampada tradam; de rebus enim Bohemicis pauca ſunt literis mandata, plura mandari poſſunt, de quibus TE docebo. Utilitas*

Operis utilitas.

Operis ſatis perſpecta eſt; Cum enim illuſtres Juvenes iis inſtruendi ſint literis atque artium diſciplinis, quibus ad capeſſendam in regno Bohemiæ Rempublicam idonei fiant, notitiâ quadam prævia Juris publici Bohemici præcolendi atque præparandi ſunt. Hæc autem ex Hiſtoria regni pragmatica comparanda eſt. Quî verò fieri poteſt, ut eam conſequantur, ſi nequidem Auctorum & Scriptorum, quibusq; illi nitantur principiis, & quàm ſæpè toto cœlo inter ſe diverſis, ullam habeant cognitionem? In hanc ut veniant, incredibili labore ac ſtudio Bibliothecæ Bohemicæ, *in qua id genus Scriptorum traditur notitia, elucubrandæ incumbo. Opem mihi fert ſanè fideliſſimam* Dom. de Roſenthal *in rebus Bohemicis longè verſatiſſimus, & hanc quidem præſtat prævio D.ni Abbatis Brzevnovienſis Viennæ præſentis rogatu...*

Pragenſis Collegii Diſſolutio.

XX. Penduli adhuc eo tempore hærebant animi de futura Collegii erectione, cùm tandem Abbas Brzevnovienſis clanculariò impetratâ ab AUGUSTA illius ſuſpenſione, ſub finem Martii A. 1745. convocatis, qui Pragæ aderant, Profeſſoribus, *ceſſare omnia* denunciabat. Durum quidem & aſperum, ne dicam, iniquum iſtud iis videbatur, qui tot exantlatis laboribus, tótque ſuperatis difficultatibus & moleſtiis rem eò deduxerant, ut jamjam coronidem Operi certò imponendam ſperarent. Sed nullus id tulit graviùs *Kinskiò* negotii illius Promotore primario. Quocirca Abbas, ut offenſam mitigaret, reliquis Profeſſoribus honorificè dimiſſis, Me ad Theologiæ Dogmaticæ profeſſuram retinebat, ſpecioſè obtendens, fore ut propitiore affulgente Lucinâ cæteri denuò ad Opus revocarentur. Hac ſpe erectus in loco aliquamdiu ſubſtiti; tum verò *Magnoaldus* Viennæ relictus, ut Bibliothecam Bohemicam perficeret, datis ad me literis 25. Septembris A. 1745. hæc inter alia de illo Opere nunciabat: *Jam ſex menſibus Bibliothecæ Bohemicæ labore plusquam improbo inſudaveram, cum literæ juſſu R.mi D. Abbatis ſcriptæ supervenerunt, quibus tribus verbis ſignificabatur,* ad menſem Aprilem ceſſare omnia. *Laconicè quidem, ſed viro, cujus conducta fuit opera, ut librum elucubret, qui prelo typographiæ Collegii excitandæ proximè ſubjici poſſet, æquo animo non ferendum. Ego ex conſilio Virorum & eruditione & prudentiâ præſtantium nolui eſſe Author dimidiati Operis. Certè ne claudus quidem ſutor, cujus opera ad par calceorum conſuendum eſſet conducta, ſuum laborem uno calceo confecto infringi patienter ſuſtineret... Jam Bibliotheca iſta ad faſtigium licet non ſupremum, ſublime tamen, itáque altum perducta eſt, ut ſine jactantia affirmare poſſe mihi videar, Regnum Bohemiæ in hoc genere nullum tale Opus oſtentare poſſe. Obtulit ſe Bibliopola Viennenſis, qui ſuis ſumptibus illud imprimi curabit, ipséque ultrò impreſſionem urget, cùm magnum lucrum ex diſtractione hujus Operis ſe facturum ſperet. Audivit enim illud à Viris Eruditis & Politicis (quibus ejus perluſtrandi copia facta eſt) magnoperè laudari, atque typis dignum judicari. Tantum reditus Excellentiſſimi ſupremi Cancellarii* (Comitis de Kinski) *exſpectandus eſt, ut, cujus cenſuræ priùs*

Bibliothecæ Bohemicæ commendatio.

* Subjungit huic epiſtolæ Scriptorum indicem.

ſubjici

ſubjici debeat, intelligam. . . Habebit hæc Bibliotheca ex omni ſtatu, Civili, Eccleſiaſtico, Religioſo, non in Bohemia modò & Moravia, ſed aliis etiam Regnis & Provinciis, Galliâ, Italiâ, Belgio, Germaniâ cupidos emptores; Eſt enim Opus novum, ante hunc diem nunquam viſum, magnâ diligentiâ conſcriptum, rebus maximi momenti cùm ſacris tum profanis refertum. Eſt inſuper hæc Bibliotheca prodromus ad collectionem novam Scriptorum rerum Bohemicarum Tomis minimum VIII. comprehenſam, cujus Conſpectus in Bibliotheca comparebit, cujusque gloriam libenter Brzevnovii Religioſis ceſſurus ſum. Nunc ſi videbitur hæc ſ le re poteris cum D. Abbate conferre. Meâ nihil intereſt, ſi nolit, neque commodum, neque gloriam ſui Monaſterii augere, Bibliotheca Viennæ prodibit. Et quia per abſentiam in nonnullis Scriptoribus mihi hæret aqua, eorum nomina Tecum communico, quorum uberiorem notitiam Pragæ à TE conquiri efflagito. Hæc ibi. Vid. Part. IV. pag. 472.

De Cultu S. Crucis.

XXI. Inſigni iſto Opere magnâ, ut dixi, ſolertiâ nec minore eruditionis apparatu ad umbilicum perducto, aliud de *Cultu & Veneratione S. Crucis in Ordine S. Benedicti*, quod in gratiam Augienſis Monaſterii horis ſubciſivis elucubrandum ſuſceperat, anno 1746. Juris fecit publici. * De aliis, quæ manu premebat, Operibus libet ipſum audire diſſerentem in Epiſtola ad me data 25. Sept. A. 1745. *Hoc Opus Hiſtorico-Didacticum de cultu S. Crucis in Ordine S. Benedicti, duo alia manuſcripta forſan exceptura ſunt. Plura enim habeo ejusmodi Opera jam prælo parata, videlicet*: Epiſtolas Dionyſii exigui ad Stephanum Epiſcopum, *plenas omninò bonæ frugis.* Duos item Tomos Virorum Illuſtrium O. S. B. qui Epiſtolas aſceticas ſcripſerunt, vel de eruditione & doctrina in Ordine Benedictino egerunt. *Quæ collectanea in lucem dare cogito, ſi Bibliopola occurrat, qui ſumptus ſufficiat. . . Et iſta quidem inſeribere meditabar R.mo D.no Abbati Brzevnovienſi, ſi in collectione Scriptorum rerum Bohemicarum adornanda opem ferre, eámque ſuorum Cœnobitarum nomine edendam recipere voluiſſet. Sed. . . Iraſcor planè, imò miſereor, quòd Abbates Benedictini in Bohemia à bona mente adeò ſint derelicti, ut partam paratámque hanc gloriam Ordini ſuo vindicare nolint. . .*

De edendâ Hiſtoriâ Lit. O. S. B.

XXII. Dolebant interim plerique, quòd de iſtis Operibus in publicum proferendis plus æquo ſollicitus, egregium illum *Hiſtoriæ Literariæ Benedictinæ* fœtum jam maturum in lucem non emitteret. Quamobrem crebriùs per me pulſatus, hæc inter alia reponebat, digna omninò quæ hîc liberaliùs admetiar: *Mones me ſæpiuſculè & ſtimulos etiam addis haud vulgares, ut* Hiſtoriam Lit. O. S. B. *Opus, ut ais maximè neceſſarium, utile, jucundum, Orbíque erudito æſtimatiſſimum, & Ordini noſtro præſertim glorioſum, atque ab omnibus deſideratum prælo ſubjiciam. Quâ in re amicè quidem mecum agis & benevolè. Sed volenti & currenti ùt quid calcaria ſubdis?* Tu mi bone! *Typographum aut Bibliopolam ſuggere, qui ſuis ſumptibus (quos ego ferre non poſſum) id facere velit. Certè jam plures ſollicitavi, nec ullum reperi, qui id Operis æquis conditionibus in ſe recipere velit excudendum. Et quod planè indignum videtur, habent Benedictina quædam Monaſteria typographias, quæ tamen ex pudendo metu, ne quid detrimenti patiantur, id facere recuſant. Tanti nunc fit Res Literaria in Ordine S. Benedicti per Germaniam. Prô pudor! Habent Ciſtercienſes, Dominicani, Jeſuitæ, ſuas, ùt vocant, Bibliothecas; Habent & Ordines Mendicantes Scriptorum ſuorum Hiſtorias; &* BENEDICTINI *reliquis anteriores & ditiores, iis carere malint, ne quid pecuniæ in typos aut ſapientiæ monumenta impendant. O probrum! ô dedecus! Sed ita res habet in Germania noſtra:* Vetus Regula laudatur, & novis moribus vivitur. . . *Me Hercule! non eſt venuſta ſpecies Religionis, ubi tantus prævalet contemptus eruditionis. . .* Hæc ille. Verùm ferenda ſunt iſta patienter, quæ nec vota noſtra mutent, nec querimoniæ, & Sapientibus tantùm Muſisque canendum, cùm ignavi illi auribus careant, vel batavas duntaxat, & lydias arrigant, ut ex adverſo muſſitantes probris & calumniis opprimant.

Magnoaldus Olomucium accerſitur.

XXIII. Hactenus Vindobonæ ſuâ quadrâ victitans *Magnoaldus* in collectione Scriptorum rerum Bohemicarum adornanda perduraverat planè indefeſſus agendo, cùm tandem *Societas Incognitorum* Eburi Moravorum Auguſtalibus auſpiciis recèns erecta ipſum adoptivis ex Auſtria cœtûs ſui ornamentis potioribus 23. Martii an. 1747. perhonorificè accenſuit, transmiſſo ad eum diplomate cum literis primâ Aprilis. Novo hoc noſter honoris titulo pro meritis auctus, novis quoque Eruditionis ſpeciminibus inclaruit, taléſque Academiæ ſubmiſit

* Vid. Part. IV. pag. 425.

ſymbolas, quæ ipſi probabile nomen apud omnes pepererunt. Comitante igitur opinione Viennâ Eburum ab illuſtri Viro L. B. *de Petraſch* illius Societatis Inſtitutore & Præſide accitus, promtíſque Sociorum ſtudiis exceptus, paulò pôſt *Secretarii* munus obire juſſus eſt, laudati *B. de Petraſch* menſâ & convictu reliquis vitæ ſuæ annis uſus. Quantâ autem fide, quâ etiam curâ, aſſiduitate & diligentiâ ſingulis, quæ ipſi incumbebant, negotiis operas commodaverit, ſatis ſupérque, ne exterorum allegem teſtimonia, demonſtrant Ephemerides menſtruæ, Epiſtolæ & ſymbolæ, quibus per id tempus orbem literarium præclarè admodùm erudiit. Ei námque in tanta hominum Eruditorum celebritate viventi, omniúmque obſequiis vi muneris implicito, penè quotidianum fuit cum iis Epiſtolarum commercium, in quibus multa continentur, quæ naſcentis Academiæ ſtatum denudant, multa, quæ ſana conſilia ſuggerunt, plura, quæ rem literariam illuſtrant.

Opera ibidem elucubrata.

XXIV. Etſi verò Eburum ad hoc viſus ſit à ſecunda fortuna vocatus, ut cum adverſa luctaretur, eo tamen loco & tempore tot inſignia elucubravit opera, quæ ſanè nunquam ſine incredibili laboris conſtantiâ, animi tranquillitate, & pluſquam ſpartanâ inter oblatrantium furores patientiâ elaborare potuiſſet. Primum autem quod ibidem ex eruditionis ſuæ penu deprompſit excudendum, fuit *Centifolium Camaldulenſe*, quod D.no Baroni *de Petraſch* Academiæ Præſidi, ceu ſuas, *quà Socii*, primitias dedicavit, quodque ipſe Mæcenas rigidus aliàs operum Cenſor, eo in pretio habuit, ut illud ſtatim Typographo ſuo Veneto *Joanni Bapt. Albrizzi* exſcribendum commiſerit; prelo autem emerſit A. 1750. in fol. Maj. hoc rubro: *Centifolium Camaldulenſe*, ſive *Notitia Scriptorum Camaldulenſium, quam ceu prodromum exceptura eſt Bibliotheca Patrum Camaldulenſiū, ſive Operum ad Hiſtoriam, Diſciplinam, & Aſceſin ſacri Ordinis Camald. attinentium collectio Tomis VI. comprehenſa; Cujus Bibliothecæ ſeu Collectionis accurandæ hîc ad calcem prævius exhibetur Conſpectus.* Opus hoc non tam mole, quàm eruditâ adornandæ Patrum Camaldulenſium Bibliothecæ ichnographiâ videtur æſtimandum, ex quo præviè diſcas, qui potiſſimùm ex illâ verè eremiticâ familiâ in calamum incubuerint, quos ſuo ex ingenio fœtus ediderint, quosque Literatos ſubierint labores, licet Aſcetæ illi longè alium ſibi præſtitutum habeant finem, quàm ut literarum ſtudiis ac libris ſcribendis vacent.

Centifolium Camaldulenſe.

Alii labores litterarii.

XXV. Ceperat eo quoque tempore idem Bibliopola Venetus conſilium de excudendo *Magnoaldi Conſpectu Hiſtoriæ Lit. O. S. B.* Tum etiam noſter ſæpè memoratam *Scriptorum Bohemicorum* Bibliothecam nomine *Societatis Incognitorum* in lucem proferre cogitabat. Sed hæc effectu caruiſſe poſtea dicemus. Interea Philohiſtorum patriæ hortatu impulſus ſubciſivas collocavit operas in condenda Olomucenſis Eccleſiæ ac totius prope Moraviæ Hiſtoriâ; quod Opus biennii labore effuſum veriùs, quàm elaboratum anno 1749. duobus juſtæ molis voluminibus abſolutum dedit. Eo in Opere ſtylo ſimplici, nec calamiſtris inuſto, aut pigmentis incruſtato animi ſui ſenſa noſter expoſuit, prout in re tam ſeriâ fieri oportere cenſebat, ubi veritas & pondus rerum, non lenocinia verborum quæruntur. Multa tamen pumice judicii; accuratioris limâ indiguiſſe mihi viſum eſt, dum philyras illius perluſtrarem. Nihilo ſeciùs, uti extemporalis in omni ſcriptione ſua fuit *Magnoaldus*, omniáque prout ſemel conceperat, in Typographiam mittere properabat, ita jam tum circumſpiciebat Bibliopolam, cujus impenſis ederetur. Cùm enim aliqui tantum decus *Benedictino* inviderent, metuerétque doctiſſimus Auctor, ne vel mutilum, aut interpolatum Opus aliquando in lucem ſuis ingratiis protruderetur, vel in aliena incude à novo quodam fabro refingeretur, aut cenſuræ prætextu penitus ſuppримeretur, eò adductus fuit, ut ſpretâ etiam promiſſæ mercedis jacturâ, illius editionem maturaret. Quibus de rebus, dum ab eo invitatus iter in Moraviam meditarer, hæc mihi nuntiabat: *Non TE fugit in Hiſtoria Eccleſiaſtica poſt Pontificiam, eam, quæ Epiſcoporum eſt primas obtinere. De Olomucenſibus Epiſcopis nihil typis excuſum eſt, niſi* Auguſtini Moravi *miſerabilis catalogus. Ego ſubinde rei indignitate permotus obſcuris lucem, faſtiditis gratiam conciliare ſtudui, atque conſcripſi* OLOMUCIUM SACRUM *ſeu* Hiſtoriam Epiſcoporum Olomucenſium, *Tomis II. in fol. comprehenſam... Si per Francofurtum vel Norimbergam iter facis, experire Bibliopolas, an nullus id Operis ſumptibus ſuis edere velit? Quæris*

Olomucium Sacrum.

cur

cur non Olomucii? cur non Viennæ? Propter cenſuram, quæ fugienda & declinanda eſt veritatem amanti. En Tibi exemplum: Bibliotheca Bohemica à me prælo parata jam tertium in annum Viennæ ſub cenſura gemit, ita quidem, ut nullis itineribus, nullis literis, nullis precibus recuperare MS. poſſim. Hoc Opus conſtat mihi jam ſupra mille ducentos florenos. Laudatur, probatur, ſed non datur, ut typis excudi poſſit. Eſt autem prodromus ad collectionem ſcriptorum rerum Bohemicarum, cujus adornandæ Socium TE jam diu ſelegi... Ita ipſe de inſigni illo Opere, cujus editio hodiedum deſideratur.

De collectione Conciliorum Germaniæ.

XXVI. Cum itaque tot tantíque labores pro Patria impenſi non tantum nihil ipſi proficerent; ſed novas etiam moleſtias faceſſerent, ſuo tandem damno ſapientior factus, ad alia Opera Religioni & Eccleſiæ utiliora curas convertit; de quibus ipſe ſuo ordine verba faciens: *Ego*, inquit, *de alio rurſus nobiliſſimo Opere cogito, quod eſt Collectio Conciliorum Germaniæ, ad exemplum* Sirmondi, *qui Galliæ Concilia edidit... Tu igitur*, Suaviſſime Oliveri! *circumſpice diligenter, ut Synodorum ejusmodi acta undequaque poteris, nanciſcaris. Stude præſertim hiſtoriæ Conciliorum, quæ in Archidiœceſi Colonienſi habita fuerunt, & ſtatuta ſynodalia, orationésq; ſedulò collige. Quod idem de Moguntinenſi & Trevirenſi facies. De hoc propoſito ſcribam Eminentiſſimo Cardinali* QUIRINO, *ut Sereniſſimum Haſſiæ Landgravium, Epiſcopum Auguſtanum ſingularem Literarum Cultorem & diſciplinæ Eccleſiaſticæ Statorem primarium, hujus collectionis adornandæ patronum nobis conciliet; niſi enim ſit, qui patrocinium impendat, & ſumptus præbeat, nihil agendum. Hunc autem in finem molior Opus ſimile ferè* VALENTINI ERNESTI LOESCHERI *Bibliothecæ purpuratæ, quâ Scripta Principum præſertim Germanorum exhibentur, hoc titulo:* Infulæ doctæ per Germaniam... *Quod prælaudato Epiſcopo Auguſtano, ceu pararium ad collectionem Conciliorum Germaniæ inſcribere cogito. De reliquis lucubrationibus meis, quarum aliæ ſub prælo ſudant, aliæ eidem, ut ſpero, proximè ſubjicientur, Tecum plura vel oretenus, vel per Epiſtolam.*

Infulæ doctæ.

Variæ lucubrationes.

XXVII. Iis porrò diebus typis evulgavit duo quædam opuſcula ſermone vernaculo exarata, videlicet: 1. *De Sanguine Chriſti & aliis reliquiis in regio Vindobonenſi S. Claræ monaſterio aſſervatis.* Alterum ſub adſcititio nomine *Venantii Dianæ*, hoc rubro inſignitum: *Kayſers-und Königliche Jagds-Geſchichten...* i. e. Hiſtoriæ venatoriæ Regum ac Imperatorum ex variis Auctoribus congeſtæ, ac in unum corpus redactæ, necnon moralis doctrinæ ſtricturis, politico-Chriſtianis admonitionibus de bono & malo venationis uſu diſtinctæ. *Coloniæ*, veriùs *Lipſiæ* ſumptibus *Chriſtiani Martini* A. 1749. in 8. de quo ipſe Part. IV. *pag.* 477. Alia quæ tunc elucubranda ſibi præſumpſerat, ſunt I. *Sacræ Eremi per Europam.* II. *Notitiæ Hiſtoricæ de Inſtituto Sanctimonialium ſub Regula S. P. Benedicti.* III. *Certamen de principatu & gloria fortitudinis inter Amorem, Honorem & Pecuniam.* IV. *Meditationes in Regulam Ss. P. Benedicti, ex variis hujus Inſtituti Scriptoribus Italicis & Gallicis comportatæ.* Opuſculum planè eximium, in quo pius Auctor ſui characterem depingit, & vitæ aſceticæ, quam inter adverſantes ſeculi undas, ad cœleſtis Patriæ portum adſpirans ducebat, ſeipſum genuinum exhibet ectypum.

XXVIII. An alia hoc temporis intervallo conſcripſerit Opera me fugit; id conſtat, ipſum niſi inter malevolos & invidos Eburi rubiginâſſet, ac fortunâ conſtanter iniquâ preſſus fuiſſet, copiâ & ſplendore lucubrationum inter ſummates Reip. lit. viros fuiſſe radiaturum; Sic ingenio, diligentiâ, zelo, promptitudine & aſſiduitate factus erat ad omnia pronus. Quæ autem & qualia apud Olomucenſes perpeſſus ſit incommoda, præſertim ab iis, qui novi generis monopolium affectantes, alios omnes Religioſos contemni, ſuos verò velut aureâ Homeri catenâ è cœlo dimiſſos ſapientiæ Doctores & Muſarum pullos unicè ſpectari volunt, prolixiùs ipſe in ſuis ad me literis commemorat; quæ tamen prætereo, ne & ipſe crabrones in meum caput excitem. Paucis multa complexus eſt Ill. Academiæ Incognitorum Præſes Baro *de Petraſch* in quadam ad Em. Card. QUIRINUM epiſtola, ubi inter alia, *Ego*, inquit, *patriæ meæ monſtrum unâcum ſcientiis fueram, quas colui; pejori me ſorti expoſui, dum Viros plures Literatos ſive extraneos, ſive quos timor occuluerat, indigenas labori meo ſocians, inſcitiæ bellum indicere, præjudiciis reſpondere, ſcientiarum obſtacula retegere ſuſtinui...* Quid plura? *Eſt hoc omninò velut inſitum Theologis,* ait Sleidanus, *ut viros doctos exagitent &c.*

Magnoaldi extrema.

XXIX. Harum porrò ſimultatum ut me quodammodo participem redderet *Magnoaldus*, ingruente autumno

(f) 2 anni

añi 1749. me ad ſe Olomucium accivit rogatu Ill.mi Comitis *de Giañini* Cathedralis Eccleſiæ Scholaſtici, & Parochiæ ad S. Mauritium Præpoſiti. Vix illuc appuleram cùm nefarias in me machinationes expertus ſum abundè. Ægrè hinc exacto illic medio ferè anno in Sileſiam tandem à præfato Comite abductus ſeceſſi, ejúſque nutu moderandis juniorum Comitum *de Wengerski* ſtudiis & moribus die 28. Febr. an. 1750. præfectus fui. Tum verò *Magnoaldus* ſibi ab illis, qui divortium inter nos volebant, imponi paſſus, omne mecum intermiſit commercium; mihi quoque dandis ad eum literis viæ omnes intercluſæ. Totus autem ad extrema diſtentus erat noſter in conſcribendâ ad Em. Card. QUIRINUM epiſtolari quâdam Diſſertatione gravis omninò argumenti, ſub titulo: *Febris Ambroſiana cleri Olomucenſis, hujusque curandæ neceſſitas maxima ſummo Pontifici &c. propoſita, additis quibusdam abuſibus in eadem diœceſi graſſantibus.* Aſt eheu! quominùs Opus perficeret, inopinata interceſsêre fata. Cùm enim die XIII. Junii ex conſilio Medici pulverem, neſcio quem, certè lethalem ſumpſiſſet, medica portio tale illi ventris profluvium excitavit, ut vix non exta & ilia effuderit. Deſperatâ igitur ſalute convocatis Presbyteris, omnibus Eccleſiæ Sacramentis ritè proviſus, circa horam noctis ſecundam die XIV. Junii extinctus eſt, tumulum conſecutus in Eccleſia S. Mauritii, funebres ei honores procurante Ill. Comite *de Giannini*, qui omnem quoque ipſius ſupellectilem literariam, omniáque Mſ.ta, chara ſanè pignora ſibi vindicavit, me fruſtra eadem repetente. Præcipua verò ſunt: *Olomucium ſacrum. Bibliotheca Bohemica. Rabani Mauri anecdota*, &c.

Obitus 14. Junii 1750.

Mores ipſius & Virtutes.

XXX. Mirabitur forſan aliquis, quòd homo unus, nec longævus admodùm, nec ſubſidiis affatim inſtructus, cuíque fortuna non ſolum humilis, verùm etiam oppidò parca fuerit, tot tantíſque laboribus exantlandis, támque diverſis Operibus nonniſi infinitâ congeſtis lectione elucubrandis ſuffecerit. Mirarer & ego niſi ſtupenda & propè inimitanda ipſius diligentia, aſſiduitas, & promptitudo ex familiari cum illo neceſſitudine mihi innotuiſſet. Totus ille in libris erat, continuæque lectioni & ſcriptioni ſic deditus, ut otium acerrimi hoſtis loco haberet. Vaſta quidem volumina penes ſe habebat nulla, libellis duntaxat minutioribus & ſchediaſmatibus in uſum ſelectis inſtructus; alienas verò opes librarias frequentiùs in ſuos adhibebat uſus. Semotus ſemper à populo & civilibus undis, nihil antiquius, nihil jucundius habuit, quàm perpetuò cum Muſis verſari, caſto earum contubernio frui, ſcribere & præclaras quidem tes antiquitatis cognoſcere, atque ita omne tempus, quod vel præteritum, vel futurum eſt, ſuum facere. Guſtu præſertim afficiebatur in omne id quod excolendo ingenio ſervire pronum eſt. In converſatione cum aliis modeſtus erat, comis & ad officia humanitatis paratiſſimus. Sermones quidem à re literaria alienos cædebat parciùs, ſed tamen absque moroſitate ad quæſtiones ea paucis regerebat, quæ ſolidam ejus eruditionem prodebant. Cum amicis etiam jocari, & ſalibus, argutiiſque lepidis certare, quotieſcúnq; res poſceret, aſſueverat. Eruditos præ reliquis ſemper coluit, eóſque ad ſua vel colloquia, vel commercia literaria invitare, aut eorum uti luminibus & ſymbolis maximè ſtuduit. Pudet me de conſorte dicere, quod in me nequeo reperire: *fuit enim in illo cum ſapientiâ magna ſimplicitas, cum doctrina humilitas, cum facundia loquendi parcitas.* In precibus Deo adhibendis ſedulus cumprimis fuit & ardens, nec aliud actionum ſuarum fecit initium, quàm ab oratione. Exul à Cœnobio vel ipſis clauſtralibus emendatioris vitæ exemplum præbuit; adeò ſolitudini, recollectioni, rebúſque divinis intentus vacabat. Matrem ſuam *Religionem Benedictinam* ad ſuprema usque fervidè coluit, ornavit, defendit, & ſcriptis ſuis à ſupercilioſo exterorum contemtu atque vilipendio cum paucis aliis egregiè vindicavit, magis etiam exornaturus, ſi qui poterant, neceſſariis eum præſidiis adjutum voluiſſent. Cæterum in proſperis, cum maximè in adverſis æquâ modeſtiâ & fortitudine claruit. Simplex quidem apparebat, ſed ita, ut in imprudentiam non deflecteret. Candor, res licèt hoc ævo penè im̃ortua, in verbis pariter ac in factis illius adeò illuſtres ſpargebat radios, ut ætatis priſcæ, non noſtræ hominem eſſe crediſiſſes. In ipſo certè ſi in quoquam alio Perſiani illi boni Viri characteres ſpectabantur:

Compoſitum jus, fáſque animi, ſanctíque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.

Quisquis ergo mecum doles de tanto quaſi nil viro ſuperſit, *udis parce genis rigare marmor, Mens & gloria non queunt humari.* * Qui traxit è mortis ſepulchro tot illuſtres Viros, perire mortis in ſinu nunquam poteſt.

* Sidonius Ep. xi. Lıv.

HISTO-

HISTORIÆ REI LITERARIÆ ORDINIS S. BENEDICTI

PARS PRIMA

PRÆLIMINARIS SEU GENERALIS.

SUMMARIUM.

QUandoquidem publica Eruditorum vox eſt: S. Benedicti Monaſteria jam à primis ſtatim incunabulis extitiſſe ingenuarum Artium & Scientiarum ſedes, librorúmque officinas & conditoria; tempúſque fuiſſe, *cùm ferè quidquid in orbe terrarum eruditionis eſſet, & reconditioris doctrina, id omne cœnobiorum clauſtris contineretur*, (*) adeò ut absque ſingulari ſtudio, curâ & ſollicitudine veterum Monachorum, bonæ artes, literæ & diſciplinæ vel penitùs jacuiſſent, aut certè ad faſtigium, quod tenent, minimè perveniſſent; ut porrò tam præclara Majorum de bono publico merita magis eluceſcant, ſuóque ſplendore obtrectantium nubila diſſipent, eam quam ipſi benè merendi de Literis tenuerunt rationem, ab ipſis inde hujus Inſtituti primordiis repetere, atque ad præſens usque tempus deducere animo inſidet.

Primo igitur Capite *Rem Literariam Benedictinam quaſi univerſam* ob oculos uno intuitu ſpectandam ſiſtemus, ſtrictímque oſtendemus, *quibus orta ſit initiis, quos fecerit progreſſus, quæ paſſa ſit detrimenta, quas acceperit inſtaurationes, quibúsque, tot inter viciſſitudines ad nos propagata, hodienùm ornamentis fulgeat inclyta.*

Altero Capite ſpeciminis loco quædam in medium adducentur Monaſteria, in quibus Studia maximè floruerunt, indéque

venient

(*) Matthæus Stephani Diſcuſſ. Acad. Tom. I. Diſcuſſ. 4.

venient ad numerum Scholæ præ ceteris doctrinâ, pietate, diſcipulorum frequentiâ, antiquitate & dignitate celebres; quibus alia noſtræ ætatis Gymnaſia, Academiæ, Lycæa, magnorum in ſacrâ civilique Republicâ Virorum Seminaria, ſubnectentur.

Quia verò plures è Scholis Benedictinis velut ex equo Trojano egreſſi ſunt viri de Eccleſiâ & Republicâ optimè meriti, quos reſcire poſteritatis intereſt, eorum nonnullos CAPITE III. commemorandos duximus, ut horum facta dum legerint poſteri, ſeſe ad veræ gloriæ conſecutionem perampliùs ſentiant inflammari.

CAPITE IV. oſtenditur, quanto ſemper ſtudio ſapientiores Prælati bonis artibus & diſciplinis fovendis, excolendis & illuſtrandis incubuerint, quantóque in honore ac dignatione tùm olim fuerint, cùm hodie ſint *Muſæ Benedictinæ* apud ſummos Pontifices, Imperatores, Reges alióſque Eccleſiæ & Seculi Principes; quantis inſuper præmiis, favoribus & gratiis labores literarios à noſtris pro communi bono ſuſceptos cumulaverint, juverint & evexerint. Quin etiam ex ipſo Ordine Benedictino producentur complures, qui bonarum literarum non ſolùm peritiâ, ſed & patrocinio, liberalitate ac munificentiâ decus noménque apud poſteros nunquam intermoriturum ſibi pepererunt.

Cùm autem nullum comparandæ ſolidioris doctrinæ, & illuſtrandæ rei literariæ medium efficacius ſit peregrinatione eruditâ, ac etiam videamus plurimos è noſtris in exteras regiones veluti ad bonarum artium mercaturam moleſtis itineribus contendere, quo nobiliſſimas Bibliothecas, Numiphylacia, Phyſiothaméa, Archiva, & forulos omnes, ac rei literariæ conditoria coràm ſcrutari, ſuíſque oculis perluſtrare, & cum viris eruditis neceſſitudinem contrahere poſſint, hinc CAPITE V. enarrantur, ſed in compendio, itinera quædam literaria, quæ doctiores aliqui noſtrâ potiſſimùm ætate, ac patrum memoriâ, more & exemplo Majorum, aut juſſu Superiorum, quandóque etiam Regum ſumptibus & auſpiciis, in Germaniam, Italiam, Galliam, aliáſque Europæ provincias inſtituerunt, eo ſanè cum fructu, ut opibus literariis benè onuſti domum remearent, eáſque cum publico ſubinde communicarent.

Sexto demùm CAPITE celebriores Benedictinorum Bibliothecæ, & extantiora Archiva commemorantur, non ſolùm ut earum Conditoribus ſuus honos ſuáque laus tribuatur, ac nomina illorum cedro digna gratæ pariter viventium ac poſterorum memoriæ ex merito commendentur; ſed ut etiam qualiſcunque cimeliorum in iis adſervatorum notitia (*quâ iis, quibus literæ cordi ſunt, nihil gratius eſſe poſſet*) tradatur.

Coronidis loco recenſentur nonnulli celebriores Bibliothecarum & Archivorum cuſtodes, præfecti, & illuſtratores. Quæ ſingula cùm orbis eruditi commodum, Ordiníſque antiquiſſimi ſplendorem augeant, tùm præcipuè ejuſdem Inſtituti alumnorum imitationem provocant, ut Majorum ſuorum memores, relictam ab iis hæreditatem ſervent, iis modis, quibus eam illi compararùnt.

CAPUT

CAPUT I.

Rei Literariæ Studium in Ordine Benedictino, ejúsque origines, progreſſus, fata, decrementa, inſtaurationes, & præſens ſtatus per XIII. Seculorum decurſum.

Tractationis ſeries & œconomia.

REligionis Benedictinæ ortum & progreſſum penè è veſtigio ſecuta eſt bonarum artium & literarum cultura, ac naturali quâdam lege eadem cum ipsâ Religione ſuſtinuit fata; ut proinde rei literariæ in hoc Ordine origines, progreſſus, viciſſitudines, decrementa & inſtaurationes conſideraturis, neceſſe omnino ſit tractationis ſeriem ab ipſis Familiæ Benedictinæ exordiis repetere, & quâ ſacie *ævi medii* (uti hæc periodus vocari conſuevit) *temporibus* Muſæ comparuerint, quámque ſubſequentium ſeculorum fortunam ſubierint, pleniùs exponere. Quemadmodum enim ſingula ſerè ſecula ſuum habent genium, qui in certa quædam ſtudia mortalium animos ſolet inflectere, ſic etiam bonæ Artes, Scientiæ, & Diſciplinæ, non ſecùs ac humana omnia, ſuas habent viciſſitudines, ſuaſque converſiones & revolutiones; quibus efficitur, ut nunc è tenebris emergant illuſtriores, ac caput veluti extollant, nunc de gradu ſuo dejectæ jaceant, atque vix ſeſe à ſqualore tueantur illæſas. Maximè autem Muſis Benedictinis cum adversâ hac ſortunâ inde ab ipſis ſacræ hujus Familiæ primordiis confligandum ſuit. Sicut enim circa ejus initia Romanum Imperium inſelicibus barbararum gentium invaſionibus in Oriente valdè quaſſatum afflictúmque fuit, ita in Occidente tantùm non penitùs deletum jacuit, victorúmque Barbarorum mores, barbaries quoque in omni eruditionis circulo ſecuta, & hoc etiam malo res literaria vehementer preſſa eſt. Quam verò Majores noſtri de illius ſalute, cultu, inſtauratione curam & ſollicitudinem geſſerint, quale aſylum ſugientibus Muſis Monaſteria præbuerint, ſuccinctè enarrare, atque adeò totius rei literariæ ſtatum, viciſſitudines & ſata ab Ordinis noſtri exordio ad præſens usque tempus concatenato veluti ſeculorum nexu in hoc Capite deducere animo conſtitutum nobis eſt.

Status Rei Literariæ ab anno 480. ad 600.

S. Benedictus anno 480. natus.

SExtum Æræ Chriſtianæ ſeculum, communi calculo Benedictinæ Familiæ ſtatuitur primum; eo enim ineunte D. BENEDICTUS Monachorum in Occidente Patriarcha, Ordinis ſui prima jecit fundamenta. Quando autem primam hujus orbis lucem aſpexit, quàm miſera fuerit Europæ facies, quàm abjectus rei literariæ ſtatus, pluribus nos docent hiſtoriæ. Tùm enim Italia ſub *Odoacre* Herulo, Hiſpania & Aquitania ſub *Alarico* Viſigotho, Arianorum Principum jugo addictæ gemebant; Suevis Arianis parebat Gallæcia; regnabat in Gallia *Childericus* Francorum Rex idolorum cultui deditus; Burgundionibus Arianis non modicam Galliæ partem occupantibus; Germania verò, & Britanniæ Inſulæ pars maxima verum Deum ignorabant gentiliſmo adhuc immerſæ. *Eutychiani* circa ejus ſeculi (V.) medium exorti, ac communi *Acephalorum* nomine noti in diverſas jam partes & ſententias abibant; unde natæ *Severianorum*, *Theodoſianorum*, *Jacobitarum*, *Theopaſchitarum*, *Tritheitarum*, *Aphthartodocitarum*, *Corrupticolarum*, *Agnoëtarum* ſectæ, partim ab Auctoribus ſuis, partim ab ipſis dogmatibus cognominatæ. Hæc inter cùm barbararum gentium invaſionibus partes Imperii Romani Occidentales valdè concuterentur, omnium ſerè literarum honos extingueretur, & ſub armis vileſceret, bonæ artes & diſciplinæ decrementa quoque pati cœperunt graviſſima, & barbarie paulatim caput erigente, pauci hac ætate inventi ſunt, qui earum excolendarum gloriam ſibi vindicarent, & tamquam ſtellæ quædam in-

gruentes barbariei tenebras aliquantiſper diſpellerent. (a)

ſeptennis puer Romam ad ſtudia mittitur,

In hâc rerum confuſione Orbi natus D. BENEDICTUS, vix pueritiæ años prætergreſſus Romam liberalibus literarum ſtudiis imboendus circa an. 487. miſſus eſt. *Sed cùm in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret*, inquit D. Gregorius, (b) *eum, quem quaſi in ingreſſu mundi poſuerat, retraxit pedem; ne ſi quid de ſcientia ejus attingeret, ipſe quoque in immane præcipitium totus iret.* Deſpectis itaque literarum ſtodiis, relictâ domo rebúsque patris, ſoli Deo placere deſiderans, ſanctæ converſationis habitum quæſivit, ac demùm in Sublaci ſpecum ſe recepit, eo ferè tempore, quo *Clodoveus* Rex Francorum cum ſuâ gente idola ejuravit. Conſtructis verò apud Sublacum duodecim Monaſteriis, Caſſinum Montem ineunte ſeculo Eccleſiæ ſexto petiit, ut inde per univerſam Europam ſuum Ordinem diffunderet. *Circa annum DXX*, inquit Guillelmus Caveus, (c) *vel ut alii, DXXIX. Ordinem ſuum ſub certis legibus inſtituit ſanctus* BENEDICTUS *Monachorum in Occidente Patriarcha, è cujus inſtituto, ceu ex equo Trojano, reliquæ Ordinum Religioſorum turmæ prodierunt.* Et quidem illicò tantos progreſſus fecit Ordo iſte, ut Europa ferè tota eodem ævo Monachis adlaborantibos veram religionem ſuſceperit. MAURUS quippè ſanctiſſimi Patris diſcipulus Galliam, PLACIDUS Siciliam, alii alias Provincias ſuâ prædicatione ad fidem eâ ætate adduxerunt. *Sub exitum ſæculi*, inquit citatus, *Chriſtiana Religio in Britannia feliciter promovetur*, COLUMBA *inter Pictos, mox* AUGUSTINO *Monacho inter Anglo-Saxones ad id operam navante*; ſicque ſenſim per reliquas Europæ regiones, erectis ubique Monaſteriis, hoc vivendi genus ita invaluit, *quaſi funeſtiſſimâ ætate*, uti appoſitè Mareshamus, *comparatum fuiſſet hoc inſtitutum, tutiſſimum adverſus humanas miſerias refugium, & firmiſſimum contra invaleſcentem barbariem, ac infeſtas Arianorum, Gothorum, Longobardarum & aliorum ex orco dæmonum furias, præſidium.*

in Sublacum ſe recipit,

Caſinum petit,

& circa an. 529. Ordinem ſuum inſtituit.

Studiorum ori-

Hujus verò Familiæ ortum, quàm preſſo pede ſecuta fuerit literarum cultura prolixiùs nos docet magnus Annalium noſtrorum parens MABILLONIUS: *Non priùs*, inquit ille (d) *Ordinis ſui apud Sublacum fundamenta jecit ſanctus* BENEDICTUS, *quàm puerorum inſtitutionem in ſe ſuſcepit. Teſtes* Maurus & Placidus *Senatorii generis pueri, aliíque, quos à tenerioribus annis educavit, & pietatis literarúmque ſtudiis informavit. Id exinde frequentatum aliis in locis in gratiam eorum præſertim puerorum, qui Deo in Monaſteriis oblati à parentibus fuerant.* Cùm enim recipiendi ſubinde eſſent illi, qui nulla prorsùs, aut pauca quædam artium liberalium elementa hauſiſſent, factum inde eſt, ut in ipſis cœnobiis juvenes ad ea præpararentur. *Sed poſtea quàm ea res probari cœpit experientiâ utilitatis communis, placuit, ut ejusmodi ſcholaſtica inſtitutio ad exteros etiam derivaretur.* Ex iſtis verò ſcholis, ut perhibet *Miræus* lib. 2. Origin. Monaſt. cap. 1. haud levis acceſſit Monaſteriis & Reipublicæ utilitas: *Ipſi enim Monachi magnis divitiis & ingentibus creverunt augmentis, omnibus certatim pios eorum conatus juvantibus re, operâ, conſilio.*

go in Ordine Benedictino,

Quàm arcta autem inter Benedictinæ Religionis propagationem & Studiorum culturam neceſſitudo deinceps viguerit, tot támque illuſtria rerum à noſtris geſtarum produnt exempla, ut nullis prorsùs argnmentis ad roborandam ejusmodi veritatem, ſed ad eam dignè explicandam & illuſtrandam robuſtiori potiùs facundiâ opus fuerit. Illud verò ante omnia dubiis eximendum putamus: *An ipſe S. P.* BENEDICTUS *ejusmodi inſtitutionis ſcholaſticæ in Monaſteriis auctor fuerit?* Licèt enim hæc gloria ad ipſum S.mum Legiſlatorem paſſim referri ſoleat; ſunt tamen nonnulla haud levis momenti, quæ Viri eruditi contra receptam hanc opinionem urgent argumenta, contendentes ipſum Ordinis Patriarcham ad literarum culturam ſuâ Regulâ nihil contuliſſe, immò à literis averſo planè animo fuiſſe, eáſque contempſiſſe: ita enim de eo GREGORIUS M.: *Deſpectis*, inquit, *literarum ſtudiis ... receſſit ſcienter neſcius & ſapienter indoctus.* Quibus D. Gregorii verbis *Naudæus*, *Conringius* & alii, ut Benedictinis ægrè

eorúmq; progreſſus.

(a) Confer. Bruckerus Hiſt. Phil. Tom. III. pag. 523.
(b) D. Gregorius in vita S. Benedicti libr. 2. Dialog.
(c) Caveus in conſpectu Seculi VI.
(d) Mabillon. Præf. ad Sec. III. Bened. §. IV. n. 39.

ægrè facerent, doctrinæ laudem & inſtitutionis literariæ gloriam S. BENEDICTO adimere conati ſunt.

An ſtudiorum inſtitutor ipſe S. Benedictus.

Verùm tametſi S.mus Legislator nihil expreſsè in ſuâ Regulâ de ſcholis, aut de ſtudiis, vel ſecularibus, vel ſacris ſtatuerit, ſed lectionem cum primis aſceticam, atque opus manuum quotidianum acriùs commendet; ſic tamen pietati tribuit primas, ut & congruæ eruditioni addixerit ſecundas. Talem enim vivendi rationem in præſcripta Regula complexus eſt, ut absque ſtudiorum ſulcimentis nec erigi potuerit, nec erecta ſubſiſtere poſſit. Neque adeò obſcura ſunt ipſius Regulæ verba, ut ex iis facilè elici nequeat, S. Patrem utriusque pietatis & doctrinæ curam geſſiſſe. Cùm enim ipſe plurimum de lectione præcipiat, & ipſa legendi tempora ſicut & laborandi aſſignet, ac in tantum quoque de ipsâ ſcribendi ratione provideat, ut inter neceſſaria, quæ ab Abbate Monachi ſperare debeant, tabulas etiam & graphium non prætermittat; quis dicere ſuſtineat ipſum Ss. Legislatorem nihil ad literarum culturam in ſua Regula reſpexiſſe? Quid enim hæc cap. 48. Regulæ: *Certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum; certis iterùm horis in lectione divina...* Et rurſus *In Quadrageſimæ diebus à mane usque ad tertiam plenam vacent lectionibus ſuis &c.* Ecquid verò iſta, quibus cap. 64. præcipit, ut *Vitæ merito & Sapientiæ doctrinâ Abbas eligatur... Ut ſit doctus lege divinâ... Ut ſciat proferre nova & vetera?* Et de Decanis cap. 21. cavet, ne eligantur per ordinem, *ſed ſecundùm vitæ meritum &* SCIENTIÆ *doctrinam.* Similia habet cap. 62. de Sacerdotibus Monaſterii; ac univerſim omnes ſuæ diſciplinæ ſectatores ad *doctrinæ & virtutis* apicem evehere voluiſſe, argumento ſunt illa S. Regulæ verba cap. 73. *Hanc minimam inchoationis regulam adjuvante Chriſto perfice, & tunc demùm ad majora, quæ ſuprà commemoravimus,* DOCTRINÆ *Virtutùm, quæ culmina Deo protegente pervenies.* Præterea cùm ipſe paſſim ſuos ad legendas ſacras Scripturas, ad evolvenda SS. Patrum opera exhortetur, neceſſe omninò fuit, ut adminicula illis ſuppeditaret, ſine quibus nec hæ lectiones cum fructu fieri poſſunt, nec ad illud doctrinæ faſtigium licebit aſſurgere. Talia autem media eſſe conſtat, LITERARUM STUDIA, *quibus ratio excolitur, animus exornatur, intellectus magis perficitur, & voluntas, divinâ adſpirante gratiâ, emendatur.*

Adverſariorum argutiæ refelluntur.

Falluntur ergò & fallunt, qui ſuis præventi opinionibus contendunt S. P. BENEDICTUM de literis inter ſuos excolendis nihil cogitâſſe, aut ad juventutis inſtitutionem nequaquam reſpexiſſe. Cùm enim Familiæ ſuæ hominibus commendârit, ut qui ſacro Ordine initiari vellent, priùs docerentur; cùm ipſemet Romanos Nobiles ſuæ curæ à parentibus commiſſos ſuſceperit erudiendos; cúmque lectiones ſacras ſtatis horis habendas præceperit; documenta profectò ſatis luculenta edidit, queis propenſum in ſtudia animum proderet, & ſuis aſſeclis occaſionem daret, eas in monaſteriis erigendi ſcholas, in quas Muſæ illo ævo transfugæ tamquam in aſylum quoddam tutiſſimum ſeceſſerunt, ibique deinceps nidum ſibi parârunt. Neque porrò nobis unquam perſuadebunt Adverſarii, iſtud quod *de inſtitutione Nobilium Romanorum* memorant ipſius vitæ Scriptores, intelligendum eſſe ſolùm de *Aſceticâ & Monaſticâ*, non de *Literariâ* informatione. Quis enim ſanæ mentis credat, Viros apprimè nobiles, ac Senatorii Ordinis, liberos ſuos in ſinum & complexum S. BENEDICTI commiſiſſe, ut *ſanctam* duntaxat *ſimplicitatem*, ne dicam *ruſticitatem* ab eo addiſcerent, non verò ut literis etiam & moribus illuſtri proſapiâ dignis imbuerentur?

Cur Benedictus Româ receſſerit ſapienter indoctus.

Nec relevat quod ex adverſo obtenditur, BENEDICTUM deſpectis literarum ſtudiis, Româ receſſiſſe *ſcienter neſcium & ſapienter indoctum.* Ad id námque cum Doctore Angelico dicendum, *Quòd iſte non diſceſſit à ſtudio, quaſi ſcientiam horreret aut ſtudium, ſed ſecularem vitam & ſocietatem formidans.* Unde doctiſſimus *Mabillonius* (c) edito adverſus Abbatem Trappenſem libro S. BENEDICTUS, infit, *cùm Romæ ſtuderet, deprehendit juvenum conſuetudine, atque diuturnâ in magna illa Civitate commoratione creari ſibi ſeductionis, & à Deo averſionis periculum; ideo ſtudia reliquit, non propter ipſa, ſed propter circumſtantias.* Nimirùm Romæ tunc naſcebantur virtutis ſpurii, ſcientiæ partus degenerabant in monſtra, & qui credebantur doctrinâ gravidi, in-

(c) Tract. de Stud. Monaſt. Part. II. cap. I. Sect. V. pag. 191.

flatos ſolùm fuiſſe oſtenderant ſecutus aër & fumus. *Benedictus* adhucdùm ephebus altiori actus conſilio, inde fugit *ſcienter neſcius & ſapienter indoctus*, atque novum erexit in eremo lyceum, ubi doctore & ductore cælo virtutum omnium & ſcientiarum didicit encyclopediam, *ſcire neſciri, ſilere ſileri.* Sic ſtudent, qui audiunt verba vitæ, ſic tacent, qui annos æternos in mente habent.

In ſuo receſſu literis operam navâſſe oſtenditur.

Nùm verò ex hoc ſequitur, quòd poſtea in ſuo receſſu nequaquam aliter ſtuduerit? Minimè; immò potiùs conſectaneum eſt credere ipſum humano more tanto diligentiùs ſibi, Musíſque ceciniſſe. Unde enim eminentem illam hauſiſſet doctrinam & eloquentiam, *quâ*, eodem teſte Gregorio, *non mediocriter fulſit, & regulam ſcripſit diſcretione præcipuam & ſermone luculentam*? Unde illam etiam ſuxiſſet Suadæ medullam, quâ deſtructis deorum aris, ſuccenſis lucis, idolis paſſim proſtratis ad confertam undantis populi multitudinem, de Fide orthodoxâ, de Religione, de Virtutibus publicè verba feciſſe dignoſcitur, eâ facundiæ vi, eóque fructu, ut vicini incolæ, remiſſo idolomaniæ nuntio, unanimiter ſuave Chriſti jugum ſubirent, & acceptam veritatis Evangelicæ lucem unicè BENEDICTO in acceptis referrent? (f) Unde, *inquam*, ſublimem illam imbibit ſapientiam, quâ ſtellæ inſtar matutinæ per oppoſitas nebulas erumpens univerſam Chriſti Eccleſiam illuſtravit, omníſque ordinis ac ætatis homines prudentiſſimè captare, regere, & ad Deum adducere ſcivit? Si cælitùs à Deo *ſcientiarum Domino* infuſam accepit? Bene eſt, non pugnamus; Si humano more didicit? Studuiſſe neceſſe eſt.

Conringii & Bruckeri topinomata.

Alia quæ Æmuli hâc de re afferunt topinomata, copioſè non repetemus, ſpecialem tamen attentionem ſibi depoſcere videntur ea, quæ *Hermannus Conringius* homo Acatholicus in ſuo de Scriptoribus, *XVI. poſt Chriſtum natum ſeculorum*, opuſculo reſcribit (g) Ex hoc enim fonte ſequiores plerique potârunt. Ita verò habet: *Hoc ſeculo* (nempe V. meliùs dixiſſet VI.) *vixit S. Benedictus, qui pater eſt omnium Monachorum in Occidente. Primus exſtruxit in Italia monaſterium, ad cujus exemplum ſunt alia in Hiſpania, Gallia, Anglia, & alibi erecta. Hic conatus eſt conſervare bonas literas, ſed infelici ſucceſſû; Hoc ſeculo enim nec prima Grammatices fundamenta noverunt, quod ex* CASSIODORI *modo diſcendi, quem iis præſcripſit, liquet...* Eâdem ferè chordâ oberrat *Jacobus Bruckerus* in ſuâ Philoſophiæ Hiſtoria Tom. III. pag. 572. ubi Monaſteria maximè Ordinis *S. Benedicti* illâ ætate aſyla fuiſſe ait Philoſophiæ, ſed miſera: *Magnis*, inquit, *tenebris hoc ſeculo* (VI.) *occupata ſunt plerorumque, qui docti haberi volebant, ingenia, vixque remedium aliquod barbariei inventum eſt, quod, licèt ſatis imbecille & inefficax, monaſteria exhibere videbantur.* Hæc ibi; priùs verò pag. 555. *Philoſophia*, inquiebat, *tandem in monaſteria receſſit, ibique ſibi, utcunque potuit, nidum paravit. Nempè tunc*, uti pag. 574. §. X. reſcribit, *regnabat ubique inſitia, triumphabat cum Barbarorum armis barbaries*, ſola divi Benedicti familia literarum cultui dedita exules Muſas patentibus ulnis amplexa, *profugam cum reliquis literis Philoſophiam cultu ſqualoréque deformem, vixque dignoſcendam recepit, & in amplexus admiſit ſuos... Quia verò*, inquit pag. 556. *Philoſophia in Cænobiorum receſſus his temporibus majori ex parte coacta eſt aufugere*, S. BENEDICTI *familia una ferè & tota, usque ad Scholaſticorum tempora, eruditionis poſſeſſionem & publicè tradendi munus ſibi vindicavit.*

Aliorum de rei literariæ in Ordine Benedictino conſervatione teſtimonia.

Magnum enimverò hoc & invidendum Benedictinæ Familiæ elogium, quod tamen *Bruckerus* ipſe non parum labefactat, dum ſuperciliosâ neſcio quâ loquendi ſartagine in nota marginali monaſteria vocat *miſera & imbecillia Muſarum aſyla*: Caſtiùs profectò & candidiùs veritati ſuccollant alii etiam à ſacris noſtris alieni; quos inter illuſtris KOELLERUS Hiſt. & Polit. Altorfienſis Profeſſor in ſuâ ad *Freberi* Directorium præfatione, *debemus ſanè*, inſit, *perilluſtri ac vetuſtæ D. Benedicti Familiæ, uti benè jam olim obſervavit* Aubertus Miræus, *ſcriptionem à multis retrò ſeculis, itemque conſervationem melioris doctrinæ in hiſtoriâ. . . Felicémque eam prædicamus, quod etiam hâc noſtra tempeſtate in eâ non deſint felices veterum monumentorum*.

(f) Conferſis *Henricum Engelgrave* S. J. Scriptorem non ignobilem, qui inter alia in laudem *S. P. Benedicti* hæc adſtruit: *Univerſus propemodum orbis fidem ſuam* Benedicto *debet, & eidem ſalutem ſuam acceptam refert.*

(g) Tom. V. opp. Conringianorum.

rum indices & vindices, quorum curam & laborem in iis conſervandis & publicandis meritò omnes magni faciunt & prædicant, qui flagrant cupiditate excolendi perficiendíque Hiſtoriam Germanicam. Huic meritò ſubjunxerim graviſſimi cujusdam è Societate Jeſu viri à numeroſo Auditore nuper exceptum oraculum, ita oratorio è roſtro diſertè loquentis: (h) *Niſi Ordo divi Benedicti fuiſſet, tota literatura periiſſet.* His adſtipulatur alius ex Ordine S. Dominici Encomiaſtes, qui pariter Sanctiſſimum P. BENEDICTUM rei literariæ promotorem in paucis egregium non abs re ſalutat, his verbis apud *Felicem Egger* in triumpho Immaculatæ relatis: BENEDICTUS *per ſe ſuóſque ſurgentes hæreſes delevit, & Scriptorum illuſtrium plusquam millia quindecim ſuo ex Ordine concitavit. Ille per ſuos Bibliothecas, ſcholas, Academias florere fecit, ut Eccleſia floreret. In ſolis hujus Ordinis Monaſteriis Academia & Schola ita ſtetit, ut intra cœnobii unius tantùm parietes aliquando quatuor millia ſtudioſorū erudirentur.* Infinitus ſim, ſi alia aliorum hâc de re teſtimonia congerere ſuſtinuero; nec pluribus opus, dùm manifeſta ob oculos verſatur veritas.

Num monaſteria fuerint Imbecillia Muſarum aſyla?

His verò ita ſibi inconvulsè conſtantibus, aim' nunc *Bruckere*! quo motu, quâ ratione monaſteria nuncupas *miſera fugientis Philoſophiæ aſyla*? An *miſera* jure dixeris, & *imbecillia*, in quibus ſolis Scholæ, Academiæ, Bibliothecæ per tot ſecula ſalvæ ſteterunt? Miſeráne illa Muſarum domicilia, in quibus tot Studioſorum millia enutriti, è quibus etiam tot Scriptores, tótque illuſtres prodière viri, qui ferream & inclinantem ad barbariem ſuorum temporum conditionem ingenii venuſtate & doctrinæ præſtantiâ longè ſuperârunt? Nùm *miſera* dices *aſyla*, ad quæ velut *ad ſacram anchoram*, ſive *tamquam ad munitiſſimas arces & palladia*, Muſas ipſas æruginoſis iſtis temporibus confugiſſe, ibíque diutiùs latuiſſe omnes produnt hiſtoriæ? Audisîs, quem mecum veneraris, Eminentiſſimum Cardinalem QUIRINUM, ſolidiùs hâc de re diſſerentem (i) *Romani*, infit, *Imperii acciſis opibus, rebúsque everſis, Romanæ etiam literæ interire viſæ ſunt, omníſque ingeniorum & animi cultus immanſuetis ſeptentrionalium gentium moribus decedere. Viſæ, inquam, ſunt interire, at non omnino interierunt; námque illatam occidentalis Imperii provinciis vaſtitatem, velut ingruentem procellam aliquâ ex parte declinantes, literarum reliquiæ potiùs quàm literæ ipſæ, ad Monachorum domicilia tamquam ad munitiſſimas arces, & hoſpitalia veluti tecta confugerunt, ibíque diutiùs, ſæpè tamen ad excidium conquiſitæ, ac proinde aſſiduâ formidine pavitantes delituerunt. Quare ſi qua fuit per ea tempora eruditio, ſi quod doctrinæ ſtudium, cœnobitarum familiis acceptum ferimus, quibus cùm probè compertum foret, Chriſtianam Rempublicam non religione tantùm, & morum ſanctimoniâ, ſed literarum etiam adjumento fulciri, atque muniri, in eam curam ſtatim incubuerunt, ut ipſorum ſcholis, quantum illius ævi calamitas ſineret, ingenia excolerentur. Hinc media Eccleſiæ ſecula non alium fermè Scriptorem oſtentant, niſi Benedictinâ veſte contectum, nec alia eruditionis monumenta depromunt, niſi quæ Monachorum peperit labor, aut cœnobitica armaria ab interitu vindicârunt. Utinam verò ex ipſis benè multa vetuſtatis non abſumſiſſet injuria! utinam ſaltem quotquot adhuc ſuperſunt, in ſcriniis & arcis blattarum epulæ non putreſcerent; haud ita profectò inops mediorum ſeculorum eſſet hiſtoria, nec tanta illis ignorantiæ & tenebrarum infamia inureretur.* Hæc ille, quæ *Bruckero* ſufficere credimus.

Cardinalis Quirini eâ de re ſententia.

Quo ſucceſſu literæ à monachis fuerint conſervatæ & excultæ.

Jam autem ut etiam CONRINGIO *Naudæi* aſſeclæ ſatisſaciamus, dic ſodes mi bone! Literáſne in Monaſteriis conſervare conatus eſt S. BENEDICTUS, quem alibi (k) tamen ab iis planè averſum ſcripſeras? Hæcciné ſibi conſtant? Næ à Medico iſto Helmſtadienſi meritò quis ſibi caveat, qui quò gravius infligat vulnus, antea oſculum libat. Cùm enim *Conringius* Diſſertatione III. de Antiquitatibus Academicis, Benedictini Ordinis primordia à literarum cultu majorem in modum commendâſſet, in ſupplementis Diſſertationum ſubinde id laudis iterùm iis adimere molitur; ſed irrito ſanè conatu. Videamus enim, *An divus* BENEDICTUS, *ejúſque diſcipuli in liberalibus ſtudiis & Artibus* con-

(h) Apud Gothard. Wagner Rhetoricæ pag. 177.
(i) Quirinus in Diſſert. de Monaſt. Italiæ Hiſtor. relatâ in hujus operis Parte II. pag. 434.
(k) *Conringius*, in ſupplem. Diſſert. de Antiq. Acad. pag. mihi 502. quem tamen heic deſerit & corrigit *Joannes Wilhelmus Goebelius*, in Academia Julia Juriſconſultus, qui ejus opera edidit, & notis illuſtravit.

conſervandis operam ſuam infelici, *ut ipſe contendit*, ſucceſſu *collocârint*? Quâ tempeſtate Monaſterium Sublacenſe, relictâ eremo, conſtruxerat S. P. BENEDICTUS, *cœpêre*, inquit D. Gregorius, (l) *ad eum Romanæ Urbis Nobiles & religioſi concurrere, ſuóſque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare... Tunc quoque bonæ ſpei ſuas ſoboles* EUTYCHIUS Maurum, TERTULLUS *verò* Placidum *tradidit*. Atque *hos puerulos*, inquit celebris è Societate Jeſu Theologus, PETRUS RIBADENEIRA, (m) *à* B. BENEDICTO *receptos legimus, & in omni genere virtutum excultos atque perfectos. Quæ conſuetudo diu poſtea tenuit; nam* D. Gregorius *Anglos pueros magnâ diligentiâ conquiri jubebat, & in ſui Ordinis cœnobiis ali & educari*... Ne qois verò erret, atque cum *Conringio* dicat; illod inſtituendi genus non niſi de educatione ad vitæ ſanctimoniam accipiendum eſſe, ſubjecit Ribadeneira: *Neque verò pueros fingebant Monachi ad omnem tantummodò virtutis laudem, ſed etiam diſciplinis, & omni Scientiarum genere inſtruebant...*

Quid eâ de re Ribadeneira S. J. Scriptor.

Quâ veritate adductus CÆSAR EGASSIUS BULÆUS in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis, *Opportunè*, inquit, *iiſdem temporibus* D. BENEDICTUS *Ordinem ſuum inſtituit, & propter innumerabilem hominum ad eum confluentium multitudinem, ubique paſſim cænobia erexit, & in cænobiis ſcholas privatâs, quas deinde neceſſitate cogente publicas facere, & externis atque Laicis aperire coacti ſunt: quo argumento utebantur olim Dominicani adverſùs M.* GUILIELMUM DE S. AMORE, *& Academicos Pariſienſes, cùm eis objiciebatur nimio ſtudio & ambitione affectata publicè docendi profeſſio. Eodem & Jeſuitæ, cùm initio ſui inſtituti ſcholas habere prohiberentur.* Quâ de re ſic ſcribere pergit RIBADENEIRA l. 2. vitæ Ignatianæ: *Benedictini exemplo Legiſlatoris ſui, & in Germania, & in Gallia, & in Anglia magna cum laude docuerunt, authore & principe hujus inſtituti Venerabili* BEDA, *qui ante annos octingentos in Anglia docuit, & ſcholæ præfuit. In cujus locum poſtea ſucceſſit* ALBINUS *Caroli Magni præceptor, & in locum Albini* RABANUS *Abbas Fuldenſis, qui poſtea etiam Archiepiſcopus fuit Moguntinus. Item Monachi Benedictini Collegia, quemadmodum nunc nos habemus, habuerunt, in quibus docebant, ſcilicet quæ nunc nos docemus. Atque ea de re tantoperè floruit Ordo S. Benedicti, & ſanctiſſimis doctiſſimíſque viris abundavit, quorum doctrina univerſam illuſtravit Eccleſiam.*

Quid Cæſar Egaſſius Bulæus.

Adhuc diſertiùs ex eadem Societate NICOLAUS LANCICIUS, non ignoti nec obſcuri nominis ſcriptor, cujus paraphraſim, tametſi (n) nonnihil profuſiorem, in medium dare non gravabor: „S. BENEDICTUS Monachorum „ in Occidente Parens, pueros in „ cœnobiis ſuis educabat, informa„ bátque ad pietatem. Ex hac di„ ſciplina prodierunt *S. Placidus*, *S.* „ *Maurus*, & alii. Sanctus quoque „ *Gregorius* Papa, Anglos pueros „ magna diligentia conquiri jubebat, „ & in ſui Ordinis cœnobiis ali, at„ que educari. Et *S. Thomas Aqui*„ *nas*, qui fermè ſeptingentis annis „ S. BENEDICTO fuit poſterior, in „ Caſſinenſi PP. Benedictinorum ce„ lebri Monaſterio educatus fuit. *Ne*„ *que verò Monachi S. Benedicti pue*„ *ros ad omnem tantùm virtutis lau*„ *dem excolebant, ſed etiam diſciplinis,* „ *& omni ſcientiarum genere inſtrue*„ *bant.* Nam & in Germania, & in „ Gallia, & in Anglia magnâ cum „ laude docuerunt, more ſchola„ rum Societatis, & viros omnibus „ ſacris & profanis ſcientiis excultos „ ac celeberrimos habuerunt. Inter „ hos fuit *Ven. Beda*, qui ante annos „ propè nongentos floruit in Anglia, „ & ipſe docuit, & ſcholæ præ„ fuit. In ejus poſtea locum ſucceſſit „ *Albinus* Caroli Magni præceptor; „ & in locum Albini *Rabanus* Abbas „ Fuldenſis, poſtea factus Archiepi„ ſcopus Moguntinus. Et Monachi „ Benedictini habuerunt Collegia „ (*quemadmodum nunc habet Societas*) „ in quibus docebant ea, quæ nunc „ nos docemus, ut videre eſt apud „ *Trithemium* celebrem ſcriptorem, „ & Abbatem Benedictinum. Quod „ adeò uſitatum fuit in S. Benedicti „ cœnobiis, ut ſcribat *F. Balduinus* „ *Moreau* in Facula præfixa Hiſtoriæ „ & Regulæ S. Benedicti pag. 38. 39. „ *Omnia Cœnobia erant Gymnaſia, &* „ *omnia Gymnaſia, Cœnobia.* Nus„ quam enim eo tempore per Ger„ maniam, Galliam, Italiam, & An„ gliam inſtituta fuerunt literarum „Gym-

Nicolaus Lancicius.

(l) S. Gregor. libr. 2. Dialog. cap. 3.
(m) Ribadeneira in vita S. Ignatii libr. 2. cap. 24.
(n) Tom. 2. Opuſc. pag. 581.

„ Gymnaſia: imò & aliquot poſt ſeculis *Academiæ*, vel, ut ajunt, *Univerſitatis* nomen illuſtre in omni ſerè Occidentis Imperio fnerat incompertum. Præter enim Romanum vetuſtiſſimum, & Pariſienſe ac Papienſe tunc nova (utpote Caroli M. & ſucceſſorum ejus juſsû, ope, & authoritate fundata) in quibus Benedictini primi ſuêre Profeſſores, nullum in Hiſtoriis aliud univerſale legimus extitiſſe ſtudium. „

Ludovicus Thomaſſinus. *Lancicio* concinit doctiſſimus (o) *Ludovicus* THOMASSINUS Oratorii Gallicani Presbyter, dum de D. BENEDICTO in hæc ſcribit verba: „Cùm enim aggreſſus ſit puerorum, maximè nobilium, à teneris annis inſtitutionem, non potuit non tot ſcholas, quot monaſteria conſtruxiſſe. *Cæpêre tunc ad eum Romanæ Urbis Nobiles & Religioſi concurrere, ſuóſque ei filios Omnipotenti Deo nutriendos dare.* Ad id certè BENEDICTUS Monachos ſuos exemplo imbuit ſuo, ne ita privatæ ſtuderent ſaluti, quin cæteris quoque conſulerent, Chriſto & pietati lucriſaciendis. *Commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continuâ ad fidem vocabat.* Sacrarum ergo ſtudiis literarum ſuos ut addiceret, neceſſum prorſus erat. Denique author eſt ipſe *Gregorius*, non minùs ſcientiâ, quàm ſanctitate floruiſſe BENEDICTUM, & ipſam ejus Regulam tum innocentiæ morum, tum cœleſtis cujusdam ſapientiæ illuſtre monumentum eſſe. „ *Hoc nolo te lateat, quòd vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulſit. Nam ſcripſit Monachorum Regulam diſcretione præcipuam, ſermone luculentam.*

Antonius Gattus. Ne verò juſto plura ſcriptorum coacervem teſtimonia, cum *Antonio Gatto* finiam. Vir hic doctiſſimus & publicus Jurisprudentiæ Profeſſor in Hiſtoria Gymnaſii Ticinenſis eruditè à ſe conſcripta cap. VIII. pag. 60. ita perhibet: D. BENEDICTUS *pueros in Cænobiis educabat, informabâtque ad pietatem, ejúsque Monachi diſciplinis, & omnium ſcientiarum genere eos inſtruebant. Quarum ſcholarum tantam fuiſſe famam memoriæ tradidit* D. GREGORIUS *Dialogorum lib. 2. cap. 3. ut ad eas Romani Cives nobilitate inſignes, & alicui ſacro Ordini adſcripti confluerent, ſuóſque ei filios Omnipotenti Deo educandos committerent.*

Cui jam fides adhibenda eſt, *Conringio*, an *Ribadeneiræ*, *Lancicio*, *Bulæo*, *Thomaſſino*, & *Gatto?* Quæro ex te *Conringi!* ſi aſſertio tua haud abeſt à vero, quî fieri potuit, ut ſuperſtite etiamnum D. *Benedicto* complures viri docti è ſchola Montis Caſini prodierint? è quibus S. FAUSTUS vitam S. Mauri, MARCUS verò ejusdem S. Patris diſcipulus, Magiſtri ſui res geſtas oratione ligata, nec non alia quædam hodie vulgata, à nobis verò alibi recenſenda, ſcriptis ad poſteros transmiſit. GORDIANUS itidem *D. Benedicti* diſcipulus, *S. Placidi* comes, hujus & Sociorum certamina, *Juſtiniani* Imperatoris juſſu, Græcè literis mandavit, teſte *Caveo* Hiſt. lit. pag. 337. Jam autem ediſſere ſodes *Conringi!* ubinam terrarum aut gentium hi monachi, qui à teneris in monaſteria ſe ingeſſerunt, literis imbuti fuerunt! An hos de ipſo propè nutricum ſinû acceptos D. BENEDICTUS, vel alius ad id muneris delegatus, *infelici ſucceſſu* erudivit? An perſiſtes, ut illos nec prima literarum elementa delibâſſe dicas? *At enim*, inquis, *id ex Caſſiodori modo diſcendi, quem monachis præſcripſit, liquet.* Itáne verò bone *Conringi!* ex modo diſcendi, quem *Caſſiodorus* Vivarienſibus ſuis monachis præſcripſit, qui à Caſſino haud procul diſſiti Benedictinis dubio absque parebant inſtitutis, eorum inſcitiam colligi poſſe exiſtimâſti? Hoc ſi poteſt, tum verò baculum etiam in angulo inferri poſſe concedam. Lectoris judicium appello. Inprimis *Caſſiodorus* monachis commendat ſacræ Scripturæ ſtudium, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lectionem, SS. Patrum, maximè *Hilarii*, *Cypriani*, *Ambroſii*, *Hieronymi*, & *Auguſtini* ſcripta: Tum hortatur eos ad *Dionyſii Exigui* monachi canones eccleſiaſticos *aſſiduè legendos: ne videamini*, inquit, *tam ſalutares eccleſiaſticas regulas culpabiliter ignorare.* Et paulò poſt addit: *Et ut vobis in regulis fidei nulla poſſit nocere ſurreptio, legite, quas habetis in promptu, Synodum Epheſinam & Chalcedonenſem, nec non & encyclica*, id eſt, epiſtolas confirmationis ſupradicti Concilii. Deinde poſtquam docuit, quo ſtudio Scri-

Viri docti qui ſub S. Benedicto in monte Caſino floruerunt.

Caſſiodorus malè à Conringio allegatur.

(o) De vet. & nov. Eccl. Diſcipl. Part. 2. lib. 1. c. 95. n. 6. p. 286.

ptuta ſacra cum expoſitoribus illius legenda ſit, ſubjungit: *Coſmographiæ quoque notitiam vobis percurrendam eſſe, non immeritò ſuademus, ut loca ſingula, quæ in libris ſanctis legitis, in quâ parte mundi ſint poſita, evidenter agnoſcere debeatis.* Intet alios verò *Julii Oratoris* libellum de Coſmographia, *Marcellini* Conſtantinopolitanam, Hieroſolymitanámque deſcriptionem, & *Ptolomæi* Coſmographiam laudat; alteróque poſt capite: *Illud quoque,* infit, *commonendum eſſe credimus, quoniã tam in ſacris literis, quàm in expoſitoribus doctiſſimis multa per ſchemata, multa per definitiones, multa per artem grammaticam, multa per artem rhetoricam, multa per Dialecticam, multa per diſciplinam Arithmeticam, multa per Muſicam, multa per diſciplinam Geometricam, multa per Aſtronomiam intelligere poſſumus.* Hæc Caſſiodorus.

Quis jam verò ita inſolens eſt, ne dicam, protervus, niſi *Conringius*, ut Monachos Benedictinos ſeculo VI. ne Grammaticæ quidem fundamenta calluiſſe affirmare auſit? Næ *Caſſiodorus*, vir ſapientiſſimus, œſtro percitus fuiſſet, monachos ſuos ad ſuperiorum diſciplinarum ſtudia exhortando, ſi ne infimis quidem Grammatices elementis imbuti fuiſſent. Ut nihil dicam, quòd Vivarienſes inter monachos etiam pueruli extiterint, quos prima literarum rudimenta docere vir ſummæ id ætatis ac doctrinæ, maximíque nominis non dedignatus eſt. *Cui non mirum videatur,* inquit Ger. Jo. Voſſius, (p) *tantum virum, laborem, quem pueris dignum putes., jam anno ætatis XCIII. quemadmodum ipſe* (q) *ait, & ex eo Sigebertus prodidit, ſuſcipere voluiſſe, ut librum ſcriberet de Orthographia? quem ex XII. Grammaticis collegit, atque, ut ipſe loquitur, defloravit.* Pro competto igitur habetur, D. BENEDICTUM in primis curis habuiſſe virtutis, in ſecundis verò doctrinæ ſtudium, maximè cùm regularis, quæ à S. BENEDICTO in monaſteriis inſtituta fuit diſciplina, literarum ac bonarum artium ſtudia (r) neceſſariò comprehendat.

Inſtituit pueros Grammaticæ præceptis.

Ut primùm verò S. Legiſlator teneram juventutem & virtute & literis inſtruendam ſuſcepit, ſuis omnibus alumnis ad bene de eadem merendum quaſi ſignum ſuſtulit. *Ab eo tempore, à quo cœpêre ad eum Romanæ Urbis Nobiles concurrere, & ſuos ei filios erudiendos tradere,* inquit eximius & nulli partium ſtudio adſtrictus ſcientiarum arbiter, *Antonius Dandinus Alteſerra* U. J. Profeſſor, & Univerſitatis Toloſanæ Decanus, *in monaſteriis Benedictini Ordinis ſcholæ paſſim inſtitutæ, in quibus nobiles & ingenui pueri erudiebantur.* Magiſtrum nempe preſſo pede diſcipuli ſecuti fuerunt. Sic S. MAURUS in Galliis conſtructo ſibi ac ſociis aſceterio propè Glanofolium multos nobilium Francorum filios & virtute & doctrinâ inſtituit. Præprimis verò *Bertulphum*, Fundatoris filium (s) *puerum octo circiter annorum nutriendum & inſtituendum doctrinâ ſuſcepit,* quem ſubinde annis & virtutibus provectiorem toti Congregationi Abbatem præfecit. Operam nempe S. MAURUS dedit, ut quas dotes *D. Benedictus* in conſtituendo Abbate requiſivit, iis *Bertulphus* condecoraretur. Voluit verò S. Legiſlator, *ut Abbas vitæ merito, & ſapientiæ doctrina* eligeretur. In Hiſpania S. LEANDER à puero in quodam cœnobio educatus in virum doctiſſimum evaſit.

S. Maurus exemplo S. P. B. pueros in Gallia inſtituit.

In Italia M. CASSIODORUS (t) ex ætarii, palatii, ac prætorii Præfecto monachus, ac S. Benedicti diſcipulus in Vivarienſi monaſterio non ipſe modò ad literarum ſtudia incubuit, ſed monachos etiam ſuos literas docuit. Cùm deinde non neſciret, DIONYSIUM EXIGUUM viris doctis palmam jam dudum præripuiſſe, ad ſe illexit; quo capto, ſimul ſubierunt docendi onus. Atque non *Dionyſium* duntaxat, ſed alios complures id temporis doctrinâ floruiſſe teſtatur *Caſſiodorus* his verbis: *Generat hodiéque Eccleſia Catholica viros illuſtres probabilium dogmatum decore fulgentes...* Quibus non immeritò accenſentur duo Caſſinenſes (u) SEBASTIANUS & SIMPLICIUS. Ille monachus & diſcipulus S. Benedicti *vitam* ſcripſit *S. Hieronymi* Eccleſiæ Doctoris, ut ex manuſcriptis Bibliothecæ Caſſinenſis codicibus ſignatis num. 147. & 148. conſtat, quæ etiam reperitur in MSs.tis Sublacenſibus & Reaten-

Caſſiodorus cum Dionyſio Exiguo idem agit in Italia.

Docti duo Monachi Caſſinenſes.

(p) De Hiſtor. Latin. l. 2. c. 19. p. 238.
(q) Præfat. l. de Orthograph.
(r) Legendus Mabillonius Tract. de Stud. Mon. Part. 1. c. 7.
(s) Fauſt. in vit. apud Mabill. Sec. 1. Act. Ord. S. B.
(t) Vide Garetium in Diſſertatione de Caſſiodori profeſſione monaſtica illius operibus præmiſſâ.
(u) Gattola Hiſt. Caſ. Sec. 1. P. iv. pag. 12. col. 2.

tenſibus. Hic *carmina* quædam *de Regulæ Benedictinæ laudibus*, *atque promulgatione* compoſuit, quæ idonei referunt authores. (x) His addi poſſent, *B. Columba* gente Hibernus, *Martinus* Dumienſis, *Gildas ſapiens* Bannachorenſis, *Evantius* Viennenſis in Gallia, *B. Columbanus* Luxovienſis, & alii.

In monaſterio S. Gregorii M. literis operam navant Monachi.

Veritati tamen huic (y) nil magis ſuffragatur, atque D. GREGORII MAGNI exemplum. Hic enim in Romano S. Andreæ Monaſterio, non verò cùm eſſet Romanæ Præfecturæ negotiis irretitus, aliíſque ſeculi curis diſtractus, admirabili illo ſcientiarum lumine colluſtratus fuit, quo ſubinde univerſæ illuxit Eccleſiæ, tótque inſignes efformavit alumnos, *Claudium* nempe Abbatem, *Maximianum* Syracuſanum, *Marianum* Ravennatem Antiſtites, AUGUSTINUM Angliæ Apoſtolum, unà cum ſociis, & alios complures. Quâ enim ratione *Gregorius* tot verbi divini præcones in Britanniam mittendos ſuo extrahere è monaſterio potuiſſet, niſi in eo literarum ſtudia viguiſſent? nam & remanere debebant aliqui in commune monaſterii commodum, ipſiúſque Eccleſiæ Catholicæ obſequium, cui potiſſimùm illis temporibus inſerviebant monachi.

Heumannum immeritò D. Gregorium velut ignorantiæ monachalis patronum incuſat.

Eat nunc *Chriſtophorus Heumannus*, recens, nec indoctus, aut ineruditus, ſed heterodoxus, ac Religioſo nomini infenſus autor, ſecúmque animo reputet, quâ fronte ac veritate (z) in propudioſa hæc eruperit verba: *Poſtea verò quàm ſexto ſeculo* GREGORIUS M. *præcipuum & Papatûs & barbariei monachalis fulcrum eſſe cœpit, ejúſque exemplo monachi nuntium miſerant omnibus literis, tunc omnia non ire, ſed ruere in pejus, & retrò ſublapſa referri. Uti igitur illo ſeculo in Eccleſia exortam eſſe legimus* AGNOETARUM *hæreſin, ſic & in literaria Republica Agnoëtarum* (hoc eſt *ignorantium*) *plena facta ſunt omnia, fœdáque iſta hæreſis propemodùm usque ad confinia Lutheranæ Reformationis regnavit.* Quæſo te *Heumanne!* quem tu vocas *præcipuum & papatûs & barbariei monachalis fulcrum*? Unquámne tu legiſti, quæ *Paulus Diaconus*, quæ *Joannes Diaconus*, graviſſimi Scriptores, de GREGORII mirâ in promovendis literarum & optimarum artium ſtudiis ſollicitudine memoriæ prodiderunt? Non legiſti; nam ſi legiſſes, convitia non *Gregorio* tantùm, ſed tuâ etiam ingenuitate planè indigna in chartam conjicere erubuiſſes. Audi ergo verba *Joannis Diaconi* in Magni hujus Pontificis vitâ, (a) cui magnam ſemper authoritatem Eccleſiæ approbatio conciliavit. *Tunc*, inquit, *rerum ſapientia Romæ ſibi templum viſibiliter quodammodo fabricabat, & ſeptemplicibus artibus, veluti columnis nobiliſſimorum totidem lapidum, Apoſtolicæ Sedis atrium fulciebat. Nullus Pontifici famulantium à minimo usque ad maximum, barbarum quodlibet in ſermone, vel habitu præferebat: ſed togata, Quiritum more, ſeu trabeata Latinitas ſuum Latium in ipſo Latiali palatio ſingulariter obtinebat. Refloruerant ibi diverſarum artium ſtudia: & qui vel ſanctimoniâ vel prudentiâ fortè carebat, ſuo ipſius judicio, ſubſiſtendi coram Pontifice ficudiam non habebat.* Quid ad hæc *Heumanne*? vel fidem *Joanni Diacono* te abrogare, (quod quâ ratione viros apud eruditos valeas, haud diſpicio) vel te in *Gregorium* admodùm injurioſum extitiſſe fatearis oportet. Sed mittamus *Heumanni* convitia, quibus plus de ſua, quàm aliorum detraxit exiſtimatione: qui enim omnes contemnit, ſeipſũ in majorem quàm alios adducit contemptionem; neque verba, ſed ſolus ipſi opponendus eſt contemptus.

SECULUM ECCLESIÆ VII. ÆRÆ BENEDICTINÆ II.

Conſpectus Seculi II. Benedictini, quod eſt ab anno 600. ad 700.

CElebris *Mabillonius*, quem preſſo pede hîc ſequimur, ſeculi Æræ Benedictinæ *ſecundi* ſtatum nobis ob oculos poſiturus, illud *verè aureum* vel ex eo nuncupat, quòd paullò jucundior tunc apparuerit rerum facies, & piorum Monachorum turba longè numeroſior; qui præjacta gratiæ, virtutum & doctrinæ ſemina, quæ in ſeipſo divinitùs recondita habuit *Vir omnium juſtorum ſpiritu plenus* Patriarcha *noſter* BENEDICTUS, calamitoſis etiam temporibus eruperunt in flores, ac demùm orbi chriſtiano fructus

(x) Cavus Hiſt. lit. pag. 343.
(y) Mabill. loc. cit. c. 16. p. mihi 82.
(x) Conſpect. Reip. lit. cap 4. §. 25. p. 59. in hoc Autore non unquam vel doctrinam vel eruditionem, ſed aliquando plus modeſtiæ deſideravi.
(a) Lib. 2. n. 13. pag. mihi 43.

ctus uberrimos protulerunt. Poſtquàm enim *Gregorius Magnus* S. Benedicti vitam & Regulam voce ac calamo celebravit, poſtquàm *Bonifacius Papa IV.* eandem Regulam in Synodo Romanâ commendavit; eam ambabus (*quod ajunt*) ulnis excepêre Monachi, ſive qui ab anterioribus Patribus inſtitutiones ſuas hauſerant, ſive qui nova monaſteria conſtruere volebant. *Et quod fieri aſſolet in principio cujuslibet diſciplinæ, Benedictinis aſſeclis piâ æmulatione flagrantibus, tot & tanta Sacri Ordinis lumina mundo illuxerunt, ut non alia unquam ætas piorum Monachorum fecundior fuerit, nunquam felicius viderit ſeculum Benedictina Religio.* (b) Quod quidem magno Dei præpotentis beneficio accidiſſe credimus, ut cùm, *ſcientiâ & doctrinâ deficientibus*, invaleſceret ignorantia, Eccleſia errorum & hæreſeon procellis afflicta turbaretur; præſto adeſſet morum ſanctitas, quæ fide & zelo armata periclitanti Eccleſiæ opem ferret. *Neque enim homines ſolùm ſapientes & doctos* ſalem terræ & lucem mundi *prædicavit Veritas Chriſtus*; ſed etiam *ſanctos Viros, qui & corruptis moribus ſalem integritatis, & occæcatis mentibus juſtitiæ lumen opponunt.*

Hæreſes profligatæ. Infame tum erat in Oriente *Mahumedis* pſeudoprophetæ nomen. *Agreſtinus* novo ſubinde ſchiſmate univerſam tentabat Eccleſiam in partes & factiones diſtrahere; Occidentis Eccleſias turbabat *Monothelitarum* hæreſis; Gallia paganos, Britannia permiſtos habebat idololatras; Scottos ſeu Hibernos à Romanis ritibus de Paſchate & tonſurâ diſſentientes patiebatur; Germania majori ex parte in gentiliſmo deliteſcebat; ſuum quoque virus ſpargebant *Acephalitæ*, *Photiani*, *Græci*, *Helvidiani &c.* Cum his igitur hydris luctandum fuit. *Agreſtini* impios conatus ſicut & ſucreſcentes unà *Photini* ac *Bononii* hæreſes frangunt evellúntque Monachi Luxovienſes, quorum in acie primipili erant *B. Agilus* Abbas, & *Euſtaſius* Monachus pluribus victoriis illuſtres. Pretium iis addidit & admirationem ex ſequiori etiam ſexu armata Pallas *S. Burgundofera* Evoriacenſis Abbatiſſa, quæ auſu ſanè generoſo, & virili prorsùs animo *Agreſtino* à fronte ſeſe oppoſuit, ejúſque erroribus palam convictis, non ſine effuſiſſimo Antagoniſtæ rubore, illuſtrem imbelli ceterà ſexui palmam cedere coëgit. Monothelitarum hæreſim protrivêre è noſtris *S. Agatho* & *Sergius I.* Pontifices Maximi, in diverſis, quas convocârunt, Synodis. Mediolanum *S. Columbanus* Arianiſmo penitùs repurgavit. Gallia per *Audomarum* & *Amandum*; Britannia per *Auguſtinum*, *Wilfridum*, *Anthelmum*, *Cuthbertum* & *Adamannum* alióſque viros ſanctiſſimos reſipuit. Gentem Pictavorum hæreſum varietate turbatã Romanæ Eccleſiæ novo fœdere conciliavit *Ceolfridus*. In Hiſpania *S. Iſidorus* contra Acephalitas ſtrenuè decertavit. Germania Kiliano, *Winfrido*, *Ruperto* & aliis ductoribus Evangelii lucem reſpicere cœpit, *Bonifacium* ſequenti ſeculo habitura Apoſtolum.

Monaſticum ſtatum, quod attinet, illum *Columbanus* in Galliis mirificè extulit; *Euſtaſius* quoque, *Agilus*, *Amandus*, *Audomarus*, *Remaclus*, *Wandregiſilus*, *Filibertus* &c. eundem in Belgio pari ſucceſſu propagârunt. *Auguſtinus*, *Wilfridus*, *Cuthbertus*, *Benedictus Biſcopius* & alii Britanniam; *Fructuoſus* & *Hildefonſus* Hiſpaniam ſanctorum Monachorum agminibus implevêre. Rei monaſticæ propagatio. Auctus etiam eſt hoc ſeculo cœnobiorum in Germania numerus. Inter hæc cenſetur *Diſibodibergenſe* in Sponheimenſi Comitatu ad confluentes Glani & Navæ fluviorum, quod originem noménque ſuum debet *S. Diſibodo* Hiberniæ Epiſcopo ad annum circiter 650... Celebre aliud in *Epternaco*, cujus fundationis documenta ad an. 698. referuntur. *Caſeguidinenſe* in Ducatu Luxemburgico à Rege *Sigeberto III.* circa anno 644. fundatum. *S. Deodati* in monte Vogaſo. *S. Mariæ ad Martyres* infra urbem Trevirenſem ad Moſellæ ripam. *Mediolacenſe*, quod *Ludwinus* Trevir. Archiepiſcopus ad Saræ fluenta erexit, & impenſè dotavit: ubi & ipſe monaſticæ vitæ habitum ſuſcepit; quódque deinde Trevirenſium Pontificum quoddam veluti ſeminarium fuit. *Theolegienſe* in finibus diœceſis Trevirenſis & Lotharingiæ haud procul ab oppido S. Wendalini ſitum, ſic dictum à *Wendalino* Scotto, quem primum *Theolegii* Abbatem nonnulli exiſtimant. Hujus porro monaſterii nominis originem, quam aut ignorant, aut negligunt moderni omnes, nobis ſervavit Auctor Anonymus vitæ S. Pauli

Epi-

(b) Mabillon. in Præf. ad Sec. II. Bened. n. 1.

Epiſcopi Virdnnenſis apud Mabilloniū in Actis SS. Ord. S. B. Tom. II. p. 259. ubi; *In eâdem*, inquit, *eremo erat monaſterium, quod usque hodie miſerante Deo conſervatur, monaſticæ religionis inſigne* Tabuleium *antiquitùs nominatum; ſic interpretatum, eò quod ſectis in modum tabularum lapidibus fuerit priùs ædificatum, quod moderni* Theolegium *dicunt, meliùs interpretantes, quòd de Deo frequentiùs inibi à cohabitantibus verſetur indiſputabilis ſermo...*

Literarū ſtatus in Europa.

Rem literariam hoc ſeculo maximè illuſtrârunt, *Eligius* & *Cæſarius* in *Gallia*; *Eutropius*, *Iſidorus*, & *Hildephonſus* in Hiſpania; in Luſitania *Joannes* Gerundenſis Epiſcopus; in Scotiâ *Adamannus Huenſis* Abbas; in Anglia *Theodorus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, *Adrianus*, *Benedictus Biſcopius*, *Ceolfridus*, *Hucbbertus*, *Cuthbertus*, *Berchwaldus*, *Tobias* &c. Quibus jure ſuo accenſeri debent *Anthelmus* Meldinenſis, *Audoënus* Rasbacenſis, *Jonas* Bobienſis, aliique aliis in locis. Scholas quoque in plerisque monaſteriis eo tempore fundatis inſtitutas eſſe, quales ſanè ferebat ætas illa, dubitare non licet: id enim genus inſtituti naturali quâdam lege cum monaſtico connexum erat, maximéque conducibile videbatur, ut gentes efferæ ex manſuetiorum conſortio Muſarum tantisper miteſcerent, geniúmque induerent tractabiliorem. Hoc argumentum ex inſtituto fuſiùs in ſequentibus proſequemur; nunc per provincias eundo de literarum cultu in Italia agendum nobis eſt.

Studiorū inclinatio in Italia.

Et quidem ab obitu SS. Patriarchæ BENEDICTI cùm Caſinenſe Archiſterium à Longobardis ſus deque verſum jaceret, cæteráque Ordinis noſtri cœnobia aſſiduo hoſtilium armorum ſtrepitu concuſſa eſſent, Muſis, quæ pace ac quiete gaudent, ſolum vertere vix non viſum eſt. Quò factum, ut ſtudia literarum in Italia hoc ſeculo paſſim inclinari cœperint. Nec id diſſimulavit *S. Agatho* noſter, Pontifex Romanus, qui (c) in epiſtolâ tam ſuo, quàm Patrum Synodi Romanæ miſſa nomine ad *Conſtantinū* Imperatorem, & *Heraclium* ac *Tyberium* Auguſtos, *non æſtimamus*, inquit, *quemquam temporibus noſtris reperiri poſſe, qui de ſummitate ſcientiæ glorietur: quandoquidem in noſtris regionibus diverſarum gentium cotidie æſtuat furor, nunc confligendo, nunc diſcurrendo, nunc rapiendo. Unde tota vita noſtra ſollicitudinibus plena eſt, quos gentium manus circumdat: & quidem labore corporis victus eſt, eo quòd priſtina Eccleſiarum ſubſtantia paullatim per diverſas calamitates deficiendo ſuccubuit. Et ſola eſt noſtra ſubſtantia fides noſtra, cum quâ nobis vivere ſumma eſt gloria.* Aurea ſanè, exclamat *Mabillonius* (d) ferrei ſeculi verba; Ex illâ verò ſtudiorum inclinatione natum eſt & aliud malum, negligentia ſcilicet, & incuria librorum: adeò ut TAIUS Cæſar-Auguſtanus Epiſcopus, qui poſtremam partem Moralium *Gregorii Magni* apud Hiſpanos fruſtra perquiſierat, Romam eâ de causâ *Chindaswindi* Regis juſſu profectus, eam non aliter, quàm divinâ revelatione recuperare potuerit. Cujus rei extat monumentum in Append. ad Concil. Tolet. VII. & apud *Baronium* ad annum 649.

Literarū ſtudia florent in Angliæ monaſteriis.

Mitiùs tamen ac meliùs cum Muſis Benedictinis actum eſt in Anglia (e) Cùm enim Monachi ſub finem ſeculi ſuperioris à *M. Gregorio* in eam inſulam miſſi, monaſteria ibidem conſtruxiſſent, ea continuò non pietati minùs, atque literis patuerunt. Quæ inter facilè princeps erat Cantuarienſe S. Petri, in quo *Theodorus* Archiepiſcopus, & *Adrianus* Abbas, à Vitaliano Papa in Angliam miſſi, literas docuernnt. Græcâ & Latinâ linguâ uterq; pollebat, quin & omni prorſus eruditionis ſacræ ſupellectile. Inſtar ergo duorum amnium ab illis in Anglicanas Eccleſias ſacrarum maximè, ſed & liberalium diſciplinarum fluenta permanârunt. *Et quia*, inquit V. Beda l. 4. c. 12. *literis ſimul Eccleſiaſticis & ſecularibus, ut diximus, abundanter ambo erant inſtructi, congregatâ diſcipulorum catervâ, ſcientiæ ſalutaris quotidie flumina in rigandis eorum cordibus emanabant: ita ut etiam Metricæ artis, Aſtronomiæ, & Arithmeticæ Eccleſiaſticæ diſciplinam, inter ſacrorum apicum volumina ſuis auditoribus contraderent. Indicio eſt, quod usque hodie ſuperſunt de eorum diſcipulis, qui Latinam Græcámque Linguam æquè ut propriam, in qua nati ſunt, nôrunt.*
„ Hæc omnia, inquit *Ludovicus Thomaſinus*, (f) approbabit *Beda*, ex-

(c) Apud Mabill. Præfat. ad Sec. II. Act. O. S. B. §. 5. Obſerv. 17.
(d) Loc. cit.
(e) Legi meretur hâc de re Abbas Fleury Hiſt. Eccleſ. Diſcurſu III. num. 21.
(f) Lib. 1. n. 2. pag. 288.

„ emplis meliuſculè ſuis, quàm verbis. Æterna enim omnium harum „ diſciplinarum monumenta ille ad „ nos transmiſit, etſi jam inde à pueto in monaſteriis enutritus fuiſſet, „ Wirmnthæ nimirum & Gerwici, „ ubi rerum omnium ſcientiam aſſecutus eſt.

Eorum promotor S. Benedictus Biſcopus.

Utrumque hoc monaſterium celeberrimi nominis Abbas, *Benedictus*, cognomento *Biſcopus*, propè finem ſeculi VII. condidit, atque ut erat literarum apprimè ſtudioſus, Bibliothecam locupletiſſimam (g) in Girwenſi monaſterio comparatis hinc inde ex Italia exemplaribus cùm Latinis tum Græcis poſuit, *Theodoro* & *Adriano* tam ſanctum opus promoventibus.

Ceolfridus,

CEOLFRIDUS monachus non minoris literaturæ quàm virtutis, Benedicto ad Superos translato, cui vicarius erat, Abbas Cœnobii S. Pauli in Girovico factus eſt, ubi plurima excellentis induſtriæ monimenta partim docendo & ſcribendo, partim etiam ædificando oſtendens, non vulgarem apud ſuos gratiam inibat. Accedit huc, quòd, poſt Benedictum, *Bedam* adoleſcentem informaverit, non modò bonæ vitæ præceptis, ſed & eruditione quoque ſingulari. His modis cœpit ubique clareſcere, nec mediocri in pretio eſſe vel apud ipſos Britanniæ tegulos. Poſt *Ceolfridi* Romam diſceſſum anno 703. utriusque monaſterii Wiremuthenſis & Girwenſis Abbas

Huctbertus,

electus fuit HUCTBERTUS, qui à pueto inter monachos in ſumma regularis vitæ diſtrictione vixerat, Romam quoque pontificatu SERGII Papæ profectus, & non parvo ibidem demoratus ſpatio, multa illic deſcripta (h) retulerat. Erátque ipſe non modò doctarum artium cultor egregius, verùm etiam eruditorum omnium fautor, & quidem præcipuus. Extat ejus epiſtola ad Gregorium II. Pontificem Romanum, qui *Ceolfridi* Abbatis, ut hodie vocant, liberè reſignati, peregrè autem Romam proficiſcentis & venerandam canitiem & virtntes raras vel commendatiſſimas fecit. Sub hoc Ab-

Venerab. Beda,

bate Venerabilis BEDA celeberrimas tenuit ſcholas, eíque ceu publico in Anglia Profeſſori non proprii modò Monaſterii fratres, ſed ſeculares etiam Clerici Eboracenſis Eccleſiæ operam dabant. Et monachi quidem per varias Galliæ & Germaniæ provincias magno literarum ptoventu diſpertiti fuerunt.

Cuthbertus.

Bedæ inter alios plurimos diſcipulos fuit CUTHBERTUS monachus Girwicenſis cœnobii, ſed qui præceptorem ita in oculis ferebat, ut quæ ille jam ſenex doloribus & ægritudine tantùm non oppreſſus dictaret, currenti calamo impiger exciperet. Neque huic defuit unquam officio, quamdiu dictare *Beda* potuit; potuit autem ad extremam ferè vitæ horam. Poſteà autem, mortuo præceptore, & per im̃ortales libros æternitati conſecrato, cœpit & ipſe magna cum laude nec minori fructu docere, quo ſactum eſt, ut à monachis Girwicenſibus ſimul & Wirenſibus ſummè coleretur. Recens namque adhuc erat memoria, & ſama Bedæ altiùs omnium animis inhærebat: ſed tanti viri utcunque levabat deſiderium *Cuthberti* inſignis in promovendis bonis literis diligentia. *Illis enim temporibus*, verba ſunt Joannis Lelandi, (i) *doctæ artes unicum erant monachorum ſolatium*; nec aliud fuit religioſorum cœnobium, quàm apium hinc inde laborantium alvearium; usque adeò, nt tum meritò Virgilianum hoc carmen de illis dici potuiſſet:

Fervet opus, redoléntque thymo fragrantia mella.

Cæterùm Cuthbertus *Huctberto* Abbati in regimine monaſterii Girwenſis ſucceſſit, ſtudiáque literarum non ita ſepoſuit, ut non quotidie earum tractationi aliquid tribueret. In epiſtola ad *Cuthvinum*, quâ Venerabilis Bedæ magiſtri ſui obitum deſcribit, *dilectiſſimum in Chriſto collectorem* vocat, fortè, quæ non inanis Mabillonii; conjectura eſt, quòd ambo *Lectores* & magiſtri aliorum eſſent. Hi igitur aliíque literati monachi & Abbates, maximè Venerabilis *Beda* Girwenſi monaſterio celeberrimi literarum Gymnaſii nomen pepererunt, de quo pluribus agunt Scriptores Hiſtoriæ Anglicanæ, præprimis Guilielmus Malmesburienſis Pontif. Angl. lib. 1. pag. 154. n. 30. ubi, *Apud Wiremuth*, inquit, *Monaſterium Bedæ, & multorum literatorum virorum nobile Gymnaſium.*

Theodorus & Adrianus Angliæ præceptores.

Ut verò ad *Theodorum* & *Adrianum*, Angliæ præceptotes, tevertatur oratio, *ad hos*, inquit Lelandus, (k) *tanquam ad bonarum literarum fontes ipſos Saxonum turba ingenuorum confluebat ingenti juxtà ac ar-*

denti

(g) Leland. de Script. Angl. c. 181. & 182. p. 110. & 111.
(h) Mabill. Annal. Ben. tom. 2. ad an. 716. p. 46.
(i) Leand. l. c. cap. 90.
(k) Leand. c. 62.

Eorum illuſtres diſcipuli, Berchwaldus,

denti ſtudio diſcendi. Atque ut è quàm plurimis Benedictinis in medium quosdam proferamus; BERCHWALDUS monachus Glaſtonienſis in Cantuarienſe monaſterium commigrans, ſub diſcipſina utriusque illius præceptoris eo ſucceſſu eximiæ literarum cognitioni inſudavit, ut teſte Ven. Beda, (l) non vir modò *ſcientia Scripturarum imbutus* evaſerit, ſed ab obitu etiam *Theodori* in Archiepiſcopum Cantuarienſem electus fuerit.

Tobias,

TOBIAS monachus Cantuarienſis in monaſterio educatus iisdem præceptoribus uſus eſt: quorum virtutes tam feliciter æmulatus eſt, ut nullum prorsùs diligentiæ locum reliquerit. Unde tantus poſteà evaſit, ſive eruditas artes, ſive linguarum elegantiam ſpectes, quantum illa ſecula & meritò quidem obſervabant, ſuſpiciebant, venerabantur. *Fieri hîc poteſt*, utor verbis Lelandi, (m) *ut aliquis me putet eloquentiorem quàm veriorem laudatorem;* cui ſi quis talis erit, habeo hoc honorificum teſtimonium ex octavo capitulo quinti libri Hiſtoriæ Bedæ, quod apponam: TOBIAM *pro illo conſecravit, virum Latinâ, Græca, & Saxonica lingua atque eruditione multiplici inſtructum.* Jam ut meum de *Tobia* ſit vanum præconium, nemo, certò ſcio, tam temerè ſtultus erit, ut non quam primùm Bedæ, auctoris minimè mendacis, ſuffragium admittat. *Oſtophorus* relicto ſuo monaſterio, quod erat Streaneshalenſe, *Theodorum* Cantiorum Archiepiſcopum, ut Græcæ linguæ acciperet cognitionem, adivit; poſteà etiam Romam profectus eſt, ut ſtudiis ſuis colophonem adderet; quæ omnia cùm ex animi ſententia perfeciſſet, in patriam non inglorius rediit, nec ita multò pòſt Epiſcopus Vigornienſis conſecratus fuit.

Abſtergitur ignorantiæ nota, quam Conringius Seculo VII. inuſſit.

Quis igitur ab *Hermanno* CONRINGIO non iterùm diſſentiat? Is enim, ut ſeculum hoc omnis literaturæ expers demonſtret, (n) *præter minutos aliquot ſcriptores*, inquit, *neque Philoſophum, neque JCtum, neque Medicum, aut denique vel Poëtam, vel Oratorem, qui alicujus ſit famæ, integro hoc* (ſeptimo) *ſeculo reperire licet.* At enim *Conringio*, ſi oculos advertere velit, in Divum Aldhelmum, cui Barthius encomium *Scriptoris maximi ingenii* attribuit, digitum intendamus. Erat is Saxonum oriundus proſapiâ, familiâ haud dubiè nobiliſſimâ. Præceptores habuit *Maidulphum* Scotum & *Adrianum* Abbatem Cantuarienſem; ab illo Latinas, ab hoc literas didicit Græcas. Bis verò Cantiæ ſtuduit; primùm nondum monachus; quo tempore cùm adverſa conflictaretur valetudine, domum ad ſuos reverſus eſt; tum vitam Benedictinam in Malmesburienſi amplexus monaſterio, *iterùm Cantiæ ſtuduit ad pedes Adriani, qui eſſet fons literarum, rivus artium, donec valetudine cogente repedaret domum.* Cujus rei fidem ipſe facit in epiſtola ad eundem Adrianum. „ Fateor, mi „ chariſſime, quem gratia puræ dile„ ctionis amplector, poſtquàm à ſo„ ciali contubernio veſtro ante trien„ nium circiter diſcedens à Cantia „ ſequeſtrabar, quod noſtra parvitas „ hactenus ad conſortium veſtrum ar„ denti deſiderio flagrabat; quod & „ jam dudum cogitarem, quemadmo„ dùm in votis eſt, adimplens perfi„ cere, ſi rerum ratio ac temporum „ viciſſitudo pateretur, & niſi me di„ verſa impedimentorum obſtacula „ retardarent, præſertímque corporeæ „ fragilitatis valetudine medullitùs ta„ bentia membra coquente non ſine„ rer; quâ quondam, dum poſt pri„ ma elementa iterùm apud vos eſſem, „ domum redire coactus ſum.„ Scientiarum verò diſciplinæ, quibus ab *Adriano* Abbate inſtitutus fuit, eæ ſunt Grammatica, Rhetorica, Dialectica, quas *Trivium* veteres appellare ſolebant; tum Arithmetica, Geometria, Aſtrologia, Muſica, quas *Quadrivium* vocabant.

Trivium & Quadrivium.

Præprimis verò ad ſacræ paginæ ſtudium, & ſanctorum Patrum lectionem incubuit, quæ illius temporis Theologia erat. Nec Jurisprudentiam Romanam, quod oppidò mireris, negligendam duxit. Cujus rei non alium teſtem, quàm ipſum *Aldhelmum* laudabo.

S. Aldhelmi epiſtola de ſuo literarum ſtudio.

Sic enim in epiſtola ad Heddam, anteceſſorem ſuum, laborem exequitur, ac proprium commendat exercitium. „Fateor, Beatiſſime Præ„ ſul, me dudum decreviſſe, ſi tem„ porum volitans viciſſitudo patere„ tur, vicinam optati Natalis Domini „ ſolennitatem ibidem in conſortio „ fratrum tripudians celebrare, & „ poſtmodùm vitâ comite veſtræ cha„ ritatis præſentiâ frui. Sed quia di„ verſis impedimentorum obſtaculis „ tardati, quemadmodùm lator præ„ ſentium viva voce promulgabit, il„ lud perficere nequivimus, idcircò

„dif-

(l) Eccl. Hiſt. lib. 5. c. 9.
(m) Cap. 63. pag. 91.
(n) De Script. Sec. XVI. hoc VII. Sec.

„ difficultati veniam precor impen-
„ dite. Neque enim parva tempo-
„ rum intervalla in hoc lectionis ſtu-
„ dio protelanda ſunt ei duntaxat,
„ qui ſagacitate legendi ſuccenſus,
„ *Legum Romanarum jura medullitùs*
„ *rimabitur, & cuncta Juriſconſulto-*
„ *rum decreta imis præcordiis ſcrutabi-*
„ *tur*, &(quod his multò arctius &
„ perplexius eſt) centena ſcilicet me-
„ trorum genera pedeſtri regula diſ-
„ cernere, & muſicæ cantilenæ modu-
„ lamina recto ſyllabarum tramite lu-
„ ſtrare. Cujus rei ſtudioſis lectoribus
„ tanto inextricabilior obſcuritas præ-
„ tenditur, quanto rarior doctorum
„ numeroſitas reperitur. Sed de his
„ prolixo ambitu verborum diſputa-
„ re epiſtolaris anguſtia minimè ſinit;
„ quomodo videlicet ipſius metricæ
„ artis clandeſtina inſtrumenta literis,
„ ſyllabis, pedibus, poëticis figuris,
„ verſibus, tonis, temporibus con-
„ glomerantur. Poëtica quoque ſep-
„ tenæ diviſionis diſciplina, hoc eſt,
„ Acephalos, Procilos cum cæteris,
„ qualiter varietur, qui verſus mono-
„ ſtemi, qui pentaſtemi, qui decaſte-
„ mi certa pedum menſurâ terminen-
„ tur, & quâ ratione catalectici, vel
„ brachiacatalectici, ſeu ipercatale-
„ ctici verſus ſagaci argumentatione
„ colligantur. Hæc, ut reor, & his
„ ſimilia brevi temporis intercapedi-
„ ne apprehendi nequaquam poſſunt.
„ De ratione verò calculationis quid
„ commemorandum; cùm tantæ ſup-
„ putationis imminens deſperatio col-
„ la mentis oppreſſerit, ut omnem
„ præteritum lectionis laborem par-
„ vipenderem; cujus me pridem ſe-
„ creta cubilia nôſſe credideram, &
„ ut ſententia beati Hieronymi, dum
„ ſe occaſio obtulit, utar: *Qui mihi*
„ *priùs videbar ſciolus, rursùs cœpi eſſe*
„ *diſcipulus*. Sic quod tandem ſuper-
„ nâ gratiâ fretus difficillima rerum
„ argumenta & calculi ſuppoſitiones,
„ quas partes numeri appellant, le-
„ ctionis inſtantia reperi. Porrò de
„ Zodiaco & XII. Signorum, quæ ver-
„ tigine cœli volvuntur, ratione ideò
„ tacendum arbitror; ne ars opaca
„ & profunda, quæ longa explanan-
„ darum rerum ratione indiget, ſi vili
„ interpretationis ſerie propalata fue-
„ rit, infametur & vileſcat; præſer-
„ tim cùm aſtrologiæ artis peritia, &
„ perplexa horoſcopi computatio
„ elucubrata Doctoris indagatione
„ egeat. Hæc idcircò cariſſime Pater
„ curſim pedetentim perſtrinximus,
„ non garrulo verboſitatis ſtrepitu il-
„ lecti, ſed ut ſcias, tanta rerum ar-
„ cana ex amuſſim non poſſe intelligi,
„ niſi frequens & prolixa meditatio
„ fuerit adhibita. Salutate in Chriſto
„ omnem ſodalium meorum catervam
„ à minimo usque ad maximum, quos
„ obſecro & adjuro per clementiam
„ Chriſti, ut pro me peccatorum pon-
„ dere & criminum ſarcina oppreſſo
„ preces Deo fundant.„ Hæc de ſe ipſe Divus *Aldhelmus*, quæ non dubio ſunt argumento, quòd in literarum quà politiorum quà ſeveriorum diſciplinis apprimè fuerit verſatus. Unde *Joannes* (o) *Balæus* inſignem ejusdem doctrinam atque eruditionem his verbis non immeritò commendans: *Aldhelmus Durotellus*, inquit, *ſeu Balduinus Kenredi filius, & Inæ Viſi-Saxonum vel Occidentalium Anglorum, Regis ex patre nepos, in Italia & Gallia liberalibus ſtudiis non minimam intendit operam.* In Maildunenſi enim cele-
„ bri cœnobio (Malmesburiam op-
„ pidum nunc vocant) poſt *Maidul-*
„ *phum* Scotum multæ eruditionis vi-
„ rum, gymnaſiarches, monachus,
„ ſacerdos, & abbas effectus, adeò
„ literis humanis & divinis incumbe-
„ bat, ut omnes ſui temporis Theo-
„ logos longè ſuperârit. Erat quidem
„ tam carmine quàm proſâ Latinè &
„ Græcè doctiſſimus, ingenio & ſer-
„ mone nitidus: atque in edendis
„ poematibus Cœlio Sedulio vati, *ut*
„ *teſtes ſunt Boſtius & Beda*, per om-
„ nia ſimillimus.„ Hæc aliáque plura cùm in laudem *Aldhelmi* Balæus dixiſſet, operum ejus catalogum ſubjicit. Sunt verò ſeptem ſupra viginti libri, non unius, ſed varii argumenti, nempe Theologici, Aſcetici, Philoſophici, Mathematici, Poëtici &c. Quibus Balæi verbis eò major adhibenda eſt fides, quò is Apoſtata, *impotentis linguæ, & calami plerumque ſcriptor*, ut eum *Montacutius* vocat, minùs Anglis Benedictinis palpum obtrudere fuit aſſuetus, ut quorum paucos, affixâ ſine fibula, abire eſt paſſus.

commendatur à doctrinæ præſtantia.

Quantus verò ad *Aldhelmum* concurſus fuerit, cùm ob vitæ morúmque ſanctimoniam, tum ob ſcientiam doctrinarum, non facile creditu *Lelando* videtur; quarum gratia ad illius ſcholam confluxêre multi non modò ex Hibernia & Scotia, verùm etiam ex ipſa Gallia. ARTIVILLUS cujusdam Reguli Scotiæ filius literarum ſtudioſiſſimus

Frequentes habet diſcipulos.

(o) de Script. maj. Brit. pag. 7. col. 1.

ſiſſimus ſua ſcripta *Aldhelmo* examinanda miſit, ut his Guilielmus Malmesburienſis verbis narrat. „ *Hic quidquid literariæ artis elaborabat, quod non adeò exile erat, Aldhelmi committebat arbitrio, ut perfecti ingenii limâ ſcabredo eradicaretur Scotica.* Hæc & ſimilia effecerunt, ut vel *Sergius* ipſe Pontifex Romanus illum accerſeret, & venientem ad ſe ſummo cum honore & humanitate acciperet, ac abeuntem munificentiâ quâdam dimitteret. Deinde in Angliam reverſus Schireburnenſis Epiſcopus creatus, eo ſe honore quà virtutum quà literarum meritis digniſſimum præbuit. Venerabili *Bedæ* viſus eſt *vir undequaque doctiſſimus. Nam & ſermone nitidus & ſcripturarum tam eccleſiaſticarum, quàm ſecularium erat eruditione mirandus.* Potéſtne, inquit Malmesburienſis, quicquam hac laude ſublimius dici ?

Rei Literariæ ſtatus in Gallia.

Sed ex Anglia in Galliam trajiciamus, ubi, ut quidam ex *Fredegarii* Scholaſtici verbis conjiciunt, res literaria non meliori loco erat, atque in Italia. *Mundus ſeneſcit*, inquit Fredegarius in Prologo Chronici ſui, *idcóque prudentiæ acumen in nobis tepeſcit: nec quisquam poteſt hujus temporis, nec præſumit Oratoribus eſſe ſimilis.* Propiùs tamen fidem eſt, quòd hoc ſeculo viguerint in præcipuis, ſi non in omnibus Galliæ monaſteriis ſcientiæ. Ex vita *S.Agili*, qui hoc ſeculum condecoravit, non modò perſpicuum fit, ubi literis eruditus fuerit, ſed quod ipſe etiam liberales poſteà diſciplinas docuerit. Sic enim de eo author vitæ : (p) *Puer* AGILUS *committitur* EUSTASIO *probatæ religionis viro, ſacris literis erudiendus, cum aliis nobilium virorum filiis, qui poſteà eccleſiarum præſules extiterunt, Agnoaldo* ſcilicet & *Walberto Hagnarici* patrui ejus [*Agili*] filiis, qui in monaſterio, quod ſoror eorum *Fara* in paterno ſolo inter Albam & Muram [fluvios] in loco, qui *Eboracus* dicitur, ædificavit, conſtruendi & docendi regulares Magiſtri claruerunt, quorum alter Lauduno Clavato, alter verò Meldenſis eſt Epiſcopus ordinatus ; *Acbario*, qui Viromandorum & Noviomenſis ac Nomacenſis Antiſtes fuit; *Raynacbario*, qui Auguſtodunenſis Eccleſiæ pontifex egregius emicuit ; *Audemaro*, qui Boloniæ & Haranoenſis oppidi paſtor laudabilis effloruit. Denique ſicut præmemoratum *Agilum* cariùs his omnibus commendatum ſuſceperat ; ita in eo præ cunctis doctrinæ ac religionis acumen reſplenduit: nam liberalibus diſciplinis enucleatiùs imbutus multos facundiâ ſuâ erudivit ; plurimos catbolicæ fidei puritate illuſtravit ; nonnullos etiam luculentiſſimis documentis , poſtpoſitâ altitudinis pompâ, ſub profeſſione ſacræ religionis idoneos reddidit. Floruit *S. Agilus* circa an. Dom. 660. In Longoretico (q) *Francardus* ejusdem loci poſteà Abbas erat *nutritor, & doctor filiorum Nobilium.* In Pictavienſi S. Hilarii *Aicardus*, (r) poſteà Abbas Gemmeticenſis, *Ansfrido* monacho, ſapientiâ famoſiſſimo, puer ad erudiendum traditus. In Solemniacenſi (s) ſuſceptum *B. Tillonem* ELIGIUS ſancto *Remaclo* Solemniacenſis monaſterii ſui Abbati tradidit nutriendum, atque literis imbuendum- - - qui ſic tam ſecularibus, quàm divinis inſtitutionibus - - - ſuis ſemper aſpectibus adſtare præcepit. In Stabulenſi (t) liberos ſuos liberalibus immò monaſticis inſtruendos diſciplinis tradebant ſeculares viri. In Gommeticenſi (u) erat conſuetudo *S.Filiberti*, de monaſterio circumquaque ad exhortandas animas fratres transmittere. Denique (x) *SS. Botulphus* & *Adulphus* in Gallia monachi non ſolùm doceri, ſed ex gratia Dei inter perfectiores poteſtatem adepti ſunt docendi. Præprimis tamen literarum ſtudia caput in Luxovienſi monaſterio extollere cœperunt, poſtquàm illud *S. Columbanus*, natione Hibernus, in humanis diviníſque literis apprimè verſatus, ſeculo jam antecedente, condiderat. Quàm multi enim, quámque vitæ ſanctimonia & doctrina conſpicui Præſules ex hoc Lycæo prodierint, alio loco dicturi ſumus. Hîc notâſſe ſufficiat, quòd tunc mos obtinuerit, ut monachi ex cæteris aliquot Galliæ monaſteriis Luxovium ſtudiorum causâ mitterentur.

Nobilium filii in ſcholis monaſticis inſtituuntur.

S.Columbani Geſta.

Poſtquàm verò COLUMBANUS à Rege *Theoderico*, cujus ipſe impuros amores arguebat, Luxovio exactus eſſet,

(p) apud Acher. in not. & obſerv. ad vit. B. Lanfranci pag. 35. col. 2.
(q) Ex viſione Baronti n. 11. & Gall. Chr. tom. 2. p 431.
(r) ex ejus vita cap. 1.
(s) ex vita S. Tillonis num. 4.
(t) ex vita S. Hadelini.
(u) ex vita S. Filiberti num. 20.
(x) ex vit. S. Botulphi. Vide Edm. Martene in Comment. in Reg. S. B.

ſet, ad lacum Brigantinum annis 611. 12. 13. conſedit. Sanctæ Aureliæ templum hîc inanium Deorum cultu profanatum, poſt ſimulacra ejecta, ſolemni ritu expiavit. Cellâ exinde [inclyto hodie Monaſterio, cui nomen *Major Augia Brigantina*] prope idem templum conſtructâ, cum ſuis Comilitonibus, *SS. Gallo, Magno, Theodoro, Attala, Euſtaſio, Chagnoaldo, Sigeberto, Baboleno*, aliiſque pluribus diſcipulis, è quibus duo martyrio affecti in loco (ubi hodie Capitulum eſt) requieſcunt, triennio ferè commoratus, Ethnicorum ſuperſtitiones per ea loca ſuſtulit. Inde à Gentilibus exulare coactus, relicto *S. Gallo*, qui florentiſſimum Germaniæ Athenæum à ſuo nomine nuncupatum, excitavit, in Italiam profectus eſt, extructóque Bobienſi monaſterio, inclyta Muſarum ſede, Arianos coram & ſcriptis acerrimè confutavit.

S. Ruperti moniti Duces Bojoariæ ſcholas in Monaſteriis Benedictinis excitant.

Alias ſcholas hôc certè, ſi non jam priori ſeculo, ut multi volunt, in Germania excitavit S. RUPERTUS Noricorum Apoſtolus. Poſtquàm enim Bojoariam fidei lumine colluſtrâſſet, ne unquam populus Eccleſiæ noviter aggregatus, idoneis paſtoribus foret deſtitutus, Juvavii, hodie Salisburgi, (y) *publicam ſcholam erigere, ac ipſe tanquam veteranus Doctor ſcientias altiores tradere cœpit.* Non tantùm Mſta Bibliothecæ San-Petrenſis, ſed & Authores, ut *Velſerus*, & alii meminerunt, *Urſi*, & *Ledi*, qui ſuos filios ut puerulos tradiderunt ad ſcholam S. RUPERTO, quorum etiam nomina (z) inveniuntur in Mſ.to, ſcilicet *Berinbarius* & *Dulciſſimus*, qui tamen ſeculares permanſerunt, ac poſteà cum *S. Ruperto* litem quandam inceperunt de quibusdam bonis, quæ eorundem parentes donaverunt ad monaſterium S. Maximiliani in Pongeu. Divi etiam *Ruperti* hortatu factum, ut Bojoariæ Duces paſſim per ditionem ſcholas in monaſteriis Benedictinis excitarent, in quibus verbi divini præcones efformarentur. Diſcimus ex Diplomate (a) *Thaſſilonis* Ducis Bajoariæ ultimi, quô monaſterium Cremifanenſe, vulgò *Chrembsmünſter*, abs ſe conditum munificè dotavit: *Nam bonæ memoriæ*, inquit, *anteceſſores mei, in quantum potuerunt, res ſuas devoverunt, eccleſias Dei conſtruxerunt, eáſque ſuis opibus ditârunt. Monaſteria quoque ſtudiorum conſtruxêre, & non modicas ad ea pecunias tradidêre.*

Scholæ Trevirenſes.

De Scholis Trevirenſibus illios ætatis iſtud ex actis *S. Germani* Abbatis Grandivallenſis in Diœceſi Baſileenſi à *Boboleno* auctore coævo deſcriptis compertum tenemus, *S. Germanum eâ liberalium artium eruditione è Trevirenſi ſchola prodiiſſe inſtructum, quæ omnium deinde admirationem ipſi conciliavit*, uti obſervat Mabillonius in Actis Sanctorum O. S. B. Tom. II. pag. 511. num. 1. & 2. Ita verò ſcribit Bobolenus: *Cùm eſſet S. Germanus infantulus, traditus eſt B. Modoaldo, qui & ipſe illis diebus Trevirorum Urbis cathedram arce ſanctitatis tenebat; qui cùm audiiſſet, eum elegantem & ſagacis ingenii cerneret puerum, literis liberalibus eum erudire cœpit.* Præter hæc & quæ ſuprà attigimus de fundatis in ea Diœceſi monaſteriis totidem magnorum virorum illius ævi ſeminariis, nihil memorabile in Germania de ſcholis nobis occurrit.

Agalienſis in Hiſpania cœnobii propter literarum ſtudia celebritas.

In Hiſpania hoc ævo magna fuit *Agalienſis* Monaſterii propter doctrinarum ſtudia celebritas, ut quod complures tum pietate cùm eruditione conſpicuos Toletanæ Eccleſiæ ſubminiſtravit Archiepiſcopos, quorum præcipui *Helladius*, *Juſtus*, *Ildephonſus*. Hunc poſtremum verò monaſticis rudimentis informatum *Eugenius* Toletanus Antiſtes (*primus an ſecundus?*) ad ſe accerſivit, primiſque literis à ſe imbutum ad *S. Iſidorum* Hiſpalenſem majoris eruditionis gratiâ direxit; *Ex quo*, inquit Mabillonius, (b) *intelligimus, jam tum in more poſitum fuiſſe, ut monachi aliquando è monaſteriis ad diſcendas artes & literas ad celebriores Magiſtros ablegarentur.*

SECULUM ÆRÆ VULGARIS VIII. BENEDICTINÆ III.

Rei Literariæ ſtatus ab anno 700. ad 800.

NOn minùs alternantium rerum varietate, quàm memorandis factis inſigne extitit ſeculum Eccleſiæ octavum, Benedictinæ Familiæ tertium. Europa ſiquidem, cujus ferè limitibus Hiſtoria noſtra continetur, penè tota motibus quaſſa inſolitis, novos Dominos, novámque regiminis formam ſubiit. In eo autem rerum turbine, quàm afflicta fuerit publica res literaria,

(y) Jo. Gualb. Belga in Chron. Chronic. & ex eo Mezgeri in Hiſt. Salisburg. lib. 1. c. 23.
(z) Author anonymus in Deſcriptione Eremitorii S. Maximi ad S. Petrum Salisburgi. pag. 35.
(a) Id Notis Meibomius illuſtravit Opp. Tom. 3. pag. 192.
(b) In Annalibus Tom. 1. libr. 23. num. 37. pag. 195.

ria, ſacilè datur intelligi, ídque paſſim nos docent illius temporis qualiacunque monumenta, maximè hiſtorica, *quæ*, Mabillonio teſte, (c) *veluti quibusdam pannoſæ imperitiæ centonibus à ſeſe divulſis conſtant.* Ex hoc tamen ſordidorum numero Scriptorum excipiendi ſunt viri pro illa ætate ſummi, *Anthelmus*, *Venerabilis Beda*, *Heddius*, *Egbertus* Cantuarienſis, *Paulus Warnefridi*, *Ambroſius Autpertus*, ſeu *Ansbertus*, *Alcuinus*, *Anaſtaſius* Abbas, *S. Bonifacius* Germanorum Apoſtolus, & ſiqui alii inferiùs memorandi, vera Ordinis noſtri & Eccleſiæ lumina intra idem ſeculum Doctrinâ & Virtute conſpicua.

Vindicantur Patres ab impacta ignorantiæ nota.

Num verò rigidiori illi cenſuræ, quâ recentiores quidam Critici Patribus & Epiſcopis illius ævi *ſtupendæ & miſerabilis ignorantiæ, præſertim ſacrorum Canonum*, notam inurunt, omnimodè ſit deſerendum, meritò ambigimus, poſtquàm Emin. Cardinalis *de Aguirre* in ſuis ad Collect. Max. Conciliorum Hiſp. Diſſertationibus prævüs eos ab hac labe egregiè vindicavit: *Etenim*, inquit, *an imperitus* Gregorius II. *Papa cognomento* junior *ad A. 731. ſuperſtes*, quem Latini omnes eximiis laudibus celebrant, ob inſignem doctrinam & ſanctitatem, ita quidem, ut *Spondani* judicio, *ſi ejus ſcripta extarent*, *rêsque ab eo geſtæ intelligentiùs exaratæ eſſent*, Gregorio M. *haud minorem exiſtimares*. . . Idipſum ferè dicendum de aliis Pontificibus Romanis intra idem ſeculum conſpicuis, quales ſpeciatim fuêre *Gregorius III. Zacharias*, *Stephanus III. Paulus I. Hadrianus I.* qui omnes continuatâ ſerie tam ab antiquis quàm à recentibus Hiſtoricis plurimùm laudantur propter ſanctitatem & doctrinam, ut proinde nemo eorum ſine atroci injuria dici poſſit laboráſſe eâ pingui ſacrorum Canonum ignorantiâ, quam ipſis affricant imberbes Critici.

Ceterùm tametſi initia ejus ſeculi paullò obſcuriora fuerint, attamen circa finem *Carolo M.* imperante Muſis honos reſtitui cœpit, rediítque avita celebritas, ſubinde bellorum tumultibus perturbata, ac dein Nortmannorum tempeſtate rursùs infeliciter violata. Libet pro inſtituti noſtri tenore hanc telam explicatiùs pertexere.

Hoc certè ſeculo nullum doctiſſimorum virorum in Anglia feracius fuiſſe plura commonſtrant exempla. In ea floruit *Adrianus* Cantuarienſis ad S. Petrum monaſterii Abbas, *communis Angliæ Magiſtri* mactatus elogio. Ei ſucceſſit *Albinus* ſeu *Alcuinus* magiſtro non impar diſcipulus in ſcientia Ss. Scripturarum ſic ab eodem inſtitutus, ut Græcam quidem linguam non mediocriter, Latinam verò non minùs, quàm maternam calleret. Is eſt *Albinus* Abbas (d) reverendiſſimus, vir per omnia doctiſſimus, quem Hiſtoriæ ſuæ componendæ non modò autorem, & adhortatorem, ſed etiam adjutorem laudat *Venerabilis Beda* in præſatione ad *Ceolwfum* Regem, *utpote qui diligenter omnia, quæ in Cantuariorum provincia, aliíſque finitimis, à diſcipulis Beati Gregorii Papæ geſta fuerant, vel monumentis literarum, vel ſeniorum traditione accepta, quæcunque memoriâ digna videbantur, per* NOTHELMUM *religioſum Eccleſiæ Londinenſis presbyterum transmiſit.* Abſolvit verò *Venerabilis Beda* Hiſtoriam ſuam anno hujus ſeculi triceſimo primo, vitam autem quà docendo, quà ſcribendo ad triceſimom quintum produxit. Utrique igitur ſeculo ſeptimo & octavo ſummæ gloriæ fuit & ornamento.

Anglia Doctorū ferax.

Non eſt autem, qoòd ex hoc poſteriori ſeculo, inquit *Chriſtophorus Heumannus*, (e) huc adſcribamus S. BONIFACIUM. Quid ita verò? *Non enim*, reſpondet, *eruditio*, *ſed religio nobilem fecit*. Quid? quòd neque à religionis ſtudio, ſi cum *Caſpare Sagittario* (f) ſentire velimus, commendari meretur. Quem *non ſanctum*, ſed *magnum* fuiſſe *peccatorem*, *multóſque adeò Chriſtianos factos non tam convertiſſe, quàm pervertiſſe* ſcribit. Ex quo unico convitio cætera conjici poſſunt, quæ toto horreo in præcipuum Germaniæ Apoſtolum ſpargit. Ac ſi verò majus eſſet piaculum, Deo-Homini, Virgineæque ejus Parenti cultum adhibere, quàm Jovi, Marti, ac Veneri, turpiſſimis idolis, flexo poplite thus adolere? Quanta hæc dementia, ne dicam, impietas? At enim nolo impia hominis effata confutare; ſufficiat dixiſſe, quòd *Heumannus*, licèt BONIFACIUM fuiſſe eruditum inficias eat, eum tamen laude, qua in provehenda Chriſtiana

S. Bonifacio Germaniæ Apoſtolo laus doctrinæ immeritò adimitur.

(c) Mabillon. Præf. ad Sec. III. Bened.
(d) Beda l. 5. c. 21. apud Mabill. Annal. Ben. tom. 2. pag. 57.
(e) Conſp. Reip. Liter. c. 4. §. 26. in not. d. p. 91.
(f) Antiquit. Gentiliſmi & Chriſtian. Thuringici lib. 2.

ſtiana religione excelluit, non defraudet. Videamus tamen, an. D. Archipræſul nullum in Republica literaria occupare locum mereatur.

E ſuo in aliud migrat monaſteriū.

Cùm in eo monaſterio, in quod primo ætatis in flore venerat, literarum ac doctrinæ minus perſpiceret, quàm ipſe diſcendi cupidiſſimus adoleſcens optabat, ſibi à Superioribus fieri poteſtatem petiit, ad aliud, ubi eruditionis copia & occaſio major, commigrandi. Annuentibus illis, ad Abbatem *Wigbertum*, ſeu *Wimbertum*, qui eo tempore ſanctimonia doctrinaque inſigni pollebat, ſeſe contulit. Sub hujus magiſterio in grammaticis, poeticis, theologicis tantos fecit progreſſus, quantos Anglia tum admirata eſt, & nos hodie in effectis, & pauculis, quæ ſuperſunt, literariis ejus monumentis, de quibus aliàs, ſuſpicimus. *Bonifacius*, *Winfridus patriâ dictus linguâ*, inquit Guilielmus Cave, author acatholicus, in Hiſtoria Literaria, *tredecim annorum juvenis in Monaſterio Nuiſcellenſi Wimberti ſive Wigberti Abbatis diſciplinæ ſe commiſit, à quo politiori literaturâ inſtitutus inter primores ævi ſui eruditos locum tenuit.* Hoc porrò ſtudiorum curriculo confecto, ad literas in eodem Nüiſcellenſi monaſterio docendas promotus eſt, quibúſque doctrinis ipſe imbutus erat, aliis pleno epiſtomio propinare cœpit. Cùm inde in Germaniam transmigrâſſet, omnes lacertos movit, nedum in orthodoxâ fide propagandâ, verùm & in ſcientiarum Academiis conſtituendis; neque enim ignorabat, quantum id Germaniæ ad Chriſtiana ſacra converſæ intereſſet. Unde curas eò dirigens, in *Fritislarienſi* primùm Aſceterio, poſtea in *Fuldenſi*, tum Trajecti ad Rhenum, aliiſque in locis publicas aperuit ſcholas. *Utiloni* etiam, Duci Bavariæ, ſcribit *Henricus Meibomius junior*, (g) authorem fuiſſe, ut paſſim per ditionem monaſteria excitaret, *tanquam ſcholas, unde verbi divini præcones accerſerentur.* Atque ne id genus exercitii eo mortuo inſuper haberetur, ſcripſit epiſtolam ad *Fulradum* (h) magnæ tunc in Regno Francorum autoritatis in hæc verba: *Deprecor Celſitudinem Regis noſtri pro nomine Chriſti, Filii Dei, ut mihi nunc viventi indicare & mandare dignetur circa diſcipulos meos, qualem mercedem poſtea de illis facere voluerit. Sunt enim penè omnes peregrini, quidam Presbyteri, per multa loca ad miniſterium Eccleſiæ & populorum conſtituti: quidam ſunt monachi per cellulas noſtras, & infantes ad legentes literas ordinati ſunt: & aliqui ſeniores, qui longo tempore mecum viventes laboraverunt, & me adjuvabant. De his omnibus ſollicitus ſum, ut poſt obitum meum non diſperdantur.* Hinc mortuo *Wigberto* Fritislarienſis Monaſterii Abbate præcipit, ut *Wigbertus Presbyter & Megindodus Diaconus Regulam inſinuent, & prædicent verbum Dei Fratribus.* Floruêre deinde ſtudia literarum in cœnobiis, quantum æruginoſa illa ferebant tempora, ut non magis eſſent aſceteria *virtutis*, quàm *ſcientiarum*.

Conringius D. Bonifacium in erigendis monaſteriis nullam literarum geſſiſſe curam ſcribens

Equidem me non præterit, quòd quæ *Conringius* (i) de D. BONIFACIO literis conſignavit, cùm hiſce non modò non cohæreant, ſed planè ſint pugnantia. Sic enim ſcribit: „ In novis porrò conſtituendis per „ Germaniam cœnobiis, *Bonifacium* „ non ſpectâſſe propagationem do- „ ctrinæ ſive ſacræ, ſive alterius cu- „ jùsque, vel ex verbis Rudolphi, qui- „ bus capite x. hiſtoriæ vitæ S. Liobæ „ apud Surium ad diem xxiix. Se- „ ptembris uſus ille eſt, liquidò ap- „ paret: *Videns vir beatiſſimus Bonifacius, Eccleſiam Dei creſcere, & certantibus ſtudiis ad vota perfectionis accendi, duplicem viam ad profectum religionis inſtituens, monaſteria conſtruere cœpit: ut ad fidem catholicam populi non tam eccleſiaſtica gratia, quàm monachorum & virginum congregationibus raperentur.* Immo verò nova „ à Bonifacio condita monaſteria ſi- „ cut ad normam Benedictinam, ita „ ad ſtudia literarum propaganda pla- „ nè inidonea fuerunt compoſita. „ Hæc Medicus ille Helmſtadienſis, qui *Gabrieli Naudæo*, Medico Pariſienſi, ut placeret, Benedictinam Familiam lædendi nullam occaſionem prætermiſit; uti *Maximilianus Raſslerus* (k) & *Joannes Mabillonius* (l) non injuriâ ipſi exprobrârunt. Quæ verò hîc in medium protulit, doctiſſimo ejus ſcholiaſti, *Gœbelio*, non duriùs modò & acerbiùs, ſed parùm è vero ſcripta viſa fuerunt. *Etenim*, inquit, *cum*

ipſe

(g) In Notis ad Diploma Thaſſilonis l. c.
(h) Mabill. præfat. in Sec. 3. Act. Sanct. O. S. B. §. 4. n. 38. p. 24.
(i) In Supplem. Diſſert. de Antiq. Acad. n. 32. pag. 509.
(k) Defenſ. Diplom. Lindav. c. 1. n. 8.
(l) Lib. de Re Diplom.

revincitur à Gœbelio ſuo ſcholiaſte.

ipſe Bonifacius bonis litteris, cùm primis ſacris, operam navavit, varióſque libros conſcripſit, quorum cathalogum pri„mus Trithemius, & ex eo Lezne„rus protulit, pleniorem dedit Wi„onius & Serrarius, ex iíſque Sagit„tarius, inter quos liber ejus de ſa„crâ fide, doctrinâ, & religione (aliàs „*de unitate fidei dictus*) à Pontifice „Gregorio approbatus, & in exem„plum ac imitationem Clericis com„mendatus fuit; cùm præterea in ne„gotio converſionis gentilium, iíſ„que rectiùs informandis Bonifacius „operâ non modò piorum, ſed & ali„quâ ratione ſaltem doctorum viro„rum ſtudio uteretur, quidni & „ipſe in monaſteriis cum pietate quo„que ſcientiarum cultum ſpectave„rit, & ſaltem aliquos ex monachis „ſuis bonis literis imbutos eſſe vo„luerit, non video, multò minùs in„telligo, quî contrarium ex Rudol„phi verbis probari poſſit.„ Atque hæc *Gœbelii* verba non *Conringius* modò pro reſponſione ſibi habeat, ſed *Heumannus* etiam dicta ſibi putet, qui *Bonifacium* quidem viros inter religione, non autem doctrinâ eximios numerandum cenſuit. Quæro à vobis *Conringi* atque *Heumanne!* quæ gens aut natio erat magis analphabeta, atque Germaniæ populi, priùs Chriſtianis ſacris quàm erant à D. *Bonifacio* imbuti? ut primùm verò is laborantibus corticem ſubjecit, ingenuarum artium ac ſcientiarum gymnaſia in monaſteriis paſſim inſtituendo, tum verò è profundo barbariſmorum enatare cœperunt. A literis enim, exculti, expoliti, & quaſi recocti ſunt. Nec ſibi poſtea defuerunt, ſed omne eruditionis ſpatium ſunt emenſi.

In Hiſpaniæ monaſteriis miſera literarum conditio Sec. VIII.

Sed videamus, quô locô in Hiſpaniarum ac Galliarum regnis Muſæ hoc ævo habitæ fuerint. Sanè non optimo. Et quidem ut de Hiſpaniis primùm loquamur, eas Saraceni ex Africâ à *Juliano* Comite evocati, non modò invaſerunt, ſed, occiſo Rege *Ruderico*, etiam occupârunt. Tum verò exciſa monaſteria, ſacri libri flammis conſumpti, & in eccleſiis, in quibus Dei Filius, Deúſque ipſe antea colebatur, Muhammedis infandum nomen audiri cœptum: quô inter tubarum lituorúmque clangorem perſonante, nullus jam honor Muſis, nullus literis cultus haberi cœpit, Nec unum duntaxat, ſed complura ſecula barbaries hæc tenuit. „ Hiſpania „inquit *Paulus Jovius*, (m) per mille „ampliùs annos, Vandalicis, Puni„cíſque armis occupantibus, Latina„rum literarum ſplendore caruit, alio„qui non obſcurâ telluris cœlíque „temperie maximorum ingeniorum „ferax, ſi Lucani, Senecarum, Silii, „Martialíſque memoria recolatur, ut „hîc Averroëm in Arabica lingua ſa„pientiæ lumine clariſſimum omitta„mus. Hiſpaniæ enim proceres, to„táque nobilitas perverſam opinio„nem de literis induerant; ſic, ut ea„rum ſtudia, quum pro libertate ad„versùs externas gentes dimicarent, „publica conſpiratione damnarentur, „quaſi aliena, importunáque virtuti „bellicæ, quâ una ſalus & libertas „omnium certiore laude pararetur.„ Unde *Joſephus Pereſius* noſter in epiſtola (n) ad Mabillonium non immeritò etiam in hæc verba conqueſtus eſt:

Joſephi Pereſii hac de re teſtimonium.

Nec feliciora ſanè, quod ad rem literariam ſpectat, tempora ſunt conſecuta. Nam & gladius barbaricus diu noſtris cervicibus imminuit, & militares noſtrorum animi mirum quantum ab omni manſuetiori diſciplinâ abhorrebant. Quæ labes tam altas in Hiſpanorum animis radices egit, ut vix in duorum ſeculorum altâ pace, Saracenicorúmque armorum diutino inſtitio, hoc emunctiſſimo iſthoc ſeculo veternum excuſſerit. Quæ verba *Pereſii*, doctiſſimi Linguarum in Salmanticenſi Univerſitate Profeſſoris, ideò referre viſum eſt, ut, cùm per aliquot ſecula deinceps pauca admodùm de re literaria noſtrorum in Hiſpania ſimus in medium allaturi, æquus lector dignoſcat, in quem culpa potiſſimùm conferenda ſit.

Ignorantia cum Barbaris è Hiſpania in Galliam ſe effundit.

Ex Hiſpaniis Saraceni in Gallias effuſi multas, eáſque nobiliſſimas provincias repetitis cladibus attriverunt. Præprimis verò ab immaniſſimis fidei orthodoxæ hoſtibus pleraque Ordinis noſtri monaſteria incenſa, ſolóque æquata, monachi paſſim cæſi, ſacra loca in ſolitudinem redacta. Cùm bello igitur cuncta ferverent, incolarum animi à Muſis planè averti cœperunt. Quò factum, ut craſſa ignorantia non ſeculares modò, ſed regulares etiam occupaverit; quæ tanta fuit, ut monachi multis in monaſteriis vix prima Latinæ linguæ ſcirent elementa. De *Gervoldo* Fontanellæ Ab-

(m) In Elog. Illuſt. Vir. c. 64.
(n) Extat Annal. O. S. B. tom. 2. lib. 19. n. 71. pag. 35.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

bate id memoriæ (o) proditum eſt, eum ſcholam in eodem cœnobio inſtituiſſe, quoniam omnes penè monachos literarum ignaros invenit. Eorum literæ cùm verborum erroribus ſcaterent, *Carolo Magno* non immeritò diſplicuerunt. Nec id in epiſtolâ ad Fuldenſem Abbatem data de Galliæ monachis diſſimulandum putavit. Decrementa verò ſtudiorum regularem diſciplinam in perniciem traxerunt. Unde de inſtauratione agitari cœptum. Laudem hanc occupavit S. BENEDICTUS Abbas Ananiæ, qui librorum inſigni multitudine comparatâ, magiſtros conſtituens, optimarum artium ſtudia in monaſteriis inſtauravit; *docuit lectores, habuit Grammaticos & ſcientiæ ſcripturarum peritos.* Eo agente congregatum anno 817. Aquiſgrani Concilium ſtatuit; ut *docti* Fratres eligantur, qui cum ſupervenientibus monachis loquantur, & ut ſcholæ in monaſterio habeantur eorum, qui ſunt oblati. Et in conſuetudinibus, quas in monaſteriis à ſe inſtitutis recipi curavit, præcipit, *ut tempore lectionis Prior jubeat alicui doctiori minùs doctis fratribus, vel doctrinâ indigentibus lectionem tradere.* Nec monachis tantùm informandis dabat operam, ſed etiam clericis, quos in ſuo cœnobio ſuſceptos alebat, ſimiliter erudiendos inſtituendóſque tum per ſe, tum per magiſtros, quos monachis pariter & clericis præficiebat. Nec res caruit felici ſucceſſû. Brevi enim factum, ut cùm monachi virtute ac doctrinâ præſtarent, complures eorum ad ſedes epiſcopales veherentur.

hanc è monaſteriis expellit S. Benedictus Anianenſis.

Idem faciunt Smaragdus & Alcuinus.

Multum etiam momenti, ut ſtudia in Gallia refloreſcerent, duo alii præſtantes viri contulerunt. Primus erat SMARAGDUS, Abbas monaſterii S. Michaëlis ad Moſam in pago Virdunenſi, qui tametſi eximius eſſet Theologus, ingentíque exiſtimatione & gratia apud *Carolum M.* Auguſtum illum Imperatorem floreret, non dedignatus tamen eſt, ſcholas in monaſterio ſuo tenere, in Grammatica inſtruere, ac Commentarium in Donatum elucubrare in gratiam diſcipulorum, quos habuit frequentes. Alter eſt ALCUINUS, Eboracenſis monaſterii Diaconus, qui cùm ex Anglia in Galliam adveniſſet, à Carolo M. ſummis regni imperiíque negotiis adhibitus, deſignatis plurimis per monaſteria aliáque loca ſcholis, doctrinæ in Germania atque Gallia jure optimo ſummus promotor habetur. Certè CAROLUM hortatus eſt, ut *Athenæ novæ perficerentur in Francia*, ſuíſque & dictis & ſcriptis Francorum animos ad literarum ſtudia excitavit. Ejus igitur inſtinctu ac operâ *Carolus Magnus* non Pariſiis modò, ſed Ticini quoque ſeu Papiæ publica ſtudia inſtituit. *Karolus Magnus*, inquit Henricus Pantaleo, (p) *Alcuini conſilio uſus duo celeberrima Gymnaſia literarum inſtituit, alterum in Occidentali Francia Pariſiis, alterum Papiæ in Italia, quæ liberaliter dotavit, atque viris doctiſſimis ornavit.* Hos inter duo erant Monachi Benedictini. Alter *Clementis* nomen ferebat, Alterum Polydorus Virgilius *Joannem* vocat, nobis eſt *Anonymus.* Commodùm hi cum mercatoribus Pariſios delati, ſe venalem habere ſcientiam per dies aliquàmmultos in foro proclamaverant. Rei hujus CAROLUS certior factus, utrumque ad ſe accitum magnâ benignitate excepit. Et *Clementem* quidem Pariſiis converſari & Nobiles adoleſcentes liberalibus diſciplinis inſtituere juſſit. (q) Socium verò ipſius Papiam ſeu Ticinum miſit, ut ſubliniores eo loci diſciplinas profiteretur. Rei totius ſeriem *Monachus San-Gallenſis* primus memoriæ prodidit, quem audiiſſe neminem pœniteat. Sic verò initio Hiſtoriæ ſuæ ſcribit ad *Carolum Craſſum* Imperatorem, *Ludovici* Regis Germaniæ filium, Ludovici Pii nepotem, ac *Karoli Magni* pronepotem:

Claudius Clemens & ejus ſocius.

Omnipotens Regum Diſpoſitor, Ordinatórque Regnorum, & temporum, cùm illius admirandæ ſtatuæ pedes ferreos, vel teſtaceos comminuiſſet in Romanis; alterius non minus admirabilis ſtatuæ caput aureum per illuſtrem Karolum erexit in Francis. Qui cùm in Occidui Mundi partibus ſolus regnare cœpiſſet, & ſtudia literarum propemodùm eſſent in oblivione, contigit duos Scotos de Hibernia cùm mercatoribus Britannis ad littus Galliæ devenire, viros & in ſecularibus, & in ſacris Scripturis incomparabiliter eruditos. Qui quotidie cùm nihil oſtenderent venale, ad convenientes emendi gratia turbas clamare ſolebant: Si quis ſapientiæ cupidus eſt, veniat ad nos, & accipiat eam, nam venalis eſt, apud

nos

(o) Acher. Spicil. vet. edit. tom. 3. p. 185. nov. tom. 2. p. 278

(p) De Vir. Illuſt. Germaniæ part. 2. in Carolo M.

(q) Vid. Mabillon. Præf. I. in Sec. IV. Bened. n. 197.

nos; *Quam tamen idcircò ſe venalem habere profeſſi ſunt, quia populum non gratuita, ſed venalia mercari viderunt; ut ſic vel ſapientiæ ſicut cæteris rebus coëmendis eos incitarent, vel ſicut ſequentia probant, per tale præconium in admirationem verterent, & ſtuporem. Denique tamdiu conclamata ſunt iſta, donec ab admirantibus, vel inſanos illos putantibus ad Karoli Regis ſemper amatoris & cupidiſſimi ſapientiæ perlata fuiſſent. Qui ſub omni celeritate ad ſuam eos præſentiam evocatos interrogavit, ſi verè, ut ipſa fama comperit, ſapientiam ſecum haberent. Qui dixerunt: & habemus eam, & in nomine Domini dignè quærentibus dare parati ſumus. Qui cùm inquiſiſſet ab illis, quid pro ipſa peterent, reſponderunt: loca tantùm opportuna, & animas ingenioſas, &, ſine quibus iſta peregrinatio tranſigi non poteſt, alimenta, & quibus tegantur. Quò ille percepto, ingenti gaudio repletus, primùm quidem apud ſe utrumque parvo tempore tenuit; poſtea verò cùm ad expeditiones bellicas urgeretur, unum eorum nomine* CLEMENTEM *in Gallia reſidere præcepit, cui & pueros nobiliſſimos, mediocres, & infimos ſatis multos commendavit, & eis prout neceſſarium habuerunt, victualia miniſtrari præcepit, habitaculis opportunis ad habitandum deputatis. Alterum verò in Italiam direxit, cui & monaſterium ſancti Auguſtini, juxtà Ticinenſem Urbem delegavit, ut, qui illuc ad eum voluiſſent ad diſcendum congregari, potuiſſent.* Hactenus Monachus San-Gallenſis, quem *Goldaſtus* atque alii nonnulli *Notkerum Balbulum* fuiſſe ajunt. Quiscunque fuerit, idoneus habetur Hiſtoricus, cujus authoritate poſterioris ævi Scriptores nitantur, *Helinandus, Vincentius Bellovacenſis, Divus Antoninus, Robertus Gaguinus, Polydorus Virgilius, Jacobus Uſſerius, Antonius Gattus, Joannes Mabillonius, Lud. Ant. Muratorius* & alii complures. Fuit verò S. Auguſtini monaſterium, quò *Clementis ſocius* ad ſcientias altiores profitendas miſſus fuit, inſtituti Benedictini, ſitum extra muros Papienſis ſeu Ticinenſis urbis, ſicque remotum à ſtrepitû populi, & ſub aëre ſaluberrimo, ac propterea dictum *in Cœlo aureo*, conditum verò à *Luithprando* Rege Longobardorum.

Pariſienſis & Ticinenſis Academiæ incunabula.

Multùm igitur Gallia & Italia Ordini Benedictino debent, cui illa Pariſienſis, hæc Ticinenſis Gymnaſii debet incunabula ac primos Profeſſores, ut infrà fuſiùs ediſſeram. Quia verò huc jam devenimus, ut non doctos ſolùm Viros ſed Doctores etiam & Magiſtros in ſcholis docentes hâc ætate protulerit Ordo Benedictinus, juvat quoque hîc referre ea, quæ *Mabillonius* de Eccleſiarum Cathedralium Academiis per noſtros hoc ſeculo in Gallia reſtitutis commemorat in Præſ. ad Seculum III. Bened. §. IV. n. 46. his verbis: *Nec ſolùm in monaſteriis*, inquit, *Majores noſtri literas docebant, ſed etiam non rarò ex illis præceptores Eccleſiarum Epiſcopalium ſcholis præficiebantur.* Extat hac de re *Frodoardi* teſtimonium in Hiſtor. Remenſis libr. IV. cap. IX. ſcribentis, *Fulconem* Præſulem duas ſcholas Remis, *Canonicorum* ſcilicet loci, atque *ruralium clericorum* penè delapſas reſtituiſſe, & evocato *Remigio* Autiſſiodorenſi *Magiſtro liberalium artium*, ſtudiis adoleſcentes clericos exerceri feciſſe, ipſúmque cum eis lectioni & meditationi ſapientiæ operam dediſſe.

Scholæ epiſcopales in monaſteria transferuntur.

Quin & de ſcholis, quæ hactenus ferè agebantur vel ab ipſis Metropolitis & Epiſcopis in eorum curiis, vel alibi per Clericos ſeculares, iſtud paſſim tradunt Scriptores, illas cum literis tunc in monaſteria commeâſſe. Sic *Hundius* in Metropoli part. I. pag. 3. refert, quòd tempore *Virgilii* Salisburgenſium Antiſtitis in Chiemenſeenſi tum Ordinis S. Benedicti Monaſterio prima Bojoariæ Academia anno 767. à quodam *Dobdano* fuerit erecta: *Aperuit Dobdan*, quod benè notandum monet, *ſcholam, & agmina diſcentium quàmplurima habuit.* Sic etiam cœnobium B. Mariæ ad Martyres Treviris *in virtutis ac literarum ſcholam* à S. Willibrordo Pipini Principis nutu & auſpiciis converſum antiquorum obſervatione memorat *Maſenius* Jeſuita, & cum eo *Hontheimius* in Hiſtoria Trevirenſi Diplomatica Tom I. pag. 98. Doctiorem autem hoc ævo non vidit hæc Archidiœceſis, immò vix Gallia Virum *Richbodo* Archiepiſcopo. Diſcipulum hunc noſcimus à Magiſtro & intimo amico *Alcuino*, qui epiſt. LXXXIV. ad eum ſcriptâ, hunc ſibi ereptum dolet: *Ubi eſt*, inquit, *dulciſſimum inter nos colloquium? ubi ſacrarum literarum ſtudium deſiderabile?* Deinde eundem amicè caſtigat, quòd ſe neglecto totus ſit in Virgilio: *Flaccus* (ſic vocabatur Alcuinus) *receſſit, Virgilius acceſſit, & in locum Magiſtri nidificat Maro.* Demùm: *Utinam!*

nam! infit, *Evangelia quatuor, non Æneides duodecim pectus compleant tuu 'i, & te avebat quadriga ad cœleſte pr' um.* De *Richbodo* etiam Mabillonius interpretatur *Alcuini* epiſtolam IV. ad *Davidem* ſeu *Carolum* Regem, à quo poſtulat *Felicis*, imò infelicis Magiſtri exemplar libelli mitti *Richbono & Tamulfo Epiſcopis Doctoribus & Magiſtris, ut ſinguli pro ſe reſpondeant.* Vid. cit. Annal. Bened. Libr. XXIV. num. 67.

Wicterpus Reginoburgenſis Epiſcopus & Abbas literis clarus.

Hîc quoque memorandi eſſent plures alii ex Ordine noſtro Viri Apoſtolici, Doctores & Magiſtri ſanctitate & doctrinâ hac ætate inclyti, quibus potiſſimùm Germania referre debet in acceptis fidei lumen, Eccleſiarum cathedralium inſtitutionem, literarum cultum morúmque ac ſcientiarum diſciplinam. Verùm ne longiùs à propoſito digrediar, id ſolum de *Wicterpo* Ratisbonenſi ex Abbate S.Martini Epiſcopo, commemoràſſe ſufficiat, quod in additamentis ad Annales Maſciacenſes à *Labbeo* editos legitur, videlicet: *Anno DCCLVI. regnante Pipino Rege obiit* VICTERPUS *Epiſcopus & Abba S. Martini... Fuit autem Baugoarius, genere Heilolvingus, usque ad id tempus ſedebat propriâ manu ſcribens libros.* Putat verò *Cointius* eum fuiſſe duntaxat *Regionarium* Epiſcopum, alii Auguſtanum faciunt, ſed proclivius in animum induxero eum, ut vult *Pagius*, fuiſſe Ratisbunenſem Epiſcopum: ita enim vetus Poëta à *Mabillonio* editus Tom. IV. Analector. pag. 526. teſtatur:

Hic Regineuſis Sedis vocitatur ab urbe,
Quam rexit primò Wicterpus Epiſcopus ille.

De monaſterio *S. Martini*, in quo Abbas extitit, major eſt difficultas. *Pagius* aſſerit in Germania quærendum hujus nominis monaſterium, in quo Abbatis munere præfuerit, ſed diu quæſitum hactenùs non eſt inventum aliud commodius, quàm *S. Martini Coloniæ Ubiorum*, ubi *Pipinus* ſuum tunc habebat palatium, & *Wicterpus* inter Abbates occurrit in veteri catalogo, & necrologio. *Confer. Mabill. præf. ad Sec. III. Bened.*

Caroli encyclica ad Abbates & Epiſcopos Germaniæ.

Quòd *Carolus M.* Pipini filius & regni hæres nihil antiquius habuerit, quam ut incultam Germaniæ gentem depulsâ barbarie manſuetioribus ſtudiis emolliret, in confeſſo eſt apud omnes. Hinc ex Italia anno 787. redux, deductis ſecum plutibus bonarum artium peritis viris, circularem ad *Baugulfum* Fuldenſem, & per hunc ad reliquos Allemanniæ Abbates & Epiſcopos dedit epiſtolam, apud *Sirmondum* & *Baluzium* (r) integrè relatam, quâ ad honeſtarum artium ſcientias ſingulos cohortatus fuit, *ut quicunque eos propter nomen Domini & ſanctæ converſationis nobilitatem ad videndum expetierit, ſicut de aſpectu eorum ædificatur viſus, ita quoque de ſapientia, quam in legendo, ſeu cantando perceperit, inſtructus Omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat.*

S. Simpertus Epiſcopus Auguſtanus ſcholas aperit.

Cùm verò idem Auguſtus Imperator omnibus ſubinde præcepiſſet Epiſcopis in Germania, *ut ſcholas erigerent*, in quibus bonæ literæ, atque inprimis Theologicæ traderentur diſciplinæ, S. SIMPERTUS (s) Epiſcopus Auguſtanus ad D. Virginis primarium templum in Urbe Auguſta ludum aperuiſſe fertur. Ipſe verò ſanctus Præſul cùm necdum ex ephebis exceſſiſſet, aut primam adoleſcentiam ingreſſus eſſet, à nobiliſſimis parentibus Auſtraſiæ Moſellanæ Ducibus, Murbachium miſſus eſt ad ingenium optimis diſciplinis excolendum, eò quòd per eam tempeſtatem nobiliſſimum & ampliſſimum illud Cœnobium (*quod ad montem Vogaſum à* PIRMINIO *ſanctiſſimo Epiſcopo circa A. C. DCCXXIV. inſtitutum eſt.*) & opibus florebat & ſtudiis, aliáque plura præſtabat, &, quod caput eſt, religioſis inſtitutis maximam ſibi per omnem Germaniam auctoritatem conciliârat. In hoc autem monaſterio cùm *Simpertus* in verba Regulæ S.Benedicti juràſſet, in eam paulatim ſanctitatis opinionem venit, ut Abbas Murbacenſis electus fuerit. Cujus monaſterii præfecturam etiam Epiſcopus adminiſtrabat, primam curam de diſciplinæ regularis obſervantiâ, alteram de literarum cultu gerens. * *Mabillonius* Tom. IV. Analector. pag. 323. edit. primæ, encyclicam *Sindberti* ſeu *Simperti* Epiſcopi & Abbatis extulit epiſtolam, cujus initium ita habet: *Reverendiſſimæ Matrifamiliæ ill.* SINBERTUS *dono Dei vocatus Epiſcopus atque Abba de monaſterio* MORBAC *in Domino æternam ſalutem.* In quæ verba digitum intendens, *dubitare*, inquit, *licet, an idem ſit ille Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopus. Etſi enim tempora conveni-*

* Oliverii Nota.

(r) Sirmondus Tom. 2. Concilior. Galliæ pag. 121. Baluzius in Capitular. Reg. Franc. Tom. I. Huc etiam faciunt Concilia Aquisgran. A. 789. & 817.
(s) Carolus Stengelius Rer. Auguſt. Part. 2. cap. 9.

Digitized by Google

venium, in multis tamen cœnobiis tunc erant Abbates, qui & absque titulo Epiſcopi. Verùm hanc difficultatem aliis prolixiùs diſcutiendam relinquimus.

Docti Benedictini in Italia.

Per eadem ferè tempora Italiam duo non virtute magis, quàm doctrinâ celebres Benedictini illuſtrârunt.

S. Ambroſius Autpertus,

Quorum prior erat AMBROSIUS AUTPERTUS S. Vincentii ad Vulturnum fluvium in Benevento Abbas. Hic eſt Ambroſius Autpertus, qui cùm in Regis Pipini aulâ adhuc verſaretur, Carolum Magnum tum temporis adoleſcentem, literas humaniores, teſte *Jo. Baptiſta Maro* (t) aliquamdiu docuit. Promptam loquendi facultatem, cùm eſſet impeditioris linguæ, meritis beatiſſimæ Virginis recepiſſe fertur. Hunc ſanctum, imò & ſanctiſſimum vocat Chronographus ejusdem monaſterii, & ante eum *Paulus Warnefridi* laudat ſcripta *viri eruditiſſimi Autperti Abbatis.*

Paulus Diaconus.

Alter, modò citatus PAULUS WARNEFRIDI, nobilis Longobardus, à Ratchiſo Rege Longobardorum, in cujus aula educatus fuerat, literarum ſtudiis admotus eſt. Quibus poſtquàm non leviter tinctus eſſet, à *Deſiderio*, Ratchiſi ſucceſſore, magnam iniit gratiam, qui eum arcanorum conſiliorum participem fecit. Sed *Deſiderio*, captâ Papiâ, in Franciam juſſu *Caroli M.* abducto, *Paulus* in monte Caſino monachum induit, ac doctrinarum ſtudia eo in aſceterio, Longobardorum armis obliterata, ipſe gente Longobardus inſtauravit. Ibi eum non modò *Carolus* inviſit, ac maximè familiarem habuit, ſed ex Francia etiam literis plusquàm regiâ ſalutavit clementiâ.

In Angliæ monaſteriis literarum neglectus,

Verùm in Angliam nos revocat Lindisfarnenſis monaſterii à Danis direptio, quæ non ſine numine Divûm ſub finem hujus ſeculi accidit. Cùm enim ab obitu Venerabilis *Bedæ* ſtudia literarum in Anglia ſatis remiſsè à monachis non paucis excolerentur, &, ut verbis Guilielmi Malmesburienſis utar, *ſemper pigro ſuccederet pigrior, multo tempore in tota inſula ſtudiorum detepuit fervor*, econtrà otium & ignavia in ædes religioſas ſubierunt, quæ velut duæ peſtiferæ mammillæ veſtium luxum, gulæ intemperiem, aliáque vitia ſecum importârunt. Hinc, permittente Deo, factum, ut à Danis paganis è Germaniæ aquilonari plaga in Lindisfarnenſem inſulam invectis, monaſterium diriperetur, monachis aliis interfectis, aliis in altum demerſis, quibusdam captivis abductis, aut nudis projectis. Cladem hanc Lindisfarnenſem *Alcuinus* datâ ad Girwenſes & Wirwenſes monachos epiſtola (u), ob oculos iis poſuit, additâ commonitione, ne ſimilem ſtragem vitiis ſuis in ſe accerſant. Tum eos ad literarum ſtudia exercenda adhortatus: *Recogitent*, inquit, *nobiliſſimum ſui temporis magiſtrum*, BEDAM *presbyterum, qualem nunc inter homines laudem habeat; multò majorem apud Deum remunerationis gloriam. Illius exemplo dormientes excitent animos. Magiſtris proinde aſſideant, aperiant libros, literas diſcutiant: ut & ſe ipſos paſcere, & alios erudire valeant. Denique diſcant pueri Scripturas ſacras, ut, ætate perfectâ veniente, alios docere poſſint.* Hæc Alcuinus occaſione illius funeſtiſſimæ cladis Lindisfarnenſibus illatæ. Triſtiora, magísque acerba de aliis ignavis, literarúmque incuriis monachis ſequenti ſeculo ex *Guilielmo Malmesburienſi* audituri ſumus.

Monitis verò *Alcuini* aurem præbuit SIGWINUS (x) Abbas Lindisfarnenſis monaſterii, qui à Danorum clade inſtauratis ædibus religioſis IGLACUM monachum, famâ doctrinæ per monaſteria celebrem, accerſivit, eúmque prælectorem monachis ſuis conſtituit. Operam verò inter alios ipſi dedit *Ethelwolfus* Bernicius, cujus eſt Carmen Epicum ad *Egbertum* Lindisfarnenſem Epiſcopum *de Abbatibus & Viris piis Cœnobii S. Petri in Inſula Lindisfarnenſi*, quod ex Codice Cantabrigienſi *Mabillonius* vulgavit in Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti *Seculo IV. Part. II. pag.* 302.

inſtauratur.

SECULUM ÆRÆ CHRISTIANÆ IX. BENEDICTINÆ IV.

Ab anno 800. ad 900.

QUalis fuerit Reipublicæ Benedictinæ ſtatus nono Eccleſiæ ſeculo, datâ operâ explicatiùs prodit ſæpè laudatus *Mabillonius* in Præfatione ad Sec. IV. Benedictinum, ubi poſtquàm Europæ, Eccleſiæ & rei monaſticæ faciem velut in tabella depinxit, natásque per id tempus controverſias & hæreſes diſcuſſit, tum etiam propiùs ad

rem

(t) In annot. ad Pet. Diac. cap. 23. de Vir. illuſtr. Caſin. p. mihi 26.
(u) Vide illam apud Mabill. Annal. tom. 2. pag. 310.
(x) Leland. cap. 108.

rem noſtram de celebrioribus Ordinis Bened. Scholis & Academiis per ea tempora inſtitutis §. VIII. fusè & eruditè ſuo more diſſerit. Et primùm

Academia Pariſienſis à Benedictinis fundata.

quidem de *Pariſienſi*, cujus initia Majoribus noſtris omnes accepta referunt. *At quos habemus*, inquit, *ejus ſententiæ auctores, tot fabulis involuti ſunt, ut non facile ſit verum ac certum à falſo & incerto ſecernere.* Inter primos occurrit *Vincentius Bellovacenſis*, qui in Speculo hiſtoriali *libro 23. cap.* 73. ſcribit: *Pariſienſis Studii* inſtitutores extitiſſe quatuor Monachos *Bedæ* diſcipulos, ſcilicet *Rabanum*, *Alcuinum*, *Claudium* & *Johannem Scotum*; quos tamen omnes *Bedâ* vivente conſtat necdum fuiſſe natos, ſi fortè unum excipias ALCUINUM, cujus operâ factum eſt: *ut Athenæ novæ perficerentur in Francia*, ut ſcribit ipſe in epiſtola 10. Jam quidem longè antè illud tempus literarum exercitia in Galliis viguiſſe inficiari nemo auſit. Aſt per varias bellorum procellas, quæ ſeculo VIII. Galliam propè univerſam infeſtârunt, cùm otia & quies Muſis amica fuiſſent prærepta, ubique literarum ſtudia languere brevì intermoritura cœperunt; donec *Carolus Magnus* ea poſtliminio excitavit denuò invitatis in Galliam literatis Viris *Alcuino* aliiſque Anglis, qui acceptam ex hoc regno eruditionem ac doctrinam Gallis tandem viciſſim refunderent. In hanc eandem ſententiam conceſſit haud invitus *Hermannus Conringius* in ſua Diſſert. I. de Antiq. Acad. pag. 419. *Carolus enim*, inquit, *cui ſi ulli alii virtus, pietas ac res geſtæ* Magni *cognomen meritò indiderunt, cùm aliunde, tum ex Angliæ monaſteriis accitis, quos illa ætas habebat, doctioribus, ex conſilio Magiſtri ſui* Albini *ſeu* Alcuini, *publicum literarum forum ſuis impenſis inſtituit...*

An Angli aut Galli fuerint primi inſtitutores?

At enim *Joannes Launoius* de ſcholis à *Carolo M.* fundatis agens cap. 59. licèt ultrò profiteatur, *Pariſienſem Academiam* à Monachis quidem *Benedictinis* fundatam, non ab iis tamen contendit, qui ex Anglia, ſed qui ex Gallia fuerint oriundi; quos inter primas tulerit *Remigius* Autiſſiodorenſis, *Odo* ejus diſcipulus, & poſteà Abbas Cluniacenſis. Sed quamvis parùm nobis referat, ſeu *Angli* ſive *Galli* fuerint, modò Benedictini extiterint, hoc tamen loco inquirendum ſtudioſiùs, an *Alcuinus* auctor, aut certè inſtaurator dicendus ſit Academiæ Pariſienſis? i.e. *An publica Literarum ſtudia, quæ per continuas temporum vices poſteà præſtiterunt, Lutetiæ Pariſiorum favente* Carolo M. *inſtituerit*? Et quidem ſcholam in palatio *Caroli M.* ab *Alcuino* aut inſtitutam, aut certè excultam fuiſſe, in qua ephæbi nobiles ac miniſteriales palatini literas docebantur, nemo negare poteſt. Quippe *Carolum* ab eo eruditum, indubiè in palatio regio, eóque præceptore *Rhetoricæ*, *Dialecticæ*, præcipuè tamen *Aſtronomiæ* dediſſe operam, diſertè tradit *Eginhardus* in ejus vita. Erant ergò ſcholæ palatinæ regnante *Carolo*; at quo in loco extiterint, & an inter eas cenſeretur Pariſienſis ſchola, necdum convenit inter Eruditos. *Mabillonius* (y), cui multum hac in re deferimus, veriſimillimum exiſtimat Pariſienſem Academiam, nomine *Scholæ palatinæ* propterea affectam fuiſſe, quòd palatio in auſtrali pomœrio Civitatis ad montem S. Genovefæ ſito, vicina erat. In ſcholas verò palatinas Monachi non raro admittebantur tum ad docendum, cùm ad diſcendum. In his facilè princeps fuit *Alcuinus*, de cujus monachatu fuſiùs diſſerit citatus Mabill. in ipſius elogio ad acta Ss. O.S.B. ſeculo IV... *Alcuino* poſt aliquod tempus ſucceſſit *Amalarius* ejus diſcipulus, quem Sigebertus itidem *Monachum* nuncupat in libro *de Script. Eccl. c.* 87. paulò poſt Amalarium Pariſienſibus ſcholis præfuit *Remigius* Autiſſiodorenſis S. Germani Monachus, quo præceptore *S. Odo* Abbas Cluniacenſis *Dialecticam* & *Muſicam* apud Pariſios, regnante *Carolo Calvo*, didiciſſe memoratur à *Johanne Monacho* ipſius vitæ ſcriptore. Quinam poſt eos *Palatinas Scholas* rexerint ſeculo IX, nobis necdum eſt compertum. Ex his autem ſatis liquet, Pariſienſem Academiam multum debere *Alcuino* noſtríſque Monachis; Hinc vetus Poëta:

Quid non Alcuino *facunda Lutetia debes?*
Inſtaurare bonas Tibi qui feliciter artes,
Barbariémque procul, ſolus depellere cœpit.

Status rei Literariæ ſub Ludovico Pio.

Hujus veſtigiis inſiſtentes Noſtratûm plurimi conſilio pari, paríque ſapientiâ, & zelo alias in aliis ſubinde locis Academias eâdem ætate excitârunt, auſpiciis tum *Caroli M.* cùm *Ludovici Pii* ejus filii, cujus etiam ſtudium *in ſcholis inſtituendis* certatim commendant illorum temporum Scriptores, nominatim ejus *Biographus* & *Wandelbertus* Prumienſis Monachus ad an. 850. clarus, qui libellum *de Vita S. Goaris* rudi ſtylo conſcriptum, juſſu *Marcwardi*

(y) Mabill. in Præfat. I. ad Sec. IV. Bened. §. VIII. n. 152.

wardi

wardi Abbatis ſui elegantiori oratione expolivit; ex quo ad noſcendum hujus ſeculi Literarum ſtatum lubet attexere, quod in operis prologo memorat: *Apud Gallias*, infit, *multos annos Literarum ſtudia jacuêre, nec facilè plures per tranſacta retrò ſpatia liberalium artium munere functi eſſe reperiuntur; quousque ad noſtram*, inquit, *ætatem Principum liberalitate & optimorum virorum ſolertiâ, adeò diſciplinarum ſtudia profecerunt, ut invidiam criminis meritò nunc ſuſtinere cogamur, ſi geſta ſanctorum virorum, quæ quidem ad noſtram potuerint pervenire notitiam, poſterorum ſcientiæ deperire ſinamus. Neque verò audiendi ſunt, qui tantum ætati præteritæ tribuunt, ut nunc quoque fieri, quæ digna literis æſtimentur, abſoluto præjudicio negent: Cùm divina Providentia ſingulis mundi temporibus ita ſemper, quæ humano generi pro modo & ratione congruant, ordinet; ut neque nos priſcorum hominum felicitatem deſiderare conveniat, neque illos noſtrorum temporum ſtatum, ſi qualis nunc agitur, præſcire potuiſſent, damnaturos credibile ſit. Quippe nunc quoque ſunt in Eccleſia multi virtute vitæ clariſſimi...* Hæc Vir inter illuſtriores hujus ævi jure numerandus.

Heumañi de Ludovico Auguſto opinio

Verùm aliam nobis tibiam inflat *Chriſtophorus Heumannus* (z), qui tametſi ultrò concedat Literarum ſtudia per *Carolum M.* revocari cœpta eſſe, eo tamen defuncto rursùs neglecta fuiſſe contendit. Sed quem hujuſce in culpam trahit neglectûs? LUDOVICI PII *ſuperſtitioſam pietatem.* Ita enim proſequitur: *Cujus rei culpam haud immeritò cum Conringio tribuimus ſucceſſoris Ludovici Pii ſuperſtitioſæ pietati: quo quidem melior & literarum amantior, literatorúmque ſtudioſior fuit filius*, Carolus Calvus, *Mæcenas hujus ſeculi* dictus à Conringio: *ſed nec tum veterno excuti ſe paſſum eſt malè pium ſeculum, neque auroræ ſucceſſit dies undequaque ſereniſſimus.*

confutatur.

Grates *Heumanno!* quòd culpam ſtudiorum neglectûs non in monachos, *ut ſolet*, contulerit: ſe tamen *Ludovico Pio* dicam ſcripſiſſe ſciat, ac cum *Conringio* erubeſcat. Ut enim *Thegani*, & *Jonæ* Epiſcopi Aurelianenſis ampliſſima teſtimonia, Epiſtolæ Nuncupatoriæ Libri de Imaginum cultu inſerta omittam, *Papirius Maſſonius* in Annalibus Francnrum teſtatur, *tres publicas ſcholas à Karolo M. inſtitutas, quæ Academiæ dicuntur, poſt ipſius mortem perituras fuiſſe, ſi* LUDOVICUS *paternum amorem ſequutus non fuiſſet, cui non minor literarum cura fuit, quàm patri.* Sed quia *Maſſonius* poſterioris ævi ſcriptor eſt, ejus teſtimonium fors tanti *Heumanno* non videbitur. Audiat igitur Authorem coævum, qui in vita *Ludovici Pii* ad annum 811. hæc habet: *Totius Aquitaniæ videbatur Clerus, antequam ei crederetur, utpote ſub tyrannis agens, magis equitationi, bellicæ exercitationi, miſſilium librationi, quàm divino cultui operam navare: Regis autem ſtudio undecunq; adductis Magiſtris tam legendi, quàm cantandi ſtudium, nec non divinarum & mundanarum intelligentia literarũ citiùs quàm credi poterat, coaluit.* Anno autem 816. *Ludovicus* celebrato apud Aquisgranum Conventu frequentiſſimo ſtatuit, teſte Aventino (a), *ut Pontifices, Monachi, Sacerdotes vitam Chriſti æmularentur, ſpretíſque mundi negotiis operam literis darent, ſacræ Theologiæ incumberent, pueros edocerent, omnium profeſſionum libros conſcriberent.* Nec Veſtales quidem Deo conſecratas ab hoc labore immunes eſſe voluit: extántque paſſim in bibliothecis, *inquit Aventinus*, cujusvis generis libri in membranis, quos Virgines ſanctæ ſcripſerunt. Præterea quia ſolis literatis viris divinæ Scripturæ notæ erant, vetus & novum teſtamentum, ut aliqui volunt, in vulgarem linguam converti curavit in gratiam Germanorum: cujus rei antiquum fragmentum producit *Bulæus.* Præcipuè inter decreta, quæ in eadem ſynodo Aquisgranenſi, autore *Ludovico Pio*, ſancita fuerunt, Canon LIV. ad Benedictinos attinet: *Ut docti Fratres eligantur, qui cum ſupervenientibus hoſpitibus loquantur.* Hic canon ad amuſſim Regulæ Benedictinæ cap. 66. reſpondet. Quin imò *Ludovicus* voluit (tanti juventutis, præſertim eccleſiaſtico ſtatui deſtinatæ, eruditio ipſi viſa eſt) ut Eccleſiarum Rectores ad Concilium Provinciale aliquos ex ſtudiorum amantioribus alumnis ſecum adducerent, ut hoc documento ſuam in excolendis ſcholis literíſque diligentiam facerent teſtatiorem. *Quando ad Provinciale Epiſcoporum Concilium ventum fuerit, unusquisque Rectorum ſcholaſticos ſuos eidem Concilio adeſſe faciat, quatenus & cæteris*

Ludovici Auguſti capitularia de ſtudiis.

Eccle-

(z) In Conſpectu Reip. Lit. libr. 1. cap. 24.
(a) apud Bulæum in Hiſt. Univerſ. Pariſ. Tom. I. pag. 146.

Eccleſiis noti ſint, & ejus ſolers ſtudium circa Divinum cultum omnibus manifeſtum fiat. Ita Ludovicus cum Patribus pari conſenſu decreverat In Synodo Pariſienſi anno 829. cui compertiſſimum erat, non aliud antiquius, aut majori curæ Epiſcopis eſſe debere, quàm ſcholarum & ſtudentium Clericorum incrementa: *In ſcholis habendis & educandis militibus.*

Lotharius in Italiâ rem literariā provehit.

Eodem anno 829. ut cenſuit *Baluzius*, vel certè 823. aut ſequenti, ut vult *Muratorius*, Ludovicus Imperator filium ſuum *Lotharium* in Italiam miſit, ut regni hujus rebus conſuleret. Ex monitu patris *Lotharius* rem literariam in curis minimè poſtremis habuit. Muratorius Capitulare Lotharii ex Cod. MS. cathedralis Eccleſiæ Mutinenſis eruit, quod inter Leges Longobardicas Tom. II. Rerum Italicar. Part. II. pag. 151. juris publici fecit. Egregium autem complectitur documentum, quo evincatur, quanto ſtudio, quantáque ſedulitate Franci Imperatores publicam utilitatem & ſtudia in regno italico olim procurarent, quum rerum potiebantur. *Abjectæ*, inquit Muratorius, *tunc in Italia literæ tantis patrociniis indigebant. Et eas quidem inſtaurare conatus fuerat* Carolus M. *in Francia & Germania. Aliquantulum & apud Italos idem præſtiterat.* Irritam tamen illius curam ſubinde fuiſſe innuit ejus nepos Lotharius cap. VI. ita ſtatuens: *de doctrinâ verò, quæ ob nimiam incuriam, atque ignaviam quorumque Præpoſitorum cunctis in locis eſt funditùs extincta, placuit, ut ſicut à nobis conſtitutum eſt, ita ab omnibus obſervetur; videlicet ut ab his, qui noſtra diſpoſitione artem docentes alios per loca denominata ſunt conſtituti, maximum dent ſtudium, qualiter ſibi commiſſi ſcholaſtici ita proficiant, atque doctrinæ inſiſtant, ſicut præſens expoſcit neceſſitas. Propter opportunitatem tamen omnium apta loca diſtinctè ad hoc exercitium providimus, ut difficultas locorum longè poſitorum, ac paupertas nulli fieret excuſatio. Id ſunt primum in Papia conveniant ad* Dungallum *de Mediolano, de Brixia, de Laude, de Bergamo, de Novaria, de Vercellis, de Artona, de Aquis, de Genua, de Hoſte, de Cuma &c.* Unus ergo Magiſter à Lothario Ticini decretus ad literas tradendas. Idem & in ceteris urbibus factum rectè conjicias. Sed quis iſte *Dungallus?* ille idem, ut ſuſpicatur Muratorius, qui ſub *Dungali* nomine inter Scriptores

Dungallus Ticinenſi Gymnaſio præficitur.

Eccleſiaſticos laudatur à *Bellarmino*, *Dupinio*, *Caveo* aliíſque Hiſtoriæ literariæ authoribus. Fuit verò is Monachus in Pariſienſi cœnobio S. Dionyſii verſatus, edidítque circa an. 827. librum adverſus *Claudii* Taurinenſis ſententias de cultu imaginum, qui legitur in Bibl. Patrum Tom. XIV.

Quis ille fuerit?

Mabillonius quidem in Annalibus Bened. ad an. 827. *Monachum Recluſum* fuiſſe ſuſpicatur, brevitérque ejus acta percurrit, & in appendice ipſius elogium carmine expreſſum ſiſtit; at hæc *Muratorio* incerta videntur: *potuit enim*, infit, *non unus tunc eſſe Dungalus; neque certè is putandus eſt Recluſus, qui Ticinum venit publicus literarum Profeſſor.* Ego non alium *Dungalum* hunc noſtrum à *Dungalo* ſacrarum Imaginum Patrono ſuſpicor; quippe convenit ætas & par literarum cultura: Nam & ſchola Ticinenſis & ſuſcepta *Claudii Taurinenſis* confutatio fidem literaturæ faciunt. Veri autem ſimile videtur non Pariſiis, ſed Ticini conſcriptum fuiſſe librum illum à *Dungalo* magiſtrum ibi agente. In præfatione ita is loquitur: *Jam dudum ex quo in hanc terram advenerim, occaſio mihi copioſa hac de re reclamandi occurrit.* Mabillonius hinc elicit non Gallum, ſed alienigenam, fortè *Scotum* fuiſſe *Dungalum*, ipſumque hæc ſcripſiſſe Pariſiis, ubi is verſaretur. Ad Patriam *Dungali* quod attinet, non reſiſto: aſt his verbis deſignari rectiùs putes *terram Italicam*, ſeu Ticinenſem, in quam è Gallia *Dungalus* advenerat. Et is quidem tunc propior *Claudio Taurinenſi*, quàm Pariſienſes. Ceterùm liber ille *Dungali* hominem eruditum, ſacríſque etiam literis ornatum prodit; at ſimul in gtammaticali foro, ac Priſciani deliciis enutritum, ut legenti conſtabit. Quæ omnia conjecturam meam juvare poſſunt, *unum eundémque Dungalum fuiſſe, tùm qui Ticinenſi Scholæ præfuit, tum qui catholicis armis adverſus* CLAUDIUM *Taurinenſem pugnavit.* Ita Muratorius tùm in Notis ad dictum Capitulare, cùm etiam in Annalibus Italiæ Tomo IV. ad an. 829. pag. 546. ubi inter alia hæc reſcribit: *Queſto Dungallo altri non può eſſere, che Dungalo Monaco, autore del trattato contra di Claudio Veſcovo de Torino, di cui s'è parlato di ſopra, che abitava, e faceva Scuola in Pavia.* . . Pag. verò 539. hæc præterea adjicit: *Cioè nelle Annotazioni* (Rerum Italicar. P. II. Tom. I.) *alle giunte delle Leggi Longobardiche,*

Oliverii & Muratorii de eo opinio.

che, e molto più nelle Antichità Italiane (Diſſert. 67.) *ho dimoſtrato, che* Dungalo *Monaco, di nazione veramente* Scoto, *come immaginato il ſuddetto Padre* Mabillone, *abitava non già in Francia, mà in Italia nella Città di* Pavia, *e quivi era* Maeſtro di Scuola, *inviatovi dall' Imperador* Carolo Magno, *a fine d' inſegnar le Lettere in quella Real Città...* Hæc & alia lectu non injocunda recitat Muratorius, apud ipſum, ne nimis prolixi ſimus, legenda.

Aliæ Scholæ in Germania inſtitutæ:

Sicut verò in Italia & Francia ſcientiarum ſplendore hoc ævo maximè enituit Religio Benedictina, ita etiam ſcholarum tum publicarum, cùm monaſterialium erectione effloruit in Germania. Quot enim monaſteria, tot penè ſcholæ, tot magnorum virorum ſeminaria & Muſarum domicilia. Teſtis hujus rei locuples eſt *Trithemius* in Chronico Hirſaugienſi ad annum DCCCXC. ita reſcribens; *Erat autem his temporibus in Monaſteriis noſtri Ordinis hæc conſuetudo celeberrima, ut ſcholæ Monachorum in ſingulis penè cœnobiis haberentur, quibus non ſeculares homines, ſed Monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatiſſimi, qui non ſolùm in divinis* Scripturis *docti eſſent, verùm etiam in Mathematicâ, Aſtronomiâ, Arithmeticâ, Geometriâ, Muſicâ, Rhetoricâ, Poëſi, & in ceteris omnibus ſæcularis literaturæ ſcientiis eruditiſſimi haberentur. Ex his multi non ſolùm in Romanâ linguâ docti erant, ſed etiam in Hebraicâ, Græcâ, & Arabicâ peritiſſimi, quod ex eorum operibus facilè dignoſcitur; quanquàm vitio Scriptorum, qui à primæva inſtitutione præceptorum paulatim degenerare cœperunt, pauca exemplaria noſtris temporibus emendata reliquerunt.* Hæc ille veteris usûs, ſi quis alius apprimè gnarus.

Prumienſis,

Inter illa autem monaſteria, In quibus tum temporis optimarum artium ſtudia perampliùs viguêre, haud immeritò *Prumienſe* memorat *Launoius* de ſcholis celebrioribus cap. XIX. In eo *primus*, cujus reliqua nobis ſit memoria, *Scholiarcha* WANDELBERTUS extitit, de quo Trithemius *in Chron. Hirſaug.* Tom. I. ad an. 851. *Wandelbertus*, inquit, *monachus & Magiſter monaſticæ ſcholæ Cœnobii Prumienſis, Trevirorum Diœceſis, vir in divinis ſcripturis eruditus, & in ſecularibus litteris magnificè doctus...* Huic in Scholiarchæ officio proximus ſucceſſit *Rhegino*, quem citatus Trithemius, ceu *virum* quoque *doctiſſimum* deprædicat. Cujus rei teſtes ſunt ſuperſtites ejus ingenii partus, de quibus *Hildebrandus*, *Baluzius*, *Eckhardus*, *Fabritius* & alii.

& S. Mathiæ Treviris.

Poſt Prumienſem Trevirenſis *S. Mathiæ Schola* venit memoranda; cujus primum ſplendorem deſumimus ab ejuſdem Moderatore *Florberto*, de quo Trithemius in Chron. Hirſaug. ad an. 885. *Eodem*, inquit, *anno viceſima die menſis Martii, obiit* Florbertus *monachus atque Scholaſticus, vir certè undecunque doctiſſimus, qui multorum præceptor Monachorum extitit, quos in omni genere doctrinarum nobiliter multùm erudivit. In omni ſiquidem ſcripturâ tam divinâ, quàm humanâ fuit doctiſſimus, & non minùs vitâ, quàm eruditione venerandus... Huic in ſchola monaſtica ſucceſſit* Ebarhardus *Presbyter & Monachus, omnifariam & ipſe doctus, & præfuit magiſterio annis fermè quatuor & viginti &c.* Atque hæc quidem remotiſſima ſunt, quæ de ſchola San-Mathiana nobis retexerit ſolertiſſimus Trithemius. *Scholiarchæ* verò ſparta, ut hoc obiter moneã, inter præcipua olim munia cenſebatur, ſicut *præfectura Scholarum* erat, & etiamnùm eſt in multis Cathedralibus & Collegiatis *Dignitas* quædam indigitata *Scholaſtici*, vel ſimili nomine, cujus officium eſt ſcholas publicas moderari, utì fuſiùs exponit *Joannes à Boſco* in annot. ad vitam S. Abbonis cap. I.

Benedictini docent in Scholis cathedralibus.

Fuerunt autem id genus *Scholaſtici* ſæpiùs è monaſteriis evocati, eò quòd & virtute & doctrinâ ſeculares plerumque anteirent. Sic *Remigius* Autiſſiodorenſis, cujus commentaria in Pſalmos & duodecim Prophetas, liber item *de divinis officiis*, aliáque nonnulla ſoperſunt, non in proprio duntaxat cœnobio ſcientiarum diſciplinas multo tempore docuit; verùm etiam in Eccleſia Cathedrali Remenſi, quo à Fulcone Archiepiſcopo unà cum *Hucbaldo* S. Amandi monacho accitus fuerat. Erant ambo priùs diſcipuli *Rabani Mauri*, qui, teſte Baronio, (b) *ut fulgentiſſimum ſydus ſeculo nono emicuit; cujus quæ extant ſcripta, tanquam lucis radii excellentiam demonſtrant auctoris, ut & iiſdem illuſtrata Germania glorietur, ſuum haud adeò imparem magnis habuiſſe doctorem.* Unde Fuldam, ut Trithemius (c) loquitur, *quaſi*

(b) Annal. Eccl. an. 869.
(c) In Catal. Ill. Script. Germ. pag. 162.

ſigno dato undique confluebat præter monachos nobilitas,ei tradendo generis ſui & familiæ ſpem politioris literaturæ artibus informandam.

Lupus Fuldæ ſtudet ſacris literis.

Refert etiam *Lupus* Abbas Ferrarienſis, ſe à Metropolitano ſuo, S. *Aldrico*, Fuldam ex Gallia in Germaniam ire juſſum, quò ſub doctiſſimo viro Rabano Mauro in Scripturarum ſtudia incumberet. Cùm verò Ferrarias rediiſſet *Lupus*, quas Fuldæ didicerat ſcientias, in ſuo Cœnobio tradidit, diſcipulúmque habuit *Hericum*, qui deinde in cœnobio S. Germani Autiſſiodorenſis, ubi in Monachorum cœtum adlectus fuerat, magiſtri munus obivit. Scripſit *Lupus* multas epiſtolas, eáſque elegantes, doctas, eruditas, ex quibus non modò vaſta ejus eruditio elucet, ſed magna etiam cum omnibus cujuscumque modi ſcriptoribus familiaritas. Ex iiſdem epiſtolis variam ſtudiorum faciem in Gallia hoc ſeculo deprehendimus. Sub Carolo M. floruiſſe ſcribit in epiſtola ad Eginhardum Caroli Notarium, ſeu Cancellarium, & poſtea primum Abbatem Seligenſtadienſem. „ Siquidem veſtra memoria per famoſiſſimum Imperatorem „ Carolum, cui literæ eò usque deferre debent, ut æternam ei parent „ memoriam, cœpta revocari, aliquantum quidem extulére caput, ſatiſq; „ conſtitit veritate ſubnixum præclarum dictum: *Honos alit artes, & accenduntur omnes ad ſtudia gloriâ.* „ Carolo vitâ defuncto obſoleſcere iterum literarum ſtudia cœpiſſe, eâdem epiſtolâ teſtatur *Lupus*: „ Nunc oneri ſunt, qui aliquid diſcere affectant, & velut in edito ſitos loco, „ ſtudioſos quosque imperiti vulgò „ aſpectantes, ſi quid in eis culpæ „ deprehenderint, id non humano vitio, ſed qualitati diſciplinarum aſſignant. Ita dum alii dignam ſapientiæ palmam non cupiunt, alii famam verentur indignam, à tam præclaro opere deſtiterunt.„ Idem ep. 34. ad *Altwinum* monachum his verbis repetit: „ Nunc literarum ſtudiis pene „ obſoletis, quotusquisque inveniri „ poſſit, qui de magiſtrorum imperitia, librorum penuria, otii denique „ inopiâ meritò non queratur? „ Ad alium monachum, nomine Ebrardum, propinquum ſuum, ſcriptâ epiſtolâ literarum ſtudia, regnante Carolo Calvo, reviviſcere pergratum habet. Quem eundem Regem in epiſtolâ ad Æneam Epiſcopum Pariſienſem *Doctrinæ ſtudioſiſſimum* appellat, in cujus gratiam Imperatorum Romanorum vitas & hiſtoriam compendio ſcripſit. In dedicatione *Carolo* Trajanum & Theodoſium propoſuit, ad quos effingeret ſeſe & efformaret.

Ex Cicer. Quæſt. Tuſcul.

Ejus teſtimonia de ſtatû rei literariæ Sec. IX. variant.

Miſit etiam ad eum Auguſtini Tractatum, ſive Concionem adversùs juramenta, ut eâ ſe lectione ineunte Quadrageſima roboraret. In epiſtola verò ad Pardulum, Epiſcopum Laudunenſem, conqueritur, ſtudia ſua ab eodem Rege Carolo non magni fieri. Quæ diverſa, & planè ſibi non conſtantia *Lupi* teſtimonia animum reddere ancipitem poſſunt, ut quid de literarum ſtatû in Gallia ſeculo IX. ſecum ſtatuat, ſuſpenſus hæreat. Verùm ita res ſe habere mihi videtur. Vir magnæ doctrinæ & eruditionis fuit *Lupus*, ſed ab humanis tamen affectibus non alienus; his enim in viris doctis juxtà ac piis etiam aliquid dandum eſt. Prout animum Principis erga ſe experiebatur, ita literarum ſtudia vel extulit, vel depreſſit. Si quando cum *Carolo*, pro more Francorum, contra hoſtes pergere debebat, belli impatiens, ſtudia ſua ab eo nihil fieri conquerebatur. Si verò *Carolus* ab eo erudiri, libróſque conſcribi petebat, *doctrinæ ſtudioſiſſimum* vocare, atque illud Juvenalis occinere ſolebat:

Et ſpes & ratio ſtudiorum in Cæſare tantùm;
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpexit . . .

Studiorum difficultas Seculo IX.

Ergo quando in *Lupi* teſtimonium incidimus, quò vel ſtudia florere in Galliis, vel penitùs obſoleſcere dicit, non fides ſtatim ita adhibenda eſt, ut non unâ epiſtolam cum alterâ conferamus, & tunc quid vero propius ſit, nobiſcum ſtatuamus. Interea tamen negari non poteſt, quin inter atrocia bella, quibus Notmanni, gens barbara, atque idolorum cultui addicta, Galliæ monaſteria miſerè devaſtârunt, ſumma monachis ſtudendi difficultas fuerit objecta, rectéque *Lupus* de magiſtrorum imperitia, librorum penuria, atque otii inopia ſit conqueſtus. Ut verò ipſe docto uteretur magiſtro, Fuldam ad Rabanum Maurum miſſus fuerat. Librorum penuriam ut ſublevaret, undique ex Gallia, Italia, Germania Ms.tos Codices ad deſcribendum corrogavit. Otio literario ut frueretur, à Carolo Rege, ne ipſe ad bellum pro more Francorum ſequi cogeretur, abſolvi enixè petiit. De magna monaſterii ſui paupertate, litera-

terarum ſtudiis inimica, ad eundem Regem Carolum, qui bona à Ludovico Pio & Juditha ejus parentibus cœnobio donata, ſeculari homini ſruenda tradiderat, memorabilem ſcripſit epiſtolam. Nec propterea tamen à ſcbolis in monaſterio habendis remorari ſe eſt paſſus, ſed iisdem apertis tum ipſe, quantum per negotia licuit, cathedram conſcendit, tum lectores conſtituit, qui accurrentem magno numero juventutem quà virtutum, quà ſcientiarum diſciplinis inſtituerent. Quâ re magnam cœnobio Ferrarienſi celebritatem conciliavit. *Hildegarius* Meldenſis Epiſcopus *Ferrarias* vocat *famoſiſſimum monaſterium, ubi cœtus Monachorum in Chriſto cum Lupo Abbate toto orbe eſt venerandus.*

Diximus paulò antè, *Lupum* Abbatem Carolo Regi ſupplicem fuiſſe factum, ut gratiam ſibi faceret, ne caſtra ipſius ſequi teneretur. Mos enim jam ſub *Carolo M.* invaluerat, ut Epiſcopi & Abbates in bello contra hoſtes gerendo Regibus Franciæ adeſſent. Cujus rei exemplum afferre liceat. *Ludovicus Pius* Caroli Calvi pater an. 824. ut Britannos pacis ac quietis impatientes edomaret, magno cum exercitu in duorum filiorum Pipini & Ludovici comitatu in hanc movit provinciam. Ex more illorum temporum Epiſcopi, Abbates, cæteríque Clerici, qui vaſallos habebant, copias ſuas in campum ipſi deducere adigebantur. Ab hac igitur bellica expeditione abeſſe non licuerat Hermoldo Nigello, monacho, vel quod credibilius eſt, Abbati Anianæ, qui ſubinde eam (d) literis mandavit. Certos verò nos eſſe jubet, ſe neque pugnam iniiſſe, neque ſanguinem fudiſſe, quâ occaſione etiam Regis Pipini jocum ſilentio non premit. Is enim cùm armati hujus Abbatis habitum ac ſpeciem intuitus fuiſſet, riſum non tenuit. Tum ad illum converſus: *Quin tu*, inquit, *agis, quæ te magis decent? mitte arma, ſtudiíſque vaca:*

Hæc egomet ſcutum humeris, enſemq́ revinctum
Geſſi, ſed nemo me feriente dolet.
Pippin hoc aſpiciens, riſit, miratur, & inſit:
Cede armis, Frater, Literam amato magis.

Conſuetudines ſcholaſticæ apud Balmenſes ſub Euticio ſervatæ.

Conſuetudines nonnullæ à *Johanne* Monacho in vita *S. Odonis* referuntur in Balmenſi Burgundiæ monaſterio circa ſcholares ſub *Euticio* Abbate ſtrictiùs obſervatæ, quas hîc addere lubet: *Mos*, inquit, *ejusdem loci fuerat, ut Magiſter ſcholæ ſolus cum ſolo puero, nec quoquam iret, ſaltem nec ad naturæ digeſtionem. Sed nec ſolus puer ſecretiùs illi loqui præſumeret, ſed propter bonum teſtimonium, alium è pueris, aut unum ex fratribus in comitatu vel locutione ſemper aſſumeret. Si autem nox foret, vel caſu accidente puer peteret, ſine lucernæ lumine & alio fratre extra dormitorium pedem non auderet protendere. Tempore verò refectionis nunquam deerat lectio utrisque menſis. Micas verò, quæ ex ſectione panum fiebant, unusquisque ante ſe diligenter recolligens, priusquàm lectio finiretur, cum gratiarum actione ſumebant. Finitâ itaque lectione, nec eas, nec cibum alium ultra ſumere aliquis audebat. Has autem micas ſacratiores aliis cibis eſſe fatebantur.* Confer. Acta Sanctor. Bollandi Tom. I. pag. 824.

Sed jam ex Galliâ in Germaniam calamum revocemus. In hanc enim finitimáſque regiones collectio Canonum Iſidoriana primùm initio hujus ſeculi operâ Riculphi Præſulis Moguntini invecta dicitur, teſte *Hincmaro* Rhemenſi in opuſculo adverſus Laudunenſem cap. 24. Num vero eadem ætate, præſertim *Nicolai I.* Papæ nutu inductum fuerit novum Jus Eccleſiaſticum ex ipſis decretalibus epiſtolis Iſidorianæ collectioni inſertis, veteribus canonibus contrarium, quæſtio eſt multis vexata tricis & litibus, quam fuſiùs deductam dedêre Ill.mus Pariſienſis Archiepiſcopus *Petrus de Marca*, *Baluzius*, & his contrarius Cardinalis *de Aguirre*, in diſſertationibus præviis ad Collect. max. Concilior. Hiſp. ubi plura ediſſerit in defenſionem ſummorum Pontificum & Epiſtolarum decretalium, quas velut ſuppoſititias plerique recentiores Critici exſibilant. Sed de his alibi commodiùs.

Scholam Fuldenſem vix non evertit Abbas Ratgarius.

Quâ porrò tempeſtate *Rabanus* ſcholam Fuldenſem adminiſtrare cœperat, monaſterio Abbas *Ratgarius* (e) præfectus fuerat. Hic ferociâ & nimiâ in monachos ſeveritate totum ferè non modò regularis diſciplinæ, ſed etiam ſtudiorum evertit ſtatum. Neque enim *Rabano* ipſi à *Ratgario* parſum, qui libros ei ſuos, adeóque præceptoris officium, quod ille Fuldæ cum magno fructu & plauſu exercebat, inhumaniter ademit. Ferocem Abbatis ani-

(d) Apud Murat. Hiſt. Ital. ad an. 824.
(e) Mabill. Annal. Ben. tom. 2. pag. 594.

animum verſibus delinire tentavit *Rabanus*: at nihil verſus, nihil preces ei profuêre. Rogabat ille, obteſtabatur ſupplex, ut ſe clamantem exaudiret; redderet libellos, quos ipſi legendos, ſcribendos, diſcendos permiſerat. Hos libellos non ſe jure tanquam proprios, ſed precarios, tanquam à legitimo domino humili prece repetere, quippe:

Servi quidquid habent, dominorum jure tenetur:
Sic ego, quæ ſcripſi, omnia jure teneo.
Nec mihi ceu propria petulans hæc vindico ſcripta:
Defero ſed veſtro omnia judicio.
Seu mihi hæc tribuas, ſeu non, tamen omnipotentis
Divinitas ſemper det tibi cuncta bona.

Moviſſet ferreum pectus tam juſta, támque modeſta ſupplicatio; at ſaxo cantum eſt. Moderatior in alios nequaquam *Ratgarius* fuit, ſed fortaſſe iniquior: quamquàm quid iniquius eſſe poteſt? Tam pertinax & obſirmata inclementia denique meruit, ut in exilium juſſu Imperatoris Ludovici Pii amandaretur. Ratgario autem exauthorato, cum libris docendi præfectura *Rabano* reſtituta fuit ſub *Eigile* Abbate ſancto & literarum Mæcenate nominatiſſimo.

Alia Germaniæ monaſteria literarum cultu celebriora.

Nec in aliis Germaniæ monaſteriis ſuus literis cultus hoc ſeculo defuit. Præ cæteris tamen majorem ſibi famam S. Galli, Augiæ Divitis, Corbeiæ Novæ, Hirſaugiæ, S. Mariæ Treviris &c. vindicabant. „Hinc ſolito plures, „ inquit *Heumannus*, nono ſeculo „ Scriptores offendimus. Occurrit „ enim nobis Rabanus Maurus, Hay„ mo (*uterque Alcuini diſcipulus*) Wa„ lafridus Strabo, Servatus Lupus „ (*Mauri diſcipuli*) Otfridus, Egin„ artus, Anaſtaſius Bibliothecarius.„ Quibus addere potuiſſet HILDUINUM S.Dionyſii propè Pariſios Abbatem, teſte Rabano Mauro, *in omni ſcientia & doctrina divitem*, ADALARDUM & *Paſchaſium* Corbeiæ veteris Abbates; *Adonem* Viennenſem Epiſcopum; *Abbonem*, *Aimoinum*, & *Uſuardum* San-Germanenſes; *Amalarium Fortunatum* Archiepiſcopum Trevirenſem; *Angelomum* Luxovienſem, *Anſegiſum* Laubienſem, *Autbertum*, *Bertharium*, & *Ermenricum* Caſinenſes; *Gerbohum*, *Rudolphum*, & *Ermanricum* Fuldenſes; *Hattonem*, *Reginbertum*, & *Ermenricum* Augienſes; *Benedictum* Anianenſem; *Smaragdum Ardonem*, *Milonem* & *Hucbaldum* Elnonenſes; *Notkerum*, *Yſonem*, & *Hartmutum* Sangallenſes; *Remigium* & *Hericum* Autiſſiodorenſes; *Druthmarum* & *Ratramnum* Corbeienſes Monachos; *Meginhardum*, *Herbordum*, *Luitbertum* Hirſaugienſes; *Odonem* Belluacenſem, *Wandelbertum* Prumienſem, aliósque complures Benedictinos cùm in Galliâ tum Germania. *Chriſtianus* certè *Druthmarus*, veteris Corbeiæ monachus non doctrinâ minùs, quàm pietate inſignis in prologo Commentarii ſui in Mathæum teſtatur, quòd in monaſteriis *Stabulenſi*, *Malmundarienſi*, & *Dervenſi* diſciplinæ regularis obſervantia cum literarum ſtudiis arctiſſimè conjuncta fuerit. Cui eò major adhibenda eſt fides, quò penitiùs rei literariæ ſtatum dignoſcere potuit, ut qui eò loci monachos erudiendos ſuſcepit. Poſt aliquod verò tempus ad ſuum monaſterium, Corbeiam veterem, regreſſus eſt; ubi S. *Paſchaſius* literas maximè ſacras docebat.

Monaſterium S. Michaelis ad Moſam.

In Monaſterio S. Michaëlis ad Moſam ludum tenebat *Hildeboldus* diſcipulus domni *Remigii* doctiſſimi eâ ætate magiſtri: huic in juventute operam dedit S. Joannes Gorzienſis primùm, ac poſteà S. Arnulphi Metenſis Abbas. Ejus in poſteriore Abbatia ſucceſſor fuit JOANNES *junior* dictus, ejus nominis IV. Abbas S. Arnulphi, qui regimini vix admotus, ſtatim loci famam jam ubique celebrem, ſtudio literarum adeò nobilitavit, ut non ſolùm ex proximis civitatibus, verùm ex Saxoniæ etiam atque Bavariæ partibus undecunque Metas ad ejus magiſterium quàm plurimi confluxerint; ex quibus nonnullos & vitæ merito & ſapientiæ excellentia ad Epiſcopatûs apicem, vel ad regenda monaſteria electos fuiſſe cognovimus,

Literæ in Angliæ monaſteriis neglectui habentur,

At contra in Anglia longè minor hoc ævo virorum eruditorum copia; immò permultis in monaſteriis literarum ſanè incurii ac negligentes erant monachi. Quis neſcit verò, ignorantiam deſidiæ ac ignaviæ, peſſimarum filiarum virtuti omninò exitialium eſſe parentem? Huic ergò monachorum inſcitiæ *Guillelmus Malmesburienſis* non ruinam modò collapſæ regularis diſciplinæ in acceptis refert, ſed ex ea velut venenatâ ſcaturigine multò deteriora promanâſſe teſtatur; monaſteriorum nempe à Danis everſiones, direptiones ac deflagrationes. Cùm enim literarum culturam nihil ad ſe pertinere monachi arbitrarentur, non fuit, qui ad virtutis ſtudia exhortaretur, non fuit, qui peccantes, atque à linea rectâ, ut fit, divertentes argueret.

non ſine diſpendio regularis diſciplinæ.

Digitized by Google

ret. Ut enim monachus, ita Abbas. Hæc verò ubi defecêre, impunè in monaſticarum Legum obſervantiam peccatum fuit. Tum autem juſto Dei judicio Danis conceſſum, ut monaſteria plura incenderent, diriperent, devaſtarent. Quamquàm inficias non eundum, id temporis haud infrequentes monachos, præſertim moniales, edito præclariſſimo tuendæ pudicitiæ exemplo, pro fide vitam cum ſanguine profudiſſe.

Reſtituuntur à Gallis Benedictinis. Nortmannis ſeu Danis profligatis, *Alfredus* Angliæ Rex ſub annum 883. literatos è Gallia viros ad gentiles ſuos ſcientiarum diſciplinis imbuendos acceſſivit, *Grimbaldum* ſcilicet Sithienſem, & *Johannem Altſaxonem* monachos, per quos Oxonienſis Academiæ, ex qua fons doctrinæ ac virtutis in omnes regni ſui provincias derivaretur, jecit fundamenta. Non ſolus verò in Angliam trajecit Grimbaldus, ſed *doctiſſimos viros ſecum illuc adduxit*, ut Aſſerus in libro de vita Alfredi teſtatur. Cauſa evocandi iſtuc Grimbaldi & ſociorum fuit, referente Guilielmo Malmesburienſi, *ut literaturæ ſtudium in Anglia ſopitum, & penè emortuum ſua ſuſcitaret induſtria.* Ex tribus verò Collegiis ſeu ſcholis nova hæc conſtabat Academia: prima erat Grammaticorum, altera Philoſophorum, Theologorum tertia. Atque hunc in modum poſt Pariſienſem & Ticinenſem Oxonienſis fundata fuit celebris Univerſitas, & quidem, ut *Cambdenus* (f) vult, verba veterum Annalium novi monaſterii allegans, *primitùs in ea regentibus, ac in ſchola theologica legentibus ſancto Neoto abbate, nec non in Theologia doctore, & ſancto Grimbaldo ſacræ paginæ ſuaviſſimæ dulcedinis excellentiſſimo Profeſſore; in Grammatica verò & Rhetorica regente Aſſerio monacho, & in arte literatoria viro eruditiſſimo. In Dialectica verò & Muſica & Arithmetica legente Joanne monacho Manevenſis eccleſiæ, in Geometria & Aſtronomia docente Joanne monacho & collega S.Grimbaldi viro acutiſſimi ingenii, & undequaque doctiſſimo, præſente glorioſiſſimo & invictiſſimo Rege Ælfredo, cujus in omni ore, quaſi mel indulcorabitur memoria.* Ex his Oxonienſis ſtudii, uti Univerſitates olim vocari conſueverant, Profeſſoribus Benedictinis Neotus & Aſſerius Anglici erant, non ex numero doctiſſimorum illorum virorum, quos Grimbaldus ſecum adduxerat.

Ut verò hactenus à nobis dicta magis illuſtrentur, ex Hiſtoria Univerſitatis Oxonienſis, quam *Antonius à Wood* fusè & eruditè duobus libris complexus eſt, loca quædam delibare viſum eſt. Quod in gratiam noſtrorum in Germania Sodalium facturus ſum, in quorum Bibliothecis illuſtre *Woodi* Opus rariſſimum, aut quod verius eſſe exiſtimo, nullum habetur. Sic verò Lib. 1. pag. 12. loquitur:

„ Dum hæc mecum recolo, Mo- *Benedictina Familia genitrix Academiæ Oxonienſis.*
„ nachis è S. Benedicti Sodalitio li-
„ benter aſſentior, qui Studia ſeſe
„ Oxonienſia promoviſſe gloriantur,
„ & tantùm non inſtituiſſe, ſcilicet ſi
„ Univerſitatis regimen, & diſcipli-
„ nam ſpectemus, præſertim cùm in
„ Epiſtola una & altera ab Academia
„ ad eosdem data, Societatem illam
„ *Genitricis* elogio ornet Univerſitas,
„ & eo petit nomine, ut ſibi ſcholam
„ SS. Theologiæ meditanti, collatis
„ pecuniis adminiculo eſſet. Cogi-
„ tanti autem, quinam è dicto Ordi-
„ ne id ſibi honoris præſertim vendi-
„ cent, non alii occurrunt, quàm
„ quos antè dixi, ſanctus nempe *Jo-*
„ *hannes de Beverlaco*, *Venerabilis Be-*
„ *da*, *Alcuinus*, cum antiquioribus
„ nonnullis, paucíſque ſub *Alfredi*
„ ætatem, *Plemundo* utique Archi-
„ epiſcopo Cantuarienſi, *Aſſerio*, *ſan-*
„ *cto Grimbaldo*, *ſancto Neoto* &c. qui
„ cùm publicis prælectionibus literas
„ Oxonienſes mirè provexiſſent, eam
„ inde gloriam reportârunt, ut non
„ tantùm Inſtituta quædam ſua pro
„ adminiſtranda Univerſitate, in ſe-
„ ros uſque annos derivarent, ſed ut
„ eorum quoque ritu veſtiti, ad ca-
„ peſſendos Gradus accederemus. Ne-
„ que enim quisquam ad Magiſterium
„ antiquitùs admittebatur, niſi *ocrea-*
„ *tus* tum eſſet (quod etiamnum in
„ Doctoratu SS. Theologiæ obtinet)
„ tum *Palla chimera*, & quoad reliqui
„ habitûs colorem *Monachis* illis om-
„ nino conſimilis. Id nimirùm hono-
„ ris grata ac memor Academiæ pie-
„ tas benè merentibus deferendum
„ cenſebat.

Et Lib. 1. pag. 14. col. 1. „ ALFRE-
„ DUS Rex Collegium Oxoniæ con-
„ ſtruxit, vel inſtauravit: cui Præſi-
„ dem, ſeu Magiſtrum præfecit, eíque
„ LXXIIX. Scholares ſubmiſit, ad tres
„ diſtinctim claſſes referendos; qua-
rum

(f) Angl. vet. deſcript. pag. 267.

„ rum prima *Theologiæ*, ſecunda *Phi-*
„ *loſophiæ*, tertia *Grammaticæ* ope-
„ ram navare tenebatur. Factum id
„ anno DCCCLXXIX. cùm factis ni-
„ mirùm inter *Alfredum* & *Gothur-*
„ *num* induciis, Anglis aliquamdiu
„ reſpirare datum eſt, & converſis à
„ bello ad pacem animis ingenuis ali-
„ quantiſper artibus vacare.

Ejuſdem primi Profeſſores: S.Neot9,

Ibidem pag. 14. & 15. „NEOTUM
„ quod attinet, præcipuas in Acade-
„ mia noſtra partes agebat; ſacræ
„ enim Theologiæ Prælector erat:
„ quem vitæ tamen Monaſticæ tanta
„ brevì cupido cœpit, ut mundo ſub-
„ tractus in Cornubiam conceſſerit,
„ ibidem quod reliquum ſibi dierum
„ eſſet, in rerum divinarum contem-
„ platione poſiturus. Hunc verò non-
„ nulli filium *Adulphi*, ſeu *Ethelwol-*
„ *phi* Regis Occidentalium Saxonum,
„ *Alfredi* autem fratrem uterinum fa-
„ ciunt, ab ineunte ætate auſpiciis
„ ſancti Dunſtani in Cœnobio Glaſto-
„ nienſi educatum perhibentes. Sed
„ ad *Alfredum* revertor, cujus equi-
„ dem pietas & erga bonas literas af-
„ fectus unius Inſulæ anguſtiis claudi
„ indignabatur. Miſſo propterea in

S.Grimbaldus,

„ Galliam nuntio, GRIMBALDUM
„ quendam accivit, cujus mira eru-
„ ditio, methodúſque docendi ſingu-
„ laris Oxonienſes in acquirendis Ar-
„ tibus præcipuè adjuvarent. Natus
„ ille apud Flandros in urbe Morino-
„ rum dicitur, fertúrque in matura
„ ætate conſtitutus Monachi habitum
„ ſub Bertino induiſſe, ejúſque veſti-
„ gia ingreſſus in literis & pietate eo
„ uſque profeciſſe, ut ad ampliſſimum
„ Sodalitii decus emerſerit. Certè
„ jam diu erat, quòd fama ejus ubi-
„ que percrebuiſſet, nam cùm *Alfre-*
„ *dus* Romam proficiſceretur, monen-
„ tibus ſuorum nonnullis, *Grimbal-*
„ *dum* in tranſitu inviſit, & ab eo lau-
„ tè comitérque tractatus illam de vi-
„ ro opinionem concepit, ut cùm de
„ inſtauranda dein Oxonia cogitaret,
„ è S. Bertini cœnobio accerſierit, qui
„ Archiepiſcopi Remenſis hortatu in-
„ citatus, in *Angliam* proinde trans-
„ miſit, & in hanc poſt paulò Urbem
„ plaudentibus Academicorum ple-
„ riſque, pervenit. De tempore qui-
„ dem, quô Oxoniam perrexit, inter
„ Authores controverſum eſt.... Ve-
„ rùm hac de re curioſi non erimus;
„ ſatis eſt, & nobiſcum in Theologia
„ prælegiſſe, & quâ erat tum pietate
„ ac eruditione inſtructus, ſummum
„ tamen in Academia Magiſtratum
„ Cancellariatum utique) conſecutum
„ fuiſſe. De *Grimbaldo* hactenus;
„ poſt quem nunc ASSERIUS Mona- Aſſerius,
„ chus omnimoda cognitione inſtru-
„ ctiſſimus commemorandus nobis ve-
„ nit, qui Gramaticam Rhetoricám-
„ que explicabat, & à Rege poſtmo-
„ dùm ad Epiſcopatum *Schirburnen-*
„ *ſem* evocabatur, apud quem tam
„ ſingularem jam pridem gratiam in-
„ ierat, ut cùm *Grimbaldus* è Gallia
„ accerſendus eſſet, ut literaturæ ſtu-
„ dium in Anglia *ſopitum & penè*
„ emortuum (uti Malmesburienſis di-
„ cit) *ſua ſuſcitaret induſtria*; unus
„ ante alios dignus babebatur, qui
„ Oratoris ea in re perſonam ſuſtine-
„ ret.

„His addi poteſt, qui Academicos in Logica, Muſica, & Arithmetica inſtituebat, Monachus Eccleſiæ *Menevenſis*, nomine JOHANNES. Certè hunc *Ticini* aliquando & *Lutetiæ* docentem *Johannem Scotum* nomine innotuiſſe lego; cúmque *Grimbaldo* ac aliis nonnullis *Alfredi* rogatu Oxoniam acceſſiſſe, literiſque ibi monſtrandis operam accomodâſſe: tametſi nec ignoro *Johannem* quendam Presbyterum extitiſſe, quem *Alfredus* cum aliis in Galliam legabat, ut pertrahendum ad Oxonienſes *Grimbaldum* curaret. Prior autem ille ipſiſſimus eſt, quem *Lelandus* Scotum ſuſpicatus, quemque plures nobiſcum annos poſuiſſe, & eodem, quô *Neotum* ac *Aſſerium* tempore in Artibus prælegiſſe (*reclamitent interim Scriptores quicunque*) aſſeveranter affirmabimus: denique qui ſive *Scotus*, ſive *Erigena*, ſive *Patritius* audiat, cultiorem procul dubio literaturam percalluit, & apud Regem haud unum, honorem quem meruit, cumulatiſſimè adeptus eſt. *Rogerius* ſiquidem *Bacconus*, ſubtilis ille rerum & Autborum trutinator, pro fidiſſimo eum & oculatiſſimo linguarum interprete (neque temerè quidem, nam talis reverà fuit) deprædicat; cui tribuendum porrò cenſet, quod libris quibusdam Ariſtotelicis veris ac genuinis fruimur. *Non reliqui locum* (inquit ille Johannes) *nec templum, in quibus Philoſophi conſueverunt componere & reponere ſua opera ſecreta, quæ non viſitavi, nec aliquem peritiſſimum, quem credidi babere aliquam notitiam de Scriptis Philoſophicis, quem non exquiſivi.* Johañes.

„Pergamus verò nos de Prælectoribus noſtris primævis, quos inter „comparet *Johannes Monachus* dictus,

„ qui

„ qui & Geometriam & Aſtronomiam docuit, & vir fuit ingenio maximè perſpicaci, dignúſque in omnimoda eruditione ſamiliam ducere, denique quem *Grimbaldi* Collegam extitiſſe, nec ante adventum ejus Oxonii prælegiſſe invenio. Is Lelando *Johannes* Monachus ex Saxonia transmarina oriundus nuncupatur, appellatione enimverò diſtinctionis gratiâ potiſſimùm approbanda, cùm alii *Johannem Monachum S. Meneviæ* vocitantes, facillimo errori anſam præbeant, ut cum *Joanne* nimirùm *Erigena* (g) coincidat, qni ad S. Meneviæ natus eſt, monachus quoque ibidem, utì à Balæo ac Pitſeo memoriæ proditum eſt, deinde evaſit: etiamſi *Lelandus* in Catalogo ſuo Scriptorum Anglicorum haudquaquam recenſuit. „ *Iterum libr.* 2. *pag.* 30.

LECTURÆ REGIS ALFREDI.

„L*Ectura Theologica.* Id muneris *S. Neoto* demandatum eſt, viro doctrinæ & pietatis opinionem haud vulgarem conſecuto; cui in reſtituendis bonis literis deſudanti multùm profectò debemus Oxonienſes. Hunc excepit S. Grymbaldus, qui (ut cum Authoribus meis loquar *) primus nobiſcum Cancellarius & Doctor Ordinarius coram Alfredo Regníque Optimatibus prælectionem habuit --- *cujus maturitas, morum dignitas, eloquentiæ & doctrinæ ſublimitas, mirè omnium permulcebat aſpectus & animos* &c. prout retulit vitæ ejus ſcriptor. Natus is eſt in Urbe Morinorum; poſtquàm autem voto ſe S. Bertini adſtrinxerat, tam celebris evaſit, ut ſama ejus ad Alfredum usque noſtrum emanârit, qui inſtante *Eldredo* Archiepiſcopo Cantuarienſi virum ad ſe evocavit. Quonam id anno evenerit, incertum eſt, & ab Autboribus controverſum. Cæterùm prædictus vitæ ſcriptor * an. DCCCLXXXV. aſſignat: utcunque dubium non eſt, haud ſine ſummo Academicorum fructu, multis nobiſcum annis prælegerit, uſque dum ſcilicet ſacta aliqua veterum ſcholarium indignè ſerens, ad Abbatiam Hydenſem, in ſui nempe gratiam ab *Alfredo* ſub id extructam ſeceſſerit. De eodem porrò notandum, quod cùm in Anglia aliquantiſper egerat, Archiepiſcopatum Cantuarienſem ab *Alfredo* ultrò oblatũ ſuſcipere detrectavit; à Rege verò impetravit, ut *Plegmundus* ad dignitatem illam eveberetur. Diem denique óbiit in præſato cœnobio, corpúſque ejus loculo primùm ligneo incluſum, in argenteum deinceps tranſtulit *Ealphegus* Epiſcopus Wintonienſis. De *Grimbaldo* autem id amplius dicendum, quod ejus, aliorúmque Gallorum hortatu factum eſt, ut regnante Alfredo, quò faciliùs legerentur Cbartæ Regiæ, Gallicis characteribus ſcribi cœperunt, Saxonicis nimirùm primitus exaratæ.

* *Annales Wintbon. MS. Ranulphus Ceſtrenſis in fragmento quodam Polychronici.*

* *Anon. MS. & Leland. in vol. 1. Collect. pag. 21.*

„ *Lecturæ Grammaticæ & Rhetoricæ.* Provincias haſce adminiſtrabat *Aſſerius Menevenſis*, vir omnifariàm eruditus, Regíque Alfredo eo maximè nomine impendio cbarus, ac proptereà ad Epiſcopatum *Schirbournenſem* promotus, teſtante, qui vitam *S. Grimbaldi* contexuit; tametſi non ignoro, recentiores quosdam hæc alteri *Aſſerio* ac Epiſcopo Menevenſi, prædicti autem avunculo anno Domini DCCCCVI. obeunti aſſerere; ipſum verò quem volumus *Aſſerium* poſt an. DCCCLXXXIII. fato functum referre.

„ *Lecturæ Muſicæ & Arithmeticæ.* In his muneribus verſatus eſt *Johannes* Monachus *Menevenſis*, quem Antiquarius noſter ab Apographo quodam *Aſſeriano* (ubi *Johannes Scotus* appellatur) Logicam Ariſtotelis & Averrois Oxonienſibus prodidit aperuiſſe. Hic ille eſt, quem plerique Scriptores pro *Johanne Erigena* habent, Monacho utique Menevenſi, & prout nunnullis viſum eſt (quamquàm aliter ſentiunt quàm plurimi) à Græcis oriundo.

„ *Lecturæ Geometriæ & Arithmeticæ.* In his Facultatibus prælegit *Johannes* Monachus (de quo ſuprà in hiſtoria) S. *Grimbaldi* familiaris ab Annalibus Wintonienſibus nuncupatus, & ab *Alfredo* demùm ad Cœnobiarcham Atbelingienſem evectus.

„ Hæ primæ fuerunt noſtræ Univerſitatis (quantum cognoſcere datur) *Lecturæ*, auſpiciis Regis *Alfredi* inſtitutæ, iſtíque etiam Prælectores (ut ita dicam) laureati, qui tum legebant, & quorum veluti genialium „Syde-

(g) Fallitur hic *Woodus*; neque enim *Joannes Erigena* è cœtu monachorum fuit, ſed in aula *Caroli Calvi* aliquamdiu verſatus hæreticas doctrinas ſparſit, de quibus cùm Rex Carolus per Nicolaum Papam admonitus fuiſſet, *Erigena* ſolum vertit, atque è Gallia ſe proripuit.

„ Syderum influxn diviniſſimus ille Rex, languentes jam diu Muſas ab exilio & penè interitn revocare & refovere cœpit. „

Operâ Benedictinorum in literis reſtituendis utitur Carolus Calvus,

Utì verò Rex *Alfredus* in Anglia, ſic *Carolus Calvus* in Gallia ſcholas & literas tam bellorum civilium conflagratione, quàm Normannorum infeſtationibus attritas reſtaurare ſategit. Unde *Hincmaro* teſte, è monaſterio S. Dionyſii presbyterum monachum ad Abbatiam Laudnnenſem evocavit, non ut Abbas, aut Præpoſitus crearetur, ſed ut ſtudiis & lectionibus præeſſet. *Ad doctrinæ atque religionis inſtitutionem, non autem ad regularem prælationem accerſit.* Nam ut ex Chronico Centulenſi diſcimus: *In hoc Cænobio Duces, Comites, filii Ducum, filii Comitum, filii etiam Regum educabantur.*

& Fulco Remenſis Archiepiſcopus

Non minori curâ *Fulco* Remenſis Archiepiſcopus, qui in Sithienſi, ſeu S.Bertini monaſterio fuerat educatus, in Gallia literarum ſtudia paſſim languere cœpta ſub finem hujus ſeculi per monachos noſtros inſtaurare ſategit. Nam duplicem in Eccleſia ſua reſtituit ſcholam, & uni Remigium Antiſſiodori apud S. Germanum; alteri Hucbaldum Elnonenſem ſeu S. Amandi in Belgio monachos præfecit. *Hic ſollicitus*, inquit Frodoardus, (h) *circa Dei cultum, & ordinem eccleſiaſticum, amore quoque ſapientiæ fervens, duas ſcholas, Canonicorum ſcilicet loci, atque ruralium Clericorum, penè dilapſas reſtitnit; & evocato Remigio Antiſſiodorenſi magiſtro, liberalium artium ſtudiis adoleſcentes clericos exerceri fecit, ipſéque cum eis lectioni ac meditationi ſapientiæ operam dedit. Sed & Hucbaldum ſancti Amandi monachum, virum quoque diſciplinis ſophicis nobiliter eruditum accerſivit, & Eccleſiam Remenſem præclaris illuſtravit doctrinis.*

Baluzius corrigitur.

Cæterùm ad calcem hujus ſeculi tria verba de Cl. *Stephano Baluzio* adjicere liceat. Is, vir licèt eruditiſſimus, teſte tamen Cardinali *de Agvirre* peccat plurimùm, dum Epiſcopis & Clericis reliquis generatim *ævo Caroli Magni* (id eſt, majori parte ſeculi octavi & non exiguâ noni) *ſtupendæ ac miſerabilis ignorantiæ* deterrimam notam inurit. Unde Purpuratus Pater ſollicitè hanc labem æquo majorem ab iis deterſit, propoſitis ex ſeculo octavo & maximè nono exemplis, iíſque potiſſimùm à Benedictina Familia petitis, virorum his temporibus non eruditione minùs ac doctrinâ, quàm zelo pto Eccleſiæ diſciplinâ celebrium *Gregorii II*, *Venerabilis Bedæ*, *Servati Lupi*, *Adonis* Viennenſis, *Hincmari* Remenſis, & aliorum, qui partim à nobis paulò antè recenſiti fuerunt, partim hujus Hiſtoriæ Parte III. Cap. vi. nominatim recenſendi venient.

Bella Normannica ſtudiis officiunt.

Nec ſemper in Monachos, quandóque etiam majori jure in hoſtes culpa ignorantiæ conferenda eſt. Graſſante enim barbarie quis literarum elegantiam ac nitorem deleri miretur? Jam verò in Italia Saraceni, in Hiſpania Mauri, in Anglia Dani, in Gallia & Germania Normanni immani rabie ac furore graſſati fuerunt. Infelicem & lamentabilem Eccleſiæ Germanicæ ſtatum, in quo à Carolo Craſſo Imperatore relicta fuit, Patres Synodi Moguntinæ anno 888. his verbis in Præfatione deplorant: *Videte & conſiderate, quàm præclara, & nobilia ſervorum Dei ædificia deſtructa & incenſa ſint, & funditùs ad nihilum redacta; altaria defoſſa, & penitus conculcata; ornamenta eccleſiarum Dei valde pretioſa, & mirifica, direpta, & igne exuſta. Epiſcopi, & Sacerdotes, & cæteri Ordinis Eccleſiæ viri gladio truncati, & diverſis pœnarum generibus morti addicti; Omnis ætas utriusque ſexûs, gladio, & igne diverſo mortium genere abſumpti.... Subverſionis periculum incolæ monaſteriorum utriusque ſexûs incerti, penitúſque omni ſolatio deſtituti, quid agendum, quóve declinandum, errabundi cum periculo ſuæ profeſſionis, ſine paſtore ignorant.* Et in tantâ incurſionum Normannicarum crudelitate Monachi totâ animi contentione literas excolere vel voluiſſent, vel potuiſſent? Quis rigidiſſimus exactor hoc ab ipſis exigere auſus fuiſſet?

SECULUM ÆRÆ CHRISTIANÆ X, BENEDICTINÆ V.

Status rei literariæ ab anno Chriſti 900. ad 1000.

DEcurſis quatuor primorum Ordinis ſeculorum ſtadiis nunc ad illud accedimus, quod ſui aſperitate ac boni ſterilitate *ferreum*, malíque exundantis deformitate *plumbeum*, atque Scriptorum inopiâ *obſcurum* appellat ſummus Annalium Eccleſiaſticorum conditor *Baronius*. Neque profectò ſuo colore caret hæc effigies, quantumvis deformis, maximè ſi in Romanam Sedem oculos conjicias: quæ cùm antea fuiſſet Eccleſiæ uni-

ver-

(h) Lib. 14. cap. 6.

verſæ principale decus & ornamentum, ac fons purioris Sanctitatis; tunc temporis ab indignis invaſoribus fœdiſſimè conſpurcata fuit. *Et hæc quidem conſideratio*, inquit Mabillonius (i), *maximè perſtrinxit illuſtriſſimum Cardinalem, ut nihil ferè niſi tenebris & flagitiis plenū cerneret, ſive quod multa eum deficerent Actorum veterum, quæ poſt eum vulgata ſunt, monumenta; ſeu quod mentis ejus acies præcipuè in Romanam Eccleſiam defigeretur*... Verùm qui ſimpliciori & communiori oculorum intuitu univerſam Eccleſiæ per id temporis faciem remotis præjudiciis contemplati ſunt; multa quidem in illo ſeculo gravi animadverſione digna obſervârunt, ſed non ita deplorata omnia, nihil ut priſtinæ ſanctitatis & doctrinæ tunc ſuperfuiſſe exiſtimaverint. Immò *complures Viros Sanctimoniâ præſtantes* agnoſcunt, *atque* SCIENTIA, *qualis ad incorruptam Eccleſiæ doctrinam ad poſteros transmittendam neceſſaria erat*. Sed cùm opportuna ad id demonſtrandum præſidia congerere nequaquam illorum propoſiti fuerit, nec antehac quisquam fortè plura in eam rem, quàm *Mabillonius* retulerit, operæ pretium duximus nonnulla ex eo aliiſque noſtras in areolas derivare, ut ſaltem æquos rerum arbitros inducamus ad ferendam de illo ſeculo favorabiliorem ſententiam.

Familiæ Benedictinæ illuſtres viri. Ne autem longiùs exempla ſumamus, certè tametſi melioribus Muſis barbaro hoc ævo cum adverſa luctandum fuerit fortunâ; id tamen impedire non potuit, quominùs *Familia Benedictina* eruditos omninò ſolertéſque tulerit homines numero haud paucos, qui utùt iis Literarum luminibus, quæ priora illuſtrârunt tempora, comparari nequeant, nulli tamen pepercerunt operæ, ut impetum minitanti barbariei vallum quaſi objicerent, eámque à finibus ſois utcunque arcerent. Videas profectò hîc non minùs atque ſuperiori ætate *Theologos*, *Philoſophos*, *Mathematicos*, *Hiſtoricos*, *Oratores*, *Poëtas*, uti tunc erant tempora, *eximios*. Videas florentes, quas ſingula propemodum Monaſteria habebant ſcholas, ac tùm celebritate Doctorum, tùm diſcipulorum numero illuſtres; Videas denique viros etiam ſanctitate & doctrinâ inſignes, & quidem complures, qui incorruptam Chriſti cum bonis moribus doctrinam ſcriptis ſuis ad poſteros transmitterent. Nec in ipsâ defuerunt Italia Sacrorum ex Ordine noſtro Antiſtites, qui zelo Apoſtolico Eccleſiæ diſciplinam, & Canonum authoritatem gnaviter propugnarent. Teſtes huc appellare licet *Ratherium* Veronenſem, & *Attonem* Vercellenſem Epiſcopos, ex quibus ille, *dùm in mores hominum tam Scriptis, quàm verbis mordaciter nimis inveheretur, & nec potenti nec humili penitùs deferret*, (k) Sede ſuâ non ſemel deturbatus eſt. Paulò minùs obſcurus eſt *Atto* ſeu *Abito* Vercellenſis, Theologiæ & Ss. Canonum peritiſſimus; cujus plurima ingenii monumenta extulit noſter *Acherius* in Spicilegii Tomo VIII.

Celebritas Remenſis Scholæ. Sed miſſis Italis ad Gallos veniamus. Certè poſt *Remigium* & *Hucbaldum*, de quibus paullò antè, *Frodoardus* Abbas Remenſis, *quo nullus Seculo X. Poëta & Hiſtoricus aut doctior aut accuratior*, literarum ſtudia gnaviter excoluit, quæ à GERBERTO *Abbate ſcholari* dicto, poſtea *Sylveſtro II.* Romano Pontifice, magis excitata fuerunt. Tantam verò famam Remenſi ſcholæ *Gerbertus* conciliaverat, ut *Hugo Capetus* Rex Galliæ *Robertum* filium, qui deinde ab ejus obitû regium conſcendit thronum; OTTO II. Imperator filiū ſuum *Ottonem* poſtea etiam Imperatorem Remos miſerint, liberalium artium diſciplinis inſtituendos; qui quantum cum literis amorem adversùs magiſtrum imbiberint, quámque inſigne labentibus annis ei perſolverint minerval, infrà dicturi ſumus. Inter alios ejusdem diſcipulos principem facilè locum meretur *Fulbertus* Carnotenſis Epiſcopus, & ipſe, teſte *Baronio*, *Bulæo*, aliíſque, *monachus S. Petri in Valle Carnotenſi*, qui ex auditorio Remenſi, ubi ſub *Gerberti* diſciplina meruerat, reverſus Carnutas, ſcholam ibidem aperuit, diſcipulorum undequaque confluentiâ pernobilem; quamobrem *Adelmannus* eam in quadam ad *Berengarium* epiſtolâ *Academiam* vocat.

Item Floriacenſis. Alias non incelebres in Galliâ ſcholas tenuit S. ABBO Martyr, & Abbas Floriacenſis; qui à *Gerberto* Remis eruditus, domúmque reverſus Floriacenſibus ſcholis præfectus eſt; ubi ad quinque ampliùs millia ſcholarium ſimul extitiſſe dicuntur, qui ſinguli muneris honorarii gratiâ bina monaſterio volomina offerebant. Quantæ verò doctrinæ & eruditionis S. *Abbo* fue-

E 3

(i) Mabillon in Præf. ad Sec. V. Bened.
(k) Geſta Epiſcop. Leodienſ. Tom. I. pag. 173. & 177.

fuerit, ex nullius ſermone magis cognoſci poteſt, atque *Ademari* Engoliſmenſis, qui in Concilio Lemovicenſi de ipſo ſermonem habuit, (quem *Cl. Stephanus Baluzius* dignum exiſtimavit, ut illum cum Joanne Mabillonio typis publicis vulgandum communicaret. Sic verò inter cætera de *S. Abbone* loquitur:

„ In quo Martyre tantum domicilium ſapientia ſibi collocaverat, ut „ ſui temporis eruditi, quamquam „ innumeri florerent, præ omnibus tamen auctoritas ejus maxima duceretur, ita ut in tota Gallia & Germania, atque Anglorum gente (*nam illic quoque famoſiſſimus habebatur*) de quacunque ventilaretur quæſtione, ſi „ quis audiſſe ſe diceret ab illo definitionem, nihil plus auctoritatis re„ quireretur; judicabatur ab omnibus „ ratum eſſe, quod ab ore tanti viri „ auditum eſſet: qui auctoritate quaſi „ alter Salomon præcellebat. Etſi „ eſſet habitatû vel natû Francus, eloquio tamen Romano clarus, ac ſi „ alter judicabatur Tullius. In Conciliis Patrum coram Regibus & Principibus ſolus propoſita diſcernebat, „ ſolus omnium magiſter paucis verbis „ dubitationi finem dabat. Omnes, „ licet peritorum peritiſſimi, ex ore „ ejus pendebant, eo præſente digi„ tum ori ſuperponebant. Ita magnus „ ſapientia, præterquàm quòd ſeptem „ columnis liberalium artium fultus „ erat, plenus auctoritatis & gratiæ „ omni Eccleſiæ ornamentum erat. „ Conventus Epiſcoporum decorabat, „ omnia ſua dicta auctoritate divinarum Scripturarum approbabat, & „ quidquid ex ejus ore procedebat, „ quaſi quodam modo non humanum, „ ſed divinum ſonabat. „ Hæc ille.

Expetitur in magiſtrû.

Diaconus autem erat adhuc *Ab*... quô tempore *S. Oſwaldus* ex Floriacenſi monacho Wintonienſis in Anglia Epiſcopus, atque inde Eboracenſis Archipræſul nuntium cum literis ad Floriacenſe monaſterium direxit ad poſtulandum ſibi quemdam ſapientûm virorum, qui Rameſienſis à ſe conditi monaſterii cœnobitas pietate ac literis informaret. *Oilboldus* Floriacenſis Præſul ut tanto Antiſtiti rem quàm gratiſſimam faceret, *Abbonem* mittere ſecum decrevit. Eum verò non tam imperioſa authoritate, quàm lenitate verborum perpulit, ut pro eâ, quâ pollebat, divinarum humanarúmque literarum peritiâ inſtruendorum Rameſienſis cœnobii Monachorum provinciam ne defugeret. Non defugit; ſed præclarè adeò eâ functus eſt, ut teſte *Guilielmo* Malmeſburienſi *multam ſcientiæ frugem Angliæ invexerit.* Atque hunc in modum Gallia ope *Abbonis*, *Grimbaldi*, *Johannis Altſaxonis*, & ſociorum, par pari tunc Angliæ reddidit, propter ea, quæ *Alcuinus* in ſe contulerat beneficia.

SS. Dunſtanus & Ethelwoldus ſtudia apud Anglos reſuſcitant.

Præter *S. Oſwaldum* verò alii duo ſancti Pontifices Benedictini, DUNSTANUS, atque ETHELWOLDUS cùm collapſam in Anglia diſciplinam hoc ævo reſarcire cuperent, ſopitas etiam in monaſteriis ſcientias eâ de causâ reſuſcitare ſtuduerunt. Nam, ut teſtatur *Ælfricus* Grammaticus apud *Speelmannum*, usque adeò literarum ſtudium in Anglia defecerat, ut ſacerdos nullus Anglicus epiſtolam nôſſet vel Latinè edere, vel è Latino interpretari, usque dum Archiepiſcopus Cantuariæ *Dunſtanus*, & Epiſcopus Wintonienſis *Ethelwoldus* hanc in monaſteriis reſuſcitarent. Et quidem *Dunſtanus* Glaſtonienſes monachos, *Ethelwoldus* verò nondum Epiſcopus, Abendonienſes, Epiſcopus autem Wintonienſes cœnobitas in diſcipulis numeravit. ÆLFRICUS *Gramaticus* è Wintonienſibus fuit. Ipſe enim in epiſtola ad *Kenulphum*, vitæ Ethelwolphi præfixâ, ſeſe Wintonienſem alumnum appellat. In aliis verò ſuis ſcriptis & virtutem & eruditionem præceptoris deprædicat. Sic in præfatione prima ad Gramaticam Saxonicam, *ſicut didicimus in ſchola venerabilis Præſulis Ethelwoldi, qui multos ad bonum imbuit.* Sane præclaros Ethelwoldi conatus in re literaria apud Benedictinos, atque adeò Anglos omnes inſtaurandâ alius ipſius diſcipulus *Wolſtanus* nobis in vitâ ejus cap. 31. teſtatos dedit: *Dulce namque erat ei*, inquit, *adoleſcentes & juvenes ſemper docere, & Latinos libros Anglicè eis ſolvere, & regulas Grammaticæ artis ac metricæ rationis tradere, & jocundis alloquiis ad meliora hortari.* Sic ſanctiſſimus Præſul diſcipulis, velut teſtulis eos inſtillavit virtutis & doctrinæ latices, qui ſubinde in eâ colluvie morum ac hominum ad decus & ſalutem totius Angliæ redundârunt. *Ethelwoldi*, ut diximus, erat diſcipulus *Ælfricus* Gramaticus, Wintonienſis monachus, cognomento *doctus*, ſeu *ſapiens*. Quod quidem cognomen jure illi datum fuit; quum

Præcipuè Ælfricus.

ipſe ſolus plus omnibus ſimul ſuæ ætatis Anglis in rem literariam contulerit. Abbas Malmesburienſis creatus, monaſterii ſui ſcholam olim percelebrem inſtauravit, in gratiam diſcipulorum *Grammaticam Latino-Saxonicam* elucubravit, nonnulla verò *Donati* ac *Priſciani* Saxonicè vertit, multáque alia præclara ad fovendas bonas literas ſuſcepit; maximè cùm ad dignitatem Archiepiſcopi Eboracenſis evectus fuit. Animam de literarum ſtudiis optimè meritam Deo reddidit propior centenario anno 1051. cùm anno circiter 952. natus fuiſſet. Illius mentio nobis paulò pòſt iterùm erit facienda.

Literarũ ſtudia excoluntur inGermaniæ monaſteriis.

In Germaniæ monaſteriis literarum ſtudia vel viguêre, vel certè quidem reſtituta fuerunt. Sic (l) CHUNIBERTUS ex ſancto Gallo, generis proſapiâ, rerum cognitione, ac religionis obſervantiâ illuſtris, Henrici Bajoariæ Ducis interventû ſcholas Salisburgenſes, VICTOR (m) quoque ejusdem inclyti Aſceterii alumnus ab Erchenbaldo, Argentoratenſium Epiſcopo, cognato ſuo, ob miram, quâ præſtabat, eruditionis copiam evocatus, tantum doctrinis ſuis effecit, ut Argentinenſes ſcholæ inter florentiſſimas poſtea connumeratæ fuerint.

præcipuè in San-Gallenſi,

Præter hos in S. Gallo reperimus hoc ævo viros doctiſſimos, è quibus hic unius duntaxat meminiſſe ſufficiat. KEROLDUS monachus à ſuſcepto Diaconatû ſcholarum erat Magiſter; quo in munere *Theodericum* ſeu *Dietericum*, Metenſem poſtea Epiſcopum, in multis diſcipulum habuit. Non ita procul à S. Gallo diſtat Augienſe monaſterium, in quo id temporis S. WOLFGANGUS etiamnum adoleſcens eruditionis causâ morabatur, qui ob acumen ingenii ipſis etiam Magiſtris ſuis admirationi fuiſſe dicitur. Eò verò ſe contulerat, non ut circumforaneam quandam, hauſtámque de trivio ac circulis, ſed exquiſitam ac reconditam imbiberet doctrinam. Tanta erat Augienſis ſcholæ celebritas. Condiſcipulum verò *S. Wolfgangus habuit* HEINRICUM, nobilis itidem proſapiæ adoleſcentem, ex illuſtri Francorum ac Suevorum ſtirpe genitum, qui Trevirenſis ſubinde creatus eſt Archiepiſcopus.

Augienſi,

Nec ſtudiorum inſtauratione opus fuit in *Fuldenſi*, *Hirſaugienſi*, *Corbeienſi*, *Prumienſi*, aliíſque Germaniæ monaſteriis, quæ omnia ſi percenſere vellem, nimius forem. Sanctorum Maximini tamen & Mathiæ cœnobia propè Treviros ſilentio prætermittere non poſſum. *Florebat illâ ætate*, inquit Henricus Meibomius, (n) *famâ pietatis, ſtudiorum, & diſciplinæ antiquiſſimum S. Maximini ad perveluſtam Trevirorum urbem Familiæ Benedictinæ cœnobium ſub Ogone* (aliis eſt HUGO) *ejus loci Abbate triceſimo ſexto.* „Ab eo OTTO M. Imperator impetra„vit *Annonem*, honeſtiſſimâ apud Cat„tos familiâ natum, ſpectatæ doctri„næ & integritatis virum: quem cum „ſodalitio ſuo in Saxoniam adventan„tem, dici vix poteſt, quàm comiter „Cæſar exceperit, quàm benignè tra„ctârit, quantis beneficiis affecerit, „traditis ei regiæ ſtirpis procerum „filiis, moribus & pietate inſtruen„dis.. „ *Trithemius* translationem hanc collocat in annum 940. & ANNONEM vocat *virum in ſcripturis tam divinis, quàm ſecularibus multùm eruditum, & non minùs integritate morum, quàm ſcientiâ venerabilem.* Quatuordecim annis præfuit gregem multiplicans, eíque verbo & exemplo invigilans, ut Chronicon Magdeburgenſe Mſs. perhibet. In hâc eâdem ſcholâ, utì refert citatus Trithemius ad an. 940. *Magiſter ſcholarum fuit* Herdingus, *qui &* Adelbertus *monachus eruditione Scripturarum inſignis, & vitæ merito ſanctiſſimus, qui poſtea Magdeburgenſis Eccleſiæ primus Archiepiſcopus fuit ordinatus.* Poſt Adelbertum ibidem magiſterio præfuit MARINUS anno 999. defunctus, de quo Trithemius pag. 143.: *Vir*, inquit, *in omni genere ſcientiarum doctiſſimus, qui monaſticæ ſcholæ in eodem loco* (S. Maximini Cœnobio) *plurimis annis præfuit, & multos Monachorum ad perfectam Scripturarum notitiam introduxit.* Proſequitur deinde Trithemius acta ejusdem ſcholæ his verbis: *poſt hunc* Rathbodo *monachus ſcholæ Magiſter præfectus, patriâ Moſellanus ex Longovico* (Lonqnich.) *qui uno diſtat in deſcenſu fluminis à Treviris milliario, natus, magnum eruditionis ſuæ palam experimentum dedit. Nam peregrinum hominem doctrinâ hæreticum cunctis, ut putabatur, invincibilem, primo Diſputationis congreſſu vicit, & mox ad pænitentiam conver-*

S. Maximini cœnobio.

Anno ſpectatæ vir doctrinæ & pietatis,

Adelbertus Scholaſtic.

Marinus,

Rathbodo,

(l) Mezler de vir. Ill. S. Galli lib. 1. c. 32.
(m) Idem l. c.
(n) Rer. Germ. Tom. III. in Chron. Berg. Monaſt. pag. 292.

convertit, qui in eodem cœnobio S. Maximini factus monachus in omni ſanctimonia vitam conſummavit. Rathbodo *enim Præceptor juvenum monachorum non ſolùm ſcientia Scripturarum fuit illuſtris, ſed etiam vitæ merito præclarus, & ideò non ſolùm ad ſcientiam diſcipulorum intellectum illuminare ſtuduit, ſed multò magìs affectum ad Dei amorem inflammare curavit. . .* Hîc etiam præcipuè commendandus occuccit

Sighardus.

Sigebardus, qui *Wickeri* Abbatis ſui juſſu ſtylo elegantiori, ut ea fecebat ætas, ſub *Ratbodi* Archiepiſcopatu ſcripſit *Opus de miraculis S. Maximini*, quod ad diem XXIX. Maji edidêre Antuerpienſes Hagiographi.

S.Mathiæ ſchola Sec. X.

Scholæ *San-Mathianæ*, quæ priori jam ſeculo fulgebat, Hiſtociam proſequens Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum 909: *Eodem*, inquit, *anno obiit*

Eberhardus Scholaſticus,

Eberhardus *Monachus & Scholaſticus S. Mathiæ Apoſtoli in ſuburbano Trevirorum, qui inter cetero ingenii ſui monumento compluro ad Hiſtoriam Trevirorum addidit, vitam quoque Ss. Eucbarii, Valerii & Materni primorum Trevirenſium Pontificum, tam metro, quàm proſa elegantiori ſtylo conſcripſit. Hymnos etiam varios, cantus & proſas in laudem Sanctorum plures edidit, oc diverſa Epigrammata lucubrovit.* Pecgit deinde Trithemius:

Richardus,

Poſt bunc Richacdus *monaſticæ ſcholæ præficitur, quam ſcribendo & docendo per annos fermè XVI. ſtrenuè gubernans, multos in omni Scriptura diſcipulos eruditos inſtituit.* Porrò ad annum 932: *Claruit bis temporibus poſt*

Diethelmus,

Richardum Scholaſticum Diethelmus *Monachus & Magiſter ſcholarum doctiſſimus, qui à bono præceptore aptimè inſtructus multos in omni ſcientia diſcipulos doctiſſimos reliquit. Erat enim non ſolùm ſcientiâ Scripturarum magnificus, ſed etiam mirabili quâdam gratiâ docendi præditus, quâ ſuis auditoribus multa parvo tempore tradere potuit, quæ cæteri fortè pluribus annis vix impertiri olicui potuiſſent.* Inde poſt alia ad annum 955: *Eodem*, infit, *anno mortuus eſt* Diethelmus *Monachus & Magiſter ſcholarum apud Treviros in monaſterio S.Mothiæ; Vir moribus & eruditione Scripturarum inſignis. Poſt quem Ma-*

Adelbertus,

giſter ſcholarum conſtitutus fuit Adelbertus, *monachus ejusdem Cœnobii, vir prudens, & in omni genere ſcientiarum doctiſſimus. . . Præfuit ſcholæ annis XXIV, menſibúsque tribus. . . Poſt quem ſcholis monachorum præfectus eſt* Theo-

Theodericus,

dericus *ejusdem monaſterii monachus, tam in divinis Scripturis, quàm in ſecularibus literis egregiè doctus; præfuítque ſcholis ſtrenuè annis XIV, & multos inſignes diſcipulos gloriosè inſtituit. . .* Theodericum anno 996. defunctum excepit

Theodorus.

Theodorus, quem Trithemius pag. 142. à multa lectione & eruditione, tam in divinis Scripturis, quàm in ſecularibus litecis & gratiâ docendi prædicat. Atque hic erat ſtatus flocentiſſimæ illius apud Treviros ſcholæ ſeculo X.

Epternacenſes Scholaſtici: Marquardus,

Huc etiam ceferenda venit *ſcholo Epternacenſis* eâ quoque ætate percelebris, de qua idem Trithemius ad annum 932: *Marquardus*, inquit, *Monochus & Scholaſticus in Cœnobio S. Willebrordi Epternacenſi bæc tempora ſuâ eruditione & ſcriptis reddidit clariora: Nam cùm eſſet in omni Scripturarum ſcientio doctiſſimus, varia ad utilitatem poſteritatis lucubravit opuſcula; Ex quibus exſtat in Muſicam Boëtii commentariorum inſigne opus, quod* LUDOVICO *Gallorum Regi inſcripſit. De ſeptem ortibus, quas liberales vocant, libros totidem compoſuit . . . cum oliis multis, quæ profundum bominis teſtantur ingenium.* Macquacdo anno 952. vitâ functo in cathedra Epternacenſis

Heribertus,

ſcholæ ſucceſſit *Heribertus*; de cujus lucubcationibus agit Tcitbemius pag. 112: *Etenim*, inquit, *ſicut Meginfridus meminit, divinarum Scripturarum explanotor fuit ſubtiliſſimus, & multos in utriusque libros Teſtamenti commentarios fecit*... Huic in Magiſterio ſcholæ monaſticæ ſucceſſit

Rudgerus,

Rudgerus ejusdem cœnobii monachus, *qui*, uti pro ſequituc idem ad an. 990, *ſcripſit non ſpernendæ utilitatis commentarios; in omnes videlicet Epiſtolas Pauli libros quatuordecim. In Regulam S. Benedicti explanationem elegantem... & quædam alia... Poſt bunc Monaſticæ ſcholæ Magiſter inſtitutus in præfato cænobio*

Adelharius,

Adelharius *quidam monachus & poſtmodum Abbas, vir & ipſe omni varietate Scripturarum doctiſſimus, qui inter cætera lucubrationum ſuarum opuſcula Chronicon ſui compoſuit cænobii. Scripſit & alia quædam non contemnendæ lectionis opuſcula, quorum mentionem fecimus in ſecundo libro Virorum Ordinis noſtri illuſtrium.* Hæc de ſcholis Trevirenſibus Trithemius, & ex eo illuſtris noſtcæ ætatis Scriptor

Hontheimii monitum,

Hontheimius in Hiſt. Diplom. Tcevirenſi Tom. I. pag. 252. ſubdens: *Sanè, cùm bæc monaſtica patriæ decoro mente recolo, non poſſum non impensè dolere ævi*

noſtri

noſtri fatum, quo inter tot Abbatiarum noſtrarum LECTORES, *eruditos cæteroquin Dialecticæ & Theologiæ Magiſtros, ne unus de relinquendo poſteritati proprii ingenii fructu cogitat, aut etiam de publico dandis iis, quos à Majoribus ſuis relictos acceperunt; ſed quos recenſuimus codices cum blattis & muribus infeliciter pugnare malint.*

Corbeiæ Novæ Scholaſticus Othericus. De florentiſſima quoque ſchola *Corbeienſi*, ut pauca interſeram, poſtulat inſtituti noſtri ratio. In ea majori præ reliquis nominis famâ inclaruit OTHERICUS Scholaſticus, quem Crantzius *Virum eâ tempeſtate doctiſſimum* appellat, cujus doctrinæ fama celebris, auditores etiam illius celebres reddidit; qui enim *Othericum Corbeienſem* meruit audire præceptorem, aliquid ſibi ſupra cæteros accepiſſe videbatur. Tantæ doctrinæ celebritas virum illum Archiepiſcopali Infula Magdeburgenſi dignum eſſe exiſtimavit. Quâ in dignitate Othericum præceſſit B. ADELBERTUS ex monaſterio S. Maximini Trevirenſis, de quo in ejus Eccleſiæ Annalibus legimus in hæc verba: *Hic inſtructiſſimus omnium liberalium artium ſcientiâ, perfectus diſcretione, manſuetudine, innocentiâ, in diebus ſui ſacerdotii ſolerter commiſſo invigilabat gregi.* Et poſt pauca: *Traduntur plures & ingenui procerum & regiæ ſtirpis filii ſub tanti Patris inſtitutionibus, claram dominicæ ſervitutis militiam inchoaturi.*

Adelbertus.

Moguntiæ apud S. Albanum. Quid laudis verò ac encomii de ſchola apud S. Albanum Moguntiæ promit *Georgius Helwich* è Clero ſeculari Presbyter, inter Moguntinos Scriptores minimè incelebris. *Quemadmodùm*, inquit, *quondam in monaſteriis conſuetudo celeberrima fuit, ut ſcholæ monachorum in ſingulis penè cœnobiis haberentur, quibus non ſeculares homines, ſed monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatiſſimi: ſic hæc ipſa conſuetudo quoque in hoc loco [S. Albani Monaſterio] fuit recepta; ubi viri ſancti ac docti monachorum inſtitutores facti, plurimos poſt ſe doctiſſimos diſcipulos reliquerunt, literis ſacris ſimul ac ſecularibus abundè inſtructos, in mathematica, aſtronomia, arithmetica, geometria, muſica, rhetorica, poëſi, hiſtoria, & in cæteris omnibus ſcientiis maximè eruditos, qui religionem chriſtianam apud rudes illuſtrârunt, ac adversùs gentilium atque hæreticorum proterviam, defenderunt.* Quorum quosdam, qui ſeculo X. claruerunt, hoc loco commemorandos duximus.

Viri illuſtres hujus monaſterii Sec. X.

Rupertus. RUPERTUS, hujus loci monachus, nec non ſcholæ monachorum in hoc loco publicè præſidens; vir ætatis ſuæ Theologorum nobiliſſimus, Græco ac Latino eloquio inſtructus, rhetor inſignis, poëta gravis, & ingenioſus, muſicus abſolutiſſimus, *D. Albani* vitam heroico verſu doctiſſimis voluminibus complexus eſt. Homilias quoque & ſermones elegantiſſimos ad populum habitos conſcripſit. E vita migravit anno Salvatoris DCCCCXL in ſuo monaſterio (o) ſepultus.

Adalbero. ADALBERO, Monachus cœnobii S. Aurelii Hirſaugienſis, Scholaſticus factus eſt Monaſterii hujus ad S. Albanum anno DCCCCX. ubi tunc viguit magna multitudo monachorum, quos cùm glorioſè in omni ſcientia tam divinarum, quàm ſecularium inſtrueret, magnam eruditionis famam apud omnes homines acquiſivit, qui tandem poſt paucos annos per Archiepiſcopum Moguntinum Herigerum Abbas S. Ferrutii in Bleidenſtatt factus eſt. Erat enim vir dignus honore, non ſolùm propter incomparabilis ſcientiæ doctrinam, ſed etiam ob prudentiam & omnimodam vitæ ſanctitatem.

Joannes. JOANNES, ſedulus Adalberonis auditor, eo ad monaſterii Bleidenſtadenſis regimen traducto, ſcholæ ad D. Albanum Magiſter factus eſt. Ejus ſcripta Trithemius (p) recenſet.

Libatius. LIBATIUS hujus quoque monaſterii Profeſſus, fuit vir moribus & converſatione ſanctiſſimus. Claruit anno Chriſti DCCCCLXXXIII. Hunc BENEDICTUS Papa VII. propter incomparabilem ſcientiam ſcripturarum & zelum fidei chriſtianæ in Epiſcopum ordinavit, & ad prædicandum Evangelium gentibus in Ruſſiam miſit, quò tamen non pervenit, ſed ut *Regino* (q) ſcriptor coævus fidem facit, quibusdam dilationibus ab itinere ſuſpenſus priùs è vita diſceſſit.

Theodericus. THEODERICUS, monachus hujus loci, inſigni ſpectatâque virtute præditus, vir in ſcripturis divinis & ſecularibus multùm eruditus, Philoſophus inſignis, Hiſtoricus gravis, Theologus

(o) vid. Trithem. Chron. Hirſaug. ad an. 894. pag. 46.
(p) l. c. ad an. 925.
(q) ad an. 960. p. mihi 80.

logus celeberrimus, multarúmque literarum ac rerum peritiſſimus Scholaſtici in hoc monaſterio obiit partes. *Moguntinorum Pontificum* vitas accuratè & copiosè deſcriptas, & ſingulorum rebus geſtis atque temporum annotatione diligenti inſignitas collegit. Rursùs *Cantica Canticorum*, Evangelium quoque *Joannis* doctiſſimis Commentariis illuſtravit. Alia ejus ſcripta recenſet Trithemius, & ex eo Georgius Chriſtianus Joannis. Claruit poſt Chriſtum natum DCCCCLXXXV.

Monaſterium Mediolacenſe,

Mox laudatus *Joannes Trithemius* in Chronico Hirſaugienſi ad annum DCCCCLII. Mediolacenſe Monaſterium Diœceſis Trevirenſis in eorum numero collocat, quæ aliis monaſteriis præceptores nonnunquam ſuppeditarent. Quod ſchola hæc, *inquit Launoius*, præſtare non potuit, niſi præceptorum copiam haberet. *Quos inter*, eodem Trithemio (r) teſte, ad annum 980. *claruit* REMIGIUS *Abbas*, *vir in ſcripturis divinis ſtudioſiſſimus*, *& in ſecularibus literis egregiè doctus*, *qui publicam in ſuo cœnobio Monachorum ſcholam tenuit*, *in qua non ſolùm ſuos ſubditos*, *ſed etiam ex diverſis aliis cœnobiis Monachos ad ſe miſſos erudivit*... Conſerſis Hontheimii Hiſt. Dipl. Trevirenſis *Tom.III. pag.* 1008. *& Tom. I. pag.* 249. *&* 252.

Remigius Abbas,

Lobienſe,

Non minùs his temporibus apud Lobienſes in Belgio floruerunt ſtudia literarum, quibus addiſcendis operam dantes recenſet *Folcuinus* apud Dacherium in Spicilegio (s). In Luxovienſi Monaſterio cùm ADSO monachus magna eruditionis ac doctrinæ famâ floreret, à *S. Gauzelino* Tullenſi Epiſcopo accerſitus fuit. Huic enim Antiſtiti curæ erat, ut literarum ſtudia ſua in diœceſi refloreſcerent. Quare *Adſonem* ſcholis Epiſcopalibus præfecit, quæ tum in monaſterio S. Apri propè urbem Tulli habebantur.

Luxovienſe,

Balmenſe,

Abbatia Cluniaci, à qua cœtus ille illuſtris denominatus fuit, Balmenſi ortum debet, quam *S. Berno* fundaverat, jubens eandem ibi ſervari diſciplinam (*ſtudiíque literarii exercitia*) quam *S. Benedictus Anianenſis* conſtabiliverat. S. ODO Turonenſis Canonicus, poſteà Cluniacenſis Abbas alter à *S.Bernone*, cùm in Balmenſi Aſceterium receſſiſſet, ſecum eò *centum volumina librorum* comportavit, *& quia erat vir ſcholaſticus*, *laborioſum ſcholæ magiſterium ſibi impoſitum* exercuit, ut narrat *Joannes* ejus diſcipulus. Quæ literarum verò ſtudia *S.Berno* in Balmenſi cœnobio cùm adhuc verſaretur, adeò enixè excoluit, eadem certè haud leviori cura Cluniaci tractavit. Qui verò adoleſcentes in Cluniacenſi ſchola literis ac bonis moribus erudiebantur, iis tanta cura impendi ſolebat, ut *S. Udalricus* dicere auſus fuerit, *filios Regum nihilo meliùs educari.* Nemini de hac re dubium erit, ſi magnus Abbatum, Epiſcoporum, Cardinalium, & Sum̃orum etiam Pontificum, qui ex hoc illuſtri cœnobio prodierunt, numerus reputetur.

Cluniacenſe à literarum ſtudio celebria.

Ignorantiæ nota ſeculo X. malè inuritur.

Non igitur, ut *Heumannus* (t) ſcribit, cum *Rabano Mauro*, cæteriſque Familiæ noſtræ ſcriptoribus, ſeculo nono recenſitis, extincta eſt literarum laus adeò, ut proximum, id eſt, ſeculum X. nomen acceperit *obſcuri* & *barbari*. SECULUM *ſterile* CALIXTUS *noſter vocat*, *& Scriptoribus inſignibus deſtitutum.* Sed mox ſuum *Calixtum* quaſi corrigens *Heumannus* „ imò verò, inquit, habuit hoc ſeculum „ Scriptores illuſtriſſimos, unum Papam, alterum Imperatorem, tertiam „ mulierem. *Sylveſtrum II.* dico, *Conſtantinum Porphyrogenitum*, & *Roſwitham* Saxoniæ noſtræ decus immortale. „ *Roſwithæ* tamen & *Sylveſtro* Benedictinis complures alios ejusdem Ordinis noſtri Scriptores *Heumannus* adjicere potuiſſet. Atque inprimis RATHERIUM ex Lobienſi Monacho Veronenſem, deinde Leodienſem, iterúmque Veronenſem Epiſcopum, tertiáque vice ob morum ſeveritatem ſolum vertere coactum; virum probitate juxta atque eruditione inſignem, de quo ſuprà.

Scriptores, Viri & Fœminæ illuſtres hoc ſeculo.

Ratherius,

Alii magno numero.

Poſt *Ratherium* commemorari potuiſſet OLBERTUS, Abbas Gemblacenſis, Burchardi Wormatienſis Epiſcopi præceptor, *Rhegino* Prumienſis, *Heribertus* Epternacenſis, *Berneredus* Humolarienſis, *Frodoardus* Remenſis, *Herembertus* Caſinenſis, *Fridegodus* Cantuarienſis, *Rotgerus* S.Pantaleonis, *Fulcuinus* Laubienſis, *Witikindus* Corbeienſis, *Adſo* Dervenſis, *Ælfricus* Malmesburienſis, *Wolſtanus* Wintonienſis, *Abbo* Floriacenſis, *Uffingus* Werthinenſis, *Meginradus* Hirſaugienſis,

(r) Chron. Hirſaug. l. c. ad an. 960.
(s) Tom. 2. nov. edit. pag. 736.
(t) Loc. cit. cap. IV. §. 31. pag. 98. Heumanno etiam reſpondebunt Doctiſſ. Amat de Graveſon Hiſt. Eccl. Sec. x. Colloq. v. & Jacobus Martin à Congr. S. Mauri *Eclairciſſemens Litteraires &c.* pag. 9.

gienſis, *Adalbero* Elvacenſis, *Othlo* San-Emmeramenſis, *Aimoinus* Floriacenſis, *Helpericus*, *Hartmutus*, *Notkerus* San-Gallenſes, *Odo* & *Odilo* Cluniacenſes, aliíque plures Benedictini Scriptores, qui ſeculum decimum ab ignorantiæ nota, quæ paſſim ab autoribus, ſed meâ opinione, æquo major eidem inuritur, ſatis ſupérque vendicare poſſunt.

Seculum X. peſſimè audit apud nonnullos Scriptores: maximè Caveum;

Et verò ſi ipſa res literaria Benedictina ſermonem facere poſſet, quomodo ſeſe hoc ſeculo habuerit, longè aliter ex ea ſors cognoſceremus, quàm ex *Guilielmo Caveo*, aliíſque nonnullis Scriptoribus. Hi enim non Benedictinæ tantùm Religioni, ſed univerſæ Eccleſiæ tantam affingunt labente hoc ſeculo inſcitiam, quanta major vix eſſe potuerit. Certè *Caveus* ſeculi decimi imaginem iis depictam exhibet coloribus, qui poſſunt eſſe nigerrimi. Ut enim nihil dicam, quòd *Sæculi obſcuri* notam characteriſticam ipſi inurat, *confuſa*, *luxata*, *turpia*, *pudenda omnia* in eodem obtinuiſſe aſſeverat. *Pauci hoc Sæculum*, inquit, *ornârunt Scriptores eruditi, nulla penè Concilia memoratu digna; deformârunt deteſtanda ſchiſmata etiam in ipſo Romanæ Sedis ſinu, turpiſſimæ Paparum vitæ, & abominanda flagitia in Republica Chriſtiana hactenus inaudita.* Ut verò dictis ſuis, omni veri ſpecie deſtitutis, fidem ab authoritate conciliet, *Baronium* & *Genebrardum* in teſtes vocat. At enim, ſi quæ in univerſo evenerunt mundo,

ſed immeritò.

Baronius & *Genebrardus* cum iis, quæ Romæ duntaxat & in quibusdã Italiæ locis contigerunt, infeliciter confuderunt, cui non ad oculum patet, quòd *Caveus* æquè malus ſit Declamator, atque malus Criticus? En tibi hiſto-

Ejus rei hiſtoria anecdota.

riam anecdotam, (u) ſive memorabile factum literis nondum conſignatum. Abbas *Fleury*, Author celebratiſſimus, Hiſtoriam Eccleſiaſticam ad finem usque ſeculi noni perduxerat, cùm ad horribilem ideam, quâ ſequens ſeculum à *Baronio*, aliíſque modernis ſcriptoribus ob oculos ponitur, animo ſic conſternari cœpit, ut parùm abſuerit, quin non ſpem omnem continuandi operis abjiceret. Inter eas mentis perturbationes ad Abbatem *de Longue-Ruë* conſilii gratiâ acceſſit. Is verò Abbas cùm tempora omnia, atque autores omnes in numerato haberet, *Florio* in Tomum V. Actorum Ordinis S. Benedicti digitum intendit, ſpe factâ non dubiâ, fore, ut eo evolvendo non ſua modò præjudicia exuat, ſed firmiſſima etiam rationum monumenta in promptu habeat, quibus demonſtrari poſſit, quòd homines magni virtute & ſapientia ſeculo decimo æquè claruerint, atque aliis ſeculis, de quibus nulla habetur querimonia. Cui monito Abbas *Fleury* aures præbuit. Præfationis hujus lectio, veluti ſol exoriens, omnem ab ejus oculis nubium caliginem abſterſit. Præterquàm enim, quòd rerum excellentium ſylvam ei patefecerit, ad lacunas illas explendas, quas in Hiſtoria Eccleſiaſtica fore immenſas pertimeſcebat, ideam ipſi pro diſſertatione ſuppeditavit, quam ad initium Tomi XIII. Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ præmiſit. Ad finem ve-

Sententia Abbatis Fleury.

rò illius in hæc verba diſſerit: *Ex univerſa hac Diſſertatione palàm fit, ut mihi videtur; quòd ſecula illa, quæ inter magis obſcura minúſque felicia vulgò numerantur, non ea extiterint, pro quibus communi multorum opinione habentur, ut vel virtute, vel ſcientiâ deſtituta fuerint. At oportet religionem quærere, ubi illa erat in unoquoque tempore; nec eſt, ut horrore concutiamur; intuendo in ſummas ac maximè præcipuas Eccleſiæ ſedes à vitiis obſeſſas. Seculo ſeptimo & octavo Religio in Francia & Italia languebat; in Anglia verò ſe confirmabat; nono in Gallia, decimo in Germania reflornit. Quo tempore in Oriente, in Africa & Hiſpaniis ſub imperio Saracenorum ingentem paſſa eſt jacturam, damnum reſarciit novis provinciis ſub jugum miſſis, Saxoniâ nempe, Daniâ, Sueciâ, Hungariâ, & Poloniâ. Veteris ac primævæ Eccleſiæ miracula hiſce in regnis inſtaurari viſa fuerunt. Nec Doctores, nec Martyres hiſce gentibus defuerunt, quibus etiam Eccleſiæ in Hiſpania & Oriente ab infidelibus oppreſſæ non caruerunt. Ut ve-*

Cauſa ob quam ſeculum X. infamiâ laboret.

rò cauſam, quâ factum eſt, ut tantæ infamiæ labes ſeculis hiſce, de quibus loquor, aſperſa ſit, me non ignorare oſtendam, ea eſt ſiniſtra opinio, quæ Humaniſtarum animos occupavit. Laurentium Vallam, Bartholomæum Platinam, Angelum Politianum (x) *intelligo, qui literis humanioribus eruditi erant. Hi viri docti, vel veriùs pro doctis tantùm habiti, plus literis imbuti, quàm reli-*

(u) vide illam Gallicè ſcriptam apud V. C. Jacobum Martin *Eclairciſſemens ſur un Projet de Bibliotheque Alphabetique* loc. cit.

(x) His adjunge Nicolaum Perot. Joannem Tort. Aretin.

religione ac prudentiâ præditi hærere in cordice conſueverant. Nihil ad palatum ipſorum erat, quàm veteres Latini atque Græci Scriptores. Quò factum, ut medii ævi ſcripta & in ſummo contemptu ponerent, & in eâ hæreſi viverent, quod qui Romani ſermonis nitorem, veterùmque ſcribendi elegantiam perdidiſſet, omnia perdidiſſet. Quæ præjudicata opinio etiam in Proteſtantium mentibus altiùs inſedit: ex literarum enim inſtauratione, ceu limpidiſſimo fonte ſuam profluxiſſe Reformationem exiſtimant. Ex ſententia illorum ruina & deſolatio Eccleſiæ ortum ſuum habuit ab ignorantia: regnum Antichriſti & myſterium iniquitatis, negotium poteſtatum tenebrarum agendum ſuſceperunt. Hæc Abbas Florius.

Chriſtannus ſeculo x. in Bohemia celebris Scriptor.

Sanè aut ego vehementer, & toto, quod ajunt, cœlo aberro, aut CHRISTANNUS, primus omnium inter Chriſtianos in Regno Bohemiæ ſcriptor, hoc ſeculum à barbarie vindicare poteſt. Erat is Boleslai Sævi, Bohemiæ Ducis filius, in regio autem & ampliſſimo Brevnovienſi propè Pragam Monaſterio pientiſſimus Aſceta. Scripſit Acta (y) S. Ludmillæ, aviæ ſuæ, & S. Wenceslai Regis, patrui ſui; at quanta eruditione & doctrinâ? ingenium illi perſpicax, judicium grave, ſtylus Latinus, in quo nec verborum nec ſententiarum elegantiam deſideres. Provoco ad ſolam illam apoſtrophen, quâ in *Boleslaum* invehitur, quòd S. WENCESLAUM impiâ manû à ſe occidendum in templum nocte admitti prohibuerit. Sic verò loquitur: *Ante noctem ſiquidem frater ſancti Martyris, non jam frater, ſed perverſus parricida, Presbyteros eccleſiæ Coſmæ & Damiani induxerat, ut venienti quidem, eccleſiam ingredi, omnino negarent, ne fortè à militibus ejus fidelibus, ſeu Camerariis ejus, qui adhuc lecto detinebantur, vel populis ſupervenientibus liberaretur, & ne ſanguinis effuſione & ſceleris opere eccleſiam infœdare, & infringere videretur. Dum iſta ſcribo, ecce ad mentem venit Judæorum iniqua aggreſſio, qui quidem in ingreſſû prætorii Pilati contaminari ſed mortem Domini non perhorreſcebant; ſic & iſte proprii germani infelix carnifex, parietes eccleſiæ ſanguine polluere timet, qui manus à fraternâ cæde non abſtinet. Tuo, omnium hoſtium ſeveriſſime, verbo condemnaris & confoderis, qui eo, quem fundis cruore, loca ſancta infici perhorreſcis, ſed factum eſt, ut juſſeras.* Ita Chriſtannus. Quis noſtrûm verò, quæſo, hac noſtra ætate, in tantâ literarum luce, impium hoc facinus majori verborum ac ſententiarum gravitate deteſtari atque execrari potuiſſet?

Licèt igitur tot inter ſeculi decimi flagitia, ínque morum licentiâ tantâ plurimum ſanctitati & priſtino diſciplinæ eccleſiaſticæ ſplendori in Italiâ, ac cumprimis Romæ detractum eſſe negari haud poſſit; *certum tamen eſt,* inquit doctiſſimus (z) Amat de Graveſon, *non paucos Abbates & Monachos doctrinâ & pietate inſignes eôdem ſeculô claruiſſe, quorum plures, ut appoſitè narrat* MABILLONIUS, *epiſcopali dignitate fuerunt decorati; alii verò in monaſteriis recluſi, magnis curis & continuis laboribus ſcientias alibi neglectas, quaſi contubernales & domeſticas foverunt, coluerunt, & conſervârunt, adeò ut quantum lucis obſcuris & peſtilentiſſimis temporibus, nec non mediæ & infimæ ætatis ſeculis ex Monachorum doctrinâ afferri poſſit, & quantum Eccleſiæ, atque Reipublicæ literariæ utilitatis accedat, norint apprimè viri eruditi, qui antiqua Tabularia, Scrinia, & Archiva perluſtrant, atque antiquorum monachorum manuſcriptos Codices in obſcuris Bibliothecarum forulis latitantes in lucem producunt. O utinam!* exclamat alibi idem doctiſſimus de Graveſon, *ô utinam! laudabilem illam Monachorum vivendi ſtudendique normam pro viribus æmulari poſſent omnes hujus temporis religioſæ vitæ cultores, quo majori animarum fructu prædicandi, docendi, Sacramenta adminiſtrandi, aliíſque id genus ſibi demandatis eccleſiaſticis muniis perfungi poſſent.*

Teſtimonium Graveſonii de doctis Monachis & Abbatibus Sec. X.

Præclarum exteri Scriptoris teſtimonium! quis enim diffiteatur? at non minoris faciendum eſt *Joannis Trithemii.* Is enim, tametſi domeſticus ſit autor, eô tamen candore ac veritatis eſt ſtudiô, ut quæ in Benedictinis laudanda ſunt, laudet, quæ vituperanda, vituperet. Cùm igitur in Annalibus Hirſaugienſibus quàm plurimos Benedictinos, qui ſeculo decimo non vitæ tantùm ſanctimoniâ conſpicui, ſed in omni eruditionis atque humanitatis genere perpoliti ac perfecti claruerunt, enumeraſſet, de

Aliud Joannis Trithemii.

his

(y) Edita habes in Bohuſl. Balbini Hiſt. Epit. Rer. Bohem. Lib. I. cap. x. pag. 57.
(z) Hiſt. Eccl. Tom. 3. Sec. x. & xi. Colloq. 9. p. mihi 119.

his ferè temporibus ſequens fert teſtimonium : *Aurea fuerunt in Ordine ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti hæc ſecula, quibus viri monaſtici vitâ & doctrinâ pene innumerabiles ubique claruerunt. Ex quibus multi ad Pontificatûs apicem fuêre promoti : cùm nulla in toto Latinorum Imperio reperiatur Eccleſia, quæ de Ordine Monachorum non habuerit Antiſtitem.* Hæc ille *in Chron. Hirſaug. ad an. 932.*

SECULUM ECCLESIÆ XI. FAMILIÆ BENEDICTINÆ VI.

Status rei Literariæ ab anno 1000. ad 1101.

QUantam lucem cimmeriis ſeculi decimi tenebris attulerint Ordinis noſtri homines, jam ſatis in Actorum ejus temporis decurſu demonſtratum eſt; at ſequenti ſeculo longè amplius toti Eccleſiæ lumen affulſit, tùm ex variis Congregationibus Inſtituti noſtri per ſanctiſſimos viros excitatis ; cùm ex diverſis ſcriptoribus, quorum ſtudiis & laboribus propagata eſt per id tempus Doctrina, erectæ ſcholæ, hæreſes profligatæ; tùm etiam ex reſtitutione diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ à Romanis Pontificibus ex Ordine Benedictino aſſumtis facta eſt. Nunquam enim tot ſummos Pontifices protulit Divi Benedicti Familia, adeò ut tum Romana Sedes quaſi hereditaria ſucceſſione ad Noſtros tranſiiſſe videretur. Teſtes ejus rei adſunt Sylveſter II, *Leo IX*, *Victor II*, *Stephanus IX*, *Gregorius VII*, *Victor III*, & *Urbanus II*, quorum poſtremi à medio ſeculo undecimo ad finem usque parùm interruptâ ſerie ſupremam illam Sedem tenuerunt. Quantum verò ornamenti Eccleſiæ attulerint, abundè teſtantur Faſti Eccleſiaſtici. Certè unus LEO Papa Nonus, *is eſt*, inquit Ordericus (a), *qui ſanctorum ſcita Canonum reſtituere conatus eſt, quæ jam transactis temporibus nimis deciderant, & pænè à notitia hominum defluxerant.* Ipſe eſt, qui *Remis* coactâ Synodo, *de caſtitate juſtitiâque Miniſtrorum Dei tractavit, & ſalubria decreta, quæ jam Antiſtites & Presbyteri neſciebant, renovavit....* Quæ hic imperfecta reliquerat, perfecit *Gregorius VII.* majores corpore animos gerens, quos ſtrenuè adhibuit ad reſtituendum in Eccleſiæ miniſtris cælibatum, Simoniam exſtirpandam, abolendásque inveſtituras Eccleſiæ dignitatum, quas Germanici Imperatores, aliíque Principes, non ſine pretio conferebant.

Sub his Pontificibus mirum quantùm ubique Ordo noſter floruerit, quantùm palmites ſuos etiam extra Europam protulerit, quot & quàm illuſtres viros Eccleſiæ ſuppeditaverit. Primas tenuêre *Romualdus* Camaldulenſium inſtitutor, *Abbo* Floriacenſis, *Odilo* & *Hugo* Cluniacenſis, *Wilhelmus* Divionenſis, *Richardus* S. Vitoni, *Poppo* Stabulenſis, *Joannes* Vallumbroſanus, *Gerardus* Silvæ majoris, *Rotbertus* Caſæ Dei, *Robertus* Moliſmenſis, aliíque ſanctiſſimi Abbates, quorum plerique non tam rectores peculiarium Monaſteriorum, quàm novarum Congregationum inſtitutores extitêre. His verò auctoribus non tantùm refloruit monaſtica religio, ſed etiam doctrinæ ac ſcientiarum ſtudia in monaſteriis, ac ferè in totâ Eccleſiâ Latinâ denuò excitata ſunt. Id factum præcipuè induſtriâ & ope *Remigii* Autiſſiodorenſis, *Gerberti* Auriliacenſis, *Abbonis* Floriacenſis, *Fulberti* Carnutenſis, & *Notgeri* San-Gallenſis, aliorúmque Monachorum & Abbatum, quorum nonnullos in decurſu prioris ſeculi prolixiùs laudavimus, alios deinceps enarraturi. *Gerbertus* poſtea ſummus Pontifex aſſumpto nomine *Sylveſtri II.* magiſtrum Auriliaci habuit *Raimundum* poſtmodum ejus loci Abbatem, & quosdam Hiſpanos, qui ipſum in rebus mathematicis erudierunt, eo ſucceſſu, ut prodigii loco ſuâ ætate viſus fuerit, & ab imperitis pro *Mago* habitus. Remis ille præcipuos auditores habuit *Abbonem* Floriacenſem, & *Fulbertum* Carnutenſem; qui & ipſi plures alios nacti ſunt diſcipulos ; unde *Mabillonius* agens de propagatione doctrinæ & eruditionis hujus ſeculi, eam è ſcholâ Remenſi tamquam è fonte non immeritò repetit. Nobis tamen primo loco de celebri *monaſterio S. Michaëlis* (b), quod eſt Hildeſii in Saxonia, dicenda quædam in mentem veniunt. Fundatum illud fuit, exeunte ſeculo decimo, anno Domini 996. à ſancto BERNWARDO Epiſcopo. Magna ejus felicitas, quòd integro primo ab ejus fundatione ſeculo, Æræ Chriſtianæ undecimo, non diſciplinæ minùs regularis, quàm rei literariæ ſtudioſi Abbates eidem præfuerint. Primus eorum erat GODERANNUS, ante converſionem ſuam Præpoſitus majoris Eccleſiæ

Viri ſanctitate & doctrina illuſtres.

Commendatur Hildeſienſe Monaſterium à literarum & diſciplinæ monaſticæ cultu, quo eminent

Goderannus,

(a) Lib. 1. Annal. pag. 372.
(b) Vide Chron. Monaſt. S. Mich. quod extat apud Meibom. tom. 2. Rer. Germ. pag. 517.

cleſiæ, Doctor ſacræ paginæ, filius Marchionis, nobilis genere & dignitate, ſed poſtmodùm monaſterium S. Pantaleonis in Colonia eſt ingreſſus, de quo cum certis fratribus ad monaſterium S. Michaelis in Hildesheim eſt translatus.

Albertus, ALBERTUS Abbas ſecundus ſic monachorum pietatem curavit, ut de provehenda eorum ſcientia minimè indiligens fuerit. Nam *quotidianam ſcripturam & Evangelium cum lectione Decano repræſentare cogebantur, ita ut timidiùs in clauſtro, quàm in ſcholis manum ferulæ ſubducere viderentur.*

Sigebertus, SIGEBERTUS Abbas tertius vir erat ſapiens & excellens in jure, vir decorus, eloquens, verecundus viſu, inceſſu compoſitus, in devotione attentus, in labore ſolatioſus, in omnibus agendis circumſpectus & providus, & ſpiritualibus ſemper intentus. Interrogatus declinatis in terram aſpectibus, ſemper utilia & brevia reſpondere curabat. Vir humilis, pudicus, & caſtus, non turbulentus, mitis & patiens in omnibus: ita ut multi mirantes de tanta viri ſeveritate exiſtimarent, eum adhuc in futuris annis canoniſari: nam omnis populus dixit eum *beatum* & ſine dubio.

Meinwardus, MEINWARDUS Abbas quartus, vir literatus, ſcientificus, ſimilis ferè Doctori, non habens ſimilem in loquendo in totâ civitate Hildenſemenſi, diligens & ſollicitus circa curam animarum, regens fratres in omni diſciplina & rigore. Obiit anno 1102. Felix ac literarum cultû florens monaſterium, ad cujus clavum Abbates docti juxtà ac pii integro ſeculo XI. ſederunt.

Virdunenſis, ſcholæ celebritas, S. RICHARDUS Cœnobii Vitonienſis apud Virdunum Abbas ab anno MIV. celebrem ſcholam inſtituit. *Ab eo tempore*, inquit Antonius Pagius (c) *tam longè latéque fama ejus propagata eſt, ut ex omni Neuſtria, Auſtraſia, Francia, & Burgundia ad eum, atque ad ejus ſcholas omnis doctrinæ & virtutis frugibus refertas concurſus fieret.*

Notkerus San-Gallenſis magnus literarum promotor. Octavo autem ejusdem ſeculi anno devixit (d) NOTKERUS, primùm monaſterii S. Galli Præpoſitus, ubi tantum in literis ac pietate progreſſum fecit, ut fratribus præponi meruerit, & inde ab *Odilone* Stabulenſi Abbate ad ſuos erudiendos evocatus, demum *Eraclio* Leodienſi Epiſcopo è vivis ſublato ſuffectus fuerit, & à *Gereone* Colonienſi Epiſcopo conſecratus anno 972. Vir fuit quàm eximiæ pietatis, tam ſingularis pro illis temporibus eruditionis. Sed quia ſpes Eccleſiæ præcipua in juventute conſiſtit, mirum, quâ curâ, quo ardore pro illius educatione laboravit, illi moderatores undique conquiſivit, literarum cognitione, diligentia & morum integritate conſpicuos. Factis & cohortationibus magiſtrorum & diſcipulorum animos accendebat, difficiliores Theologiæ quæſtiones cum illis non rarò diſcuſſas definiebat: hos propoſitis pro cujusque captû materiis, vel enodatis paulò obſcurioribus, inſtruebat; ab illis vix poterat avelli, *adeò ut dum in viâ pergeret*, inquit Anſelmus, *ſecum ſcholas, ſcholaréſque circumduceret, cum omni librariâ ſupellectili, & præpoſito doctiſſimo.* Ex ejusmodi quippe diſciplinâ omnes tantæ diœceſis Clerici doctiores evaſerunt, & non pauci religione, ſapientiáque adeò illuſtres prodierunt, ut longè latéque pietatem & ſcientiam diſſeminârint: inter hos recenſet Anſelmus OTBERTUM, *Huboldum*, *Durandum*, *Waſonem*, *Rothardum*, *Erlninum*, qui varias Eccleſias vel docendo illuſtrârunt, vel ut Epiſcopi gubernârunt. Multa alia præclarè geſſit *Notkerus*, adeò ut vix aliquid magni operis ſit in Leodienſi civitate, quod non inchoaverit, vel perfecerit.

Scholæ inſtituuntur in Bergenſi, & S. Michaëlis Bambergæ monaſteriis. In Bergenſi Monaſterio propè Magdeburgum SIGIFRIDUS, Walbecenſis Comes, ac frater noſtri *Diethmari*, celeberrimi Hiſtoriographi, ac Epiſcopi Merſeburgenſis, admodùm adoleſcens, ſacrum habitum ſumpſit. Abbatis verò dignitatem promeruit doctrinâ ac eruditione, quâ pollebat eximiâ, ſatiſque conſtat, eo præſidente ſtudia literarum & pietatis exercitia in hoc phrontiſterio maximè viguiſſe. Unum ſaltem ex *Henrico Meibomio* (e) adducam exemplum. S. HENRICUS, cognomento *Claudus* Aug. condidit Epiſcopatum Bambergenſem magno ſumptu. Eam liberalem beneficentiam æmulata Auguſta *Chunegundis*, Sigefridi Comitis Palatini filia, ad eandem urbem extruxit Monaſterium S. Michaëlis, quod vulgò *Montem Monachorum* appellant. Ei præfectus eſt Abbas *Rathbodus*, vir optimus, qui in ſcholâ monaſterii rectè conſtituendâ fideli conſilio & operâ *Sigfridi* Bergenſis uſus, collegit nobiles

(c) ad an. 1010. n. 2. tom. 4. pag. 101.
(d) Gall. Chriſt. Tom. III. pag. 846.
(e) Rer. Germ. Tom. III. in Chron. Monaſt. Berg. pag. 249.

les & ingenuos adoleſcentes, pietate & literis imbuendos, qui ubi progreſſus in moribus & doctrinâ feciſſent, vocarentur inde ad majores dignitates. Ita de voluntate Cæſaris ad imitationem ſcholæ Bergenſis novum Franciæ orientalis cœnobium confirmatum eſt.

Nec non in Benedicto-Burano.

In *Benedictoburano* illuſtri Bavariæ monaſterio B. GOTHELMUM loci Abbatem pòſt ſactam hac ætate Ordini Benedictino Monaſterii reſtitutionem, ſtatim ſcholas inſtituiſſe, in ejus Actis fuſiùs demonſtratum dedit Cl. P. *Carolus Meichelbeck* (f) Erant verò præcipuæ tunc temporis noſtrorum curæ, ut paſſim libros pro decore & augmento Bibliothecarum deſcriberent. Ita de *Gothelmo* mox laudato, *proxima illi cura erat*, inquit citatus, *ut pro fratrum inſtructione & ſacra lectione codicibus antiquis, quos Hungarorum crudelitas, & malorum hominum nequitia abſumpſerat, multos alios adjiceret; Hinc totus in eo fuit, ut codices optimos & plurimos aliunde obtineret, tùm propriâ ſuâ, tùm fratrum aſſiduâ operâ exſcribendos.* Formulam aliquam petitionum ejusmodi librorum mutuò ad exſcriptionem communicandorum nobis ſiſtit *Meichelbeckius* Seculo XI. ſcriptam in hunc modum: *Piæ venerationis Fratri D. moribus & doctrinâ ſubditos piè inſtruenti F. absque ambiguo fidelis, absque termino valere! Frater amabilis! rogo Tulliana Tuſculana noſtris exſcribenda confer armariis* (i.e. Chartariis.) *Nos item vobis præſtabimus, ſiqua deſideranda vobis habemus vel habituri erimus. Vale.* Sic etiam Fuldæ, celeberrimo in Buchonia monaſterio, *Erant ejus ætatis monachi*, inquit Bruſchius, (g) *alii in deſcribendis clariſſimorum authorum monumentis, alii ſcribendis ac dictandis propriis, alii docendi, alii diſcendi laboribus ita occupati, ut caducarum, frivolarúmque rerum eos facilè caperet oblivio. Erat enim* FULDA *pulcherrima Academia honeſtiſſimarum rerum & diſciplinarum, quarum cum pietatis Chriſtianæ religione collatio mores effrænes non ferebat.* Ex piis hiſce Monachorum laboribus ingens decus Bibliothecis noſtris, & ex his communi bono ſumma utilitas acceſſit, ac in hunc usque diem accedit, utì nôrunt eruditi & boni omnes. Sed de his alibi uberiùs.

Laus Fuldenſis ſcholæ.

Trevirenſis S. Matthiæ Scholaſtici,

Quæ porrò apud Treviros in ſuperiore ſeculo vidimus illuſtria in noſtris monaſteriis ſcientiarum Palladia, ea hoc ævo non minùs effloruêre. Primatum tamen in his ſemper tenuit Schola S. Matthiæ. In hâc *Theodorum* ſuperiùs liqueramus magiſtrum; claruit ille ad annum 1012, quo ſatis ceſſiſſe ſcribit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, ubi & ipſius ingenii monumenta commemorat. Abinde eidem ſcholæ præſuit Theodori diſcipulus *Golſcherus*, vir & ipſe multùm eruditus, metro ſimul exercitatus & proſâ, qui referente Trithemio C.L. inter alia ſui ingenii opuſcula ſcripſit *de laudibus S. Eucharii* primi Trevirorum Epiſcopi &c. Rexit autem ſcholam usque ad an. 1038, quo moriens locum fecit *Lamberto de Legiâ*, qui & *de Petrâ* vulgò dicebatur; in cujus laudes fuſiùs excurrit Trithemius, ejúsque opera enumerat pag. 174. *Lamberto* vivis an. 1047. erepto, ſucceſſit *Johannes, vir*, ut ait idem, *in omni genere ſcientiarum doctiſſimus, ſed in Muſica præcipuâ eruditione ſingularis, qui ad honorem omnipotentis Dei & ſanctorum ejus multos cantus & proſas compoſuit, ac regulari melodiâ dulciter ornavit...* Johannem anno 1063. defunctum excepit *Arnoldus*, quem biennio tantùm docuiſſe tradit Trithemius *pag.* 208. Cum Arnoldo commercium literarium habuit *Marianus Scotus* S. Martini Coloniæ Monachus, ad quem ſcripſit ille de ratione computi Eccleſiaſtici librum unum... Arnoldum in Magiſterio ſecutus eſt alius *Johañes*, quem an. 1076. excepit *Erhardus*, vir ſummâ eruditione conſpicuus, qui plures præclari ingenii partus ligato ſolutóque ſermone poſteris reliquit, ut refert Trithemius *pag.* 245.

Golſcherus,

Lambertus de Legia,

Joannes,

Arnoldus,

Joannes alter.

Hoc quoque ſeculo vulgariter floruiſſe *Tholegienſis* Monaſterii ſcholam perhibet idem Trithemius, qui jam antiquitùs in hoc cœnobio magnam perinde Monachorum religionem, ac divinarum Scripturarum ſtudium viguiſſe memorat in laudato ſæpius Chronico Hirſaugienſi *Tom.* I. *pag.* 13. Deinde verò pag. 161. ad annum 1009. ita reſcribit: *Claruit his temporibus* Eberwinus *Abbas ex Scholaſtico monaſterii S. Mauritii Tholegienſis, vir doctiſſimus, qui inter alia ſcripſit juſſione* Bopponis *Archiepiſcopi* Tre-

Tholejenſis ſchola, cui præfuit

Eberwinus,

(f) In Chron. Benedicto-Bur. Part. I. pag. 370. & p. 39.
(g) Bruſchius in Monaſt. Germ. pag. 59.

Trevirorum Vitam S. Simeonis Monachi... De eo autem controvertitur, cujus loci fuerit Abbas *Eberwinus*, an Theologienſis, num verò S. Martini Treviris? Primum aſſerit Browerus Annal. Trevir. libr. XI. n. 21. conſtátque Eberwinum Tholejenſem virum eâ tempeſtate celebrem anno 1023. interfuiſſe Seligenſtadienſi Concilio. Verùm Acta divi Simeonis, quæ extant Treviris in ejusdem S. Baſilica, hunc titulum præferunt: *Præfatio Eberwini Abbatis cœnobii S. Martini Trevir. in vitam S. Simeonis.* Similem ferè titulum habent alia ejusdem Sancti Acta in codice perantiquo S. Martini Treviris, conſtat etiam præſediſſe hac ætate eidem cœnobio *Eberwinum*, & ſcriptis res à Divo *Magnerico* geſtas eſſe complexum, quas Actis ſuis inſeruêre Hagiographi Antverpienſes ad diem XXV. Julii. *Confer Hontheimii Hiſt. Dipl. Trevir. Tom. 1. pag. 373. in Nota B.*

Puerorũ Scholæ in monte Caſino abjiciuntur;

Hæc de Germaniæ ſcholis; nunc de Italiæ Palladiis monaſticis. Ubi mirum illud cumprimis occurrit de *B. Petro noſtro Damiani* (h), quòd in Caſinatum laude poſuerit, *ipſos puerorum ſcholas abjeciſſe.* Cùm enim hoc ævo iter in montem Caſinum, rogante atque adeò compellente DESIDERIO Abbate, inſtituiſſet, illud à reditu ſuo præ cæteris probavit, *quòd ibi ſcholas puerorum, qui ſæpè rigorem ſanctitatis enervant, non invenerit: ſed omnes aut ſenes, aut juvenili vivendi decore fulgentes.* Quamquàm cùm ſanctus Pater BENEDICTUS puerorum ſcholas habuerit, ídque ab ipſo Ordinis exordio ad noſtram usque ætatem uſu receptum ſit; non improbandum, immò probandum eſt hoc inſtitutum, modò id cum debita cautione fiat à viris prudentibus & circumſpectis. Et verò Caſinates ſubinde puerorum ſcholas inſtauràſſe argumento eſt D. THOMAS *Aquinas*, qui quintum agens annum iisdem quâ pietate, quâ doctrioa inſtituendus traditus eſt.

deinde reſumuntur, & in iis S. Thomas inſtruitur.

In Germania, ut alios quàm plurimos omittam, *Hermannus* cognomento *Contractus* cùm annum ætatis ſeptimum vix egreſſus eſſet, à nobiliſſimis parentibus in Augienſe monaſterium literis erudiendus perductus eſt, ubi Poëta ſui temporis evaſit præclarus, Hiſtoricus excellens, Philóſophus, Theologúsque præſtans, Mathematicus doctiſſimus æquè ac ingenioſiſſimus, ita ut laudem illi tunc nemo præripuiſſe videatur. In Italia cùm *S. Guillelmus* adhuc ſeptennis eſſet, à nobiliſſimis parentibus ad Luciacenſe monaſterium perductus fuit. (i) Ab Abbate antem cuculla monaſtica indutus & traditus magiſtro bonis literis imbuendus, mirâ ingenii facilitate ſocios ſuperans ipſi magiſtro erat admirationi. Grandior factus divini Officii & ſcholæ capitalis illius loci cuſtos conſtituitur. Progreſſu temporis *Richardus II.* Normannorum Dux ei Abbatiam Fiſcanenſem, exactis Canonicis Regularibus, inſtituendam tradidit. Ibi *Guillelmus* ſcholam legendi & canendi inſtituit, ad quem multi undique pueri, adoleſcentes, & juvenes concurrebant.

Vigent etiam in aliis Monaſteriis.

Unde non video, quàm ex vero ſcripſerit *Ludovicus Thomaſſinus*, non fuiſſe publicas in monaſteriis ſcholas, niſi ad eas diſciplinas, quæ ætatis quandam & judicii maturitatem deſiderant. *Non ergò pueriles*, inquit (k), *eæ erant ſcholæ, inſtituendis puerulis addictæ: quippe ab his jam abhorrere cœperant monaſteria, tanquam inimicis ſilentii, quietis & ſeceſsûs, in quo Religioſarum Congregationum ſitæ ſunt deliciæ.* Hæc Cl. Thomaſſinus, quæ innumeris, ſi prolixitatis eſſem amans, revincere poſſem exemplis. Quin ipſe fatetur, fuiſſe adhuc in Floriacenſi Abbatia infantium ſcholam, in qua ABBO puerulus rudimenta prima poſuit. *Scholæ Clericorum in Floriacenſi monaſterio traditur literis imbuendus.* Cæterùm etſi DESIDERIUS Abbas Caſinenſis, ut paulò antè dictum, communem olim uſum excipiendi in monaſteriis ad ſcholas pueros usque à teneris annis, non admiſerit, ætate tamen provectiores *doceri ſtudioſiſſimè fecerat*, ut LEO *Marſicanus* in Prologo ad Chronicon Caſinenſe teſtatur.

Quid ea de re Thomaſſinus.

Quàm autem pio Numini diſpliceat, ſi diſciplina æquo rigidior pueris adhibeatur, neque in iisdem corrigendis modus teneatur, exemplo eſſe poteſt OTHLONUS Venerabilis Monachus (l). Florebant ſeculo XI. in Monaſterio San-Emmeramenſi Ratisponæ egregiè pietatis & literarum ſtudia. Scholis à *Burchardo* Abbate OTHLONUS præfectus fuerat, qui quid ſibi, dum quendam diſcipulorum acriùs caſtigâſſet, evenerit, his verbis narrat:

Diſplicet æquo rigidior diſciplina pueris adhibita.

(h) Mabillon. Annal. Tom. IV. pag. 634. Petrus Damiani epiſt. 17. libr. 2.
(i) Hug. Menard in Menol. Bened. Obſerv. lib. 1. die 1. Jan.
(k) De vet. & nov. Diſcipl. part. 2. lib. 1. c. 100. p. 303.
(l) Lib. Viſionum, viſione tertia apud Pezium Theſ. Anecd. tom. 3. part. 2. col. 562.

tat: „ Cùm inter eos [pueros ſchola-
„ ſticos] plures provectioris eſſent
„ ætatis, qui ſcilicet, ſicut illa ſolet
„ ætas, ſæpiùs excederent diſciplinæ
„ metas, unum ex eis, qui maximè
„ protervus mihi videbatur, corripiens
„ coram aliis, plusquàm decuit pro-
„ broſis aſperrimíſque afficiebam ver-
„ bis: adhuc enim propriæ alienæ-
„ que fragilitatis ignarus credebam,
„ nil mihi fore noxium, quocunque
„ modo increparem eum, qui mihi
„ jure ſubditus erat, adoleſcentem
„ ſtolidum. Increpatione autem hu-
„ jusmodi peractâ, ille quidem vide-
„ batur ſatis mœſtus: ego verò mox
„ à priſtina animi conſtantia, & gra-
„ tiæ ſupernæ fiducia deſtiturus, in
„ tantam puſillanimitatem, miſeriám-
„ que nec non metum magis ac magis
„ deveni, ut celeriter aut terra hian-
„ te, ſeu aliqua abſorberi putarem
„ vindicta cœleſti. Sed cùm talia
„ die illa tota ab increpationis perpe-
„ tratæ paterer hora nsque ad veſpe-
„ ram, primò ubi vel in quo tantum
„ mentis mœrorem meruerim, dubi-
„ tavi. Dehinc cuncta ipſius diei di-
„ ligenter retractans geſta, per amara
„ correpti juvenis verba hanc etiam
„ mihi amaritudinem eveniſſe con-
„ ſcientiâ reatus agnovi: continuó-
„ que, ut in tanta poteram moleſtia,
„ pietatis divinæ ſolita exquiſivi ſola-
„ tia. Nec tamen ea die ſequentíque
„ nocte ſentiebam aliquid minui do-
„ loris magnitudinem imminentis:
„ quin imò cùm etiam tempore ſtatu-
„ to requieſcere vellem dormiendo,
„ ſpecie multimodâ terroris præpedi-
„ tus, nequivi ſuſcipere requiem ul-
„ lam ſoporis. Quamobrem vix præ-
„ ſtolans fratres ad laudes nocturnas
„ exurgere eáſque peragere, rursùm
„ poſteà libertate orandi ſecretiſſima
„ potitus, ſuffragia Sanctorum per
„ ſingulas proſtratus aras ſuppliciter
„ exquiſivi, obſecrans, ut per eorun-
„ dem Sanctorum interceſſionem pie-
„ tas divina & mihi miſereretur, &
„ qualiter illum juvenem exaſpera-
„ tum placare poſſem, pandere dig-
„ natetur. Nam inter cæteras animi
„ moleſtias valde ex hoc affligebar,
„ quomodo illum, qui mihi ſubditus
„ erat, opportuniſſimè absq; ſuo meó-
„ que damno reconciliarem? an ge-
„ nibus flexis, ut placantur ſeniores?
„ an tantùm verbis, ut placatur mi-
„ nor ætas? ſiquidem flexis genibus
„ utriusque damnum eſſe ſum arbitra-
„ tus, ejus ſcilicet propter elationem,

Othlonus in exemplum proponitur.

„ quam forſitan ſibi poſtmodùm inde
„ vindicaret: mei verò ideò, quòd
„ arguendi illum poſt humilitatem hu-
„ jusmodi exhibitam ulteriùs minor
„ fiducia mihi reſtaret. Cùm ergò in
„ tali poſitus moleſtia lacrymis pre-
„ cibúſque copioſis usque ad diem
„ clarum inſiſterem, & ab omnipo-
„ tenti Deo quid ſuper ambiguitate
„ imminenti agendum foret, depo-
„ ſcerem aliqua manifeſtari indicia,
„ ecce ſubito egrediente me à quo-
„ dam Oratorio prædictus juvenis oc-
„ currit, & coram me humiliter ſeſe
„ proſternens, pro injuria, quam pri-
„ die correptioni meæ detrahendo, ſeu
„ contradicendo perpetravit, veniam
„ petit, promittens in reliquum ſe
„ nunquam talia mihi facturum, ſi-
„ múlque ſuppliciter rogans, ut ſi
„ quando humana fragilitate, ſeu
„ etiam ignorantia cogente in aliquod
„ vitium, quod perfacile juvenibus
„ ſubrepit, laberetur, non mox à me
„ juxta zeli ſervotem ſolitum coram
„ cæteris correptus ſcholaſticis con-
„ funderetur, ſed ut potiùs pietate
„ gratuita illum, quem minimè ædifi-
„ caret correptio aſpera, & manife-
„ ſta, vel attentate ſtudeam priùs cum
„ aliqua correptione leni ac ſecreta:
„ ſin id parum proficere in ipſo cerne-
„ rem, tunc ſibimet, prout jus po-
„ ſtularet, diſtrictiſſima ratione oc-
„ currerem. Hæc & his ſimilia juve-
„ ne illo ſupplicibus ſagacibúſque ver-
„ bis proferente, & memet benignè
„ ad preces ejus reſpondente, intel-
„ lexi geſtum in utrisque divinæ opus
„ clementiæ, in illo quidem, quia
„ compunctus pro admiſſis prior quæ-
„ ſivit veniam: in me autem, quia
„ humiliato eo magna mihi interim
„ compunctio oriebatur ſimul & pœ-
„ nitentia. Dehinc ablata eſt omnis
„ illa recens moleſtia, factúmque eſt,
„ ut ex hujusmodi vitio deinceps cau-
„ tior eſſe ſtuderem in corripiendo. „
Hæc Venerabilis Othlonus non doctrina minùs quàm pietate inſignis; quæ profectò iis puerorum Magiſtris terrori eſſe poſſunt, qui nullum in puniendis eorum erratis modum ſervare conſueverunt.

At enim à pueris gradum ad viros faciamus, quorum alii è noſtris hoc ævo philoſophiam, alii medicinam, alii jurisprudentiam, alii denique theologiam, adeóque omnes quatuor facultates inſigni nominis ſui celebritate profeſſi fuerunt. In Burgundia apud Luxovienſes docuit CONSTAN-

Scientiarum omniũ diſciplinas docent Benedictini.

Eminent inter illos Conſtantinus Luxovienſis. TINUS, ejus loci monachus, diſertus rhetor, acutus philoſophus, atque eximius mathematicus, de cujus obitu planctum rythmicum à *Gudino* quodam compoſitum *Mabillonius* in tomo tertio Analectorum edidit. Rythmicus ille auctor (m) ait, ſe nunquam vidiſſe, nequidem viſurum tam pium philoſophum; lugere Chryſopolim, ſeu Veſontionem, Straſburgenſes, Lugdunum, Cabilonem, Lingonas, & Æduam; lugere etiam Robertum Regem, imò & Franciam totam, ipſumque Imperatorem, quòd talem amiſerint Magiſtrum; ſed maximè lugere Luxovienſes cum Milone Abbate:

Mæret plebs Luxovienſis lacrymis continuis:
Plangit Milo, pius Abbas, planctibus puſſimis
Ampliùs non habiturus tantæ jubar lampadis.

Non celebre minùs literarum ſtudiis fuit *Gemblacenſe* monaſterium. Tunc enim temporis SIGEBERTUS, *Anſelmus*, aliique, non ſolùm in Francia, ſed in aliis provinciis Magiſtri, & quaſi ſecundi Abbates erant in multis cœnobiis, eò quòd in ſcripturis humanis & divinis exercitati multum fructum ſapientiæ relinquebant, quibuscunque locis fuiſſent adhibiti. Certè SIGEBERTUS (n) celeberrimæ urbis Metenſis comunis quaſi Magiſter etat. Qua de re ex Chronico Gemblacenſi excerpere ſequentia juvat. „Item floruit Domnus *Sigebertus* morum probitate, & ſcientiæ multiplicitate laudabilis, & gratus ſui tempotis ſapientibus: non indiget noſtris laudibus, quia laudant eum opera ejus. Cùm enim eſſet juvenilis ætatis tempore *Maſcelini* Abbatis Metenſis notificatus, & in Cœnobio S. Vincentii Martyris cum *Fulcuino* Abbate diu converſatus, ſapientiæ fons patens erat non ſolùm Monachis, ſed & Clericis, ad ſe undique confluentibus. Multis Metenſium hodieque dulcis eſt ejus memoria, in quibus adhuc ſuperſunt doctrinæ ejus veſtigia: quæ vel quanta illic degens rogatu eorum ſcripta ediderit, ipſe oſtendit in libro Illuſtrium Virorum, quem compoſuit. Non ſolùm Chriſtianis, ſed & Judæis in eadem urbe comanentibus erat cariſſimus, pto eo, quòd hebraicam veritatem à cæteris editionibus ſecernete erat peritus, & in his, quæ ſecundùm hebraicam veritatem dicebant Judæorum erat conſentiens aſſertionibus. Poſt multum temporis vix impetratâ licentiâ rediens ad Cœnobium Gemblacenſe, multa contulit ad uſum & ornatum eccleſiæ, quæ acquiſierat voluntariâ eorum, quos inſtruxerat, liberalitate. Frequentabant autem eum majores natu, excellentiores gradu, acutiores ſenſu, qui erant in urbe Leodienſi, ſi quid quæſtionis occurrerat eis, ad hunc deferre & conferre cum eo ſoliti. Horum præcipuus erat *Henricus* Archidiaconus & Decanus Eccleſiæ S. Lamberti, cujus rogatu ſcripſit ad Trevirenſes *Librum de jejuniis Quatuor Temporum*, & multa, quæ commemorat in libro Illuſtrium Virorum.„

(Marginal note: Sigebertus Gemblacenſ.)

Anſelmus. Ab obitu Sigeberti ANSELMUS in Abbatem electus, quandocunque à lectione vel oratione vacabat, Fratribus junioribus aliquid humanæ vel divinæ paginæ diſſerebat; non tantùm in ſe ipſo vivere, ſed & eis poſt obitum ſuum volens vivere.

Wolbodo Ultrajectinus. Belgium etiam illuſtravit WOLBODO, monachus Ultrajectenſis (o) tanto ardore literarum ſtudio incumbens, ut brevi magiſtros ſuos ſuperârit, eique ſcholæ eccleſiaſticæ commiſſæ fuerint, poſteà Præpoſitus & Decanus ibidem evaſerit. Cujus meritum cùm agnoviſſet *Henricus* Auguſtus, eum plurimi faciebat, præcipuóque inter amicos loco cenſebat, ac interdum ſecum detinebat in palatio, ejus familiaritate conſiliis & exemplo frui deſiderans. Immò & ſuo ſcrario præfeciſſe, & ad Cancellarii dignitatem evexiſſe nonnulli affirmant. Certè ſedi Leodienſi licèt reluctantem impoſuit.

Theodericus Lobienſis. Lobienſi in monaſterio (p) THEODERICUS, nobili genere natus ſub *Ricardo* Abbate, in ejus diſciplina eam morum integritatem cognitionémque literarum adeptus eſt, ut creatum ab ipſo *Ricardo*, peritiſſimo aſceſeos magiſtro *cuſtodem & præceptorem puerorum & ſcholaris diſciplinæ magiſtrum* Abbates plerique ſuorum cœnobiorum ſcholis præfici deſideraverint. Obtinuit Stabuleti *Poppo*, Virduni *Gualeramus* Ricardi ſucceſſor, Moſomii *Rodolfus*, jam jámque ad idem munus exſe-

(m) apud Mabill. Annal. tom. IV. pag. 256.
(n) Vide Libell. de Geſt. Abbat. Gemblac. in Spicil. Acher. vet. edit. Tom. IV. novæ Tom. II. pag. 768.
(o) Dion. Sammarth. Gall. Chr. tom. 3. pag. 850.
(p) ibid. pag. 970.

exſequendum rogatu Imperatoris Fuldam mittendus erat à *Theoduino* Leodienſi Antiſtite, niſi ſub idem tempus in Abbatem Andaini electus fuiſſet.

Alphanus & Conſtantinus Afer Caſinenſes.

Satin' multa & præclara de Belgis Benedictinis? In Italia ALPHANUS Monachus Caſinenſis, & Archiepiſcopus Salernitanus hujus ſeculi hominibus pro miraculo fuit. Philoſophus, Theologus, ac Orator, Poëticæque artis diſertiſſimus. Ad hæc excelluit in arte medica, ob quam VICTORI III. Romano Pontifici acceptiſſimus fuit. Ejus & *Conſtantini Afri* monachi itidem Caſinenſis, & artis medicæ periſſimi operâ factum, ut illo tempore Salerni, quod oppidum adjacet Caſinenſi Monaſterio, ſtudium Medicinæ valde refloruerit.

Lanfrancus Juriſprudentiæ ſtudio celebris.

Non exiguam etiam laudem in Juriſprudentiæ ſtudio tuliſſe fertur B. LANFRANCUS; quem illo ævo Leges Romanas in Italia repertas docuiſſe perhibet *Robertus de Monte* (q) in Chronico ſuo nondum edito: *Lanfrancus Papienſis,* inquit, *& Garnerius ſocius ejus repertis apud Bononiam Legibus Romanis, quas Juſtinianus Imperator Romanorum ab Incarnatione Domini DXXX. abbreviatas emendaverat: His, inquam, repertis operam dederunt eas legere, & aliis exponere. Sed Garnerius in hoc perſeveravit. Lanfrancus verò diſciplinas liberales, & literas divinas in Galliis multos edocens, tandem Beccum venit, & ibi monachus effectus eſt.* Hucusque Robertus. Sed quis ipſi fidem non abroget? Inprimis enim Jus Civile Romanum, quod Italia à Vandalis, Herulis, Gothis, aliíſque Barbaris oppreſſa multis ſeculis delituit, non Bononiæ, ſed Amalphi, civitate Apuliæ ſub INNOCENTIO II. Pont. Max. & *Lothario II.* Imperatore repertum fuit. Deinde *B. Lanfrancus* ſeculo undecimo, minimè adulto, ſed vix auſpicante, incertum tamen, quô annô, in lucem eſt editus: ex Italia in Galliam poſt añum MXXX. venit: Religioſus in monaſterio Beccenſi anno MXLI. factus eſt: Abbas Cadomenſis nominatus anno MLXIII. & Archiepiſcopùs Cantuarienſis anno MLXX. mottuus autem anno MLXXXIX. Quo poſtremo tempore an *Irnerius* jam in vitales haſce auras elatus fuerit, non diſputo, certè ut *Nicolaus Ciſnerus* in Oratione de Veteribus Jctis, & *Panzirollus* de Claris Legum Interpretibus Cap. III. & XIII. ac denique Profeſſores Bononienſes in epiſtola ad *Nibuſium* volunt, *Irnerius* ab anno primùm centeſimo vigeſimo octavo ſupra milleſimum Bononiæ Juris publicæ profeſſioni exordia dedit, vel, ut ex Abbate Urſpergenſi refert *Gottofredus*, precibus Mathildæ Comitis Tuſciæ adductus, Jus Civile Piſis explicare aggreſſus eſt. Quî ergò fieri potuit, ut *Lanfrancus & Irnerius* ſtudium Legale unà profiterentur? Ad hæc *Lanfrancus* nec Bononiæ, nec Piſis unquam docuit, ſed Papiæ. Quo tempore in Italia non Juri Romano locus fuit, ſed Legibus Salicis, Burgundionum, Viſigothicis & Longobardicis; & quamvis, quò arma Longobardorum non pertigerunt, *Codici* atque *Novellis* aliquod pretium erat, Papiæ tamen perpetua ſede Regum Longobardorum minimè obtinuerunt. Tantam verò illarum Civilium Legum *Lanfrancus* paraverat ſibi cognitionem, ut à doctiſſimis viris undique in conſilium adhiberetur. *Adoleſcentulus Orator* (r) *veteranos adverſantes in actionibus cauſarum frequenter præcipitavit torrente facundiæ appoſitè dicendo.* Et cùm parens immaturâ morte è vivis ſublatus fuiſſet, ejus cathedram in Academia Papienſi conſcendere potuiſſet. Sed ille non tam docendi ſtudio flagrans, quàm incredibili plura addiſcendi ardore correptus exteras peragrare regiones ſecum conſtituit. In Franciam delatus, Abrincæ, quæ eſt urbs Epiſcopalis in Normannia, denique conſedit, ac annos complures magna eruditionis famâ docuit. Unde *Gulielmus* Malmesburienſis Lib. 1. de Geſtis Anglorum Pontificum de eo ſcribit: *Is gente Longobardus, non adeò abjectâ & obſcurâ progenie oriundus erat, ſed perinſignis liberales artes, quæ jam dudum ſorduerant, à Latio in Gallias vocans, acumine ſuo expolivit.*

Irnerius juris civ. ſtudio exordia dedit ſub A. 1128.

An Pariſienſis Academia a Lanfranco inſtaurata.

Majora adhuc canit V. C. *Antonius Gattus* in Gymnaſii Ticinenſis Hiſtoria; Capite namque XII. diſertim affirmat, quòd Pariſienſis Academia ad vetuſtum decus à *Lanfranco* reſtituta fuerit: *Ivit Pariſios, eóque literas ſub Karolo Magno à Petro Piſano Papienſi magiſtro delatas, alter Papienſis magiſter revocavit illuſtravítque.* Quòd ſi hæc vero conſentanea ſunt, magna ad Benedictinæ doctrinæ gloriam acceſſio facta eſt, quòd quæ celeberrima toto

(q) Ad an. 1092. apud Acher. in Not. & Obſerv. ad vit. B. Lanfranci pag. 37.
(r) Ex Tabulis Veteribus Archiep. Cantuar. quas exhibet Gerberonius in nova editione Opp. S. Anſelmi.

toto terrarum orbe Academia à Benedictinis inſtituta fuit, ſtudio & opera alterius Benedictini priſtinum florem recuperârit.

Berengarium erroris in Dialectia convincit. In Gallia etiam hoc ævo Clerici ſeculares docendi munus aggreſſi ſunt: è quibus BERENGARIUS Turonenſis Clericus, qui ſub FULBERTI, Carnotenſis Epiſcopi, diſciplinâ didicerat, apud Turonos in eccleſia ſancti Martini ſcholas tenebat. At cùm à beato *Lanfranco*, qui Beccenſi in monaſterio Philoſophiam docebat, turpis in Dialectica erroris convictus eſſet, à plerisque ſuis diſcipulis deſertus fuit, qui Beccum ſe contulerunt, ut duce *Lanfranco* ſtudiorum curriculum abſolverent. *Excellens* (s) *ſiquidem fama - - nobiliſſimos quosque Clericorum ad eum de cunctis mundi partibus agebat.* Nec Clerici tantùm ſeculares, ſed nobilium etiam filii, immò & nominatiſſimi ſcholarum magiſtri eò confluxerant. Hinc laici potentes & nobiles viri multa eidem monaſterio contulerunt; factáque eſt brevi celeberrima omnium Beccenſis Academia. *B. Lanfranco* cùm in Profeſſura Beccenſi, tum in Archiepiſcopatu Cantuarienſi S. ANSELMUS ſucceſſit, cujus etiam diſcipuli fuerunt quàm plurimi, virtute, nobilitate ac doctrinâ inſignes, Quibus informandis ac erudiendis ut ſe totum jam Abbas dare poſſet, ſingula monaſterii officia ſingulis fratribus, de quorum fide & prudentia ſecurus erat, aſſignavit.

S. Anſelmus Lanfranci ſucceſſor.

In Normanniæ monaſteriis ſtudia florent. Hæc porrò ſtudiorum diſciplina propagata eſt per reliqua Normannorum Cœnobia, præſertim *S. Stephani* Cadomi ſub Lanfranco, *S. Ebrulphi* in Sylva Uticenſi, Montis S. Michaëlis, Fiſcamni, Troarni ad Divam, S. Leutfredi ſive Crucis S. Audoeni, in quorum ultimis duobus educati ſuêre *Durandus* & *Guitmundus* Cardinalis, qui adversùs *Berengarii* egregiè ſcripſerunt de veritate Corporis & Sanguinis JESU Chriſti. Is enim cùm iniquiſſimo ferret animo, ſcholas ſuas Turonenſes à diſcipulis deſeri, Beccenſes autem ſub *Lanfranco* ingenti frequentiâ celebrati, quò doctrinæ atque eruditionis famam ſibi aliquam compararet, novus Heroſtratus flammas hæreſeos in domum Dei injicere, perverſorum dogmatum incendia ſpargere, ſanctiſſimúmque Euchariſtiæ Sacramentum negare eſt auſus. Cùm ſubinde verò Berengarii accerrimus antagoniſta *B. Lanfrancus* ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem evectus, ſuffragante & auſpice *Wilhelmo* Rege Eccleſiam Anglicanam refingere ac reformare aggreſſus eſſet, curam illicò, induſtriámque ſuam omnem contulit innovandis ſcholis ac inſtaurandis juvenum ſeminariis in cœnobiis B. Benedicti. Verba Canonis ab eo editi in Concilio Londinenſi anno 1075. refert Doctiſſ. Ludovicus Thomaſſinus: *Infantes præcipuè & juvenes in omnibus locis deputatis ſub idoneis magiſtris cuſtodiam habeant.*

Quis literarum ſtatus in Anglia fuerit. Et verò ſi *Guilielmi* Malmesburienſis authoritatem non reſpuimus, uterque Clerus cùm ſecularis tum regularis gravi laborans ignorantiâ vix ullam doctrinæ partem tenuit, priúsquam *Willelmus*, Normanniæ Dux, cognomento *Conquæſtor*, Angliæ regno in poteſtatem redacto, *Lanfrancum* excivit: *Literarum* inquit, *& Religionis ſtudia obſoleverant, non paucis ante adventum Normannorum annis. Clerici literaturâ tumultuariâ contenti vix Sacramentorum verba balbutiebant: ſtupori & miraculo erat cæteris, qui Grammaticam noſſet. Monachi ſubtilibus indumentis, & indifferenti genere ciborum Regulam ludificabant.* At enim quo animo ÆLFRICUS cognomento *Grammaticus*, ex Abbate Malmesburienſi Archiepiſcopus Eboracenſis hæc *Guilielmi* verba ſit accepturus, non injuriâ dubius hæreo. Is, ut paulò ante diximus, annis non adeò multis ante *Guilielmum Conquæſtorem*, & *Lanfrancum* Archiepiſcopum, rebus humanis exemptus, quà ſcribendo, quà docendo Grammaticam nulli operæ pepercerat, ut Clerus uterque Latinis literis inſtitueretur. Næ *Ælfricus* majori ſtupori & miraculo fuiſſet, ſi ad Cleanthis lucernam aſſiduò vigilans hoc unum agere voluiſſet, ut nemo ex ejus vigiliis tantum proficeret, quantum, ut *Grammaticam* noſſet, ſatis erat. Quot anni deinde ab ejus exceſſu uſque ad Normannorum adventum effluxere? Haud ampliùs quindecim. *Ælfricus* enim anno 1051. in vivis eſſe deſiit, Anglia autem anno 1066. à *Guillelmo Conquæſtore* in poteſtatem tedacta fuit. Qua igitur ſpecie veri Malbesburienſis dicit? *Literarum & Religionis ſtudia obſoleverant, non paucis ante adventum Normannorum annis?* Forſan autem anni iſti non pauci de temporibus SS. *Dunſtani*, *Æthelwoldi*, & *Oſwaldi*, quorum primus an.

988.

(s) Eadmer. in vit. S. Anſelmi.

988. alter 984. poſtremus 992. humana abſolvit, intelligendi veniunt. Atqui de his ſanctiſſimis Præſulibus *Ælfricus* in præfatione ſecundâ ad Grammaticam ſuam indubia teſtatur fide, quòd omnem dederint operam, ut literas jam diu apud Anglos ſepultas in monaſteriis reſuſcitarent. Nec operam luſerunt; ex eorum enim diſciplinâ multos viros doctrinâ pariter ac probitate eximios prodiiſſe conſtat. Credibile mihi fit, à Malmesburienſi labem ignorantiæ, quæ fors in quibusdam Clericis ac Monachis hæſit, nullo diſcrimine omnibus fuiſſe aſperſam. Quibus tamen hactenus dictis inficias ire nolumus, quòd literæ à Barbaris Angliam Seculo x. devaſtantibus haud minimam cladem acceperint.

Scholæ quædam celebres S. Albani in Anglia,

Beati *Lanfranci* conſanguineus & diſcipulus erat PAULUS S. Stephani Cadomenſis Abbas, qui anno 1077. 4. kal. Julii eccleſiam ſeu monaſterium S. Albani in Anglia ejusdem ope *Lanfranci* regendam ſuſcepit: primúsque fuit ejus eccleſiæ Abbas, ex quo Normannis Anglia ſubdita eſt. Ejus viri literatiſſimi & eloquentiſſimi operâ floruit ſchola San-Albanenſis: multos enim è Normannia & Gallia præſtantes ingenio viros aſcivit, libróſque complures comparavit. Unde, ut legitur in vitis 23. S. Albani Abbatum, *bono odore famæ hæc eccleſia totam replevit regionem, & facta eſt quaſi aliarum ſcholarum magiſtra.*

Tineccenſis in Polonia,

In Polonia Rex CASIMIRUS (t), antea Monachus Cluniacenſis, inclytum Tinecenſe monaſterium fundavit, cui AARONEM Cœnobitam Cluniacenſem virtute ac doctrinâ conſpicuum præfecit. Is promovebat ſuo in monaſterio bonarum artium & divinarum ſcripturarum ſtudia, immò veriùs Gymnaſium LL. AA. ex voluntate Regis aſſignatis huic muneri doctis & idoneis Cluniaco miſſis Fratribus Tineciæ inſtituerat.

S. Martini in Hungaria.

In Hungariâ Benedictini regiæ Abbatiæ in monte S. Martini ludum literarium longè pulcherrimum ac laudatiſſimum inſtituerunt: ubi ſub electis ac probatis præceptoribus Hungarica pubes rudibus ſtatim annis ſimul & Chriſtianæ vitæ dogmata & optimas imbiberet literas: nimirum gnaviter intelligebant, & in hac ætate velut herba ſpem Hungariæ non ita pridem ad Chriſtum converſæ poſitam eſſe, & quanti referat, ferociſſimæ genti mitiores mores à Muſis cum literis inſtillari. Hujus Athenæi limina triverat S. MAURUS Epiſcopus Quinque-eccleſienſis. Sub annum enim 1011. adhuc erat in monte S. Martini *puer ſcholaſticus*: advertendum verò, quòd per *pueros ſcholaſticos* olim deſignarentur illi, qui in cœnobiis ad vitam monaſticam diſponebantur, & ſtudiis humanioribus, aut etiam Theologicis operam dabant, quos monachi vulgò *pueros* nuncupabant, ut adductis exemplis probat *Cangius* in Gloſſario ad voces *Scholæ Monaſticæ*, & *Infantes Monaſterii*, atque ex epiſtola Alcuini *ad pueros S. Martini.* MAURUS itaque in vitâ SS. Zoërardi & Benedicti à ſe conſcripta *puerum ſcholaſticum* ſe vocat, qui inferioribus primùm, tum ſuperioribus literis in ejusdem Aſceterii ſchola operam navavit, quas cùm eximia cum virtute conjunxiſſet, Eccleſiæ Quinque-eccleſienſis infulas promeruit.

Quid ſit puer ſcholaſticus.

Atque ex his, quæ hactenus dicta fuerunt, videre licet, quòd Ordo Benedictinus ferè ſe ſolo ſtudia ſcientiáſque, plurium ſeculorum decurſu, in totâ Europâ ſuſtentâtit. Monachi potiſſimùm tunc ſcientiarum profeſſores erant, ac magiſtri in noſtris cœnobiis, quin imò ex ipſis quàm plures cathedrales eccleſiæ Doctores pro ſe expetierunt: quemadmodum etiam hoc ævo Baldricus Leodienſis Antiſtes OLBERTUM monachum *in utraque ſcientia* divina & humana peritum ex Laubienſi monaſterio evocavit, quò *Burchardi* Wormatienſis Epiſcopi ſtudia promoveret. Quantos verò progreſſus in literis, præcipuè in Jure Eccleſiaſtico fecerit ex *Olberti* inſtitutione, indubio argumento eſt prægrande illud Canonum volumen, quod ſub Burchardi nomine lucem aſpexit.

Benedictini multis ſeculis ſcientiarum diſciplinas ferè ſe ſolis ſuſtentant.

Quàm inſulſa igitur, quámque inepta ſunt, quæ *Chriſtophorus Heumannus* de rei literariæ ſtatû in decimo & undecimo ſeculo literis non ita pridem mandavit. Calida enim frigidis, laudes vituperiis, cœlum terræ, vera falſis miſcet. Sed aures viro, magnæ cæteroquin eruditionis, tantiſper accomodemus. „*Si quæris*, inquit, *cur hoc temporis tractu ad incitas redactæ fuerint Muſæ, non aliam video hujus calamitotis cauſam, quàm quòd inhonorata tum erant optima illa ſtudia, & via ad eruditionem nimium ſalebroſa.* Non enim publicis ſum-„ptibus alebantur doctores juventu-

Heumanni cenſura de rei literariæ ſtatu in X. & XI. Seculo

(t) Stanislaus Sczygcelski in Hiſt. Monaſt. Tinec. lib. 1. pag. 24.

„ tis in ſcholis atque Academiis , ac „ bonorum librorum ſumma erat caritas, prætereáque doctiſſimus quisque hæreſeos vel ſuſpicionem vel „ notam effugere vix ac ne vix quidem poterat. Crediderim etiam „ haud paucos, ſic, ut olim pii Eliæ „ ævo, latuiſſe in tenebris , qui cùm „ ſatis docti eſſent , vel audacia vel „ occaſione carerent prodeundi in publicum, & ſcribendis libris nomen „ ſuum ad poſteros propagandi. Injucundum ſcilicet eſt , odioſum „ etiam, ineptum, denique docere, „ ubi nemo eſt , qui doceri geſtiat. „ Certè non videtur mihi decimum „ ſeculum *Luitprandum* & *Roswitam*, „ undecimum ſeculum *Lambertum* Hiſtoricum ,miræ ſcriptores elegantiæ, „ procreare potuiſſe, niſi fuiſſent alii, „ quorum vel inſtitutione, vel æmulatione, vel hortatù tam longè fuiſſent provecti in literarum curriculo. Quamquàm publicæ illius temporis querelæ docent , perraros fuiſſe interiorum literarum cultores, „ ipſáque monaſteria, erudiendæ quidem illa juventuti dicata , & ſuum „ ſingula *Scholaſticum* habentia, converſa fuiſſe in ſcholas cantionum, „ ſuperſtitionum, cæcæque obedientiæ. Illud unum laudi ducendum „ eſt collegiis monachorum , quod „ aſſiduis veterum librorum deſcriptionibus ſortiter obſtiterunt, quò minùs ii interirent. Ita dum ingenium „ ſuum non poterant, manus tamen „ commodabant reipublicæ literatæ; „ atque hæc eſt cauſa , rectè obſervante *Barthio* , cur tam multi adhuc nobis ſalvi ſint ex bonis ſcriptoribus. Quanta verò induſtria monachorum fuerit in literis deſcribendis, hiſce docet verbis Petrarcha: „ *Alii membranas radunt, alii libros ſcribunt, alii corrigunt, alii illuminant, „ alii ligant,& ſuperficiem comunt.* Quibus ſimillima Trithemii verba exhibet „ in Amœnitatibus ſuis Schelhornius „ Tom.VII. pag. 284.

reficitur.

Hæc *Heumannus* , quæ magnam partem veritati adverſantur. Ut enim veriſſimum illud , quòd Benedictini artis antiquariæ perquàm ſtudioſi manus ſuas in tranſcribendis libris reipublicæliteratæ indefeſſâ ſolertiâ accommodàrint , ita abſurdum ſapit convitium, quòd ingenium illi ſuum commodare minùs potuiſſe dicantur. An non enim , vel ipſo *Heumanno* attestante, undecimum ſeculum ornârunt *Fulbertus* Carnotenſis , *Burchardus* Wormatienſis , *Dithmarus* Merſeburgenſis, *Petrus Damiani* , *Conſtantinus* Afer Medicus, *Marianus Scotus, Lanfrancus* & *Anſelmus* , Cantuarienſes Archiepiſcopi , *Lambertus* Schaffnaburgenſis, *Olbertus* & Sigebertus Gemblacenſis, & *Guido* Aretinus? qui omnes Benedictinæ Familiæ alumni fuerunt, vel certè quidem doctrinæ latices in Benedictinis ſchulis hauſerunt. An hi fungi, ſtipites, caudices, qui nihil ingenioſi ac docti ſalis habuêre , quo inconditum illud , ut *Heumannus* vult, undecimum ſeculum conſpergere poſſent ? Vel ſolus HUMBERTUS (u) Cardinalis *Heumanni* dicta revincat.

Humberti Cardinalis præcellens doctrina.

Is in Lotharingia natus , ſub monachali habitu adhuc puer *Hardulfo* Abbati oblatus in Mediano Tullenſis diœceſis monaſterio , vix adoleſcentiæ annos attigit , cùm omnem vitæ religioſæ perfectionem eſt aſſecutus. Tunc humanioribus literis eſt informatus, brevì omni ſcientiarum genere imbutus; cùm doctrinam cum pietate conjungeret, artémque muſicam apprimè calleret , *Brunonis* Tullenſis Epiſcopi ſanctiſſimi, qui eâ delectabatur , amicitiam , & gratiam adeò ſibi devinxit , ut factus ſummus Pontifex LEO IX, Humbertum ſecum in Italiam duxerit , atque eo adjutore in præcipuis ac magis arduis Eccleſiæ negotiis uſus ſit. *Quâ in re* , inquit Cardinalis Baronius, *debuit plurimum Eccleſia Romana* LEONI , *qui tantum virum otioſum fortaſſe in Lotharingia commorantem, his opportunè temporibus in orbis theatrum [illegible]o univerſa Eccleſia catholica conſtit[illegible] [illegible]borantem.* Statim autem atqu[illegible]omam pervenit LEO , *Humbertum* fecit Archiepiſcopum Sicilienſem , nec multò pòſt Cardinalem creatum , & Epiſcopum Sylvæ Candidæ, propugnatorem habuit adverſùs Eccleſiæ hoſtes, Legatúmque miſit Conſtantinopolim ad compeſcendum Græcorum ſchiſma, adverſùs quos diſputationem habuit *de azymo & fermentato*, quam juſsû Imperatoris CONSTANTINI *monomachi* in ſcriptis redactam ex Mſc. Vaticano publici juris fecit Cæſar Baronius, cum reſponſione ejusdem ad objecta *Nicetæ Pectorati*.

Baronii de eo teſtimonium.

Equidem GUIDO *Aretinus* hoc ævo compendioſam magis addiſcendi cantûs methodum ingenti Chriſtianæ reipublicæ emo-

Guido Aretinus muſices peritiâ inſignis.

(u) Martene in admonit præv. ad Humb. Card. Lib. III. adverſùs Simoniacos Tom. V. Theſ. Anecd. pag. 620.

emolumento adinvenit; ita ut qnod vix *decennio* addiſci antea poterat, abhinc *annali ſpatio*, aut, ut multùm *biennio* perfectè impoſterum diſceretur. Sed quis eapropter monaſteria in ſcholas cantionum, ſuperſtitionum, cæcæque obedientiæ converſa dicat, niſi *Heumannus*? Vel ex ſola id temporis celeberrima Beccenſi Academia in omnia, eáque bene multa Normanniæ & Angliæ monaſteria literarum ſtudia ptopagata fuerunt. Ubinam LAMBERTUS *Schaffnaburgenſis* ſuum ab incorrupta Latini ſermonis integritate commendatum Chronicon elucubravit, niſi Hersfeldenſi in Monaſterio, ubi caſtè puréque Romano uti ſermone edoctus fuit? An & huic, aliíſque Benedictinis Scriptoribus, *Eliæ exemplo*, in tenebris deliteſcendnm fuit, ita ut lucubrationes ſuas in lucem publicam emittere non auderent? Enimverò tantum abeſt, ut hoc factum fuerit, ut etiam ex monaſteriis inviti ac reluctantes extracti, atque ad ſumma eccleſiaſticarum dignitatum culmina evecti fuerint. HENRICUS II. Auguſtus Germaniæ, *Robertus* Sapiens Galliæ, atque *Guilielmus Conquæſtor* Angliæ quanta rei literariæ ſeculo undecimo Mæcenatum nomina & columina! Sed *Berengario* bellum indixêre *Lanfrancus*, *Guitmundus*, *Durandus* Troarnenſis, aliíque complures Benedictini? Enimverò tantùm iterum abeſt, ut hoc inficias eant, ut vel maximæ ſibi vertant laudi. Hæc enim peculiaris (*abſit jactantia verbo*) Benedictinorum videtur eſſe gloria, quòd orthodoxum de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento dogma ſcriptis ſuis contra peſtilentes ſectarios aſſertum iverint. Quòd verò nulli Profeſſores, qui literas docerent, publicis in Prytaneo ſumptibus alerentur, Benedictinos non abſterruit, quò minùs ſcholis apertis publicè, ullo ſine didactro, ac ſolo amore ptoximi plura per ſecula diſcentibus poſuerint ſubſellia. Et niſi hi quoque in tranſcribendis voluminibus aſſiduos ac indeſeſſos ſe præbuiſſent, majore adhuc librorum caritate ac jejunitate laboratum fuiſſet. Illud concedamus *Heumanño*, quòd ſeculo X. minor Scriptorum copia, minúſque literarum ſtudia honorata fuerint; neque id mirum, cùm præter civiles & inteſtinas diſcordias omnia bello ſerverent. Quis verò ab efferato Marte exſpectet, ut manſuetis Muſis cultum adhibeat? At enim decimi etiam ſeculi vindicias paulò antè ſcripſimus.

Lambertus Schaffnaburgenſis, eximius Hiſtoricus.

Rei literariæ Mæcenates.

Benedictini Myſterium SS. Euchariſtiæ acriter propugnant.

Rem etiam literariam ſeculo XI. (*ne quid diſſimulem*) in Monaſterio Novientenſi, vulgò *Apri-monaſterio*, patrio ſermone *Ebersmünſter*, vehementer afflixit WILLO (x) Monachus aurifex de monaſterio, quod *Onnartum* dicitur, violenter ab *Henrico III.* Imp. filio *Conradi II.* Imp. an. 1039. intronizatus ac Abbas conſtitutus. Nam quosdam ex monachis nobiles & literatos viros monaſterio pepulit, & filios piſtorum, ac coquorum, & piſcatorum introduxit, ac tonſurari fecit; qui ſubinde tamen de clauſtro projecti iterùm portarii, & piſtores, & molendinarii monaſterii facti ſunt. Tandem verò *Willo* Abbas, ſeu potiùs Abbatis larva cum ſpoliis monaſterii aufugit, & Wormatiæ dilapidatis ultrà non comparuit. Egregium Abbatem! qui ludum literarium in piſtrinum convertit.

Willo monachus rei literariæ hoſtis.

Ab *Odilone* etiam Abbate illiterato cœnobii Crucis S. Leufredi Diœceſis Ebroicenſis in Normannia neque literis nec literatis ullus honor eſt habitus. Unde *Guitmundus* ejus loci monachus eruditus ab ipſo, nullius doctrinæ viro, quíque quantus ſapientiæ theſaurus in *Guitmundo* lateret, meriri neſciebat, peregrinandi accepta licentia Romam profectus eſt, quem *Gregorius VII.* Pontifex Max. cum gaudio ſuſcepit, & S.R.E. Cardinalem creavit. URBANUS verò II. Averſanum in Italiâ Archiepiſcopum renuntiavit, ut ſcribit *Ordericus Vitalis Hiſt. Eccl. lib. V. Cap. XVII.*

Odilo Abbas illiteratus.

Ex ejus monaſterio diſcedit Guitmundus,

Fit Cardinalis & Archiep.

SECULUM ÆRÆ VULGARIS XII. BENEDICTINÆ VII.

INeunte ſeculo Eccleſiæ XII. tot prodigiis, monſtris, contentionibus, & doctrinarum portentis funeſta fuêre omnia, ut nonnulli *Antichriſtum* jam natum aſſererent. Eodem inclinante vites & virns exercere cœperunt peſtilentiſſimæ *Waldenſium*, *Abigenſiũ*, *Petrobuſianorum*, *Catharorum*, *Pauperum de Lugduno*, ſeu quocunq; alio nomine vocentur hæreſes. Ex adverſo mirificè proſunt Orbi Chriſtiano Cluniacenſes noſtri in Perſiâ, Armeniâ, & in ipsâ Æthiopiâ mirè multiplicati, quibus in Provinciis à ſe converſis Monaſteria, xenodochia, ſcholas & gymnaſia paſſim excitant. Plnres tum temporis expeditiones ex omni ferè Occidente

Conſpectus ſeculi ab anno 1100. ad 1200.

(x) Vide Novientenſe Chronicon apud Martene Tom. III. Anecdot.

dente in Orientem ſactæ, vario quidem ſucceſſu, infelici tandem exitu. Inde *Alexandri Aphrodiſienſis* ſtudio reſuſcitata Ariſtotelis Philoſophia, noſtras in plagas invecta, variè tamen ab interpretibus interpolata, variis etiam caſibus ac litibus agitata fuit. (y) Adeò namque ad peripateticam doctrinam & græcas literas nauſeabant plerique, ut teſte *Alexandro Nekam* libro *de Naturis rerum*, Ariſtotelis libros à nemine, quàm ab *Antichriſto* legendos & intelligendos crederent. Irrepſit tamen ſenſim in cathedras, traxítque ex ejus etiam affinitate labem aliquam Theologia, quæ *Scholaſticorum*, ut vocant, commentationibus in aliam planè formam ſpeciémque tandem mutata eſt. Audiuntur paſſim Virorum doctiſſimorum de ejusmodi corruptelis querelæ; ita enim *Joannes Sariſberienſis* morum ſeveriſſimus cenſor ad annum 1182. ſuperſtes, de his ſuis temporibus libro 1. Metalogic. cap. 2. diſſerit: *Sufficiebat*, inquit, *ad victoriam verboſus clamor, & qui undecunque aliquid inferebant, ad propoſiti perveniebant metam; Poëtæ & Hiſtoriographi habebantur infames, & ſi quis incumbebat laboribus Antiquorum, notabatur, & non modò aſello Arcadiæ tardior, ſed obtuſior plumbo omnibus erat inviſus.*

Benedictini doctrinâ illuſtriores.

Floruêre interim è noſtris non pauci præcipuo eruditionis cultu celebres viri, RUPERTUS Tuitienſis, BRUNO Signienſis Epiſcupus, (z) S. BERNARDUS Claræ vallenſis; PETRUS ABÆLARDUS, *cui ſoli patuit ſcibile quidquid erat.* EADMERUS ſeu *Edinerus* S. Anſelmi diſcipulus; PETRUS MAURITIUS Cluniacenſis Abbas, *Venerabilis* ob morum gravitatem dictus; SUGERIUS alter Galliarum Salomon; WIBALDUS Stabulenſis, HERVEUS Dolenſis (a), *Algerus* Cluniacenſis, WILHELMUS Malmesburienſis; GRATIANUS juris Eccleſiaſtici *Phœbus* & *Magiſter* dictus; HILDEBERTUS Cenomanenſis, HUGO Rothomagenſis, PETRUS Cellenſis, EGBERTUS Schönavienſis Catharorum profligator acerrimus; nec non duæ illæ oraculis & ſcriptis inſignes Abbatiſſæ B. ELISABETHA Schonavienſis *Egberti* ſoror, & S. HILDEGARDIS Bingenſis, aliíque, de quibus plura in decurſu memoranda recurrent. Nunc per partes eundo, ac ſingulas Europæ Provincias perluſtrando, pro instituti noſtri ratione de ſtudiorum in iis culturâ, eorúmque promotoribus & cultoribus præ ceteris illuſtribus ſpecialia diſquirere lubet & referre.

Rei literariæ in Germania cultores,

Et noſtram quidem quod attinet Germaniam, tametſi excitatis de inveſtiturarum jure turbis, ac pàrtium ſtudiis miſerè diſcerperetur, multi tamen viri doctiſſimi cùm Benedictini, tum aliorum Ordinum conſecranei, eam egregiè ſuâ doctrinâ & eruditione illuſtrârunt. De noſtris tantùm loquor. In Saxonia HENRICUS ex Abbate S. Ægidii Brunswicenſis Epiſcopus, *erat*, teſte Meibumio, *vir ad miraculum doctus*; cujus rei dogma eſt apud *Arnoldum Lubecenſem* in Hiſtoria Sclavorum, quod ejusdem verbis referre me non pigeat: (b) „Cùm eſſet *Henricus* circa ætatem viginti

Henricus Abbas S. Ægidii in Brunſwic.

„ annorum jam adoleſcens factus, „ relicto Pariſienſi ſtudio, terram na„ tivitatis ſuæ regreditur, *Brabantiam* „ ſcilicet (quia de *Bruxle* civitate ori„ undus erat) & veniens *Hildesheim*, „ quia in artibus benè profecerat, „ ſcholas ibidem regendas accepit. „ Cúmque per tempus ibi ſtetiſſet, Dei „ nutu venit Brunſewig, & nihilomi„ nùs ſcholarum curam ſuſcepit re„ gendam. Procedente autem tem„ pore, febre tactus decubuit. In in-

ejus ſomnium:

„ firmitate autem poſitus tale vidit „ ſomnium; videbat virum procerum „ valde, & horrendum ſeſe agitan„ tem, ipſe verò fugiens venit ad flu„ vium latiſſimum: quem cùm pro„ pter timorem prædonis infeſti an„ helans tranſiret, venit ad mona„ ſterium B. Ægidii: quod cum intrâſ„ ſet, manus inſequentis inimici eva„ ſit. Evigilans igitur & divinæ cle„ mentiæ circa ſe diſpoſitionem ſen„ tiens, mox ad monaſterium B. Ægi„ dii deducitur, & tonſuratus habitu „ monachali induitur, & febrium im„ portunitate ceſſante, è fluctuum ſe„ cularium tempeſtate eripitur, & ſic „ Monachus factus Monachi vigilavit „ in Actis. . . . Abbas poſteà creatus „ cum *Henrico Leone* potentiſſimo Sa„ xoniæ Duce in Terram ſanctam per-

peregrinatur in Terram ſanctam.

„ egrinatus, grandem ſuſtinuit diſpu„ tationem in conſpectu Imperatoris „ Conſtantinopolitani, præſente Do„ mino ſuo *Henrico* Duce, *ſuper proceſſionem Spiritûs ſancti*, quum ſer„ mo oriretur de controverſia Orienta-

„ lis

(y) Vid. Launoius in libro *de varia Ariſtotelis fortuna.*
(z) De quo plura Part. III. Cap. III. Num. II. pag. 129.
(a) Ibid. Num. III. pag. 130.
(b) Libr. 3. cap. 1. pag. mihi 203. & Cranz in Metropoli Libr. 7. Cap. 2. p. 170.

„ lis & Occidentalis Eccleſiæ. Oſtenderat *Henricus* teſtimonio Græcorum Doctorum, controverſiam non eſſe de re, ſed de verbo, copioſè allegans, ita nt omnium & Latinorum & Græcorum ora in ſe converteret. Sed jam reverſus in provinciam, quum à fratribus Lubecenſibus Epiſcopus poſceretur, dubitavit Dux, quid ſineret, dubitavit & ipſe *Henricus*, quid faceret. Nam Dux carere ejus præſentia de Brunſwico (*ubi plurimùm ingraveſcente ætate manebat*) grave duxit, viro pleno prudentiâ & conſiliô: ipſe *Henricus* addubitabat, monaſticam quietem mutare negotio pontificio. Poſt multa acquievit uterque, &

fit Lubecenſis Epiſcop.

factus eſt Lubecenſis Epiſcopus: ab Epiſcopis Havelburgenſi, Raceburgenſi, & Sacrinenſi in præſentia Ducis *Henrici* conſecratus. Hic vir magnæ erudirionis, & ſanctitatis, facundus, de Brabantia oriundus, primò præfuit ſcholis in Brunſwico: poſteà Abbas, inde factus eſt Epiſcopus. „ Monaſterium verò Brunſwicenſe S. Ægidii, cui *Henricus* præfectus fuerat, à *Gertrude* Egberti Marchionis Saxoniæ, & Brunſvicenſis filia ex clara Witikindea quondam Saxoniæ Regis ſtirpe fundatum fuit. Ejus maritus *Henricus* cognomento *Craſſus*, Othonis illuſtris Bavatorum Ducis & Northemenſis Comitis filius, exeunte ſeculo undecimo Bursfeldenſe monaſterium condidit; cujus pri-

Almericus Bursfeldenſis Abbas primus.

mus Abbas erat ALMERICUS (c) magnæ vir doctrinæ, cui non ſatis erat, in ſacro ſuggeſtu pro concione dicere, niſi etiam in ſchola, quam in ſuo monaſterio admodùm egregiam excitârat, magiſtri ſibi partes ſumens alios bonis literis inſtitueret. Præfuiſſe monaſterio adhuc anno 1115. legitur. Prima Monachorum Bursfeldenſium colonia ex Corbeia Nova demigravit. Illuſtri huic Aſceterio ſeculo undecimo præ-

Marquardus Abbas novæ Corbeiæ.

ſidebat MARQUARDUS, de literis ſecundùm pietatem perquàm ſollicitus Abbas. Ex ejus monachis ſeptem ad aliorum monaſteriorum regimen aſſumpti, quos inter quatuor Lectores fuerunt. Præ cæteris ERHARDUS monachus eximiâ doctrinâ inſtructus fuiſſe dicitur; at *Marquardo* è vivis ſublato ſchola ineunte ſeculo duodecimo in deterius lapſa vitio Præpoſiti, qui ob id divinitùs punitus fuit.

Stabulenſes in Belgio ſcholas mirâ ſapientiâ regebat Venerabilis *Reinardus*, qui poſt aliquot annos primus Reinhuſanus Abbas creatus fuit. Sub

Wibaldus Abbas Stabulenſis.

ejus diſciplinâ WIBALDUS nobiliſſimæ proſapiæ adoleſcens grammaticæ & rhetoricæ ſtuduit. Magnos hoc magiſtro progreſſus fecit, & diſciplinis altioribus brevì maturus ad majores Leodienſium ſcholas ſtatim fuit evocatus. Tum verò ſumma ejus & ingenii ſelicitas & judicii vis enituêre, ut ſublimioribus diſciplinis egregiè imbueretur. Monacho facto ſcholas CUNO Stabulenſis Abbas commiſit; à cujus obitu ipſe anno 1130. in Abbatem

Henricus Scholarcha.

electus, ſcholis HENRICUM præfecit monachum verè pium & eruditum, cujus labores & merita non ſemel epiſtolis ſuis celebravit. Verùm de *Wibaldo*, viro cùm ſplendore generis, tum doctrinâ, pietate, ac rebus geſtis præſtantiſſimo plura Parte III. in ejus vita.

Alii Abbates Scriptis & doctrinâ illuſtres.

Eodem ævo apud Belgas inclaruêre complures è noſtris eruditione & ſcriptis illuſtres: HARIULFUS ex Centulenſi Monacho Aldeburgenſis in Flandria Abbas, ROBERTUS Walciodorenſis; THEODORICUS & RODULPHUS S. Trudonis in Hasbania Abbates, FRANCO *Affligemienſis*, WASELINUS *Momalius* S. Laurentii propè

Sigebertus.

Leodium Abbas, SIGEBERTUS Gemblacenſis, qui primùm in Vincentiano apud Metenſes Monaſterio ſcholam aperuit, & Monachos Clericóſque ad ſe venientes melioribus literis imbuit; Poſteà ad Gemblacenſes redux, libris conſcribendis præcipuè ſe addixit; cúmque annos religioſè piéque ætate grandis apud ſuos exegiſſet, animam Creatori ſuo reddidit III. Nonas Octobris an. 1113. de quo *Sweertius* in Athenis Belgicis pag. 674. hæc habet: *Utinam*, inſit, *ea ætas tales multos tuliſſet; certè non tam mutilam haberemus illorum temporum Hiſtoriam.* Pari

& Anſelmus Gemblacenſes.

famâ paulò pòſt increbuit ANSELMUS ejusdem cœnobii Abbas, cujus licèt jam antea meminimus, quia tamen *Sigeberti* Chronicon continuâſſe dignoſcitur, ejus mentio breviter hìc repetenda eſt. Erat is *Guirici* Gemblacenſis quondam Prioris religioſiſſimi conſanguineus, & diſcipulus; ex diſcipulo factus aliorum Magiſter, à Francis etiam quantumvis remotis expetitus doctrinæ ſuæ copiam iis fecit, eúmque Magiſtrum habuiſſe dicuntur *Altovilla-*

(c) Leuckfeld Antiq. Bursfeld. c. 1. pag. 16.

villarenſes, & poſt eos *Latiniacenſes* noſtri, inter quos longo tempore commoratus eſt.

Rupertus Tuitienſis,

In Germania inferiori cumprimis enituit RUPERTUS *Tuitienſis*, primùm Monachus S. Laurentii prope Leodium, dein Sigebergenſis prope Bonnam in Diœceſi Colonienſi incola ſub *Cunone* loci Abbate, cujus patrocinio *à perſecutione falſorum Fratrum invidiâ tabeſcentium*, ut ipſe loquitur, *liberatur*, *commentarios ſuos in S. Scripturam* edere cœpit anno 1117. Demùm ob præclaram eruditionem à *Friderico* Colonienſi Archiepiſcopo evocatus, Tuitienſis Cœnobii, è regione Coloniæ Agrippinæ ſiti Abbas creatus, obiit 1135. Quanto ille ſtudio literas apud ſuos promoverit, teſtatur in ejus encomio Trithemius.

S. Norbertus Sigebergenſ.

Certè NORBERTUS Præmonſtratenſium Ordinis inſtitutor, ſub ipſius diſciplina apud Sigebergenſes in tantum profecit, ut impetratâ à *Gelaſio* Papa facultate ad prædicandi munus ſe contulerit, *Tanchelmum* Hæreſiarcham perditiſſimum ſtrenuè oppugnârit, ac demùm Magdeburgenſem Archiepiſcopatum adeptus fuerit. Eâdem ætate in vicino Brauwillarienſi Monaſterio ſub ÆMILIO Abbate virtus & doctrina adeò exſplenduêre, ut plures inde Monachi ad varia Monaſteria regenda aſſumerentur, quos inter memorandus ALBANUS ad S. Martinum Coloniæ Abbas, *Vir ſapiens, doctus, fortis, prudénsque bonúsque.* (d)

Adalardus S. Martini Coloniæ Abbas.

Floruit in eodem S. Martini cœnobio *Adalardus* à teneris ſub *Albani* diſciplina enutritus, ac melioris doctrinæ ſtudio plurimùm commendatus, qui Benedictinum ſpiritum tam altè hauſerat, ut à primis ſuæ profeſſionis annis adultos ſuperans, mox *Armarii* ſeu *Bibliothecarii*, tum *ſcholarum Præfecti*, variiſque deinceps officiis functus, Dominici demùm gregis Paſtor an. 1150. fuerit conſtitutus, quo in munere mirum quantum ſtudia literarum inter ſuos excitaverit. Extat ejus ad *B. Hildegardem* epiſtola, & hujus ad illum reſponſoria, in quâ: *Tu fabro illi ſimilis es*, infit, *qui multa vaſa fundit; ſed ea fulgentia per ignem non facit.* Gliſcebat porrò per id tempus Coloniæ ſordida & ſpurcitie plena *Catharorum* hæreſis; ne longiùs ſerperet *Adalardus* cum aliis acerrimè obſtitit. Is ſubinde cum tribus anteſignanis *Arnoldo*, *Marſilio*, & *Theodorico* congreſſus tam acri eos diſceptatione fregit, ut contra inexpugnabilem veritatis vim, quùm ne hiſcere quidem poſſent, victoriam *Adalardo* haud dubiam concederent.

S. Hildegardis,

Medio hoc ævo B. HILDEGARDIS in Monte S. Ruperti ad Rhenum prope Bingam Abbatiſſa effloreſcentis indies in ſe lætiùs cœleſtis gratiæ, virtutis & doctrinæ odorem longè latéque diffundebat; Cujus ſuavitate afflati complures oracula & inſtructiones datis ad eam literis poſtulabant. Rei famâ excitati EUGENIUS III. Papa, S. BERNARDUS, & Primores Galliæ, Germaniæque Epiſcopi, viſiones illius cœleſtes anno 1148. congregatâ apud Treviros Synodo, acriori ſubjecêre examini, eáſque infucatas deprehenderunt, & confirmârunt.

S. Eliſabetha & Egbertus Schönavienſis,

Cœlitùs quoque illuſtrata B. ELISABETHA Schönavienſis in agro Treverico Abbatiſſa revelationibus & viſionibus inclyta iis diebus inclaruit. Hujus conſilium inſtitutúmque ſecutus EGBERTUS frater ipſius, relictâ pinguiori apud Bonnenſes præbendâ in S. Florini ejusdem nominis virorum cœnobio Benedictinum cucullum induit, atque Abbatis denique authoritate illic præfectus, multis nominibus ab eruditione & religione clarus enituit ad annum 1180. Præclaris quoque ingenii ſui monumentis, hoc ſeculum, noſtrámque Germaniam illuſtravit

Potho Prumienſis,

POTHO Prumienſis Monachus, piis commentationibus maximè delectatus.

Berengoſus S. Maximini,

His addendus BERENGOSUS Abbas S. Maximini Treviris, qui varios Commentarios à ſe pro ejus temporis uſu ſatis eleganter compoſitos poſteris conſignavit.

Lambertus S. Mathiæ, Theofridus Epternac.

Eadem ferè ætate apud Trevirenſes efflòruit LAMBERTUS S. Matthiæ Monachus. Sub initium ſeculi vixit THEOFRIDUS Epternacenſis in ducatu Luxemburgico Abbas XXIV. qui ſermones de cultu & veneratione Sanctorum, & alia quædam opuſcula poſteritati reliquit.

B. Frowinus Abbas Angelomontanus,

Apud Helvetos *B. Frowinus* Angelomontani Cœnobii Abbas, *Vir fuit*, teſte Chriſtophoro Hartmanno, *integerrimæ converſationis, religioſiſſimus & ſapientiſſimus.* Quantâ certè in omni ſtudiorum genere doctrinâ ornatus fuerit, oſtendunt adhuc ejus, quæ apud Eremitanos, quæque apud Angelomontanos ſuperſunt manuſcripta ingenii monumenta. Neque verò ipſe ſolùm multa compoſuit volumina, ſed ut multò plura ab aliis compoſita ſcriberentur auctor extitit. Utroque

(d) Ex Chron. S. Martini MS.

in monaſterio volumen adſervatur *de libero arbitrio* in libros ſeptem diſtributum, auro contra meritò æſtimandum. Sed neque literis ita ſe prorsùs immerſit, ut monaſterii, ad quod regendum vocatus erat, adminiſtrationem & curam intermitteret. Multa in eo & ampla ædificia exſtruxit, ac in utroque & re familiari, & literarum ſtudio (quod haudquaquam in uno facilè ſimul reperias) magnum ſe & admirabilem exhibuit, utì refert citatus in Annal. Eremi Deiparæ pag. 189.

Guibertꝰ & Hugo Flaviniacenſes.

In Burgundia GUIBERTUS ex Flaviniacenſi Monacho Abbas Novigentinus in pago Laudunenſi, *Vir doctus, ſi quis alius,* claruit ad annum 1124. ac inter alia quamplurima fœcundi ingenii monumenta, literis conſignavit Hiſtoriam Belli ſacri, ſeu *Geſta Dei per Francos*, uſus hac in re *operoſa verborum elegantiâ.* De ſuo autem Flaviniacenſi Monaſterio fidem facit *Monodiarum*, ſeu *vitæ ſuæ libro 2. cap. 5. pag. mihi 493.* quòd ſuo tempore ibidem *Literatorum floreat multitudo;* Inter quos HUGO ex Virdunenſi Monacho Flaviniacenſis Abbas meritò numerandus, ut qui ineunte hoc ſeculo literas maximè excoluit. An etiam huc referendus ſit RADULPHUS *Niger* Flaviacenſis ſeu Flaicenſis in territorio Bellovacenſi Monachus, haud ſatis habemus exploratum: Hunc enim ſeculo X. claruiſſe hactenus ferè creditum fuit; Sed *Labbæus* in ſua adversùs *Mareſium* Diſſertatione(e) pluribus contendit eum ad an. 1157. eſſe reponendum. Scripſit verò inter alia *Commentarios in Leviticum, in Cantica Canticorum, in Divi Pauli Epiſtolas &c.*

Radulphus Niger.

Circa annum 1130. effloruit THEOBAUDUS Bezuenſis in Burgundia Monachus, haud infimæ notæ Scriptor, de quo *Labbæus* Bibl. Nov. MSs. Tomo II. pag. 605.

Theobaudus Bezuenſis.

Apud Bavaros cumprimis enituit OTHLONUS Sant-Emmeramenſis Ratisbonæ Monachus eruditione præcipuus, qui ineunte ſeculo XII. conſcripſit Hiſtoriam rerum geſtarum S. BONIFACII *Germaniæ Apoſtoli.*

Othlonus Sant-Emmeram.

Eodem labente ſeculo floruit GERARDUS Richenburgenſis Monachus, dein cœnobii Monialium Stedarburgenſium Præpoſitus anno 1163. inſtitutus, qui ſui cœnobii Hiſtoriam condidit, ex qua non ſpernenda de *Henrico Leone* Bojoariæ & Saxoniæ Duce orbi erudito propinavit *Henricus Meibomius.*

Gerardus Richenburgenſis.

Magnâ itidem doctrinæ ac eruditionis laude toto hoc ſeculo effloruit Monaſterium Ss. Udalrici & Afræ Auguſtæ Vindelicorum; cui Abbates perquàm docti præfuêre, hósque inter HENRICUS ejus nominis tertius, à pueris in eo educatus, ac diligenter inſtitutus præ reliquis eminuit.

Henricus S. Udalrici.

Tum etiam RUPERTUS è S. Georgii in ſylva Hercynia cœnobio ad moderandas Ottoburani in Suevia Monaſterii habenas anno 1103. (f) poſtulatus, de bonis literis optimè promeruit; Is enim monaſterio in meliorem ſtatum reſtituto perſonas honeſtas de aliis monaſteriis evocavit, nullóque deinceps nobilitatis diſcrimine, ignobiles etiam, honeſto tamen genere procreatos, recepit, & ad virtutem, quæ ſola & unica animorum nobilitas eſt, ſanctiſſimè educavit, cùm tamen ante tempora *S. Ruperti* hujus nulli aditus erat, quem non natalium ſplendor ſupra vulgi vilitatem poſuiſſet; at verò cùm nobilium filii illuſtre genus in ipſo etiam virtutum domicilio fœdarent, ut virtuti locus fieret, honeſtus quisque cum bonæ mentis comitatu admiſſus eſt. Nec defuêre tamen ab illuſtri etiam ſanguine, qui ſub *Ruperto* Abbate religioſam vitam complecterentur.

Rupertus Ottoburanus.

Moguntiæ in monaſterio S. Albani cùm deeſſent monachi, qui ſeu vellent, ſive poſſent ſcholam ſui cœnobii regere, fuit, qui ante religionis ingreſſum Profeſſoris in hoc monaſterio perſonam ſuſtineret. Hoc enim à *Tritbemio* traditur in Hirſaugienſi Chronico ad an. MCLXXIV. *Cui (Craftoni)* ADELGERUS *monachus & cuſtos monaſterii mei (Spanbeimenſis) ſuccedens præfuit annis ſex, menſe uno, ac diebus tantùm tribus, qui ante religionis ingreſſum multo tempore ſcholæ publicæ apud Moguntiacum præfuit, & multos inſignes diſcipulos poſt ſe reliquit.*

Adelgerus ad S. Albanum Mogunt. Scholaſticus.

Germanis hujus ſeculi illuſtribus viris accenſeri debent tres RUPERTI Abbates, *Limburgenſis* in Diœceſi Spirenſi, *Tegernſeenſis* in Bojoaria, & *Gottwicenſis* in Auſtria; Verùm præclaris hiſce viris, atq; rei literariæ in Ordine Benedictino propagandæ ſtudioſis Abbatibus ſociari LEONIUS Abbas Lobienſis

Abbas Leonius de re literaria malè meretur.

mini-

(e) Vid. Bruſchius in Monaſt. Germ. pag. 176.
(f) Petr. Franc. Suevia Eccl. pag. 556.

minimè meretur. (g) Rem admodùm ingratam is monachis ſuis fecit, quòd docendi munus ipſis ademptum in Canonicos transtulerit. *Scholarum regimen*, inquit Chronographus Eccleſiæ S. Urſmari, *quod priùs aliquis monachorum ad hoc idoneus tenere ſolebat, ſicut ejusdem Eccleſiæ monachus ad hoc deputatus & tenuit, & tenet, uni ex Canonicis de cætero dedit tenendum. Tandem eâdem non dicenda religione ſed ſuperſtitione, etiam ſcholarum ſtudium celebre ſemper apud nos habitum, de cætero interdixit, dum ſcilicet tantas ac tales ſperat convertere, ut erudiendis pueris (quaſi hoc religioni debeat eſſe contrarium) non ſit ulteriùs opus intendere.* Quod igitur Leo, ferarum vaſtator in ſylvis, hoc Abbas *Leonius* ſtudii literarii extirpator, in Lobienſi monaſterio fuit.

Montis Caſini viri docti.

Jucundiora ſunt de Italis Benedictinis memoranda. Vel ſolus enim mons Caſinus præter *Petrum Diaconum* & *Leonem Marſicanum*, plures eximiæ doctrinæ viros hoc ſeculo ſuppeditavit.

Gregorius Terracin.

Primus eſt GREGORIUS *Terracinenſis* in Italia Epiſcopus, qui, teſte *Petro Diacono*, cujus modò mentionem fecimus, *tantæ fuit gravitatis, ſuavitatis, ac eloquentiæ, ut à nonnullis* COLUMNA ECCLESIÆ *diceretur*. Eccleſiæ Tarracinenſi à PASCHALI II. præpoſitus virtutum ſemina inſeruit, vitiorum elementa eraſit, optimis præceptis moribúsque ſubditos præcipuè imbuens, & quò denique radii ſolis *meliorem nullum illuxêre alterum*, ut ex ejus operibus, quæ Mſs. paſſim in multorum manibus verſantur, dignoſcitur.

Gregorius Sinueſſanus.

Alter etiam GREGORIUS *Sinueſſanus* Epiſcopus & Caſſinenſis monachus, *magnus ingenio, præclarus eloquentiâ*, vir in ſacris literis doctus ac poëticæ artis diſertiſſimus: ejus opuſcula Mſs. in Caſin. Bibliotheca aſſervantur.

S. Bruno Signinus.

Tertius ſanctus BRUNO, qui quidem jam ſeculo antecedente à GREGORIO VII. Epiſcopus Signienſis creatus fuit, in virtutis ac doctrinæ præmium, quòd *Berengarium* impiè de Sacramento Altaris ſentientem in publico Romano Concilio diſputantem profligâſſet.

Odo Aſtenſis.

Huic jure quodam ſuo ſuccenturiandus venit ODO Aſtenſis Monachus, ut qui ad eundem *Brunonem* ſcripſit *Expoſitionem in Pſalmos*.

Gelaſius Papa II.

Neque verò prætereundus GELASIUS Papa ejus nominis II. aliàs *Joannes Cajetanus* à patria dictus, qui in Caſinenſi Archiſterio ſub *Oderiſio* Abbate bonis literis & moribus innutritus, *Vir evaſit*, utì perhibet Joannes Stella, *ſanctiſſimus & omni laude digniſſimus, ſi vitam continentiſſimam, ſi mores, ſi doctrinam ſingularem inſpicias.*

Rinaldus II. Abbas Caſinenſis.

Spartam quoque ſuam egregiè ornavit RINALDUS II. è Marſorum & Barilli Comitibus Caſinenſis primùm Monachus, dein Abbas, ac demùm S. R. E. Cardinalis anno 1136. creatus, qui poſt XXVIII. annos in ſui cœnobii regimine ſumma cum laude exactos, obiit Caſini idibus Junii an. 1166. relictis aliquot præclari ingenii monumentis. Alios alibi fuſiùs memorabimus.

Literati Benedictini in Gallia.

At enim nec Iralis, nec utriusque Germaniæ Benedictinis in Re Literaria Galli hoc ævo inferiores fuerunt, ſi palmam omninò non præripuerunt. Præter ceteros ſuperiùs laudatos, PETRUS Pictavienſis, ROBERTUS & ODDO S. Remigii apud Remos, NALGODUS Cluniacenſis, ODO Aurelianenſis Scholaſticus, dein Abbas S. Martini Tornacenſis, ac demùm Cameracenſis Epiſcopus, (h) STEPHANUS Auguſtodunenſis, BALDRICUS Burgulienſis in Andegavis Abbas, dein Dolenſis in Armorica Archipræſul; EARNULPHUS Bellovacenſis, HUGO Floriacenſis, HERMANNUS S. Martini Tornacenſis, BERNARDUS Morlanenſis, ADALGISUS S. Theodorici apnd Remos Monachus, STEPHANUS Cellæ novæ in Gallæcia, BERTRANDUS Caſæ Dei in Montibus Arvernorum cœnobita, HUGO Salvanienſis, GAUFRIDUS Lemovicenſis S. Martialis Monachus; DROGO Nicaſiani apud Remenſes Cœnobii Prior; GOFFRIDUS *Vindocinenſis*, ROBERTUS *de Monte*, RICHARDUS *Cluniacenſis*, ARNOLDUS ſeu *Ernaldus Bonævallenſis*, RODULPHUS *Floriacenſis* cognomento *Tortarius*, &c. primas partes ſibi vindicârunt.

Abbates Cluniacenſes à ſcribendi ſtudio commendantur.

Ex his verò PETRUS *Pictavienſis* (i) ad *Petrum Venerabilem* Abbatem Cluniacenſem epiſtolam dedit, quâ ipſum ad ſcribendum adhortatus eſt, ejus eruditionem plurimùm commendans, aítque ipſum non modò doctrinâ & pietate ad monumenta ingenii poſte-

ris

(g) Continuator Fulcuini de Geſtis Abbat. Lobienſ. in Spicil. Acher. Tom. 2. p. 752. ex quibus corrigi debent, quæ Yepes in Chron. Gen. O. S. B. Cent. 2. p. 244. de Leonio deprædicavit, nempe: *Cum novis moribus Lobium quoque repetivêre litera, quæ adeo diligenter ſunt culta, ut ex iſto erudito cœtu non pauci ad alias Abbatias capeſſendas evocati ſint.*

(h) De quo Part. III. Cap. III. pag. 126.

(i) Nat. Alex. Hiſt. Eccl. Sec. XII. Tom. VI. pag. 529.

Digitized by Google

ris relinquenda, verùm etiam officio impelli debere: *Cùm ſcribendi ſtudium ſpeciali prærogativâ Cluniacenſes Abbates à temporibus antiquis obtineant. Nec certè ſolâ auctoritate compelluntur, ut ſcribant: ſed etſi non fecerunt, ſicut degeneres, multúmque patriæ formæ diſſimiles neceſſe eſt erubeſcant.* Quibus verbis ſtudia literaria in Cluniacenſi Aſceterio egregiè commendantur. Certè, ut è quàm pluribus literatis monachis unum duntaxat in exemplum adducam, cùm ALBERICUS ejus loci celeberrimi alumnus optimis moribus, & doctrinâ minimè vulgari polleret, primùm in Abbatem Viceliacenſem circa annum 1124. electus, tum ab *Innocentio* hujus nominis *ſecundo* Purpurâ & Epiſcopatû Oſtienſi donatus fuit, quâ eminentiſſimâ in dignitate ita præclarè ſe geſſit, ut eum Cardinalis Baronius *hominem doctrinâ potentem, ac ſanctitate conſpicuum columnámque Eccleſiæ* nominare non dubitârit.

Albericus Viceliacenſis S. R. E. Cardinalis.

A Gallis etiam Benedictinis non modò LUDOVICUS VI. *Philippi I.* Regis Galliarum filius à teneris educatus, ac literas edoctus, ſed celeberrima etiam in Anglia Cantabrigienſis Academia inſtituta fuit. Res verò ſic ſe habuit. (k) *Goisfredus* ſeu *Joffridus* genere Francigena ex urbe Aurelianenſi, liberalibus diſciplinis à puero affatim imbutus, ſeculum peroſus, ſtudióque monaſticæ vitæ flagrans, monaſticen in cœnobio ſancti Ebrulphi ſub *Mainerio* Abbate profeſſus eſt, illic in vita privata per quindecim annos ritè exercitatus, dein ad Prioris officium promoveri meruit; poſtmodùm año MCIX. juſſu HEINRICI, *Willelmi* Conquæſtoris filii, Angliæ Regis & Normannorum Ducis ad regimen monaſterii Crulandenſis aſſumptus fuit. Ab ipſo præfecturæ exordio non tantùm domeſticis, ſed etiam externis prodeſſe ſtuduit, atque, ut erat literis humanis diviníſque optimè inſtructus, magnates privatim officii admonebat, populúmque ſubjectum hortari, & ſanctum Evangelium ubique presbyteris ad eorum preces exponere non gravabatur. Quin etiam ad quoddam prædium ſuum, *Cottenham* dictum, quod propè Cantabrigiam ſitum erat, GISLEBERTUM ſeu *Gilbertum* Beccenſem monachum, Sacræ Theologiæ Profeſſorem, miſit cum tribus aliis monachis, qui ipſum in Angliam ſecuti fuerant, philoſophicis, aliíſque primitivis ſcientiis inſtructiſſimis: qui quotidie Cantabrigiam adeuntes & conducto quodam horreo publico ſcientias ſuas palam profitentes, brevì grandem diſcipulorum numerum contraxerunt. Anno verò ſecundo ab eorum adventû illorum numerus adeò accrevit, ut nec illud horreum, nec quælibet domus maxima, immò nec ulla eccleſia illis capiendis ſufficeret. Quamobrem diverſis in locis à ſeſe diviſi ad inſtar Aurelianenſis ſtudii, primâ luce Frater ODO Grammaticus & Satyricus Grammaticam juxta *Priſciani* doctrinam, & *Remigii* interpretationem prælegebat: horâ primâ Frater TERRICUS, acutiſſimus Sophiſta, Logicam Ariſtotelis, juxta Porphyrii & Averrois Iſagogas commentatam adoleſcentibus tradebat: ad horam tertiam Frater WILHELMUS Rhetoricam Tullii & Quintiliani explicabat: magiſter verò GISLEBERTUS ſingulis dominicis & feſtis diebus in diverſis eccleſiis verbum Dei, rudis in Anglicanâ linguâ, ſed expeditus & diſertus in Latinâ, & ſuâ Gallicana prædicabat; & contra Judaicum errorem maximè diſputabat: ferialibus autem diebus literatis ac ſacerdotibus, ad ipſius auditorium ſpecialiter confluentibus, ſacræ paginæ textum exponebat. Ad hos porrò identidem accedebat JOFFRIDUS Abbas, & ſermonem ſuo more ad populum habebat, concurrentibus ad eum ex vicinis etiam locis viris ac mulieribus, qui licèt Latinè vel Gallicè loquentem minimè intelligerent, tamen in illum intendentes, virtute verbi Dei, & vultûs ejus gratiâ ad lacrymas paſſim ita compuncti erant, ut finito ſermone ad inſtaurationem eccleſiæ monaſterii innumeras eleemoſynas conferrent; & ex laicis tres quatuorve ſingulis vicibus ſeſe dederent monaſticæ vitæ initiandos, quos ille vel ſuo Conventui, vel aliis monaſteriis aggregabat: *Ex iſto itaque fonte parvo*, inquit Petrus Bleſenſis, *qui crevit in fluvium jam magnum, videmus nunc lætificatam civitatem Dei & totam Angliam factam frugiferam per plurimos magiſtros & doctores de Cantabrigia exeuntes ad ſimilitudinem ſanctiſſimi paradiſi.* Simile quid etiam tentatum apud Stanfordenſes per *Elſinum*, *Fregiſtum*, & *Haroldum* monachos, genere Anglos, qui in vicino Crulandiæ prædio ſub *Elſino* Priore valde literato manebant.

Academia Cantabrigienſis à Benedictinis inſtituitur.

Primi Profeſſores, Giſlebertus Beccenſis & alii tres.

Diſcipulorum ingens frequentia.

Poſt ſcholas concio ad populum magno animarũ fructu.

Celebre Petri Bleſenſis teſtimoniũ de Academia Cantabrigienſi.

H 3 Atque

(k) Annal. Ben. tom. 5. pag. 539.

Atque hunc in modum Cantabrigienſis à Pariſienſi, Ticinenſi, & Oxonienſi quarta Academia à Benedictinis magno non literariæ tantùm, ſed Chriſtianæ etiam reipublicæ emolumento ſeculo duodecimo excitata fuit.

Alii illuſtres viri.

Non minimâ etiam eruditionis ac doctrinæ laude in Anglia hoc ævo floruére TURGOTUS Dunelmenſis Abbas & S Andreæ in Scotiâ Epiſcopus, FLORENTIUS *Bravonius* Wigornienſis, BENEDICTUS Glocestrienſis, GALFRIDUS cognomento *Arthurus* Abindonienſis Abbas, BENEDICTUS Petriburgenſis, RICHARDUS *Northumbrius* Hagulſtadienſis Cœnobii Prior, JOANNES *Wallingfordienſis* S. Albani Abbas, STEPHANUS *Hardingus* natione Anglus, Moleſmenſis apud Lingones Cœnobita, ORDERICUS *Vitalis* Anglus, Uticenſis in Normannia monachus, WILLIELMUS de Wicumba Lanthonienſis in Cornubiâ Prior, RICHARDUS Elyenſis, vir non ſacrarum modò, ſed & humaniorum literarum pro ſeculi ſorte haud vulgariter peritus. Apud Cantuarienſes præcipuâ eruditionis famâ emicuerunt ÆLNOTHUS, OSBERTUS, EDUARDUS, ODO Cantianus, WILHELMUS *Stephanides* vulgò *Fitz Stephens*, & NIGELLUS *Vireker*, quem à multâ lectione, nec minori judicio magnopere commendat *Baleus*. Sed maximè docendi munere inſignis enituit

Vilianus Elyenſis docendi munere inſignis.

VILIANUS cognomento *Rhetor*, qui rerum humanarum pertæſus Religioni Benedictinæ in Monaſterio Elyenſi, magnorum eâ ætate virorum domicilio, nomen dedit, ibíq; literarum ſtudia pro virili portione inſigniter excoluit. Quâ de re *Thomam* Elyenſem, loci cœnobitam, gravem & diſertum ſcriptorem in Hiſtoria monaſterii Elyenſis audire præſtat. „ *Fuit Vilianus*, inquit, *vir ſcientiâ admirabilis, in grammaticâ nulli ſecundus, quibúsque Latinorum præferendus, in opponendis ac rationibus reddendis diſertiſſimus, in omni ſcientia promtiſſimus. Cujus ſapientia celeriter comperta, cum magnâ veneratione eſt ſuſceptus.* Docuit igitur „ Grammaticam primò ultra mare, & „ Artes quas liberales vocant; Phi„ loſophiam quoque & Rhetoricam „ in ſua civitate Lundonia, capite „ Angliæ; atque proceſſu temporis „ Theologiam: experientibus Mona„ chis ſophiſtico lepore ipſius clarere „ ſermones, & dicta ſchematibus orna„ ta rhetoricis. Seniores ſanè docere „ inter familiaria colloquia conſueve„ tat, atque ex his nonnullos decen„ tiſſimè ad Scripturas promovit, juni„ ores verò illorum diſcere compulit: „ cujus miſereri dignetur Deus. Præ„ ſertim inſtantiùs & diligentiùs duos „ præ cæteris informare operam de„ dit, & honeſta invotare, prava fu„ gare, mundi inquinamenta devita„ re admonuit; (quos) noverat ut fi„ lios, donec ad perfectum proveheret, „ inſtanter edocuit; quorum animas „ ad Dominum perducere exhortan„ do ſtuduit, Nomina autem ipſorum „ non infero, quia mihi tot ſunt te„ ſtes in eorum vita, quot Elyenſe „ cœnobium noverunt. Alter eorum, „ neglectis literarum ſtudiis totus erat „ diſcolus, donec ad meliorem frugem „ ſeriò rediit. Alter verò mente hu„ milis, vultu placidus, in ſcriptura „ ſacra ſtudioſiſſimus, & ex gratiâ „ divinitùs illi collatâ pollebat ſcien„ tia: de multis, quæ ille alius ne„ ſciebat, ædificare conſueverat. „ *Deceſſit in flore ætatis, revelatione priùs de ſuo obitu acceptâ. Poſt mortem Sodali ſuo apparens indicavit, ſibi in cœlo viſam S.* ETHELREDAM *Reginam & Elyenſis Monaſterii Abbatiſſam, quæ pro ipſo propter libellum de ejus vita ac laudibus compoſitum preces ad Deum fuderit.* „ Felix par diſcipulorum, qui à Magiſtro non doctrinæ tantùm, ſed pietatis etiam ſtudiis eruditi fuerunt.

Duos præ ceteris inſtruit ſolertiùs.

Ejus obitus & viſio.

Gratianus Decreti compilator,

Scientias quod attinet à Benedictinis eo ſeculo præſertim excultas, inprimis de Sacrorum Canonum ſtudio non malè meritus eſt GRATIANUS Bononienſis Monachus; qui cùm primus Romanorum Pontificum Decreta compilâſſet, atque in ordinem redegiſſet, *Juris Canonici Conditor* eſt dictus. Ejus *Decretum*, inquit Abbas FLEURY (1) *Academiæ Bononienſi in Italia majorem adhuc celebritatem conciliavit, cùm jam annis ante vigintiâ Legum Romanarum ſtudio celebrari cœpiſſet.* Atque ut *de Theologia Scholaſticâ* aliquid etiam dicamus; equidem illa ſuperiore ſeculo, cui jam olim *S. Joannes Damaſcenus* præluſerat, in minùs arduam atque ſummè commodam hanc methodum erat redacta, SS. LANFRANCI & ANSELMI primùm operâ in Academia monaſterii Beccenſis, quàm ſecundùm illos accuratè obſervavit Venerabilis HILDEBERTUS noſter ex Monacho Cluniacenſi Scholarcha Cenomanenſis, tum Epiſcopus, ac demum Archiepiſcopus

Theologiæ Scholaſticæ incunabula.

Ro-

(1) Hiſt. Eccl. Diſcurſ. V. n. 1.

Digitized by Google

Rotomagenſis, ſuo in Tractatû Theologico, *ex quo*, ut non vanè conjicit noſter Antonius Beaugendre, PETRUS LOMBARDUS *profecit, qui de omni Theologico, fideſque dogmate, SS. Patrum ſententias in quatuor libros eleganti ordine digeſſit.* Erat is natione Italus, patriâ Novarinus, dignitate Pariſienſis Epiſcopus, qui primus in illa Academia à Benedictinis fundata gradus honoris literarii conſtituit in Theologia Baccalaureatum, Licentiam, & Doctoratum. Atque hæc eſt prima *Scholaſticorum* ætas, quæ à *Lanfranco* usque ad medium ſeculum XIII. quo vixère *Albertus Magnus*, ejusque diſcipulus *S. Thomas*, extenditur. Hoc enim ſequiore ævo ultimam negotio manum, ut alibi dicemus, tandem *Divus Thomas* Aquinas admovit.

Prima Scholaſticorum ætas.

Is porrò cùm qointum ætatis annum ageret, Monaſterio Caſinenſi oblatus fuit. Poſteaquàm verò eò loci primævum ætatis ſuæ florem humanioribus literis dedicaverat, ad *B. Albertum Magnum*, illuſtriſſimum Dominicanæ Familiæ ſidus profectus eſt, quem in Theologia Magiſtrum, *Theologicam Summam* ſcribendo ſuperavit. Nec malè de *Ariſtotele* meritus eſt, in cujus Philoſophiam uberrimos edidit commentarios, quibus illa tam inſignes nacta eſt acceſſiones, ut propiùs quoque ad Theologiæ penetralia illicò admiſſa fuerit.

Studendi ratio facilior reddita.

Cùm igitur Eccleſiaſtici ſeculares non modò Libros *Magiſtri Sententiarum*, & *Gratiani* Decretum unà cum Sacrâ Scriptura, ſed Summam etiam *Divi Thomæ* cum ejusdem Ariſtotelicis commentariis ad manus haberent, difficultas ac contentio ſtudendi mirum quantum tedditæ ipſis fuerunt faciliores. Ante hæc enim tempora librorum inopiâ ut plurimùm laborabant, eò quòd bonorum Authorum ſcripta vel in monaſteriorum bibliothecis tantùm, vel in quarundam eccleſiarum cathedralium ſcriniis reperirentur. Quare fieri non potuit, ut non plerique ipſorum ſummo cum labore ad literarum ſtudia incumberent. Ut primùm verò *Petri Lombardi, Gratiani* & *Thomæ Aquinatis* Opera in omnium manibus verſari cœperunt, tum verò multi extiterunt, qui novis Summis Theologicis concinnandis operam navarent. Quibus etiam temporibus aliquot Academiæ vel inſtauratæ vel novitet excitatæ fuerunt.

Novæ ſecularium

Academiæ, ad quos laureâ allecti juvenes.

Ut verò adoleſcentûm ſtudia ad eas frequentandas allicerentur, inventore *Gratiano*, varii ad Doctoralem lauream conſequendam inſtituti fuerunt gradus Baccalaureatûs, Magiſterii, Laureatûs &c. Equidem non ſum ignarus, quòd V. C. *Antonius à Wood* in Hiſtoria Univerſitatis Oxonienſis id genus literarii honoris gradus longè antiquioris eſſe ævi, atque eorum primam inſtitutionem à prædictæ Oxonienſis Academiæ primis Profeſſoribus Benedictinis repetendam ſcribat; tamen cum iis, qui contraria ſunt in ſententia, nolim eâ cansâ litigare: ſatis hîc habeo, animadvertiſſe, Religioſos Familiæ noſtræ Juvenes, qui hoc ſeculo in Academiis ſtuduerunt, ejuscemodi dignitates merito doctrinæ atque etuditionis fuiſſe conſecutos. Atque ut exemplum de uno illorum adducam (m), *Henricus de Haccuriâ* Abbas cœnobii S. Laurentii ad muros Urbis Leodicenſis, cùm adhuc monachus adoleſcens eſſet, ad generale ſtudium Pariſienſe miſſus, tantos ibi progreſſus fecit, ut in Theologia Baccalauteus, ac in Decretis Licentiatus evaſerit. Tunc enim temporis ad literati nomen comparandum, plus non tequirebatur, quàm ut quis in ſtudio unius ex dictis Summis operam collocâſſet.

Henricus de Haccuria graduatus.

Quò etiam factum, ut mos ille, qui multis ſeculis obtinuerat, mittendi ſcilicet adoleſcentes ad ſcholas Benedictinas, in deſuetudinem abire cœperit: maximè ex quo monachis pueros minoris ætatis inſtruendi, contra exemplum ſanctiſſimi Legislatoris ſui, nauſea oborta fuit. (n) Tunc enimverò eorundem gymnaſia diſcipulorum frequentiâ in dies deſtitui, & ad ſeculares transferri cœperunt. An autem è re Benedictinâ hoc fuerit, ſequentium ſeculorum acta docebunt. Ut primùm enim monachi alios docere literas deſierunt, & ipſi eas pedetentim dediſcere cœperunt. Quâ inſcitiâ factum, ut ſubinde nullâ ferè difficultate rudes ac imperitos, ſuorum ſimiles, in monaſteria ad Ordinis profeſſionem admitterent. Quô nullum obſervantiæ diſciplinæ monaſticæ gravius infligi vulnus potuit. „Quotiescunque enim talis, id eſt, „rudis, imperitus, atque acumine „intellectûs deſtitutus ad religionem intro-

Benedictini docendi pueros munus faſtidire incipiunt.

(m) Dion. Sammarth. Gall. Chr. Tom. 3. pag. 94.
(n) Puerorum inſtitutio cur dimiſſa pluribus docet Mabillon. præf. 1. in Sec. III. Bened. num. XII.

Ad literas inepti, aut ab iis abhorrentes haud facilè in monaſteriis ſuſcipiendi.

„ intromittitur, *inquit Abbas* TRITHEMIUS (o) *Vir sui Ordinis Benedictinæ gloriæ flagrantiſſimus, ita prudentia & doctrinâ nulli ſecundus*, „ quotiescunque talis ad religionem intromittitur, vulpes aut ſerpens in gremio ſovetur. Enimverò vita monachi ſine literis aut eſt valdè devota, aut omninò turpiſſima. Cùm enim Scripturas non diligat, quô exercitiô totum vitæ ſuæ tempus in cella manens utiliter expendet? Aut quid boni ſolus in cella ſedens operabitur, qui ſontem totius boni Scripturas poſt Deum aſpernatur? Rudis enim & ſine affectione boni cùm ſit, legere in ſanctis Scripturis aliquid deſpicit; diſcere ab alio ſpernit: ſcribere etiam juſſus contemnit. Nam cùm nihil in ſe habeat monaſtici exercitii, quo delectetur interiùs, foras diſcurrere vel mente, vel corpore incipit, ſolatium in rebus tranſitoriis quærit: & dum quietus in cella non poteſt conſiſtere, totam Congregationem ſuis malis moribus tentat perturbare. „ *Hæc Tritbemius*: quæ utinam hodiernis exemplis non aliquando confirmari poſſent. Sed iis omiſſis, aliam Viri quàm docti, tam prudentis obſervationem de Scholis Benedictinis ſeculo xu. paſſim intermiſſis ſubjicere me non pigeat.

Cauſa, quòd nobiles adoleſcentes rariùs his temporibus monaſticen Benedictinam fuerint amplexi.

Gerbardus Hagemannus, inſignis Theologus ac Juriſta, Monachus verò Benedictinus in Imperiali Monaſterio Werdenſi in præclaro ſuo Libro *de Omnigena Hominis Nobilitate* multo cum judicio animadvertit, quòd à Seculi XII. decurſu non ita frequentes adoleſcentes ac juvenes, loco illuſtri nati, quemadmodùm ſuperioribus ſeculis frequentiſſimè factum, Monaſticen Benedictinam ſint amplexi. In cauſa verò eſſe exiſtimat, quòd nobilis juventus ab hoc tempore in ſcholis Benedictinis quà virtute, quà literis inſtitui deſiérit. Sed virum ipſum audiamus. „Olim Benedictini, *inquit*, ſcholas in cœnobiis aperuêre, non ignari, doctrinæ & pietatis Gymnaſia in una ſede optimè convenire, atque in illis aſceteriis, ubi ſtudia floruêre, plures etiam Monachi ſanctitate celebres fuerunt. Hiſce dabant parentes ſuos liberos à teneris annis educandos, atque hi boni Magiſtri pietatis ſtudio præſtantes ſimul artium liberalium, & religioſæ virtutis diſciplinis imbuebant nobilem ac teneram juventutem, quam in ſimilem ſui partum, vel ipſa vitæ conſuetudine efformabant, tum præceptis, tum exemplis ad virtutem manuducendo: enimverò *brevius & jucundius, eóque facilius ad virtutem iter eſt per exempla, quàm præcepta*; illa tacita quaſi vi ad inſtar limpidi fontis illabuntur animis, & dum jubent & faciunt, faciliùs etiam perſuadent; nam *verba movent, exempla trabunt*, in quos Magiſtros convenit illud *Gregorii Nazianzeni* de Beatit.

Facilor proficiendi via per exempla, quam per præcepta.

Felix, qui Chriſtum fortunis omnibus emit,
Multiſque eſt vitæ regula léxque piæ.

„ Hoſce ſuos Magiſtros videbat generoſa ac tenera juventus inenarrabili dulcedine currere viam mandatorum Dei, ſuósque Abbates & Superiores non tam præcipere quàm facere, exemplo Chriſti, de quo teſtatur LUCAS Act. 1. v. 1. *cœpit Jeſus facere & docere*; atqne exemplo magis inſtruere quàm præcepto. Quò quid efficacius ad perſuadendum, quid potentius ad permovendum eſſe poterat? quid dulcius ad charitatem, quam Chriſtus diſcipulis ſuis mandavit ſovendam & nutriendam? atque ex hiſce vividis Magiſtrorum ſuorum exemplis, veluti teneræ apes mel ſugebant, adeò ut plures ex illis non tam deſererent mundum, quàm ignorarent; alii ex ſeculi fluctibus ad Monaſteria veluti certum ſalutis ſuæ portum ſe conferebant: hinc factum eſt, ut tot candida ex Ordine Benedictino SS. Monachorum agmina, cœlo fuerint aſcripta, quorum beatis animabus hos verſus dico:

Salvete illuſtres animæ, candentia veſtris
Lilia floreſcant tumulis, ſempérque vireſcant.
Chriſtus promiſſis verax, nunc gaudia centum
Dat, ubique æterna recreat poſſeſſio vitæ.

„ Fuêre Monaſteria fermè ſola literarum ac pietatis morúmque probitatis domicilia uſque ad annum MCC. & tunc ab eo anno inſtitutæ ſunt Academiæ, monaſteriorúmque diſciplina lapſa eſt, neque hoc meum, ſed *Vernulæi* illuſtris Scriptoris, & Hiſtoriographi Regii in Alma Univerſitate Lovanienſi *Inſtit. pol. lib.* 1. *tit.* 8. *c.* 8. ab eo tempore, rari nobiles militiæ ſacræ nomen dedêre, quibus deerat illa priſca pietatis, ac literarum inſtitutio. Cœpítque ju-

„ ven-

(o) Oratione V. habita in Cap. in Monaſt. Reinhartzborn in Hercynia Sylva an. 1496.

Ut nobilis juventus domi inſtituatur, haud boni conſulitur.

„ ventus domi educari, ubi filiorum „ infantia deliciis & voluptate, ac „ malis exemplis corrumpitur, de quo „ audiamus *Aubertum Miræum* Orig. „ Monaſt. l. 2. c. 1. ubi inquit, *corpus otio, oſtro, purpura, & auro gemmarúmque fulgore ſuperbiam, faſtúmque alimus, cupediis irritatur palatum, nervi omnes corporis, & animi eliduntur; domi audiunt, vidéntque, quæ pudet pigétque referre, exempla turpitudinum, vitiorum imagines: & credimus ex illis pueris, aut ſtrenuos milites, aut moderatos cives evaſuros? quos potiùs credi fas eſt Senatores factos, Magiſtratus adeptos, majore vitiorum licentiâ miſerabiles ſtrages quamprimùm edituros. Non facilè eluuntur colores, quibus nativus lanarum candor mutatur, retinétque odorem teſta diu, quo eſt imbuta recens.* Hæc Miræus & ex eo Hagemannus.

Inſtituendæ juventutis utilitas.

Ex quibus prudens nemo non intelligit, quanto cum rei tum publicæ, tum literariæ Benedictinæ detrimento Nobilis præſertim juventutis inſtitutio tantâ cum laude, tantóque cum fructu à Majoribus noſtris velut hereditario jure ſuſcepta & exculta, hoc demùm infelici ſeculo XII. in plerisque monaſteriis fuerit intermiſſa. Quid enim ſalubrius Reipublicæ, quid Religioni utilius, aut conducibilius, quàm facilem in vitium flecti ætatem, imbelléſque animos purioribus diſciplinis imbuere, ut fructus uberrimos in commune bonum aliquando proferant? Si quid ſentio, ſi quid ſapio, nullum me hercle! aliud præclarius opus eſt, quo ſacrorum Antiſtites, & Religioſi homines tum Principes & Magnates ſibi arctiùs devincire, cùm Rempublicam, omnémque poſteritatem magis demereri valeant, tum etiam nomen ſuum immortalitati cum laude firmiùs mandare, quàm bonis literis in ſua civitate reſtitutis, ſcholíſque publicis & Academiis Majorum ritu erectis; ſapuit enim, qui dixit, *ſcholas eſſe pietatis officinas, religionis palæſtras, caſtitatis ſedes, pudicitiæ arces, templa honoris, virtutis curias, ſcientiarum emporia, & bonorum omnium ſeminaria.* Hinc veterum Cœnobitarum frequens erat iſtud celeusma: *Ex ſcholis omnis noſtra ſalus, omnis gloria, omnis felicitas, divitiæ omnes, ac ordinis ſplendor conſtánſque ſtabilitas.* Teſtantur hoc ampliſſimæ facultates, quibus ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Epiſcopis, Comitibus, aliíſque Magnatibus pro honeſta Doctorum & Studioſorum ſuſtentatione cœnobia ſubinde dotata fuêre, ita quidem, ut, fatente *Hoſpiniano* adverſæ aliàs religionis Scriptore, *omnia ferè monaſteria poſt D. Benedicti tempora ab Imperatoribus & Regibus condita, eſſent quaſi ſcholæ, in quibus non modò pueri, ſed adulti quoque in vera pietate, religione & bonis literis erudirentur.* Teſtantur idem Hiſtoriæ, & Scriptores innumeri, qui ex hiſce cœnobiis ad Eccleſiæ & Reipublicæ, totiúſque poſteritatis utilitatem prodiêre, ob doctrinam & propagatam fidem nobis ſuo jure colendi & imitandi. Id denique teſtantur ipſi Cœnobiorum, Academiarum & Univerſitatum Faſti; qui protoparentes harum ferè ſtatuunt Benedictinos. Sed de his plura in ſequentibus; nunc remeandum ad ſucciſivam tractationis noſtræ periodum.

SECULUM ECCLESIÆ XIII. BENEDICTINÆ FAMILIÆ VIII.

Ab anno 1200. ad 1300.

QUi ſeculi æræ vulgaris decimi tertii faciem nobis ob oculos ſiſtit *Guillelmus Cavus*, illud non immeritò *Scholaſticum* nuncupat; Altera enim hæc ætas ſtatui ſolet, quâ *Theologia Scholaſtica* ſuperiori ævo introducta tam altas radices egit, ut Univerſitates penè omnes, Academias, Lycæa, cathedras, ipsáque adeò Cœnobia ferè univerſa occupaverit. *Hinc ortæ*, inquit ille, *Nominalium & Realium, Thomiſtarum & Scotiſtarum, Sententiariorum & Quodlibetariorum familiæ, mutuis inter ſe rixis ut plurimùm pugnantes.* Quarum hodie tam lubrica eſt fama, ut ſi quis de illa vindicanda, vel ſaltem de levandis ſiniſtrioribus præjudiciis cogitare vellet, is de ſuo ipſius nomine periclitaretur. Id enim Criticorum pueri nôrunt, Theologiam aliàs ſcripturis nixam, quæ adhuc in ætate prima caput ſubindè attollebat, hoc denique temporis ſpatio, ſubtilitatibus, tricíſque humani ingenii, ac quæſtionibus penè inutilibus tantoperè cumulatam fuiſſe, ut nervis exciſis omnem omitteret vigorem, ac prope oppreſſa jaceret. De hac infelici epocha pulchrè Mathæus Pariſienſis: (p) *His*, inquit, *temporibus incipiebant Magiſtri Theologiæ, præcipuè tamen præcipui Prædicatorum & Minorum Lectores diſputare & differere*

Scholaſticorum ætas ſecunda.

ſub-

(p) Apud Triebechov. de DD. Schol. c. 17. p. 328.

ſubtiliùs & celſiùs, quàm decuit aut expedivit. Qui non verentes tangere montes à gloria Dei opprimendi, nitebantur ſecreta Dei imperveſtigabilia temerè perſcrutari, & judicia Dei, quæ ſunt abyſſus multa, nimis præſumtuosè indagare. Unde defecerunt ſcrutantes ſcrutinia, & erraverunt in invio Dei inveniendo, cui plus placet firmæ fidei ſimplicitas ſobria, quàm nimis tranſcendens in Theologia ſubtilitas. Philoſophiæ Peripatetico-Saracenicæ adſcribendum id eſſe credimus, cujus ſtudium tanti hoc ævo eſt habitum, ut non modò præſtantes judicio & ingenio viros à reliquis ſolidioribus diſciplinis arceret, ſed & ambabus, quod ajunt, manibus in Theologiam, aliáſque ſcientias inveheretur. Obſervavit id acutè & eleganter *Paulus Langius* in Chronico Citizenſi ita reſcribens: ALBERTUS *ob amplitudinem omnifariæ doctrinæ* Magnus *dictus, fuit in omni Philoſophia Peripatetica peritiſſimus. Hinc & à plerisque* Simia Ariſtotelis *appellatus eſt, qui & nimium vino ſecularis ſcientiæ inebriatus ſapientiam humanam, ne dicam Philoſophiam profanam, divinis literis copulare auſus eſt, quíque dialecticam contentioſam, ſpinoſam, & garrulam, ſacratiſſimæ & puriſſimæ non pertimuit commiſcere Theologiæ, novum & philoſophicum modum ſacras docendi & explanandi literas ſuis tradens ſequacibus: Theologiſtarum ſectæ, quæ ab eo* Albertiſtarum *dicitur, Dux & Monarcha excellens.* Paria ferè habet *Aventinus* in Annalibus Libr. I. pag. 218. ubi & Scholaſticorum ſectas, & ſententiarum divortia expreſſiùs notat his verbis: *Ante trecentos annos Mendicantes & Academici Ariſtotelem extulerunt, variíſque in illum commentariis editis diſſidere cœperunt inter ſe, alius aliter ſemper expoſuit, quilibet ſingulari modo ac opinione, ita ut uno aliquo pertractando totum vitæ tempus conſumat, nil legat, nil intelligat aliud, condemnat reliquos, cum illis rixatur, altercatur, belligeratur, litigat; Et ita omnes felium in morem inter ſe committuntur. Hic Sophiſta eſt, ille Thomiſta, alius Albertiſta, hic iterùm Realiſta, ille Occamiſta, hic Marſilium ſequitur, ille Tartaretum, alius Bricartum. Hic Antichriſtus eſt, ille Modernus, hic novâ, ille veteri incedit viâ; hic voces tractat, ille vocum ſignificata, clamorum autem & rixarum finis non eſt, ſempérque inter ſe diſſident, niſi cum aliorum ſanguini inſidiantur...* Mirari equidem jure quis poſſit, qui factum ſit, ut ita in præceps ruerit Literatorum natio, cùm nec ingenium deeſſet, nec occaſio ad meliora audenda. Verùm non patitur locus & tractationis ratio, ut ſingula fuſiùs exponamus. His igitur relictis, lubet nunc percurrere inſigniora Ordinis noſtri loca, in quibus ſolidiores diſciplinæ & artes, quantum æruginoſa illa ferebant tempora, conſervatæ ampliùs floruerunt.

Margin note: Pauli Langii & aliorum de primis Scholaſticis ſententiæ.

Et quidem in Anglia bonarum artium ſtudia adhuc in quibusdam viguiſſe cœnobiis plura nos docent exempla. De S. Albani monaſterio illud cumprimis memoratu non indignum occurrit, quòd ibi ſub finem duodecimi atque initium decimi tertii ſeculi contigit. SIMON ejus loci Abbas haud ſecus eruditus ac probus in ſuſcipiendis religioſis tyronibus ad hoc præcipuè invigilabat, ut adoleſcentes bonæ ſpei, viróſque Literatos attraheret & congregaret. Erat enim opinionis, ut quisque eſſet literarum ſtudioſiſſimus, ita diſciplinæ etiam monaſticæ fore ſtudioſiſſimum, atque in ea re vehementer ſudaturum, ut doctrinæ morum integritas reſponderet. Nec facilè ſua ipſum fefellit opinio. Sub ejus regimine ſanctioris vitæ deſiderio in S. Albani monaſterium ſeceſſerunt *Garinus*, & *Mathæus*, fratres germani, magnæ famæ & celebris nominis propter vitæ ſuæ reverentiam & literaturæ excellentem peritiam. Habuerunt etiam hi duo quendam nepotem, magiſtrum videlicet *Garinum*, in Decretis Lectorem nominatiſſimum. *Hi igitur tres*, inquit Mathæus Pariſius, *quaſi triplex funiculus, qui de facili non rumpitur, multos nobiles ac potentes tam ſeculares laicos & Prælatos, quàm cucullatos ſibi amiciſſimos reddiderunt.* Scholam enim rexerunt in Burgo S. Albani, quâ tunc temporis vix inveniretur in Anglia ſchola melior vel fructuoſior, aut ſcholaribus utilior vel copioſior. Hi tres quamquàm ſeculares, converſationis honeſtate & vitæ puritate, Monachi cenſeri promeruerunt. Iſte magiſter *Garinus*, & frater ejus *Mathæus*, & eorum nepos magiſter *Garinus*, & duo eorum diſcipuli & ſocii *Fabianus* & *Robertus* de *Salerno* voverunt, ſe fore apud S. Albanum habitum religioſum ſuſcepturos: admoniti viſione ſpeciali & ſpirituali. Omnéſq; hi votũ impleverunt, præter magiſtrum *Garinum* juniorem; ille tamen, quod habitu omiſit, vitâ honeſtâ complevit. *Garinus* autem ſenior infra breve tempus propter vitæ

Margin note: Literarū cultus in Anglia.

Margin note: Florent in S. Albani monaſterio *Garin9, Mathæus* &c.

ex-

excellentiam virtuoſæ, & literaturæ copioſam peritiam in Priorem electus & creatus eſt. Aſſumpto autem de medio Abbate *Simone*, & vacante Abbatia, electus eſt in Abbatem GARINUS Prior, qui deinde *Mathæum* in Priorem ſublimavit. Sub doctis adeò Superioribus res literaria in monaſterio S. Albani priſtinum decus facilè recuperavit.

Alexander Nekam eò loci eruditur.

Ætatem agebat id temporis *Alexander Nekam* in ſchola S. Albani literis elegantioribus à noſtris eruditus. Hinc pro more hujus temporis ad Univerſitatem Pariſienſem, Academiarum principem ac reginam, ſe contulit, ubi maximam doctrinæ laudem conſecutus fuit. *Erat enim acutus Philoſophus, in Theologia nulli inferior, Rhetor ac Poëta eximius.* Unde cùm Lutetiæ Pariſiorum publicas habere lectiones cœpiſſet, ejus ſcholæ tanta auditorum affluentia frequentari cœperunt, quantæ capiendæ locus ac ſpatium deeſſent. Poſt aliquot annos in Angliam reverſus, Duneſtalpienſi ſcho-

ambit præfecturam ſcholæ ſancti Albani.

læ præfectus fuit, quam tamen ut cum ſancti Albani ſchola commutare ſibi liceret, à GARINO Abbate inſtanter petiit, ut in vita hujus Præſulis legitur apud Mathæum Pariſium, ubi ad marginem hæc quoque adſcripta fuerunt: *Hic cùm tunc temporis anno ſcilicet proximo* 1187. *tranſacto ad Duneſtalpe ſcholam rexiſſet, vocavit eum Ab-*

repulſam paſſus, fit Canonicus Regularis.

bas Garinus iis literis breviter & jocosè ſcriptis. (petierat enim Alexander Neckam ſcholam ſancti Albani inſtanter) *Si bonus es, venias: ſi nequam, nequaquam.* Cui tum breviter & jocosè reſcribens Alexander ait: *Si velis, veniam, ſin autem, tu autem*: ac ſi diceret, *non multùm curo.* Ferunt alii, petiiſſe tunc à *Garino* monachalem habitum, ac jocoſo dicterio repulſam haud ægrè tuliſſe. Factus autem poſteà Ciceſtrenſis primùm Canonicus ſecularis, tum Exceſtrienſis Regularis Divi Auguſtini, in Abbatem denique ejusdem Eccleſiæ anno 1215. electus eſt, diémque obiit anno 1227.

Florent ibidem Rogerus de Vendovera, &

Floruiſſe autem literarum ſtudia hoc ſeculo in S. Albani monaſterio, vel duo ſolùm celeberrimi Viri ac *Regii Hiſtoriographi*, *Rogerus de Vendovera*, & *Mathæus Pariſienſis* nullum dubitandi locum relinquunt. Uterque enim ab ineunte ætate eò loci in liberalibus literis educatus, tantum hauſit doctrinæ, quantum ferè hoc tempore, nemo alius in Anglia. Atque ut de ſolo MATHÆO *Pariſienſi* loquar, eximiam ejus doctrinæ laudem ex Joanne

Mathæus Pariſienſis.

Pitſeo (q) in Opere ſuo de Scriptoribus Angliæ paucis huc afferre placet. *Mathæus Pariſienſis*, inquit, *Ordinis S. Benedicti Monachus ad S. Albanum Congregationis Cluniacenſis ab ipſa, uti videtur, adoleſcentiâ quaſi Deo dicatus, & monaſticæ diſciplinæ traditus, egregiam, quam natura dederat indolem, omni laudabiliori eruditione perpolivit, omni virtute ornavit.* Manuarius *ſcriptor, pictor non vulgaris, omnes denique mechanicas artes, quantùm & quâ parte liberale ingenium decere poſſunt, ſufficienter didicit. Artes autem liberales accuratè calluit. Poëta elegans, Orator facundus, Hiſtoricus percelebris, Theologus ſolidus, & quod omnium caput eſt, manuum integritate purus, vitæ innocentiâ clarus, ſimplex, candidus.* Quî fieri verò potuiſſet, ut Mathæus in S. Albani monaſterio has doctrinarum diſciplinas perciperet, niſi qui præceptores in artium ſtudiis literatiſſimi verſati extitiſſent, à quibus ea diſcipulis traderentur?

Studium Generale in Collegio Oxonienſi.

Idipſum ex eo confirmari ampliùs poteſt, quòd cùm univerſa Angliæ monaſteria vel *Oxonium* vel *Cantabrigiam* monachos ſtudiorum causâ mittere tenerentur, ſolum Ablanenſe unà cum Dunelmenſi (*quæ ſua ſeparatim ſibi Collegia paraverant*) exceptum fuit. Hoc verò ut meliùs intelligatur, ſciendum, quòd ſeculo XIII. fundatum ſit *Collegium Gloceſtrienſe* apud Oxonium pro monachis Provinciæ Cantuarienſis, eâ ratione ac conſilio, ut in illo veluti ſtudio Generali, Religioſi juvenes ex diverſis monaſteriis transmittendi ad literas cùm humanas tum divinas addiſcendas incumbere valerent, *neque ſemper aliqua doctrinæ ſuffragia ab externis cum ſacri Ordinis deſpectu mendicare cogerentur:* Quæ res cùm prudentiæ plena, atque è gloria & exiſtimatione Ordinis eſſe videretur, brevì factum, ut pro aliarum provinciarum monachis aliud Colle-

item Cantabrigiæ

gium, ſeu Studium Generale in Urbe *Cantabrigiæ* excitaretur. Atque adeò Angli Benedictini rem literariam Ordinis noſtri ſartam tectam conſervare ſtuduerunt, eámque ſubinde literis præſertim *Benedicti XII.* confirmati ſtrenuè tueri perſeverârunt, quousque religio non Benedictina tantùm, ſed Catholica etiam omnis in Anglia ab *Hen-*

(q) *ut.* 12. Scriptore 367.

Henrico VIII. excidium paſſa eſt. Eâ verò ætate præter enumeratos cumprimis inclaruere *Gervaſius* ſani Servatoris Cantuariæ Monachus; *Elias de Trickingham* Petriburgenſis; *Adamus de Domersham* Gloſtonienſis; *Joannes Caſtor* ſive *Fiber* Weſtmonaſterienſis; *Bartholomæus Cotton* Norwicenſis &c. relictis ingenii monumentis percelebres.

Collegia pro ſtudioſis Benedictinis excitantur Pariſiis.

Anglos Benedictinos æmulari hoc ævo viſus eſt MATHÆUS *Vindocinenſis*, Abbas S. Dionyſii in Gallia; qui cùm monachorum ſuorum inſtructioni tantum conſulere vellet, quantum poſſet, Collegium anno 1263. in Suburbio S. Germani, cum licentia Abbatis ejusdem monaſterii fundavit, quod hodie tamen, ut ferè fit, in alias ædes commutatum eſt. Annis abhinc non plus ſex elapſis, videlicet an. 1269. YVO DE VERGII Abbas Cluniacenſis Collegium in Academia Pariſienſi extruere cœpit ad uſum & commoditatem non Monaſterii tantùm, ſed univerſæ Congregationis Cluniacenſis, qui Lutetiam Pariſiorum ad ſtudia mittendi eſſent, quod deinde *Yvo II.* prioris Nepos, itémque Abbas Cluniacenſis ad faſtigium perdúxit. Hiſce Collegiorum Fundatoribus tertium è noſtris addit *Bucelinus* ad an. 1294. ciarum, *Joannem de Creſsy* ex Epiſcopo Meldenſi S. R. E. Cardinalem, illuſtrioribus hujus ſeculi viris meritò aſſociandum, *cujus*, inquit, *inter alia præclarè geſtorum in hodiernum diem inſigne extat monimentum, Collegium Pariſiis ab eo ſtructum & denominatum.*

Viri docendi munere illuſtres,

Licèt autem *fundare* Collegium, nobile quidem opus ſit, *docere* tamen in Collegiis quodammodo nobilius eſt. Ad illud fortunæ tantùm, ſed animi bona ad hoc requiruntur; in *ædificando* manus & operæ, in *docendo* intellectus & præcipuæ hominis ſacultates laborant, & ſicut aurum ibi, ita hîc cerebrum expenditur. Atqui etiam iſto tam ſublimi munere apud Gallos enituere nonnulli Benedictinæ Familiæ principes hoc ſeculo viri, *Edmundus* nempe Cantuarienſis Archiepiſcopus, *qui*, teſte Bucelino ad an. 1246, *Literas & Theologiam ſummâ omnium admiratione profeſſus Pariſiis eſt, eâ verborum efficaciâ, ut ſæpè Auditores viri ſummâ authoritate moti lacrymas cohibere non valentes, codices compluerent.*

Edmundus Cantuarienſis,

Joannes Algrinus,

In eadem Univerſitate Pariſienſi *Joannes Algrinus* Cluniacenſis Monachus, Priórque Abbatis-villæ tantâ eruditionis laude Theologiam docuit, ut eum *Gregorius IX.* P. M. poſt varios honores Eccleſiaſticos, Cardinalem creaverit. Quam etiam eminentiſſimam Dignitatem ob doctrinæ amplitudinem *Bernardus* cognomento *Aiglerius* natione Gallus Monachus primùm Saviniacenſis in Diœceſi Lugdunenſi, ac poſteà Caſſinenſis Abbas in Italia ab *Urbano IV.* conſecutus eſt.

Bernardus Caſſinenſis.

Atque profectò tam præclara incentiva, & hujusmodi doctrinæ ac eruditionis prœmia cæteros in Gallia, Italia, Germania Benedictinos inflammare debuiſſent, ut pari induſtriâ ad literarum ſe referrent ſtudia. Verùm illi in turpi otio magis conſidere, quàm honeſtiſſimum ſcientiarum curriculum conficere maluerunt, paucis exceptis, maximè in Germania noſtra, ubi præter monachos exiguo numero, videlicet *Benedictum* Laſponem, Henricum Steronem Altahenſem, *Adelbertum* San-Udalricanum, *Conrados* Schyrenſem & Lauterbergenſem, *Florianum* Corbeienſem, *Godefridum* S. Pantaleonis, *Bertholdum, Burchardum,* & *Eccardum* San-Gallenſes, unici ferè hoc ævo florebant Abbates, *Arnoldus* Lubecenſis, *Diethelmus* Spanheimenſis, *Humbertus* Bursfeldenſis, *Henrici* Fuldenſis, Augienſis, Campidonenſis, Altaichenſis, *Hermannus* Corbeienſis, *Cæſarius* Prumienſis, qui poſt ſeceſſum in Heiſterbacenſe cœnobium varia conſcripſit; *Albertus* Stadenſis, qui ad extremum etiam deſertis ignavis ſuis Monachis ad caſtra Fratrum Minorum tranſivit. „ Hoc „ tempore, *inquit Trithemius* (r), „ Ordo noſter tam in eruditione ſcri„ pturarum, quàm in ſanctimonia vi„ tæ meritorum nimiùm defecerat: „ in quo monachus vel ſanctus vel „ eruditus rarus occurrebat. Quæ „ quidem calamitas Ordinem ſanctum „ penè totum operuit: à quâ defor„ matione nunquam poſtea totus ſur„ rexit. „ Unde *Henrico Meibomio*, quamvis Acatholico Scriptori, fides non omnino deneganda eſt, cujus oratio, ſi unum alterúmve convitium demas, cum *Trithemii* verbis planè congruit. „ Hoc tempore (*adſcribo* „ *Meibomii verba*) ſtudia doctrinarum „ à prima inſtitutione in monaſticis „ ſcholis Benedictinorum præclarè ex„ culta, inde emigrare quodammodò, „ & in mendicantium fraterculorum

Rei literariæ decrementa in Germaniæ monaſteriis,

ac Ordine univerſo.

Meibomii hac de re teſtimonium.

erga-

(r) Chron. Hirſaug. Tom. 2. ad an. 1293. p. 59.

„ ergaſtula ſe paullatim recipere animadvertebantur. Res deploranda, deteſtandáque! homines Nazaræos, pietati otióque literario obſtrictos, deditos, eámque ob cauſam magnatum aliorúmque fortunatorum hominum munificentia locupletatos, ita à ſeipſis deſciſcere, & degenerare, ita in ignaviam, ſocordiam, luxúmque prolabi, ut veteris ſanctimoniæ, ſedulitatis, & induſtriæ ſuperſit nihil: atque ubi nuper apicularum alveoli fuerint, ibi nunc inertium fucorum latibula conſpiciantur.„ Nolo plura, néque cohibebo, neque committam, ut Acatholici juſtam exprobrandæ inſcitiæ cauſam habuiſſe videantur. Illud ſolatio eſſe poteſt, quod *Neibridius à Mundelheim* (s) tradit in Officina Antiquitat. Monaſtic. *Epiſt.* 82. *pag.* 381. nempe literas, quæ multis ſeculis inter Benedictinos viguerant, *ad Ciſtercienſes, ſub Regulâ etiam S. Benedicti militantes confugiſſe*; quorum Ordo ſeu Congregatio hoc ſeculo quàm pluribus cùm Epiſcopis tum Abbatibus, quàm piis tam doctis fuit illuſtris.

Muſæ à Benedictinis ad Ciſtercienſes commigrant.

Hujus ſeculi labes.

Communis tamen ferè fuit ejus ſeculi labes, ut dum Philoſophia Ariſtotelico-Saracenica recèns invecta vigorem ſumeret, ac numero docentium & diſcentium, itémque novitatum affectatione & tricarum atq; ſubtilitatum multitudine creſceret, melioribus ingeniis & aliquam magnitudinem præ ſe ferentibus ætas illa decreſceret, ſolidioráque ſtudia ſenſim flacceſcerent; quo factum, ut familia Benedictina, quæ multis retrò ſeculis toto orbe terrarum habita eſt fœcundiſſima virorum omnis doctrinæ & virtutis laude præſtantium parens, multis demùm in Provinciis, ac præſertim in Germania, iſtâ tam præclarâ laude quaſi ſpoliata fuerit. Scimus quidem præter paucos vice omnium ſuprà enumeratos illuſtres eruditione viros, plures, quos è præcipuis *Nigrorum* delegit, ſelegítque *Hieronymus Platus* S. J. Scriptor non ſpernendus, à noſtris paſſim huc referri. Ita verò ille (t): *Octavo*, inquit, *ſeculo Benedictino, ab anno* 1200. *usque ad* 1300. *floruiſſe accepimus* Helmandum (u) *Belvacenſem Monachum in Divinis Scripturis eruditiſſimum, & in ſecularibus etiam literis, ac multis quoque libris ſcriptis nobilitatum. Eodémque tempore* Guilielmum *Abbatem Pictavienſem, non ſolùm Theologiæ, ſed juris etiam civilis ſcientiſſimum. Deinde* Philippum Bergamum *in cœnobio Patavino egregium virum tum doctrinâ, tum eloquentiâ. Tum etiam* Petrum Bertorium *Monachum Pariſienſem, cujus librorum grandis extat catalogus.* Sed quia *Platus* nonnihil in Chronotaxi & nominibus hîc ceſpitâſſe notatur, ejus teſtimonio uti piaculum ducimus: *Quid enim attinet ementitos & fictitios Ordini Benedictino affingere honores, cùm ſuo ſatis ſuperque ſplendore illuſtretur?* Certè ſola ſufficiens familiæ noſtræ non unius, ſed ſeculorum omnium decus B. Virgo GERTRUDIS à prima ætate Rodarſlesdorffenſis cœnobii Monialis ac denique Abbatiſſa, hoc ipſo declivi ſeculo eâ excelluit ſanctitate & doctrinâ, ut ex inſtinctu Spiritûs ſancti, à quo fuerat edocta, magno Eccleſiæ fructu, piarúmque mentium ſalute & conſolatione *libros quinque ſpiritualium inſinuationum* compoſuerit, quos latinitate donatos *Joañes Landſpergius* ſummo ſeculorum omnium & piè legentium bono extulit. Sed & ipſius *Gertrudis* ſoror *Mechtildis* mirandum quoque in modum enituit, ut quæ in eodem cœnobio profeſſa, & ſpiritûs, qui ſororem repleverat, particeps effecta, *librum* conſcripſit *ſuarum Revelationum*, ſpiritualis gratiæ divinæ dulcedinis muſto abundè plenum. Poſſemus plures huc referre ætatis hujus ſcriptores Benedictinos, id modò ſi ageremus, ut hiſtoriam rei literariæ ad ſingula ejus membra extenſam conderemus. Verùm tametſi reliquos omnes, quorum haud poſtrema inter eruditos hoc tempore fama fuit, undique comportatos, velut per lancem ſaturam ceteris jam in ſtaterâ poſitis adjiceremus, quid tamen pauci hi in comparatione tot doctiſſimorum virorum, quos ſcholis Benedictinis prioribus ſeculis præfuiſſe, & egregiis ingenii monumentis genus omne eruditionis illuſtrâſſe, vel ex ſolis eorundem prædeceſſoribus ad ſecula IX. X. & XI. laudatis colligere licet? Iis igitur omiſſis ad alteram progredimur periocham.

Scriptores aliqui Benedictini.

S. Gertrudis & Mechtildis.

(s) Ex Paulo Langio ad an. 1258.
(t) Platus *lib. 2. de bono relig. cap.* 32. Bucelinus *in Annal. Bened. ad an.* 1299.
(u) Lege *Helinandum* Ciſt. obſerv.

SECULUM ÆRÆ VULGARIS XIV. BENEDICTINÆ IX.

Status rei literariæ ab anno 1300. ad 1400.

HAnd multo lætior Muſis Benedictinis affulſit tertia, quæ ſucceſſit Scholaſticorum ætas ab anno 1330. usque ad finem ſeculi xv. decurrens. *His quippè temporibus*, inquit Henricus Whartonus (x) *neglectum meliorum literarum ſtudium, conculcata pietas; & hinc effreni Ordinum Mendicantium intemperie, illinc futilibus controverſiis, diſciſſus Chriſtianus orbis.* Ab Academiis, ut diximus, jam diu exulârat caſtioris Theologiæ cultus, & ſalebroſis ſcholarum nugis locum ceſſerat; Iſtas quin etiam è Clero pauci excoluerunt. Sacerdotibus enim ſecularibus Juris Canonici ac Civilis ſcientia præprimis in votis fuit, quâ ad ſummas Eccleſiæ dignitates compendio perveniri poſſet. Soli ferè Mendicantium Ordini rerum divinarum ſtudium excolendi gloria relicta eſt. Iſti verò immenſam exinde apud vulgus authoritatem obtinuiſſe non contenti, in Academiarum cathedras avidi involârunt, & antiqua aliorum munera ruptis diſciplinæ Eccleſiaſticæ repagulis ſibimet ipſis arripuerunt. Neque ipſis tamen Mendicantibus ad amuſſim inter ſe convenit. Hinc natæ *Spiritualium*, *Beguardorum*, *Beguinorum*, *& Fratricellorum* ſectæ, ferali odio, mutuíſque jurgiis ſeſe confodicantes, & tanto ſubinde animorum æſtu concertantes, ac ſi totius religionis prora & puppis in eorum nugis ſtetiſſet. Eâdem ætate Sedes pontificia Avenionem tranſlata eſt, indéque haud parum imminuta Majeſtas Apoſtolica, maximè poſtquam *Ludovicus Bavarus* Imp. anathema ſibi à *Joanne XXII.* incuſſum ſpernere, & doctiſſimorum hominum calamos in ſubſidium vocando, quâ potiſſimùm ratione Pontificum fulmina (ſi diis placet) eſſent repellenda alios docere ſuſtinuit. Poſt ejus ſeculi medium *Wiclefus* novas hæreſes excitavit, accitíſque pluribus per Angliam, Bohemiam, exteráſque gentes diſcipulis, errores ſuos longe latéque propagavit; quos tamen voce & calamo egregiè impugnârunt noſtri. Perturbatis quoque rebus Eccleſiæ ſtrenuè conſuluerunt aſſumpti è divi Benedicti familiâ Pontifices Maximi, BENEDICTUS XII. CLEMENS VI. & URBANUS V. Tum etiam orbem beârunt plurimi illuſtres viri ex florentibus illâ ætate *Sylveſtrinorum*, *Cæleſtinorum* & *Olivetanorum familiis.*

Illuſtres ejus ſeculi Scriptores.

Idem Seculum exornârunt non pauci è noſtris omni genere virtutum, & multiplici melioris eruditionis ſupellectile inſtructi, quos inter cumprimis memorandi, *Eberardus* Altachenſis; *Engelbertus* Admontenſis in Styria Abbas; *Guillelmus de Nangiaco*; *Guido de Caſtris*; *Edmundus de Hadenham* Roffenſis; *Petrus Boberius* Urbevetanus Epiſcopus; *Robertus Grimus* Bardeneienſis; *Richardus Walingfordius* Albanenſis in Anglia; *Joannes Thanatenſis* cœnobii S. Salvatoris apud Cantuariam Monachus; *Robertus de Grayſtanes* Dunelmenſis; *Joannes Everisdenus* S. Edmundi in Anglia Cellerarius omni humanioris literaturæ ſcientiâ, & jurisprudentiâ excultus; *Rogerius Hardenus* Ceſtrenſis Monachus eleganter doctus; *Petrus Rogerius de Malomonte* Abbas Fiſcanenſis; *Guerricus* Igniacenſis Antiſtes à relictis ingenii monumentis celebratiſſimus; *Richardus Ciceſtrius* Weſtmonaſterienſis; *Joannes* Petroburgenſis Abbas; *Gualterus Bederichwortbus*, & *Galfredus Warterthonus* S. Edmundi Aſcetæ lectiſſimi; *Joannes Malverneus* Wigornienſis; *Joannes Scheppeius* Roffenſis; *Henricus Rebdorffenſis* in Germania Monachus; *Joannes Wiltonus* cognomento *junior* Weſtmonaſterienſis, *cujus ſcripta*, inquit Pitſeus, *pietatem redolent*, *& animum à terrenarum rerum contagione penitus alienum demonſtrant*; RANULPHUS *Higdenus* Ceſtrienſis; *Petrus Berchorius* Monachus & Prior S. Eligii Pariſienſis, *Vir*, ut Trithemius aſſerit, *in divinis ſcripturis ſtudioſiſſimus & valdè eruditus*; JOANNES *de Tinmuth* ad S. Albanum Cantuariæ Monachus melioris eruditionis panopliâ inſtructiſſimus; *Simon de Langham* ex Archiepiſcopo Cantuarienſi S.R.E. Cardinalis, primus qui *Wiclefi* nequiſſimi è clerico Apoſtatæ conatibus occurrit, & honore Piani collegii nequiter exambito eum deturbavit; *Mathæus Florilegus* Weſtmonaſterienſis; *Guillelmus Thorn* Cantuarienſis S. Auguſtini Monachus Benedictinus; *Stephanus Byrchingtonus* Cantuarienſis; *Guillelmus Binghamus* Nordowicenſis Monachus ingenioſus & doctus, zelóque divinæ gloriæ plenus; *Utredus Beltonus* Dunelmenſis aſceta doctiſſimus; *Caſtor-*

tonus

(x) Wharton in append. ad Guill. Cave Hiſt. lit. pag. 1.

tonus Nordowicenſis; *Simon Pontbraius* ſeu *Soutbraius* Albanenſis Monachus Ss. Theol. Doctor Oxonienſis, ſcriptis contra Wicleſum nominatiſſimus; *Joannes Wellius* Rameſeyenſis; *Joanes Radingbal*, & *Henricus Woodhil* Cantuarienſes Monachi, Rectores ſucceſſivè Collegii Cantuarienſis, ſtrenui Wicleſiſtarum antagoniſtæ; *Guillelmus Gilinghamus* Cantuarienſis Bibliographus; *Edmundus Bromfeldus* Burienſis Monachus eximiè doctus; *Nicolaus Radcliffus* Sant-Albanenſis; *Adamus Eſtonius*; *Joannes Caſtellenſis* Monacbus, cujus plura extant opera commendatiſſima. Sed cumprimis eodem ſeculo declivi enituit *Petrus Aiſcelini*, ſeu *de Monte-acuto* ex Monacho & Priore S. Martini Pariſiis Epiſcopus Laudunenſis, dein S. R. E. Cardinalis, eujus inter alia præclara numeratur meritò Collegium ſui nominis ab ipſo Pariſiis inſtauratum; ut variis jam exemplis diſpaleſcat, quàm noſtri de re literariâ & Eccleſiâ, infelici etiam hoc ſeculo, quo tot hæreſum veſpertiliones in publicum prorupêrè, benè mereri ſtuduerint. Sedenim quid circa ſtudiorum Monaſticorum inſtaurationem eâdem tempeſtate actum fuerit, paullò curatiùs exponere juvat.

Monachi ad literarum ſtudia excitantur.

In Concilio Generali Viennenſi, qnod ſeculi hujus anno undecimo celebrari cœpit, CLEMENTI V. Summo Pontifici, cæteríſque Eccleſiæ Patribus neceſſarium eſt viſum, nt Monachi ad ſcientiarum ſtudia excitarentur. Poſteaquàm enim alios inſtruendi munus abjecerunt, ipſi literas dediſcere, otio autem ac deſidia languere cœperunt. Refert *Juſtinus*, quòd Lydis in pœnam rebellionis à *Cyro* Perſarum Rege arma & equi adempti fuerint; ipſi verò juſſi ſint, caupones & ludicras artes, & lenocinia exercere. Et ſic gens induſtria quondam, potens, & manu ſtrenua, effœminata mollitie, luxuriáque virtutem priſtinam perdidit, & quos ante *Cyrum* invictos bella præſtiterant, in luxuriam lapſos otium ac deſidia ſuperavit.

Literis exculti in honore,

Haud ſecus quàmdiu Benedictini operam in docenda juventute poſuerunt, nihil illis ſolertius, nihil laborioſius, nihil eruditionis gloriâ illuſtrius. Quid enim ad faſtigium non cujusvis eccleſiaſticæ, ſed Archiepiſcopalis, Cardinalitiæ, & Pontificiæ etiam dignitatis quàm plures Benedictinos evexit? certè non popularis ambitio, ſed ſpectata cùm virtutis tum doctrinæ præſtantia.

illarum verò rudes contemptui habentur.

Ubi primùm verò ſcholaſticæ ac literariæ exercitationes non ampliùs illos ſubegerunt, otio & ignavia languentes priſtinæ doctrinæ decus amiſerunt; & quibus literarum ſtudia ſummam apud Reges, Principéſque authoritatem comparârunt, ita ut intimis conſiliis adhiberentur, regni ac imperii Archicancellarii conſtituerentur, ſummis legationibus fungerentur, in deſidiam lapſos contemptibiles atque exoſos reddidit inſcitia, ut nullo deinceps haberentur loco.

Viſelbeccii querimonia de neglectû literarum.

Quæ res quàm indigna relatu, tam graves gemitus & ſuſpiria (y) *Petro Viſelbeccio*, hujus ævi Monacbo perinde docto ac probo ciebat. „ Nunc nullius rei, *ingemiſcebat*, minor cura in cœnobüs noſtris, quàm ſcholarium. Inde ludibrium populo ſimus, & omni genti odium. Apex presbyterii pſalmos deplaterare in templo, aut aliquid muſſitare in ſtallo, ſeu in angulo miſſam legere. Imò ſi quæ vivida ſint ingenia, & exemplo Majorum accenſa, ſtudia Majorum amplecti velint, damnantur ad alios labores planè ruſticos & ſordidos. Si qui autem de vaccis, caballis, canibus venaticis, de tritico & braſſica benè diſcurrere valeant, hi digni ſunt ad regendas Præpoſituras & familias ampliores. Ita puri idiotæ & homines prorſus agreſtes naſcuntur in monaſteriis. Ego inter eruditos me non profiteor. Tardioris quippe ingenii homo ſemper fui, & memoriæ non adeò tenacis, ſtudia tamen amo, omnéſque eorum ſectatores. „ Hi gemitus, hæc ſuſpiria erant *Petri Viſſelbeccii*, Monachi Eresburgenſis, Imperialis & primi in Saxonia à fundato Chriſtianiſmo monaſterii. Erat Pbiloſophiæ & Theologiæ ſtrenuus auctor, linguæque Græcæ haud ignarus. Vixit pietati & doctrinæ ſemper intentus, ut tandem à ſuperioribus ſuis SS. Theologiæ Doctor in cœnobio iſto conſtitueretur. Deceſſit lentâ phtiſi conſumptus anno 1395.

Conciliorum & Pontificum Decreta de ſtudiis reſuſcitandis.

Cùm igitur monachi contenti elaboratis majorum religione atque doctrina monaſteriorum bonis, literarum & cum his virtutum ſtudia depoſuiſſent, *in otio & pigritiâ fruges conſumere docti*, è veterno excitandi erant. Unde, ut paullò antè dicebam, jam an. 1311. in Concilio Viennenſi ad litera-

(y) Vide ejus Chronicon Huxarienſe à Franciſco Paullini editum.

rarum ſtudia compellendi fuerunt, editâ conſtitutione, *ut in ſingulis ipſorum monaſteriis idoneus teneatur magiſter, qui eos in primitivis ſcientiis inſtruat diligenter.* Concilii Viennenſis decretum ampliùs explicavit BENEDICTUS Papa XII. in ſua pro Benedictinis Monachis Conſtitutione, Capite VI. ſic decernens (z): „Quia verò per exer-
„ citium lectionis acquiritur ſcientiæ
„ margarita, & per ſtudium ſacræ pa-
„ ginæ ad cognitionem excellentiæ
„ divinæ familiariùs pervenitur, ac
„ per agnitionem humani Juris, ani-
„ mus rationabiliter efficitur, & ad
„ juſtitiam certiùs informatur. Nos
„ cupientes, ut Viri ejuſdem Ordinis
„ [*Benedictini*] in agro Dominico la-
„ borantes, in primitivis, ac deinde
„ in Divini & humani, Canonici vi-
„ delicet Juris ſcientiis inſtruantur;
„ Conſtitutioni CLEMENTIS Papæ V.
„ & Prædeceſſoris noſtri &c. inhæren-
„ tes, illam volumus & præcipimus
„ firmiter obſervari, & nihilominus
„ adjiciendo ſtatuimus, & ordinamus,
„ *ut in quibuslibet Eccleſiis Cathedrali-*
„ *bus, Monaſteriis, Prioratibus & aliis*
„ *Conventualibus & ſolennibus locis,*
„ *quibus ad hoc ſuppetunt facultates Or-*
„ *dinis ſeu Religionis bujuſmodi, dein-*
„ *ceps babeatur Magiſter, qui Mona-*
„ *chos eorum doceat in hujuſmodi ſcien-*
„ *tiis primitivis*; videlicet *Gramma-*
„ *tica, Logica,* & *Philoſophia*: provi-
„ ſo attentiùs, ut ſeculares inſtruen-
„ di cum ipſis Monachis docendis
„ nullatenus admittantur. Cui qui-
„ dem magiſtro, ſi monachus non
„ fuerit, ipſius Ordinis &c. penſio-
„ nem viginti librarum Turonenſium
„ quotannis dandam; ſi verò in mo-
„ naſteriis adſit monachus idoneus
„ ad docendum, deputari ad id per
„ ſuos Superiores debet, cui ultra vi-
„ ctum & veſtitum decem libras Tu-
„ ronenſes pro libris, vel aliis ſuis
„ neceſſitatibus emendis dandas con-
„ ſtituit. Antiſtites verò ut dociles, &
„ vitæ ac morum honeſtate decoros,
„ ad puritatem religionis tenendam,
„ & ad acquirendum fructum ſcientiæ
„ aptiores Monachos, cum conſilio
„ proborum & ſeniorum de monaſte-
„ rio eligant: & quo loco, quo tem-
„ pore, lectionibus ſcholaſticis, qui-
„ bus verò horis Divinis Officiis ſtu-
„ dentes vacare poſſint, ordinent,
„ ídque ſuper inſtructores & inſtruen-
„ dos, num debitè omnia faciant, di-
„ ligenter attendant, & negligentes
„ compellant, ordinavit. „ Capite verò 7. ejuſdem Bullæ de ſtudentibus Monachis ad generalia Studia mittendis agens ſic orditur: *Cæterùm quia expedire cognoſcitur, ut poſtquàm præfati Monachi in prædictis ſcientiis primitivis eruditi fuerint, ad ſacræ Theologiæ & Canonum tranſeant facultates.* Ubi dociliores & capaciores Monachos ad publicas Univerſitates mittendos eſſe jubet; modum etiam & viam præſcribit; qualiter & per quos, hi, qui ſtudiis generalibus deputantur, eligi debeant: quo etiam tempore anni à ſuis Prælatis mittendi ſint, definit. Circa hujus definitionis aliarúmque ordinationum executionem, ſi negligentes Antiſtites vel Priores fuerint; pœnas in eoſdem fulminat, & beneficiis privandos decernit. Capite autem 8. idem Pontifex de penſionibus ſtudentium prolixiùs duobus ferè foliis, tractans, quantitatem penſionum tempúſque miſſionis præfixit. Modum faciendarum pro ſtudentibus contributionum, pœnáſque non ſolventium decrevit: Uniri poſſe beneficia curam animarum non habentia, pro augmento penſionum ad ſtudia mittendarum, conceſſit. Monachos verò benè de literis meritos, vitæ laudabilis, aliáſque idoneos & diſcretos per Superiores non debere à ſtudio revocari, ſed permitti & provideri, ut ad gradus ſcientiarum, ad Baccalaureatûs ſcilicet & Magiſterii, vel Doctoratûs honores perveniant, lecturáſque continuent: Utque omnes in ſcientiis laudabiliter proficientes Monachos dignis attollant honoribus & promotionibus efferant opportunis, Prælatos obligavit. In quos, ſi negligentes in prædictis reperirentur, uti ſtatutis Pontificiis rebelles, Priori generalis ſtudii poteſtatem & jus dedit fulminandi & publicandi ſententias, à quibus abſolvi nequeant, niſi per eundem vel Congregationis Præſidem, ídque pœnis priùs ſolutis, & omnimodâ ſatisfactione impletâ. Vetat ibidem, ne Monachi ad Doctoratûs & alios facultatum promovendi gradus, impenſas prodigant majores, vel convivia feſtiva procurent, ſuper quo jurare eos debere, priusquàm promoveantur. Ad hæc Monachis, ſicut cæteris Clericis, ad gradus & honores Theologiæ & Juris Canonici acceſſus pervios indulſit; ubi etiam cuicunque Ordinis noſtri, qui in Pariſienſi, vel in aliquo alio generali ſtudio per ſex annos

primitivæ ſcientiæ in cœnobiis docendæ.

Qualis Magiſter, & quinam diſcipuli.

Quid de Theologiæ & SS. Canonum Studiis.

Pœnæ in Superiores fulminatæ.

Monachos benè de literis promeritos honoribus affici jubet.

Iisdem gradus in Academiis ſuſcipiendi facultatem indulget.

(z) apud Staniſl. Scyglieski in Aquil. Pol. Bened. p. 166.

annos in ſacra Theologia ſtuduesit, & ad id ſufficiens & idoneus fuesit, poſſe in ipſo Pariſienſi ſtudio, vel alibi curſus conſuetos Bibliæ facere: qui verò per octo annos in Theologia psofecesit, libsos ſententiarum legere valeat. In Jure quoque Canonico, qui pes ſex annos Jura Canonica in Pariſienſi, vel alio generali ſtudio audiverit, ad Licentiam, vel Doctoratum, & Lecturam Juris Canonici, ſive Decretorum, in eodem Pariſienſi, & quolibet alio ſtndio, *in cappa ſuæ religioni congruenti, dummodò ſufficientes & idonei fuerint, absque difficultate malitioſa, & impedimento, ab omnibus liberè admittantur, ſicut cæteri Clerici ſeculares ibidem conſueverunt admitti.* Non obſtantibus quibusconque ſtatutis vel monaſtesiorum ejosdem Ordinis, vel certè ſtudii Pariſienſis, vel aliarum quarumcunque Academiarum, etiam confismatione Apoſtolicâ roboratis. Desogátque univerſis & ſingulis hujusmodi conſuetudinibus & Laudis expreſſis tamen ſtatuto Pariſienſi; *quòd nullus ſine rubea cappa Decretum legere permitti debeatur*, vel quòd *nullus Jura Canonica legere valeat, vel ut Baccalaureus legere Decretales, aut ad Magiſterium aſcendere in Decretis, ſive Doctor fieri Decretorum, niſi ibidem Canonicis Juribus ſtuduiſſent &c.* De his & aliis omnibus, copioſiſſimè inſignis hic Benedictini aſſertos honoris (a) BENEDICTUS XII. in ſua *Benedictina*, qoæ ab ipſius nomine, & quòd pro Benedictinis ſcripta ſit, ſortita nomen eſt, diſpoſuit: & authoritate, quâ valuit Apoſtolicâ inviolabili conſtituit, ut ſtudium in Osdine noſtro priſcis uſitatum Patsibus reſtauretus, & intermiſſum reaſſumeretur, ſi priſtinum nitorem Osdinis vindicare, & Regulasem obſervantiam cupesent conſervase. Adverterat namque prudentiſſimè univerſi Orbis Usbísque Romanæ Præſul Apoſtolicus, jacentibus literis ſpisitum religionis ſenſim exhauriri, niſi vitali alimento literarum continuò nutriatus.

& derogat Statutis in contrarium.

Arnoldi Epiſc. Conſtitutio.

ARNOLDUS verò *de S. Aſterio* in Lemovicibus Abbas, psimus dein ejusdem usbis Epiſcopus, in Conſtitutionibus à ſe editis anno 1320. decrevit, *ut ad decus atque utilitatem eccleſiæ propriæ ſex viri Religioſi ejusdem Capituli ad celebris alicujus Univerſitatis mitterentur ſolemnia ſtudia, ut ibi Theologiæ vel Juri Canonico operam navarent.* Sic itaque Benedictini, qui anteà domi ſeculares erudierunt, jam ab illis, poſtquàm ſcholis valedixerunt, inſtituendi erant. Egsegiam verò laudem, & inſigne Osdinis ornamentum! Illod vesò magis indignum, quòd hac noſtsa ætate, quâ Familia Benedictina viris in omni literarum genere verſatiſſimis abundat, Superiores quidam, quaſi deſpesatâ Osdinis ſui Religioſosum vel doctsinâ vel induſtriâ, ſuos Religioſos juvenes aliis inſtituendos committant. At enim quid facias, cùm arbitria præſidentium pro legibus ſunt, ſed non ſemper è re atque exiſtimatione ſacri Osdinis. Quæ res quàm indigna ſit, ſcire quivis poterit, etiam me tacente.

Indecorū Familiæ Benedictinæ, quòd ejus alumni hoc ævo ab exteris inſtituantur.

Narravit mihi aliquando Osdinis noſtri Theologus, apprimè doctus, ſe à Superioribus ſuis io Germaniam miſſum, oculos primùm, ac mox ſupercilium ſuſtuliſſe, cùm Familiæ noſtræ juvenes Religioſos longè alias, quàm Benedictinas ſcholas frequentare vidiſſet; unde ejus sei cauſam ex Abbate qoodam reſcire expetiiſſe, qui duas in medium protulerit. Prima, quòd cùm pleræque Academiæ ac Univerſitates Catholicæ penes alterius inſtituti homines eſſent, mitti eò ooſtros debere, ut Laureâ ſeu Doctoratûs, ſive Licentiatûs, ſeu Baccalauseatûs inſigniri poſſint... Sed hæc satio Theologo non magni facienda viſa eſt. Nam in monaſteriis, dicebat, *oportet eſſe viros doctos, non Doctores*, Licentiatos, aut Baccalaureos. Præſertim cùm *ſcholaſticus gradus* (Magiſtri & Doctoris) *non ſcientiam, ſed ſuperbiam ſæpius probetur augere.* Deinde ſi quando ad harum dignitatum gradus promovendi ſunt, illos etiam apud noſtros v. g. in Univerſitate Salisburgenſi conſequi poſſunt. Sic Patres Congregationis Anglicanæ anno 1444. in Capitulo Generali ſequens condiderunt ſtatutum: *Præterea ſtudentibus noſtri Ordinis præcipimus univerſis, ne quis eorum quaſi ab exteris mendicando apicem magiſtralem, ſeu gradum aliquem ſcholaſticum temptet aſcendere, vel præſumat, ſub Magiſtro aliquo ſeu Doctore, qui noſtræ non fuerit profeſſionis &c...* Altera satio, quam Abbas attulesat, haud majoris eſſe energiæ, atque prima videtur. Dicebat, multa Ordinis noſtri Monaſteria inter montes

Benedictinis apud Benedictinos ſtudendum.

Statutum hac de re antiquum Congr. Anglic.

(a) apud Staniſl. Szygl. Aquil. Pol. Bened. pag. 166. Ipſam verò *Benedictinam* habes in omnibus Conciliorum editionibus, Regiâ, Harduini, Labbei, & Coleti.

Ratio in contrarium enervatur.

tes & ſylvas, & quaſi teſqua ferarum ſita eſſe, adeóque adoleſcentibus, qui in ea ſuſcipi velint, plerumque inacceſſa: unde juvenes Religioſos ad Academias & Univerſitates mittendos eſſe, qui velut aves illices ſuavi ſua converſatione alios alliciant, atque ad monaſticen amplectendam pertrahant. Miror, hæc dici potuiſſe. Nam conſtare Abbati debuiſſet, in variis Conciliis ſancitum fuiſſe: quòd ex junioribus monachis ad publicas atque Catholicas Univerſitates mitti equidem poſſint, ea tamen conditione, ut in aliquo Collegio conjunctim, & à Laicorum conſortio remoti habitent, ne cum iis converſando infectum mundi aërem attrahant, monaſticam pietatem ſenſim ſine ſenſu corrumpentem; quem proinde ut virus peſtiſerum fugere omninò teneantur.

Religioſi in ſeparato Collegio inſtruendi.

Adeóque Religioſi juvenes in Academia & Univerſitatibus literis operam navantes converſationem ſecularium ſtudioſorum, quantum fieri poteſt, fugere debent. Faciliùs enim fit, ut ipſi ſecularium veſtigia & mores denuò conſectentur, quàm ut eos mundi ludibria pertæſos in amorem ſacri Ordinis abripiant. Quid dicam? quòd hi hujuſmodi jnvenes religioſi nondum eâ prudentiâ & mentis perſpicaciâ ſint, *ut ſpiritus, utrùm ex Deo ſint*, probare poſſint? Experientia conſtat, eorum commendatione ad religioſi habitûs ſuſceptionem Candidatos admiſſos fuiſſe, quem tamen non ita diu poſt vel ipſi denuò exuerunt, vel eo exuti fuerunt. Deinde an non etiam in Academiis, Gymnaſiis & Lycæis, ubi Benedictini docent, egregii juvenes habentur, qui ad Ordinem ſuſcipiendum allici poſſunt? Quid ergò hoc fieri debet alibi locorum? An quia noſtrorum inſtitutionem parvi, aliorum magni ſacimus? Denique quænam ſunt illa monaſteria, qui Candidatis deſtituta juniores ſuos Religioſos ad Academias & Univerſitates dimittere debent, ut juvenes ac adoleſcentes religioſæ militiæ aggregent?

Mellicenſis Monaſterii elogium.

Certè ex iis non eſt Mellicenſe Monaſterium, de quo Cl. *Bernardus Pezius* ep. 2. Apologet. pag. 24. *Nullo non tempore præclaris adoleſcentibus, qui eo recipi ardenter cupiunt, abundat: quidquid etiam homines minùs amicè in nos affecti ſcribant, dicántve.* Floreant æquè in aliis Germaniæ monaſteriis cùm literarum ſtudia, tum religioſæ diſciplinæ obſervantia, tum non unquam egregii deerunt juvenes, qui ad ea ingredienda Spiritu Dei agantur. Sed reſumamus hiſtoriæ filum.

Controverſia de præfectura Collegii Cantuarienſis.

Alia mens, alia contentio, ut veterem & quaſi avitum docendi morem in ſacro Ordine retineret, præſtantiſſimi hoc ſeculo in Anglia Præſulis fuit. Erat is noſter SIMON *de Langham* (b) Archiepiſcopus Cantuarienſis; quem inter & *Joannem Wiclefum* de Præfectura Collegii Cantuarienſis gravis controverſia exorta eſt. Nam cùm ejus anteceſſor SIMON *de Yslep* etiam Benedictinus Archipræſul ita collegium illud in gratiam ſtudioſæ juventutis conſtruxiſſet, ut tamen *ſcholaſticum*, ut ita loquar, *imperium* penes monachum eſſet, *Joannes Wiclef*, ſuperbus Academiæ Oxonienſis Theologus, præfecturam, utut Benedictinis debitam, factione ſuorum invaſit; quâ tamen ſententiâ Archiepiſcopi deturbatus eſt.

Wiclefus eam appetit, ſed ab ea repellitur, & Henricus Woodhill eidem præficitur.

Is enim Radinghalium, monachum Cantuarienſem, ſcholaribus præpoſuit; quô etiam citò domum revocato, alium monachum Cantuarienſem, HENRICUM WOODHILL collegio præfecit. Hic rem ſtrenuè ex animo & ſententia Archipræſulis geſſit; cujus hic fuit conatus, ut ſecularibus ejectis clericis introducerentur monachi. *Wiclefus* verò ab ejus ſententia ad Pontificem *Urbanum V.* appellavit. Sed cùm hujus etiam decreto, inſpectâ fundatoris voluntate, juſſus fuiſſet à præfectura removeri, actus in rabiem virus evomere cœpit.

In rabiem hinc actus Wiclefus hæreſin ſpargit.

Ingens errorum ejus eſt colluvies, è quibus ille huc pertinet; *Academiæ, Studia, Gradus, diaboli negotium ſunt.* Sed noſter hic Archiepiſcopus *ex ungue*, quod ajunt, *leonem*, & *ex cauda draconem* agnoſcens, jam tum illius ferox ingenium prævidit, & ne diutiùs majori damno venena ſua occultando noceret potentiùs, detexit, ut caveretur. Quam ejus providentiam, ſi reliqui Epiſcopi diligentiùs fuiſſent æmulati, nec impediviſſet *Joannis Lancaſtrii*, ſequaciúmque illius in Clerum invidia; certè Wiclefica anguina ſoboles in ipſo, quod ajunt, ovo fuiſſet extincta.

cui à noſtris ſtrenuè reſiſtitur.

Sed cùm jam Principum potentiâ fretus hæreſiarcha cœpiſſet palàm contra religionis catholicæ ſanctiſſima ſecreta furere, tunc è noſtris etiam monachis validiſſimos ſenſit antagoniſtas. Quorum præcipui fuêre *Guilielmus Binghamus*, *Utredus Boltonus*, *Simon Southraius*, *Joannes Wellius*, *Nicolaus Rade-*

(b) Clem. Reyner. in Apoſtolat. Benedictin. in Anglia.

Radeliffus, quorum certamina cum *Wicleſo*, ab eóque relatas palmas ſuo deſcribendas loco reſervamus.

Fundatio Collegii Dunelmenſis

Hic tamen commoda ſe offert occaſio, nonnihil de fundatione *Collegii Dunelmenſis* dicendi. (c) THOMAS *de Hatfeild* Epiſcopus Dunelmenſis in Anglia ab anno MCCCXLV. ad annum uſque MCCCLXXXI. Monachis Benedictinis Eccleſiæ ſuæ Carhedralis plura contulit beneficia. Ut literarum verò ſtudia apud ipſos promoveret, Collegium extra Urbem Oxonienſem pro Monachis VIII. fundavit; illud verò, ut fieri amat, ne concideret, Prior & Conventus Dunelmenſis daris literis ſe obligârunt, ex quibus nonnulla hîc apponere viſum eſt.

„ Inſuper plurima & magnifica beneficia nobis & Eccleſiæ noſtræ præſatæ per eundem reverendum Patrem (*Thomam de Hatfeild*) Dei gratia Epiſcopum Dunelmenſem, collata temporibus retroactis volentes, ſicut meritò tenemur, in lucem deducere, ac perpetuæ memoriæ celebriùs comendare, promittimus bonâ fide, quòd *Collegium* dicti domini Epiſcopi Dunelm. quod de conſenſu & aſſenſu noſtro unanimi & expreſſo fundavit, ordinavit, & dotavit perpetuis temporibus duraturum in territorio noſtro extra muros Oxonienſes ſuper Candich, quod Monachi noſtri ſtudentes inhabitant, & inhabitabant per antea multis annis, nos & ſucceſſores noſtri manutenebimus, ſuſtentabimus, defendemus, quatenus in nobis fuerit, in perpetuum ſecundùm vim & normam inferiùs limitatam, ſcilicet quòd in præfato Collegio erunt VIII. Monachi Dunelmenſes ſtudenres, qui VIII. ſtudentes eligentur & transmittentur ad dictum ſtudium per præfatum Capitulum Dunelm. ſecundùm vim & formam in Conſtitutionibus Benedictinorum de ſtudentibus ad Generalia Studia transmittendis providè ordinaram, ut Philoſophiæ vel Theologiæ duntaxat vacent, principaliter & intendant. De quibus VIII. ſtudentibus Prior Dunelm. de conſenſu & aſſenſu ſeniorum unum eorundem in Priorem præficiet vel Cuſtodem, cui cæteri intendant in canonicis & regularibus inſtitutis; qui Prior vel Cuſtos ſeptimanis ſingulis ſaltem ſeniores omnes & alios confratres ſtudentes convocare tenebitur ad locum aptum pro hoc celebrando. Ubi quemcunque eorum repererit negligentem circa Miſſas pro dicto venerando patre Fundatore, & omnibus fidelibus celebrandas, vel alia divina Officia perimplenda, ſeu in obſervantiis regularibus & ſtatutis, vel non vacantem doctrinæ ſcholaſticæ (ut deberet) caſtigare debitè & emendare, vel Domino Priori & Capitulo Dunelm. denuntiare indilatè, ſi quidem (quod abſit) incorrigibilem ſenſerit, vel rebellem. Ipſi etiam VIII. ſtudentes ſimul erunt comenſales; qui etiam ſtudentes omnibus diebus profeſtis vel omnes vel ad minùs duo Matutinas & omnes alias Horas Canonicas ſimul dicant. In diebus verò Dominicis & aliis feſtis duplicibus omnes conveniant in Capella... Inſuper in præſatum Collegium VIII. ſcholares ſeculares, qui Grammaticæ vel Philoſophiæ principaliter intendant, quatuor ſcilicet de civitate vel Diœceſi Dunelm. duo de dominio de Alvertonſcyre, & duo de dominio ejuſdem in *Howedenſcyre* per IV. vel V. de ſenioribus & diſcretioribus Monachis Dunelm. aſtrictis in eorum conſcientiis per Priorem Dunelm. & habiliores & indigentiores nominentur ſine perſonarum acceptione de illis patriis, quatenus de eis conſtare poterit, aut de civitate & Diœceſi Dunelm. ſi in aliis duabus patriis tales reperti non fuerint, & econtrà ad nominationem dictorum ſeniorum per Priorem Dunelm. admittentur. Quibus ſcholaribus in ſecunda menſa ſeorſum à monachis, cum Clerico & aliis dicti Collegii ſervientibus providebitur per Priorem ſeu Cuſtodem aut receptores denariorum loci, eorum ſtatui competenter; & bis in anno tunicis & caputiis veſtientur, & per Priorem ſeu Cuſtodem loci debitè regulabuntur, ut in capella duo ſerviant temporibus opportunis exorando pro anima dicti Fundatoris, & aliis temporibus in ſcholis, & alibi doctrinæ ſuæ invigilent, ac in aula & locis aliis honeſta miniſteria, ſecundùm quod Priori ſeu Cuſtodi viſum fuit, libenti animo exequantur, dum tamen per ea eorum profectus in moribus aut ſcholaſticis diſciplinis nullatenus impediatur,

pro VIII. cœnobitis Dunelmenſibus,

qui comenſales eſſe tenentur.

Statuta de ſecularibus in Collegio ſtudentibus.

(c) Ex Willelmo de Chambre in Hiſtoria Dunelmenſi pag. 772. apud Henr. Wharton Angl. Sac. part. 1.

nec

P. Ziegelbauer Hiſt. P. I. K 2

„ nec non in omni loco & tempore vitam honeſtam ducere teneantur. „ *Succedunt Statuta alia Collegii Dunelmenſis Oxon. & obligatio Conventûs Dunelmenſis Eccleſiæ ad ſolvendum annuatim* 200. *marcas Cuſtodi, ſociis, & ſcholaribus dicti Collegii in perpetuum.*

Abbates docti in Germania duo, Engelbertus Admontenſis & Lambertus Gengenbacenſis.

Præter Monachos verò Dunelmenſes multi alii Benedictini hoc ævo in Angliæ regno pectus geſsêre doctrinâ munitum; quorum utinam vel tertia pars in Germania fuiſſet: at hîc *rari nantes in gurgite vaſto*, quorum numerum ENGELBERTUS & LAMBERTUS penſare debent. Prior erat Abbas Admontenſis in Stiria omni ſcientiarum genere cultiſſimus. Alter Abbas Gengenbacenſis in Sueviâ, qui ſingulari eruditione atque doctrinâ tantam ſibi exiſtimationem comparavit, ut eum CAROLUS IV. Imperator ſuum Cancellarium elegerit, eíque res Imperii graviſſimas adminiſtrandas commiſerit. Sub eorum regimine Admontenſis & Gengenbacenſis ſcholæ non incelebres habitæ fuerunt. His duobus Abbatibus accenſeri merentur *Bernardus Dapifer* Mellicenſis, *Bernardus Noricus* Cremiſanenſis, *Gundakerus* Seittenſtadienſis, *Eberhardus* & *Henricus Stero* Altaichenſes, *Fredericus* Corbeienſis, *Hugbertus* Bleidenſtadienſis, *Martinus* Fuldenſis, & fors quidam alii. Nec hoc loco reticendum, quòd anno hujus ſeculi

Colonienſe ſtudium an. 1388.

octuageſimo octavo, *Colonia Agrippina* florenti omnium artium Academiâ, quam *Univerſitatem* vocant, URBANO VI. Pontifice Max. probante primùm exornari cœperit. Ad id verò inſtituti non parùm contulit THEODORICUS *de Cornu* Abbas S.ti Martini Majoris Colon. *vir literis & ſtemmate clarus*, qui herbeſcentia cùm egregiè foveret Studia, iſtud demùm promeritus eſt præmium, ut ſummo & ſui Nominis & Monaſterii honore, ac longè ampliſſimâ ad poſteros derivatâ dignitate, juriſdictione, & viridi adhuc functione, *Almæ Univerſitatis Colonienſis Judex, juriúmque & Privilegiorum Conſervator Apoſtolicus*, *à* BONIFACIO IX. renuntiaretur. Quamobrem præfatus Abbas in Faſtis Sant-Martinianis hoc exornatur elogio:

Tam Theodoricus de Cornu *nobilis ortu,*
Nobilior meritis ſummos excepit honores;
Scandit & auricomæ ſacraria celſa Minervæ,
Erecti Studii PRIMAS, *ſacríque Lycæi*
Protector, judéxque à ſummâ Sede ſtatutus...

Toto autem orbe Chriſtiano celebratiſſimæ tum fuerunt *Colonienſes & Pariſienſes Scholæ*, inquit *Heumannus* (d), accinente veteri Poëta:

Agrippina & Pariſium duo regna Minervæ.

In Bohemiæ Monaſteriis literis honos habetur,

In Bohemiâ cùm Carolus IV. Rex ac Imperator non doctrinâ ſolùm excelleret, atque ſex linguarum, Latinæ præprimis peritus eſſet, ſed literas etiam, viróſque doctrina & eruditione præſtantes in pretio haberet, ad ejus exemplum Monachi quoque ſeſe compoſuerunt. Nullum igitur ferè monaſterium Familiæ noſtræ in Regno Bohemiæ erat, in quo literarum ſtudia non excolerentur. Præ cæteris *Aſceterium Brevnovienſe* in-

maximè in Brevnovienſi.

clytum habebatur, ex quo complures juniores Religioſi ad Pariſienſem Univerſitatem, velut ad bonarum literarum emporium, mitti conſueverant, ut Theologiæ, Juríque Canonico operam navarent. Nec ſegniter hoc ab iis fuit præſtitum; plerique enim doctoratûs laureâ inſignes in Bohemiæ regnum reverſi ſunt; ubi non domi ſolùm in monaſterio, ſed in Academia etiam Pragenſi, quam Rex & Imperator *Carolus* fundaverat, Theologiam & ſacros Canones publicè docuerunt. *Brevnovium*, inquit doctiſſimus Mathæus Bolcluczkius in vita (e) S. Adalberti Martyris, & Archiepiſcopi Pragenſis, *Doctores & Lectores propè ſexaginta continuò habuit.* Eximiam doctrinæ laudem! quam perpauca monaſteria cum Brevnovio habent communem. Verùm de Regia hac Abbatia, ejúſque doctiſſimis alumnis ſuo loco uberiùs.

Scholæ inſtaurantur in monaſterio S. Michaëlis.

In monaſterio S. Michaëlis in Hildesheim (f) ſub annum 1335. *ſchola* quidem *reſtaurata legitur*, ſed *ſub capitulo, ut ſcholares chorum viſitarent*; hoc eſt, *ut vel nihil, vel certè quidem parùm addiſcerent.* Quem enim profectum in literis faciet, qui omne ferè tempus, quô ad doctrinarum ſtudia opus habet, orando, cantando, choríque omnia & ſingula obeundo officia conſumere tenetur?

Moguntiæ claruit Arnoldus.

In cœnobio S. Martyris Albani apud Moguntiam, quod tunc Ordinis noſtri etiamnum fuit, his temporibus *Arnoldus* Presbyter & monachus

(d) In Conſp. Reip. lit. Cap. IV.
(e) Cap. XIII. n. VI. 137. b.
(f) Chron. S. Mich. apud Meibom. Rer. Germ. Tom. II.

Digitized by Google

nachus, vir ſuâ ætate magnæ opinionis atque doctrinæ, qui ſcriptis & moribus, *quaſi roſa inter ſpinas*, deſotmatam converſationem monachorum redarguit, ut (g) *Tritbemius* ait.

In Galliâ viri docti rei literariæ curam gerunt.

In Gallia tamen complures Monachi doctiſſimi laude ſuâ fruſtrari non debent. Atque ut de *Petro Berchorio* primùm dicam, qui poſtquàm in Cluniacenſibus ſcholis juniores monachos literas, quibus informari ad humanitatem ætas juvenilis ſolet, docuiſſet, honeſtiſſima cupiditate ſtudii ſacræ Scripturæ incenſus fuit, in quo quantum operæ poſuerit, quantúmque profecerit, celeberrima ejus Opera Scripturiſtica loquuntur.

Petrus Berchorius,

Henricus de Fauteriis,

Henricus verò *de Fauteriis*, Abbas Cluniacenſis, anno 1308. annis undecim clavum tenuit, deinde translatus ad Epiſcopatum S. Flori pro Collegio Cluniacenſi in Academia Pariſienſi fundato multa laudabilia ſtatuta edidit, quæ digna exiſtimo, ut alio loco diductiùs referantur. Non diſſimilis de re literaria ſollicitudo laudatiſſima *Nicolaum* (h) *le Caudrelier* LVI. Abbatem S. Vedaſti excepit; qui cùm ab ineunte ætate virtutem unà cum literis excoluiſſet, Pariſiis hoc ævo Collegium, quod Atrebatenſe & Vedaſtinum vocant, excitavit, fatò functus anno 1337. In ipsâ verò Univerſitate Pariſienſi *Rogerius* Caſæ Dei monachus, poſtea CLEMENS VI. Romanus Pontifex, Theologiam cum omnium admiratione docuit. Apud Montem Peſſulanum, & apud Avenionem *Guillelmus Grimoardi*, Monachus Mimatenſis, dein Abbas S. Victoris Maſſilienſis, ac Doctor Decretorum ſolennis, multis annis legit; qui ſubinde publicis pro Eccleſia legationibus functus, demùm virtutis ac doctrinæ merito ad ſummum Pontificiæ dignitatis culmen evaſit, dictus URBANUS V. Ab hoc Pontifice *Petrus Boherius**, S. Aniani Abbas, inſignis ſuo tempore Juris utriusque myſta ac Theologus, ob notiſſimam Canonum ſcientiam vitæque probitatem Urbevetanus Epiſcopus renuntiatus fuit. In Univerſitate Toloſana *Guillelmus de Monte Laudmo* Profeſſorem Juris Canonici egit; vir ſua ætate ob peritiam Juris celeberrimus, & *Decretorum Doctor elegantiſſimus* vulgò vocatus. *Philippus de Villeta*, Abbas S. Dionyſii in Francia, cùm illic monachus factus eſſet,

Nicolaus Caudrelier,

Clemens VI.

Urbanus V.

Petrus Boherius,

Guillel. de monte Laudumo,

Philippus de Villeta,

curâ & ſtudio *Guidonis de Moncellis*, Abbatis ſui, Lutetiam Pariſiorum ad literarum humanarum ſimul & divinarum ſtudia miſſus, ingenio iis apto favente, inſignis in Theologia Baccalaureus & Orator, inter ſui temporis alios facundiſſimus evaſit. Et verò cùm egregiè adverſùs BENEDICTUM Antipapam in ſolenni Conventû Prælatorum Pariſienſi declamâſſet, ad Abbatialis dignitatis apicem gradum faciens, ſucceſſit Guidoni de Moncellis. *Guilielmi de Coſta* è Cluniacenſi Congregatione Licentiati in Theologia anno 1391. cùm *Ægidio Morpain*, Magiſtro ſcholarum S. Dionyſii, honorificè meminit *Bulæus* in Hiſtoria (i) Univerſitatis Pariſienſis. Atque hi, aliíque Benedictini, è quibus duo Summi Pontifices, ingenii ſui ac doctrinæ divitiis effecerunt, ne ſeculum hoc, Familiæ noſtræ nonum, pro deplorato, certè quidem in Gallia ſit habendum.

Guilielmus de Coſta.

SECULUM ÆRÆ CHRISTIANÆ XV. BENEDICTINÆ X.

Quod eſt ab anno 1400. ad 1500.

Exordia Seculi Eccleſiæ XV. funeſta reddidit flagrans inter Pontifices *Petrum de Luna* & *Gregorium XII.* diſſidium. Huic tollendo intendit quidem Piſana Synodus an. 1409. congregata; ſed ex remedio deterior morbus. Dum enim abdicato utroque novus Pontifex *Alexander V.* eligitur, triceps facta eſt Eccleſia. Habitus interim pro legitimo *Alexander*; ſed cùm fine anni ejusdem deceſſiſſet, Cardinales in ejus locum ſuffecerunt *Joannem XXIII.* Quot inde diſſenſiones, quot bella & ſchiſmata ſuborta ſint, dici vix poteſt. Neque verò pax ulla haberi potuit, donec anno 1416. convocatâ Conſtantienſi Synodo, exauctorati ſunt tres prætenſi Pontifices, & *Martinus V.* ſublectus eſt. Hoc in Concilio damnati ſunt portentoſæ iniquitatis filii *Wiclefus*, *Joannes Huſſius*, & *Hieronymus Pragenſis*, qui duo poſtremi cùm impotentiori temeritate paradoxa repeterent, rogo addicti ſunt. Nec tamen in cineres redacta eſt Hæreſis. Innumeræ enim inde per Bohemiam excitatæ Tragædiæ, hæreticis in Regem ipſum, atque in Prælatos, Doctores, Presbyteros, ipſásque Eccleſias & monaſteria atrociùs debacchantibus. Graſſante pernicioſo iſto ſchiſmate

Schiſma Eccleſiæ.

(g) Chron. Hirſaug. Part. II. ad an. 1317. pag. 143.
(h) Gall. Chr. Tom. 3. p. 388.
(i) Tom. iv. pag. 959.

mate ingentem Ordo S. Benedicti paſſus eſt jacturam. Quamvis enim aliæ quoque familiæ religioſæ tunc aliquid detrimenti ceperint, à noſtris tamen clades major accepta eſt, quòd opimæ divitiæ avaros ſecularium, aliorúmque animos accendiſſent & inexplebilem acuiſſent orexin, dùm & ipſi Pontifices intruſi oblatâ parandorum amicorum occaſione in alieno facilè ludebant corio, liberales de non ſuo. Relaxatio quoque diſciplinæ, ſtudiorúmque neglectus multa Benedictinæ invexerunt familiæ mala luctuoſæ. Quapropter eadem ſacra Synodus in eam veluti ſenectute labantem, & inter ſeditionum procellas fluctuantem mentis oculos intendens ſacrorum Canonum ſanctiones & omnia, quæ Summi Pontifices *Honorius III, Bonifacius VIII, Clemens V,* & *Benedictus XII,* pro conſervatione priſtinæ ſeveritatis monaſticæ, & ſtudiorum cultu ediderant decreta, innovavit, ac convocato ex Moguntinâ, Bambergenſi, Auguſtanâ, aliiſque Germaniæ diœceſibus frequentiſſimo Abbatum cœtu, primùm in Monaſterio Petri-domûs agitatum eſt provinciale Capitulum, in quo præſederunt *Ludovicus* Trenorchienſis, diœceſis Cabilonenſis Abbas, *Thomas* Eboracenſis, *Sifridus* Elwangenſis, & *Joannes* Conſtantienſis Abbates. Quæ porrò ad ſolutos mores adſtringendos & imminutam ſtudiorum dignitatem reſtituendam egregiè ſancita ſunt, exhibet *Hermannus van der Hardt* Tom. I. actorum Concilii Conſtantienſis part. xxvi.

Relaxatio diſciplinæ monaſticæ.

Concilii Conſtantienſis &c. decreta.

Martini V. Bulla ad Trevirenſes, & Colonienſes.

Paulò pòſt MARTINUS V. Pontifex decretum in eandem rem condidit, inſertúmque Bullæ *Ut ſacra Monachorum. . .* ad *Lambertum* S. Maximini, *Joannem de Rode* S. Mathiæ Treviris, Gorzienſem item, & Theologienſem Abbates tranſmiſit, quos jubebat, & omni ratione perpellebat, ut conformandæ profeſſioni & diſciplinæ, ac ſtudiis ſuas in ſedes revocandis frequentiſſimum ejus Ordinis Abbatum & Cœnobitarum ex circumjacentibus agris conventum facerent, atque in eum, quem viſum eſſet locum congregarent, multis ſaluberrimis ad id negotium tam pium, quàm neceſſarium rectè ſapienterque gerendum additis præceptis. Hæc mandata ut in Treviros perlata ſunt, Abbatibus ſummæ curæ fuit ea exequi, quare ſub xv. kal. Nov. an. 1423. ex diverſis provinciis cœtum contraxêre 79. & ampliùs Abbatum. Locus agendo conventui aſſignatus Monaſterium S. Maximini, ubi ipſo die S. Lucæ Evang. convenêre ex Trevirenſi quidem diœceſi viginti tres, ex Colonienſi xxiv. novem ex Leodienſi, ex Trajectenſi ſex, ex Metenſi quinque, ex Tullenſi quatuor, totidem Virdunenſis & Monaſterienſis iſthic habuêre. Uti verò in Moguntinâ & Bambergenſi provincia, ſic in Colonienſi & Treverica continuata deinceps fuêre Capitula provincialia. Pullulavit ab hac radice celebris illa & tantoperè laudata *Congregatio Burſfeldenſis.* Unde reſpirare magis magisque indies reflorеſcere cœpit religio Benedictina, ex diverſis illis provinciis in unum corpus aſſurgens.

Anno autem hujus ſeculi trigeſimo ſexto Conſtitutio *Benedicti XII.* de inſtauratione ſtudiorum in Ordine Benedictino iterum renovata fuit, in Concilio Baſileenſi in quodam Capitulo, ſeu Comitiis Generalibus, ex pluribus Provinciis noſtri Ordinis celebratis, coram Eminentiſſimo Cardinali S. Angeli, & Epiſcopis Dinienſi & Lauſanenſi Benedictinis. Decreta porrò hujus generalis Congreſsûs leguntur in quibusdam Bibliothecis, nominatim in manuſcripto quodam Abbatiæ S. Vitoni, vulgò *de S. Vanne,* Viroduni. Credo, ad celebrandum hoc Capitulum Generale magnam vim attuliſſe Venerabilem *Martinum de Senging,* celeberrimi Monaſterii Mellicenſis in Auſtria Priorem, qui ad ejusdem Concilii Patres vehementem habuit orationem (k), in quâ de reformatione ſtatûs cœnobitici publicè agens, contra monachorum ignorantiam acriter declamavit.

Benedicti XII. conſtitutio de ſtudiis Monachorum innovatur an. 1436.

Interfuerunt verò Concilio Baſileenſi complures Ordinis noſtri docti Abbates, è quibus tres nominâſſe ſufficiat. JOANNES LANGDONUS (l) Monachus in Cathedrali Eccleſia Cantuarienſi ſummâ eruditionis laude enituit, unde Collegio, quod pro ſtudioſa juventute religioſa ex Provincia Cantuarienſi Oxoniæ erectum ſtabat, Cuſtos, ſeu Prior fuit datus. Quo in munere quam ille induſtriam non adhibuit, ut Sodales ſui in literis quà profanis quà ſacris haud pœnitendos facerent progreſſus? atque ut erat in rebus

Docti Abbates interſunt Concilio Baſileenſi: è quibus Joannes Langdonus,

(k) Martini Senging integram orationem prælo paratam habuit Bern. Pezius, uti Præfat. in Tom. iv. Bibl. Aſcet. teſtatur.

(l) Wharton Angl. Sac. tom. 1. pag. 380.

rebus theologicis verſatiſſimus, Doctor Theologiæ ſumma cum laude creatus fuit. Nec in hiſtoria patria hoſpes ſcripſit de rebus Angliæ Chronicon *Thomæ Radburno* non ſemel laudatum. In Synodo Londinenſi anno 1411. ſeſſione primâ præclaram habuit orationem. Conſecratus ſubinde Epiſcopus Roffenſis miſſus eſt ad Concilium Baſileenſe ineunte anno 1434. quo nondum elapſo Baſileæ magno Patrum luctû morti occubuit. Corpus in Angliam reportatum Londini ſepultum fuiſſe *Baleus* docet. HENRICUS *de Gulpen*, Abbas Monaſterii S. Ægidii in Nurinberga, *vir doctus, & magnæ reputationis*, qui in Concilio Baſileenſi, & extrà multa fecit in favorem monaſticæ reformationis, & obſervantiam Regulæ, quam aliàs ſermone docuit, in ſua converſatione laudabilem oſtendit. Scripſit excellentis ingenii ſui opuſcula, quæ *Trithemius* in Chronico Hirſaugienſi (m) recenſet. BOLDEWINUS ex Abbate (n) S. Michaëlis Luneburgenſis Archiepiſcopus Bremenſis, vir doctiſſimus. „Is à Patribus Concilii ad celebrandum Capitulum Abbatum & Epiſcoporum Ord. S. Benedicti in Bremenſi & Magdeburgenſi provinciis, nec non diœceſi Caminenſi pro hujusmodi Ordinis reformatione executor ſpecialiter deputatus fuit, quia Doctor erat Decretorum, & Regulam optimè novit. Regum etiam ſuper hoc, Principum, Ducúmque Orator, Comitum, Baronum & militum dignitate & nomine major. Qui ita ſtrenuè cauſas ſemper peroravit, ut in conventû ejus non ſolùm Reges Daniæ, Sueciæ, & Norwegiæ, ſed Poloniæ, Ungariæ, & Bohemiæ, ac Franciæ ſilerent: cujus præſentiam *Albertus* Rex Romanorum deſideravit, & prædeceſſor ſuus invictiſſimus Imperator *Sigismundus*, ductus conſilio Comitis de *Winſenborg*, earum regionum auditoris, hunc reverendiſſimum Patrem Dn. BOLDEWINUM ad ſe perſonaliter propter negotia cauſarum cum THEODERICO Colonienſi, & *Gunthero* Magdeburgenſi Epiſcopis accerſiri fecit; ubi comparuit coram Rege in Nurenberga cum quinque nobiliſſimis Doctoribus, certiſque Prælatis & militaribus equitum XLII. & manſit apud Cæſarem ad tres ferè menſes in Nurenberga. Poſtea rediens ſtatuit, primum Capitulum Ordinis S. Benedicti celebrari *Stadis* extra muros in monaſterio Beatæ Mariæ Virginis: ubi *Joannes Fabri*, Abbas Raſtedenſis, elinguis & ſtolidus cum Abbate S. Pauli *Henrico*, diſcreto tamen & illiterato ut ridiculum apparuit, & vehebatur, qui ſimul XXIV. conſumſerunt marcas Bremenſes.„ Hanc narrationem, quæ in Chronico Raſtedenſi legitur, magis utique vero conſentaneam eſſe judico, atque illam, quæ in Chronico monaſterii S. Michaelis in Hildesheim ſequentibus verbis refertur:

Henricus Gulpen, S. Ægidii Norinbergæ Abbas.

Boldewinus S. Michaëlis Luneburg.

„Baſileenſi Concilio an. 1437. interfuit THEODERICUS *Brickmann*, prædicti monaſterii Abbas, vir inſcius & ignarus, habens ſecum viæ comitem Capellanum S. Lamberti, & in miniſterio. Cùm autem idem Abbas Theodericus eſſet vir egregius & regalis perſonæ, electus eſt ab aliis Prælatis pro Miſsâ de Spiritu ſancto cantanda, pro inchoatione Concilii, quod & fecit. Cui cùm ſolenniter ſe expediviſſet, ſuſpicatus eſt quidam de Cardinalibus, eum eſſe fortè Doctorem Theologiæ, vel Decretorum, cupiens frui alloquio. Cùm autem alloqueretur per Cardinalem, nihil reſpondere poterat, quia inſcius fuit, non intelligens Latina. Dixit ergo præfatus Abbas ad Capellanum ſuum materna lingua: quid jam reſpondebo ſibi, ne confundar? cui Capellanus reſpondit: nominetis aliqua caſtra aut villas circa Hildesheim, quas cum nominaveritis, putabit vos eſſe Græcum, & ceſſabit à vobis. Qui ſtatim reſpondit Cardinali: *Sturwolt, Haſſe, Giſſen, Vorrſche, Bouenſtede, Driſpen, Stede, Izen.* Quod audiens Cardinalis dixit ad Capellanum ſuum: *Eſt Græcus?* Qui reſpondit: *Etiam, honorande Domine.* Et receſſit ab eo. Dixit autem Abbas ad Capellanum ſuum, *Et quid reſpondebo in Concilio?* Qui reſpondit: cùm interrogatus fueritis, dicatis Præſidenti verba iſta: *Ego ſto cum iſtis, quidquid ipſis videtur, placet & mihi.* Qui oblitus verborum Capellani ſui reſpondit: *Sto cum hic.* Et concitati ſunt ad riſum Prælati circumſidentes, ipſe cum confuſione recedebat.„ Fabellæ huic,

Abbas analphabetus.

Riſum movit patribus in Concilio Baſileenſi.

(m) Tom. 2. pag. 416.
(n) Chron. Raſtedenſe apud Meibom. Rer. Germ. Tom. 2. p. 115.

huic, per me licet, fidem habeat, qui velit; apud me certè nullam aſſequitur. Qui memoriæ illam prodidit (o), Autor Anonymus eſt Chronicæ monaſterii S. Michaëlis in Hildesheim. Quòd ejusdem loci fuerit monachus, ex ejus verbis in fine Chronici intelligitur. Quisquis fuerit, cauſam profectò non habuit, alios ob inopiam atque inſcitiam Romani ſermonis deridiculo habendi; cùm ipſe illius parùm gnarus ſæpiùs in leges Priſciani peccaverit. Hodie inclytum Monaſterium S. Michaëlis à viris doctis & eruditis minimè inops eſt, inter quos velut gemma eminet BENEDICTUS STOLTE, libris in lucem emiſſis clariſſimus, ac Jurium cùm ſacri Ordinis, tum Monaſterii ſui doctiſſimus vindex; cui jure quodam ſuo ſociandus venit ejus Concellita *Angelus Flörchen* percelebris Chronographus, conſcriptâ nuper *Archæologiâ*, ſcientiâ planè regiâ, futurus immortalis.

Fabellam ſapit hæc narratio.

At enim rem deplorandam! quòd ſanctiſſimus ille Ordo, à quo cùm benè vivendi tum rectè ſentiendi leges, ipſámque propemodùm humanitatem tota Europa ſeptem vel octo inregris ſeculis acceperat, intermiſſô literarum cultu in magnam non bonarum artium modò ignoratiunem, ſed quod conſectaneum eſt, in regularis etiam diſciplinæ ruinam, in Germania præſertim fuerit demerſus. Quot enim non monaſteria vel extincta, vel ab Ordine avulſa, vel ſecularizata? Sed malim hæc apud alios legi, præſertim *Joannem de Spira*, & *Martinum de Senging*, teſtes domeſticos. Uterque enim in Mellicenſi Monaſterio Prioris munus adminiſtravit. Et *Joannis* quidem libellum de ſtudio lectionis, & ejus impedimentis, in quo coævis ſibi monachis non minimum ignorantiæ attribuit, *Bernardus Pezius* typis vulgavit; quemadmodùm etiam *Martini* orationem, in qua ad Patres Concilii Baſileenſis *de Reformatione* publicè dicens, contra eandem inſcitiam declamavit, ſe pariter vulgaturum eſſe pollicitus eſt. Mellicenſis verò Monaſterii per ea tempora Abbas erat NICOLAUS *de Mazen*, quem Martinus V. in Concilio Conſtantienſi ex Italia evocatum ad preces Alberti V. Auſtriæ Ducis pro inſtauranda Benedictini Ordinis diſciplina in plerisque Monaſteriis collapſa Mellicium miſerat. Hic doctrinâ & virtute inſ[?]gnis Abbas in omnibus Monaſteriis Auſtriæ, Sueviæ, Bavariæ, & Archiepiſcopatûs Salisburgenſis, in quibus Ordinem reformavit (*reformavit autem ut minimùm in ſeptem ſupra decem monaſteriis*) ſemper primam curam de regulari diſciplina, alteram de literarum ſtudiis habuit; optimè gnarus, illius obſervantiam ſine horum præſidio non diu in flore & vigore futuram.

Afflictus in Germania rei literariæ ſtatus.

Nicolaus de Mazen Mellicenſis Abbas inſignis.

In San-Petrino Monaſterio, quod eſt Salisburgi, ERHARDUS *de Lainiz* (p) bonarum artium & virtutum opibus dives, & diſcipulus olim famoſi Magiſtri *Tinkelſpilenſis*, merces optimas ad S. Petri Ludimagiſter expoſuerat. Ductus religionis amore, etiam cucullum ſumpſit anno 1433. atque pro meritis intra anni ſpatium Profeſſionem, Sacerdotium, ac Prioris officium adeptus, expleto anno altero etiam Abbatiam, communi voto delatam ſuſcepit. Sub tam docto Abbate literarum ſtudia in San-Petrino Monaſterio, ſi ullo alio tempore floruiſſent, niſi *Erhardi* Abbatis tam celeriter cumulata munera mors anno proximo, ſeculi 36. ſuperveniens ſimul abſtuliſſet.

Eberhardus de Lainiz, Salisburgi ſtudia promovet.

Venio ad aliud *Capitulum Generale* (q), quod ſeculi hujus anno quadrageſimo quarto Northamptonæ in Anglia celebratum fuit, præſidentibus *D. Willelmo*, Priore Eccleſiæ Cathedralis Wintonienſis, Abbate Gloceſtriæ, & *Joanne* Abbate de Chertſeu. Porrò in hoc Capitulo præclara quædam ſtatuta, quæ ad literarum ſtudia non conſervanda minùs, quàm promovenda pertinent, edita fuerunt, quorum ſumma capita hîc delibare liceat. *Primum*, ut in Collegio Oxonienſi docendi munus Profeſſores Benedictini proſequerentur, ne, quod Ordini parùm hunorificum, *doctrinæ ſuffragia ab externis mendicare cogantur.* Quod utinam vel hodie in tanta virorum doctiſſimorum copia, à quibusdam Superioribus meliùs obſervaretur! ſed hos non ſemper gloria atque Ordinis exiſtimatio ſollicitat, ſed politicæ, incertum quæ rationes neſcio quò auferunt. *Secundum*: Honorarium, ſeu Minerval decem libræ Sterlingorum è communi Congregationis Cantuarienſis peculio Doctori Theologiæ decretum fuit; Doctori verò SS. Canonum viginti marcæ aſ-

Capitulũ in Anglia habitum, de re literaria promovenda.

Ubi ſtatutum primò, ut Benedictini ipſi docerent.

Secundò Minerval aſſignatum.

ſignaræ

(o) Extat apud Meibom. Tom. 2. Script. Rer. Germ. pag. 523.
(p) M zger Hiſt. Salisburg. l. 4. c. 39. in fine.
(q) Exhibetur à Clem. Rayner. Apoſt. Bened. Append.

Tertiò decretum ut non niſi ſub Doctore Ordinis ſtudeant Monachi.

ſignatæ fuerunt. *Tertium*: ut nulli Religioſorum ſtudium vel Theologicum, vel Canonicum *niſi ſub Doctore Ordinis* (quod benè notandum) auſpicari liceat. *Quartum*: ut qui laurea doctorali inſigniri commeriti fuerint, præeminentia gaudeant, dum tamen ipſorum *Doctorum mores & conditiones Religioni, Doctoralíque gradui ſint conformes*. *Quintum*: Ut nulli Religioſorum inter ſeculares ſtudendi facultas ſit. *Sextum*: Ut propter ſtatas ex Philoſophia & Theologia diſputationes, ſtudioſi Benedictini haud infrequenter tam in lingua Latina prædicent, quàm in vulgari, ut ſic id audaciùs promptiúſque perficiant, cùm eos ad ſua monaſtetia contigerit revocari. *Septimum*: Mulcta pecuniaria Abbatibus Congregationis impoſita, qui ſuos ad generale ſtudium non miſerint. Sic, ut quosdam ſigillatim referam, in publico Capitulo à Priore Studentium aliquando accuſati fuerunt Abbas *de Abbotesbury*, qui unum ſcholarem pet ſeptem annos ſubtraxit de ſtudio. Abbas *de Taneſtoke* etiam unum ſcholarem per unum annum non permiſit Univerſitatem frequentare. Abbas *de Burton* in transmittendo unum ſcholarem ad ſtudium per unum annum integrum extitit defectivus. Abbas *de Michelney* in non mittendo ſuum ſcholarem per quatuor annos culpabilis eſt repertus. Abbas *de Hida* in damnoſum convicinis monaſteriis exemplum penſionem ſuo ſcholari debitam per duos integros annos ſolvere recuſavit. Abbas *de Ceſtria* ſcholarem in Univerſitate non habuit per duodecim annos, eò graviùs puniendus, quò diutiùs negligentiam ſuam continuavit tempore tam longævo. Abbas *de Malmesbury* unum de ſuis ſcholaribus ſubtraxit per bieñium, cujus defectus tantò attentiùs conſiderandus eſt, quantò frequentiùs culpabilis ante hæc tempora extitit prænotatus. Abbas *Abbendoniæ*, qui duos ad ſtudium ſcholares transmittere obligatur, unum per biennium in monaſterio ſuo permanere continuè compellebat. Abbas *Eveshamiæ*, qui Clericus & Graduatus extitit, duos de ſuis ſcholaribus per biennium ſubtrahere minimè verebatur: eò juſtiùs pœna in conſtitutionibus limitata percellendus eſt, quò clerimoniam enutrire, in qua honor religionis conſiſtit, ſeipſum non diſponit. Abbas *Weſtmonaſterii* per unius anni ſpatium unum de ſuis ſcholaribus non licentiavit ſtudium exercere: unde tantò juſtiùs meruit ſpecialiter annotari, quantò in eccleſia exempta, & regalium inſignium tepoſitorio paſtor eſt effectus, cujus dignitates eâ ratione, quâ ad profectum & honorem religionis tendere dignoſcuntur, ſerventiori debuiſſet zelo adimplere.

Mulcta pecuniaria Abbatibus impoſita.

Superiores neglectûs ſtudiorũ culpam non rarò ſuſtinent.

Quis verò ex his non intelligit, quòd non ſemper in privatos Religioſos, quò minùs optimarum artium ac diſciplinarum ſtadium cùm doctrinæ ac eruditionis laude decurrant, culpa conferenda ſit; redit ea ſæpè in illos ſuperiores, qui ſi reditus ac ptoventus monaſterii non dilapidant, certè aliquando in ædificiis, viridariis, conviviis, curribus & equis, ceteríſque ſeculi pompis adornandis, ita ſumptibus excedunt, ut cùm ſubinde in rem literariam pro Religioſis pecuniæ expendendæ ſunt, parſimonia illis in memoriam redeat, eóſque argentum deficiat, immò herculè bona mens. *Vos*, dicebat aliquando Joannes Trithemius (r) Abbas Spanheimenſis, ad nonnullos ſui temporis in Germania Abbates, *vos potiùs centum auri nummos in balneis & vagis diſcurſibus inutiliter conſumitis, quàm ad conducendum eruditum præceptorem monachis veſtris quatuordecim expendatis*. Quibus literis Revetendiſſimus Germaniæ quispiam Epiſcopus Ordinis noſtri Superiorem noſtrâ ætate commonuerit, quáſque minas iis inſeruerit, ut Religioſos ſuos ſcientiis meliùs inſtrui curet, nos non attinet hîc dicere, qui neminem nominamus, ut iraſci jure nemo nobis poſſit.

Gaufridus Abbas Beccenſis ſuorum ſtudia promovet.

Majori laude dignum ſe præbuit GAUFRIDUS *de Hiſpania* Abbas Beccenſis in Normannia, qui ſeculo decimo quinto monachos in ſcholis aluit Pariſiis, cujus liberalitate omnium evaſêre celeberrimi. En Chronici Beccenſis verba: *Tres ſcholares ad ſtudium Pariſienſe tenuit, & aliquando quatuor ſumptibus magnis, quibusdam in Theologia, aliis in Decretis ſtudentibus, & eos in gradibus facultatum, copioſis ſumptibus bonoravit: & manu largâ favore ſcholarium ſuorum, maximè Doctoribus facultatum Pariſienſium bona eccleſiæ diſtribuit: quare dicti ſcholares, ſuper omnes ſtudentes in dicta Univerſitate, in maxima recommendatione habebantur*. Qui verò è Beccenſi Aſce-

(r) Orat. V. inter octo, quæ in piis & ſpiritual. ejus Opp. habentur. p. 880.

terio Pariſios mitti ſolebant, flos quaſi religioſæ juventutis erant, quæ ſuas etiam domi habebat ſcholas, in quibus diverſæ ſcientiæ prælegi conſueverant. Diſcimus id ex Statutis Capituli (s) anno 1337. in Beccenſi monaſterio celebrati, quæ magiſtros ſcholarum & diſcipulos ſpectantia noviter condita fuerunt. *Ordinatum verò fuit, ut Bulla Domini* BENEDICTI *Papæ ſuper ordinatione ſcholarium obſervaretur: & ſtatutum eſt, ut quilibet Prior ſolveret dictis ſcholaribus, de quolibet franco redditus Prioratûs ſui tres ſolidos, cum tribus denariis, perſolveret integraliter in manu pitantiarii: ſic quod magiſter in Theologia legens, quadraginta francos, & ſtudens in Theologia totidem: & Doctor Decretorum, Jura Canonica legens, quinquaginta, & ſcholaris ſtudens jura, & Baccalaureus in eiſdem, triginta ſex libras haberet.* Ex quibus Statutis liquidò conſtat, in Beccenſibus ſcholis præter alias diſciplinas Theologiam & Jus Canonicum hoc ævo tradi conſueviſſe.

Studia literarum in S. Germani monaſterio reflorent.

In S. Germani etiam Monaſterio Pariſienſi, quod *à Pratis* appellationem traxit, hoc ævo literarum ſtudia refloruerunt, maximè ſub *Guilielmo Epiſcopi* Abbate, qui Præſul Jus Canonicum in Univerſitate Pariſienſi prælegiſſe fertur. Quid? quòd *Guilielmus* noſter *Totavillæus* S. R. E. Cardinalis, præcipuam Orbis Romano-Catholici Academiam, Pariſienſem nempe, tam Pontificia, quàm Regiâ authoritate anno 1452. ita feliciter inſtaurârit, ut

Academia Pariſienſis à Benedictinis condita à Benedictino inſtauratur.

à JOANNE LAUNOIO *literarum in Academia jam ſeneſcentium, ac diſſipatarum reductor & reformator* ſalutetur. Singularem enimverò Numinis providentiam, ut per Benedictinos reſtitueretur, per quos primitus fuerat inſtituta. Alius S. R. E. Cardinalis JOANNES GEOFRIDUS anteà Monachus Cluniacenſis hoc vivens ævo à *Jacobo* Cardinale Papienſi *Patriæ ſuæ decus, literarum ornamentum, & literatorum facilè Princeps* vocatur, nec immeritò, *ut qui*, teſte PIO II. Romano Pontifice, *literas memoriæ multas mandâſſet, & profanas & ſacras, & quidquid apud Latinos legitur, percurriſſet, ſelectiſque Philoſophorum & Poëtarum dictis referſiſſet memoriæ penum; ac de quacunque re ſermo incidiſſet, paratus eſſet aliquid dicere, & priſcorum dicta in medium afferre.* His duobus doctiſſimis Cardinalibus NICOLAUS

Cardinales docti ex Ordine S. B.

TUDESCUS, vulgò *Abbas Panormitanus*, & ipſe S. R. E. Cardinalis accenſendus venit, ut qui Jus utrumque in celeberrimis Italiæ Academiis, maximo ſtudioſæ juventutis concurſu, plauſu, ac fructu annis minimùm viginti fuerit interpretatus. Pari rerum eccleſiaſticarum peritiâ, & eruditionis laude conſpicuus enituit AYMERICUS *de Peyraco* natione Gallus, Decretorum Doctor eximius, & Abbas Moyſſiacenſis, inſignis Chronographus, de quo plura *Baluzius* in vitis Pontif. Avenion. Tom. 1. col. 415.

Illuſtres in Anglia Scriptores: Boſtonus Burienſis, Bibliographus.

Eodem ſeculo magnâ eruditionis famâ apud Anglos inclaruêre BOSTONUS *Burienſis*, JOANNES *de Lydgate*, THOMAS *Walſinghamus*, & THOMAS *Rudburnus*; & ille quidem in Burienſi S. Edmundi cœnobio monachus; ſupra ſuos concellitas induſtrius & laborioſus, quò rem literariam meliùs promoveret, univerſa ferè Angliæ Monaſteria & Collegia perluſtravit, Bibliothecas rimatus ubique libros conquiſivit, Scriptores ordine Alphabetico digeſſit, ætatem eorum ac vitam adjecit, quibusque in locis monumenta illorum invenirentur, curatè notavit; quod opus doctiſſimus Vir *Thomas Gale* Ss. Theologiæ Profeſſor, maximè commendat, ídque ſuo tempore juris publici faciendum, aut ſaltem ex illo *Lelandum* à ſe edendum, illuſtratum iri adpromiſit, utì refert *Whartonus* in Appendice ad *Cavei* Scriptores Eccleſiaſticos pag. m. 77. Alter

Joannes de Lydgate, Anglicæ linguæ defæcator,

ejusdem Monaſterii cœnobita ad an. 1440. clarus, poſt perluſtratas exterarum ſimul ac patriæ regionum Academias, humaniores literas ſuo in cœnobio profeſſus eſt, & edocendis Magnatum liberis gnavam dedit operam, multáque patrio idiomate poëmata componendo, multa ex Gallica, Italica, & aliis linguis vertendo, maximam ſibi famam apud populares ſuos peperit; *Elegantiæ ſermonis invigilans*, inquit Whartonus, *Anglicam linguam incultâ, quâ olim ſquallebat barbarie haud parùm defæcavit.* . . THOMAS

Thomas Walſinghamus, & Rudburnus, Hiſtorici.

verò *Walſinghamus* S. Albani Cantuariæ Monachus, ſcripſit de rebus Anglicis: *Rudburnus* autem cognomento *Junior*, Wintoniæ in S. Swithuni monaſterio profeſſus, Wintonienſis Eccleſiæ hiſtoriam egregiè illuſtravit. Prætereo alios aliarum gentium viros pari eruditionis laude iis temporibus ſpectabiles; quorum denique curâ & indu-

(s) Chron. Beccenſe pag. 15. extat ad calcem Operum B. Lanfranci, quæ Luc. Achor. in fol. edidit.

Literæ poſt diuturnum ſqualorem paulatim reſurgunt.

induſtriâ factum, ut doctrina fugatis ignorantiæ tenebris quaſi ab inferis emergeret, & bonarum artium linguarúmque ſtudium monaſteriis noſtris, ac univerſo ferè orbi chriſtiano ſenſim poſtliminio redderetur. Duplici id potiſſimùm cauſæ acceptum referri ſolet, captæ nimirùm à Turcis Conſtantinopoli, & inventæ eâdem ætate Arti Cuſoriæ ſeu Typographicæ. Expugnatâ enim anno 1453. Græcorum Metropoli, doctiſſimi quique gentis iſtius viri paupertate & barbarici jugi duritie coacti in occidentales partes, præſertim verò in Italiam ſeſe contulerunt, & non ſolùm Græcæ linguæ, ſed & omnis ferè melioris literaturæ ſcientiam Latio ſecum invexerunt; ſaltem Latinis, ut aliquid ſupra nodoſam ſcholarum diſciplinam ſapere contenderent, incitamento fuerunt.

Inventa ars typographica,

Dein reperta ſub idem tempus *Ars Typographica*, ſeu *Harlemenſibus*, ſen *Mogouis*, ſeu *Argentinenſibus*, aut etiam, *ut quidam volunt*, Monachis, id laudis debeatur, antiqua Eruditorum monumenta in lucem protraxit, recentiora majori celeritate propalavit, & ab interitu ſolertiùs vindicavit, atque ad poſteros tranſtulit. Cujus quidem novæ inventionis occaſione non ineptè monet Cl. P. *Oliverius Legipontius* (t), Monachos imprimendi artem ſuis in officinis diu ſecretò exercuiſſe, antequam propalaretur. *Superant enim*, inquit, *in Bibliothecis noſtris non pauca ejusmodi monumenta ſine calami vel pennæ uſu, ſed quemadmodùm* Saturni *tempore literas ferro vel ligno non conjunctim, ſed ſingulas ſigillatim imprimendo ab ipſis cœnobitis conſcripta, & hac arte excuſa, antequam de typographia cogitatum fuerit*. Opportunè tamen obſervat celeberrimus Annalium typographicorum Scriptor *Michaël Maittaire*, nihil temerè ad artem typographicam referendum, quod ante annum 1457. typis vulgatum venditatur.

quam Benedictini egregiè promovent.

Quantum verò ad divinam hanc artem ſeu formandam ſeu promovendam contulerint noſtri, paucis indicare lubet. In S. Jacobi Moguntiæ O. S. B. cœnobio hodiedum ſuperant duo Pſalteria in membranis excuſa, quorum alterum hanc in fine nobis inſcriptionem repræſentat: *Preſens Pſalmorum Codex venuſtate capitalium decoratus, rubricationibúsque ſufficienter diſtinctus, adinventione artificioſa imprimendi ac caracterizandi absque ulla calami exaratione ſic effigiatus, & ad laudem Dei ac honorem S. Jacobi eſt conſummatus per* JOHEM FUST *civem Moguntinum &* PETRUM SCHOIFFER *de* GERNSZHEIM *Clericum anno D.ni Milleſimo CCCCLIX. XXIX. die menſis Auguſti*. In altero ſic legitur: *Preſens Pſalmorum codex... adinventione artificioſâ imprimendi, ac caracterizandi, absque ulla calami exaratione in nobili civitate Moguntina hujus artis inventrice elimatricéque prima ſic effigiatus, & ad laudem Dei ac honorem S. Benedicti, per* PETRUM SCHOIFFER *de* GERNSZHEIM *conſummatus anno Domini MCCCCXC. ultima die menſis Auguſti*... Similia ferè legas in libro, qui *Catholicon* appellatur, anno 1460. ibidem impreſſo. Quæ profectò validè evincunt, artem illam, & in hac urbe adinventam, & ſub primis ſui ortùs incunabulis à noſtris egregiè adjutam ac promotam fuiſſe. Id quod manifeſtiùs apparebit ex aliarum perluſtratione provinciarum, in quibus Benedictini ſuas ad Typographiam conferendo ſymbolas, rem literariam egregiè auxerunt, ac inſigni beneficio cumulàrunt.

primùm Moguntiæ,

tum etiam in Anglia.

Et quidem in Angliam translata vix appulerat Ars illa, cùm ſtatim in Ordinis noſtri Monaſteria admiſſa fuit. Sic GUILIELMUS CAXTON inter primos Angliæ typographos celebris *Joannis Islip*, Abbatis Weſtmonaſterienſis, in cujus uſum opuſcula quædam & exſcripſerat & verterat, benevolentiâ adjutus, Weſtmonaſterii in magno Eleemoſynario (vulgò *thegreat Ambrey*) typographeum inſtituit. Excudebantur verò codices, ad argumentum maximâ ex parte theologicum, uſúsque ac ritus eccleſiaſticos pertinentes, *quorum major numerus*, inquit MAITTAIRE, *ad noſtram usque ætatem forſan perveniſſet, niſi, ut conjicio, in cœnobiorum poſteà diſſolutione, fervente* (quod plerumque fit in omnibus rerum cùm civilium tum religioſarum mutationibus) *reformationis* (ſeu veriùs defectionis ab orthodoxa fide) *æſtu, ſpoliati, quippe redolentes papatum, interiiſſent*.

Idem faciunt in Italia Sublacenſes Monachi.

Neſcio tamen, an non Itali Benedictini præ Anglis artem typopraphicam priùs expolire ſtuduerint. *Poſt Moguntiam enim*, inquit allegatus *Mait-*

(t) Differt. II. de MSc. & libris rarioribus. pag. 128.

Maittaire (u), Annalium typographicorum conditor, *nullus mihi occurrit, qui typographiâ expreſſe declaretur inclaruiſſe locus ante Sublacenſe Monaſterium, in quo* LACTANTII FIRMIANI *Inſtitutiones anno* 1465. *antepenult. Octob. in folio cuſæ fuerunt, optimo certè, & Romano charactere.* Opus profectò eâ artis pompâ ad amuſſim exactum, ut nemo, qui viderit, nomen typographi abeſſe non indignetur. Illud etiam non reticendum cenſeo, quòd loca quædam à *Lactantio* ex aliis ſcriptoribus allata, *Græcis typis* exarentur, at nitidiſſimis, quíque eos, quos poſtea *Conradus Schweinheim* & *Arnoldus Pannartz* Romæ uſurpabant, proximè referunt. Exemplar elegantis hujus Operis extat in Cæſarea Bibliotheca Vindobonenſi. Valde etiam credibile eſt, ut iidem Annales obſervant, ibidem prodiiſſe *S. Auguſtinum de Civitate Dei*, in quo nullum quidem nec loci nec typographi indicium apparet, quum tantùm appareat annus 1467. at ejus libri character cum charactere *Lactantii* in Monaſterio Sublacenſi excuſi idem prorſus eſt. Vir Cl. *Bernardus Montfauconius* in Diar. Ital. ægrè ſibi perſuadere poſſe affirmavit, libros excudi cœpiſſe in Cœnobio Sublacenſi, priusquàm in ipſa Urbe Roma; nullus tamen, reſpondet Eminent. Cardin. QUIRINUS, admirationi huic locus erit, ſi animadvertamus, Teutonicos Monachos eâ tempeſtate Monaſterium illud incoluiſſe, indéque cauſam Teutonicis Typographis datam, quàm citiùs ad Sublacenſem oram divertendi.

& Auguſtæ Vindelicorum Sant-Udalricani.

Anno 1463. Auguſtam Vindelicorum veniſſe Typographiam à *Melchiore Stambeimio* SS. Udalrici & Afræ Abbate ſuſceptam, ſcribit *Læſcherus* ex teſtimonio *Bernardi Hertſelderi* in deſcriptione Baſilicæ S. Udalrici pag. 181. *Michaël Maittaire* verò teſtem adducit *Joannem Adamum* in vitâ Joannis Guttenberg, quòd à *Joanne Bemler* ibi excuſa fuerit *Biblia Latina* anno 1466. item *Libri Dialogorum S. Gregorii M.* anno 1474. & *Speculum Hiſtoriale Vincentii*, in magno folio, teſte Carolo Stengelio in Comment. de Reb. Aug. part. 2. cap. 59. pag. 243.

Melchior de Stamheim, quis fuerit.

Fuit verò *Melchior de Stamheim* Monachus primùm Mellicenſis in Auſtria, tum Wiblingenſis (x) in Suevia; relicto enim Mellicio, in quo ſacri Ordinis profeſſionem emiſerat, Wiblingæ propè Ulmam domicilium fixit. Cùm verò vir eſſet admodùm facundus, & Doctor Legum, cum totius Conventûs San-Udalricani conſensû in Abbatem hujus Monaſterii conſtitutus fuit anno 1459. à *Petro de Schaumburg* Cardinali, cujus fuerat Conſiliarius, quemadmodum etiam erat ejus ſucceſſori *Joanni à Werdenberg*, & *Ludovico* Bavarorum Duci ab intimis conſiliis. Præfuit annis ſedecim utiliſſimè, quibus inter cætera conſtruxit Bibliothecam, quam multorum librorum ſtudiosâ coëmptione locupletavit.

Status rei literariæ in Suevia afflictus.

Anno 1473. *Henricus Lur*, Plebanus Dillingenſis in Suevia, ad *Melchiorem* Abbatem epiſtolam dedit (y), in quâ miſerum rei literariæ ſtatum in Ordine Benedictino per Sueviam deplorat. Viſum eſt, ex illa hoc loco pauca quædam excerpere. In viſitatione igitur monaſteriorum, quam juſsû Superiorum per Diœceſin nempe Auguſtanam inſtituit, paucos ſe literatos inveniſſe monachos ſcribit his verbis: *Deſcendi etiam aliàs ad diverſa monaſteria, & ad Fratrum prædulcia colloquia, quærens honeſta ſolatia, in mutuâ tamen ædificatione. Non reperi inter eos qualificatum in ſacra Theologia, quæ ſtudenda eſt, ut ſtudentes inimicos veritatis deſtruant, & minùs eruditos erudiant, ipſi perfectiùs viam veritatis agnoſcant, altiùs ſecreta Dei intelligant, acriùs ament, quorum nimirum devotio eſt laudanda, & imitatione digna. Nec comparuit ſcholaris Juris Canonici, cujus ſubjectum eſt homo Catholicus, dirigibilis ad vitam æternam per Eccleſiæ ſtatuta. Nec aliquis de palatio Juſtiniani. Et cùm ducerer in admirationem, dum talium nullus affuit, tacitum reſponſum habui: quia avaritia nil permittit exponi pro acquirendis ſcientiis.*

Henrici Lur eâ de re teſtimonium.

Abbatum avaritiam perſtringit.

Hîc verò in culpam vocat certorum Abbatum avaritiam, quorum tota induſtria verſaretur circa magnas divitias acquirendas, & ſtructuras altas erigendas, parum de æternis. Quòd cum divitiis Cræſi permiſerint Ordinem ſuum ad infimum ignorantiæ ſtatum pervenire. *Quòd Theologiam dominam, & magiſtram omnium ſcientiarum cum ſuis pediſſequis ab Ordine excluſiſtis, & jam longo tempore nul-*

(u) Rem pleniùs enarrat Cherubinus Myrtius Decanus Sublacenſis in Chronico MS.to hujus Monaſterii apud Armell. in Bibl. Caſin. part. 1. pag. 116.
(x) Annal. Wibling. pag. 47. vide etiam Bibl. Mellic. c. 61. p. 340.
(y) Extat apud Pezium Theſ. Noviſſ. Anecdot. Tom. 6. pag. 404.

Digitized by Google

Lycæum ſuadet erigendum

nullum ad ejus ſcholas miſiſtis, Jeſabel matre parcitatis probibente, & invidiâ diaboli cooperante. Sub hæc ad ſtudia inſtauranda adhortatur, præprimis ad Lycæum erigendum, ubi literis operam dare poſſent Religioſi. *Ideò rogo, moneo, & bortor vos tanquam bumilis ſervus S. Benedicti, ut morâ poſtergatâ diligentem operam impendatis, ut in Ordine erigatur Gymnaſium, aut pro quibusdam Monaſteriis Gymnaſia, ut Ordo in toto, aut in parte ſcientiis illuſtretur, ut ejus ſuppoſita poſſint & valeant aſcendere gradus ſcalæ, de qua ſuprà, & dicetur infrà, & reſiſtere Ordinem exire aut dirimere volentibus. Quod ſi feceritis in loco propinquo, morâ ruptâ dabo omnes libros meos in artibus Monaſterio* Wiblingen, *pro uſu Ordinis & ſtudere volentibus. Et niſi reſolutio corporis mei impediverit, deſcendam tanquam veteranus ad locum talem, & ponam fundamentum tale, quale apparet in epiſtola noviter conſcripta de tribus proceſſibus, videlicet ſenſûs, intellectûs, & voluntatis, mercedem à Deo recepturus.* Hactenus ille. Quid verò ſuis promiſſis, obſecrationibus, atque adeò obteſtationibus effecerit, memoriæ proditum non legi. Ejus tamen literas aliquid momenti atque efficacitatis habuiſſe, ex eo conjicio, quòd *Elchingæ*, quod celebre Ordinis noſtri monaſterium in Suevia eſt, milliari Germanico Wiblingâ diſſitum, diœceſis Auguſtanæ, Gymnaſium excitatum fuerit, de quo ſeculo ſequenti recurret ſermo.

in Wiblingenſi monaſterio,

quod in Elchingano excitatum.

Literarum ſtudia in Congr. S. Juſtinæ & Burſfeldenſi inſtaurantur.

Illud magis cognitum habeo, quòd hoc ævo duæ percelebres Congregationes ad inſtaurandam Ordinis diſciplinam monaſticam magnâ ex parte collapſam inſtitutæ fuerint, in Italiâ nempe *S. Juſtinæ*, in Germaniâ verò *Burſfeldenſis.* Prior anno 1408. altera an. 1435. Ubi notat *Cl. Gæbelius* (z), quòd cùm in hac utraque, tum in antecedentibus, ac ſubſequentibus Ordinis reformationibus ſemper reſpectum fuerit ad revocanda iterúmque ſtabilienda literarum ſtudia. *Facile,* inquit, *id probatu eſt ex Circularibus Caroli M. ad Abbatem Fuldenſem directis tom. II. Concil. Francoford. pag.* 121. *Ex reformatione S. Benedicti Anianenſis, & Cluniacenſis, quam Berno & Odo inſtituerunt; ex Conſtitutionibus Congregationis Burſfeldenſis in Germania, S. Juſtinæ in Italia, Vallisoletanæ in Hiſpania, S. Mauri in Gallia, SS. Hidulphi & Vitonis in Lotharingia, SS. Angelorum Cuſtodum in Bavariâ.* Exiſtimabant nempe Ordinis Superiores, ídque funeſtâ ſeculi decimi tertii ac quarti experientiâ didicerant, tantam eſſe virtuti ac regulari obſervantiæ cum doctrinâ neceſſitudinem, ut altera ſine altera vigere vix poſſit, neglectíſque ſemel literarum ſtudiis latiſſimus ad vitia quæque aditus citò pandatur. Præ oculis verſabantur tot ex Ordine avulſa monaſteria, in quibus otio ac ignaviâ diſſoluti cœnobitæ ex malis monachis in pejores ſe transformârunt Canonicos.

Non tamen in ſingulis cœnobiis.

Ab initio tamen, ut fateamur, quod res eſt, non continuò in omnibus Congregationis *S. Juſtinæ* monaſteriis magna ſtudiorum ratio habita fuit. Cognoſcere id licet ex epiſtola, quam *Hieronymus Alliotus* (a) ad Franciſcum Choppinum anno 1446. exaravit. Erat verò is *Hieronymus* ex nobili ac vetuſta familia Aretii natus: Vir in latinis literis apprimè excultus, & religioſæ pietatis eximius ſectator; cùm monaſterii SS. Floræ & Lucillæ in patriâ Abbas eſſet *Commendatarius*, acceptâ famâ Congregationis S. Juſtinæ (nondum enim *Caſinenſis* appellabatur) ſanctitatis fervore per ea tempora celebris, ſponte ſe in Ordinem redigens, & Commendam abrogans, Monaſterium ſuum, ac ſeipſum eidem Congregationi adjunxit, diſciplinámque monaſticam invictâ conſtantiâ ibidem reſtaurans, eam ad extremum usque vitæ ſpiritum, proprio exemplo præeunte accuratiſſimè cuſtodivit. Nec minùs de literarum ſtudiis ſollicitus fuit; de quorum ſtatû, quinam ſuo tempore in Congregatione S. Juſtinæ fuerit, in epiſtola ad *Choppinum* data ita aſſerit: *Multa eſſe fateor Monaſteria Ordinis noſtri, quæ ſanctiſſimè agunt, ſed illa ob rigorem & acrimoniam victûs, nec mibi, nec debilioribus quibúsque conducunt; præterea tantum temporis Pſalmodiæ, ac Orationi impendunt, ut ad divinas literas veſtigandas, & myſtica ſacramenta intelligenda nibil reliquiarum ſuperſit.* Quare jam pridem „conſilii fuit, quamprimùm, Deo „volente, nactus fuero facultatem, „ſicut rigoris aliquid jejuniorum la„xare, ita divinis ſcripturis, atque „opti-

Quis ſtatus literarum in Congreg. S. Juſtinæ fuerit.

(z) In Scholiis ad Herm. Conringii Supplem. Diſſert. de Academ. Antiq. n. 30. pag. mihi 503.
(a) Armell. Bibl. Caſin. part. 1. pag. 201.

„ optimis diſciplinis dare operam di-
„ ligentem , & ab iſtis ſanctiſſimis
„ Monachis , quos ſuprà memoravi,
„ cælibem & pudicam vitam , ab aliis
„ quibusdam Religioſis eruditionem ac
„ legendi ſtudia mutuari. Genus hoc
„ & inſtitutum vitæ, quod ipſe ample-
„ cti cupio, haud ſanè eſt novum, ſed
„ neglectum diu à noſtris jam obſo-
„ levit. Atque ipſe , utì fortè noſti,
„ dum eſſem Romæ , inſectatus ſum
„ duobus libellis hanc illorum opinio-
„ nem, qui ſtudia monachis non per-
„ mittunt, & ſancti viri, ſed in hoc,
„ aut ipſe ſallor , aut ipſi falluntur ,
„ ſimilis ut mihi videtur , diſceptatio
„ & controverſia inter Religioſos no-
„ ſtri temporis agitatur, ut qui humi-
„ litatem ſectantur, ſcripturarum co-
„ gnitionem deſpiciant; qui verò ſtu-
„ dia profitentur, elatiores ac tumidi
„ vitam non ſatis puram videantur
„ tranſigere. Ego verò cupio me re-
„ ferre ad veteres Patres noſtros , *Ba-*
„ *ſilium* , *Benedictum* , *Gregorium* ,
„ *Bernardum* , *Hieronymum* , & ple-
„ rosque alios , qui vitæ puritatem
„ cum eximia quadam ſcripturarum
„ cognitione junxerunt. Illos com-
„ plecti & obſervare, tanquam ille *So-*
„ *crates* ſapientiam divinæ literaturæ ad
„ mundi contemptum adjicere &c. „

Abbatis Allioti vindiciæ ſtudiorum monaſticorum.

Hæc & plura Abbas *Alliotus*, qui cùm libellos conſcripſiſſet duos contra eorum opinionem, qui monachis ſtudia non permittunt, eos *Jo. Mariæ Papienſi*, Priori Abbatiæ Florentinæ, evolvendos miſit his verbis : *Mitto vobis Codicem , in quo de Monachis erudiendis libri duo continentur , ſed eo pacto , ut à vobis percurratur totus , priusquàm à Monachis veſtris ullâ in parte legatur ; percurſo enim libro, fortaſſis prudentia veſtra judicabit , in eo contineri nonnulla , quæ perturbare, ac ſcandalizare puerulos queant ; editus eſt à me dum in Curiâ liberiùs agerem. Et quia auribus illorum, inter quos tunc obverſabar , pruriendum fuit , propterea laſcivienti calamo fræna permiſi.* Hos ipſos binos libellos *de erudiendis Monachis* ad EUGENIUM IV. Pont. Max. mittens, *Ille ego ſum* HIERONYMUS, inquit in epiſtola, *qui ſuperiore anno, cùm eſſem Romæ , opuſculum miſi ad Sanctitatem Veſtram, quod inſcripſeram* De Monachis erudiendis; *paulò poſt febri occupatus graviſſima , me Florentiam contuli , recuperandæ valetudinis cauſa. Exemplaria tamen Opuſculi mei adhuc penes me recondita ſunt, nec illa efferre, atque in lucem dare conſtitui , priusquàm mihi compertum ſit judicium Sanctitatis Veſtræ. Neque enim hactenus mihi eſt exploratum , quid S. V. ſentiat, & quam magis partem probet in ea controverſia , quæ inter doctos, ſimplicésque verſatur , ea de cauſa cùm nonnulli à me libellum vel importunè petierint , nemo tamen adhuc potuit illum mihi è manibus extorquere &c. Florentiæ die 6. Novembris* 1445.

Viſio cujusdam Monachi febricitantis.

Quod verò id temporis alumni Congregationis S. Juſtinæ animi ancipites fluctuaverint, an ad ſtudia literarum ipſis incumbere liceret , ſuſpicor , in cauſa fuiſſe *viſionem* illam, quæ monacho cuidam in extremis agenti (b) objecta fuit. „ Erat
„ in Monaſterio S. Juſtinæ monachus
„ quidam nomine , ſed vitâ & mori-
„ bus penitùs alienus , *Martinus* vo-
„ catus , natione Papienſis. Venetias
„ cum Abbate S. Juſtinæ aliquando
„ profectus peſte percuſſus eſt, & eâ
„ die circa primam horam noctis vi-
„ ſus eſt ſpiritum exhalâſſe , ita quod
„ per horæ unius ſpatium ab omnibus
„ mortuus crederetur. Lapſo unius
„ horæ ſpatio cœpit, qui mortuus vi-
„ debatur, anxiare , & apertis oculis
„ clarâ voce ſervientes vocavit, & præ-
„ ſente Priore ait : *ô Pater ! ego fui ductus coram Patre noſtro ſanctiſſimo* BENEDICTO, *qui ſplendidus erat velut ſol; erâtque in medio duarum magnarum ſtellarum , ſclicet ſancti* MAURI , *& ſancti* PLACIDI, *& circa ipſos vidi infinitam multitudinem monachorum, qui omnes velut ſtellæ fulgebant. Et ego tremens ſtabam coram Patre noſtro* S. BENEDICTO, *qui me cœpit duriſſimè increpare de negligentiis meis, de impatientia, & de ſuperbia, eò quòd volebam in religione addiſcere literas.* Et dixit dolenter : *Heu miſeri ! qui non cognoſcitis vocationem veſtram , & gratiam, quam habuiſtis à Spiritu ſancto !* Nun-
„ quid donat vobis Spiritus ſanctus
„ gratiam fervoris , ut relictis patre ,
„ matre , cognatis, amicis , & omni-
„ bus temporalibus bonis intretis re-
„ ligionem , ut ibi diſcatis literas, &
„ conturbetis charitatem fraternam,&
„ non potiùs diſcatis virtutes à Chri-
„ ſto, qui dixit: *Diſcite à me , quia mi-*
„ *tis ſum & humilis corde*, ut & vos in
„ humilitate & manſuetudine Deo ſer-
vien-

(b) Venerab. Ludovic. Barbo Epiſcopus Tarviſ. O. S. B. libro de initio & progreſſu Congr. S. Juſtinæ cap 8. apud Pezium Theſ. Anecdot. tom. 2. part. 3. pag. 294.

„ vientes digni ſitis venire in hunc a-
„ mœniſſimum locum , ubi in mo-
„ mento, ſi eritis in ſtatu ſalutis, om-
„ niſcientiâ pleni eritis , & omnium
„ rerum , ſeu creaturarum proprieta-
„ tes , virtntes , & ordinem cogno-
„ ſcetis , ſicut tu vides. Et dixit in-
„ firmus : *ô Pater Prior ! utinam eſſent hîc omnes fratres, qui moleſtant Patres, & volunt addiſcere literas ; ſpero, quòd amoverem ab eis hanc periculoſam tentationem.*

Unde orta quæſtio : liceátne monacho literis vacare?

Atque terrificam hanc viſionem , ut primùm per Congregationis S. Juſtinæ monaſteria vulgata eſt, in causâ fuiſſe, quòd multi Monachi à literarum ſtudiis excolendis animum ſejunxerint, apud omnes hodie in confeſſo eſt. Nec in primordiis tantùm hujus Congregationis, ſed poſt exactos centum & plures annos viſionis iſtius memoria non paucos in dubitationem adduxit : *Licerétne Monacho literis operam dare ?* Teſtem hujus rei habemus *Joannem Baptiſtam* FOLENGIUM , Abbatem S. Mariæ de Pyro in Marchia Tarviſina , literis humanis ac divinis ornatiſſimum. Is cùm non doctrinæ modò præſtantiâ, ſed morum quoque probitate ac religioſæ prudentiæ laude excelleret, à PAULO IV. Pont. Max. cui erat familiaris , ad viſitanda & reformanda Monaſteria noſtri Ordinis in Hiſpania anno 1555. miſſus fuit. Collegas in hoc reformationis negotio habuit *Eutychium Feſtinum* Abbatem , & *Hieronymum Sylvam* monachum ſuæ Congregationis. Hi , cùm iter facerent, ſæpiùs ex *Folengio* ſciſcitati ſunt : *Licerétne Monachis literarum ſtudiis operam navare ?* Ad hanc quæſtionem quid reſponſi *Folengius* dederit , ex ejuſdem epiſtolâ diſcimus, quâ prædictis *Eutychio Feſtino* , & *Hieronymo Sylvæ* Commentaria ſua in Canonicas Apoſtolorum Epiſtolas inſcripſit. Hanc epiſtolam lectû digniſſimam huc tranſcribere viſum eſt. Etſi verò priora hujus epiſtolæ huc pertinere non videantur ; quia tamen ſine iis poſteriora ritè intelligi non poſſunt, etiam priora omittenda non ſunt.

Jo. Bapt. Folengii epiſtola.

Reverendis Eruditiſque Monachis Eutychio Feſtino Abbati , Hieronymóque Sylvæ , ſuis in legatione ad Hiſpanos Monachos Collegis Joannes Baptiſta Folengius
S. P. D.

„ Cùm duplex ſit ratio inprimis res
„ ſacras interpretandi , collegæ erudi-
„ tiſſimi : ea mihi ſemper viſa eſt cùm
„ excellentior, tum tutior, cujus du-
„ ctu pars illa animæ , in quâ amor
„ verſatur , perfici ſolet , quàm illa,
„ quâ acuitur intellectus , atque ad per-
„ veſtiganda ea nonnumquam , quæ
„ ſenſum humanum excedunt , inci-
„ tatur. Tum illnd maximè me mul-
„ tùm movere ſolet, quâ fit interdum,
„ ut ſecuriori omiſſo tramite, in illud
„ potiſſimè incumbimus , ferimúrqne
„ (ut dicitur) & remis & velis , quò
„ tanquam portû adepto nunquam ſe-
„ curus ſit animus & quietus. Sic eſt
„ natura intellectûs : ſecus verò amo-
„ ris. Sed de his poſtea in commen-
„ tariis ipſis , quos modò veſtris au-
„ ſpiciis molimur , nonnulla fuſiùs.
„ Faxit Deus, ut quæ diu veſtro hor-
„ tatu in explicandis difficillimarum
„ rerum mæandris ac nodis , quibus
„ Apoſtolorum Scripta paſſim redun-
„ dant, parturio : ea demum tanquam
„ emiſſo fœtu aliqua cum felicitate
„ pariam. Cæterùm tota mea hac
„ in re felicitas erit , ſi me ſcopum
„ tam altum abſtruſúmque , ſi non
„ aſſecutum , at ſaltem aſſequi voluiſſe
„ cenſebunt homines , conatúmque
„ laudabunt. Atqui in literis profanis
„ ſolent docti nullum genus literarum,
„ quod quis ſuo (ut ajunt) marte mini-
„ mè cuderit, approbare ; iccirco com-
„ mentaria omnia vel faſtidiunt ; vel
„ ſi quid in illis eruditè eſt dictum, ut
„ de multis legimus, eiſdem tamen ne
„ mediocrem quidẽ locum concedunt
„ inter autores. Aliter autem in ſacra-
„ tioribus comentandis literis æquiores
„ ſeſe exhibebunt judices : ſi ingentes,
„ multáq; lucerna elucubratas cùm Græ-
„ corum , tum Latinorum comentatio-
„ nes, in quibus maximoperè deſudârũt,
„ volvere non pigebit. Illis itaque, qui
„ tali utuntur judicio, adeò non aſſen-
„ tior : ut eos quoque admodùm erra-
„ re exiſtimem ; quandoquidem ſua pri-
„ mùm ſervatâ Apoſtolis in ſcribendo &
„ majeſtate & gloria , proximum tenent
„ locum ii , qui in comentaodis eorum
„ ſcriptis , dilucidandiſque myſteriis fi-
„ dam operam navant. Neque id dico,
„ optimi collegæ, quò me inter priſcos,
„ ſanctiſſimóſque , & graves & doctos
„ autores añumerari appetam ; auſím-
„ que inter olores utì anſer improbus
„ ad Mæandri ripas perſtrepere : ſed quò
„ vos alioquì viros prudentiſſimos mini-
„ mè fugiat , me in ſtudiis nequaquam
„ nihili , ociíque ignobilis vel calamum
„ vel ingenium attriviſſe meum. Mul-
„ tum ſanè quidem referre arbitror , in

Voluntas præ intellectu excolenda.

Comentandi in ſacris literis ſtudium illuſtre habetur.

„quo

„ quo quis gradu primum ſcalæ pe-
„ dem defigat. Scalæ porrò cœleſtis,
„ quam à cœleſtibus planéque divinis
„ erectam eſſe Apoſtolis videmus, vel
„ imum ipſum gradum occupâſſe viva-
„ cioris indicium eſt animi, gloriæque
„ ſplendidioris fundamentum, quàm il-
„ lorum, qui in interpretando eruditiſ-
„ ſimo Philoſophorum omniũ Platone
„ ſupremum. Sed ad inſtitutum redeo,
„ rationéqne priùs reddita, cur hunc
„ mihi interpretandi difficillimarum
„ rerum laborem, vel primus qui iſtuc
„ egerim integrè, deſumpſerim: quód-
„ que ex me ſæpiſſimè quæſiviſtis, ad
„ alteram deſcendam petitionem ve-
„ ſtram, quæ talis fuit: Liceretne mo-
„ nacho literis operam dare, ſimul atq;
„ ſe Deo nudè ſemélqne addito etiam
„ juramento conſecrârit, evulſerítque
„ à mundi planſu, atque iis omninò re-
„ bus, quæ cùm bonæ ſint, animum
„ tamen à præſtantioribus bonis aver-
„ tere, ſenſímque ſumovere videntur:
„ ut ferè ſunt literæ, earúmque tum
„ uſus, tum ſtudium. Ajebatis enim,
„ vos quodam in libello à Barbo Ve-
„ neto noſtræ Reipublicæ fundatore
„ ſcripto de monacho legiſſe quodam,
„ qui cùm in ipſis primis exordiis re-
„ formationis noſtræ lethaliter ægro-
„ taret, dira permulta prædixerit com-
„ minatúsque fuerit monachis illis,
„ qui literas diſcerent, quaſi una ea
„ vel ſola futura eſſet ratio, quamob-
„ rem vis tota religionis infringi de-
„ buiſſet & extingui. Hujusce itaque
„ difficultatis nodum ut potero expli-
„ cabo. Sed priùs ad primum, ad ſe-
„ cundum poſteà. Cùm igitur aſſiduis
„ occupationibus, quibus ob credi-
„ tam mihi Bondenaciarum eleemoſy-
„ narum diſpenſationem, gravem il-
„ lam quidem, & curarum plenam,
„ diſtineor, illic ſæpè mihi eſſe neceſ-
„ ſe ſit, quod otii tunc ſupereſt, id
„ totum ſuccíſivis ſecundariiſque qua-
„ ſi temporibus cùm ad legendum,
„ tum ad ſcribendum aliquid, quod
„ mihi ſit utile futurum, impen-
„ do. Quid, quæſo, aliud à mona- Scribendi ſtudium eſt utile monacho.
„ cho vel ceſſatore, vel in preca-
„ riis quoque iſtius generis occupa-
„ tionibus diſtricto peragi debet? Ea
„ ſiquidem natura humani eſt ingenii,
„ ut niſi aſſiduè colas, ſylveſcat faci-
„ le. Sed mirum quàm totus egomet
„ mihi in omnibus meis ſtudiis diſpli-
„ ceo, cùm antem ſcribo, placeo.
„ Non quòd certè ſcripturam ipſam
„ meam talem eam quidem eſſe judi-
„ cem, quæ aut me multum, aut
„ alios oblectare poſſit: ſcribo tamen
„ exercitatione ipſa ſcribendi con-
„ tentus: nam id laboris genus, quod
„ mihi cum ſtudioſis quàm plurimis
„ commune eſſe video, quóque ego
„ libentiſſimè utor, ad ſedandas mei
„ veteris Adæ appetentias, frœnan-
„ dásque cupiditates, æquè eſſe ſta-
„ tui, atque è tuſſi antiqua laboran-
„ ti eſſe ſolet ecligma. Devorent alii,
„ per me licet absque calamo, quà
„ ſuos quà aliorum libros: ego verò
„ interim hiſce meis delinctoriis non
„ tam frequenter utar, quàm mihi
„ interdum ex cauſis neſcio quibus
„ uberiorem illorum frequentandi
„ uſum intercíſam eſſe occaſionem
„ querar. Nihil profectò in hac mea
„ maximè præcipitata jam ætate tam
„ aveo, quàm confirmatum tutúm-
„ que meæ quietis ſtatum: qui quo-
„ niam vita hæc præſens rotæ inſtar
„ vago perenníque agitatur motu:
„ hoc tamen minùs fugaci irrequie-
„ táque concitatur orbita, quòd hi
„ minimè deſunt, qui ut poſſunt, ita
„ nihil potius habent, quàm ut cui-
„ libet, quod illorum ſit conſenta-
„ neum naturæ cùm attribuant, tum
„ modum rationémque, quâ id com-
„ modiùs effici poſſit, perveſtigant.
„ Itaque commentariolos in divi Ja-
„ cobi epiſtolam unicam, & in divi
„ Petri duas illas difficillimas inter
„ pias Bondenacii mei curas ſuccíſivis
„ (ut dixi) elucubratas horis ut po-
„ tui perſeci: quàm verò feliciter, ego
„ mox videro. Sed ad poſtremam
„ nunc venio veſtræ petitionis par-
„ tem, de monacho illo, qui in ex-
„ tremo halitu vitæ poſitus nonnulla
„ præviderit: horrida illa quidem &
„ pavoris plena, in monachos ventu-
„ ra eos, qui literis operam dediſſent.
„ Ego ſic viſum interpretor. Cùm Viſionis ſuperioris interpretatio.
„ quidem monachi finis ſit in terris
„ mors ea ſenſuum, quam parit odium
„ tum ſui tum mundi: illis omnibus,
„ qui mortem iſtiusmodi feliciſſimam
„ aſſequi contendunt, neceſſarium vi-
„ detur, ut impedimentis (cujuscun-
„ que tandem generis ſint, quamvis ad
„ ſpeciem honeſtis ac utilibus) abje-
„ ctis, in Deum mortis hujuscemodi
„ conciliatorem ullo abſque medio
„ alio præterquàm amoris ferantur.
„ Studium certè literarium ſobrium
„ ſumptúmque maturè & temperan-
„ ter à monachis, quibus via magis
„ amoris uſui eſſe debet, quàm intel-
„ lectus, laudari ſolet à patribus illis
„ noſtris, atque à nobis inprimis, qui

in

„ in ſpirituali harena planè attriti at- „ queexercitati facti ſunt velut arie- „ tes filiorum Dei. Ad quos ſanè „ filios illud ſpectare arbitror, Afferte, „ inquit, Domino filios arietum, af- „ ferte Domino gloriam & honorem. „ Is porrò honor, is cultus, hæc glo- „ ria, ad animum potiſſimùm refer- „ tur, & integrum, & innovatum, & „ ob aſſiduas rerum divinarum con- „ templationes, crebráſque in perdi- „ ſcenda Chriſti vita exercitationes „ fervidum, nudum, ſimplicem, ſuí- „ que ſemper haudquaquam diſſimi- „ lem. Officiátne verò tam ſanctis co- „ natibus, an utile ſit ſtudium nimis „ anxium literarum, hi benè nôrunt, „ qui viâ paulum intellectûs ſatis ex „ ſe arrogantis, atque (ut dicere ſolet „ Polus graviſſimus rerum iſtius gene- „ ris diſceptator) impudentis poſtha- „ bitâ, illam, quam terit amor, per- „ vigili ſectantur ſtudio. Oſtenſa qui- „ dem via, quâ iter eſt ad Deum, amo- „ ris, ſiſtit ſe in ſuis finibus intellectûs; „ amor autem prætervolat, apprehen- „ ditque dilucidè, quod fuit ab intel- „ lectu oſtenſum, & obſcurè & per- „ plexè. Ajunt patres intellectum „ humanum eſſe tanquam ſtatuam „ Mercutialem, quæ viam oſtendit, „ amorem autem vehiculum: qui „ amor jam præmonſtrati boni ardore „ accenſus, præproperúſque quaſi ef- „ fectus quieſcere non vult quoad „ ejus in amatiſſimum ſimpliciter ſeſe „ inſinuet: neque ſingillatim interea „ quæ de Deo propoſuit intellectus, „ perveſtigat diſtinguítque: ſed actu „ uno puriſſimo contentus in Chriſti „ amore, termino nimirùm laborum „ noſtrorum ſoporatur, requieſcítque, „ unius planè naturæ cum ſuo amato „ effectus: more ſcilicet ſurculi in ar- „ bore inſerti, aut guttæ aquæ in „ oceanum projectæ. Atqui viæ hu- „ juſce nobiliſſimæ amoris veterum „ monachorum veſtigiis frequentatæ „ pertritæque mirabiles hi ſemper ex- „ titêre fructus, pax mentis, quies, „ terum caducarum deſpicientia, ſe- „ curitas, Dei fruitio. Ab altera ve- „ rò ferme (niſi diligenter caveris) „ prodire ſolet faſtus, vanitas, vitæ „ ſpiritualis faſtidium, amor proprius, „ ambitio, rabida ſcilicet illa feráque „ aſſequendorum honorum Erynnis, „ orexiſve & improba & deteſtabilis. „ Quæ profectò omnia veterum inſti- „ tuta ut faſtidiunt, ſic faſtidita & „ omittunt & oderunt. Ecquid? Li- „ teras etiam ſacras non ſuis cùm lo- „ cis tum horis amatas quæſitáſve, „ tranquillitati otióque illi, quod ad „ monachos pertinere diximus, utiles „ neutiquam eſſe, quis ex noſtris li- „ terarum ſtudioſis non experitur? „ Multò id magis de profanis fabulo- „ ſiſque literis, quas tamen mitiori- „ bus honeſtare ſolemus titulis, cen- „ ſendum erit. Quæ certè literæ tam „ aptè conveniunt monacho, quàm „ bovi conveniunt clitellæ, aut uro „ ephippia aut phaleræ. Vultiſne di- „ cam unico verbo rei ſummam? „ Monachus totus ſpiritualis eſſe de- „ bet, atque à mundi neceſſitudine „ ſecretus. Ita requirit illius profeſſio, „ ita ſolitudo, ita ipſum nomen, ha- „ bitus, victus, vocatio, & demùm „ pollicitationes vel ſequeſtro jura- „ mento factæ Deo. Ad literas au- „ tem adire, quò doctus habearis re- „ puteriſque, cura ſanè ridicula eſt „ ac vana. Nec eſt ſubindè verendum „ de conciliis, quin optatum finem „ nanciſcantur ſuum, niſi monachi, „ quorum præcipuum id eſſe debet „ ſtudium, ut ad Chriſti pedes inco- „ gniti quà ſua quà aliorum fleant „ peccata, interſint literati mitratí- „ que. Fingimus enim, formamúſque „ nonnunquam in nobis ratiocinatio- „ nes neſcio quas, ſpecie quidem „ plauſibiles & gratioſas; ſed quæ „ ſenſim à propoſito ſine noſtros ſuf- „ furantur animos. Amor quippe „ non tam literarum, quàm mundi „ hujus impoſtoris obſcœniſſimi iſtius „ generis occupationes noſtrum ad „ illudendum intellectum machinatus „ eſt, atque tam altè noſtris inſevit „ animis, ut perpaucos jam invenias, „ qui quorſum parentes ipſos ſuos „ chariſſimos, quorſum affines, quot- „ ſum amicos, quorſum patriam hiſ- „ ce omnibus jucundiorem relique- „ rint, cogitent. Hæc omnia (*puto*) „ eò ſpectant, ut qui id audeant, hi „ ſe mundo tum mori velle atteſten- „ tur, præque ſe ferant ſublimiorem, „ ſe inquirere profeſſionem: eam ni- „ mirùm, quæ tota in caligine divini „ amoris (ſic eam appellat *Dionyſius*) „ immerſa nihil approbat, quod vel „ parùm quidem à jam concepto ſen- „ ſu illo beatiſſimo & cœleſti mentem „ avocat & retardat. Id cenſeo illo „ in ſpectro præſenſiſſe ægrotum, cùm „ à perdiſcendis literis deterruit mo- „ nachos. Tantum verò abeſt, ut ſu- „ pinos hîc monachos atque inertes „ laudari opiner (quis tales unquam „ laudaret ſtipites?) ut acutiſſimis „ eos

Literæ profanæ ac fabuloſæ Monachos dedecent.

„ eos etiam morſibus dicteriiſque im-
„ peti debere judicem. Nam à lite-
„ ris, quo otioſus pergræcari quis poſ-
„ ſit, abhorrere, huic tam aptè Teren-
„ tianum illud convenire exiſtimo,
„ quàm quod aliud maximè falsè di-
„ ctum. Caudex, ſtipes, aſinus, plum-
„ beus. Nihil ſanè turpius inter ho-
„ mines cerni poteſt, quàm monachus,
„ qui utraque orbatus ſit diſciplina;
„ hoc eſt, cui neque via intellectûs,
„ neque amoris eſt nota: quamquam
„ poſterior hæc ſimplici quæſita ſtu-
„ dio ac trita ſufficere debet mona-
„ chis. Quare quæcunque ab hoc
„ nos itinere deturbare poſſunt, aut
„ abjicienda omninò ſunt, aut dele-
„ ctu habito temperanda. Credo
„ equidem divinam eam de altari ex
„ lapidibus incultis infabricatiſque
„ erigendo ſanctionem futuros quo-
„ que monachos ſpectâſſe, qui pretio-
„ ſioribus mundi rebus calcatis, ſpre-
„ tiſque, puro quaſique nativo affe-
„ ctu Deo litaturi erant in ſpiritu &
„ veritate. Eſt & aliud animadverſum
„ hac in re incom̃odum, ut ferè mo-
„ nachum illum morientem animad-
„ vertiſſe ſuſpicer. Prævidit, puto,
„ homo ille jam agens animam, id-
„ circò purgatioris ſenſus, atque à
„ craſſioribus corporis vinculis pro-
„ pemodùm liberi, genus iſtuc noſtræ
„ obſervantiæ (quod vocant) regula-
„ ris qua maximè decor religionis per-
„ ornatur, à literarum ſtudioſis facilè
„ contemptum iri: illóſque non tam
„ rem aliam deteſtaturos, quàm à literis
„ avocari, quæ literæ totas ſibi horas
„ vendicare ſolitæ ſunt: atque ſi ſecus
„ accidat indignari, cavereque quan-
„ tum poſſunt ſucciſivis: proindéque
„ commoda corporea, delicias, im̃u-
„ nitates, & demùm quæcunque ani-
„ mi cauſa nanciſci poſſunt undequa-
„ que venari. An verò habita om-
„ nium ratione in locis id agi queat
„ illis, in quibus com̃unitatem, con-
„ ſociationémque vitæ unam ad om-
„ nes ejuſdem collegii homines per-
„ tinere natura etiam ipſa rerum fate-
„ tur, difficile videtur. Alia quidem
„ res eſt cœnobia monachorum quem-
„ piam habitare velle, alia literarum
„ ſcholas. Verùm quoniam abſur-
„ diſſimum eſſet ſtatuere monachos
„ poſt continuas in orationibus vigi-
„ liiſque, atque illis tantoperè neceſ-
„ ſariis laboribus corporeis, exercita-
„ tiones, nullo debere uti literarum
„ ſtudio. Dicam, quod hac de re à
„ doctiſſimo Polo accepi. Miles, in-
„ quit, Vegetium legat, Curtium, Li-
„ vium, Cæſarem: Medicus Gale-
„ num, Meſuen, Hippocratem: Ora-
„ tor Tullium, Platonem Academi-
„ cus volvat, Peripateticus Ariſtote-
„ lem: & demùm quilibet eos legat
„ libros & auctores, quorum præce-
„ ptis ea in arte, ac quam profitetur
„ diſciplina fieri queat perfectus. Alio-
„ quin Euclidem non legat, qui in re
„ agraria nauticáve, aut piſcatoria
„ perdiſcenda ſe exercet. Sic mona-
„ chus eos legat autores, qui de illius
„ vitæ genere perſcripsêre, qui ejus-
„ cemodi ſunt efficaciæ, ut animum
„ planè quietum reddant & tranquil-
„ lum: tantum abeſt, ut aliquando,
„ qui ita imbuti ſunt monachi, ſui
„ eos ſtatûs pœniteat (ut permultos
„ pœnitere cernimus) illiſque, qui
„ cum Paulo nihil ſe ſcire profiten-
„ tur, præter Chriſtum Crucifixum,
„ detrahant. Quam ſanè notionem
„ ineptus ſim, ſi putem, nemini abs-
„ que literarum linguarúmque varia-
„ rum præſidio poſſe contingere. Id
„ quidem eſſet clientem patrono, non
„ patronum clienti velle opitulari. „

Quinam libri legendi ſint Monachis.

„ Hæc habui collegæ doctiſſimi,
„ quæ de viſo illo terrifico, ſeu de
„ viſi conjectura ſub ipſo ferè Alpium
„ tranſitu in Hiſpaniam à vobis roga-
„ tus afferrem. Valete. „

Atque ex hac *Folengii* epiſtola intelligi datur, quòd tametſi de ratione ſtudiorum tenenda non una eadémque omnium in Congregatione Caſinenſi Monachorum opinio ſeculo XV. & XVI. fuerit, nihilominus cùm doctiſſimus Abbas *Folengius*, aliíque benè multi literarum maximè ſacrarum ſtudia excoluerint, ea tam illuſtrium Virorum exemplo fuiſſe comprobata; ita tamen, ut non alia cœnobitis eſſe permittenda exiſtimatum fuerit, quàm quæ monaſticæ ſectatores diſciplinæ, illorúmque conditionem ac vitæ ſtatum addecerent. Deinde Monachis in literarum ſtudiis modum eſſe tenendum, *Ne quid nimis.* Rectè verò & ſapienter monuit in Epiſtola ad *Schelbornium* virum ex Lutherana ſecta perdoctum data Eminent. Card. QUIRINUS, ſanctiſſimos & doctiſſimos Aſcetas, quibus in primis Benedictinus Ordo id temporis in Italia abundabat, palàm vel ex ſe ſolis oſtendere, quàm iniquè Novatores tunc quererentur de Monachorum inſcitia & moribus parùm religioſis.

In-

Literarum præprimis ſacrarum ſtudia commendant primi Patres Congr. Burſfeldenſis.

In eadem erant ſententia primi Patres Congregationis Burſfeldenſis in Germania. Hos utì cœleſte lumen irradiabat, ut quæ ad vitæ aſceticæ perfectionem attinent, perviderent, ita pietatis ſervore prædìti erant, ut ad ea conſectanda monachos incitarent. Studia igitur literarum præprimis ſacrarum, monachis non modò ceu utilia, ſed etiam ut neceſſaria inculcabant. Naſcentis Congregationis Præſidens Generalis erat ADAMUS VILLICUS, vulgò *Mayer*, Abbas S. Martini Coloniæ Agrippinæ, Vir utroque & eruditionis & pietatis nomine celeberrimus, qui quantum operæ hac in re, nec infeliciter, apud ſuos poſuerit, in ejus vita dicturi ſumus (t). Nec alii defuerunt Abbates, qui in literarum atque optimarum diſciplinarum cultum propenſo animo ferebantur. Unum alterúmve nominare fas eſſe puto. Tales enim fuêre *Joannes de Rhode* S. Mathiæ Treviris, *Simon de Petra* Lacenſis, *Melchior* Schonavienſis, *Hermannus* S. Jacobi Moguntiæ, *Joannes de Rodenberg* S. Joannis in Rhingavia, *Joannes de Indagine* Burſfeldenſis, *Andreas* S. Michaëlis Bambergæ, *Henricus Gulpen* S. Ægidii Norimbergæ, *Joannes Trithemius* Spanheimenſis, aliique ex eadem Congregatione Antiſtites eruditione non minùs ac pietate conſpicui.

Alii Germaniæ Abbates ſtudiorũ promotores.

Ceteros Germaniæ Abbates literarum cultu eâdem ætate illuſtres quod attinet, UDALRICUS hujus nominis Abbas octavus San-Gallenſis, ob immortalia in S. Gallum merita dignus eſt, qui à ſuis & vocibus & ſcriptis æternùm decoretur. Eo etiam nomine dilaudari meretur, quòd in monaſterio ſuo literarum ſtudia ſuperiorum temporum injuriis collapſa inſtauraverit. *Maximiliano I.* Imperatori apprimè charus fuit *Benedictus Furtenbach* Abbas Faucenſis in Suevia anno 1480. electus. Non verò generis proſapia, ſed eruditionis præſtantia hunc ei amorem conciliavit. *Poſt transactos* (ſunt verba Annalium monaſterii (u)) *paucos aliquot regiminis ipſius annos venit Sereniſſimus Princeps Maximilianus, tunc temporis Dux Burgundiorum, filius Imperatoris Romani Friderici IV. Hoſpitabatur apud Abbatem poſt electionem ſui in Regem Romanorum; ſimiliter poſt adeptionem Imperialis Majeſtatis, & ſemel ultra quartam anni partem apud nos & Abbatem noſtrum moram traxit; quâ occaſione ex diverſis ſcientiis Conſiliariorum Majeſtatis ſuæ oppidò peritus evaſit*: quidam enim in „ idiomate Hebraico, quidam in Græ„ co, alii in Jure Civili, alii in Jure „ Canonico, ſeu Pontificio, alii in „ aliis fuerunt peritiſſimi; horum au„ tem omnium ſcientias, moréſque „ acutiſſimè ſcrutans, ac tenaci inge„ nio percipiens in omni ſcibili valdè „ profecit; unde etiam eos plurimùm „ exceſſit, qui ante eum fuerunt. Be„ nedictus Deus per omnia, qui dat „ ſapientiam poſtulantibus, & non im„ properat. Conſiderandum etiam, „ quod ſub Abbate hoc *Benedicto* in „ hoc monaſterio noſtro fuerunt viri „ valdè religioſi, zeloſi, ac variis ſci„ entiis præclari. „

Eberhardus de Vennlo Abbas Monaſterii S. Michaëlis Bambergæ.

Non minori laude dignum ſe præbuit *Eberhardus de Vennlo* (x) ex Monaſterio S. Jacobi Moguntenſi translatus per PIUM II. Summum Pontificem, cooperante Bambergenſi Epiſcopo *Georgio Schaumburgio* ad Abbatialem dignitatem Montis S. Michaëlis, celebris extra muros ejusdem civitatis monaſterii anno 1463. Qui tanquam lux cœlitùs demiſſa omnem caliginem tenebroſæ deformationis hujus loci in ſpiritualibus & temporalibus, Dei auxilio ſretus mirificè deterſit, & omni morum honeſtate, regularíſque obſervantiæ decore de novo illuſtravit: ídque reverâ non ſine maximo labore ac periculo. Præfuit annis ferè decem & tribus laudabiliter, feliciter, & utiliter. *Primus, qui aſſumpſit ignobiles genere: modò nobiles eſſent virtute & literis, cætera non perinde curans.* Nec immeritò: minimum ſiquidem eſt decus, quod à nobili monachorum ſtirpe, niſi virtute etiam ac doctrinâ ſint præditi, monaſteriis accedit.

Trithemius Abbas literarum inſtaurator præcipuus.

Non defuêre igitur, qui artium liberalium ac ſcientiarum diſciplinas in Familia Benedictina, prioribus duobus ſeculis quaſi abactas ac proſcriptas, è priſcis arceſſiverint fontibus, rectáque ſtudia longo jam tempore intermiſſa revocaverint; quorum principem locum JOANNES TRITHEMIUS Abbas Spanheimenſis, inde Herbipolenſis jure optimo ſibi vindicat. Ejus eximia doctrina & eruditio, quaſi lumen aliquod, cæteris extinctis, hoc ſeculo eluxit. Vir fuit in omni ſcientiarum genere verſatiſſimus, Græcè & Latinè

(t) Vide Hontheimii Hiſt. Trevir. Dipl. Tom. II. pag. 334. & hujus Operis Part. III. p. 204.
(u) apud Pet. Franc. in Suev. Ecclef. pag. 329.
(x) Bruſch. Monaſt. Germ. Chronolog. pag. 90.

Latinè doctus, cujus, & inſignis Bibliothecæ, quam ſtuduit comparare, brevì adeò inclaruit fama, ut multi Principes, Epiſcopi, Doctores, Magiſtri, Nobiles, Viri denique clariſſimi non ſolùm è vicino, ſed etiamè regionibus longinquis, nomine & famâ *Joannis Trithemii*, & voluminum ejus excitati Spanheimium viſitare voluerint, inviſeríntque, quibus antehac nec nomen quidem cœnobii conſtabat. Uti verò poëticâ, hiſtoricâ, philoſophicâ, mathematicâ, atque ſacrâ doctrinâ ſuo ævo neminem habuit ſuperiorem, ita ſummam dedit operam; ut bonæ literæ cùm in Ordine Benedictino, tum in Orbe Catholico univerſo priſtinum recuperarent nitorem. Unde à *Richardo Simonio* (y) primis literarum inſtauratoribus ſacris adſcribitur.

Ut verò de ſolâ noſtrâ Familia Benedictina loquamur, negari profectò non poteſt, quin non TRITHEMIUS omnes nervos contenderit, ut cùm ſecularium, tum maximè ſacrarum literarŭ ſtudia in eadem reſuſcitaret. Quæ verba non fecit privatim ad ſuos Spanheimenſes monachos? quas epiſtolas ad exteros non ſcripſit? quas orationes in publicis Congregationis Burſfeldenſis Capitulis non habuit, quo veternum non à monachis magis, quàm Abbatibus ipſis depelleret, eóſque incitaret, ut quod bonarum artium ac literarum ſignum ipſe in Germania iterum ſuſtuliſſet, impigrè ſequi contenderent.

Reſiſtit Abbatibus ignorantiæ patronis.

Nullos cavillos, nullas invidias, atque adeò inimicitias ea causâ ſibi defugiendas putavit. Neque enim defuerunt lepidi Abbates, qui ſuos ad ſtudia literarum incitare periniquè ferrent, quòd *ſcientia inflaret, ac monachos redderet ſuperbos*; quorum ineptiſſimæ orationi vehementer ab Abbate *Trithemio* reclamatum fuit. Erat enim abſurda, pernicioſa, ac planè nova in Ordine Benedictino, è ſtolido ac ſupino literarum contemptû humilitatis quærere gloriam. *Quid monachis*, dicebant ad Trithemium, *tantoperè commendas inane ſtudium ſcripturarum, quòd eos non humiles reddit, ſed contumaces & ſuperbos? Nos in monachis noſtris non ſcientiam requirimus, ſed humilitatem.* Quibus TRITHEMIUS,

Ejus invectiva.

„ O ſtulti & inſipientes! qui Ordinem
„ ſanctum ſubvertitis, dum literis
„ dare operam monachos prohibetis.
„ Ergóne monachi veſtri, cùm ſint ru-
„ des & indocti, non poſſunt eſſe ſuper-
„ bi? Si ignorantia ſcripturarum facit
„ humiles, vos veraciter humillimi
„ debebitis appellari. Sed erratis:
„ nam & habet ignorantia plures ſu-
„ perbos, quàm humiles. Nemo enim
„ tam rudis, nemo tam imperitus,
„ cui non pars ſtultitiæ & ſuperbiæ
„ major contigerit. *Omnis ſuperbus*
„ *ignorans eſt.* Multa Ordinis noſtri
„ cœnobia perluſtravi, varias mona-
„ chorum paſſiones & diſplicentias
„ reperi: quas non à doctis, neque
„ à ſtudioſis, ſed ab imperitis & lite-
„ rarum contemptoribus ſemper &
„ motas & continuatas offendi. Et
„ unusquisque noſtrûm plures habet
„ monachos imperitos & rudes, ſpiri-
„ tû ſuperbiæ turgentes, quàm in
„ ſcientiâ ſcripturarum ſtudioſos. Stul-
„ tum eſt ergo monachis ſtudium li-
„ terarum propter humilitatem inter-
„ dicere: cùm & eos, qui ſine erudi-
„ tione ſunt, videamus peramplius
„ ſuperbire. Nam ſcientia ſcriptura-

Rudes & ignaros peramplius ſuperbire,

„ rum plures humiles fecit, quàm ſu-
„ perbos: ignorantia autem non hu-
„ militatem, ſed ſuperbiam ſemper
„ habet amicam. Vos autem, qui
„ colos, id eſt, rudes & imperitos ad
„ Ordinem libenter aſſumitis, juxta
„ vulgare proverbium vobis ſimiles
„ amatis. Doctus amat doctos, &
„ imperito rudis conjungitur. ----
„ Nec dico, quòd ad ſolam eruditio-
„ nem ſuſcipiendorum debeatis at-
„ tendere: cùm ad noſtram obſervan-
„ tiam ex doctioribus paucos vide-
„ amus propter carnium abſtinentiam
„ venire: ſed ſuadeo, contulo, oro,
„ quarenus eos juvenes, quos ingenio
„ florentes ad Ordinem ſuſcipitis, ex-
„ emplo veterum literis & bonarum ar-
„ tium ſtudiis imbui faciatis. Sola enim
„ ſcientia, & delectatio ſcripturarum

& Studium reddere in cellis quietos. oſtendit.

„ monachos facit in cellâ quietos, &
„ tranquillos conſiſtere. --- O ſacrum
„ ſtudium! ô ſancta exercitatio ſcri-
„ pturarum! quàm bonos, quàm do-
„ ctos, quàm ſanctos olim in Ordine
„ monachos ſolebas producere! quos
„ ſuâ eruditione & ſcriptis totum
„ chriſtianum orbem hodie videmus
„ illuſtrâſſe. Sed ô rerum ſanctarum
„ pernicioſa mutatio! Nunc te mo-
„ nachi noſtri perditâ præſumptione
„ deſpiciunt, te Abbates ut plurimùm
„ contemnunt: ut inter omnes Præ-
„ latos clanſtralium literis pauci ſint
„ dediti: avaritiæ verò & voluptati-

„bus

(y) Bibl. Crit. Tom. IV. epiſt. 24. vel Epiſt. ſelect. Tom. IV. ep. 20.

Abbates quidam ſuorum ingenia opprimebant,

„ bus complures nunc reperiantur in„ digni.--- Nonnulli etiam, quod „ dementiæ plenum eſt, monachis „ ſuis legendi ſtudium interdicunt. „ Non mentior Patres, non mentior, „ quippe qui tales non paucos nove„ rim, *qui nobilia ſuorum ingenia op„ primant, qui legere monachos nihil „ præter humilia permittunt.* ô ſtulti „ & inſani! quare ſtudium regulare „ contra regulam prohibetis. Vos „ enim, cùm ſitis omnium literarum „ bonarúmq; artium ignari, monachis „ veſtris ingenio valentibus ſtudium „ earum rerum interdicitis: juvenum „ generoſos animos ad vilia exercitia „ coarctatis: quos dum literis vaca„ re non permittitis, otio & vitiis „ perituros commendatis. *Forſan ti„ metis, ne ſi doctiores evaſerint, vos in „ eorum comparatione imperiti, rudéſ„ que judicemini, aut certè doctrina il„ lorum correctio fiat veſtrorum ſcele„ rum?* Enimverò ſi veri obſervato„ res monaſticæ converſationis eſſetis, „ non tantoperè monachos doctos po„ tuiſſetis contemnere. Nunc autem „ cùm ſitis erga diſciplinam regularem „ negligentes, & vitiis ac ſceleribus de„ diti, monachos ſimplices, rudes, & im„ periros libenter admittitis, quorum „ redargutiones nullas timeatis. Per„ nicioſæ libertatis cupidi amatores „ effecti ſub titulo humilitatis igno„ rantiam inducitis, qui monachos „ indoctos meliores æſtimatis. Et „ quamvis non ſit ovium paſtorem re„ prehendere, licet tamen ſubditis „ Prælatum à viâ veritatis aberran„ tem humiliter admonere; quoniam „ etſi bona ſit obedientia, nunquam „ tamen eſt veritati præferenda. Vos „ autem rudes & imperitos monachos „ habere quæritis: *quos & ignorantia „ timidos faciat, & puſillanimitas ve„ ſtri officii vos admonere non permit„ tat.* Si verò humilitatem ex rectâ „ intentione quæritis, inſipienter ni„ hilominus agitis, qui monachis ſtu„ dium literarum prohibetis. Neque „ enim omnibus datum eſt contem„ plationi & orationi ſemper inſiſtere, „ aut meditationibus continuò vaca„ re. Igitur monachi ſecundùm regulã „ cellis incluſi, quô exercitio tempus „ utiliter poterunt expendere, quibus „ interdicitis, ſtudio & literis operam „ dare? Neceſſe eſt enim, ut cogita„ tionibus vanis & inutilibus difflu„ ant, vel certè fabulis intenti foras „ ſedulò diſcurrant. Nonne melius „ eſſet, monachum in cella ſtudioſum „ & quietum perſiſtere, quàm lectione „ deſpectâ otio & detractionibus va„ care? „

ne horum doctrina fieret illorum correctio ſcelerum.

Alia cauſa cur Abbates ſovent rudes.

Sic *Tritbemius*, vir prudentiſſimus, & hortari, & orare, & jam liberiùs accuſare, & monere Abbates in Germania, ut magnam ignorantiæ infamiam, ac perniciem fugerent, non deſtitit. Sed planè multi nec precibus ejus nec admonitionibus locum reliquerunt. Et quî literarum ſtudia, Abbatibus erga ea ſic affectis, dignitatem ſuam in monaſteriis retinere poterant? Hinc PAULUS LANGIUS noſter, *Tritbemii* diſcipulus, quàm non incelebris hoc ſeculo, tam veritatis amans hiſtoricus, cùm ſtudium literarum in Ordine noſtro paullatim ſeculo XIII. decreſcere & deficere cœpiſſe dixiſſet, illud ſeculo XV. pene extinctum fuiſſe affirmat. Igitur *Tritbemio* non eſt vitio vertendum, quòd Monachos, perinde ac Clericos ſeculares, prææalto deſidiæ ſepultos ſomno ad inſtautanda in ſuis officinis Literarum ſtudia contenſiori voce excitârit: Erat enim id tùm maximè neceſſarium, utì facta patrata docent, & nos hodiéque experimur. Gratias verò iis habendas credimus, qui aut meliota ſuadent, aut emendatione digna detegunt, atque incompoſiti zeli plerumque incuſandi ſunt, qui ejuſmodi Medicos ægro nimis animo ferunt.

Trithemius apud multos Abbates ſuâ oratione nihil proficit, licet, nunc prece, nunc dictis virtutem accendat amaris.

SECULUM ÆRÆ VULGARIS XVI. BENEDICTINÆ XI.

JAm tandem ad famoſum illud devenimus ſeculum, quo ineunte rei literariæ Benedictinæ tam miſerabilis & inculta facies repræſentari ſolet, ut quisquis eam vel tantisper diligit, ejus commiſeratione non poſſit non tangi, nec absque intimo juſti doloris ſenſu conſpiciat eorum diſcrimen, qui funeſtis illis coloribus utuntur ad obfuſcandum antiquiſſimi Ordinis decus & ſplendorem. Hinc enimverò noſtrorum temporum politici occaſionem captant nobis acriùs inſultandi, quaſi verò per invaleſcentẽ Studiorum neglectum antiqua & primigenia Fidei Chriſtianæ puritas diſſipara ſit. *Miſer*, inquiunt, *tunc erat ſcientiarum ſtatus, magnus earum neglectus, exiguus cultus in Monaſteriis... Paucæ tùnc in Ordine Benedictino Athenæ, & quæ benè multæ olim fuerunt*, Syneſii verba teferimus, *nibil babebant ſuſpiciendum præter glorioſa locorum no-*

Conſpectus ſeculi XVI. ab anno 1500. ad 1600.

mina. Et ſicuti, dùm mactata eſt victima, pellis relinquitur, quæ illius, quod fuit, animalis indicium eſt, ita expulſa hinc philoſophia, cæteríſque bonis artibus, *relinquitur, ut obambulans quiſpiam miretur ipſam Academiam, Lycæum, porticum Chryſippi, præteréáque nihil.* „ His acceſſit, *dicunt noſtri*, quòd multa ſubjecta literarum incapacia in monaſteriis reciperentur. Cùm enim cantus figuralis priori ſeculo ex Italia in Germaniam translatus fuiſſet, Germanis antea ignotus, in cœnobia paſſim immigravit. Tum verò monachi libros cum inſtrumentis moſicis mutare, atque ex præſtantiſſimis manuſcriptis codicibus folles & glnten parare didicerunt. Alii cum panduris, tubis, teſtudinibus, alii cum citharis, fiſtulis, buccinis occupari. Ut quis in monaſterium admitteretur, non jam ex eo quærebatur, cujus in literarum ſtudiis doctrinæ, ſed cujus in re muſicâ peritiæ eſſet: nempe *an foret vocatus?* „ Ita illi, quæ à me non eo referuntur animo, quaſi *Muſicam* & *cantum* damnem figuralem; abſit: ſed ut oſtendam, quantum malorum ejus abuſus in monaſteria invexerit. Cùm enim tanto in pretio Muſica à monachis haberetur, multi, tametſi ad literarum ſtudia æquè accommodati eſſent, atque *aſinus ad lyram*, nihilominus *ambabus*, ut ita dicam, *ulnis* ſuſcepti fuerunt. Hodie in multis monaſteriis præſertim in utraque Auſtria, longè major doctrinæ, atque peritiæ Muſices ratio habetur. Unde qui modulatè in eorum eccleſiis canunt, ſunt plerique ſeculares Symphoniaci, mercede conducti. In Suevia tamen, Bavaria, Franconia &c. multos reperies monachos, qui non muſicis tantùm, ſed literis etiam eximiè eruditi ſunt, & in utroque genere excellnnt. Quamvis fortè etiam non deſint, qui *vox ſunt prætereáque nihil.*

Cantus figuralis in cœnobia illatus magno ſtudiorum malo.

Ex rudibus monachis electi Abbates idiotæ.

Cùm monachi autem eſſent doctrinâ deſtituti, atque ex eorum gremio Abbates deligendi forent, fieri non poterat, ut non idiotæ ad clavum promoverentur. Sub his neceſſario ſcientiarum lumine ad exactum Monachorum regimen deſtitutis, non rei literariæ duntaxat, ſed diſciplinæ etiam regularis miſera erant fata. Acceſſit (z) nempe *patellæ* (juxtà tritum populi ſermone proverbium) *dignum operculum*, Monachis idiotis Abbas idiota; ſecundùm illud quoque: de quo ſemel in vita *Craſſum* ait riſiſſe Lucilius: *Similes habent labra lactucas*, aſino carduos comedente: videlicet ut perforatam navem debilis gubernator regat, & cœcus cœcum ducat in foveam, talíſque ſit Rector, quales illi, qui reguntur. Exemplo ſit vel unicus Abbas Anhuſanus (a) in Suevia JOANNES AGRICOLA ex *Gerſteten*, alpeſtri pago natus, ut nomine & patriâ, reipſa etiam verè *Ruſticus*; nam literarum & literatorum maximus oſot fuiſſe dicitur, qui ſuis etiam juvenibus religioſis nec pædagogum alere, nec quicquam librorum emere unquam voluit. Electus anno 1522. præfuit annis 20. penè. Et cùm à Duce Wirtenbergenſi ULRICO expellerentur è cœnobio monachi, uxorem ipſe duxit, quâcum ad finem uſque mortalis vitæ ſuæ in Bolheymenſi vicino pago inter agreſtes, & ſui ſimiles homines vixit.

Joannes Agricola Anhuſanus literarum oſor à fide deficit.

Cunradus Abbas Eremitanus ſuo monaſterio exiguâ præeſt laude.

Haud majori ferè laude Eremitano in Helvetia Principali Monaſterio, à Monachorum ſingulari virtute ac doctrina antehac celeberrimo præſedit his temporibus Abbas CUNRADUS, de quo audiendus eſt domeſticus Chronographus, *Chriſtophorus Hartmannus* in Sacræ Eremi (b) Annalibus. Ejus narratio hæc eſt: „ Anno CIↃDXXIII. publicârunt Tigurini de religione colloqoium, ad diem IV. kalend. Februarias anni ſequentis. Eo in colloquio interfuit *Joannes Faber* Vicarius, miſſu Epiſcopi Conſtantienſis, & nonnulli alii clara eruditione viri, ſed adeò nihil contra Zwinglii verſutias, tergiverſationes, & fabulas, ſcommata, & ludibria profectum; ut anno quinto & viceſimo Tigurini novam, & ab eo prolatam, fictámque religionem jurejurando confirmârint, omnia penè veteris, & melioris monumenta exſciderint, multum contra indignantibus, & ſcribentibus, dehortantibúſque Confœderatis. Tum demum monachi & monachæ mutuis ſeſe conjugiis copulavêre, ſimul altaria, & baptiſteria, divorúmque imagines, & cultus abolita & dejecta. Anno ſexto & viceſimo mortuus tandem Abbas *Cunradus*, admodùm ſenecto, & exhauſto corpore

(z) S. Hier. in epiſt. ad Chrom. Jovin. & Euſeb.
(a) Bruſchius in Monaſt. Germ. Chronol. pag. 2.
(b) 451. & ſeqq.

„ pore, poſtremus non modò familia-
„ rum illuſtrium, ſed adeò eo tem-
„ pore, in Heremo monachorum.
„ Neque enim quemquam poſt ſe apud
„ Heremum reliquit religioni & Or-
„ dini S. P. N. Benedicti initiatum. E-

Miſer Monaſterii Eremitani ſtatus.

„ duxerat ſanè duos nobiliſſimis fami-
„ liis oriundos *Theobaldum*, ex Ba-
„ ronibus à *Geroldſek* Alſatam, & *Hein-*
„ *ricum* è Comitibus *Saxenſibus* Meſau-
„ ci dominis, ſed alter ad Zwinglium,
„ abjurato monachiſmo, defecit, al-
„ terum ob homicidium fœdè, &
„ barbarè commiſſum perpetuis car-
„ ceribus *Cunradus* condemnavit. Pau-
„ ci ſeculares Sacerdotes divina offi-
„ cia in Monaſterii ſacra æde, & Dei-
„ paræ ſacello curabant. Ipſe plerum-
„ que apud S. Geroldum habitavit,
„ venationis inſana libidine, & vitæ ſo-
„ litariæ amore, relictis in Heremo vica-
„ riis, qui veluti mercenarii, aut magis
„ lupi, Monaſteriũ ad extrema adegêre,
„ exſtinctâ jam & profligatâ omni mo-
„ nachicâ diſciplinâ, & quidquid ve-
„ teris & ſincerioris cultus & pietatis
„ in Heremo tot præteritis ſeculorum
„ decurſibus viguerat, obtinuerátque.
„ Sui præcipuè in Heremo memoriam
„ ſervavit *Cunradus* Sillana ex valle,
„ quam paterna ex hæreditate ampla,
„ & luculenta coëmit magni noſtro
„ Monaſterio uſus & commodi. Eam
„ ipſe præcipuè equis alendis, quibus
„ haud minùs delectabatur, deſtina-
„ vit, egregiámque inde ſobolem ex-
„ ternis etiam, maximè Italicis Prin-
„ cipibus, commendatam, & expe-
„ titam propagavit, & poſteris reliquit.
„ Erat natus ex Baronibus ab *Hohen-*
„ *rechberg*, quorum adhuc in Suevia
„ multæ opes, & præcipua claritudo
„ Franciſci I. Abbatis ex fratre ne-
„ pos. Cæterùm poſtquàm *Cunra-*
„ *dus* exſtinctus eſt, & nemo præte-
„ rea in monaſterio noſtri Ordinis ad-
„ fuit, Suitii, jure advocatiæ, cura-
„ torem impoſuêre è ſuis expræfectum
„ Krienſium, qui unà cum *Joanne*
„ *Ort*, Heremi gubernationem ali-
„ quamdiu exercuit, donec poſtremò,
„ multis & aſſiduis reliquorum Con-
„ fœderatorũ precibus, & admonitio-
„ nibus iidem Suitii è S. Gallo *Ludo-*
„ *vicum* poſtulavêre, Monaſterii ibi-
„ dem tùm Cellerarium, & veluti Vi-
„ carii munus cum laude fungentem,
„ & ob id notum, & commendatum.

In priſtinum reſtituitur florem.

„ Is verſo ad reſtabiliendam primo
„ monachicam diſciplinam animo,
„ quatuor bonæ ſpei adoleſcentulos
„ in monaſterium adſumſit, quan-
„ túmque fuit probatos, & veſtitu,
„ cultúque apud S. Gallum uſitato,
„ cultos, ex iis binos in Sueviam ad
„ capiendum ingenii, & regularis di-
„ ſciplinæ cultum tranſmiſit, Ochſen-
„ hauſiam alterum, alterũ Hirſaugiam,
„ quibus in Monaſteriis præcipuè ad-
„ huc vetera noſtri Ordinis conſtitu-
„ ta conſervabantur: reliquos apud ſe
„ continuit, & haud minori curâ bo-
„ nis literis, & moribus imbuit. Erat
„ Abbas LUDOVICUS è nobili *Blare-*
„ *rorum* ſtirpe quidem natus, primus
„ tamen qui citra Baronum, aut
„ Comitum dignitatem monaſterio
„ præfuit. Cæteri hucusque omnes
„ Heremitarum Abbates è Baronibus,
„ aut Comitibus, vel etiam Ducibus

Eorum temporum miſer ſtatus.

„ & Regibus originem habuêre. Sed
„ ea inciderunt tempora, quæ primò
„ in fide, & religione diſcidium par-
„ turiêre, mox antiquos mores & pro-
„ batos, receptóſque penitus concul-
„ cavêre, peſſumdederúntque, Cle-
„ ricos hinc & ſacerdotes pro vanis,
„ & lurconibus; monachos, & reli-
„ gioſos pro ſanaticis & tenebrionibus
„ habuerint, omnes pro monſtris,
„ ſimiis, hienis, aſinis, lupis, pardo-
„ camelis, & ſi quid fœdius, aut tetrius
„ natura creat, duxerint, & vulgo
„ ſummo contemtu, & odio depin-
„ xerint, & circumtulerint. „ Unde
quis non intelligit nobilia quoque & perluſtria ingenia in tanta vaſtitate, & confuſione corrumpi, & contaminari debuiſſe, quæque tanto opere majores eorum ſinceræ fidei cultores, & antiquæ religionis vindices & propagatores, probaverunt, eadem ſordeſcere, aut etiam in contemtum venire neceſſe fuiſſe. His tamen nihil obſtantibus, profectò in Heremo deinceps præfuêre, qui qualemcunque originis obſcuritatem incredibili virtute animi, non modò cooperuerunt, ſed nobiliſſimis quibusque natalibus ſe digniſſimos præſtitêre, adeò nihil illis generoſitatis, magnificentiæ, pietatis, & induſtriæ, auctoritatis, & gloriæ apud ſuos, apud exteros pleriſque deſuit. Obiit Abbas *Ludovicus* anno Domini noſtri, milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo quarto.

Studiorum cultus in Eremitano Monaſterio.

UDALRICUS III. hujus nominis Abbas, Ludovici, poſt *Joachimum* & *Adamum*, egregios Abbates, ſucceſſor, bonarum literarum haud inferiorem rationem habuit. In Conventûs album plures eximiæ ſpei adoleſcentes cooptavit, nunquámque frequentio-

rem,

rem, aut ornatiorem multis retroactis temporibus Conventum Monaſterium habuit, etſi maxima incidiſſet eosdem per annos annonæ caritas. Ex iisdem adoleſcentibus alios in Germaniæ Dilingam, Friburgum Brisgoiæ; alios in Italiæ Academias Mediolanũ, Papiam, Bononiam deſtinavit, nonnullos in Helvetia retinuit,& in Societatis Jeſu Gymnaſiis literas colere juſſit, nullis hac quoque in parte parcens ſumptibus, licèt ingentes impenſæ per fabricam & inſtaurationem, ornatúmque continuarentur, & procederent. Ex Bononiam miſſis *Hartmannus*, cujus eſt hæc narratio, & doctrina inſignis, quíque grato animo BONONIAM *ſtudiorum ſuorum optimam & humaniſſimam* vocat *Matrem.*

Joannes Abbas Schyrenſis Studia apud ſuos excitat.

Eodem ineunte ſeculo magnâ quoque nominis ſamâ apud Bojos inclytus effloruit JOANNES TURBEIT Schyrenſis Abbas an. 1505. electus, qui *Alberti* Bavariæ Ducis ſuffultus auſpiciis, pleraque D. Benedicti cœnobia ad ſeverioris obſervantiæ jugum revocavit, nbique ſtudia egregiè promovit: *Vir*, Aventini elogio, *literarum literatiſſimorúmque omnium amator, qui contra ſingularium Chriſtianorum noſtræ tempeſtatis conſuetudinem*, inquit idem, *ſtudium Philoſophiæ, cujus ſupremam palmam in Angiloſtatenſi publico Bojorum Gymnaſio conſecutus erat, maximè excoluit, diúque operam dedit, ut res Schyrenſis cænobii poſt* Conradum Philoſophum *literis atque poſteritati commendarentur. Quia*, inquiebat, *nihil eorum, quæ ante nos geſta ſunt, cognoſcere, id eſt, puerum eſſe. . .* Tandem verò id negotii *Joanni Aventino* Principum Bojoariorum Hiſtoriographo dedit, qui à prima Schyrorum Principum, Schyrensíſque cœnobii origine Annales ad ſua nsque tempora deduxit, inſertis Diplomatibus ac publicis inſtrumentis, quæ eidem *Joannes noſter* ſuppeditaverat. Obiit Abbas octogenario major 18. April. 1535. dignus quem Muſæ in poſterorum memoria perpetuò conſervent.

Angelus Rumplerus Formbacenſis Abbas.

Iis quoq; temporibus in inferioris Bojoariæ monaſterio *Formbacenſi* effloruit ANGELUS RUMPLERUS monaſticen an. 1478. profeſſus, qui elegantiſſimo præditus ingenio, in ea licet tempora inciderit, quibus occulto Dei judicio Carniſex veriùs quàm Abbas Monachis Formbacenſibus dominabatur (*His enim coloribus ipſe* ANGELUS *hominem depingit*) (c) optimarum tamen diſciplinarum, & ſanctiorum morum cultui adeò conſtanter inſtitit, cóque progreſſus eſt, ut demùm anno 1501. in Formbacenſis Monaſterii Abbatem cum omnium aggratulatione deligeretur. Quo in munere, mirum dictu eſt, quantas calamitates pertulerit, quas tamen uno cum Deo & Muſis commercio lenire conſueverat. Fuit is judicio acerrimo à nulla re magis quàm ab adulatione ac ſimulatione alienus. Vitia hominum, eorum etiam, quos fortuna ſuper cæterorum capita extulit, maxima cum libertate reprehendebat. Suâ unius conſcientiâ contentus, majorum doctrinas & exempla novis conſuetudinibus aut potiùs corruptelis perpetuò opponebat. Quarum dotium & virtutum veſtigia in ejus ingenii monumentis, quæ magno numero poſteris reliquit, paſſim deprehendas. Præfuit ad an. 1513. *Vid.* Pezius *Obſerv. præv. ad Tom. I. Anecdot. p.* 86.

Leonardus Ottenburani in Suevia cœnobii Abbas.

Pari provehendæ rei literariæ zelo flagrabat LEONARDUS Ottenburani in Suevia Monaſterii Abbas an. 1507. electus, *Vir apprimè doctus, prudens & induſtrius*, qui ut otium & deſidiam à ſuis propelleret, non ſolùm bonarum artium ſtudia gnaviter promovit, ſed etiam Typographeium, quod hodiéque perdurat, ſuo in monaſterio erexit, ratus *impreſſorem Scriptoris non perdere mercedem, quinimò eam cumulatiùs conſequi.* Qua de re elegans extat ipſius epiſtola ALCUINI opuſculo *de Sancta Trinitate*, ibidem ipſo accurante typis, ceu primigenio ſpecimini excuſo præfixa, quæ ſic habet:

Typographiam erigit.

„ LEONARDUS Divina opitulante
„ gratia Abbas Uttinburrhanus, po-
„ ſteris ejusdem Monaſterii ſalutem.
„ Ferunt Platonem Philoſophorum
„ ſacilè principem, crebrò juvenibus
„ dixiſſe ſolitum: *Ocio labores antepo-*
„ *nite, niſi fortè rubiginem ſplendori*
„ *præſtare putatis.* Quàm etiam mor-
„ talibus labor conducat, contrà ve-
„ rò ocium obſit, in Theeteto idem
„ Plato non tacuit, ita inquiens: *Quid*
„ *corporum habitus? an non ocio &*
„ *torpore corrumpitur, exercitatione*
„ *autem motúque conſervatur?* ani-
„ mæ quoque habitus diſciplinâ &
„ meditatione, quæ motiones ſunt,
„ doctrinas conſequitur, ſervatur, at-
„ que perficitur. Ocio autem, id eſt
„ negligentiâ & pigritiâ nihil penitùs
„ diſcit: & ſi quid didicerit, obli-
„ viſcitur. Bonum itaque tam in ani-
„ ma,

(c) In Hiſtoria Formbach. apud Pez Tom. I. Anecdot. pag. 451.

„ ma, quàm in corpore motus: quies
„ verò contrarium. Prætereà in his,
„ quæ ſerenitates tranquillitatéſque
„ vocantur, hoc aſſero, quòd quie-
„ tes putrefaciunt, atque perdunt,
„ alia verò conſervant. Sanctus præ-
„ tereà Pater noſter BENEDICTUS
„ ocium deteſtatus ait: *Ocioſitas ini-*
„ *mica eſt animæ, & ideò certis tempo-*
„ *ribûs occupari debent fratres in labo-*
„ *re manuum; certis iterùm horis in*
„ *lectione Divina.* Volens itaque exi-
„ tialem hanc peſtem à grege meo pro
„ poſſe exterminare, conquiſivi non
„ parvo ære ea, quæ ad imprimendos
„ libros neceſſaria videbantur, ut non
„ qualicunque, ſed & honeſto & utili
„ ſeſe fratres labore exercitarent. Ope-
„ randus eſt enim (Salvatore jubente)
„ cibus, qui non perit. Quid verò
„ pro terrenarum rerum conditione
„ literis diuturnius ſit, non video.
„ nec item quid Monacho poſt devo-
„ tam horarum Canonicarum pſalmo-
„ diam, póſtque ſinceram in Deum
„ devotionem, intentiſſimámque con-
„ templationem faciendum ſit, quàm
„ meditari in Lege Domini, & ſcru-
„ tari Scripturas, quæ teſtimonium
„ perhibent fidei noſtræ, non video.
„ Quum verò in ſpecula contempla-
„ tionis pro noſtra imbecillitate jugi-
„ ter perſiſtere non poſſumus: laxan-
„ dus eſt animus ceu arcus, ne fran-
„ gatur. Laxato verò animo ne ocium
„ (malorum omnium fomes) ſubre-
„ pat, Corpus quoque ſuas habeat
„ motiones neceſſe eſt. Quum autem
„ plorumque in Cœnobiis degentes
„ Fratres calamô ſcribere ſoliti ſint, &
„ eum quidem laborem ut peculiarem
„ ſibi vendicaverint: placuit, ut &
„ fratres mei exteris conformiter, &
„ quidem abundantiùs laborarent.
„ Qui enim ſcribit, unum tandem
„ magno temporis diſpendio abſolvit
„ codicillum, cujus uſus uni dunta-
„ xat patrocinatur. Qui verò libros
„ imprimit, eadem ferè & facilitate &
„ brevitate non jam unum, ſed plura
„ perficit volumina, quæ multis le-
„ genda impertiri poſſunt. Nec pu-
„ to impreſſorem ſcriptoris perdere
„ mercedem, quin imò cumulatiùs
„ eam conſequitur. Quam verò mer-
„ cedem Scriptores conſequantur, *Jo-*
„ *annes Gerſon* in ſuo de Scriptoribus
„ Syntagmate perpulchrè narrat.
„ Primum autem librum, quem im-
„ primi feci, hunc eſſe volui, *Alcui-*
„ *num* videlicet *de Sancta Trinitate*:
„ tum propter Auctorem; quando-
„ quidem Monachus & quidem Ordi-
„ nis S. Benedicti: tum propter opus
„ ipſum, quandoquidem à puero San-
„ ctam ipſam Trinitatem ſingulari
„ quadam devotione veneratus ſum.
„ Obteſtor itaque vos poſteros ac fi-
„ deliſſimos inſignis Monaſterii hujus
„ alumnos, ne hanc imprimendi ar-
„ tem veſtrâ incuriâ & negligentiâ
„ peſſum ire ſinatis: ſed pro virili ve-
„ ſtra conſervetis, foveatis, & aug-
„ mentetis. Sic enim vobis domi la-
„ bor, foris honor nunquam deerit.
„ In Monaſterio noſtro Uttinburrha
„ kalendis Septembris. Annô ſalutis
„ ſeſquimilleſimo nono, Prælaturæ
„ noſtræ ſecundo. Amen.

Conſilium de excitando ſtudiorum Collegio.

Prudenter etiam ſecutis inde temporibus inter Principem Campidonenſem, & alios Sueviæ Abbates, tractari cœptum eſt *de ſtudio*, ut vocant, ſeu *Collegio literorum* ad imbuendos juvenes Religioſos artibus liberalibus inſtituendo, & ſede quidem Ottenburæ deſigenda; ita enim (d) Campidonenſis 23. die Januarii anno 1533. ad Ottoburanum ſcripſit: *Etſi prorſùs decretum nobis fuerit in craſtinum, ut condixeramus, ad Vos deſcendere, & juxtà Dominum Zwifaltenſem in ſcholaſtico noſtro, de quo vobis conſtat, negotio pro viribus aſſiſtere; inevitabiles tamen cauſæ nos Uberlingom proficiſci compellunt. Itaque Vobis ac Domino Zwifaltenſi cauſam liberè commendamus, officiosè rogantes, ut omnia pro arbitrio, quàm poteritis exactiſſimè definiatis, omnia quæ vobis viſa fuerint è re fore, prolixè adprobabimus.* Religioſiſſimi verò Antiſtites in hunc finem confœderati non ſolùm Campidonenſis, Ottoburanus, & Zwifaltenſis fuerunt, ſed alii etiam plures (e) Weingartenſis, Ochſenhuſanus, Elchingenſis, Wiblingenſis, Urſinenſis, Donawerdanus, &c.

Ejus Directores & Profeſſores.

Directores delecti *Campidonenſis* & *Ottenburanus*. Profeſſores Scholaſtici pingui ſalario conducti, qui Græcas, Latinas, & Hebraicas literas, diſciplináſque philoſophicas, theologicas, & humaniores profiterentur. Inter hos fuêre *D. Georgius Cornerius*, M. *Joannes Gaza*, M. *Joannes Eppius*, M. *Joannes Rabus*, M. *Michaël Dornvogel*, M. *Joannes Salicetus*, D. *Martinus*

(d) Annal. Zwifalt. part. 2. pag. 127. ad an. 1533.
(e) vid. Pet. Frans. Suevia Ecclesiastica pag. 841.

tinus Viennenſis Theologus profundiſſimus, M. *Udalricus* Lavingenſis, M. *Jacobus Günzer*. Ex Religioſis gemini Priores Zwifaltenſis, & Blavoburanus. Item P. *Lucas Proel* Ord. S. Franciſci Theologus. Studiorum Præfectus fuit *Caſparus Kindelmann* Ottenburanus, cum quo *P. Nicolaus Ellenbogius*, Vir Græcè & Hebraicè doctiſſimus, Prior Ottenburanus quotidie ſcholas diſputandi gratiâ obibat. Hujus doctiſſimi Cœnobitæ meminit *Mabillonius* in ſui Itineris Germanici Diario, eíque ſuffragante (f) Eminent. Card. *Angelo Maria Quirino*, juſtas omninò laudes tribuit, quippè qui ſaluberrimi illius inſtituti Auctor, Promotor, Statórque primarius extitit.

Erectionis ſolemnia.

Quæ porrò fuerint erectionis illius Gymnaſii ſolemnia, fuſiùs narrat ipſe *Ellenbogius* in quadam epiſtola his verbis: *De ſtudio noſtro literario noveris ipſum cæptum eſſe, & non infeliciter procedere. Die 17. Januarii* (A. 1543.) *unus Profeſſor M.* JOAN. EPPIUS *declamationem habuit in choro in commendationem novæ Academiæ, præſentibus primò Ill.*[mo] *Patre D.*[no] WOLFGANGO *Abbate Campidonenſi, noſtróque Abbate cum toto Conventu & nonnullis Sacerdotibus ſecularibus. Facta declamatione cantatum eſt officium ſolenne de SS. Trinitate, poſt quod omnes intravimus locum lectionis, ubi idem Magiſter ad laudem Dialectices venuſtam habuit orationem, quâ finitâ prandium omnes pariter ſumpſimus in hilaritate multa gaudentes & geſtientes de incæpto Gymnaſio.* Sequenti die ordine quo ſuprà ſecundus Magiſter *Joannes Gaza* declamationem habuit *Rhetorices* paritérque *Græcæ linguæ* encomium oratione longè diſertiſſima perorâns. Huic actui interfuit, caſu neſcio quo, *Henricus* Abbas in Wiblingen, *vir haud amuſus, immò latinè græcéque doctus*. Poſt declamationem cantatum eſt officium ſolenne de Spiritu ſancto. Habemus igitur præ oculis Deum, eúmque invocamus, quatenus cœptum opus gratioſè adſpiret. Tertia die deſcendit in arenam M. *Michaël Dornvogel* longiuſculâ eáque elegantiſſimâ oratione ſtudia humanitatis extollens. Mirum dictu quàm vir ille pro ſua ſingulari eruditione & congenita affabilitate, maximâ ſuâ laude declamârit, & quidem tantâ ſermonis ſuavitate, tanto verborum lepore, tam congruente actione, ut animos Auditorum omnium mirâ dulcedine ſuſpenſos teneret. Finitâ hac declamatione decantatum eſt officium ſolemne de B.[ma] Virgine, & ita tribus diebus invocatum eſt divinum auxilium, quatenus Deus omnium bonorum largitor, bonum novello ſtudio tribuat initium, proſperrimum ſucceſſum, & cataſtrophen feliciſſimam. Die autem Januarii 22. in feſto S. Vincentii cœperunt ſinguli Profeſſores ſuas aggredi lectiones. Det Deus, ut felici auſpicio cœpta ſit, durétque in annos plurimos ad laudem Dei & commodum Eccleſiæ univerſalis. *Fuerunt hîc hiſce diebus ſimul tres Abbates, Princeps ex S. Gallo, hoſpes quidem nobis inſolens, ſed gratiſſimus, Princeps Campidonenſis Gymnaſii noſtri Mæcenas, & Abbas ex Zwifalten pariter ut doctus, ita & candidus & humanus.* Hæc ille.

Diſciplinæ traditæ.

Quæ autem diſciplinæ fuerint traditæ, luculentiùs diſcimus ex literis *Joannis de Stain* Abbatis Zwifaltenſis ad confœderatos eo tempore datis, ubi inter alia hæc commemorat; *Latinis quoque literis & græcis hebraïcæ, utpotè verè divinæ adjungantur. Quantum hæ ad intelligentiam Scripturarum conferant nemo neſcit. Dein* Ethica & Philoſophia. *Ad hæc Ethnicorum commentariorum lectio plurimùm conducit ad Chriſtianiſmi doctrinam confirmandam, exemplo SS. PP. Cypriani, Hilarii, Hieronymi &c. Præterea Hiſtoriarum libri legantur, videlicet,* Salluſtius, Valerius Maximus, Euſebii Hiſtoria tripartita, Titus Livius, Julius Cæſar, Tacitus &c. *Nam in his ac ſimilibus multa Religioſis valdè utilia reperire eſt. Porrò ad minimùm Principia vel rudimenta Aſtronomiæ, Muſices, Geometriæ, Arithmeticæ, Coſmographiæ dentur; ſiquidem Authores Artium harum ſæpiſſimè meminerunt, & ad uſum maximè conducunt. Theologia ſanè ſine aliqua harum ſcientiarum notitia vix benè intelligi poteſt, doctiſſimis mihi Tubingæ ſtudenti hominibus ſæpiſſimè id inculcantibus. Et verò quid utilius, quídve magis neceſſarium hiſce præſertim tam turbidis, afflictiſque temporibus eſſe poteſt, utriusque Teſtamenti Religioſis noſtris factâ prælectione? Item omni ſtudio eò enitendum, ut ſingulis hebdomadis declamationes & diſputationes fiant, continuentúrve...*

Gaſpari Ottoburani Abb. in rem lit. merita.

Et hæc quidem fuêre Gymnaſii illius ſtatuta, hæc initia ſanè quàm auſpicatiſſima. Verùm Bellona ſubſequens in exilium paulò pòſt ejecit hunc cum Muſis ſuis Apollinem. Di-

vinâ

(f) In epiſt. ad Epiſc. Auguſtanum.

vinâ tamen providentiâ factum credimus, ut qui inclinante eodem ſeculo Ottoburæ præfuit Abbas *Gaſparus*, labentem rei literariæ ſtatum rursùs erigeret, ac fugientibus Muſis manum injiceret. Teſtatur id inter alios ejus loci cœnobita *David Aicheler* eo tempore Bibliothecæ Præfectus in ſua ad Catalogum à ſe confectum præfatione his verbis: *Poſtquàm*, inquit, *Reverendi admodùm in Chriſto Patris ac Domini* D. N. GASPARI *Abbatis Uttenpurrenſis & Mæcenatis mei colendiſſimi liberalitate bonas literas colere ac proprium Monachi officium intelligere cœpi, nullâ in re ex his caducis, magis animum meum oblectare libuit, quàm legendo, revolvendo atque terendo libros, & virorum eruditorum ſcripta ac monumenta. Nam præterquàm id genus occupationis ſingularem voluptatem cum ſummâ utilitate conjunctam ſuis amatoribus afferre experiebar, Deo etiam O. M. gratum, clericis omnibus accommodum, honeſtum & amplectendum, Monaſteriiſque & Eccleſiis, ac ipſis quoque Rebus publicis ſummoperè neceſſarium eſſe ſentiebam... Quo enim modo cœnobiis non ſalutare & neceſſarium, ſine quo, utì non ſunt inſtituta, nec propagata, ita nec diu in flore & diſciplina, non dico monaſtica, ſed nec populari, conſervari queunt? Teſtis ſit mihi quotidiana omnium experientia: An non ibi flagitiorum nunc omnium ſentina, poſtquam literarum peritia neglecta & ſpreta eſt, ubi olim, dum ſcientiarum ſtudium floreret, omnium virtutum ſchola videnda erat? Nec mirum. Homines enim otioſi, ac caligine ignorantiæ obcæcati, dum lumine ſapientiæ non delectantur... ad fabulas convertuntur &c. Quamobrem ſempiternâ laude digniſſimus eſt noſter Præſul, qui ut à grege ſibi commiſſo tantæ luis cauſam & radicem omputaret, truculentámque ignorantiæ beſtiam omnis ordinis & diſciplinæ perturbatricem procul arceret & profligaret, non curavit ſuſurrationes ſycophantarum... ſed nos ferè omnes ad Academias ablegavit, & inibi... per aliquot annos liberaliſſimè ſuſtentavit, ſimúlque admonuit & juſſit, ut in emporio ſcientiarum & palæſtrâ virtutum ita verſaremur fructuosè, quatenus domum revocati, non minùs & exemplo quàm verbo doceremus, quid Chriſtiano homini, & maximè Religioſo faciendum fugiendúmque ſit...* Hæc ille. Alios porrò ejusmodi Muſagetas & rei literariæ præſtites hîc brevitatis causâ præterimus; paſſim enim in ſequentibus recurrent.

Studium in cœnobiis apud Germanos difficile.

Præter æquum antem facturus mihi videor, niſi culturam rei literariæ apud Benedictinos in quampluribus Germaniæ Monaſteriis ſeculo XVI. longè difficillimam fuiſſe ultrò profitear. Non multò enim poſt ejusdem initium hæreſes & bella exorta fuerunt, quæ quòd monachi minori obſequio cultúque Minervam dignati fuerint, maximam ferè culpam ſuſtinent. Quis neſcit, universâ ferè Germaniâ, hauſto hæreſeos veneno in ſe ipſam cruentis enſibus deſævientе, quàm plurima Ordinis noſtri monaſteria fuiſſe devaſtata, literariam ſupellectilem in Muſeis & Bibliothecis direptam, monachos alios internecioni datos, alios in fugam actos, alios domi ab hæreticis miſerrimè habitos? Quis autem otio, quietíque, unde literæ vigent, locus eſſe potuit in hoſtium irruptione, monachorum fugâ, cœnobiorum direptione, devaſtatione, excidio? Enimverò tum major de aris & focis conſervandis, bonis ac proventibus tuendis, quàm de literis pro dignitate excolendis cura inſtabat. Cujus calamitatis unum atque alterum è multis proferre liceat exemplum.

Auguſtæ in S. Udalrici monaſterio ſcholæ apertæ.

Auguſtæ Vindelicorum (g) Seculo XVI. ineunte in percelebri Monaſterio ad SS. Udalricum & Afram Cœnobitæ juventutem civitatis à primo ætatis ingreſſu liberalium artium inſtitutis ac morum diſciplinis haud ſegniter imbuerunt. Anno 1505. erant ſcholarium, qui Benedictinis præceptoribus operam dabant, octo ſupra ſeptuaginta. Com his, ſuóque Conventu Abbas publicæ ſupplicationi ſe adjunxit, quæ eodem anno, præſente *Maximiliano I.* Imp. ac Imperatrice cum magna Clericorum ac Civilium utriusque ſexûs turba ab Æde principe Civitatis ad Templum S. Udalrici inſtituta fuit propter prodigioſas Cruces in veſtibus lineis hominum, mulierum præſertim, & quibusvis aliis linteis tam Auguſtæ, quàm vicinis locis apparentes. Non igitur anno primùm decimo ſeptimo ſeculi decimi ſexti ſchola in Monaſterio San-Udalricano patuit, eam aperiente *Ottomaro Nachtigallo*, ſive *Luſcinio*, ut D. Jac.

(g) Carol. Stengel. Rer. Aug. Part. 2. c. 62. p. 258.

Jac. *Bruckerus* (h) nuper ſcripſit. Hunc enim ab Abbate JOANNE SCHROTTO Argentorato Auguſtam anno circiter CIƆIƆXVII. vocatum eſſe, dicit, ut ludum literarium in eo aperiret cœnobio; jam enim anno tertio ejusdem ſeculi patuerat. Sed ea cauſa *Ottomarus* accitus fuit, ut *literas Græcas*, quarum peritus erat, ſtudioſam doceret juventutem. A vero etiam multùm abeſt, quòd JOANNES Abbas exturbatæ ignaviæ, & revocatarum literarum odio preſſus, San-Udalricianæ Familiæ ita exoſus factus fuerit, ut conſultius duceret, tempeſtati cedere, atque Abbatiâ ſe abdicare, quàm diutiùs inimicitias ſuorum perferre. Quâ enim veritatis ſpecie hæc dicuntur? cùm id temporis in San-Udalricano monaſterio monachi degerent, qui literarum ac bonarum artium cultores maximi erant; videlicet *Joannes Griesberus* Bibliographus, LEONARDUS WURSTLINUS, ſcribendi artificio celeberrimus, VITUS BILDIUS à commercio literarum cum viris ejus ævi doctiſſimis inclytus, CLEMENS SÜNDERUS, qui Hiſtoriæ inſudabat univerſali, quam libris XII. comprehenſam multu deinde ſtudio ac labore ad faſtigium perduxit. Et hi hujusmodi literati Monachi odio literarum Abbatem ſuum faſces ponere adegerunt? Nugæ! quas Judæo credendas Apellæ relinquamus. Tenuit verò Schola San-Udalricana ad annum uſque 1527. quo Abbas cum ſuo Conventu ab hæreticis urbe pulſus Witelſpachium emigravit.

Viri in eodem cœnobio literis clari.

Ludovicus Bloſius Lætienſis Abbas † 1566. VII. Jan.

In Belgio eâdem ætate floruit Venerabilis *Ludovicus Bloſius* Lætienſis Abbas vitæ innocentiſſimæ laude ac doctrinâ celebratiſſimus, cujus lucubrationum cùm immenſus ubique extiterit fructus, tum & iſtam habuere æſtimationem, ut variis variarum gentium linguis, Germanicâ, Belgicâ, Hiſpanicâ, Italicâ, Gallicâ, Anglicâ, translatæ ſint. Neque intra Europam aut fervor eas legendi ſtetit, aut fructus; ſed in ipſas quoque Indiarum provincias navigavit. Unde facilè patet, quanto omnium gentium applauſu ac uſu ſint exceptæ. Iſta verò ſcripta ordine annorum, quo edita ſunt, prolixiùs recenſita extant in Actis Sanctorum Bollandi Tom. I. ad diem VII. Januarii pag. 430. ſeqq. quo ex fonte ſitim haud turpem reſtinguere poterit ſtudioſus Lector. Quid verò in ſtudiis & lucubrationibus maximè ſpectandum ſit, ipſe luculenter nos docet in ſtatutis *de ſpiritu inter literarias exercitationes conſervando*, his verbis: *Sic*, inquit, *permittimus Fratres pro tempore vel ætate operam dare politioribus literis, ut tamen per illarum ſtudium labem ſuperbiæ & vanæ gloriæ in ſe non trajiciant, ſed omnia ad honorem Dei purè referant; Alioquin præſtat Monachos idiotas eſſe, quàm elegantes.* Eodem ſpectat quod alibi præcipit: *Si quis viſus fuerit omninò ad vanitatem dare operam politioribus literis, ac propter earum ſtudium curam pietatis deſerere, impediatur, arceatúrq; à vanâ & damnabili occupatione... Niſi enim juventus, quæ exercetur in literarum ſtudiis, freno timoris divini contineatur, facilè amore eloquentiæ correpta illectáque dulcedine curam pietatis deſeret, & effecta velut ethnica & ſine Deo abibit in vitiorum præcipitium.* Hæc ille albo notanda lapillo.

Studia literarum florent in Monaſterio Elchingano.

Monaſterium Elchinganum uno milliari Germanico, Ulmâ Imperiali Civitate diſſitum eſt. Præfuit loco ab anno ejusdem ſeculi decimo nono uſque ad annum 1541. Abbas HIERONYMUS, qui, teſte *Bruſchio*, habuit ſua ætate in cœnobio perdoctum Monachum, *Joannem Phileremum*, patriâ Faucenſem, Muſicum ac Poëtam, non contemnendum, aliósque multos Patres & literis & vitæ bonitate inſignes, qui in Gymnaſio ſuperiore ſeculo intra monaſterii muros excitato, ſtudioſam juventutem magnâ frequentiâ confluentem optimarum artium ſtudiis imbuerunt. Cùm verò anno 1546. bello Germanico idem Cœnobium ab Hiſpanis occupatum fuiſſet, Ulmenſes hoſtem adeò vicinum ægrè ferentes, die S. Galli ſacra, irruptione facta, flammas eidem injecerunt, ac univerſum pene cum eccleſia ac omnibus ædificiis deleverunt: in quâ calamitate jacturam fecit ducentorum millium aureorum, & inſignis Bibliothecæ; nam & omnia templi ornamenta, & monumenta perierunt, nihilque manſit integrum. Quò factum, ut Imperiali monaſterio in ruinis jacente, *Othoni* ex S. R. I. Dapiferis *de Waldburg*, Cardinali & Epiſcopo Auguſtano è re viſum fuerit, ſi Dilingam Lycæum Elchinganum transferretur, ubi Seminarium pro juvenibus ad Ordinem Eccleſiaſticum aſpirantibus inſtituit, illúdque an. MDLIV. duodecimo Calendas Junii per D. STEPHANUM

quod Dilingam transfertur.

(h) In Miſcellaneis Hiſtoriæ Philoſophicæ Literario-Criticæ pag. 307.

NUM Abbatem Benedictinum Monaſterii S. Crucis Donawerdæ in Academiam convertit, quam demum anno MDLXIV. decimo ſexto calendas Septembris Patribus Societatis concredidit; à quibus deinde permulri juniores Fratres ex diverſis Helvetiæ, Sueviæ, Bavariæ &c. monaſteriis Dilingam, quemadmodnm & Ingolſtadium miſſi in Philoſophicis ac Theologicis diſciplinis inſtituti fuerunt, ut & ipſi ad alios literis domi informandos idonei redderentur.

Joachimi Opſeri Abb. San-Gal. elogium.

Quos inter vel unius JOACHIMI OPSERI Abbatis San-Gallenſis LXII. meminiſſe haud me pigeat. (i) Hic ſummam eruditionem cum variâ linguarum cognitione conjunxerat; ſiquidem præter Philoſophiæ, Theologiæ, & Mathematices diſciplinas, quibus Dilingæ, Pariſiis, & Arverniæ operam dederat, Græcæ etiam, Hebraicæ, & Gallicæ linguarum uſum incomparabili propè facilitate aſſecutus, egregia poſt ſe ingenii ſui monumenta reliquit, ſed neque ad ſubjectum ſibi populum verba facere, eúmque ſacrâ doctrinâ imbuere aliquando per totam Quadrageſimam dedignatus eſt; adeò Catholicæ religionis promovendæ zelo æſtuabat, quam ubi in priſtinum alveum reduxit, alumnos ſuos Romam Pariſióſque ad comparandas ſcientias miſit. Patribus etiam Societatis Jeſu pro novo apud Lucernas Collegio excitando 500. Imperiales in ſubſidium numeravit.

Abbates Gengenbacenſes cultû literarum illuſtres.

Pari literarum ac virtutum ardore flagrârunt Gengenbachenſes in Sueviâ Abbates, Primus eſt PHILIPPUS (k) ex nobili familia *de Eſelperg* natus, qui monaſterium multis ædificiis exornavit, atque inprimis, ut literis juventus operam daret, inſtituit. Alter fuit FRIDERICUS (l) ex nobili familia *de Keppenbach* in Briſgovia natus, qui ſcholam monaſterii per aliquot ſecula clauſam denuo aperuit, & juventutem in bonis literis educandam docto Præceptori *Cornelio Eſelpergero* commendavit. Et hic quidem *Cornelius* loci Paſtor, & Capituli ruralis Offenburgenſis Archipresbyter fuit, Catholicæ religionis apud Gengenbachenſes reſtaurator ferventiſſimus, utpote qui doctrinam ſuam ſummâ vitæ integritate condiebat, & confirmabat. Qui etiam Abbatis *Friderici* elogium propriâ manu ſcriptum poſteritati in hæc verba reliquit: (m) „Fridericus rebus humanis peſte exemtus, ad Chriſtum commigravit, „ut piè credo. Tanta ſiquidem continentia fuit, ut non jejuniis tantùm, ſed virgis etiam & ciliciis carnem caſtigaret, lecto rariùs utens, „ſed ſtramine cilicino panno ſtrato. „Ad ſecundam noctis horam ſurgens, „orationibus & matutinis laudibus „perſolvendis intentus, primus ſemper & noviſſimus in templo, eleemoſynis largus, verbis, veſtitû, & „animo perquàm humilis, laboris patiens, luxûs omnis inſenſiſſimus hoſtis. Utinam nos ejus diſcipuli vel „in aliquo ſaltem ejus æmularemur „& aſſequeremur pietatem. Pridie „quàm vitam clauderet, matutinis „etiam interfuit, non ſine graviſſimo „dolore, nec in lecto jacens, ſed cilicino induſio indutus ſedens obdormivit in Domino; peſte poſtmodum graviùs etiam monaſterium adhuc vexante.„

quos inter Fridericus,

& Gisbertus eminent.

Tertius emicuit *Gisbertus* (verba ejusdem (n) refero Autoris) ex Metenſi ditione honeſtis parentibus natus. Hic cùm felici ingenio eſſet præditus, in oppido Mauri-Monaſterii bonis literis operam dedit, atque artium fundamenta egregiè jecit. Poſtea ſe Argentinam contulit, & ingenium omni genere diſciplinarum excoluit. Mundi næmias pertæſus anno 1548. monachus, & anno 1556. Abbas factus eſt. Itaque Gisbertus ſuam functionem conſiderans, monaſterium paſſim ſuis ædificiis ruinas meditans magnis ſumpribus reſtauravit, atque ur omnia paſſim rectè fierent, curavit. Ne etiam amœnum eum locum otioſis hominibus præpararet, diligenter juventutem ad bonas literas perdiſcendas incitavit, atque ſuo exemplo libris inhærendum admonuit. Itaque ſcholam publicam ad monaſterium ædificavit, atque viros doctos liberalibus ſtipendiis ad ſe pellexit, id quod veteres Abbates in frequenti uſû habuêre. Inter eos extitit laudatus *Cornelius Eſelberger*, homo eruditione & pietate inſignis, qui populum pro concionibus magno fervore inſtruxit, atque iſtam doctrinam vitæ integritate omnibus probabilem reddidit.

(i) Dion. Sammarth. Gall. Chriſt. Tom. V.
(k) Henr. Pantal. part. 3. pag. 59.
(l) idem pag. 263.
(m) Dion. Sammarth. l. c. Tom. 5. pag. 873.
(n) Henr. Pantal. pag. 348.

Incrementa ſtudiorũ in variis monaſteriis, Banthenſi,

A *Caſpare Bruſchio*, qui, ut Ordinis noſtri Cœnobia maximè illuſtria deſcriberet, iter ad ea hoc ſeculo inſtituit, alii Abbates laudibus, quòd rem literariam curæ, alii quòd eandem neglectui habeant, vituperiis mactantur. Atque in primis (o) ALEXANDER è nobili proſapia Baronum *de Rotenhan*, Abbas Monaſterii Banthenſis in Orienrali Francia præconiis ornatur, quòd ſub medium ſeculi XVI. non modò inſignem in ſuo monaſterio ſcholam pro tam nobilibus adoleſcentibus, quàm pauperibus inſtituerit, ſed eximiam etiam Bibliothecam conſtruxerit.

S. Michaëlis Bambergæ,

In Monte S. Michaëlis (p) quod eſt in eadem Francia Orientali extra muros Bambergæ celebre monaſterium, ſtudia literarum priori ævo ab *Eberhardo* Abbate inſtaurata, ſub ejus ſucceſſoribus, *Andrea Staphelſteinio*, *Joanne Suttnero*, *Martino Seylichio*, *Georgio Adamanno &c.* Præſulibus doctiſſimis non modica ſumpſerunt incrementa.

S. Mathiæ Treviris,

Apud Treviros in Monaſterio S. Mathiæ EBERHARDUS DE CAMPIS an. 1519. in Abbatem electus, vir erat doctus, & optimis moribus præditus, qui & plurima ſcripſit, quibus nomen ſuum ad poſteritatis notitiam cum ſumma laude ac gloria transmiſit.

& Urſinenſi Sueviæ.

PAULUS NECCHARUS (q) ſub medium hujus ſeculi regebat Monaſterium Urſinenſe in Suevià: Vir gravis, doctus, & liberalis, ſapientiæ cœleſtis diligentiſſimus inquiſitor, eruditioníſque omnis politioris longè ſtudioſiſſimus cœnobium inſigni Bibliothecâ auxit & illuſtravit: *hoc aliquando in mea præſentia*, inquit Bruſchius, *aſſerens, Monachum ſine libris, & librorum ſtudioſâ inquiſitione ac lectione eundem eſſe, qui miles eſſet ſine gladio.*

Georgius Lechnerus Cremiſanii ludum aperit.

GEORGIUS LECHNERUS vir literis & humanitate clarus anno hujus ſeculi 1543. *Cremiſanio*, quod eſt ampliſſimum Superioris Auſtriæ Monaſterium, præſidere cœpit. (r) Quod ille plurimis magnificis ſtructuris illuſtravit. Et quod omnium maximum, ac in viro Abbate & religioſo verè laudabile eſt, *inſignem ſcholam* in ſuo Cœnobio aperuit, in quâ juventus Chriſtiana, & inprimis pauperum puerorum magna caterva non alitur modò, ſed & literis, & pietate & bonis moribus informatur ſtudioſiſſimè, plurimùm in hoc diſtans ab aliis hujus ſeculi Abbatibus, qui literarum odio plerumque flagrant, & juventutis curâ omninò non afficiuntur.

Quorumdam Abbatum noſtri ævi imago.

Haris idcirco (ſunt verba Bruſchii) *quàm aris potiùs adhibendi, cum fuci potiùs ſint, quàm apes Deo & Eccleſiæ utiles: in quos iratus Deus gravi aliquando pœnâ & ultione juſtâ animadvertet.* A quâ Bruſchianâ vituperatione ſe longè ſejunxit ALEXANDER hujus nominis II. qui hodie Cremiſanio præeſt, Sac. Cæſ. Maj. Intimus Conſiliarius.

Alexandri II. Cremiſanenſis elogium.

Is enim ſcholam Cremiſanenſem in Athenæum & Academiam Nobilium juvenum magnis ſumptibus erexit, ubi adoleſcentes proſapiæ illuſtris non humanioribus modò literis, Latinis, Græcis, & Hæbraicis, ſed aliarum etiam linguarum, Gallicæ cumprimis & Italicæ perceptione; tum philoſophicis atque mathematicis diſciplinis, Phyſicæ cumprimis experimentalis; deinde Hiſtoriæ quà Sacræ quà Civilis cognitione, atque Juris Publici principiis cum curâ inſtituuntur.

Votum Authoris.

Deus ſaxit! ut quod Abbas ALEXANDER (*Cui Pyleos vovemus annos*) præclatè cœpit, ejus ſucceſſores, eâdem prudentiâ, atque in bonas literas animi propenſione proſequantur, ne Athenæum Cremiſanenſe (*utì fieri apud Benedictinos amat, & ſæpiùs factum*) Monachorum incuriâ, deſidiâ, & laborum ſcholaſticorum averſione herba ſit ſolſtitialis, quæ manè oritur, veſperè occidit.

Wolfgangi Abbatis Lunælacenſis encomium.

WOLFGANGI HERBELINI Abbatis Lunælacenſis non poſſum hîc non meminiſſe, quòd cùm ob ſingularem virtutem, tum doctrinam, & prudentiam, charus fuerit omnibus, ſummis pariter & infimis, inprimis Divo MAXIMILIANO Imperatori, qui eum peculiari vocabulo *ſuum Monachum* (s) appellabat. Is Gymnaſium ineunte ſeculo decimo ſexto ſcholaſticis (*alitur enim in hoc Cœnobio magna puerorum literas diſcentium turba*) extruxit. Quod temporum injuriâ à diſcipulis non omninò deſertum, ſed infrequens, priſtino flori ac frequentiæ nuper reſtituit, qui hodie ad Monaſterii clavum ſedet R.mus D. Abbas BERNARDUS. Ecce illuſtres Germaniæ Abbates, qui velut aſtra matutina in irreligioſæ ignorantiæ nebula, clariſſimis doctrinæ ac virtutis radiis refulſerunt.

Hujus

(o) Henr. Pantal. l. c. cent. 1. pag. 15.
(p) Ibid. pag. 124.
(q) pag. 164.
(r) Bruſchius Cent. 8. pag. 128.
(s) idem l. c. pag. 156.

Concilii Colonienſ. Decreta circa Monachorum ſtudia.

Hujus etiam ſeculi anno trigeſimo ſexto Concilium Provinciale Colonienſe nonnulla perutilia in ſtudiorum gratiam ſancivit, (t) quæ fieri à monachis debent. *Primum*, quòd in ſingulis monaſteriis adſit Doctor aliquis pius ac ſapiens, ad Juniores in Lege Divina imbuendos idoneus, & quod ab exercitiis vilioribus & infimis occupationibus immunes declarentur ii potiſſimùm, qui magis ad ſcientias & ad ſpeculandum apti dignoſcuntur. *Secundum*: quòd in ſingulis monaſteriis Concionator itidem pius ac ſapiens eſſe debeat ad excitandos monachorum animos ad contemptum omnium temporalium, & perfectam alienationem à mundo. *Tertium*: Quòd ex junioribus monachis ad publicas atque Catholicas Univerſitates mitti queant, qui majori morum honeſtate fuerint præditi, ut ibi ſacræ Theologiæ ſtudio incumbant, ita tamen, ut habitare nequeant niſi intra Regularium caſtra coràm propriis Magiſtris, ne ſtudendi prætextù aliud meditentur: ne bonis ac rectis ſtudiis deſtinati mores minimè monaſticos imbibant, & contrahant. Quibus Statutis, quòd cùm noſtri, tum aliorum Ordinum Præſules morem geſſerint,

Quibus morem gerunt Abbates.

Jacobus Gretſerus S. J. doctus Theologus his verbis fidem facit. „ Præter magiſtros domeſticos, quos erudiendis aliis conſtituebant, ad publicas etiam Academias, nominatim ad Pariſienſem, ſuos ablegabant, ut Philoſophiæ & Theologiæ ſcientia potiſſimùm expoliti fructus majores Eccleſiæ Dei afferrent. Quorum veſtigia jam à compluribus annis diligenter & laudabiliter imitantur ampliſſimi Prælati Bavariæ, Sueviæ, Helvetiæ, qui ſemper in Univerſitatibus Ingolſtadienſi & Dilingana aliquos ex ſuorum cœtu literarum cauſa alunt. Quo id conſecuti ſunt, ut paſſim jam cœnobitas omni diſciplinarum genere accuratè inſtructos invenire liceat, inſigni Ordinum ornamento, & incremento. „ Hæc celeberrimus Jacobus Gretſerus in Epiſtola Nuncupatoria *Horti S. Crucis* ad Stephanum Abbatem Schyrenſem, qui cùm & ipſe adhuc juvenis ſtudiis Ingolſtadii inſudaret, paſſim *doctus monachus* indigitatus fuit.

Quo loco ſtudia apud Italos fuerint.

Ex alia Epiſtola Dedicatoria intelligere licet, quò loco literarum ſtudia in Congregatione Caſinenſi ſeculo XVI. habita fuerint. (u) *Benedictus* enim *Bacchinus* ad epiſtolas *Iſidori Clarii*, aliáque ejus Opuſcula, quæ publicâ luce donavit, inter cætera his verbis præfatus eſt: „ Sacra igitur inprimis ſtudia per ea *Iſidori* tempora Monachorum noſtrorum erant, quorum plures laudat in his epiſtolis Auctor (viz. *Iſidorus*) ſacris reliqua famulabantur, Latini ſcilicet, Græci, & Hebræi ſermonis notitia, & univerſæ Philologiæ Encyclopedia; ſcholaſtica ſobriùs ac nunc fit, colebantur, quantum videlicet ſatis eſſet utilioribus dignoſcendis, & mentis aciei exercendæ. In his porrò non modò Monaſterii Parmenſis Monachos (ubi *Iſidorus* adolevit, pietatíſque & literarum graviorum tyrocinium poſuit, adeptúſque eſt, ut ſummorum in Eccleſia virorum judicio aptiſſimus exiſtimaretur, rebus graviſſimis gerendis) vitam triviſſe palàm eſt, ſed & reliquorum per Italiam Cœnobiorum Alumnos, quod præfiſcinè dictum ſit, ut appareat iniquioris in Monachos animi fuiſſe, qui ut novitatis, quam inducebant, prætexerent cauſas, Monachos utì Barbaros infectóſque calumniabantur. „ Hæc doctiſſimus *Bacchinus* de literarum ſtatu ſeculo XVI. apud Italos Benedictinos.

Alexii Ugonii ea de re teſtimonium.

Ne quis tamen illius, ceu recentioris auctoris verba in dubium vocet, coævi Scriptoris, qui eodem ſeculo ætatem egit, profero teſtimonium. Is eſt *Alexius Ugonius* à ſcientiarum ornamentis valdè commendatus Abbas. In celebri ſuo Tractatu, (x) quem de *Dignitate atque præſtantia Reipublicæ*, ſeu Congregationis Caſinenſis *ad Cardinalem Polum* ſcripſit, quis ſuo ævo in eadem Congregatione literarum cultus fuerit, his ipſis verbis exponit. „ Otium igitur à ſuis (*Monachis Congreg. Caſin.*) relegatum eſſe videtur, utpote quæ ſemper vel in aliqua honeſta corporis exercitatione, vel in Divinis laudibus eos omnes occupatos teneat, literarúmque ſtudiis operam dare jubet, & in omnibus præclaris diſciplinis ad ſtatum monaſticum pertinentibus (ampliſſima mercede conductis ad hoc doctiſſimis ac præſtantiſſimis quibusque Viris) ſuos omnes erudire ac nobilitare ſtudet. „ Hæc *Ugomus*, qui-

bus

(t) Confer. Concil. Trid. ſſ. V. cap. XIV. de Reform.
(u) apud Armell. Bibl. Caſin. part. 2. pag. 55.
(x) Inſertus eſt Tomo IX. Theſauri Antiq. & Hiſtor. Italiæ.

bus nemo non fidem adhibebit, cui vel per tranſennam *Mariani Armellini* Bibſiothecam Scriptorum Congregationis Caſinenſis evolvere collubuerit. Quàm multos enim, quámque egregios viros, qni ſeculo XVI. omnium doctrinarum diſciplinis ornati in eadem Congregatione, ceu clariſſima Sidera præfulsêre, author recenſet. Ex his verò duo præcipui fuerunt, quorum familiari converſatione Cardinalis *Polus* delectabatur, videlicet GREGORIUS CORTESIUS, & MARCUS Monachus, Nobilis Cremonenſis; de quibus in epiſtola (y) ad Cardinalem *Contarenum* anno 1536. menſe Auguſto ex agro Patavino, *Rovelone*, datis ita honorificè meminit: *Pridie quàm Pontificis diploma acciperem, fuit mecum hic Abbas noſter, quocum biduum ſuaviſſimè conſumſi, cùm adeſſet Marcus noſter Monachus, & idem titulo tenus Abbas, qui mecum aſſiduè fuit, & nunc eſt, atque erit quamdiu in hoc loco verſabor, quem nôſti, quàm amœnus ſit, ſed tamen maximè amœnus, quando duobus his comitatus hortos perambularem, qui me ſic ſuo ſermone paſcebant, ut cum Enoch prorsùs & Elia ambulare mihi viſus ſim in paradiſo Dei. Quoties verò te in noſtro ſermone deſideravimus, ut felicitatem noſtram compleres.*

Gregori9 Corteſius & Marcus Cremonenſis eruditione præcipui.

Commodùm verò hîc attexi poſſe mihi videtur Statutum ejusdem Congregationis Caſinenſis circa literarum ſtudia; quod tamen, quô præcisè anno editum fuerit, me præterit. Sic verò habet: *Cùm impium, & à Monaſtica diſciplina alienum ſit, inertiâ otióque langueſcere, & ab antiquis Patribus, qui Eccleſiam militantem omni doctrinæ genere, & facultate illuſtrârunt, filios degenerare: ut hujusmodi ignominiam, & notam fugiamus, otiúmque & nugas efficax diaboli virus evitemus: Divinarúmque Scripturarum ſpeculationi efficaciùs intendere poſſimus, ſimul ut coaleſcenti in dies, Authore Deo, Congregationi noſtræ hæc etiam inter cætera ſcientiæ gemma non deſit: hac præſenti conſtitutione ita decernimus.* In omnibus Monaſteriis, quan-

Statutum Congreg. Caſinenſis de ſtudiis.

„ tuscunque ſit numerus Monacho-
„ rum, frequentiſſima, vel ſaltem die-
„ bus Dominicis omnibus, aut ſemel
„ in hebdomada habeatur Lectio Sa-
„ cræ Scripturæ, vel Catechiſmi Ro-
„ mani. Diebus autem non feſtis,
„ quotidiana lectio ſit Grammaticæ,
„ vel humaniorum literarum, pro au-
„ ditornm captu vel indigentia. Et
„ ſi locorum ratio foret, diebus ſin-
„ gulis aut ſaltem alternis, altera eti-
„ am lectio ſit de officiis pœnitentiæ,
„ quæ caſus conſcientiæ vocant. In
„ monaſteriis Brixiæ, Mediolani, Pa-
„ piæ, Mutinæ, Florentiæ, Neapolis,
„ Catanæ perpetua lectio ſit ſacrorum
„ Canonum. In monaſteriis S. Bene-
„ dicti de Padolirone, Caſini, Cavæ,
„ Meſſanæ, binæ lectiones perpe-
„ tuò ſint, *Logicæ* ſcilicet ac *natu-*
„ *ralis Philoſophiæ*. In Monaſteriis
„ S. Georgii Venetiarum, Veronæ,
„ Placentiæ, Ferrariæ, Ravennæ, Cæ-
„ ſennæ quotidiana lectio ſit Logicæ
„ aut Philoſophiæ pro audiiorum
„ qualitate. In Monaſteriis S. Eu-
„ phemiæ, Brixiæ, S. Proculi Bono-
„ niæ lectio ſit quotidiana *Græcæ lin-*
„ *guæ* & *Hebraicæ*. In Monaſteriis
„ S. Juſtinæ Patavii, S. Pauli de Argon,
„ S. Petri Peruſii, & S. Martini de
„ Scalis, Seminaria inſtituantur ſu-
„ turorum Lectorum Theologiæ ac
„ Philoſophiæ: ad quæ non tantùm
„ ſcholares mittantur, qui Logicam
„ apprimè calleanr, & in primordiis
„ Philoſophiæ ſpecimen non contem-
„ nendum ingenii dederint. In ſingu-
„ lis autem hujusmodi ſeminariis ut
„ minimùm bini *Lectores* ſunto, alter
„ *Theologiæ*, & alter *Philoſophiæ*: uter-
„ que inprimis probatis moribus, &
„ doctus: qui aſſiduè ſcholarium di-
„ ſputationibus & collationibus in-
„ terſit. Prædictæ autem lectiones in
„ omnibus ſupraſcriptis Monaſteriis
„ ad id deſignatis perpetuò habean-
„ tur: neque ab his amoveri poſſint,
„ aut alterari, niſi per Capitulum
„ Generale, de conſenſu duarum par-
„ tium Prælatorum, ſervatis ſervan-
„ dis, ut in aliis ordinationibus per
„ Prælatos abrogandis, ſive appro-
„ bandis. Isque ordo ac regula ſerve-
„ tur, tam in Seminariis, quàm aliis
„ Monaſteriis, qui à Capitulo Gene-
„ rali ad ſtudioſorum profectum ſta-
„ tuetur. Et ut fratres noſtri arden-
„ tiùs præfatis ſtudiis incumbant,
„ quò major eis cōmoditas data fue-
„ rit: hortamur Prælatos & Superio-
„ res Monaſteriorum per viſcera miſe-
„ ricordiæ Dei noſtri, ut omnem eis
„ commoditatem tribuant, etiam à
„ communibus exercitiis, & ab ali-
„ quibus Horis Canonicis (*non tamen*
„ *diebus feſtis, nec prætermiſſa oratione*
„ *mentali, integrâ etiam pro viribus*
„ *regulari obſervantiâ*) ſi opus fuerit,

Lectio S. Paginæ, Grammaticæ, Theologiæ moralis, SS. Canonum, Philoſophiæ, & Linguarum. Seminaria, in quibus duo Profeſſores. Paræneſis ad Abbates pro exemptione ſtudentium.

„ exi-

(y) apud Em. Card. Quirini in Diatrib. ad Ep. Reginaldi Poli c. 5. p. 299.

„ eximendo. Pro Fratrum quoque „ ſtudio vacantium diligentiori custodia, & ſeveriori diſciplina, atque „ ut tempus non inutiliter conteratur, unus ex deputatis Monaſterii, „ qui ſcholis præſideat, in reformatione Officialium eligatur: qui cuncta „ ſecundùm Deum & ſcholarium profectum exequens pro viribus ſemper adeſſe procuret. „ Atque hæc quàm præclarè ſtatuta, tam ſollicitè etiam ad obſervantiam multo tempore redacta fuerunt. Unde Congregatio Caſinenſis in magnis ubique gentium laudibus fuit, quòd alumnos magnâ habeat frequentiâ, qui in arcem omnium diſciplinarum evaſiſſent.

Auguſtinus de Grimaldis Lerinenſe monaſteriū Caſinenſibus ſubjicit.

Cùm igitur *Auguſtinus de Grimaldis*, Epiſcopus Graſſenſis, ea de Congregationis Caſinenſis alumnis, prædicante in Galliis famâ, audiret, quæ de optimis Religioſis & viris doctiſſimis poterant commemorari, rectè ſe facturum exiſtimavit, ſi Lerinenſe in eodem Regno monaſterium, quod in commendam habebat, ſacræ Congregationi Caſinenſi ſubjiceret ac uniret. Factum id eſt ab anno 1515. Tùm verò Italiam complures Monachi cum Galliâ commutârunt. Vigebat in Lerinenſi Inſulâ mira literarum & religionis contentio, ut tamen monachi conjunctis animis cum ſquallidâ barbarorum colluvie continenter bellum gererent, ita Latinis literis, humanæ & divinæ Philoſophiæ juxtà dies noctésque incumbebant. Artium proinde liberalium ſtudia in Inſula Lerinenſi tunc ſolidè reviviſcere cœperunt, quàm olim ſitu & incuria exaruerant. Præter cæteros duo eminuerunt, GREGORIUS CORTESIUS, & DIONYSIUS FAUCHERIUS. Et prior quidem (z) excitandi in Inſula doctorum virorum Collegii conſilium inierat: cujus cùm eorumdem plures, qui totos ſe liberalibus ſtudiis tradere decreverant, participes feciſſet, continuò aliqui deſiderio hujus collegii non mediocriter ſe affici ſenſerunt.

unde Artium ſtudia apud Lerinenſes reviviſcere cœperunt.

Stephanus Genuenſis illuc ſe confert.

Ex iis STEPHANUS *Genuenſis* erat vir doctiſſimus, ex peropulentâ Sauliorum gente, qui etiam in Collegio Cardinalium fratrem habuerat. Is diſſimulatâ perſonâ Lerinum venerat. Diſceſſurus verò ſe totum *Corteſio* aperuit: Ductum ſe illic, dicens, cœnobitarum viſendi deſiderio, & quoniam mira eſſent, quæ de illorum doctrinâ & moribus intellexerat, iccirco perſonam à ſe ſimulatam, quò liberiùs familiariúſque univerſa explorare poſſet; reperiſſe verò ſe omnia exſpectatione ſua majora. Iccirco daturum ſe operam, ut apud Lerinenſes diu permanſurus, confeſtim reverteretur. Velle ſe in ea ſolitudine inter viros & pietate & doctrinâ excellentes, triennio ſaltem literis diligentiſſimè operam dare, habiturúmque *Chriſtophorum Longolium*, & alios complures doctos viros ejus deſiderii participes. Quâ quidem de re paucis antea diebus *Longolius* ipſe ad *Corteſium* ſcripſerat, ſpe factâ, ſe quamprimùm ad Lerinenſes devolaturum, ac tranquillo ſolitudinis, literatóque otio triennium ad ſummúmque quadriennium liberrimè fruiturum, quò poſſet totius antiquitatis monumenta excutere & æmulari, ſibi immortale nomen, ætati ſuæ decus, poſteritati utilitatem non mediocrem pariturus.

& Chriſtophorum Longolium accerſit.

Benedictus Theocrenus Franciſco I. Galliæ Regi commendatur.

Similia ferè *Benedictus Theocrenus* Corteſii in Philoſophiâ aliquando diſcipulus, ac poſtea filii primogeniti Regis Galliarum juventutis moderator perſcripſerat. Jámque *Corteſius* pro conſtituendis in Lerinenſi Cœnobio ſtudiis certum hominem in Italiam ad *Franciſcum I.* Galliæ Regem, qui tum in caſtris apud urbem Ticini erat, dimiſerat. Juſſus is fuerat primùm adire ad *Gullierm.um Langiæum* Regis Secretarium, *Corteſii* amicum, non minori eruditione ac doctrinâ, quàm amplificandi honeſtiſſima ſtudia amore præditum. Non enim *Corteſio* memoria exciderant amiciſſimæ illæ pollicitationes, quibus *Langiæus* ſe adjutorem in hoc negotio addixerat. Ut hominem verò magis adhuc permoveret, eidem *Corteſius* fidem ſuam obſtrinxit, quòd ſi Rex honeſtiſſimæ huic petitioni annueret, ſe ejus præclara admirandáque geſta calamo ſempiternæ memoriæ commendaturum eſſe. Nec dubium erat, quin *Corteſius* à maximo hoc ſapientiſſimóque Rege, qui nihil æquè deſiderabat, quàm ut bonarum literarũ ſtudia, quæ penè funditùs everſa jacebant, ſuo potiſſimùm favore excitarentur, poſtulata ſua abſtuliſſet, niſi brevì pòſt in conflictû apud Ticinum in hoſtium veniſſet poteſtatem. Quo infelici caſu *Corteſius* ſpe ſuâ dejectus in Italiam, hac rerum omnium in Galliis perturbatio-

(z) Vide ejus Epiſtolas Familiares.

batione, à Superioribus reverti juſſus, variis Abbatiis adminiſtrandis admotus eſt.

Dionyſius Faucherius in Taraſcum ſtudia provehit. Abeunte verò ex Inſulâ Lerinenſi *Corteſio*, remanſit DIONYSIUS FAUCHERIUS, cui ſatis non erat, omnem adhibere curam, ne Lerina à Muſis deſereretur, niſi easdem etiam in *Taraſcum*, Parthenonem Lerinenſi monaſterio ſubjectum induceret. Hoc hortatore, atque inſtructore apud Benedictinas in Gallia Veſtales Latinæ literæ regerminare cœperunt. Quod cùm Regi Galliarum, atque regiæ aulæ magnatibus majorem in modum probaretur, filias ſuas iisdem Latinis literis erudiendas Taraſcum miſerunt, *tanto progreſſu ac felici ſucceſſu, ut bonarum literarum ſtudia in hoc Parthenone ſe primùm efferentia, poſtea per alia Sanctimonialium monaſteria propagata fuerint.* Quid? quòd Monialium exemplo Virgines ac matronæ nobiles in ſeculo animum ad liberalium diſciplinarum ſtudia adjunxerint, hodiéq; adjungant, adeò,ut ſi Galliæ ab eo tempore doctarum fœminarum permagnus contigit proventus, is *Dionyſio Faucherio* cumprimis referri in acceptis debeat.

Corteſius S. R. E. Cardinalis creatur & ad Conciliū Trident. mittitur. Cæterùm GREGORIUM CORTESIUM in Italiam reverſum, quo tempore monaſterium S. Benedicti in agro Mantuano adminiſtrabat, PAULUS III. Pont. Max. ſub quo Concilium Tridentinum initium cœpit, Romam accitum S. R. E. Cardinalem creavit, ac in rebus ad Concilium ſpectantibus cum aliis Cardinalibus arbitrum conſtituit. Interfuerunt eidem Oecumenicæ Synodo præſtantiores è Congregatione Caſinenſi Theologi, è quibus *Auguſtinus Loſcus* & *Eutychius Cordes* admirabili eloquentia cum ſumma ſacrarum literarum cognitione ita claruerunt, ut non Caſinenſem modò familiam illuſtrâſſe, ſed ſeipſos etiam doctrinæ & memoriæ felicitate ſupergreſſi fuiſſe videantur. Præ his tamen eminuit ISIDORUS CLARIUS, *Tridentum* (ut Ferdinandus Ughellus Ital. Sac. Tom. I. pag. 770. de eo teſtatur) *à Paulo III. miſſus, ut Concilium ſuo interventû juvaret, tantâ plerumque linguæ facunditate, fluminéque ſententiarum fidei cauſas peroravit, ut quidquid dixiſſet, à Patribus Concilii pro oraculo haberetur.*

Eidem interfuêre alii Caſinenſes Theologi, quos inter Iſidorus Clarius eminet.

De Gallis etiam aliqua dicenda occurrunt. Ordinaverat jam olim BENEDICTUS XII, ut Abbates in Capitulo Provinciali congregati, unum ex monachis deligerent, qui cætero-rum Pariſiis *ſtudentium Prior* eſſet *Generalis*, quique potens in opere ac ſermone per directionem verbi & ducatum exempli eosdem monachos ſtudentes tractando ipſos, quoties opus fuerit, & ſibi videbitur expedire, convocaret ad locum aliquem competentem, illiſque quoad regularem præſideret diſciplinam, & poteſtatem haberet illos corrigendi &c. In morem autem Prior iſte Generalis (a) induxerat, ut monachos ſtudioſos plerumque menſe Martio circa feſtum *S. P. Benedicti* convocari juberet, quò ſacrâ illâ die divinis officiis ad unum omnibus intereſſent, atque exhortationem, quam cùm in genere, tum in ſpecie illis facturus erat, auſcultarent. Poſtea tamen Abbatibus, nominatim S. Dionyſii in Francia & S. Germani Pratenſis à Pontifice demandatum fuit, ut id muneris uni ex gremio ſuorum monachorū imponerent, *Guillielmus Briconnetus* Abbas S. Germani ut antiquum obtineret, anno 1518. *Guillielmum Balaretum*, & an. 1520. *Stephanum de Baſſi*, utrumque ſuæ Abbatiæ Monachum, Priorem conſtituit. Qui pro poteſtate ſua omnibus Monachis ſtudiorum causâ Pariſiis commorantibus præceperunt, ut juxtà intentionem Summi Pontificis in Capella S. Symphoriani comparerent. Nec illi emanſerunt: ab eo tamen tempore, incompertum qua de causâ, convocatio illa in deſuetudinem abiit.

In Galliæ cœnobiis ſtudentium PRIOR GENERALIS conſtituitur.

Statūs rei literariæ apud Cluniacenſes. Apud Cluniacenſes quo loco literarum ſtudia habita fuerint, epiſtola declarat *Martini Marrier*, Prioris Monaſterii S. Martini de Campis Pariſienſibus, Viri ſanè eximii, qui cum ſummâ religione & integritate vitæ conjuncta habebat omnium artium ſtudia optimarum. Ad hæc pariter excolenda, ut Cluniacenſes ſuos inflammaret, his graviſſimis verbis eos exhortatus eſt: „ Cùm ea vitæ ratio, quæ in cognoſcendis affectibus tota poſita eſt, „ quæque in *chamo & fræno*, ut loquitur Pſaltes, æſtuantis & in libidines deſpumantis carnis oſſa conſtringit, cæteris nobilior ſit & glorioſior, Fratres dilectiſſimi, tum „ demum ea longè præſtantiſſima eſt, „ ſi inter confragoſa loca, Cœnobiorúmque vepreta & aſperitates, humana-

(a) Jac. Boulliart Hiſt. Monaſt. Germani l. . pag. 181.

„manarum Muſarum ſit ornamentis exculta, & ſacrarum literarum politionibus documentis inſignita, quibus ſolitudinis ſcabra rudíſque facies non modò expoliri, ſed extra mandras fulgere, rutilare, clareſcere, & ad amorem ſui ſeculares allicere & inflammare poſſit. Etenim cùm vel teſte Seneca, *Vita hominis ſine literis mors ſit, & vivi hominis ſepultura.* Profectò virorum religioſorum, adeóque Monachorum ſolitariam vitam non tantùm leniri, verùm mirum in modum divinarum literarum aſſiduâ meditatione fulciri & ſuſtineri certiſſimum eſt. Quòd ſi fortè quid in ea durius aſperiúſque urgeat, inſtet, premat; tum demum veluti ad lenimen, & ad *omnem vitam inſtrumentum*, ut inquit Tertullianus, lectionem ſcilicet, quæ tædium temperet, curas diſpellat, animum recreet, & oblectet, devotionem augeat, & Religionis (quamquàm leve) jugum emolliat, recurratur. Alioqui ſi quis absque hujusmodi pane nautico monaſticæ Profeſſionis navem conſcenderit, veláque ventis fecerit, vix ac ne vix quidem ad propoſitæ beatitatis portum integris carbaſis, ſalváque rate, & mercibus poterit appellere. Neque verò ſum inſcius, innocentem, religioſam, & cœleſtem vitam absque illarum cognitione complures agitâſſe Patres, Eremi cultores, eámque potiſſimùm egregiè præſtitiſſe magnum illum *Antonium*, de quo ſatis nota D. Auguſtini ſententia: *Surgunt*, inquit, *indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris, ſine corde, ecce volutamur in carne & ſanguine.* Sed alia Cœnobitarum, alia Eremi incolarum ratio, à quibus talem, ſicuti ab illis, eruditionem eſſe minimè requirendam mihi facilè perſuaſerim, cùm diverſiſſimis inſtitutis & legibus, vitam ſemper egiſſe conſtet.„

Vita hominis ſine literis mors eſt potiùs quàm vita.

Alia cœnobitarum, alia Eremicolarum ratio.

„Sed quorſum hæc tam alto petita principio, niſi ut liquidò demonſtrem, cœnobiticam, hoc eſt, ſemotam, ſecluſam, & contra mundi turbines, muris quaquaverſùm obſeptam vitam, amplecti debere neminem literarum expertem, non quòd ab unoquoque completam quandam & abſolutam ſcientiam, literarúmque cognitionem, ſed tenuem, ſed mediocrem exoptem; Namque ſi

Cœnobitæ literis debent inſtrui.

Non poſſis oculo quantum contendere linceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.

„Unde elegantiſſimè meo judicio, & appoſitiſſimè quidam: *Id maximè quemque decet, quod eſt cujusque ſuum maximè.* Quid verò Monachum, quid ſolitarium decet magis, quàm inconnivens, quàm aſſiduum, quàm indeſeſſum ſtudium, & ſacræ lectionis irrequieta meditatio? Quantum hanc qui dignè præſtat, cæteris mortalibus anteire eſt cenſendus? quantis divinæ conſolationis afflatibus, animum alioqui graveſcentẽ, ad purum & defœcatum ſtatum, quietémque nulli, quàm ſibi ipſi notam & exploratam reducit? O quàm inæſtimabile bonum eſt, ſic ſuum fieri! Contrà quid inſulſius, quid inſuavius, & ad quodvis negotium ineptius homine illiterato, eóque Monaſtico & Cœnobita? Sordere, otiari, languere, torpere, ac ne quid durius dicam, id fermè quod inſtituto ſuo directò obſtrigillat, & repugnat, paſſim & identidem agere videas.„

Reſultantia inde commoda,

& ex neglectu incōmoda.

„Quod certè malum, ut vos tandem alloquar, *ô Cluniacenſes mei!* quantas & quàm altas, pluribus abhinc annis toto hoc noſtro Ordine, tot tantorúmque Patrum olim vitæ ſanctimonia doctrináque celebrium, inſignito, radices egerit, memorare pudet. An in illas PETRI quondam *Cellenſis* Abbatis vos ipſos aſtantis voces mihi prorumpere licebit? *Nónne*, inquit, *dolere debeo usque ad medullarum compagum diſcretionem, ſuper ruinam Matris filiarum Sion, utique Cœnobii Cluniacenſis? Nónne hæc eſt urbs fortitudinis noſtræ, de qua egrediebantur quondam mille per Epiſcopatus, per Abbatias, per Regum & & Principum Curias, & nunc pauciſſimi ſunt incolæ ejus. Nonne luminare hoc magnum tenebras obſcuratæ Religionis per diverſas regiones illuminavit, Ordinem reformando, boneſtatem docendo, & cætera pietatis officia renovando. Usque ad Sedem Apoſtolicam nonne gradibus humilitatis aſcendit?* O Domini! *ô fratres! ô Cluniacenſes! ego ipſe apud S. Martinum de Campis adoleſcentulus, veriſſimis argumentis, quod dico guſtavi, & vidi, ubi erat auro locus, in quo conflatur. Proh dolor! Intepuit & conſenuit tantus fervor. Quod autem antiquatur, & ſeneſcit, propè interitum eſt, quod abſit à vobis, & ab hæreditate Jacob. Melius eſt certè mori vos in bello vitiorum, &*

Petri Cellenſis ea de re threnodia.

vitioſorum, qui more vulpium demoliuntur vineam Domini Sabbaoth, quàm videre ultima funera Matris veſtræ & noſtræ. Hæc ille. Ecquis igitur „è tam longè latéque diſperſo Cluniacenſi Ordine, hactenus præter „unum aut alterum, emerſit è pulvere? Ut quid tam pauci operarii „ad tantam meſſem? Siccine animos „noſtros veternus occupavit, ut literarum profeſſioni æternum vale dixerimus? Illis ſcilicet priſcis & vetuſtis Monachis prorſus diſſimiles, „qui membranarum & MS. Codicum „fidiſſimi & diligentiſſimi cuſtodes fuêre, ſuáſque Mandras & Cœnobia „iis aſſervandis in Archiva & Chartophylacia conſecravêre. Nam hujnsmodi remotioris ævi monumentorum partem vel maximam ab illis „vel conſcriptam, vel conſervatam; „illorúmqne ſtudio & operâ ad nos „usque transmiſſam eſſe, quis niſi ſtolidus & mentis luxatæ ibit inficias? „Squallent verò noſtra Collegia, & „quæ olim alumnis Cluniacenſibus „ad ſtudia literáſque cùm divinas „tum humaniores addiſcendas erant „receptui, nunc veluti deſerta, & „iis ipſis vacua conſpiciuntur. Unde non exiguam imminere cladem „perſentiſcens, totis viribus vobis „eſt enitendum, ne præfato noſtro „Ordini, in domo Domini, tot annorum circulis tantâ laude clareſcenti, immane hoc exitium animi marcore atque ſegnitiâ contingat.„ Hæc Venerabilis *Martinus Marrier* ſeculo ſuperiore in famâ ſanctitatis mortuus.

Veterum Monachorum ſtudia laudantur.

Squallent Cluniacenſium Collegia:

Quòd verò literarum ſtudia in familia Cluniacenſi nondum ad eum florem regerminârint, quem optimns quisque ejusdem alumnus exoptat, in cauſa potiſſimùm eſſe videtur, quòd alia monaſteria ſint reformata, alia non reformata; pleraqne verò Abbatem habeant Commendatarium, qui ac ſi eſſet regularis, in Monachos exercet jurisdictionem; unde continua ſoboleſcunt diſſidia, qnæ cultui literarum magnoperè officiunt.

cur in iis non regerminent ſtudia.

SECULUM ÆRÆ VULGARIS XVII. BENEDICTINÆ XII.

Status rei literariæ ab anno 1600.

STatum rei literariæ Benedictinæ ſeculo XVII. florentem deſcripturi, ſi ad ſingula vellemns deſcendere, integro nobis opns eſſet volumine. Multa paucis perſtringere lubet. Ineunte hoc ſeculo facta eſt inſtitutio *Collegii Scholarium nationis Scoticæ in Urbe*, piè in orthodoxa fide, bonarúmque artium ſtudiis inſtruendorum, cum reddituum aſſignatione ex Monaſterio S. Heliæ de Melicania Ord. S. Bened. Diœceſis Melitenſis, qua de re conſulenda Conſtitutio 73. *Clementis VIII.* in Bullario M. Tom. 3. pag. 75. Eodem tempore Abbatum præſertim Germaniæ curas & conſilia exercuit erectio *Collegii Gregoriani Romæ*, CONSTANTINI *Cajetani* Abbatis S. Baronti induſtriâ pro univerſo Ordine Benedictino inchoati. Præteritorum quoque experientiâ, ſuóque damno edocti ſacræ religionis noſtræ Antiſtites præſentiſſimum Monaſteria ſanctè tecta ſartáque conſervandi remedium eſſe *Congregationes*, curâ & vigilantiâ Virorum maximè ſapientûm excitatæ ſunt & erectæ ejusmodi ſocietates variæ, nimirùm *Ss. Vitoni & Hidulphi* in Lotharingia, *S. Placidi* in Belgio, *S. Mauri* in Francia, ac *Cluniacenſis*, ab exactiori monaſticæ diſciplinæ cuſtodia, *de ſtrictiori obſervantia* cognominatæ. In Germania Congregatio Helvetica, duæ in Suevia, *S. Joſephi* una, *S. Spiritûs* altera. Alia item *Ss. Angelorum Cuſtodum* in Bavaria. Alia denique Auſtriaca, alia Bohemica, in quibus ferè omnibus cùm diſciplinæ Monaſticæ inſtauratione literarum ſtudia reſuſcitata fuerunt.

Erectis Congregationibus magna in iis ſtudiorũ ratio habita,

Præ ceteris *Congregatio S. Mauri* literas artéſque omnes incredibili ſtudio & amore complexa fuit, acceptáſque brevi ſpatio ita excoluit, ut non alibi magis floruerint, hodiéque floreant. Neque enim illius Aſcetæ ita ſe Virtutum ſtudio totos addicunt, ut non animum etiam omnibus ingenuis diſciplinis, quæ ſunt religioſo homine dignæ, perpolire ſtudeant. Enimverò religioſas Virtutes, quibus excolendis ſedulò incumbunt, cum ſcientiis & artibus jucundo felicíque commercio, ac fœdere ſociant. *Ubi* (b) *enim Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudia vigent acriùs, quàm San-Maurianis in Scholis? ubi linguæ ſanctæ uſus frequentior? ubi in ſacris Literis exercitatio familiarior? Teſtes tot inſignes Theologi, verbi divini præcones eximii, Philoſophiæ, Linguarum, & Artium Duces, ac Profeſſores egregii*, qui vel ipſorum Heterodoxorum confeſſione ſnnt *doctiſſimi, eruditiſſimi*, diligentiſſimi, gloriámque immortalem præſtantiſſimorum Operum editionibus pro-

præcipuè in Congregat. S. Mauri,

in qua cum virtutum ſtudio omnes ſcientiarum diſciplinæ florent.

(b) P. Mege in Dedic. Inſinuat. S. Gertrud.

promeriti. Sed quid Acatholicos in teſtes voco, cùm præter virtute ac doctrina illuſtriſſimos Italiæ, Franciæ, & Hiſpaniæ Epiſcopos, Archiepiſcopos & Cardinales, Summi Pontifices, URBANUS VIII. ALEXANDER VII. INNOCENTIUS XII. tres CLEMENTES IX. X. & XI. Monachorum Congregationis S. Mauri ſtudia laudibus proſequuti fuerint.

Scholæ & Studia in eadem ubi habeantur.

Scholæ autem & literarum ſtudia non ſemper in iiſdem Monaſteriis habentur; ſed in Congregatione S. Mauri, quæ ex 180. Monaſteriis conſtat, totum Galliæ regnum in ſex maximas partes Monaſticas dividitur. Quorum *prima*, quæ eſt *Pariſienſis*, Inſulam Franciæ, Picardiam, Campaniam, & aliquam Flandriæ partem complectitur. *Altera* Normanniam & vicinas provincias; in illa autem eſt monaſterium Beccenſe, clariſſimum & opulentiſſimum. *Tertia* Britanniam, Andegavenſem, Turonenſem, & Cenomanenſem provincias. *Quarta*, quæ *Caſalis Benedicti* vocatur, Bituricenſes, Arvernos, & in ſuma duodecim provincias in centro regni poſitas obtinet. *Quinta* Burgundiam, Delphinatum, Brixiam, & aliquot aliarum provinciarum Monaſteria: Burgundiæ adjunctum eſt Monaſterium Floriacenſe. *Sexta*, quæ eſt *Toloſana*, Aquitaniam, Septimaniam, & Gallo-provinciam complectitur. In præcipuis autem, numero viginti circiter, harum provinciarum monaſteriis, neque tamen ſemper in iiſdem habentur ſcholæ Monaſticæ, ubi humaniores literæ, vel Philoſophia vel Theologia, vel ſtudia linguarum Hebraicæ & Græcæ vigent.

Monaſteria ſtudiis extraordinariis mancipata.

Unum verò, aut duo monaſteria ſtudiis extraordinariis mancipantur (ſtudia verò extraordinaria ſunt, quæ in publicam literarum utilitatem ſuſcipiuntur) ex quibus illud Pariſiis ſancti Germani vulgò *à Pratis*, facilè præcipuum habetur. In hac porrò communitate, quæ ex quadraginta Cœnobitis conflatur, non niſi duodecim ferè hujuſmodi literariis laboribus operam impendunt. Ex his duodecim Cœnobitis nonnulli à regularibus exercitiis diurnis aut nocturnis quibuscunque ſeſe nunquam eximunt, quamvis ipſorum labor ſit apprimè gravis: reliqui nullis aliis exemptionibus gaudent, quàm quibus ſtudiorum tyrones, hoc eſt, à Matutino, Primâ, & Completorio, ídque alternatim: ſe à communibus regularitatibus nullo pacto diſpenſantur: & affirmari poteſt ſine ulla aliorum offenſione, teſtes compellando, quicunque *Acherios*, *Mabillonios*, *Ruinartos*, *Martenios*, *Montfauconios &c.* notos habuerunt, vel habent, eos rigore diſciplinæ, obedientiâ, integritate, & odore pietatis reliquis omnibus nullatenus eſſe inferiores.

Studia literarum minimè diſciplinæ regulari officiunt.

Quòd enim acerrima ſtudiorum contentio diſciplinæ regularis vigorem, ut nonnemo evincere volebat, in Congregatione S. Mauri necquicquam labefactaverit, teſtem ſiſto ſcriptorem Gallum, Virum doctiſſimum juxta ac graviſſimum *Hyacinthum Amat de Graveſon*, (c) cujus verba appendo: *Hæc*, inquit, *Congregatio S. Mauri præ cæteris aliis, quæ ſeculo XVII. originem habuerunt, commendari debet, quia pietate, eruditione, & laboribus, Reipublicæ Chriſtianæ utiliſſimis, eo ſeculo maximè floruit, & univerſam etiamnum Eccleſiam illuſtrat.*

Graveſonis ea de re teſtimonium.

„ Hujus celeberrimæ Congregationis pietatem non longa dies, inimica rebus optimè conſtitutis, imminuit, non ipſa rerum humanarum fatalis conditio, ut non ſint admodùm diuturnæ, labefactavit; non varietas temporum ejus diſciplinæ rigorem laxavit, ſed potiùs in avita Ordinis S. Benedicti ſeveritate diſciplinæ, & in iiſdem Inſtitutis adhuc inhæret acriter, ab iis ne latum quidem unguem diſcedit, in iiſdem diurnis ac nocturnis precibus jugiter inſiſtit, eáſque non ſine ſuaviſſimo ſenſu pietatis, ac ſanctiſſimarum cæremooiarum apparatu, ac veneratione celebrat laudatiſſima illa Congregatio, in cujus monaſteriis, veræ pietatis ſanctuariis, mirantur omnes templorum nitorem, divinæ rei faciendæ curam, monachorum mores, cultum, numerum, modeſtiam, gravitatem, ſanctimoniam, eorúmque Conventus ad ſartam tectam conſervandam monaſticam diſciplinam frequentes. De eruditione verò, & Literariis Operibus, quibus clariſſimæ hujus Benedictinæ S. Mauri Congregationis Monachi indefeſſo ſtudio incumbunt, hoc unum duntaxat dicam, videlicet ex illuſtriſſima illa Congregatione, quæ eſt inſtar *Civitatis illius in Monte poſitæ*, innumeros prodiiſſe, & nunc etiam prodire eruditos monachos, quorum Operibus antiquitas, cùm ſa-

Inſignia Congregationis S. Mauri merita.

(c) Hiſt. Eccl. Tom. VIII. pag. 232.

„ cra, tum eccleſiaſtica, & profana „ fuit illuſtrata; Eccleſia adverſus „ hæreticorum inſultus ſtrenuè pro„ pugnata, & invictis propugnaculis „ munita, ſanctorum Patrum doctri„ na egregiè vindicata, aſſerta, ac „ explanata, priſtinus bonis artibus „ & diſciplinis reſtitutus ſplendor, „ totíque Reipublicæ Literariæ, ex „ qua modò in omnes terrarum tra„ ctus, quaſi plenis portis, Chriſtiano„ rum Heroum agmina funduntur, „ conciliatum im̃ortale decus ac or„ namentum. „

Concertatio Mabillonium inter & Abbatem Trappenſem de ſtudiis Monachorum.

Celeberrimæ hujus Congregationis illuſtre ſidus fuit *Joannes Mabillonius*, quem inter & *Armandum Buthilierium de Rance*, Abbatem Trappenſem, ex ſtrictiori obſervantia Ciſtercienſi haud levis exarſit (d) contentio *de Studiis Monachorum.* Jam dudum *Mabillonium* hortabantur & urgebant non modò Majores Congregationis S. Mauri, ſed alii doctiſſimi viri, ut accuratè diſſereret *de ſtudiis monachorum*, nimirùm, & qualia, & quousque eis frequentanda eſſent, certámque ſtudendi methodum præſcriberet, quà cùm ipſe tam feliciter uſus eſſet, alii, pro ſuo quisque fine ac ingenio, iisdem veſtigiis inſiſtens, ſimiliter uti poſſent, & ad eam ſtudia ſua cum fructu exigere; rati videlicet, nihil periculoſius eſſe junioribus, quàm ut rectore ac duce deſtituti ſeipſos avidiùs, quàm conſultiùs immenſæ lectioni committentes, obvia quæque temerè captarent, ſicque incerti, quo ferrentur, totam vitam in ſtudiis, ſed incaſſo labore ducerent, ſibi & Eccleſiæ inutiles ſemper futuri. Re, ut par erat, expenſa *Mabillonius* Superiorum & amicorum conſiliis concedendum eſſe putavit; atque adeò Tractatum edidit *de Studiis Monaſticis* in quarto anno MDCXCI. quem in *tres partes* diſtribuit.

Mabillonius edit Tractatum de Studiis Monaſticis in tres partes diſtributũ: Primâ oſtendit eſſe Monachis congrua.

In *priori* oſtendit, ſtudia literarum, ea etiam, quæ conſuetis, jámque receptis ſcholarum exercitiis coluntur, monaſtico ſtatui non tantùm non repugnare, iisque monachis non interdici, ſed adeò neceſſaria eſſe, ut monaſtica diſciplina, rectúsque monaſteriorum ordo & œconomia ſine iis conſiſtere vix poſſint: quod eò verius eſſe demonſtratur, quò jam monachi clericatu nobilitati, eâ ſcientiâ, aliísque dotibus inſtructi eſſe debeant, quas ſacri canones exigunt. Tum argumenta petit ab ipſius S. Benedicti regula & praxi, ab exemplo tot illuſtrium Benedictinorum, qui ſcientiæ laude floruerunt, à locupletiſſimis præcipuorum monaſteriorum bibliothecis, & à conſtanti demùm, & perpetua totius Ordinis traditione & diſciplinâ; probátque tantùm abeſſe, ut à literarum ſtudiis monachos arcuerint Concilia & Summi Pontifices, ut potiùs admoveri juſſerint, longéque majoribus ac funeſtioribus malis objici monachos imperitos, quàm literarum ſtudioſos.

Alterâ expendit omnia ſtudiorũ genera, quæ iisdem conveniunt,

In *ſecunda parte* expendit ea omnia ſtudiorum genera, quæ monachis ſolitariis convenire poſſunt, oſtendítque, omnia illis permitti poſſe, quæ eccleſiaſticis viris liceant. Tum, quod caput eſt, præcipuúsque operis finis, ad ſingula particulatim deſcendens, quô quisque gradu ferri debeat, quibus ſubſidiis munitus ad ſtudium ſibi præſcriptum, aut à ſe delectum accedere, quos auctores, & quô ordine evolvere, quâ ratione lectiones ſuas dirigere & digerere, quâ arte collectanea conficere, & in adverſaria redigere, unô verbô: quâ certâ methodo quisque procedere, ut ab errandi periculo tutus ad ſcientiæ, cui vacat, culmen pertingere valeat, fusè pertractat, & docet.

Tertiâ agit de fine ſtudiorum.

In *tertia parte* agit *de fine*, quem ſibi in ſtudiis ſuis proponere debent monachi, eúmque eſſe debere meritò contendit, ut ad veritatis notitiam & claritatem referantur, nec à præcipuis, quibus monachus quisque tenetur, monaſticæ vitæ officiis avocent; ſecùs non inutilia modò, ſed & noxia futura. Hanc partem excipit curioſa, & ordine ſeculorum digeſta ſeries difficultatum, quæ in lectione Conciliorum, Patrum, & Hiſtoriæ eccleſiaſticæ occurrere poſſunt, ſubnotatis auctoribus, qui eas ſolvere conati ſunt: ut ad eas attendant legentes & ſtudioſiùs obſervent ea omnia, quibus illuſtrari poſſunt. Accedit denique catalogus ſelectorum librorum, quibus eccleſiaſtica Bibliotheca inſtrui poteſt, indicatis, ubi opus fuerit, melioribus editionibus.

Magno Doctorum applauſu excipitur.

Nullus ferè liber, majori omnium plauſu exceptus eſt, quàm Tractatus iſte *de Studiis monaſticis*, qui non monachis duntaxat, ſed omnibus aliis, doctis juxta & indoctis, utilis, incipientibus tutam, & expeditam ad ſcientias viam, provectioribus exemplar, omnibus vaſtiſſimum eruditionis campum aperit: adeò, ut mirum ſit, hominem, qui in eruendis è pulvere & ſitu

(d) Maſſuet in ſynopſi vitæ Mabill.

ſitu chartis, veteribúſqne monumentis maximam vitæ partem egerat, de aliis omnibus ſcientiis ſic diſſeruiſſe, quaſi in unaquaque totam vitam inſumpſiſſet.

Improbatur Abbati Trappenſi,

Probatum hoc omnibus *de Studiorum Monaſticorum* ratione opus diſplicuit viro clariſſimo *Armando Johanni Buthilierio*, Abbati B. M. *de Trappa*, ſtrictioris obſervantiæ Ciſtercienſis: adeò ut ſententiam de eo ſuam diſſimulare non potuerit. Jam enim edito Tractatu *de ſanctis monaſticæ vitæ Officiis*, ſeverioris diſciplinæ zelo ultrà metas abreptus, ſtudia monachorum non modò vexare aggreſſus erat; verùm illis turbari monaſteria, ſanctiorem diſciplinam enervari, monachorum animos à rebus ſeriis ad nugas avocari, ſuperbiáque inflari, pietatem exſtingui, ea tandem cum religioſæ vitæ profeſſione, ſanctorúmque Patrum legibus & inſtitutis conſtare non poſſe acerbè deploraverat. Non poterat Mabillonius, de Studiis Monaſticis ſcribens, Abbatis illius teſtimonium, quod magni ponderis apud multos eſſe intelligebat, ſilentio præterire, & argumenta illius ad examen non revocare. Fecerat id, more ſuô, tam modeſtè, ut nihil contentioſæ diſputationis haberet ejus oratio, quam ita temperaverat, ut nobilis ille Adverſarius ne verbulo quidem læſum ſe queri poſſet.

& ab eo refellendus ſuſcipitur.

Is tamen lecto Tractatu de Studiis Monaſticis, ſtatim illum, ne monachis ſuis, ut ajebat, fraudi foret (*quibus tamen Aſceticos duntaxat libros, non certè Mabillonianum legere Tractatum permittebat*) refellendum ſuſcepit; ſed ſtylo vehementiori, quaſi actum foret de monaſtica diſciplina. Cauſam porrò non tam argumentis, quàm vividâ & variis figuris ſplendidâ oratione ita pertractat, ut non Mabillonius modò, ſed Congregationes Religioſæ, & perſonæ pietate conſpicuæ ab inofficioſa cenſura intactæ non ſint; quaſi ſcilicet nihil tam abditum in profana etiam literatura ſit, quod non *Mabillonius* addiſcere juberet; ipſas veteres inſcriptiones, numiſmata, fabulas, linguas peregrinas, leviora tandem pabulum ſtudii doctrinæque aſcetarum eſſe vellet.

Abbati reſpondet Mabillonius ſummis hortantibus viris.

Tam ſiniſtrè accipi ſententiam ſuam doluit. Et ſi quidem ſoli ſibi, quamvis immerenti, facta fuiſſet injuria, corde facilè preſſiſſet: ſed contumelias in totum Ordinem jactas, oblitóſque ſtudii literarum falſos colores diſſimulari nec poſſe, nec debere, non ipſe modò, ſed & Superiores, viríque alii clariſſimi, inter qnos Illuſtriſſimus Franciæ Cancellarius *D. de Boucherat*, cenſebant. (e) Etiſte quidem *Mabillonii* reſponſionem non modò non impedivit, ſed etiam ad ſe accerſitum, ad eam quam poſſet citiſſimè adornandam enixè hortatus eſt. *Operæ pretium eſt*, inquit, *immò Reipublicæ intereſt, id operis refellendum te ſuſcipere, quod nuper in tuum de Studiis Monaſticis tractatum publicæ luci tradidit Abbas de Trappa. compertum quippe mihi eſt, cujus momenti ſit hæc reſponſio: eam ubi perfeceris, illicò ad me deferri cura: eam ipſemet diſcutiam, gratiſque ejuſdem edendæ privilegium concedi præcipiam. Novi animi tui moderationem, tuámque in Abbatem de Trappa obſervantiam. Quare te ad utramque hortari ſupervacaneum putaverim.*

Tantæ authoritatis viro, aliíſque hortantibus, reſumpto calamo, Abbatis Trappenſis reſponſioni animadverſiones in eandem RESPONSIONEM (is libro titulus) opponere feſtinavit; adeò, nt octavo circiter menſe, quàm prodierat Reſponſio, (*prodierat menſe Februario anni MDCXCII. ineunte*) ANIMADVERSIONES è prælo exiêrint, menſe videlicet Septembri ejuſdem anni ineunte, anno inſequenti iterùm recuſæ.

Ejusdem Animadverſiones.

Ubi ipſo in limine plurima ſibi ab Abbate malè impacta fuiſſe conqueſtus eſt, oſtendítque; diſſimulatum, aut malè conſtitutum quæſtionis ſtatum reſtituit: *an videlicet ſtudia literarum, ea maximè, quæ viros eccleſiaſticos decent, monachis liceant?* majora tamen, aut minora, pro cujusqne captu & Superiorum judicio; non verò, ut falsò expoſuerat Abbas: *utrùm ſcientiæ omnes*, de quibus egerat *Mabillonius* in Tractatu ſuo, *Monachis neceſſariæ ſint?* longè minùs: *an Monachi omnes promiſcuè*, nullóque diſcrimine habito, *in majora ſtudia altiùs ſeſe demittere debeant?* Tam inſulſa cogitatio *Mabillonii* mentem nunquam ſubierat, & quàm ab ea abhorreret, ſic declaraverat, nt diſertiùs non poſſet, tum in Tractatûs ſui epiſtola nuncupatoria ad juniores monachos, tum alibi paſſim, ubi ea ſtudia, quæ ad mediocrem ſaltem literarum ſacrarum intelligentiam conferunt, *omnium*; majora & altiora *paucorum*; certa quædam, nt Mathematicarum, Numiſmatum, Inſcriptionum &c. *ferè* nullo-

(e) Ruinart. in vit. Mabill. pag. 103.

Magna Mabillonii doctrina in refutando,

nullorum eſſe ſcribit. Itaque reſtituto, quem deformaverat Abbas, genuino quæſtionis ſtatû, totum argumentum inſtaurat, eáque vi & efficacia, ſoliditate & perſpicuitate pertractat, adverſarii objectiones ſolvit, criminationes diluit, nimium in omnibus zelum coërcet, vehementiores impetus reprimit, malè laceſſitos plures illuſtres ac ſanctos viros, integráſque Congregationes vindicat, ut ſi Abbatem ſuſcepti conſilii non pœnituerit, ſaltem pœnitere debuiſſe conſtans omnium ſententia fuerit. Sed ſi in totâ eâ diſputatione *Mabillonii* eruditionem, præſtantiſſimúmque ingenium, moderationem non minùs mirati ſunt univerſi: quamvis enim inofficiosè, & durè, immerens licèt, exceptus fuiſſet, eum tamen modum renuit, ut verbum nullum exciderit, quod convicium ſapiat, causámque interdum infirmare malit, quàm ea confutare, quæ non niſi inclementioribus verbis refelli poſſent. Er ne qua vel leviſſima tecti in corde odii ſuſpicio in aliorum animis oboriri poſſet, clariſſimum Abbatem, quem impensè ſemper veneratus fuerat, à Sereniſſima fœmina, *Guiſiæ Duciſſa*, invitatus, ultrò adiit, habiturus ei honorem, veterémque amicitiam, ſi fortè diſputatione refrixiſſet, renovaturus. Sic finita eſt controverſia, quæ diutiùs attentos tenuerat omnium animos. Hanc verò (f) *Hiſtoriam Diſſidii Literarii* inter *Abbatem Trappenſem* & *Mabillonium* diductiùs enarrat *D. Joſephus Porta*, Caſineoſis Theologus, quem, ſi lubet, conſule.

nec minor modeſtia.

Quinam ab eo ſteterint.

In hac contentione à *Mabillonio* etiam ſtetit *Dionyſius Sammartanus*, atque tacito nomine Scriptiones in lucem emiſit, in quibus Abbatis Trapenſis reſponſio ad Tractatum Mabillonii de Studiis Monaſticis examinatur. Sed eæ haud æquè arriſerunt Benedictinis in Gallia omnibus; nam quidam ex ipſis nimiam earundem acrimoniam ſaléſque etiam ſatyricos, quibus inſperſæ erant, inſimulabant. (g) Conſtabant illæ literis quatuor, quæ plures alias apologeticas ſeu antirrethicas procreârunt; nam *Santolius*, Canonicus Regularis S. Victoris, *Thierſius*, *le Roi* Abbas Altifontis, *Tillemontius*, *Valonius*, & alii, ſuas quisque partes in iisdem controverſiis geſſerunt.

Vides verò, *candide Lector*! quò nos tuendæ famæ atque exiſtimationis inclytæ hujus Congregationis fervor rapuit; ad ſcholas igitur ejusdem, unde abivimus, revertimur. Finito Novitiatu novelli Religioſi non ſtatim literarum ſtudiis addicuntur, ſed nuncupatis ſolennibus votis quamprimùm ad aliud migrare monaſterium jubentur; ubi ſcientia pietatis, vitæque monaſticæ diſciplina per duos annos cum curâ inſtitui pergunt. Quibus exactis per alios quinque annos excipiendis Philoſophiæ ac Theologiæ lectionibus operam impendunt. Ad eas porrò lectiones eò ſtudioſiùs animum adjicere jubentur, quo majus ad intelligentiam librorum ſacræ Scripturæ & SS. Patrum adjumentum afferunt: eorum enim lectio cùm non mentibus modò illuſtrandis, ſed divini quoque amoris igne ſuccendendis comparata ſit, quidni præcipuum exiſtat ſtudium, quo per omne vitæ ſuæ ſolitariæ tempus occupari & poſſunt & debent. Emenſo utriusque diſciplinæ curriculo anoum integrum, qui eapropter *annus recollectionis* vocatur, obeundis variæ pietatis exercitiis tranſigunt, quo ad ſublimem ſacerdotii gradum dignè ſe præparent. Quæ ſtudendi ratio utinam in Germaniæ etiam monaſteriis recipiatur! *Vide infrà hac de re dicenda cap. 2. §. XV.*

Ratio ſtudendi poſt ſacram profeſſionem in Congr. S. Mauri.

Verùm ſilentio premere non licet, quantæ curæ Superioribus Congregationis S. Mauri jam inde ab ejus primordiis fuerit illuſtris juventutis in agro natæ inſtitutio. Neque enim rectè ſibi videbantur facturi, ſi quam nobilis juventutis informationem S. BENEDICTUS ſuo exemplo ita conſecravit, ut paſſim in monaſteriis recepta quaſi in legem tranſierit, non ipſi quoque virorum illuſtrium liberis erudieodis impenderent. Ea cauſa eſt, quòd ad exemplum veterum Academiarum, quæ olim in monaſteriis patebant, aliqua ſeminaria fuerint conſtituta, in quæ adoleſcentes nobili loco nati ex omnibus regni provinciis, atque adeò exteris regionibus ſubmitti poſſent. Præter pietatis exercitia, quibus non negligenter inſtituuntur, politiores etiam literas

Inſtitutio nobilis juventutis in Seminariis Congr. S. Mauri.

teras

(f) Extat ad calcem voluminis II. Tractat. de Studiis Monaſt. Venet. edit in 4. pag. 225. quam initio Gallicè à Vincentio Thuillier è Congr. S. Mauri ſcriptam, ipſe Latio donavit.

(g) Card. Quirinus in Commentar. de rebus ad ſe pertin. l. 2. c. 5. pag. 148.

teras addiſcunt. Et quidem id genus Seminaria ſeu Collegia ab hominum frequentiâ ut ſunt plerumque remota, ita juventus in capeſſendis literis magis eſt defixa, minúsque quàm in urbibus diſtracta, atque animi evagationibus obnoxia.

Quæ in tradendis diſciplinis methodꝰ.

Animo mecum decreveram, Pariſios ad Amicum è Congregatione S. Mauri literas dare, quibus eum humaniter rogarem, ut me certiorem redderet, quænam potiſſimùm ſint liberales diſciplinæ, quibus Sodales ipſius, viri doctiſſimi, nobilem juventutem inſtruere ſoleant, quámve in eisdem tradendis methodum obtineant. Sed erumpentibus interea bellicis tumultibus, à literis ſcribendis abſtinendum fuit. Unde alterius Benedictini Germani operâ uti viſum eſt. Is eſt *Gerbardus Hegemannus*, ſuprà laudibus nec immeritis à nobis ornatus. In libro ſuo ſanè inſigni *de Hominis Nobilitate* præclarè diſſerit, quibus liberalibus diſciplinis ſtudioſæ, præprimis illuſtri, juventuti in Gymnaſiis incumbendum ſit. Et quia non omnibus Benedictinis Profeſſoribus hujus doctiſſimi Autoris Opus ad manum eſſe non ignoro, in eorum gratiam illius Diſſertationem, tametſi non nihil longiorem, adſcribere non gravabor. Igitur in hæc verba diſſerit:

Quænam artes tradendæ poſt Grammaticam & Rhetoricam.

„Ab ovo pullum, & à teneris annis generoſam indolem noſcimus, cujus gliſcentes ſcintillæ in prima educatione facilè emicant, quas per literarum ſtudia ſuſcitare oportet, & à domeſticâ inſtitutione ad publicas artium ſcientiarúmque palæſtras ablegare florem juventutis, ut primùm humaniores literas addiſcat, ac *Grammatices* atque *Rhetoricæ* præceptis imbuatur, quibus præcognitis, eæ potiſſimùm artes ac ſcientiæ addiſcendæ, quæ honeſtatem cum virtute & utilitatem cum virtutum exercitio conjungunt, quibus tradendis haud parum in ſcholis plures Magiſtri hallucinari videntur, qui plerumque detinent juventutem, iisque occupant ſtudiis, quæ juventus non intelligit, & ſi quid intelligat, extra ſcholas nullum uſum habent; de ſtudiis eorúmque occupatione, hoc ſuadere velim, has ſequere artes, quæ honeſtatem cum utilitate, utilitatem cum ſalute conjungere poſſint.

Magna hodie in tempori-

„Non placent *Mario* eæ literæ, quæ diſcentibus *nihil ad virtutem pro-* „*fuêre*. Saluſt. in Jugurth. & hæ ſunt „pleræque tales, quæ hodienum docentur in ſcholis philoſophicis. Beſoldus inquit diſſert. de educat. c. 5. *Scholæ ubique inſtitutæ, ſi propoſitum ſpectes, meritò conatus laudatur, ſi finem & ſucceſſum, quem videmus experimúrque quotidie, eſt quod ambigas; quemadmodum omnium rerum, ſic literarum quoque intemperie laboramus, non vitæ ſed ſcholæ diſcimus.* Seneca Epiſtolâ 107. *Sciolorum plena ſunt omnia, in Gymnaſiis & Academiis & ſenes & juvenes profitentur, quod non intelligunt; quanta eſt copia talium, tanta eſt inopia eorum, qui ſolidam eruditionem adepti, alios rectè ac methodicè inſtituere queant; nemo docere poteſt, quod neſcit.* Beſold. de educat. c. 5. n. 9. in fine, quid igitur de traditione diſciplinarum, ac ſtudio earundem ſentiam, breviter ediſſero.

es in docendo.

Hiſtoriarum quantum ſit utilitas.

„Hiſtoriarum notitia, ſtudiúmque cum Rhetoricæ & Philoſophiæ ſtudio conjungenda ſunt; ſiquidem hiſtoriâ nihil utilius in omni vitæ ſtatu: eſt enim, teſte POLIBIO, *unica vitæ Magiſtra*, & ad comparandam prudentiam civilem utiliſſima, & ſummè neceſſaria, ideóque hujus lectionem Nobilitati, atque ingenuæ juventuti commendatiſſimam eſſe velim, quæ continuis exemplis docet, quid quis fugere, quid imitari debeat, ad pacis bellíque artes inſtruit, ad virtutes excitat, à vitiis avocat, in ſecundis frænat, in adverſis erigit, experientiam uſúmque rerum gignit; qui enim præteritorum meminerit, rectiùs de futuris judicabit, in conſultationibus utiliſſima eſt hiſtoriarum notitia, enimverò hâc inſtructus per exempla & rationes docere poterit, quid in hoc, vel illo caſu utile, quid timendum, & ex præteritis rectè judicare de futuris; hinc Ariſt. 2. Rhetor. c. 21. *ad conſultationes res geſtæ utiliſſimæ ſunt, quod ut plurimum præteritis futura ſimilia ſint*; & Iſocrates ad Nicoclem: *ſi præteritorum memineris, de futuris etiam rectiùs judicabis.* Hæc imperiorum ac regnorum convulſiones, mutationes, variarúmque gentium ſucceſſiones ob oculos ponit. Non immeritò proinde *Claudianus* ad hiſtoriarum lectionem *Honorium* Imperatorem hortabatur:

— — — Nec deſinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetuſtas.
Antiquos evolve Duces, aſſueſce futuræ
Militiæ: Latium retrò te confer in ævum.

„Hiſtoria velut in clariſſimo ſpeculo

„demonſtrat luculentiſſimè, quid cujusque vocationi incumbat, agendum, omirrendum, quænam Deo, quæ hominibus, quæ nobis ipſis debeamus officia, ideóque juventurem per hiſtorias tum Eccleſiaſticas tum profanas ducere jucundum & utile eſt, & quia vaſtitatis mole laborant, nónne proſequi juventutis ſalutare foret, ſi Magiſtri illi, qui ſe Præceptores in Gymnaſiis profirentur, compendium aliquod extraherent exemplorum, ſucceſſionis temporum, & rerum magis memorabilium dictarent, inculcarenr, juventuti ad vitiorum extirpationem, & horrorem ac virtutum amorem inſerendum.

Præcepta Dialecticæ accuratè docenda.

„ Dialecticæ præceptis juventus accuratè & ſolidè inſtruenda eſt, quæ omnium diſciplinarum januam apeñunt, & tradunt modum rectè de qualiber materia judicandi, diſcurrendi, argumentandi, præſcribúntque Regulas, ad cujusque rei definitiones, diviſiones rectè formandas, quæ magnum lumen in omni ſcibili ingerunr, & medium cujuslibet diſciplinæ oſtendunt. Haſce dialectices regulas & præcepta in ſcholis quidē tradunr, ſed plerumq; levirer percurrere & maturaro amant ad ſubtilitates illas ſpinoſas peripatheticas & inextricabiles: his iñodantur regulæ & præcepta dialecticæ, ut vix aut ne vix intelligi queant; amabò quid prodeſt magno conatu in Gymnaſiis doceri, quibus cruda juvenum ingenia involvuntur magis quàm illuminantur; plana illa & clara præceprorum logicalium ac modorum ſciendi explicatio plus proderit juventuti, quàm ſpinoſæ illæ diſputationes, quas tanto ſervore inſtituere ſolent. *Juſtus Lipſius* quærit in quadam epiſtola: „ *Diſputationes Philoſophorum hujus ævi ad quid proſunt? ad vitam? prorſus non: ad exercitium aliquod? non nego; ſed quanto melius & laudabilius ingenium juventutis in aliis magis utilibus exercebitur: telæ aranearum ſunt, quas texunt & retexunt iſti ad nihil utiles Philoſophi, quis eorum de virtutibus & vitiis diſputat?*

Ethicæ utilitas & neceſſitas.

„ Dolendum ſanè eſt ETHICAM ſeu *Philoſophiam moralem* adeò incultam jacere; quid ntilius in omni vita quàm omnium virtutum regulas nôſſe, earúmque honeſtatem, decorem, pulchritudinem ac vitiorum oppoſitorum deſotmitatem perſpectam habere? quid magis nocivum nobiliſſimæ „juventuti, quàm Philoſophiæ partem nobiliſſimam adeò incultam jacere? cur præceptis hujus Philoſophiæ non meliùs informatur juventus? ut ſciat animum & mores ad regulas virtutum componere, vitia fugere, virtutes ſectari; quid excellentius, quid præſtantius juventuti inſtillari poteſt, quàm amor virtutum ac fuga vitiorum? nónne eo facilius atque expeditius eſt exercitium virtutum? nonne faciliùs fugiunt juvenes vitia, & virtutes amplectuntur, qui vitiorum turpitudinem & indecentiam, virtutúmq; claritatem atque honeſtatem edocti fuêre? fuga vitiorum ſine dehortatione, & propoſito turpitudinis eorum exemplo apprehendi vix poteſt, nec virtutis exercitium ſine ſui ſtudio; utrumque præſtat Philoſophia moralis, & dehortatur à vitiis, & quomodo fugienda ſint ac vitanda oſtendit, & ad virtutes extimulat, earúmque pulchritudinem uſum & exercitium docet.

Juventutem ineptè inſtruit, qui tricis acuere ſatagit.

„Quis ergo negabit ntilius & longè laudabilius eſſe banc Philoſophiam explicari juventuti, ut diſcat ſeipſum regere, ac mores ad honeſtatis ac veræ nobilitatis normam dirigere? hæc nobiliſſima Philoſophiæ pars eſt, ſine qua neminem Philoſophum æſtimo, nec verus Philoſophus eſſe poteſt, qui nobiliſſimam Philoſophiæ parrem ignorat, contemnit aut negligit: nónne hîc parùm idoneè & utiliter juvenrutem inſtruit, qui ſubtilitatibus ingenium juvenruris acuere ſatagit, ac benè vivendi præcepta non tradir; de his *Athenæus* rectè ſcribit l. 13. c. 33.

Heu mihi philoſopharis? at qui Philoſophi,
Sermone ſolo ſunt ſapientes, cæteris
In rebus ego novi eſſe ſtultiſſimos.

„ An non melius eſt docere artem benè vivendi, quàm multùm diſputare de ente in porentia, prout in potentia? virtutis naturam cognoſcere, quàm continui & infiniti! vitium hoc eſt, vel potiùs nævus philoſophorum hujus ævi indies increbreſcens, qui meliùs ſtuderent exercere ſuos diſcipulos in Ethica, quàm de ente rationis ſubtiles illas cerebri telas texere.

Utiliùs in Ethica exercentur ingenia.

„In hac ergo Philoſophia exerceatur juventus, tanquam ſeminarium Reipublicæ quà ſacræ, quà politicæ, ut diſcat benè, beatè ac laudabiliter vivere, quod diſcendo Ethicam faciliùs conſequetur, cujus in laudem hoſcè verſus appono:

Ethica Nobilium tradit bona dogmata morum,
Et juga virtutum ſcandere clara docet.

Hæ

Hæc bene vivendi normam docet, iſta ſophia eſt,
Iſta decet juvenes, & decet iſta ſenes.
Si te non noſti, nôris licèt omnia, nil ſcis:
Ethica prælucet, te quoque nôſſe juvat.

„Huic Philoſophiæ operam dedêre magni illi viri gentiles, quorum virtutes ſuſpicimus & admiramur; huic Philoſophiæ operam dedit ANTONINUS Philoſophus Imperator, adeò laudatus, de quo *Julius Capitolinus* in ejus vita: *ubi egreſſus eſt annos, qui nutricum foventur auxilio, magnis præceptoribus traditus, ad Philoſophiæ ſcita pervenit*, & quomodo ſe virtutum exercitio inter ſtudia Philoſophiæ tradiderit, ſequentibus oſtendit, quòd ad patientiam & tolerantiam humi cubârit, & vix, matre agente, in ſtrato pellibus lectulo accubârit. Si Ethnicos Dei cognitione & fidei lumine deſtitutos ſtudium Ethicæ ad virtutum culturam adeò accendit, quid non faciet in homine Chriſtiano & juventute adhuc flexili, quæ facilè honeſtate virtutum capitur, ejúſque laudibus accenditur? hujus ergo præceptis conformetur juventus, hanc tractemus, ejus præceptis formemus animum, *hæc eſt ſapientia*, inquit Seneca Epiſt. 117. *hoc eſt ſapere, non diſputationibus inanibus ſubtilitatem vaniſſimam agitare.*

Exhortatio ad ſtudia moralis Philoſophiæ.

„Floreat igitur hæc nobiliſſima Phyſicæ pars in Gymnaſiis, & Scholis Academiciis, quin & Monaſteriis ac clauſtris Monachorum, præ Philoſophia iſta Peripathetica; illius præcepta cum vero fidei lumine ſi fuerint conjuncta, plurimùm conferunt ad exercitium virtutum, ut longè utilius ſit, longè ad excitandum virtutis ſtudium conducibilius, *Ethicam* juventuti tradere, ejus præcepta ac regulas inſtillare, quàm quidditatibus diſcutiendis, differentiis rerum nobis ut plurimùm incognitis, & per multas hæcceitates, uti vocant, dividendis; modalium ſubtilitatibus, jejunis prædicamentorum digeſtionibus, ac continui diviſionibus tempus terere, ac docere, quod nec juventus intelligit, nec apprehendere poteſt, nonne faciliùs ad temperantiæ virtutem ſectandam juventus excitabitur, ſi doceatur, quid ſit temperantia, in quo conſiſtat, quomodo exercere eam oporteat, quæ commoda, & utilitates eam ſequantur, quæ ex oppoſito intemperantiæ vitio mala veniant; ſanè ſi hæc omnia juventus probè edocta fuerit, majori affectû ad „virtutis amorem trahetur, majoríque „voluptate exſtimulabitur ad exercitium virtutis, quod aliàs depravatæ & corruptæ hominum naturæ ſat difficile & arduum videtur; enimverò corruptionis naturæ ea vis eſt, ut in vitia proniores, quàm in virtutes ſimus, & in voluptatis otium, quàm laborem; at ſi juventuti proponatur virtutis pulchritudo, atque oppoſitorum vitiorum deformitas, nihil omnino dubitandum eſt, quin & virtutem magis amare, eámque ſectari, & vitiorum corruptionem fugere, majoríque cum diligentia ac conatu vitare aſſueſcat.

Oeconomica ſubjungenda Ethicæ.

„Notitia *Oeconomicæ* magnam etiam utilitatem Nobilitati præbere poteſt, quæ tradit familiæ ſeu domûs bene adminiſtrandæ & regendæ præcepta, ejúſque prudenter inſtituendæ uſum modúmque præſcribit; cúmque Nobiles non ſolùm familiam adminiſtrare debeant, ſed ſubditos etiam quosdam regere, proficuum illis eſſe poterit, ſcire artem gubernandæ domûs ac familiæ, ac per certas quasdam domeſticæ doctrinæ rationes, & regendæ familiæ inſtitutiones, curam rei familiaris ſuſcipere poſſe; quod œconomica egregiè docet, & jucunda ſimul lectu eſt, ut curioſam juventutem nonnihil magis adultam, facilè in affectum ſtudii ac lectionis permoveat; ſuntque hæ duæ diſciplinæ inter ſe connexæ; præcedit Ethica, ſequitur œconomica; id enim vel maximè eſt ſecundùm naturam, ut regere ſeipſum quis diſcat priusquàm aliis imperare, nec quisquam familiam ſuam vel bona avita quamvis ampliſſima rectè gubernabit, ſi ſeipſum regere non didicerit, & hanc partem Philoſophiæ tractari, ac juventuti nobili prælegi expedit.

Arithmeticæ, Geographiæ & Geometriæ doctrina utilis.

„His conjungendæ ſunt *Arithmetica*, *Geographia*, & *Geometria*, quæ multis diſciplinis ſubſerviunt, & inſignem uſum præbent tum in politica tum œconomica, ut non perfunctoriè, ſed inſigni curâ & diligentiâ doceri è re juventutis foret, eorúmque profectui valde congruum, nec facilè timendum, ut ſine fructu biennii vel triennii, curſum Philoſophicum abſolveret, ut jam plerumque juventuti evenire ſolet, quæ Magiſtrorum ſuorum ſubtiles ſeu potiùs obſcuros & ſpinoſos conceptus ſcripſit, & nihil exinde didicit, nec uſum ullum in reliqua vita ex iis ſperare poteſt, „quam ex aliis iſtis diſciplinis jam re-

„latis ſperare potuiſſet, qoarum poſt ſcriptionem uſus in uſu & pretio eſt.

Philoſophandum cum juventute ſobriè.

„ Philoſophandum eſt cum juventute, ſed cum modo & ratione, ne philoſophaſtræ fiant ſine judicio, ſine ſapientia, ſine uſu & utilitate, ne illis id contingat, quod Thaleti Philoſopho, qui ſuſpiciens in cœlum in foveam incidit, & Thracenſibus riſum movit. Studendum eſt arcanis naturæ, ſed non cum Ariſtotele & Plinio, quorum alter in Euripo demerſus, alter Ætna ſepultus jacet; vana eſt in omni re curioſitas, peſſima in via progrediendi tarditas; morari in ſcientiis, quæ ſunt veluti ſemitæ ad ulteriorem progreſſum & finem, eſt dormire cum lepore, dum lentè reptans teſtudo ſcopum acquirit.

E Philoſophia multæ quæſtiones eliminandæ.

„ Stramineas illas in Dialectica & Philoſophia quæſtiones, ſive, ut *Lipſius* inquit, *telas illas aranearum*, plures optarent è ſcholis prorsùs eliminari, veluti inutilia & ſuperflua excrementa artis, quibus convenit *Athenæi* illud, *nihil inanius quàm multa ſcire*; abigantur ex ſcholis Philoſophorum diſputationes aut quæſtiones inutiles, de differentiis hæcceitatum, de formis atomis entitatum, & cadavereitatis, de Ente rationis, de identificationibus & modificationibus, de continuo & infinito, ac plures aliæ, quæ ſapientem faciunt, præterquam in iis, in quibus ſapientes eſſe debent.

Jus Civile ob confuſionem nimiam difficile.

„ JUS CIVILE mole laborat ſuâ, & hæc moles planè indigeſta eſt, & confuſa, quæ difficultatem inextricabilem parit, ingenium ſtudioſorum obruit, memoriam onerat, ac debile juventutis judicium multitudine ac varietate rerum confundit, ut paucorum ſit profectus; nónne ſtomachus noſter id rejicit, quod digeri nequit? idem evenit debiliori juventutis ingenio. hoc præcavere voluit Imperator §. 2. Inſtit. de Juſt. & Jur. & tamen non præcavit; Inſtitutiones exoletis juribus ubique ſcatent, nec totius legitimæ ſcientiæ plena ſunt elementa; Digeſta indigeſtâ mole laborant legibus exoletis & confuſione maxima; Codicis & Novellarum nullus eſt ordo; quid igitur mirum, ſi generoſa ingenuáque juventus exiguum in Academiis profectum hauriat?

Ad meliorem methodū redigendum eſt.

„ Corporis Juris Author JUSTINIANUS in L. 5. §. 5. c. *de adv. div. jud.* quinquennium præſcripſit ſtudio Juris; longum id tempus eſt, & nimis „ſumptuoſum; intra biennii metas jus civile cum fructu longè uberiore abſolvi poſſet, ſi ad meliorem ordinem, ac clariorem methodum digeratur, ac juventuti prælegatur, quàm ſi quinquennio doceatur eo ordine, quo proponitur in Corpore Juris. Plures exoptant cum *Brunemanno* in L. ult. C. de nov. cod. fac. novum aliquem Juſtinianum, qui demptis legibus exoletis, ad meliorem ordinem vaſtum illud opus reducat; at illud optare magis quàm ſperare poſſunt: Ipſimet Anteceſſores poſſent juventutem faciliori via & methodo manuducere, ſi velint, docendo jura eo ordine, quem natura & ars dialectica ac ſobjectæ cujuslibet materiæ connexio exigit, rubricis ſervatis, ordine tantùm mutato.

Quâ methodo Jus Civile tradi debeat.

„ Non video, cur ſtudioſa juventus in explicatione Inſtitutionum multum detineri debeat; ſit earum explicatio brevis, redditis ad unumqoemque textum ſuis rationibus, quarum redditio plurimùm confert ad intellectum jurium; quia in ſpiritu rationis lex vivit, quo ſublato vel ignorato, eſt velut corpus mortuum, explicatio paragraphorum, quorum diſpoſitio in ſingulis titulis prorsùs inepta eſt, fiat ſecundùm præcepta artis dialecticæ. Digeſta ordine planè alio tradenda ſunt, præmiſſis libri primi principiis juris; dividatur totum jus civile in ſeptem partes: primâ parte agatur de ſpeciebus juris in re, quæ per totum corpus juris diſperſæ ad unum ordinem ita revocandæ ſunt, cum ſuis titulis & rubricis Digeſtorum, & Codicis, ut quicquid huc pertinet, concinno ordine tractetur: his ſubjungito parte ſecunda actiones mixtas, quæ cum realibus affinitatem habent. Omnium contractuum ſedes ſit in tertia parte, quorum ſpecies ad inſtar commixti migmatis ac farraginis, per totum jus diſſipatæ clarè & perſpicuè digerantur; quaſi - contractuum ſpecies quartam partem depoſcont. Succeſſio teſtamentaria & legitima, & omnes materiæ huc pertinentes quintæ partis ſedem impleant. Exceptionum ſpecies, quæ ſub ſuis rubricis proponuntur, occupabunt ſextam partem. Septimam ſibi vendicat proceſſus judiciarius, quem jus civile mutilum ac imperfectum proponit, hunc verò defectum ſupplevit jus canonicum lib. 2. decretalium, unde arceſſere oportet „titulos, qui juri civili deſunt ad telam

„illam

„illam judiciariam plenè & perfectè in theoria pertexendam. Hoc ordine ſervato ſtudioſa juventus duplo majorem profectum conſequi poſſet.

Jurium notitia maximè decet nobiles.

„ Hujus juris civilis ſtudium omnes Scriptores politici valdè comendant Nobilitati, qui jurium diſciplinam viro nobili digniſſimam aſſerunt, & ipſum jus civile adſtruit, *turpe eſſe patritio & nobili viro jus ignorare. l. 2. §. Servius D. de O. I.* quod P. Mutius Servio ibidem exprobrâſſe legitur, qui ea veluti contumelia excitatus, poſthac juri civili operam dedit. Ammianus Marcellinus de Orphito ſummæ Nobilitatis viro ſcribit, *vir quidem prudens & forenſium negotiorum gnarus, ſed ſplendore liberalium doctrinarum minùs, quàm nobilem decuerat, inſtitutus.* in Conſtant. & Gallo p. mihi 3n8. & olim apud Ægyptios & pleraſque moratiores gentes, primus in Repub. gradus fuit Nobilium, qui præ cæteris doctrinæ dediti, majori etiam honore digni habebantur: cúmque nobiles in qunvis regno, ſtatu, Repub. primas dignitates obtineant, non tantùm congruum, ſed & penè neceſſarium erit, eos præ cæteris majori eruditione, ac jurium inprimis diſciplina excultos eſſe, ut dignitati ſuæ ſuſtinendæ pares ſint; quomodo enim in partibus ſibi creditis poterunt Rempnb. gubernare, vel eidem gubernandæ vicarias manus adhibere, qui neſciunt, quid juſtum quídve æquum, quid leges à ſubditis requirant, quid viciſſim ſubditis præſtare debeant? Jus verò quod generoſæ juventuti diſcendum, quadruplex eſt, *Civile, Canonicum, Feudale, Publicum.*

Qualis Juris Civilis notitia ſufficiat juvenibus.

„ JURIS CIVILIS ea noritia ſufficiet nobili, quæ generalem juſti & injuſti, æqui & boni in caſibus quotidie occurrentibus obſervantiam docere queat, nec operæ pretium erit, ut nobiles magnis iſtis pragmaticis tum antiquioribus tum Neotericis legendis operam navent; ſi ſolida inſtructio Academica præceſſerit, *Andreæ Gailii* Obſervationes practicæ, in multis caſibus ſat perfectos reddere poſſunt generoſos Dominos, ut Dicaſterio alicui præſidere, *Cancellarii, Judicis* Aulici, ac Conſiliarii ſecreti officio ritè fungi queant; cui fini etiam ſervit cognitio patrii juris, ac Conſtitutionum Provincialium, ſeu ſtatutorum, ejúſque territorii ac ſtatûs, cui nobiles ſua ſervitia impendunt: enimverò „ præcipui alicujus regiminis miniſtri „jura particularia ſuæ provinciæ ſine dedecore ignorare haud poſſunt, ut inquit textus in l. 2. D. de O. I. *Turpe eſt viro nobili, jus in quo verſatur ignorare.*

Quinam Nobiles Canonū ſcientia imbuendi?

„ JURIS CANONICI ſcientia non æquè cuilibet Nobili neceſſaria eſt, præſertim iis, qui familiam propagare, avitáſque arces ac patrimonia poſſidere deſtinantur: at quia multi ex ſeminario nobilitatis, ſtatui Eccleſiaſtico applicantur, quos videmus paſſim ad clavum Eccleſiarum ſedere, atque excelſas dignitates Eccleſiaſticas ſuſtinere, hi ſanè jus illud ignorare haud debent; quomodo Eccleſiam gubernabunt, & Clerum ſibi ſubjectum paſtorali curâ proſequentur, qui ſacrorum canonum notitiam non habent? quomodo ſacrorum canonum conſtitutiones obſervabit, ſuíſque ſubditis obſervandas proponet, qui earum planè ignarus eſt? Jucunda eſt SS. Canonum lectio, & facilis, juris civilis aliqua cognitione prævia; nec enim poſſumus pervenire ad limen eccleſiæ, niſi per viam civitatis; textus etiam Juris Canonici ubique ſunt elegantis ac nitidæ latinitatis, Canoniſtæ tamen quandoque aſpera latinitate ſuam SS. Canonum explicationem proferunt. Huic Juri oportet ſtudere juniores illos Metropolitanarum ac Cathedralium Eccleſiarum Domicellos, ut ne ex ignoranria SS. Canonum contingat, eos à vitæ Eccleſiaſticæ priſtinâ puritate & inſtitutis deviare.

Notitia Juris Feudalis Nobilibus valdè utilis.

„ JURIS FEUDALIS inſtitutio nobilem juventutem præterire non debet, nobilium quippe per Germaniam bona feudalia ſunt, quorum arces, avitæ domus, caſtra, dominia, clientelari jure feudi Dominis obſtricta; quid verò magis cuilibet hominum ſtatui utile ac neceſſarium, quàm ea addiſcere & nôſſe, quæ per totam vitam fructuoſa, neceſſaria, & in praxi frequentia eſſe poſſunt? quorū in numero meritò habetur Jus feudorum, de quo nt frequens & quotidiana in foro eſt quæſtio, ita ntilitatem in ſe continet maximam, quæ ſeipſam commendat, quemadmodùm Juriſconſultus *in L. 1. D. de reſt. in integ.* loquitur: ideóque eò faciliùs ad ſtudinm hujus Juris adjicit animum ſtudioſa juventus, ſi cogitet hac occupatione ſtudii hujus Juris, contineri materiam valdè utilem, & quotidia„nam, quâ agitur de juribus, devolu-

„tionibus, & annexis oneribus bonorum nobilium ſeudalium, de quibus oriuntur arduæ ſæpè quæſtiones inter Duces, Comites, Barones, Nobiles: hujus quoque Juris egregii interpretes paſſim proſtant, è quibus ejus notitia ſtudio atque labore acquiri poteſt, textus tamen conſuetudinum ſeudalium non tam obſcura, quàm horrida ac barbara latinitate ſcatent.

Juri publico quando ſit opera danda?

„ JURIS PUBLICI plures ubique ſunt cultores, panci Phœbi, cujus hæc ratio eſſe videtur, quòd ſtudioſa juventus ad hocce ſtudium addncatur, antequam Juris Civilis, Canonici, Feudalis aliqualem ſaltem notitiam perceperit; multa ſanè ex jure civili, multa ex Jure Canonico, ut de rebus ſacris, perſonis, & dignitatibus Eccleſiaſticis, plura ex Jure Feudali depromenda ſunt ad ſolidam Juris publici notitiam conſequendam, & tamen contingit Profeſſores Juris pnblici, aliorum jurium quandoque ignaros eſſe; quomodo ergò docere poterunt, quod ipſi non didicerunt? ex ſolis Hiſtoricis, aliíſque politicis Scriptoribus, pragmaticis etiam ſanctionibus cujusque regni, ſolidus juris publici intellectus hauriri non poteſt, quod in multis arduis ac præcipuis materiis notitiam aliorum jurium præſupponit; dum ergò aliorum jurium diſciplinâ ſatis inſtructa fuerit generoſa juventus, ad hujus etiam Juris ſtudium ſe conferre debet, quod eò alacriùs ſuſcipiet, quò magis excellens & Nobilitati utile eſſe putatur: quia circa excelſas dignitates, jura majeſtatis, ac magiſtratuum occupatur, ad quæ dignitatum faſtigia nobiles vel evehnntur, vel eisdem deſerviunt, atque in ſtatu politico & Eccleſiaſtico præcipuas dignitates ſuſtinent, ut hujus juris notitia nobilibus vel maximè prodeſſe poſſit.

Studium Politices in omni ſtatu neceſſariũ.

„ POLITICÆ ſtudium huic jurium exercitio conjungere oportet, quæ adeò neceſſaria eſt actibus humanis, ſive ſeculum ſive Deum concernunt, ut ſine politica aliqua prudentia, nihil publicè privatímque rectè geri queat. Enimverò politicæ notitia ingenerat prudentiam, quâ diſcernimus, quid in negotiis quâ pnblicis quâ privatis ſine dolo & fraude facere oporteat, functiones in regimine publico ordinat, ac vitæ cujusque privatæ actiones diſponit, ut ritè ordinatéque fiant. Ideóque ejus ſtudium in omni vitæ „ſtatu ſuo modo neceſſarium eſſe puto, „ut ſciatur, qnænam ſint officia imperantium, quǽque parentium; adminiſtratores Reipublicæ tum Civilis, tum Eccleſiaſticæ inſtruit, ut juſtè ac ſapienter hominum ſocietates gubernare queant.

Hoc ſtudiũ quando & quomodo inſtitui debeat.

„ Hanc *Vernulæus* polit. lib. 3. tit. 11. cap. 13. cum *Ethica* & *Oeconomica* ſimul explicandam autumat; eſt enim pars philoſophiæ practicæ: verùm prima illa juvenilis ætas hujus diſciplinæ nondum capax eſſe videtur, cum ſtudio jurium & hiſtorico paulatim conjungi debet, ut ex continua jurium exercitatione ac lectione Hiſtoricorum ac Politicorum paulatim nobiliſſimæ juventuti ingeneretur habitus aliquis docens, quid hîc & nunc rectè, prudenter & timoratè ſine dolo & fraude, ſine technis & fallaciis agendum ſit; qui verò aliquid ex malitia & fraude, ex verſutia, & ſimulatione prava, hîc admiſceri poſſe putant, illi pſeudo-politici ſunt, & politiæ præclariſſimum nomen, atqne utiliſſimam diſciplinam in abuſum convertunt, quorum ingens hoc ſequiori ævo numerus eſt, qui politicam fingunt probitati & pietati inimicam, ex fraudibus, dolis, & technis conflatam, in qua fidei, candoris, & probitatis nihil, nihil penſi habentes, modò fraudulenti, falſi, improbi ſint; ſed iidem dum omnia ſimulare ac diſſimulare facilè ſe poſſe jactitant, animi tamen ſui nequitiam non poſſunt; ideóque ſtudioſa juventus ad hoc ſtudium cautè ac prudenter accedere debet, & cavere ne ſortiatur inſtitutionem politicam, quæ ex aſſentandi libidine, & perverſitate fidei omnem ſinceræ politicæ inſtitutionem, ejúſque veritatem infringat, ac revulſis Chriſtianæ ſinceritatis, juſtitiæ, ac fidei orthodoxæ repagulis, artes ſimulandi ac diſſimulandi doceat. Quare hanc diſciplinam ut maximè utilem, & neceſſariam, ita maximè periculoſam reor, atque difficilem cum *Savedra* in Idea Principis Chriſtiano-Politici, qni in præfatione ad Sereniſſimum Hiſpaniarum Principem præclarè monet, non omnes politicos cynoſuram illam cœleſtem, ac divinam habere ante oculos; hinc accidit, ut in vias deducant periculi plenas, quæ benè multos in ſyrtes, deinde & exitium traxere.„ Hæc doctiſſimus *Gerhardus Hagemannus*, quæ ego vel eâ causâ hîc adſcribenda putavi, ut argumento ſint, non neſcire Benedictinos in Germania, quibus potiſſimùm liberalibus diſciplinis,

quando

quando & quomodo, juventus ſtudioſa, maximè illuſtris, inſtruenda ſit.

Univerſitas Salisburgenſis Benedictinis committitur.

Qua de re nihil addubitans *Marcus Sitticus*, Archiepiſcopus Salisburgenſis, fundatum à ſe Gymnaſium anno 1617. Patribus *Benedictinis* commiſit, qnod ſubinde ab ejus obitu ſub Archipræſule *Leone Paride Lodronio* anno 1622. in Univerſitatem erectum fuit. Biennio poſt PP. Profeſſoribus, totíque Ordini de docendi munere lis mota fuit. (h) E re námque ſuâ quibusdam viſum eſt, ſi antiquam illam cramben recoquerent: *Monachale Benedictinorum inſtitutum nequaquam ad publicè docendum ſeſe extendere.*

Quibus de jure docendi lis movetur,

Opprobramento huic, ne indies æmulorum audacia creſceret, Reverendiſſimi Præſidis juſſu, ſeu, ut alii volunt, ipſemet Ottoburanus Præſul, audacter ſe oppoſuit P. Sebastianus Röhr, Ottoburanus Aſceta, datóque præclaro adeò, ac modeſtiâ charitatéque undique referto libello, variis majorum noſtrorum exemplis, Summorum Pontificum & Conciliorum decretis, atque aliis venerandæ antiquitatis monumentis contendit, Benedictinis in re literaria omníque ſcientiarum genere, ſive publicè ſive privatim tradendo, omne id, quod aliis Ordinibus licet, æquè principaliter licere, & competere, cùm primævas Germaniæ ſcholas, poſt receptam ibidem Catholicam fidem, Benedictinis Cœnobiis, puta *Fuldenſi, Weiſſenburgenſi, S. Albani* propè Moguntiam, *S. Gallenſi, Augienſi, Hirsfeldenſi, S. Mathiæ* propè civitatem Trevirorum, *Prumienſi, Stabulenſi, Corbeienſi, Hirſaugienſi, S. Maximini* Treviris &c. debeamus: utpote in quibus omnibus, *teſte Trithemio in Chronico Hirſaugienſi*, erant monachi, & multi valdè ſtudioſi; è quorum Collegio in ſingulis cœnobiis unus, cæteris in ſcientia Scripturarum excellentior *Scholaſticus* ponebatur, qui *Scholaſtici* titulus in pluribus etiamnum viget cathedralibus eccleſiis, iis præſertim, quæ ab Ordine Benedictino primum fontem hauſerunt.

ſed fruſtrà.

Scriptum verò *P. Sebaſtiani Röhr*, quod *P. Matthæus Weiſs*, Andecenſis in ſuo Lycæo Benedictino uberiùs digeſſit; pluribus Magnatibus ab Univerſitatis Patribus non ſine maximo fructu, & ſi dicere fas eſt, exprobrantium opprobrio, poſteà oblatum fuit.

Academiæ non uni ſed pluribus Ordinibus Religioſis committendæ.

Univerſitatis Salisburgenſis fundatio à Ferdinando II. Imperatore confirmata fuit, cui vir (i) doctrinæ ac prudentiæ laude inſignis conſilium dederat, ut non Benedictinis tantùm, ſed aliis etiam Religioſis Viris plures per Germaniam Academias committeret: *Quia ſine ſtudio literarum Ordines diu florere nulli poſſunt, Sacra Cæſarea Majeſtas pro tota Germania & Imperio Romano nihil utilius inſtituere valebit, quàm ſi proſpiciat, ut poſt reſtituta Monaſteria, in primariis civitatibus Imperii, vel Electorum, aliorúmve Principum territoriis &c. plures Academiæ ipſis antiquis Ordinibus, quibus eruditiſſimi viri non deſunt, committantur, vel in communi providendæ, ut fit in Regnis Hiſpaniarum &c. ubi doctiſſimi quique ex omnibus Ordinibus ad Profeſſuras admittuntur & ſeliguntur: vel ſingulis Ordinibus ſeorſim aliquæ: in quibus ſingulis, ſingulorum Ordinum juvenes Religioſi, velut unius moris in domo, inter ſui Ordinis Patres, in aſſueta Ordinis diſciplina, unàcum aliis accurrentibus ſecularibus ſtudioſis vel Alumnis erudiantur, & exercitentur. Præterquàm enim quòd Patres Societatis in Germania, Gymnaſiis & Academiis in tantum obruti ſint, ut illis vix ſufficiant, excitabit res iſta mirificam & pulcherrimam inter omnes Ordines literarum æmulationem & ardorem: eritque totâ Germaniâ eò felicior, quòd non ſolùm Societatem Jeſu, ſed omnes antiquos Ordines in gremio ſuo florentes viſura ſit: qui Ordines ſibi facilè de tali ſtudiorum occaſione gratulabuntur; & ſperabunt hac ſe ratione Adverſariorum* (hæreticorum) *dicteria evaſuros, quibus inutilia terræ pondera, ventres pigri, & ſtupidæ pecudes hucusque eſſe videbantur. Hoc modo Pontifex Max. & S.C. M. optimos quosque Dei amicos, omnésque Religioſorum Ordines toto orbe diffuſos, ſibi de novo conciliabunt, & obſtringent, ac præter æternam ſui memoriam, & gloriam nominis immortalem à Deo Optimo Maximo bonorum omnium remuneratore mercedem accipient æviternam.* Hæc ille; quibus nos immorari nolumus, ſed hiſtoriæ telam pertexere conſultius æſtimamus.

Pri-

(h) Vid. Meichelbeck in Chron. Benedictoburano Part. I. pag. 288. Hanſizius Tom. II. Germ. Sacræ &c.

(i) Autor ſuſceptæ defenſionis pro S.C. M. cit. à Romano Hay in Aſtro Exſtincto Quæſt. viii. n. x. pag. 156. col. 2.

Albertus Abbas San-Petrenſis ſtudia in ſuo monaſterio provehit.

Primus almæ Univerſitatis Salisburgenſis Rector erat (k) ALBERTUS *Keüslin*, Ottoburanus, ſubinde in Abbatem Monaſterii ad S. Petrum Salisburgi electus. Qui cùm non ignoraret, quàm amica, imò neceſſaria Monaſteriis foret pietatis & doctrinæ ſocietas, quibus veluti columnis Religioſi ſtatûs incolumitas nititur: idcirco juniores, quos non paucos ab Anteceſſore primùm in gremium cœnobii adlectos invenit, cùm philoſophicis, tum theologicis ſtudiis imbui curavit. Et favebat inſtituto novæ Univerſitatis Salisburgenſis propinquitas, quâ minuebantur expenſæ, & ſub Abbatis inſpectoris præſentia augebatur ardor ſtudiorum. Ut magis acuerentur ingenia, à publicis diſputationum exercitiis cotem addidit, iisque, qui in literariis Olympicis impigrè deſudâſſent, laboris inſigne ornamentum, Gradum Doctoralem, non tantùm in Philoſophia, ſed etiam in Theologia conſerri liberaliter conceſſit: unde junioribus, nt in priorum veſtigia promptiùs ſequerentur, honorum ſtimuli addebantur. Cœpit itaque D. Petri Monaſterium fieri doctorum virorum ſeminarium, unde etiam in Univerſitatem, ab hâc in rempublicam literarii fructus copiosè promanârunt: quippe ab eo tempore multi San-Petrenſes Religioſi cùm inferiores, tum altiores diſciplinas in Univerſitate Salisburgenſi magnâ cum laude ac nominis celebritate docuerunt, hodiéque docent.

Bene cœpta proſequitur Alberti ſucceſſor.

Nec omitteodus mihi videtut AMANDUS, Alberti in Abbatiâ ſucceſſot. Literas enim, quas à puero coluit, in Theologicis æquè ac Philoſophicis ptofundè verſatus, ſemper in ſinû amavit, ſuis Religioſis, quorum ferebat ingenium, publicâ Diſputationũ exercitia, & ſupremos graduum honores libenter indulgens, quibus ipſe, ſi vites permitterent, promptus intererat, aliquando non tantùm ſpectator, ſed etiam actor, cùm à ſuo ore & ſpiritu publicarum concertationum ſervorem accenderet, eáſque doctiſſimis argumentis animaret. Vidiſſes illum arguentem ſine ſupercilio, ferientem ſine aculeo, fulminantem ſine nube & tonittu, cùm ſerenâ ſronte, modeſtâ voce, nullo affectûs calore turbata, ſolidiſſimè in ima difficultatum fundamenta inquireret, ſolo inveſtigandæ veritatis ſtudio armatus. Ideò D. Petri Cœnobium viris in omni literarum genere eruditis abnndabat. Diceres illud Gymnaſium ſapientiæ, quippe ad omnium claſſium cathedras ſe uno ſufficiens.

Congregationis Bavaricæ exordia.

Sub finem ſeculi proximè præteriti in Bavaria Monaſterium *S. Emmerami* Ratisbonæ, Monaſterium *Reichenbachenſe* in Palatinatû Superiori, Monaſterium Superioris Quercûs, vulgò *Oberaltaichenſe*, *Michelfeldenſe* in eodem Palatinatû Superiori, *Prumfeningenſe*, *Ensdorffenſe*, & *Weiſſonoenſe* itidem in Palatinatû Superiori, Monaſterium *Cellæ B. Mariæ* propè Ratisbonam, *Malerſtorffenſe*, *Tegernſeenſe*, *SS. Martini & Aniani Rottenſe* ad Oenum, Monaſterium *in Scheurn*, in *Atl*, ſeu *Atlenſe*, *Weichenſtephanenſe* propè Friſingam, *Benedictoburanum*, *Montis S. Andecks*, *Weſſenbrunnenſe*, *Tierhauptenſe* &c. viginti circiter Ordinis Benedictini Monaſteria ſocietatem religioſam, quam Congregationem appellant, tum ad uniformem Regularis diſciplinæ obſervantiam, tum ad ſtudia literaria promovenda, magno cum incremento utriusque inierunt: & id, quod volebant, viros nimirum pietate & doctrinâ præſtantes feliciter conſecuti ſunt. De hac Congregatione noviter erectâ Abbatem *Scarlatum* multa ſibi Romæ verba feciſſe teſtatur *Mabillonius* in Muſæo Italico. Leges, quas conſœderata Monaſteria ſibi ptæſctipſerunt, & Statuta vocitant, ab INNOCENTIO XI. P. M. an. MDCLXXXVI. approbatæ, & confirmatæ fuére, ex quibus pauca, quæ ad literarum ſtudia ſpectant, adducere abs re non erit. Cap. 2. §. 2. ſic ſe habet:

Studium commune in eâ inſtituitur.

Ejus Statuta obſervanda recenſentur.

„I. Ut verò Fratres noſtri è lectione divinâ majorem conſolationem, uberiorem fructum accipere, & alacriùs vitæ religioſæ labores, & exercitia ſubire valeant, hortamur Superiores, ad quos id ſpectat, ut in ſtudiis Philoſophiæ & Theologiæ, aliíſque diſciplinis, quæ ad ſacrarum literarum intelligentiam maximè conducunt, juniores ſuos monachos ſedulò exerceant, eíſque nullâ in re deſint, quæ in ejusmodi ſtudiis, majorum, nec non Conſratrum noſtrorum, præſertim, qui ſunt de Congregatione S. Mauri, exemplo proficere; ac proinde in rebus ſuis ad Dei gloriam „& animarum profectum poſſint utili-

„ter

(k) Mezger in Hiſtor. Salisburg. Lib. 5. c. 33. p. 819. Chronicon Benedicto-Buranum Part. I. pag. 288.

„ter occupari, ad quorum ſtudiorum ſtatum felicem, quæ ſequuntur, declaramus obſervari debere.

In uno vel pluribus monaſteriis Scholæ aperiendæ, tùm pro Studiis Philoſophicis,

„ II. Quamvis in vicinis Academiis paſſim extent Convictus, ſpecialiter pro Religioſis ad ſtudia mittendis ordinati; quia tamen in pluribus Monaſteriis; partim propter defectum mediorum, ſeu ſumptûum, qui in hujusmodi Convictibus ad magnam quantitatem añuatim excreſcunt, partim ob alias cauſas, non omnes ad publicas Academias mitti potuerunt, non ſine damno tum perſonarum, tum monaſteriorum; ideo, ut hac in parte per Congregationis noſtræ unionem ſuccurratur, in uno, vel pluribus Monaſteriis, Gymnaſia & Scholæ aperiantur, ubi Religioſi in ſtudio Rhetorices, in Philoſophia, Caſibus cenſcientiæ, & Materiis Theologicis, præſertim illis, quæ pro curâ animarum, & inſtructione populi in ſanâ & orthodoxa doctrinâ neceſſaria ſunt, & in aliis ſimilibus ad ſufficientiam erudiantur, & edoceantur.

cùm pro Theologicis &c,

„ III. In quem finem præter illud Monaſterium, juxta ſuperiùs dicta, pro ſtudio Rhetorices & Philoſophiæ deſtinandum, aliud conſtitui debebit pro ſtudiis Theologiæ Scholaſticæ, ac poſitivæ S. Scripturæ, & SS. Canonum, atque linguarum, quæ ad ſacræ Scripturæ intelligentiam conducent. Quòd ſi unum monaſterium pro his omnibus ſtudiis modò nominatis nimis anguſtum foret, duo deputari poterunt, arbitrio Capituli Generalis, toties, quoties neceſſe videbitur ab uno ad aliud Monaſterium mutando. Profeſſores ſive Lectores & Magiſtri, tam Rhetorices, quàm Philoſophiæ & Sacræ Theologiæ, ſacrorúmque Canonum & aliorum ſtudiorum prædictorum aſſumentur ſive ex noſtra, ſive ex alia Ordinis noſtri Congregatione, non autem ex alio Ordine, præſertim Mendicantium, niſi de ſpeciali licentia Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ad ſupplicationem Capituli Generalis evocentur. Ut porrò Religioſi noſtri juniores in ſpiritû propriæ vocationis, & regularis diſciplinæ obſervantiâ tutiùs conſerventur, ad Academias publicas, ubi alterius Ordinis homines docent, nullus poſthac mitti poterit, niſi à Capitulo Generali ex juſtis cauſis pro quovis caſu particulari, id expreſsè concedatur.

Non ſit facultas ſtudendi niſi apud Benedictinos.

P. Ziegelbauer Hiſt. P. I.

In ſingulis cœnobiis Lector habendus Theologiæ moralis.

„ IV. Quatenus ſtudia memorata in noſtra Congregatione magis floreant in Monaſteriis expreſsè ad eadem deputatis, & ut ſumptus eum in finem faciendi, quantum poſſibile fuerit, evitentur: qui Moralis Theologiæ ſtudio ſolummodò applicabuntur, in propriis Monaſteriis ſuis remanentes ibidem LECTOREM *proprium* ad hoc deputatum habebunt, qui quater ad minus in hebdomade lectiones è Theologia Morali habeat, & ab eodem, vel alio unâ vice ſaltem ex Scriptura alia lectio habebitur.

Ad hoc munus aptiores ſeligendi.

„ V. Ad ſuprà dictorum executionem *Magiſtri* ſeu *Profeſſores*, præ cæteris ad hoc munus idonei, advocandi & aſſumendi ſunt, eìsque uti reſpectivè etiam eorum diſcipulis per *DD. Viſitatores*, vel Capitulum Generale, eatenus proſpiciendum erit, ut commodè & ſine impedimento, vel defectu neceſſariorum ſtudiis vacare poſſint. Porrò quia nec Fratres Studioſi, neque Novitii in Monaſteriis, ubi ſtudium hujusmodi, vel Novitiatus inſtituitur, ſine incommodo & impenſis ali poſſunt, aliqua refuſio, ſeu compenſatio facienda erit; & primò quidem curandum eſt, ut, quantum poſſibile, ab uno ad alterum Monaſteriũ hujusmodi onerum tranſlatio fiat, quatenus mutuam ſibi vicem reddendam viciſſim in eodem genere compenſent. Si quæ verò Monaſteria ad hoc qualificata & ſatis capacia non ſint, ea pro ſuis, quos ad ſtudia, aut Novitiatum mittunt, viciſſim alios Religioſos recipiant, ſi quidem ita occaſio ferat; ſin minùs, vel in pecunia moderatam aliquam refuſionem, maximè ſi Novitii aut Fratres Studioſi patrimonium, vel ab eorum parentibus, ſive conſanguineis ſubſidia habeant, vel in alio genere, etſi non tunc ſtatim, ſaltem cum tempore recognitionem præſtent: ubi tamen nec exacta, & plena refuſio, maximè à monaſteriis aliàs penuriâ laborantibus exigenda; ſed propter commune Ordinis & Congregationis bonum, incommodum & pars expenſarum ſupportanda erunt, eo ſolùm obſervato, ne unum, alterúmve Monaſterium intolerabiliter gravetur, atque ita aliâ vice impoſſibilitatem cauſari, & admiſſionem tot hoſpitum juſtè recuſare poſſit: quod tamen arbitrio & judicio Abbatum in „ Capitulo congregatorum commit-

Ad quid teneantur monaſteria pro ſtudentibus.

„tendum, & votis majoribus ſtandum erit.

Profeſſores alendi ſumptib9 Congregationis.

„ VI. Pro generali regula obſervandum eſt: ut ſumptus pro perſonis ad bonum commune Congregationis applicatis, e. g. pro Lectoribus, ſolvantur ex maſſa communi totius Congregationis; pro perſonis ab uno ad utilitatem alterius Monaſterii translatis, ſolvantur à Monaſterio, in cujus utilitatem talis ordinatio facta fuit: ſi denique mutatio fiat ad ntilitatem ipſius perſonæ, ſive monaſterii, ex quo aliò mittitur, ſolvantur ſumptus ab eodem Monaſterio. Quamvis autem pro tempore in Monaſteriis noſtris commodæ accommodationes & habitacula pro ſtudio, vel Novitiatu communi non extent, ſed primùm parari debeant, non ſine difficultate & temporis morâ, confidimus tamen, conſilio & ſolertiâ DD. Viſitatorum provideri & obtineri poſſe, ut in majoribus Monaſteriis aliquibus ad ſufficientiam paretur, quod in re tam ſalutari neceſſarium erit: útque hoc ſine longa dilatione, ſed quantò citiùs poſſibile erit, efficiatur, eorum ſingulari curæ committimus.

Habitacula ritè præparanda.

Facultas removendi Lectores & ſtudia transferendi.

„ VII. Prædicta ſtudia futuris temporibus in aliquo Monaſterio indicere, vel diſſolvere, aut etiam aliò transferre, Magiſtros & Lectores inſtituere, aut amovere extra tempus Capituli, gravi aliquâ ratione urgente, poſſit Præſes de conſilio Viſitatorum, ab his tamen minùs idoneos removere poterunt Viſitatores.

Profeſſi non ſtatim ad ſtudia, neque abſoluti ſtudentes ad officia applicentur.

„ VIII. Fratres noſtri *Clerici*, emiſsâ profeſſione, non ſtatim ad ſtudia Theologica applicabuntur, ſed ſub regimine & directione viri zeloſi & prudentis, Patris nimirùm ſpiritualis, per x. menſes exercitiis ſpiritualibus & lectioni rerum aſceticarum unicè applicandi erunt, niſi juſtis de cauſis ſuper hoc Abbati de conſenſu Præſidis & Viſitatorum cùm aliquibus diſpenſandum fuerit. Et ſic eodem modo Scholaſtici, poſt emenſum ſtudiorum curſum redeuntes ad ſuos, non illicò officiis variis monaſterii applicari debent, ſed liberi ab omnibus impedimentis occupabuntur per annum ſub directione alicujus pii & experti viri in catechiſandis pueris, in concionibus privatim recitandis in Refectorio ſub menſa Fratrum, & in legendis libris ad hujusmodi exercitia neceſſariis, & ſimilibus.

Lectorum dotes, & quæ ſuis tradere teneantur.

„ IX. *Lectores* autem & *Magiſtri* „ ſint eâ prudentiâ, maturitate, de„ votione, & aliis religioſis dotibus inſtructi, ut ſcientiis cum pietate docendis, verbo & exemplo pares ſint: novas opiniones, vel etiam parùm communes, ſeu minùs tutas ne doceant, ſacræ Scripturæ ſenſum ne detorqueant, Sanctorum & Doctorum placita in honore habeant, ac in omnibus, & præcipuè in his, quæ ad munus ſuum pertinent, Superiori ſuo ſubjecti ſint, & obedientes. Nullus Alchimiam, Aſtrologiam judiciariam, aliásque periculoſas, vanas, aut prohibitas artes & diſciplinas addiſcere, multò minùs docere, vel exercere audeat. Lectores, qui morum doctrinam tradunt, eam, cùm de ipſa Chriſti lege agitur, ex Scripturis Sacris juxta Patrum conſenſum expoſitis, & ex eorundem Patrum traditione hauriant. Cùm autem de diſciplina & legibus Eccleſiæ &c. quæſtio mota ſit, Decreta Conciliorum Tridentini, & Summorum Pontificum Reſcripta conſulant & ſequantur. Qui Theologiam tractant, omiſſis inutilibus quæſtionibus, quarum in ſocietate humanâ nullus eſt uſus, materias utiles, & ad regimen animarum aptatas, ex ſacris Scripturis ac conſtante Eccleſiæ traditione firmatas tradere & explieare ſtudeant: eapropter aſſidua lectio SS. Patrum & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Profitentibus Theologiam maximum in modum comendatur, & præſcribitur.

Studium Alchimiæ prohibetur.

Decreta Concilii Tridentini & Pontif. ſervanda.

Exercitia ſcholaſtica frequenter inſtituenda.

„ X. Exercitia Scholaſtica frequentia ſint: quia ex ejusmodi ventilationibus tum Profeſſores tum diſcipuli habitum & facilitatem oppugnandi & defendendi acquirunt: ſed monentur omnes, ut nullus exceſſus fervoris vel clamoris ibidem locum habeat, non pro ſocis, ſed pro elegantia diſceptationis hujusmodi exercitia inſtituantur; nullus diſcipulorum ab hiſce exercitiis abſit ſine gravi causâ.

Nihil evulgandum ſine licentiâ Superiorum.

„ XI. Nullus ex noſtra Congregatione ſua ſcripta vel aliena, ſeu libros à ſe, aut ab aliis ſactos prælo comittere aut publicare, vel quæ fuerint à ſe inventa, in ære incidenda tradere, aut aliàs in publicum evulgare poſſit, ſine expreſſa in ſcriptis licentia proprii Abbatis & Præſidis Generalis, & eorum, ad quos cenſura librorum ſpectat.

A quibus eximantur Studentes.

„ XII. Exercitiis communibus aderunt ſemper Scholares, niſi à quibusdam fuerint, quod maximè decet, in „ favorem ſtudiorum exempti; ſed ab

Officiis

„ Officiis Divinis nuſquam diebus Dominicis & feſtis cum eis diſpenſabitur, nuſquam etiam ab otatione mentàli, majori Sacro,& Veſperis: ſic enim operam dabunt comparandis ſcientiis, nt præcipuum eorum ſtudium ſit ad virtutem & perfectionem Statûs „monaſtici contendere.... „ Atque hæc almæ Congregationis Bavaricæ Statuta, quamdiu in vigore erunt, tamdin etiam literarum ſtudia in flote ſunt futura. Ubi enim in tanto delectu ac numero flotentia concurrunt ingenia, & præter ſimilem à potiori ætatem eadem religio, idem ſpiritus, æmulatióque accendit, potentes utique ſtimuli debent quemlibet ad ſedulitatem ſervorémque incitare, præſertim ubi publicarum theſium editiones annuæ ardorem amplificant. Hinc certè permotus patronorum nonnullus, *Juris etiam Canonici Profeſſuram* gratiosè fundavit. Unde poſthac non erit aliquid, quod ad tam glorioſi inſtituti perfectionem & ſtudiorum in omni genere maximam utilitatem deſideretur, præter *Theologiæ dogmaticæ, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Linguarum originalium* ſtudia ex decreto S. Congregationis de propaganda Fide an. 1623. die 16. Octobris publicato per Regulares in monaſteriis inſtituenda. Qua de re plura Part. II. hujus Hiſt. Cap. VI. pag. 580.

Qui fructus communis ejusmodi ſtudii.

Corbinianus Schyrenſis Abbas rei literariæ promotor egregius.

Præcipuis verò rei literariæ apud Bojos promotoribus meritò accenſendus venit R.mus *Corbinianus Riegg* Schyrenſis Abbas an. 1634. electus, qui juvenis licèt, perſonam tamen inter furentes Bellonæ tumultus egit, quam nemo in ſene ſperâſſet. Literarum ipſe promotor inſignis, ſuorum amantiſſimus, & viciſſim ab omnibus tenerè amatus, miſſos ad publica Athenæa omnigenis ſcientiarum diſciplinis imbui voluit, horreum ſuum non tam copioſâ cerere, quàm ingenioſâ pallade repleturus. Nec ſpe fruſtratus, replevit affatim tot doctiſſimis Philoſophiæ, Theologiæ, & Juris utriusque laureâ, librísque editis illuſtribus Viris, ut communi acclamatione Schyra, tunc *Doctorum Schola & ſeminarium* audîerit. Obiit Abbas 7. Martii an. 1658.

Scholæ Friſingenſis fundatio.

Friſingæ, quæ eſt Epiſcopalis in Bavaria civitas, novis ſcholis initium dedit (l) *D. Romualdus* Abbas celeberrimi Monaſterii Ettalenſis, ſavente & annuente maximo Ordinis Benedictini Mæcenate, Celſiſſimo & Reverendiſſimo S. R. I. Principe & Epiſcopo Friſingenſi, *DD. Joanne Franciſco ex L. B. de Ecker in Kapfing & Liechtenegg...* Cúmque ſcholaſticis hiſce ſudoribus non ſolùm reliqui Bavariæ Præſules ſuam jungerent operam; verùm etiam ex Suevia Diœceſis Auguſtanæ Abbates accederent, poſt primas fundationis tabulas, aliæ IV. Cal. Febr. anno MDCCXX. conditæ, tum à Celſiſſ. Fundatore manûs propriæ ſubſcriptione, tum Reverendiſſ. Capituli Cathedralis Eccleſiæ Friſingenſis aſſenſu toboratæ, atque à quibusdam ex Confœderatis Abbatibus Benedictinis conſignatæ ſunt. Ab eo proin tempore præter humaniores literas, & Philoſophiam, etiam Jus Pontificium, ac Theologia ſpeculativo - moralis à Noſtratibus magno diſcipulorum accurſu ibidem tradunrur,

Scholæ Roſchacenſis initia.

In Helvetia *Roſchacii* (m) oppido ad lacum Acronianum, ſeu Podamicum aperuit comunem ſcholam Pius Princeps & Abbas S. Galli. Cùm enim ejus Anteceſſor *Bernardus II.* ad leges Concilii Tridentini ſcbolas eò loci pro juventute laicorum, magno ſuo & exterorum commodo aperuiſſet, Pius adjunxit alteras pro Regularibus, quò multi deinceps ex aliis cœnobiis, tum diſciplinæ, tum ſtudiorum causâ confluxêre; & ne quidquam literis aut literatis deeſſet, novam typographiam apud S. Joannem inſtituit, quam poſteà comodiùs uſui ſervituram ad S. Gallum transtulit. Porrò in Schola Roſcbacenſi Eminent. S. R. E. Cardinalis Coelestinus Sfondratus, duodennis adhuc juvenis, ut alios viros præclaros taceamus, anno 1657. prima ſcientiæ fundamenta jecit. Abrogavit hanc ſcholam *Leodegarius* Abbas, & Princeps S. Galli, anno 1696. Abbas electus, & Neo-Ravenſpurgi in exilio mortuus anno 1717. Atque hæc ſunt miſera ſcholarum ſata in Ordine noſtro, *quòd unus ædificet, alter deſtruat:* & quæ literarum ſtudia ſub uno Abbate virtutis loco habentur, ſub altero, ſi non in vitiorum, certè quidem impedimentorum numero conſequendæ religioſæ perfectionis ponantur. Nunquid *Rotwilanum* Gymnaſium, quod ab Abbatibus Confœderatis in Suevia anno 1673. apertum fuit, brevì pòſt iterùm aversâ unius voluntate non periclitari modò

Cardinalis Sfondratus in ea educatus.

Ejus abrogatio.

Miſera in O. S. B. Scholarū fata,

in ſpecie Rotwilanæ

(l) Hiſt. Univerſ. Saliſburg. pag. 149.
(m) Dion. Sammarth. Gall. Chr. Tom. V. pag. 968.

modò, ſed inſciis aliis etiam atque inconſultis deferi cœpit? Quod meritò ægrè tulit Alma Univerſitas Salisburgenſis, cui Gymnaſium illud unitum fuerat. Sed irreparabilium felix oblivio. Revertor in Helvetiam ad Principale Monaſterium *Einſidlenſe*, quod in *Bellinzonenſi* oppido anno 1675. literarum curam in ſe ſuſcepit, aperto Gymnaſio ſub Abbate & Principe AUGUSTINO *Rheding*, quondam in Univerſitate Salisburgenſi Ss. Theologiæ Profeſſore celeberrimo.

& Bellinzonenſis.

Seminarii Congregationis Burſfeld.

JOANNES hujus nominis III. Abbas Brauvillarii, celebris in Circulo Rhenano inferiore Monaſterii, (n) ut ſuum erga literas affectum demonſtraret, præcipuus auctor fuit *Seminarii ſtudiorum Benedictini* in urbe Colonia anno 1617. reſuſcitati. Quod cùm aliquamdiu floruiſſet, in flore eſſe deſiit, poſtquàm aliqui Abbates è ſuis eò miſerunt literis inſtituendos, non qui aliis ingenio ac diligentiâ præſtabant, ſed erga quos ipſi magis propenſo animo ferebantur. Sic ſtudia partium extinguunt ſtudia literarum. Illud tamen Seminarium denuò excitavit R.mus Abbas *Mathias Francken*, hodiéque vel maximè refloret ſub clariſſimo Regente, *Thoma Schmizio*, de cujus præclara eruditione & doctrina libri cùm Theologici, tum Juridici in lucem emiſſi indubium ferunt teſtimonium.

Auſtriæ palladia.

In utraque Auſtria cùm ſuperiore, tum inferiore cum Muſis noſtri ſe delectare cœperunt. Lectiſſimæ ac ſublimioris ſapientiæ ſucco refertæ ſunt conſtitutiones hanc in rem *Urbani VIII.* nutu *Linzii* anno 1626. ab Auſtriacis Abbatibus editæ, ubi poſtquàm ſapientiſſimi Patres ad inſtruendas Bibliothecas moroſiores prolixiùs invitârunt, *demùm*, inquiunt, *nè cæleſtis ille ſacrorum librorum theſaurus, quem Spiritus ſanctus ſummâ liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, & ut obſervantia regularis in priſtino nitore perſeveret, quæ jacentibus Literarum ſtudiis, ſenſim etiam inadvertentibus nobis deficere ſolet: quippè cùm per ſcientiam fiat greſſus ad diſciplinam, per diſciplinam ad bonitatem, per bonitatem verò ad beatitudinem, cùmque otium ſine literis mors ſit, ac vivi hominis ſepulchrum, ideò in Seminario à Congregatione fundato, quotannis ab Abbatibus fratres in ſtudiis ali & ſuſtentari omninò volumus. . . Et quia* R.mus D. Cajetanus *Abbas S. Baronti. . .* Collegium Gregorianum *in alma Urbe Roma, approbante* Gregorio XV. *anno* 1621. *pro univerſis Teutonicæ nationis Monachis ſub Regula S. Benedicti militantibus erexit, fundavit & dotavit; ideò decernimus, ut quidam bonæ ſpei, & probatæ vitæ Religioſi ad dictum Collegium deſtinentur, cum fructu tum in ſtudiis, tum in aliis Congregationis negotiis continuò ſuſtentandi.* Saluberrimis hiſce ſtatutis morem gerere ſollicitus R.mus D. PLACIDUS BUCHAUER, ampliſſimi Monaſterii (o) Cremiſanenſis Abbas LVI. ſcholam ſeculo ſuperiore ab Abbate *Gregorio Lechnero* inſtituendæ juventuti apertam inſtauravit, & Seminarium adauxit. Quin etiam non paucos ſuis ſumptibus ad Academias optimis diſciplinis inſtituendos dimiſit, è quibus plures quàm triginta Monachos Theologiæ navâſſe operam pleroſque Candidatos domum rediiſſe compertum eſt. Non minimum etiam *Mellicenſi* monaſterio (p) encomium accrevit, quòd an. 1684. Abbas GREGORIUS Theologiam ſpeculativam à duobus Profeſſoribus ordinariis, & rursùs Philoſophiam prælegi curavit, ita ut usque ad hujus ſeculi exitum nullus annus infructuoſus, quò non Philoſophia, vel ſaltem Theologia moralis Mellicii docta ſit, decurrerit: quin & illud memorandum, quòd ſcholaſtica juventus, quæ quatuor vel quinque numero priùs abſolvebatur, ita aucta ſit, ut anno 1700. juvenes quinquaginta humanioribus literis excolendos numeraverint docti Mellicenſes, à multis iisque præclaris operibus in lucem emiſſis ante alios in Auſtria celebres. Non minori fervore RUPERTUS, Abbas *Glunicenſis*, ſtudia monaſtica promotum ivit, adeò quidem, ut nullum è ſuis initiari ſacris Ordinibus permiſerit, niſi priùs in Univerſitate Salisburgenſi altioribus ſtudiis imbutus, pietati dignam ſacerdote ſcientiam ſociâſſet.

Cremiſanenſe,

Mellicenſe,

Glunicenſe &c.

In Styria S. Lamberti Abbates literas fovent.

Auſtriæ contermina eſt Styria, in qua Abbas MARTINUS ALOPITIUS, Suevus, ex Abbate Garſtenſi ad S. Lamberti in Styria præfecturam, adnitente *Mariâ Bavarâ*, Caroli Archiducis Conjuge lectiſſimâ, translatus, ignorantiam, ſuis ad ſtudia publica promotis, è monaſterio proſcripſit. Ejus exemplo in Abbatiali dignitate ſuc-

(n) Gall. Chriſt. tom. 5. pag. 764.
(o) Rettenpacher in Annal. Cremiſan.
(p) Schramb in Chron. Mellic.

ſucceſſor *Joannes Henricus Stadſelet*, viris doctis & religioſis Monaſterium auxit, è quibus aliquot Abbates, Priores, & Novitiorum Magiſtros ob virtutis & doctrinæ famam expetitos aliis tranſmiſit Monaſteriis. Ob. an. 1638. Utrinsque veſtigiis inſiſtens Abbas *Benedictus Pierinus* cultum literarum egregiè promovit. Deceſſit anno 1662.

Admontenſes Lycæum excitant,

Quod idem Abbates *Admontii*, celeberrimi itidem in Styria Aſceterii hoc ſeculo eximiè præſtiterunt, nominatim *Joannes IV.* dictus *Hoffmann*, qui libris Bibliothecam ornavit; *Mathias Preiniger*, qui fovit maximè in ſuis literatam ſapientiam, & artes; *Urbanus Textor*, qui domi ſuæ Gymnaſium anno 1645. excitavit, magna ſæpè Comitum, Baronum, aliorúmque nobilium frequentiâ decoratum, & ad hæc usque tempora ſuo in flore conſervatum, tribus è gremio Profeſſoribus ad literas humaniores docendas aſſignatis. Acceſſit ante ſexennium Philoſophiæ & Theologiæ ſtudium, Profeſſoribus ex Admontenſi pariter Monaſterio delectis, quorum doctrinas non Fratres modò Admontenſes, ſed & aliorum Monaſteriorum Religioſi, juvenésque ſeculares excipiunt.

cujus inſigne ornamentum Ignatius Clavenau.

Inſigne hujus Lycæi decus ac ornamentum præ cæteris fuit *Ignatius Clavenau*, cujus doctiſſimi Cœnobitæ vitam ſanctiſſimè actam alio loco daturi ſumus. Hîc dixiſſe ſufficiat, quòd Gymnaſium Admontenſe & quà diſcipulus & quà magiſter mirum quantum illuſtrârit. Nam in eo liberalibus diſciplinis inſtitutos, ejus progreſſu temporis Profeſſor ac moderator conſtitutus fuit. Utì verò literarum ſtudia cum ſanctioris vitæ cultu nemo arctiùs conjunxit, ita nullum operæ pretium ſe facturum exiſtimavit, niſi juvenes bonarum artium diſciplinis imbutos præclaris etiam Chriſtianæ vitæ præceptis erudiret. Nec ſpe ſua evolutus eſt. Eorum námque complures de vita ſanctiùs, ac magis piè tranſigenda ſolliciti variis Religioſorum ſodalitiis ſeſe addixerunt. Vitam *Ignatius* non ſine opinione ſanctitatis anno 1701. cum morte commutavit.

Literarum cultus in Augia Majore Brigantina.

In Suevia Placidus Vigellius, Abbas Majoris Angiæ Brigantinæ, *Gregorium*, Ottoburanum Antiſtitem, primum florentiſſimi hodie in Germania ſtudii Salisburgenſis inſtitutorem inſigniter juvit, datis ſucceſſivè ad docendum tribus admodùm literatis monaſterii ſui viris, *Franciſco Sailer*, *Jacobo Grueſs*, & *Johanne Mayer*, quorum ſecundo loco nominatus hæreſin Anabaptiſtarum, quæ in *Jaghauſen*, perantiquo interioris Sylvæ Brigantinæ pago, invaluerat, labore per novem annos continuato, extinxit. Quò autem regularis diſciplina majora indies incrementa ſumeret, Religioſiſſimus Abbas eandem quotidianis literarum ſtudiis ſuffulcire perquàm ſollicitè adlaboravit; quem in finem non modò è junioribus monachis penè omnes vel Romam in Collegium S. Apollinaris Hungarico-Germanicum, vel Dilingam ad illam celebrem Diœceſis Auguſtanæ Academiam dimiſit; verùm etiam in ſuo monaſterio præter inferiores, ſuperiores quoque ſcientias tradi voluit; qui mos magna cum laude & doctrinæ flore etiamnum obtinet: Reverendiſſimo Abbate, *Franciſco Pappo à Tratzberg*, *Laubenberg*, *& Rauchenzell*; Eximio Priore, Ss. Theologiæ Profeſſore emerito, *Aproniano Hueber*, Clariſſimo Suppriore, *Gebbardo Frizio*, SS. Canonum Profeſſore doctiſſimo, Viris eruditiſſimis, ſuorum Religioſorum ſtudiis apprimè faventibus, atque præclaris in lucem emiſſis operibus, exemplo ſuo ſtrenuè animantibus. Felices Religioſos, quibus tales obtigêre literarum Patres ac Superiores!

Muſagetæ præcipui.

Alia Sueviæ Collegia.

Sunt in Suevia quædam alia Collegia, ſeu Gymnaſia, in quibus noſtri literas docent, nempe *Ottoburanum*, *Weingartenſe*, *Villinganum*, *Ebinganum &c.* quorum numerum ut alia monaſteria augeant, vix conſultum puto. Hodie enim ubique terrarum ſtudioſæ juventutis tanta copia eſt, quanta ſi major eſſe cœperit, vereri oportet, ut ne Reſpublica graviter eâ laboret. Multi etiam, præſertim pauperculi parentes rectiùs facturi eſſent, ſi filios ſuos honeſto opificio, quò vitam tolerare poſſunt, quàm literis, quæ magnos expoſcunt ſumptus, addicerent. Unde miror, quòd noſtrûm quidam, nullo delectu habito, tales Codri nepotes, non parùm ſæpè etiam vel Bœotico ingenio, vel ſupinâ ignaviâ oppreſſos, erudiendos ſuſcipiant, qui nec ſcholis Benedictinis gloriæ, nec Reipublicæ utilitati, ſed potiùs oneri ac detrimento futuri ſunt. Præſtat nullos, quàm hos hujusmodi habere diſcipulos.

In cultura juventutis habendus delectus.

In Comitatu ac Provincia Tyrolenſi *Ferdinandus Wezelius*, Monaſterii Mariæmontani Præſul per omnia laudatiſſimus, cùm diſciplinæ monaſticæ ac literarum promotor eſſet indefeſſus,

deſeſſus, *Bolſani* in Conventu PP. Dominicanorum propriis ſumptibus domicilium extrui curavit pro junioribus Monaſterii ſui Fratribus illuc ſtudiorum causâ ablegandis.

Literæ florent in Belgii Monaſteriis.

Nec à literis in inferiore Germania ceſſatum. Sub annum enim 1626. florere cœpit inſigni omnium admiratione Congregatio nova Monachorum noſtrorum in Belgio atque Lotharingia, eò ab ipſis Heſperiæ finibus derivata, de qua BALDUINUS JUNIUS: *Cæterùm*, inquit, *Monachi iſti Angli* (quorum primi ex Hiſpanicis Valliſoletanæ Congregationis monaſteriis in Belgium ac Lotharingiam venerunt) *magna cum laude Philoſophiam oc Theologiam publicè profitentur.* Sic & Monachi pariter Benedictini in Congregatione Vitoniana in Lotharingia, Francia, & Burgundia juventutem docent, catechizant, concionantur, ſacras confeſſiones audiunt, & alia mnnia ad proximorum ſalutem obeunt.

Academia S. Michaëlis convitiis immeritò impetitur.

Academiom verò in Monaſterio *ſancti Michaëlis* ad Moſam Diœceſis Virdunenſis, cujus à literarum cultu jam antiquiſſimis temporibus celebris fama fuit, immeritò convitiis impetivit *Armandus Joannes Buthilierius de Rancè* Abbas Trappenſis. Viguit illa celeberrimo Abbate CALMETO adhuc juvene, pluréſque ex ea prodierunt viri doctrina ac prudentia conſpicui, qui primas in Congregatione Vitoniana dignitates obtinuerunt. Eidem præfuit *Mothæus Petitdidier* Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi Præſes Generalis, cujus ſummam eruditionem cum pari pietate conjùnctam nemo in orbe literato ignorat.

Quæ ægrè feruntur,

Unde P. Procurator Generalis ejusdem florentiſſimæ Congregationis non minùs graviter quàm obſequenter Abbatem Trappenſem expoſtulavit, cui is jejunè reſpondit, ſe moleſtè ferre, quòd ea, quæ de ipſius Congregatione obiter dixerat, ipſum ſollicitum habuiſſent, ſibi verò nullatenus propoſitum fuiſſe quempiam offendere.

quia conficta.

Credibile eſt, inquit Mabillonius, (q) *Abbatem Trappenſem ex eodem fonte hauſiſſe, quæ narrat de Academia in Cœnobio S. Michaëlis erecta, ex quo convitia hauſit, quibus inclytam S. Mauri Congregotionem aſperſit. Contendit quippe D. Abbas talem fuiſſe hujus Academiæ exitum, ut ab erigendis hujusmodi Academiis Monachos poſthæc retrahere debeat.*

Refelluntur

Age verò sîs videamus, quænam ex hujus Academiæ fundatione ſequuta ſint adeò gravia incommoda & offendicula, ut quarumcunque Academiarum erectionem ſuſpectam reddere valeant. *Nihil hîc porticulatim recenſebo*, ait D. Abbas, *quòd nolim quempiam offendere*. Perinde ac ſi iſtud ſilentium non offenderet magis, quàm ipſa rerum manifeſtatio. Sed fortaſſe appendicula marginalis, ad quam aſteriſcus hoc loco in Reſponſione appoſitus remittit, amplius quiddam indicabit. En appendiculæ verba: *Jom inde à primo fundationis anno hos conventus ſolvere coacti ſunt, ut pernicioſos effectus averterent, qui inde conſequi potuiſſent.*

ceu malè cohærentia & contradictoria.

Huc redeunt omnia; nihil certi, nihil reipſa conſtantis hîc proditur, quod textus Reſponſionis præſeferre videbatur; ſed omnia vaga, & indeterminata, imò intricatiora per hanc appendiculam redduntur. Cùm enim notet, coactos fuiſſe Superiores has Academias ſive hos conventus ſolvere, ut pernicioſos effectus, qui conſequi potuiſſent, averterent; colligitur, hujusmodi effectus tunc nondum inde conſequutos fuiſſe, quod ipſis Reſponſionis verbis opponitur, quæ expreſsè innuunt, talem hujus Academiæ exitum fuiſſe, ut ab erigendis hujusmodi Academiis Monachos poſtbac retrahere debeat. Adde, quod ne boc quidem reipſa contigit, ut ii conventus ſolverentur; cùm ex eo tempore ſex annos ſubſtiterint, & nunc quoque ſubſiſtant, pernicioſi verò effectus omninò rediguntur ad quasdam Annotationes, quæ inde prodierunt in Bibliothecam *D. Dupin.*

Academiæ plures in S. Vitoni Congregatione erectæ.

Judicent Lectores, an hujusmodi effectus adeò ſint graves & formidoloſi. Hoc ſaltem indubium eſt, non ita ſenſiſſe Superiores Congregationis S. Vitoni, qui nedum iſtam S. Michaëlis Academiam ſolvere unquam noluerunt, verùm etiam earum numerum auxêre, quibusdam aliis recens fundatis; cùm propria experientia edocti ſibi perſuaſerint, moratiores & ſanctiores apud ſe illos eſſe, qui præ cæteris ſtudia colunt, & doctrinæ laude coruſcant. Valeat igitur Abbas Trappenſis, qui ut literarum ſtudia è monaſteriis eliminaret, *S. Benedictum Legislotorem ignorantiam quodammodo profeſſum fuiſſe* ſcribere non dubitavit, aliis verò Familiæ noſtræ ſapientiſſimis Viris detrahere nulli religioni ſibi duxit.

COR-

(q) Tract. de Stud. Mon. vol. alt. art. 26. pag. 285.

Rei literariæ Benedictinæ in Belgio ſtatus.

CORNELIUS *van Geſtel* in Hiſtoria Archiepiſcopatûs Mechlinienſis de Benedictinis *Gerardimontenſis* monaſterii illuſtre fert teſtimonium, quòd juventutem huc undique confluentem Chriſtianis moribus & literis humanioribus optimè informent. Non minùs præclara ſunt, quæ in literis ad Gabrielem Bucelinum datis die 12. Febr. anno 1631. *Aubertus Miræus* perſcripſit. Poſtquàm enim noſtrorum in ſuperiore Germania ſtudia majorem in modum commendâſſet, hæc ſubjunxit: *Et verò in noſtra Germania Inferiore non jacent. In Flandria nominatim* Gerardimontenſes Benedictini *exemplo Patrum Societatis Jeſu ſcholas literarias juventuti undique confluenti annis ſuperioribus aperuerunt. Duaci Philoſophiam publicè docent in Collegio ſeu Gymnaſio Vedoſtino, quod noſtrâ memoriâ* CAVARELLUS *Abbas Vedaſtinus à fundamentis extruxit. Alibi nec uno loco Theologiam explicant: ut meô quidem judiciô velut reddita juventute Familia Benedictina hodie reviviſcere videatur. Quid in Hiſpania, Italia, Gallia, & alibi Sodales veſtri agant, in Originibus noſtris Monaſticis, Coloniæ editis, explicui, nec hîc repeto.* Hæc Miræus.

Inferioris Germaniæ Abbates notantur.

An verò alii Germaniæ inferioris Abbates pari laude dignos ſe præbeant, quòd neglecto Gerardimontenſium exemplo non tantùm nullas Palladiæ juventuti aperiant ſcholas, ſed mercede etiam magiſtros cùm ex Clero ſeculari, tum ex Religioſorum Mendicantium familiis conducant, qui juniores eorum Religioſos Fratres ſcientiarum diſciplinis inſtituant, ex *Caſimiro Oudino* (r) potiùs, quàm ex me audiri malim. Huic enim ea res admodùm indigna videtur, quâ fieri aſſuevit, ut illorum, qui ad docendi provinciam in monaſteriis aſpirant, induſtria exacuatur, cœnobitarum verò, qui munus docendi ſuos ſodales refugiunt, ignavia & deſidia foveatur: *Atque id ito fieri*, inquit, *apud Belgas hodie propriis videmus oculis, ubi plurimùm ſagaces juvenes ex Ordinibus Mendicantibus, vel ſeculares etiam Clerici juniores, poſtquàm ab ſcholis Academiarum Duaci & Lovanii ſuorúmque Conventuum emenſo cum laude curſu receſſerint: ut juvenilem diſcendi ardorem ſuum promoveant, ex Scholaſticis Magiſtri facti, procurant ſibi cathedras apud potiſſimas tum Benedictinorum, tum Ciſtercienſium ac Præmonſtratenſium noſtrorum Abbatias: ubi in otio ac quiete dum Regularium aliorum Ordinum ignaviam fovent, ignorantiam ſuam foráſque pellunt.* Cujus rei indignitatem jam pridem Patres Congregationis Anglicanæ animo ſecum perpenderunt: unde jam anno 1444. in Capitulo Generali, ut ſuprà audivimus, ſapienter ſtatuerunt, *ne quis ſtudentium præſumat ſtudere ſub Magiſtro aliquo ſeu Doctore, qui noſtræ non fuerit profeſſionis*; Vetitum enim eſt, *arare in bove & aſino.* Simile Statutum Congregationis Benedictino-Bavaricæ Abbates ſuperiore ſeculo condiderunt: *Profeſſores, ſive Lectores, & Magiſtri tam Rhetorices, quàm Philoſophiæ & Sacræ Theologiæ, SS. Canonum, & aliorum ſtudiorum prædictorum aſſumentur, ſive ex noſtra, ſive ex alia noſtri Ordinis S. Benedicti Congregatione, nec ab alia alterius Ordinis aſſumi poterunt, niſi de ſpeciali licentia ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ad ſupplicationem Capituli, evocentur.*

Statuta ne Religioſi ſub alterius profeſſionis Magiſtro ſtudeant.

SECULUM ÆRÆ CHRISTIANÆ XVIII. BENEDICTINÆ XIII.

Differitur de præſenti rei literariæ ſtatu.

QUòd ſi quis jam ſcire deſiderat, quis hac noſtra in præſentiarum ætate rei literariæ ſit ſtatus in Benedictinis Monaſteriis, difficile dictu eſt de ſingulis. De Hiſpaniæ ac Luſitaniæ monaſteriis tanto locorum intervallo à Germania disjunctis, cùm nulla mihi ſuppetat notitia, nihil certi affirmare auſim. Seriùs fortè, quàm opportebat, literas Romam ad *R. P. Gabrielem Brello*, Congregationis Valliſoletanæ in Aula Pontificia Procuratorem dedi quibus ab eo petii,ut de rei literariæ Benedictinæ moderno in Hiſpaniis ſtatu me edoceret. Nec ille ita aure ſuperba fuit, ut poſtulata mea rejiceret. Prærerquàm enim quòd ad literas meas humanè reſponderit, pro explorato habeo, quòd ea cauſa ſemel iterùm atque tertiò ad ſuos ſcripſerit. Ut verò his temporibus, pace inter Domum Auſtriacam, & Regem Catholicum nondum penitus ſancita, exſpectem, dum literæ ex Hiſpaniis in Germaniam perferantur, amici monuerunt, cauſam eſſe nullam, cur operis hujus impreſſionem dilatam eſſe vellem. Interea non ex vano ſuſpicor, viros doctos in Benedictinis Hiſpaniæ monaſteriis minimè deſiderari.

ac primò de Hiſpaniæ Monaſteriis,

Statuta Congreg.

Multis enim ante annis *Valliſoletani Patres* decreverunt, ut in Congregatione

(r) de Scriptor. Eccl. Tom. III. pol. 451.

Vallisſoletanæ de ſtudiis.

gatione perpetuò ſint tria Collegia, in quibus artes liberales & Philoſophia doceantur, & quartum, in quo Theologia. Pro Philoſophia deſignantur S. Stephani *del Ribas*, *del Sil*, S. Juliani *de Samos*, & S. Mariæ *de Urache*: pro Theologia S. Vincentii Salmanticæ. Præterea deſignant 12. alia monaſteria particularia, quibus artes & Theologia prælegantur: ut videre eſt in eorum Conſtitutionibus (cap. 13. & ſeq.) Barcinone impreſſis. In animum igitur induco, ut credam, viros doctos in Hiſpaniis minimè deſiderari.

Quæ quidem mea opinio, ne alicui inanis, aut ſine causâ ſuſcepta videatur, illa me ratio movet, quòd ad primos & Philoſophici & Theologici ſuggeſtûs honores in Salmanticenſi, Conimbricenſi, & compluribus aliis Academiis, ne quid de Hierarchenſi Benedictinorum propria dicam, non parùm ſæpe pertingant, libros omni doctrina elegantiáque refertos in lucem emittant, ad eccleſiaſticarum dignitatum culmina cùm à Regibus Catholicis, tum ſummis Pontificibus evehantur. Cujus rei noviſſima ſuppetunt exempla. *De Joſepho Perezio* Cardinalis de Aguirre literis ad Mabillonium datis hæc inſeruit:

Joſephi Perezii elogium.

Jure laudas M. JOSEPHUM PEREZIUM, *ejúsque Diſſertationes mihi nuncupatas. Laudares ampliùs, ſi virum noſſes, ſanè antiquorum morum, & rariſſimæ eruditionis.* Ab ineunte pu-
„ bertate ſine viva voce cujuspiam ma-
„ giſtri didicit linguam Græcam & He-
„ braicam, ac præterea Mathema-
„ ticas diſciplinas, inter ſtudia Phi-
„ loſophiæ ac Theologiæ, in quibus
„ gradum magiſterii Salmanticæ ad-
„ eptus eſt, ac poſtea primarius ea-
„ rundem linguarum & Matheſeon
„ cathedras ſucceſſivo tempore. Nunc
„ jam honores & redditus Profeſſo-
„ ris emeriti viginti annis decurſis ob-
„ tinet, & in ſuum S. Facundi Mo-
„ naſterium reverſus plura medita-
„ tur ad Hiſtoriam & Chronologiam
„ ſpectantia. Non modò Italicè, ſed
„ & Gallicè (quod mirere) ſcit, ac
„ ſi natus fuiſſet Romæ aut Lutetiæ:
„ ut propterea quidam doctus Jeſui-
„ ta ſoleret dicere, PEREZIUM *à Deo*
„ *obtinuiſſe donum linguarum.* Sed
„ tamen jam plures ægritudines pati-
„ tur, præſertim urinæ in ætate quin-
„ quaginta circiter annorum. Vellem
„ equidem illum huc (Romam) aſ-
„ ferre, ſed diſtantia locorum terra
„ maríque & cætera ipſius valetudo
„ prohibent.„ At diu jam eſt, quòd *Perezius* è rebus humanis fuerit exemptus. Prodeat igitur in medium, qui ætatem hodie agit ſummâ doctrinæ & eruditionis laude, BENEDICTUS HIERONYMUS FEYJOO, Author celeberrimus *Theatri Critici Univerſalis*, in quo *Diſcurſus* continentur *varii de omnis generis argumentis, ad confutandos vulgari popularíque ſenſû receptos errores.* Operis præſtantiſſimi patrio ſermone ſcripti, Tomis ad minus tredecim conſtantis, atque quinquies & ſæpiùs ad annum 1751. in Hiſpania typis excuſi verſionem Gallicam adornavit *D. Joannes de Ferreras.* Diſcurſus, qui PRIMUM explent *volumen*, ſunt numero ſedecim. En eorum titulos: *Vox Populi. Virtus & Vitium. Opulentia & Paupertas. Politica calliaiſſima. Medicina. Diæta pro conſervanda ſanitate. Apologia literarum ſtudio vacantium. Aſtrologia Judiciaria & Calendarium. Eclipſes. Cometæ. Annus climactericus. Mundi Senectus. Corollarium ſuper materiam præcedentis Diſcurſus contra Philoſophos modernos. Muſica in Eccleſiis. Comparatio linguarum. Defenſio Feminarum.* TOMUS *ſecundus* continet Diſcurſus XVI. varii itidem commatis; quibus ad calcem acceſſit, *Veritas vindicata adverſus Medicinam vindicatam.* . . . TOMUS III. inſcriptus ſacro Conventui Samonenſi (*Monaſterii Regii S. Juliani de Samos*) complectitur XIII. Diſcurſus. TOMUS IV. exhibet Diſcurſus XIV. TOMUS V. abſolvitur XVII. Diſcurſibus. TOMUS VI. anno 1750. recuſus, & R.mo BERNARDO MARTIN Generali Congr. S. Benedicti per Hiſpanias & Angliam inſcriptus exhibet XIII. Diſcurſus. TOMUS VII. anno 1751. editus habet Diſcurſus XVI. TOMUS VIII. complectitur XIII. Diſcurſus. TOMUS IX. R.mo P. *Michaëli de Herze* Generali Congr. S. Benedicti per Hiſpaniam & Angliam dicatus, continet *Additiones, correctiones, & ſupplementa ad octo priores Tomos*, & nominatim *Explicationem Steganographiæ Trithemianæ.* TOMUS X. ſextò impreſſus an. 1751. & R.mo P. M. *Franciſco de Berganza* Generali Congr. Hiſpano-Anglicæ inſcriptus repræſentat *Illuſtrationes apologeticas Tomi primi & ſecundi.* TOMUS XI. ſub titulo *Chartarum eruditarum & curioſarum* primus, continet XLV. Diſcurſus. TOMUS XII. *Chartarum eruditarum* ſecundus, exhibet XXVIII. Diſcur-

Benedictus Hieronym. Feyjoò ingeniorum Phænix.

ſcur-

ſcurſus. TOMUS XIII. complectitur xxxii. Diſcurſus, Reflexiones Philoſophicas, Morales, & alia. Quanto autem omnigenæ eruditionis ac doctrinæ apparatû inſtructum illum eſſe oportet, qui de rebus tam varii, támque multiplicis argumenti cum laude diſſerere, ſuáſque Criticas interponere animadverſiones velit? Quod de *Alphonſo Toſtato*, Hiſpano Præſule, dictum, de *Feyjoò*, Hiſpano Benedictino, uſurpare liceat: *Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.* Pari quoque eruditionis commendatione effloreſcit *Martinus de Sormiento* S. Martini Madriti Theologiæ Profeſſor, Feyjoani Theatri Critici vindex nulli ſecundus, à quo jam in publicum prolata prodiêre varia fœcundi ejus ingenii monumenta.

Studiorum ſtatus in Italiæ monaſteriis.

Non minora de Benedictinis in Italia, maximè Congregationis Caſinenſis, prædicare licet. *Marianus Armellinus* ex eadem celeberrima Congregatione S. Petri de Aſſiſio Abbas in præfatione ad Bibliothecam Benedictino-Caſinenſem de ſtatû rei literariæ ita loqnitur: „ In hoc igitur „ opere veluti in ſpeculo, quot qualeſve ſapientiæ fructus manârint, „ unicuique intueri licebit; quot The„ ologi acutiſſimi Oecumenicis Con„ ciliis ſubminiſtrati; quot doctiſſimi „ ſcientiarum Profeſſores publicis A„ thenæis impartiti; quot SS. Præſu„ les Eccleſiis Cathedralibus conceſſi; „ quot prudentiſſimi Reformatores „ Monaſticis Congregationibus dati; „ quot denique Eminentiſſimi Patres „ ſacro Purpuratorum cœtui ſint at„ tributi. Quibus perſpectis palàm „ omnibus fiet, optima ſtudia, trium „ ſcilicet nobiliorum linguarum, ſa„ cræ Paginæ, SS. Patrum, Eccleſia„ ſticæ Hiſtoriæ, Sacræ Theologiæ, Na„ turalis Philoſophiæ, Humaniorum „ Literarum, Mathematicæ diſcipli„ næ, aliarúmque ſcientiarum in no„ ſtrâ Congregatione, ab ipſo ejus „ initio ad hæc usque tempora haud „ inutiliter floruiſſe, quæ ſubinde cir„ ca finem ſeculi xvii. & initium xviii. „ exquiſitâ methodo, & probatiſſima „ ratione corroborata magis magíſque „ indies profecerunt. Ad quod uti„ que plurimum contulit, ac in præ„ ſens etiam confert *Collegium An„ ſelmo-Benedictinum* ſub INNOCENTIO XI. Pont. Max. in noſtro Mo„ naſterio Romæ erectum, in quo ſub „ egregiis Præceptoribus bonæ ſpei „ juvenes ex totâ Congregatione dele„ cti multa eruditione imbuti poſt in„ genii, ac doctrinæ plura exhibita in „ Almâ Urbe ſpecimina aliorum Ma„ giſtri variis in locis conſtituti, rem „ literariam ſtrenuè promovent ac am„ plificant. „ Hæc Abbas *Armellinus.*

Omnium ſcientiarum diſciplinæ excoluntur.

Collegium Anſelmo-Benedictinum Doctorũ Seminarium.

Suos etiã Itali patiuntur manes.

Quanquàm vir doctus, qui annis non ita pridem præteritis ex Italia in Germaniam rediit, propiúsque rei literariæ ſtatum apud Italos inſpexit Benedictinos, non omnes eſſe Phœbos, amicis renunciârit; non quòd acie ingenii, aliíſque animi dotibus (*quibus Itali præ cæteris ferè gentibus excellunt*) deſtituantur, ſed quòd illorum aliqui, non eâ, quâ par eſt, induſtriâ, ac contentione ad ſtudia literarum capeſſenda animum adjungant. Nec viri tamen egregii deſunt, qui, cùm optimè perſpectum habeant, quanta ſit diſciplinæ regularis cum ſtudiorum exercitatione cohærentia, ſtimulos inertibus identidem admoveant, ut plus diligentiæ literarum attribuant diſciplinis. Ad hæc, quâ id ratione fieri conveniat, diſertim edocent. Sic anno 1726. in Generalibus Comitiis ejusdem ſacræ Congregationis celebratis in monaſterio S. Benedicti de Padolyrone agri Mantuani *Joannes Antonius Orſati*, Divæ Juſtinæ Religioſus longè doctiſſimus Orationem habuit Iſagogicam, elegantiſſimam juxtà & utiliſſimam, quâ dilucidè ac ſolidè probavit duo: I. *Scientiarum bonarúmque artium ſtudia, quibus monachorum ingenia excoli ſolent, ad unum cultum duntaxat animorum, ſeu virtutum inſtrumenta eſſe referenda.* Alterum *Chriſtianæ, atque Monaſticæ ſanctitatis officia à Religioſis proſequenda eſſe; quæ ſi rectè inſtituantur, ipſa invicem ſtudia olunt, atque perficiunt.* INNOCENTIO autem XII. Romano Pontifici laudes ſint immortales, quòd initio nonnullas in Italia Benedictini Ordinis Congregationes reformandi conſilio, inter varias, atque hujusmodi Reformationi firmandæ opportunas, quas condi juſſit regulas, id inprimis (*ut patet ex Decreto Maji 12. anno 1695.*) ſtatutum voluerit, ut *Monaſterium unum efformandis ad pietatem & doctrinam junioribus profeſſis deſignaretur.*

Orſati parænesis ad Studia fervidiùs colenda.

Innocentii Papæ XII. decretum de ſtatuendo quodam monaſterio pro ſtudiis.

Ingimberti Abbatis Cſt. opinio de

Non diu ita pòſt, anno milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo primo in Italia liber patrio conſcriptus ſermone prodiit, cujus titulus eſt: *Theologia*

ſtudiis monaſticis.

Cœnobialis, ſeu Sanctitas & Officia Vitæ Monaſticæ conſcripta & edita ab Abbate quodam Ordinis Ciſtercienſis, ad Pontificem Maximum Romanum CLEMENTEM XII. Opus tum Hiſtoricum, tum Aſceticum, nitidis impreſſum formis publicis, ac Pontifici Maximo CLEMENTI XII. obſervantiſſimè inſcriptum, Ven. Abbas *Malachias de Ingimberto*, ſummi Pontificis à Bibliotheca, cum orbe literato communicavit. Tomo III. R.mus Author deſcendit ad ſtudia Monachorum, & inquirit, num ea in locum laboris externi (*à Regulâ Benedictinâ Monachis præſcripti*) ſubſtituenda, & à ſingulis ſint excolenda. Id quidem hîc negatur. En cauſas. Monachorum ſinguli ad literas excolendas ſunt parùm idonei. Studia nec otium fugant, nec pugnam cupiditatum dominarum reprimunt. Major eſt numerus monachorum indoctorum, quàm doctrinis reconditis delectantium. Studiis exculti volunt maximi ab aliis fieri, unde paritas conſortionis & animi debita ſubmiſſio periclitatur. Studiorum amor imminet commerciis ſermonum, ideóque ſancto adverſatur ſilentio. Anachoretæ Ægypti, & Aſiatici labore manuum opus eſſe cenſuerunt, ac opinionem ſuam ſuopte exemplo illuſtrârunt. S. Benedictus in Regulâ: *Tunc verè Monachi ſunt, ſi labore manuum ſuarum vivunt.* Tres eo fine proferuntur rationes, à fugiendo otio, imitatione Apoſtolorum, & exemplis Patrum deſumptæ. Speciatim iis nonnulla opponit Autor, qui ſtudiorum culturam labori manuum ſubſtituunt. Enarrantur exempla Monachorum, qui doctrinam eximiam ad propugnandas ſententias à religione orthodoxa diſſidentes tranſtulerunt. *S. Bernardus* ſtudia Monachis diſſuaſit. Studiorum cultura, judice R.mo Abbate *Malachiâ*, ſeculo VIII. & IX. in cauſa fuit, cur diſciplina monaſtica tantoperè fuerit peſſundata. Additur dictum Rom. I. 21. 22. quod *Paulus* de Monachis, ſtudia tractantibus, certè non enuntiavit. Inprimis literaturæ & doctrinarum ſtudiis id vitio vertitur, quòd pietatem exſtinguant, demiſſionem animi deſtruant, Ordiníque ſaluberrimo ſint noxiæ. Author Sermonis XXIII. *ad Fratres in Eremo*, qui inter *Auguſtini* comparet Opera, jubet Monachos non ſolùm carnem affligere, ſed etiam mundum contemnere, peccata deflere, & *cathedram doctoris non appetere.*

Patrocinatur ruſticitati & ignorantiæ.

Omittimus teſtimonia complura, quæ apud Authorem ipſum datâ operâ proferuntur, & argumentis Oratore non indignis exornantur. Nec tamen metuendum putat Autor, ne notitia rerum ſacrarum & neceſſariarum, neglecto ſtudiorum curriculo labaſcant, ſilentio ſacro & fuga rerum externarum à muniis Eccleſiaſticis uni & alteri Monacho demandandis non abhorrente. Veteres potiùs ſanxerunt, ut Monachi curam Eccleſiaſticis propriam evitent, indicio Canonis IV. Concilii Chalcedonenſis an. 451.. Sic rationes ſuas ſubducit Abbas *Malachias*, ſic cauſam ſuam perorat. Quomodo objectiones cæteras, ordine enarratas, idem expediat, ex hiſce ſpeciminibus quodammodo colligere valemus, inquiunt *Eruditi Lipſienſes*, quorum operâ hactenus uſi ſumus, cùm ipſum Authoris opus ad manum nobis non fuerit. *An verò* (ſubjungunt) *Reverendis Patribus Benedictinis, Dominicanis, & Jeſuitis, qui ſtudiorum gloriâ excellunt, hæc ad palatum ſint futura, id ipſum fortè tempus, rerum magiſter, luculentè edocebit. Authoris certè exemplum ſi Monachi ſequantur, à literis optimis largè imbibendis & pulchrè excolendis non erunt alieni.* Ejus verò argumenta contra literarum ſtudia in Monaſteriis haud ferè alia ſunt, quàm quæ ante ipſum *Abbas Trappenſis* in medium attulit, *Mabillonius* verò revicit. Quibus id ſolum adjicimus, quod *Trithemius* vir expertiſſimus in orat. V. habitâ in Reinharzbornenſi Capitulo an. 1446. graviter pronuntiabat: *Vita Monachi ſine literis aut eſt valdè devota, aut omninò turpiſſima &c.*

Quid de ejus opere ſentiant Eruditi Lipſienſes.

In Italia, ubi Abbas *Malachias* ſuum Opus in lucem exire juſſit, Benedictini Abbates ejus rationibus & argumentis haud ſe adduci paſſi fuerunt, quò minùs juniores ſuos Religioſos ad capeſſendum optimarum artium & diſciplinarũ cultum applicarent. Exemplum recens in mediũ dabo. Neapolitanâ in urbe nobiliſſimum monaſteriũ eſt, quod *ſancti Severini* dicitur. In hoc nomen Familiæ Benedictinæ dare nobiliſſimus juvenis decreverat, qui eâ eminebat gloriâ, ut illuſtriſſimo ortus genere, Pronepos eſſet INNOCENTII XII. Pontificis Optimi, Maximi, ſapientiſſimi Chriſtiani Orbis olim Moderatoris. Admiſſus, Florentiam à R.mo *Julia de Palma* (à quo Canditatus nomen accepit) Monaſterii Abbate, ſummæ pietatis, doctrinæ, & prudentiæ.

Italiæ Abbates ejus rationes parvipendunt.

Præ-

Præſule miſſus eſt, ut in celeberrimo Florentinæ Abbatiæ Collegio ſacræ militiæ tyrocinium faceret, & quietiore ſpiritu, atque ab omnibus patriis avocamentis alieno ſedulam in ſtudiis Philoſophicis & Theologicis navaret operam. Quod quàm ſtrenuè *Julius* fecerit, hodiéque faciat, intelligi datur ex Epiſtolâ, quâ vir celeberrimi nominis, Reverendiſſimus *Franc. Ant. Gorius*, Præpoſitus Baptiſt. Florent. atque in patrio Lycæo Hiſtoriarum Profeſſor Auctarium ſuũ, ſeu Diſceptationem DE LOCATORIBUS SCENICORUM eidem inſcripſit. In hac de JULII PIGNATELLI incredibili erga bonas literas amore, atque feliciſſimo in eaſdem progreſsû ita ad eum verba facit: „ Nondum

Julii Pignatelli in bonas literas amor.

„ ætatis tuæ annum decimum octa-
„ vum emenſus es, cùm jam præſen-
„ tio, probéque intelligo, quantum
„ poſtea utilitatis, honoris, ſplendo-
„ ríſque ſis allaturus Ampliſſimo Or-
„ dini tuo, tuæ Nobiliſſimæ ac toto
„ orbe Clariſſimæ Genti; nam ea emi-
„ nes gloria, ut Pronepos ſis INNOCEN-
„ TII XII. Pontificis Optimi, Maximi,
„ Sapientiſſimi Chriſtiani Orbis olim
„ Moderatoris: Parentibus optimis
„ ac pientiſſimis, germanis Fratribus
„ amantiſſimis, denique Tibi ipſi, &
„ optimis Præceptoribus, quorum
„ adſiduis curis, tam eximiam in li-
„ teris, in Philoſophicis, & Geometri-
„ cis facultatibus, tantámque nunc
„ adſecutus es ſcientiam, ut tranſa-
„ ctis diebus nempe VIIII. cal. hujus
„ anni CIƆIƆCCXXXXVIII. magno-
„ perè miratus ſim ingenium tuum,
„ eruditionem, eloquentiam, peri-
„ tiam, igneam mentis vim, ſed pa-
„ catam & gravem, quibus armis in-
„ ſtructus, uti ſuperiore elapſo anno
„ feceras, Phyſicas, Philoſophicas,
„ ac Geometricas Theſes egregiè, &
„ quidem non tres, ſed quinque una
„ die, præſentibus quinque tui Ordi-
„ nis Abbatibus, pietate, pruden-
„ tia, doctrina præclariſſimis, co-
„ ram frequenti eruditorum hominum
„ conſeſſu, ſumma omnium volupta-
„ te, & admiratione, quaſi vetera-
„ nus Athleta, ſtrenuè propugnâſti,
„ & doctorum Profeſſorum difficulta-
„ tes, invictáque propemodum argu-
„ menta ſolemniter refelliſti, atque
„ in omnibus perſpicuè & miro ordi-
„ ne tuam explanâſti ſententiam. Præ-
„ terea, quum à Clariſſimo Viro D.
„ *Petro Aloyſio Galletio*, hujuſce Flo-
„ rentinæ Abbatiæ Philoſophiæ &
„ Geometriæ Profeſſore, Præceptore
„ tuo permultam in ſcrutandis Anti-
„ quitatis myſteriis, & monumentis
„ cum priſci, tum medii ævi adeptus
„ ſis, eo docente, peritiam & eru-
„ ditionem, nulliſque additis calca-
„ ribus, ſponte tua, & ingenio ma-
„ ximè alacri, ad virtutis & gloriæ fa-
„ ſtigium, Tibi minimè arduum, ple-
„ no greſſu properes & feſtinato greſſu
„ contendas; ſtatui offerre Tibi, vir-
„ tutíque tuæ ſpectatiſſimæ, tanquam
„ meæ in Te perpetuæ obſervantiæ, &
„ benevolentiæ teſſeram, eximium
„ hoc Opuſculum Doctiſſimi Præſu-
„ lis DOMINICI GEORGI, quem nu-
„ per defunctum BENEDICTUM XIV.
„ Pontificem Maximum ſcimus, teſte
„ Viro Eminentiſſ. S. R. E. Cardinali
„ QUIRINO, quæ quidem maxima
„ omnium laudum eſt. „

Ejus ſumma eruditio & eloquentia.

Galletio præceptore ſcrutandis antiquitatibus inſudat.

Atque hoc unum ſolúmque è multis noſtræ ætatis exemplum fuſiore calamo referre volui, ne quis me laudes Sodalium noſtrorum in Italia, teſtimonio Germani Benedictini ſuperiùs allato, deterere voluiſſe arbitretur. Atenim, ut doctiſſimum Abbatem *Mazzolenum, Afforoſium, Galletium*, alióſque illuſtres omninò Muſarum præſtites ſilentio prætercam, Eminentiſſimus Cardinalis ANGELUS MARIA QUIRINUS is unus eſt, cui ſi facultas daretur, voluntas etiam eſſet fugientes literas ab interitu vindicandi. Ita enim animo comparatus eſt, ut *Kieslingius* vir acatholicus, in quadam epiſtola ad Eundem nuper datâ non dubitaverit in hæc verba reſcribere: *Nihilominus in ſpecula quaſi conſiſtens unum oculum in Italiam, alterum autem in Germaniam, adjacentéſque conjicis terras in rebus noſtris dijudicandis lynceis uſus oculis. Nec ineptè de Tuo Eccleſiam Evangelicam convertendi ſtudio dixero, quod Scytharum Legati aliquando ad* ALEXANDRUM M. *ſerenâ dixerunt fronte*: (s) Si Dii habitum corporis

Cardinalis Quirini elogium.

„ tui aviditati parem eſſe voluiſſent,
„ orbis *TE* non caperet. Alterâ ma-
„ nu Orientem, alterâ Occidentem
„ attingeres. Et hoc aſſecutus ſcire
„ velles, ubi tanti Numinis fulgor
„ conderetur... *Admiror Tuam*, Eminentiſſime Princeps! *eruditionem admodùm amplam, ſtudium ſcripta eruditiſſima cum orbe literario communican-*

(s) Q. Curtius libr. VII. cap. VIII.

di planè indefeſſum, & ardorem religionem promovendi certè inſignem. Utramque manum in omnes ferè Europæ extendis partes, & viros eóſque doctiſſimos Tuis lucubrationibus ungues admorſos redolentibus auges, ſedulóque id agis, ut non tantùm Tuæ gloriæ, cui ſatis vixiſti, ſed & Eccleſiæ Romanæ vivas, eámque fortiter munias, ac ſtabilias firmiter. Rarum profectò Patrum Purpuratorum noſtro ævo exemplum! Vereor autem ut capias, quæ anxiè concupiſcis (nempè heterodoxorum converſionem) *Interim ne Tuo deſis officio, epiſtolis crebriùs emiſſis Proteſtantes ad ſuave invitas literarum commercium, quod nemini erudito, ac honeſto, niſi* DIOGENI *Cynico, in dolio deliteſcenti, eſſe poteſt ingratum.* Hæc ille, quibus ea libet ſubjungere, quæ recèns in QUIRINI laudes cecinit *Fabius Devotus* Poëta Romanus his verſibus: (t)

Quippe ſuum fovet ipſe gregem, nunc more Magiſtri,
Nunc Patris: docet indoctos, locupletat egenos,
Solatur miſeros, ſcelus omne coërcet & arcet.
Excitat immenſis regales ſumtibus ædes,
Mole quidem magnas, majores attamen uſu.
Bibliotheca voluminibus ſtipata vetuſtis,
Innumeríſque novis: Sacris domus ampla puellis,
Altera Epheborum ingeniis ad ſacra probandis,
A fundamentis juſſu conſtructa QUIRINI. . .
Plura tamen calamo ædificat. Sapientia fervens,
Atque vigens in corde Viri ſublimis ab arca
Pectoris eructat documenta, typíſq; perennat,
Scripta Patrum divina gravi ſqualentia nocte
Reſtituit merito, curaque manuque dici. . .
Atque ita perpetuum mittit per ſæcula nomen,
Oſtendítque viam ventura Poſteritati,
Quâ per Virtutis ſtudium, caſtóſque labores,
Ad auraturos recta contendat honores.

De Burgundiæ, Lotharingiæ & Galliæ Monaſteriis.

In *Burgundia*, & longè magis in *Lotharingia*, quem res Literaria Benedictina non delectet? Victuros unquam ſperamus, qui vel *Mathæo Petitdidier* Summorum Pontificum autoritatem & infallibilitatem ſtrenuè magis tueatur? vel *Auguſtino Calmet* de Sacræ Scripturæ ſtudio, de Hiſtoria Lotharingiæ, atque adeò Univerſali; vel *Remigio Ceillerio* de Hiſtoria Generali *Authorum ſacrorum & Eccleſiaſticorum* præclariùs mereatur; vel *Paulo Rabuſſonio*, Magno Cluniacenſium Priore, doctrinâ, ſapientiâ, rerúmque omnium cognitione antecellat? De *Gallis Benedictinis*, præſertim qui ſunt è Congregatione S. Mauri, magna eſt orbis literati exiſtimatio, magna ubique terrarum commendatio. Devixit ex eorum numero hujus ſeculi anno ſeptimo *magnus* ille *Mabillonius*, magnus, inquam, quod cognomentum non primus ego illi impoſui, ſed viri literatiſſimi; quem ſolum in ſcenam produco, quòd *tanquam aquila in nubibus, & doctrinæ Congregationis San-Maurianæ Imperator, ac eruditionis princeps palmam cæteris præripuiſſe videatur*; cui ſcientia & pietas in Scriptis etiam abundè expreſſa, tantum bonorum omnium favorem & opinionem conciliârunt, ut non *Thomaſius* modò Venerabilis Cardinalis, ſi optio ſibi daretur, unum aliquem in ampliſſimum Purpuratorum Ordinem adlegendi, *Mabillonium* ſe continuò pronuntiaturum dixerit; ſed & CLEMENS XI. Pont. Max. hominis morte dolens diſcretè ab aliis honeſto in loco humari debere cenſuerit. Præter *Mabillonium* plures alii nominari à me poſſent, viri æternâ memoriâ digniſſimi, *Ruinarti*, *Blampini*, *Couſtantii*, *Rouſſelii*, *Maſſueti*, *Marthenii*, *Durandi*, *Thuillierii*, *Montfauconii*, *Jacobi Martinii* &c. quorum hodie nomina partim in albo æternitatis ſunt, partim adhuc inter vivos omnium laudibus celebrantur. Liceat ex Viri doctiſſimi, quem ultimo loco nominavi, epiſtola (u) ad Em. Card. QUIRINUM anno 1742. menſe Octobri datâ ea afferre, ex quibus, qui ſtatus rei literariæ in San-Germanenſi Aſceterio inpræſentiarum ſit, cognoſcamus. *Tempus*, inquit, *quod Orationi & ſanctæ Regulæ ſtudio & cuſtodiæ ſubtrahimus, totum illud vel ad Lectionem & Collationem Patrum, vel ad alia Scripta, quæ hiſtoriam cùm Eccleſiaſticam, tum Civilem, ſeu etiam corrigendos mores, aut tandem fidem firmandam ſpectant, conferimus. Nihil enim in veteri conſuetudine inſtitutóque Majorum immutatum eſt.* Utinam „ San-Germanenſe Monaſterium tuâ „ præſentiâ & hoſpitio, utì olim contigit, beaturetur. Nos quidem virtutes tuas, omnes etiam honoris „ gradus, ad quos evectus es, ac demùm Te ea, qua par erat, obſervantiâ ac ſtudio filiali complecteremur. Tu viciſſim, pro tuo Paterno „ in nos amore gauderes, è cellulis „ noſtris quotidie prodire *Origenis* „ *opera*, *Juſtini novam Editionem*, „ *Galliam Chriſtianam*, *Hiſtoriam Burgundiæ*, *Hiſtoriam Occitaniæ*, *Hiſtoriam Britanniæ minoris*, *Literariam* „ *Gal-*

Mabillonii laus.

Alii ex Congreg. S. Mauri illuſtres viri,

& præſens ſtudiorum ſtatus.

Opera recèns edita.

(t) In epiſtola ad R. P. Felicem Nerinium SS. Bonifacii & Alexii Hieronymianum Abbatem.

(u) Extat inter Epiſt. Card. Quir. Dec. 3. ep. 1. pag. 9.

„ *Galliarum Hiſtoriam*, aliáque id ge„ nus Opera, ut taceamus, quæ etiam„ num parantur, ac brevì emittentur „ in lucem ſcripta. Prætermittimus „ etiam nuper excitatam apud nos „ *Academiam*, in qua Sodales junio„ res in literis *Hebraicis*, *Chaldaicis*, *Arabicis*, *Perſicíſque exercentur*, *ut Eccleſia*, *Réſque publica Theſauris Orientalibus augeatur & locupletetur.* Hæc Jacobus Martin; ſed audiendum etiam alterius exteri, & quidem à ſacris noſtris maximè alieni teſtimonium.

Academia linguarum orientalium.

Heumanni pronuntiatum de Benedictinis & Jeſuitis.

Hoc Seculo XVIII. inquit CHRISTOPHORUS HEUMANNUS, (x) *monachi quoque nonnulli otio ſuo uti cœperunt ad ſtrenuas colendas literas. Habemus ex hiſce clauſtris progreſſos Oratores & Poëtas eximios. Maximè* BENEDICTINI *ac* JESUITÆ *de eruditionis palma inter ſe certârunt: ac priores ſanè Patrum Eccleſiæ editionibus adornandis im̃ortalem laudem conſecuti ſunt.* Quæ poſtrema *Heumanni* verba etſi à vero aliena eſſe non dixerim, priora tamen à nemine ita accipienda ſunt, ac ſi *Benedictinis* in mentem unquam venerit, ut cum *Patribus Societatis* de conſequendo eruditionis ac doctrinæ principatu certamen inirent. Quæ enim inter Viros Religioſos major exiſtere peſtis queat, atque ambitio, déque gloria contentio? Qui ſupra alios eminere geſtiunt, eorum laudes non ferunt, ſed iiſdem potiùs non ſine livore obtrectant. Quî deinde *Benedictini* cum *Jeſuitis* in doctrinarum ſtudio paria facere poſſunt? Jeſuitis omnibus, niſi vehementer fallor, adſunt animi in omnium adyta ſcientiarum penetrandi; neque enim facilè Candidati, qui à Muſis abhorrent, Societati aggregantur; non verò iidem animi omnibus adſunt *Benedictinis*, qui in tres claſſes commodè diſtribui poſſunt. (y) *Prima* eorum eſt, qui piis duntaxat operibus vacare optant, & ſpiritualium auctorum lectione propria ſtudia concludunt. *Altera* eorum, qui mediocri eruditione ſunt contenti. *Tertia* demùm eos complectitur, qui ad majora aſpirant, & à Superioribus vel ad ſcientiarũ cultum deſtinantur, vel ad aliquod officium Eccleſiæ aut Religioni proficuum. Quos ipſos tamen non magno ubivis eſſe numero, facilè quivis credat. *Jeſuitis* acie ingenii præſtantibus nulla crux figitur, nulli in eruditione aſſequenda compedes injiciuntur; greſſum, ut ad arcem ſcientiarum evadant, promovere liberrimè licet; non item omnibus *Benedictinis*; quibus, quantum voluerint, procurrere non ſemper conceditur, ſed aliquando in medio curſu ſubſiſtere, aut pedem omninò referre jubentur. *Jeſuitis* adſunt in Collegiis, Gymnaſiis, atque Academiis ſelectæ doctrinæ, atque eruditionis magiſtri; quæ bona ſors non omnibus contingit *Benedictinis*, qui niſi ad publica Congregationum Ordinis ſtudia mittantur, iis utì magiſtris debent, qui ſunt in monaſterio, ſive deinde à doctrinarum copiis ſint inſtructi, ſive ab iiſdem inopes habeantur. *Jeſuitis* otium & tempus ſtudendi abundè ſuppetunt; at non multis admodùm *Benedictinis*; qui in quibuſdam monaſteriis præ nimiis Chori officiis, aliiſque monaſticæ vitæ exercitiis tantâ temporis inopiâ laborant, ut mirum ſit, ſi ad aliquam doctrinæ mediocritatem, ne dicam præſtantiam pertingant. Cardinalis *Noriſius* dicere ſolitus erat: *Cui non liceat octo horas in literarum ſtudiis per ſingulos ponere dies, huic ſpem conſequendæ præſtantioris doctrinæ deponendam eſſe.* Licet hoc *Jeſuitis* à Choro exemptis, non item *Benedictinis*, ad eundem obſtrictis. *Jeſuitis* cùm potior vitæ pars vel in ſcholis docendo, vel in Muſæo ſtudendo abſumatur, fierine poteſt, ut niſi hebeti penitùs ſint ingenio, doctrinâ non excellant? *Benedictinis* verò non paucis, emenſo ſtudiorum curriculo, tales ut plurimùm provinciæ imponuntur, quæ à literariis ſtudiis multùm disjunctæ ſunt, & à quibus abjungere, ut majori animum doctrina excolant, haud facilè permittuntur. *Jeſuitis*, ſi lucubrandi flagrant deſiderio, adſunt bibliothecæ libris ſelectis inſtructæ, vel ſi non adſint, eò com̃igrandi, ubi eorum datur copia, à Superioribus facultatem haud ægrè conſequuntur; at non *Benedictinis* hæc ſuppetit facultas, certè quidem in Germania; ubi eos libris, quos in ſui monaſterii bibliotheca inveniunt, cujus demùmcunque ſint notæ, contentos eſſe oportet. *Jeſuitis*, ſi quod opus luce dignum à ſe lucubratum typis evulgare volunt, facultas nunquam denegatur; nempe ut ad plura elaboranda incitentur: at non omnibus *Benedictinis* ea fit facultas; ſunt enim Superiores, qui neſcio quibus rationi-

Eorum invicem comparatio.

Benedictini in tres Claſſes diviſi.

Jeſuitis nulla crux in ſtudiis figitur.

Otium & tempus iis ſuppetunt, non item Benedictinis Choro adſtrictis.

Jeſuitis adſunt ſubſidia, quæ Benedictinis ſubinde deſunt.

R 3 bus

(x) Conſpect. rei liter. ad Sec. XVIII.
(y) Mabill. Tract. de Stud. Mon. Vol. 2. art. 18. p. 96.

imò Superiores non rarò ſtudentibus obſtant.

bus adducti ferre non poſſunt, ut ſuorum quiſpiam monachorum Opus literis mandatum in publicam emittat lucem: quò fit, ut multi animum abjiciant, eúmque à vigiliis, & ſtudiorum laboribus ſejungant. Quis enim blattis & tineis ſcribere magnoperè velit? Nolo plura; ſolent enim comparationes plerumque eſſe odioſæ. Quæ verò hactenus dixi, eâ tantùm causâ à me dicta fuerunt, ut oſtenderem, longè aliam & faciliorem ſtudendi rationem eſſe *Jeſuitarum*, aliam & difficiliorem *Benedictinorum*.

In Poloniæ & Lithuaniæ Monaſteriis,

In *Polonia* & *Lithuania* non diſciplinæ tantùm Regularis, ſed ſtudii etiam literarum à Benedictinis ratio non infima (z) habetur. Sub annum 1670. *Joannes Carolus de Wierzchowice Kopec* Palatinus Plocenſis, & M. D. Lithuaniæ Senator, & Caſtellanus Trocenſis, in Ordinem noſtrum mirè propenſus, Monaſticam Congregationem Caſinenſis inſtar, in Poloniæ regno inſtitui, maximo ſtudio percupiens, opéſque ac operam pro Monaſteriis erigendis pollicitus, enixè à Patribus Congregationis Caſinenſis probatos gravéſque Monachos, novellæ Congregationis fundamenta jacturos, efflagitabat, quibus obtentis, ipſe quidem Monaſterium *Caſtro-Caſinenſe*, aliàs *Chorodiſcenſe*, fundavit, à quo Congregatio illa Caſtro-Caſinenſis appellata eſt; *Michaël* verò *Caſimirus Radziovius* S. I. Princeps, & Dux in *Olyka*, ejus exemplum ſequutus, *Monaſterium S. Crucis* erexit, eáque Monaſteria Caſinenſis Abbatis Jurisdictioni ac regimini ſubdita laudati Proceres voluêre, donec paucis abhinc annis CLEMENTIS XI. auctoritate, ipſóque Caſinenſi Abbate annuente, ut in unam per totam Poloniam Congregationem ſimul cum antiquis Monaſteriis convenire poſſent, ab ejus obedientia & ſubjectione abſoluta ſunt. Ab eo itaque tempore cùm ſapientiſſimi Superiores intelligerent, quantum non ornamenti ſolùm, ſed etiam præſidii literarum diſciplinæ benè temperatis Congregationibus afferre ſoleant, earum rationem editis Conſtitutionibus præprimis habendam ſibi duxerunt. Igitur in *Plocenſi* Monaſterio *Philoſophiam* & *Theologiam*, in Monaſterio autem *Sanctæ Crucis* ſacros Canones Religioſi Juvenes à doctis Profeſſoribus edocentur.

nova Congregatio erigitur,

Abbati Caſinenſi ſubjecta,

quæ editis ſtatutis ſtudia provehit.

Florent literæ in Bohemiæ & Moraviæ cœnobiis.

In *Bohemia* cùm ardente tricennali bello Monachi ex plerisque Monaſteriis in triſte exilium ejecti fuiſſent, etiam Muſæ inter hoſtium fremitus, & mille Suecici Martis injurias proſcriptæ fuerunt. Illis verò in cœnobia ſua reſtitutis, etiam his redire conceſſum fuit. Præ cæteris verò *Braunæ*, ubi antiquiſſimi, & primi Familiæ noſtræ in Bohemia Monaſterii Brevnovienſis ampliſſimus Abbas reſidentiam ſuam habet, magno in honore habentur. Hîc enim loci duplices, more antiquo, ſunt ſcholæ, interiores & exteriores. In illis juvenes Religioſi Philoſophiam cum Phyſica experimentali, Geometria, aliíſque mathematicis diſciplinis, Theologiam præſertim Dogmaticam ac Jus Pontificium edocentur; in his autem adoleſcentes ſeculares plerumque ad ſeptuaginta, ſæpiùs octoginta literis elegantioribus inſtituuntur. Equidem priora ſtudia non omni anno, uno eodémque tempore habentur, ſed aliqua tamen ſingulis annis pro temporis exigentia & Superiorum diſpoſitione. Quod idem fit *Cladrubii*, celebri Monaſterio, quamvis non tantus adſit diſcipulorum numerus. Pragæ verò in *Aula Regia* (quod celeberrimum Collegium Eminentiſſimus Cardinalis *ab Harrach*, Archiepiſcopus Pragenſis, fundavit) Benedictini Congregationis Bohemicæ Philoſophiæ placita explanant juxta *turnum*, ut ajunt, ſeu ordinem cum *Ciſtercienſibus* & *Præmonſtratenſibus*, aliquando etiam, favente Deo, Theologiæ & Sacrorum Canonum dogmata explanaturi.

Beño Abbas earum promotor præcipuus.

Illud in Regno Bohemiæ nemo neſcit, quòd R.mus BENNO LÖBEL Abbas Brevnovienſis ac perpetuus Congregationis Benedictino-Bohemæ *Viſitator Generalis* egregio in bonas literas animo ſit, nihiſque priùs habeat, quàm ut juniores ſui Religioſi iis diſciplinarum ſcientiis, quæ Monachos decent & ornant, excolantur. Quod ut fiat, utì hactenus nullis pepercit ſumptibus, ita eos non fruſtrà expendiſſe magno animi ſolatio lætari poteſt. Majus tamen ſibi ſuíſque ac univerſo Ordini nomen & gaudium peperiſſet, ſi quod glorioſè non minùs ac generoſè inchoârat, opus conſummâſſet. En tibi ejus idæam. Excellentiſſimus atque Illuſtriſſimus S. R. I. Comes PHILIPPUS KINSKY, ſupremus Regni Bohemiæ Cancellarius in cogitationem laudis, gloriæ, ac dignitatis

Collegiũ Illuſtriũ Pragæ à Benedictinis aperiendum.

(z) vid. Armell. Bibl. Ben. Caſin. part. I. pag. 110.

tis plenam venetat de Collegio Pragæ excitando, in quo Illuſtris Juventus omni genere artium ac ſcientiarum, quæ in nobiles juvenes, ad Rempublicam capeſſendam olim acceſſuros conveniunt, cum cura inſtitueretur. Hoc verò Collegium ex nomine Auguſtiſſimæ Imperatricis ac Reginæ Bohemiæ MARIÆ THERESIÆ, quæ illud clementiſſimo annutu tatum habuit, & confirmavit, THERESIANUM vocandum, R.mus D. BENNO, Abbas Brevnovienſis, vulgò *S. Margarethæ* propè Pragam, à ſe magnis ſumptibus ac impenſis conſtituendum ſuſceperat. Jámque anno 1744. Benedictini Profeſſores (a) non contemnendæ eruditionis ac doctrinæ Pragam invitati advenerant, qui literas, quæ Nobilitatem decent, docturi eſſent; quos verò Mars Boruſſicus paucis poſt menſibus eodem anno in fugam avertit; Reverendiſſimum verò Præſulem, ejus Religioſis carceri mancipatis, graviſſima pecuniarum exactione, aliiſque belli injuriis, ærumnis, & calamitatibus, ut neminem magis oppreſſit, de quibus hîc ſilere, quàm loqui præſtat. Etam & ego (b) inter Ptofeſſores Pragam accitos; quam provinciam non tam ambivi, quàm detrectare non potui, ut ne opetam & induſtriam in re literaria ab Ordinis noſtri Sodalibus in publicum Regni Bohemiæ commodum ptomovenda, non ſine Benedictini nominis gloria, ſubtrahere velle viderer. Cùm verò adhuc Viennæ Auſtriæ exiſtens cum R.mo D. Præſule Brevnovienſi de re literaria monaſtica in ſermonem veniſſem, rogavi illum, ut non tam curæ haberet, Illuſtrem Bohemiæ Juventutem politicis inſtrui literis, quàm ut ſuæ Congregationis Monachos ſacris iis ſtudiis, quæ Benedictinos Cœnobitas apprimè decent, imboi ac erudiri curaret. Non reſpuit, quæ dicebam, ſed ſcribendæ ad R.mum Abbatem *Calmetum* epiſtolæ, quâ duos ab ipſo Ptofeſſores expeterem, negotium mihi impoſuit. Scripta verò fuit epiſtola à me his verbis:

Authoris Epiſtola ad Abbatem Calmet.

„Etſi aliquot abivetint anni, quibus nullas ampliùs ad Reverendiſſimam Dominationem Tuam literas „dedi, ex diuturno tamen hoc ſilentio nihil priſtinæ, ejúſque profundæ „erga Te meæ reverentiæ, nihil ſubmiſſæ obſervantiæ deceſſiſſe velim exiſtimes. Cultor celeberrimi Nominis „Tui ſemper fui, ſempérque futurus „ſum devotus. Nunc verò eam mihi „ad Te ſcribendi occaſionem oblatam „eſſe ex animo lætor, quâ neque gratior, neque honeſtior deſiderari potuit.

„Venit aliquot abhinc ſeptimanis Viennam Auſtriæ R.mus & Ampl.mus D.nus BENNO, Abbas Brevnovienſis, Regni Bohemiæ primus inter Regulares Prælatus, & Congregationis Benedictino-Bohemicæ Præſes ac Viſitator Generalis Perpetuus. Huic Illuſt.mo Præſuli nihil majori eſt curæ, quàm ut poſt diſciplinæ regularis obſervantiam honeſtiſſima litetarum ſtudia in Congregatione ſua ad ſublimius provehat faſtigium. Cùm verò alia ſtudia, ut ita loquar, ſint interna, alia externa, curæ utraque habet. Et quidem quod ad ſtudia attinet externa, proximè ab Eo, applaudentibus & approbantibus Inclytis Regni Statibus, Pragæ, Urbe Regia ac Metropoli, Collegium pro Illuſtri Juventute magnis ſumptibus ac impenſis fundabitur, in quo eæ artes & diſciplinæ à *Benedictinis* Profeſſoribus tradentur, quæ decent *Nobilitatem*. Neque enim, niſi qui ſit illuſtri ſtemmate natus, ſuſcipiendus eſt.

Collegiũ Pragæ erigendum inſinuat.

Studia interna voco, quibus juniores Religioſos inſtitui opus eſt; ſunt hæc in Germania ut plurimùm præter Philoſophiam Peripateticam Theologia cùm Speculativa, tum Moralis, hæc parùm defœcata, illa multùm rixoſa; deinde nonnihil aliquid Juris Canonici. De Sacra Scriptura, Theologia Dogmatica, Polemica, SS. Patribus, Conciliis, Hiſtoria, Traditione, & Antiquitate Eccleſiaſtica, Sacra Critica, nondum ea ſciuntut, quæ Viros Religioſos ſcire dudum expediiſſet. Cùm verò R.mus Btevnovienſis harum diſciplinarum, quas poſteriori loco nominavi, non neceſſitatem magis quàm utilitatem optimè perſpiciat, iiſdem ſuos Religioſos ab idoneis Magiſtris per aliquod tempus inſtitui peroptat; nempe quoad ptæcipuam ſacrorum ſtudiorum, optimámque tationem adipiſcantur. Quare mihi in mandatis dedit, ut antè periculum facetem, Tuæque R.mæ Dominationis mentem explotarem, quàm Ipſe ad Eandem literas exaret. Mihi, ſi in præclaram Tuam de re literaria Benedictina benè merendi propenſionem intueor, nullus „dubitandi locus relinquitur, quin „hone-

Quæ diſciplinæ in eo tradendæ.

(a) Hi erant Chriſſ. Viri P. *Anſelmus Deſing* Ensdorfienſis, *Oliverius Legipontius*, S. Martini Coloniæ, *Udalricus Weis* Urſinenſis in Suevia, & Ego minimus.

(b) Vide ſuprà Authoris vitam §. XII.

„ honeſtiſſimis Brevnovienſis Domini Præſulis votis ſis ſatisfacturus. Annues igitur, ut ex ſacra Congregatione Tua, eximia ſacrarum literarum laude florentiſſima, duo Viri Religioſi, quorum doctrina & eruditio exſpectationi de ſe conceptæ reſpondeat, ad Aſceterium *Brevnovienſe*, vulgò *S. Margarethæ* propè Pragam, ſe conferant. Et quia R.mo Abbati Brevnovienſi propoſitum eſt, ut Religioſi ſui etiam de patriâ ſcribendo benè mereantur, vult eos Bohemicæ antiquitatis monumenta excutere, ac primò Bibliothecam Scriptorum Rerum Bohemicarum condere, tum novam, atque multò auctiorem, magíſque emendatam, quàm illa *Freberi* eſt, adornare Collectionem Scriptorum Rerum Bohemicarum. Quo in labore Viri à Te ſubmittendi vel Duces, vel Operis Adjutores eſſe non recuſabunt. Deinde cum Tute in celeberrimis Tuis in S. Scripturam Commentariis novam Operum *B. Rabani Mauri* editionem ſuaſeris, etiam de hac, aliíſque bene multis, quæ nunc commemorare longum foret, ſeriò cogitatur. Non deerit igitur fabricandi materia, modò tu ſtrenuos ſubmittas ſabros, qui materiæ non ſint defuturi. Nec gratis hoc ſacturi ſunt, ſed præter honeſtum victum, amictum, annuúmque honorarium honeſtiſſimè habebuntur. Polliceri hoc ex me ipſo poſſum, qui cùm triennio abhinc (*an.* 1740. *meunte*) in Bohemiam vocatus eſſem, ut Brevnovienſem conderem hiſtoriam, non honeſtè modò & frugaliter, ſed lautè etiam habitus fui. Niſi me Hiſtoria Literaria Ord. S. B. Viennam ad Bibliothecam Auguſtam revocâſſet, non tam properè & citò è Monaſterio hoc pedem elaturus fuiſſem. Nunc cùm eidem Hiſtoriæ coronidem propediem ſim impoſiturus, Pragam anno proximè ſequenti revertar, quo in Neo - Benedictino Illuſtrium Collegio munus Profeſſoris cum aliis Benedictinis ex Germania conſcriptis ſuſcipiam, ſicque de re literaria à ſodalibus Ordinis noſtri provehendâ benè ad aliquod tempus merear. Singulari erit mihi gaudio cum Religioſiſſimis juxtà & doctiſſimis Congregationis Tuæ Patribus non conſtituere modò amicitiam, ſed eorum etiam conſuetudine frui poſſe. Atque hæc hactenus à me ſcripta quàm inexſpectati ſunt argumenti, tam grata & accepta, ut R.mæ Paternitati Tuæ „accidant, animitùs non modò opto,

Duos ex Congreg. S. Vitoni. Religioſos ad profeſſuras invitat.

De Bibliotheca Scriptorum rer. Bohemicarum,

& Novæ operum Rabani editionis mentionem facit.

Cur Viennam ex Bohemia ſe receperit.

„ſed futura etiam confido. Ut enim doctorum princeps citra controverſiam judicaris, ita præcipuas etiam partes de re literaria in ſacro Ordine noſtro ubique gentium ac terrarum promovendâ Tibi vindicas; ut quantum doctis Benedictinis ingenio & doctrina præſtas, tantùm doctrinæ comparandæ ſtudioſis prodeſſe non minùs poſſis ac velis. Injuriam igitur Tibi facturus mihi videor, ſi ad excitandam voluntatem Tuam multis congeſtis rationum momentis id à Te extorquere annitar, quod ſponte animi facturus es. Quòd ſi reſpondere dignaberis (quod proximè futurum ſpero) literas per *Cl. P. Benedictum Thiebaut* Superiorem Luxovienſem ad Cl. P. *Apronianum Hueber*, Priorem Augiæ Majoris Brigantinæ dirigas precor, quas ille vel Viennam, vel Pragam mihi curabit. Vale, méque priſtinis, iíſque pretioſiſſimis complectere favoribus. Dabam Viennæ Auſtriæ Menſe Decembri An. MDCC-„ XLIII.

In Calmeti laudes excurrit.

Dubio procul quòd R.mus Abbas *Calmet* hac epiſtolâ rogatus, habito cum ſuis conſilio, ſatisfacturus fuiſſet, niſi Mars iterum, pace, quâ Muſæ gaudent, perturbatâ, interceſſiſſet. Sed, ut ſperare fas eſt, ac vereri fertur parœmiâ, *quod differtur, non aufertur*, maximè ſi melior fortuna, quod optamus, Brevnovium reſpexerit. Quia tamen jam *diſceſſit devotio Dei, & acceſſit indictio fiſci*, forte qui dùm potuit, noluit, dùm voluerit, non poterit; præſertim poſtquàm Patres Societatis Jeſu in res noſtras limis ſemper uſi oculis ejusmodi Collegium Viennæ Auguſtalibus auſpiciis erexerunt, & piarum Scholarum Patres ſimile inſtitutum Pragæ provehunt. Verùm odioſis hiſce rebus prætermiſſis telam noſtram proſequi volupe eſt.

Memorati Collegii fata.

In *Hungariâ* cùm Turcarum barbaries univerſum ferè regnum occupâſſet, pleraque Ordinis noſtri monaſteria igne ferroque devaſtata procubuerunt, hodiéque in ruinis ſuis jacent lacera. Ex his unum ſuſcitare ac in eo collegium nobilium Hungarorum erigere nuper adgreſſus eſt magnæ vir eruditionis nec minoris ſolertiæ R. P. *Oddo Koptick* ad S. Lambertum in Styriâ Profeſſus, & Ss. Theologiæ in Salisburgenſi Univerſitate Doctor. Aſt dolor! deficientibus ſubſidiis & Patronis, prævalentibus verò æmulis, ſalubre ac generoſum

Studiorū ſtatus in Hungaria

iſtud

illud propoſitum finem cum exordio habuit. Illuſtrius verò eſt Montis S. Martini Regiæ Abbatiæ nomen, quàm ut cuiquam ignotum eſſe queat. Superest hodie inclytum hoc Archiſterium, cujus doctiſſimi Cœnobitæ non ſolùm in *Philoſophia*, *Theologia*, cæteríſque ingenuis artibus egregiè verſantur, ſed *Jaurini* etiam, celeberrima Hungariæ civitate, non multis ante annis publicas Philoſophiæ ſcholas ad ſublevandos aliquot PP. Dominicanos illic docentes, inſigni laude doctrinæ moderati fuerunt. Quibus deinde Epiſcopo Piariſtâ, Patres hujus Sodalitii præfuerunt, Epiſcopis hujus loci ad docendos alumnos ſuos, ſeu Seminariſtas Clericos illos tantùm conducere aſſuetis, in quos vel amicitiâ, vel Ordinis conjunctione, vel favore magis feruntur. Hodie utraſque ſcholas, cùm inferiores, tum ſuperiores, Patres Societatis moderantur.

Literarum facies variat in Germaniæ cœnobiis.

In GERMANIA qualis ſit rei literariæ Benedictinæ ſtatus, non facile eſt dictu. Nam licèt aliàs non ſit inuſitatum, ex parte totum intelligi, hîc tamen commodè nec poteſt, nec debet. Non enim, ſi in uno monaſterio ſtudia florent, ſatis argumenti eſt, cur putemus, ea in cæteris omnibus excoli, aut econtrà ſi literæ in uno negliguntur, earum in cæteris nullam haberi curam: plerumque tamen res literaria, ut cætera omnia, ad Abbates & Superiores redit: prout ii in literas ſunt affecti, ita ſtudia earum in monaſteriis vel vigent, aut languent, aut occidunt. Nempe ut Plato loquitur, *quales in Republica ſunt Principes, tales reliqui ſolent eſſe cives.*

Eas Abbates quidam in primis habent curis, alii vix in ſecundis.

Sunt Abbates, quibus ſuo in regimine nulla res ita eſt propoſita, quàm ut ſui Religioſi in ſtudiorum curſu ad doctrinæ & eruditionis faſtigium enitantur. Unde hoc ævo in Germania habemus plures Benedictinos non indoctos, quorum præclaram doctrinam atque eruditionem emiſſa in lucem opera abundè teſtantur. Neque verò, ut ſuorum tantùm Religioſorum, ſed exterorum etiam ſtudia promoverentur, Ampliſſimis illis Abbatibus curæ & cordi eſſe cœpit. Hinc ludos iiſdem literarios in ſuis monaſteriis vel noviter aperuerunt, vel jam olim aperta Gymnaſia inſtaurârunt, aut etiam in Academias provehendas curârunt. Cujuſmodi ſunt *Fuldenſis* & *Cremiſanenſis* Academia, Schola Illuſtrium *Ettalenſis*, Athenæum *Fri-*

Lycæa noviter aperta.

ſingenſe in Bavaria, *Admontenſe* in Styria, *Maranenſe* in Tyroli, *Hildeſienſe* ad S. Gothardum in Saxonia, *Lunælacenſe* in Auſtria Superiore, quod duobus abhinc ſeculis erectum, R.mus Abbas BERNARDUS anno 1730. inſtauravit; *Scotenſe* Viennæ in Auſtria; quod tamen ultimum cùm eſſet *Schola tumultuans* intra clauſtrum (*deficiente alio commodiori loco*) ubi ſeveri ac perpetui ſilentii cuſtodia primas partes ſibi vindicat, ſponte ultro & prudenter abdicatum eſt. Nempe ita in multis monaſteriis apud noſtros fieri pridem conſuevit, ut ſcholæ non infrequenter ſint herbæ ſolſtitiales, quæ repentè oriuntur, ac repentè occidunt.

Studia Bavaricæ Congreg. Cardinali Quirino laudantur.

Firmior tamen hactenus ſtetit rei literariæ cultus in Bavariæ Monaſteriis, de quibus inſigne prorsùs tulit teſtimonium Eminent. Cardinalis QUIRINUS in epiſtolâ die XXIII. Novembris anno 1748. datâ ad Ss. D. N. BENEDICTUM XIV. In qua ei peregrinationis ſuæ in Bavariam inſtitutæ rationem reddit. Sìc verò ſcribit: *Bavariam ex omni parte percurrens duodecim inſigniora Benedictini mei Ordinis Cœnobia inviſi, ac vehementer lætatus ſum, quòd pietatem ac literas in iiſdem diligenter excoli, certò certiùs intellexerim. Quoniam in* Tegernſeenſi, *ſeu* San-Quiriano, *& in* San-Emmeramenſi, *ſeu Ratisbonenſi non brevis unius tantummodò lucis, ſicut plerumque in reliquis, ſed tridui, & ampliùs moram traxi; bina iſta pluribus experimentis mihi comprobârunt, in Theologica diſciplinâ præſtantem omninò operam à ſacris illis familiis collocari. Parem in aliis etiam Congregationis Bavarico-Benedictinæ, ad quam eadem pertinent, Monaſteriis vigere, pronum mihi fuit argumentari, eâ præſertim de cauſâ, quòd mihi innotuerit, eandem Congregationem eximios Profeſſores omni tempore miniſtrâſſe Salisburgenſi Athenæo, & viciſſim inde repetere conſueviſſe clariſſimos Doctores, nullámque ab ipſa curam omitti, quò magis, magíſque in eo ſplendeat literarum gloria.* Hæc purpuratus Pater. Ex cujus alia Epiſtola anno 1747. die 26. Maij ad Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Abbatem Deſertinenſis Monaſterii in Rhetia, *S. R. I. Principem*, BERNARDUM *de Franckenberg* datâ, intelligimus, quòd ampliſſimus hic Præſul Sondrii, quod eſt primarium Vallis Tellinæ oppidum, ædibus comparatis, Collegium ad ejus Vallis, & Rhe-

Rhetiæ etiam juventutem bonis literis per ſuos Cœnobitas imbuendam inſtituerit. Iisdem iterum literis Card. QUIRINUS teſtatur, FRANCISCUM ACCIAIOLUM, Archiepiſcopum Petræ in Arabia, & Apoſtolicum apud Helvetios Nuntium Lucernâ nuperrimè de Benedictinis in Helvetia Monaſteriis ad ſe perſcripſiſſe, quòd & *ratione diſciplinæ Monaſticæ, & ratione ſtudiorum literarum poſſint omni cum veritate appellari decus & ornamentum Catholicæ Religionis in iſtis partibus ab hæreſi malè habitæ.* Sed maximè hîc memorandum plenum omnino ſublimioris ſapientiæ conſilium, quod de erigendo Pariſiis *Collegio Germanico* nuper propoſuit doctiſſimus Abbas Gengenbacenſis *Paulus Seiger*; quâ de re ipſe in quibusdam literis anno 1739. ad amicum datis ita reſcribit: *Dudum eſt, quòd de ratione erigendi in Congregatione S. Mauri cujusdam pro Religioſis noſtris collegii, in quo ad ſolidiores diſciplinas à doctiſſimis Patribus formarentur cœnobitæ maximè idonei, cogito. Hæc autem dùm mente attentiùs revolvo, commodùm afferuntur mihi literæ ab amantiſſimo meo domno* le Sueur *datæ Pariſiis 24. Decemb. añi elapſi* (1738.) *in quibus hæc mihi nuntiat:*

Similiter Helveticæ Congregationis.

„Tachez de vous rendre chez nous à „Paris, vous conviendrez aiſement avec „nôtre General de vos projets de literature pour vôtre Allemague. On „étudie actuellement chez nous l' „Arabe, Syriacque, Chaldeen, Copt, „Turc, Armenien, Perſan, enfin les „langues orientales. Il eſt digne des „Benedictins d'Allemagne d' entrer les „prémiers dans cette vaſte carriere de „literature.„ Hactenus domnus le Sueur. Subdit verò R.mus Abbas: *Je croirois manquer aux plus grands de mes devoirs, ſi je ne repondois par aux vœux de Dom* le Sueur *qui eſt tout plein de zéle pour nous aider à faire à Paris un établiſſement en faveur de ceux de nôtre Ordre, qui voudront profiter des lumieres de la Congregation de ſaint Maur. C'eſt pourquoy j'ai reſoln d'aller à Paris dans 15. jours au plus tard pour mettre tout en ordre, & pour frayer un chemin, que nous devrions courir ſans heſiter un moment. Si je puis être aſſez heureux de reüſſir dans mon entrepriſe, je benirai Dieu de m'avoir fait voir l' eſperance & le moyen que nôtre Ordre rentrera enfin dans ſon ancien luſtre. Si non? je me contenterai du moins d'avoir fait ce, qui depend de moi pour arriver à une fin auſſi belle & auſſi avantageuſe tant à nôtre Ordre, qu'à toute l'Egliſe, qu' eſt celle-cy...* Hæc ille ſummus vir.

Abbatis Gengenbacenſis conſilium de collegio Germanico Pariſiis erigendo.

Quibus exemplis illi Abbates & Superiores incitari poſſunt, quorum mens & cogitatio in re literaria, promovendisq; doctrinarum ſtudiis non magnoperè occupari videtur. Unde cùm Candidati ſuſcipiendi ſunt, de delectu ingeniorum nulla vel certè quidem haud ſatis debita eos exercet ſollicitudo. Non rarò major peritiæ muſices, quàm literarum ratio habetur. Poſt nuncupata ſacra vota ſæpiùs fieri amat, ut qui juvenes ad ſingularem quandam diſciplinam nati ſunt, ad longè aliam percipiendam comparare ſe debeant, ad quam cùm invitâ Minervâ incumbant, quem admiratio ſubeat, quòd nullum vel exiguum admodùm faciant progreſſum? Omnes, nullâ capacitatis habitâ ratione, vel ingeniorum diſcrimine, in eodem Philoſophiæ ac Theologiæ ſpeculativæ ludo plerumque includuntur. Quid hoc verò eſt, niſi velle, ut idem calceus omnium pedibus accommodetur? Quid dicam de temporis inopia, quâ tantâ in quibusdã monaſteriis ob chori prolixitatem, & novas Officiorum & figuralis muſicæ adinventiones diſcipuli laborant, ut planè illud eis non concedatur, quô tamen ad ſcientias capeſſendas neceſſariò habent opus? Illi tamen encyclopœdiam imbibiſſe vulgò exiſtimantur, qui in Philoſophiæ atque Theologiæ ſpeculativæ arena majores dare pugnas, atque acriores ciere rixas, ſæpe de lana caprina, didicerunt, licet in divinis Paginis, ſacris Canonibus, ſanctis Patribus, Conciliis eccleſiaſticis, traditionibus, antiquitate & hiſtoria cùm ſacra tum profanâ planè ſint hoſpites ac ignari. Quæ res BERNARDO BAILLIE, Scotorum Ordinis noſtri ad Divum Jacobum Ratisbonæ Abbati, b. m. viro à natalibus, doctrinæ & virtutis præſtantiâ illuſtriſſimo, ita ſtomachum movit, ut in literis ad me exaratis inſeruerit: *Talis eſt Germanorum meridionalium plerumque indoles, ut nihil ſapere videantur, niſi futiles ſcholarum ſtrepitus, vix non dixiſſem crepitus, nulli uſui aut commodo in humana vita comparatos: ſi ſeptentrionales, & ipſi acatholici non eſſent, perpaucos eruditos in Germania haberemus: nec puto hoc eſſe religionis aut regionis vitium, cùm vicini noſtri Galli & Itali in re literaria maſculè laborent: totum hoc inertiæ negotium educationi juven-*

Ex adverſo Amuſorum Abbatum inertia notatur.

Sententia cujusdam Abbatis de ratione ſtudiorũ apud Germanos meridionales.

tutir

tutis attribuendum exiſtimo; Scholæ igitur reformandæ ſunt, vel in ſocordia noſtra perſiſtendum. Hæc ille; ac ſi paucis cum *Mamerto* (e) *Claudiano* dixiſſet: *Noſtro ſeculo non ingenia deſunt, ſed ſtudia.* Illud verò magis adhuc indignum, quòd ab id genus agris incultis copioſa deinde meſſis exigatur. Monachis in cultû ſtudiorum neglectis, ignorantia, & ad functiones cum dignitate adminiſtrandas inhabilitas quandoque à nonnullis Superioribus ut probrum objicitur, cujus tamen ipſi non minima cauſa extiterunt. Oporteret, ut Superiores cujusque ſuorum ingenium priùs explorarent, atque ad quas ſcientias capeſſendas idoneus quisque eſſet, deliberarent; tum magiſtros ad docendum maximè idoneos præſtituerent; deinde affatim temporis, quô diſcipulis opus eſt, concederent: at nihil horum aliquando fit. Næ auſteros igitur homines, qui nullâ ubi ſementem fecerunt, meſſem colligere volunt. Quid? quòd novus Abbas Trappenſis, ut ſuis fræna potiùs injiceret, quàm calcaria adderet, edicere non dubitârit, *non eſſe bonum, multos doctos monachos eſſe in monaſteriis*, ac ſi verò ignorantiâ ad tuendam vitæ monaſticæ diſciplinam nihil accomodatius in monaſteria induci poſſit. Memoriæ hîc occurrunt Divi Hieronymi verba in epiſtola ad Marcellam, quibus neſcio quos homunculos ſibi ſtudioſè detrahentes perſtringit: *Craſſam ruſticitatem illi ſolam pro ſanctitate habent, piſcatorum ſe diſcipulos aſſerentes, quaſi idcircò ſancti ſint, ſi nihil ſcierint.* Romano magiſtratui olim non defuerunt rationes, ut Senatusconſulto caveret, ne Rhetores & Philoſophi in urbe eſſent. Sed quæ ſana ratio in medium afferri poteſt, ne frequentes literati monachi in monaſteriis habeantur? Quare heteroclitam hanc ſententiam ſi alii amplecterentur Abbates, nihil certius futurum eſſet, quàm ut rudem & minimè ſpecioſam ſuperioris ætatis, præſertim ſeculi XIV. & XV. imaginem in monaſteriis Benedictinis, quod Superi avertant, iterum intueri compelleremur.

Noſtro ſeculo non ingenia deſunt ſed ſtudia.

Ignorantiæ fautores perſtringit Author D. Hieronymi ſententiâ.

Nec in Superioribus ſemper, ſæpiùs etiam in ipſis monachis culpa reſidet, quòd minùs in aſſequendâ honeſtarum artium ſcientiâ operam & induſtriam ſuam collocent. Sunt enim, qui cùm in ſeculo etiamnum ſint à Muſis averſi, hujusmodi Monaſteria præ aliis eligunt, ubi à ſe, modò chorum frequentaverint, nihil eruditionis aut doctrinæ exigi poſſe exiſtimant. Alii cùm poſt votorum nuncupationem ſe è monaſterio haud ampliùs dimitti poſſe, ſibíque de victu, veſtitu, & habitatione proſpectum eſſe haud ignorent, nullis ſtimulis aut calcaribus ad ſcholaſticos labores impigrè ſubeundos ſatis incitari poſſunt. Iterùm alii Sacerdotio vix initiati deditâ operâ à literarum ſtudiis ſe ſejungunt, ad munera verò alia intra vel extra monaſterium adminiſtranda animum adjungunt, vel certè quidem id negotii datum ſibi eſſe exiſtimant, ut compilato ex tritiſſimis ſcriptoribus concionum faſciculo poſtea ſuaviter quieſcere & otiari poſſint.

Neglectû rei literariæ culpam ipſi quandoque monachi ſuſtinent.

At enim tametſi parcè ac molliter loquar, ſapientiùs tamen facturus mihi videor, ſi de hac re nulla potiùs, quàm multa verba faciam; cùm de viventibus loqui, opus ſit invidiæ ac aleæ plenum. *Dicere fortaſſè,* inquit Cicero, *quæ ſentias non licet, tacere planè licet.* Votum tamen, quò animus æſtuat, non omnino tacere poſſum. Eſt verò illud: Ut quemadmodum M. TACITUS Romanorum Imperator, *Cornelii Taciti*, Annalium Scriptoris longè celeberrimi, imaginem in omnibus Bibliothecis collocari, libros, ne perirent, quot annis deſcribi, & in archivis civicis aſſervari voluit; ita JOANNIS MABILLONII, Annalium Benedictinorum doctiſſimi Conditoris, effigies in omnibus Benedictinis Bibliothecis collocetur, ejus verò Libri ſeu *Tractatûs de Studiis Monaſticis*, non unum, ſed tria, quatuor, aut etiam decem exemplaria in quovis monaſterio pretio comparentur, à Superioribus priùs cum curâ & ſtudio evolvantur, tum quà inter diſcipulos, quà magiſtros, lectores, ac profeſſores diligentiſſimè legenda diſtribuantur. Tum verò ſperare licebit, fore, ut omni deſidiâ è monaſteriis ejectâ, literarum ſtudia in pretio habeantur, viri docti foveantur, eáque & doceantur & diſcantur, juxtà præſcriptam utiliſſimam methodum, quæ Chriſtianæ Reipublicæ emolumento, Eccleſiæ Catholicæ præſidio, Ordini Benedictino gloriæ & ornamento ſint futura.

Votum Authoris de Mabillonii effigie in Bibliothecis collocanda.

Abi-

(e) in epiſtola ad Sapaudum Rhetorem.

Conſilium de inſtituenda ſocietate literaria Germano-Benedictina.

Abirem jam ab hoc capite, niſi tangenda ſaltem adhuc eſſet res ampliſſimæ conſiderationis, ac digna omninò, quæ hîc memoretur. Lydius enimerit lapis, ad quem deinceps explorare liceat noſtrorum per Germaniam Antiſtitum propenſum in bonas Literas, & decus Ordinis animum. Ita verò habet: Aliquot jam effluxêre anni ab eo tempore, quo ſolertiſſimi quidam ſolidiorum apud Noſtrates ſtudiorum præſtites & inſtauratores, R. P. *Carolus Meichelbeckius* Benedicto-Buranus in Bavaria, *Felix Egger* Petrihuſanus in Suevia, & *Bernardus Pezius* in Auſtria, cum magno ad omnia magna Viro D.no GODEFRIDO BESELIO Gottwicenſi, aliíſque Abbatibus conſilium inierant, *de inſtituenda Societate quâdam Literariâ Germano-Benedictinâ ad illuſtrandas communi operâ res Patriæ & Ordinis.* Qua de re etſi diu multúmque deliberatum, conſultúmque eſt, quò tamen minùs perficeretur, variæ interceſſerunt remoræ, fatáque ſiniſtra & præpropera: ita nempe, uti Virgilius Æneid. XVI.

Velle videmur, & in mediis conatibus ægri Succidimus. . .

À Patre Oliverio propoſitum.

Quia verò, ut præclarè Cicero monebat, *par eſt omnes omnia experiri, qui res magnas & magnoperè expetendas concipiunt*, ego ſanè licèt multos ſapientiores cernerem deſperatione debilitatos experiri id nolle, quod ſe adſequi poſſe diffiderent, ipſa tamen inſtituti pulchritudine, præſtantiâ, & utilitate in ſpem boni eventûs ſubinde erectus, vadum tentare primus ſuſtinui, ratúſque illud Pindari rectè dici: *Incboando operi pulchra viſu jacienda eſſe primordia*, inſtituendæ ejusmodi Societatis literariæ ſyſtema adornare, ejúſque Oeconomiam, Statuta, utilitates & commoda repræſentare, ac promulſidis loco velut quoddam ad eliciendos Sodalium, Fautorúmque animos invitamentum æquis rerum Cenſoribus, & bonarum artium Æſtimatoribus proponere non dubitavi; quod ut in plurium veniat conſpectum hîc exhibere, ac venturæ ætati impenſiùs commendare fortaſſis non erit inutile: Nam *& ſerò ſapuêre Phryges*, & ut Quintilianus ſcitè ajebat, *omnia quæ magna ſunt, & admirabilia, tempus aliquod, quo primum efficerentur, habuerunt.*

SYSTEMA

Inſtituendæ Societatis Literariæ Germano-Benedictinæ. (f)

PROLOGUS.

Literarum Studia, quæ tantum ſplendorem, tantam æſtimationem & famam Ordini Benedictino pepererunt, tantámque Eccleſiæ & Reipublicæ utilitatem contulerunt, ab ipſo primævæ inſtitutionis exordio à Ss.mo Legiſlatore noſtro BENEDICTO, ejúſque Diſcipulis fuiſſe exculta omnes produnt hiſtoriæ; nec quidquam porrò Conciliis Summíſque Pontificibus, imò & Principibus curæ magis fuiſſe conſtat, quàm ut ea in clauſtris florerent, & omni conatu excolerentur. Quo factum, ut hujus inſtituti Cultores acceptum à Patre docendi munus, cùm aliàs ſemper exercuerint, tum majori apparatu illud extulerunt, poſtquàm felicioꝛe germine multiplicati, ad converſionem gentium & hæreſum extirpationem ſigna converterunt. Servavit hunc morem Familia Benedictina, & cum eo ſuum decus per plurium ſeculorum decurſum, veſtigiáque rei monſtrant tantum ſubinde bonarum artium ſtudiis in pleriſque Germaniæ cœnobiis tributum eſſe, ut quot Monaſteria, tot ferè eſſent Gymnaſia, & publica Muſarum empo-

(f) Proponebat P. *Oliverius Legipont* an. 1752. ex Ducali Typographeo Campidonenſi.

emporia. Recitare juvat, quæ hac de re *Trithemius* veteris usûs apprimè gnarus in Chronico Hirſaugienſi ad annum 890. reſcribit: *Erat*, inquit, *his temporibus in omnibus ferè Monaſteriis noſtri Ordinis hæc conſuetudo celeberrima, ut Schola Monachorum in ſingulis penè cœnobiis haberentur, quibus non ſeculares homines, ſed Monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatiſſimi, qui non ſolùm in Divinis Scripturis docti eſſent, verùm etiam in Mathematica, Aſtronomia, Arithmetica, Geometria, Muſica, Rhetorica, Poëſi, & in ceteris omnibus ſecularis literaturæ ſcientiis eruditiſſimi haberentur. Ex his multi non ſolùm in Romana lingua docti erant, ſed etiam in Hebraïca, Græca, Arabica peritiſſimi, quod ex eorum opuſculis facilè dignoſcitur.* Etſi verò poſtremis quidem retro, quod ſciamus, temporibus, paria cum reliquis Germaniæ Ordinibus fata, eáque non niſi triſtia expertus ſit Ordo Benedictinus, nunquam tamen bonarum artium ſtudia, è cœnobiis noſtris ita emigrârunt, quin ſemper nonnulli reperirentur, qui excellenti ingenio & egregiis naturæ dotibus perinde ac variæ eruditionis panopliâ inſtructi, inter alios eminerent, avitúmque familiæ ſuæ decus pro virili portione tuerentur. Sed hæc ut ita ſe habeant, duo tamen ſunt, quæ vim ingeniorum plurimùm ſufflaminâſſe, progreſſibúsque ulterioribus obſtitiſſe arbitramur. *Primum* eſt, quòd omnia privato ſolùm auſu & labore ſuſcepta, tractata, perfecta fuerint; nulla Eruditorum de rebus ad ſe pertinentibus, de ſuis moliminibus, de re literaria invicem communicatio; nullum apud pleroſque aliis inſerviendi in hoc genere ſtudium; nulla in conferendis ſymbolis, mutuíſque ſuppetiis cura; nulla exornandæ Matris Religionis ſollicitudo publica, nec ullus ferè eruendis, ac illuſtrandis, & in lucem proferendis veteribus monumentis, aut Majorum ſcriptis adhibitus communis labor: unde cum maximo Reipublicæ literariæ damno, nec ſine Benedictini Nominis dedecore & nubilo præſtantiſſimos ſubinde ingenii partus inter tineas & blattas perpetuò deliteſcere, vel perire, aut tædium nihil proficienti ſcripturæ tempus impendendi Auctores & deſcriptores capere neceſſe eſt. Alterum perinde Muſis Benedictinis noxium illud eſt, quòd in pleriſq; cœnobiis nullus ferè ſit talentorum uſus, nulla ingeniorum cultura, exercitatio nulla, æmulatio modica, hiſtoriæ literariæ cognitio exigua, librorum præſtantiorum tenuis apparatus, communis meliorum artium neglectus, nullus penè ſolidiorum diſciplinarum amor, majórque in concertationes ſcholaſticas, & ſteriles nugas, quàm par fuerit, proclivitas, tum quòd præclara, publicáque, & magis utilia venerandæ antiquitatis ſtudia, non ita, ut decet, æſtimentur inter Cœnobitas; tum quòd monaſteria ſubinde in locis minùs celebribus ſita, talentis utendi, aut ingenii fœtus in lucem emittendi occaſionem nonnullis eripiant; (g) quo fit, ut quæ latet incluſa virtus ſæpiuſculè obſoleſcat, ac pleríque viri alioquin in literas optimè propenſi duris operibus luti & lateribus oppreſſi, ac heterogeneis concellitarum aut etiam Superiorum moribus in tranſverſum acti, publico fiant inutiles, tantóque interdùm evadant de-

(g) *Neque cuiquam*, inquit Plinius, *tam clarum ingenium eſt, ut poſſit emergere, niſi illi materia, occaſio, fautor etiam commentatorque contingat.* Lib. VI. ep. 23.

teriores, quanto majores in illis igniculi exarſerint: *ſic lethalis hyems paulatim in pectora venit*, ſensímque illi etiam ipſi torpeſcere incipiunt, qui aliàs præclara virtutis & doctrinæ ſpecimina ederent, ſummóque Eccleſiæ, Ordini, Reipublicæ eſſent commodo, ſi ad naturam accederet eruditio, aut prodeundi in publicum, & *ſcire ſuum* aliis impertiendi opportuna ipſis daretur occaſio, quâ mens vel melior effici, vel talenta felicius excoli, vel labores & operæ rectiùs publicè privatímque poſſent collocari; ſcriptum enim eſt: *Da ſapienti occaſionem, & ſapientior fiet.*

Quocirca *cùm*, teſte Hugone, *per ſcientiam fiat greſſus ad diſciplinam, per diſciplinam ad bonitatem, per bonitatem verò ad beatitudinem;* cúmque vita præter chorum & Miſſam otioſa, ſine literis facilè evadat vitioſa, (h) *ac mors potiùs dicenda ſit, quàm vita;* Sapientiſſimi quidam Benedictinæ per Germaniam Familiæ Antiſtites, & cum iis Cœnobitæ ſaniores de ea, quam profeſſi ſunt, Religione exornandâ ſolliciti, Deo, Patriæ & ſanctæ Matri Eccleſiæ ſinceris affectibus ſervire, ac rebus afflictis quodammodò conſulere, malíſque irrepentibus pro virili ſuâ parte mederi geſtientes, conſultum & utile duxerunt *Societatem quamdam Literariam Germano-Benedictinam* inire & ſtabilire, cujus formam & œconomiam hanc eſſe voluerunt.

CAPUT I.

De Societate in genere, ejúsque ſcopo, & commodis.

§. I.

ANtiquiſſima eſſe Eruditorum Sodalitia, ac penè cum ipſis literis nata, aliunde notius eſt, quàm ut pluribus debeat commonſtrari. Nota enim ſunt Hebræorum Collegia, noti Ægyptiorum conventus in templo Vulcani Memphitico, Magorum & Gymnoſophiſtarum cœtus, Græcorum Muſæa, atque Sapientûm converſationes in templo Minervæ. Romani ſeceſſus amabant in villas ſuas, de varia re literaria invicem conferentes, nec frequentius quidquam inter veteres Philoſophos, aut ſolennius extitit, quàm congreſſus publicos celebrare, mutuis ſeſe officiis juvare, tueri, ſuccendere &c.

2. Ut taceamus aliarum Gentium hac in re conſuetudines, ſuperiori ætate prout in Germania renatæ ſunt elegantiores literæ, reducta etiam fuêre ejuſmodi Eruditorum Sodalitia, erectæ Societates Academicæ, & ſua ubique ſtudiis ſtatuta quaſi emporia, unde Divinarum humanarúmque rerum Scientia in populos mitteretur, ac in Reipublicæ utilitatem præclara ingenia educarentur. Cujus quidem inſtituti pulchritudine & utilitate pellectus ſapientiſſimus ætatis noſtræ Pontifex BENEDICTUS XIV. Romæ tres ejusmodi Academias ſeu Societates nuper erexit, quarum prima *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, altera *Civili*, tertia *Studio Ss. Canonum & Conciliorum*, ſub auſpiciis eruditiſſimorum hominum eſt conſecrata. Et primæ quidem Protector eſt p. t. *Fortunatus Tamburini* S. R. E. Card. Abbas Caſinenſis.

3. Neque verò hac in re ſibi defuêre ſapientiores quidam vitæ religioſæ Cultores, (i) qui tum denique ſuis facultatibus, ſuóque otio ſtrenuè uti, ipſis etiam obtrectatoribus viſi ſunt, dum literarum ſtudia in ſuis cœnobiis redintegrare, Societates literarias inſtituere, libros unanimi fer-

vore

(h) Trithemius Hom. IV. & in Oratione V. habita in Capitulo Reinharsbornenſi A. 1496. *Enimverò*, inquit, *vita monachi ſine literis aut eſt valde devota, aut omninò turpiſſima.* Et Seneca Ep. 82. *Otium ſine literis mors eſt, & hominis vivi ſepultura.*

(i) Mellicenſes in Auſtria, Weſſofontani & Benedicto-Burani in Bavaria, Echonis-Monaſterienſes in Briſgoia &c.

vore conſcribere, atque unitis *per ſocias manus* operis de eruditionis palma, & laborum gloria inter ſeipſos certare cœperunt.

4. Id verò conforme omninò eſſe Regulæ SS.mi Patriarchæ BENEDICTI ex eo apparet, quòd dum plures Dei famulos in unius clauſtri ambitu collegit, aliud nihil ſpectâſſe videatur, quàm ut vinculo charitatis uniti neceſſitates invicem ſublevarent, *alter alterius onera portaret*, animus animo adglutinaretur, docti rudiores informarent, ac prudentia, inſtructione, doctrinâ ſeſe mutuò paſcerent & ſuſtentarent. Quam in rem præclarè HUGO VICTORINUS, *Ad hoc*, inquit, *in unum habitamus, ut nos invicem cuſtodiamur, invicem corrigamus, invicem erudiamus, ut quod quisque non poteſt per ſeipſum, poſſit per alium.*

5. Sed luculentiùs, quæ porrò in re literaria per ſociatos labores, mutuáſque operas certatim excolendâ nobis impoſitæ ſint partes, ex ea diſcimus ſtudendi ratione, quâ uſi ſunt Majores noſtri: *Nimirùm*, ut refert Jepeſius, (k) *tres aut plures viri eruditi librum eundem, vel caput voluminis ſacri legebant, poſteà examinabant, multâ induſtriâ nucleum perſequebantur, ſententiis deinde in medium allatis, ea probabatur, quæ rem acu tangere viſa fuit.*

6. Hujusmodi congreſſus à quibusdam COLLATIONES appellabantur; hinc etiam factum, ut ſimilem ſtudiorum ac ſermonum conjunctionem Dialogis exponerent. Sic CASSIANUS *Collationes* ſcripſit è SS. Eremitarum colloquiis invicem habitis promptas; ſic Divus GREGORIUS ſociatâ quoque com aliis operâ Divinos Libros excutere ſolemne habuit, & convocatis ad ſe *Petro Diacono, Maximiano, Mariniano, Claudio, Haderico*, aliíſque, in ſacras cum iis literas incumbebat, ac paleis deinde ſedulâ diſputatione diſcuſſis, granum calamo mandabat, aut quæ alii chartæ illeverant, ad ſuam incudem revocabat, ipſe ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus. *Vid. libr. 2. Ep. 37. & l. 12. Ep. 27.*

7. Quamvis autem è noſtris non pauci omni ferè tempore & loco extiterint viri & à pietatis merito, & ab ingenii amœnitate, & à doctrinæ copia inſtructiſſimi, qui junctis ſtudiis bonas literas mirificè excoluerunt; nulli tamen totius propemodom orbis eruditi conſenſu ſunt reperti, qui plus artis, plus eruditionis, ſolertiæ & dexteritatis ad hoc ipſum negotium attulerint, quàm celeberrimi Patres noſtri Gallicani è Congregatione S. Mauri, quorum æmulâ & concordi laborum contentione, ita ſolidiorum ſcientiarum ſtudia in omnia Galliæ Cœnobia videntur confluxiſſe, ut vero ſimile ſit, bonum Numen inclytum hocce Sodalitium noviſſimis temporibus excitâſſe, quò obfuſcata nonnihil vetus illa Benedictini Nominis gloria, non ſine omnium, etiam heterodoxorum, admiratione, & bonorum applauſu, ad plenum quondam meridiem eveheretur. Hi námque ſapientiſſimi viri coadunatâ operâ unanimíque fervore, & mutuis ſuppetiis, omnia in ſcientiis & artibus, velut in metallifodinis, novis indies operibus & ulterioribus progreſſibus certatim ſtrepere faciunt.

8. Nec minùs commendanda eſt illa ſtudiorum conſortio, quâ utuntur Patres Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi in Lotharingia. Delectu nempe inter eos, quos præ ceteris acriori pollere judicio cenſent Superiores, inſtituto, ſtatis diebus in Monaſterio S. Michaëlis Virdunenſis, vel alio in loco, ubi præclaris inſtructa libris Bibliotheca habetur, conveniunt ejusdem laboris conſortes, de argumentis perlegendis deliberant, ac lectiones inſtituendas inter ſe partiuntur, ut quæ inter legendum adnotatione, animadverſione, vel uberiori elucidatione digna videntur, vel de quibus dubitatio oboritur, quisque in chartam referat. Exacto tempore, quod præſtitutum fuit, denuo congregantur, propriæ mutuò difficultates & obſervationes conferuntur, ac demùm in codice ad id parato ſcriptis conſignantur, & quæ orbis eruditi conſpectum ſubire digna ſunt, typis evulganda committuntur.

9. Officiosâ hac ſtudiorum conſiliorúmque communione utriusque Congregationis Patres, tot támque præclara jam procuderunt opera, tantámque exinde Religioni noſtræ conciliârunt gloriam, ut inſignia ejusmodi exempla nobis vel ad ſimile quidpiam audendum ſtimulos addere, aut ſanè pudorem injicere deberent, ſi otioſas mentes, manúſque à laudabili iſtiusmodì inſtituto abſtraheremus diutiùs.

10. Poſſent verò moroſiores ad generoſos ac perbonorificos ejusmodi auſus

(k) Jepes in Chron. gen. O. S. B. Tom. I. ad an. 602. pag. 446.

auſus animari non modò domeſticis exteríſque exemplis, ſed etiam ipſiusmet inſtituti pulchritudine, præſtantiâ, utilitate, & commodis, quæ ut magis diſpaleſcant, priùs exponendum, quanta ſit ejusmodi literariæ Societatis inter Germaniæ Benedictinos inſtituendæ neceſſitas, & quæ jam pridem fuerint hac de re ſapientiſſimorum quorumdam Virorum conſilia, juſtæque de illius inſtituti neglectu querelæ.

11. Etenim, ut appoſitè doctiſſimus *Felix Egger*, (l) *non capiunt profectò Eruditiores quique, Noſtrorum ignaviam, frigus & inertiam, dum Matrem ſuam dilectiſſimam eandémque excellentiſſimam* (ipſam putat Religionem Benedictinam) *impenſiùs non colunt, nec exornant, ut oportet, ſtudioſiùs.* Tot jam ſecula inumerat inclytus Ordo noſter, & vix in promptu habemus conſignatam à Veteribus unam alterámve decadem, quæ vel deſultorio recenſeat calamo tantorum geſta temporum; cùm tamen ea, ſi in aliarum Religionum ſimilitudinem adducantur, rerum in nniverſo genere ſpectatarum & præſtantiâ, & varietate, & copiâ propè infinitâ longiſſimè excedat. *Quæ enim regio*, inquit Alviſetus (m), *noſtri non plena laboris? Quis Ordo alius, ùt S. Benedicti, ſervivit Eccleſiæ, à quo uno & ſolo per plura ſecula feliciſſimè fuit gubernata? Quis tot Summos Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, Doctores peperit? quis poſt Apoſtolos tot Gentes barbaras ad fidem convertit? &c.*

12. Et tamen prô dolor! Noſtrorum eò inertia venit, nt recentiorum in Eccleſia Dei Familiarum amplior ferè appareat gloria & ſplendor. *Eccur?* Quia nempè exactior quorumlibet etiam in ſpeciem contemptibiiium habetur ab illis ratio, & minutiora quævis accuratiori exaggerata calamo poſteritati tranſcribuntur, dum interim Noſtri ſua negligunt, & horas honorandæ aliàs exornandæque Matri Religioni deſtinandas, vacuas tranſigunt, nec glorioſè à Majoribus dicta geſtáque immortalitati conſecranda ad poſteros transmittunt. *Cujus quidem tam nocentis ſomnolentiæ fortè præ cæteris ream agere quis poteſt Germaniam noſtram, cùm tria circiter ſecula perſcrutando, non niſi duo vel tres reperiantur Scriptores, quorum calamus fuit ſolertior, totius cultor ordinis, & potiora pro virium, temporum & occaſionum modo pervagatus.* Hæc Eggeri Threnódia.

13. Cùm igitur inter alia, quæ Ordo Benedictinus Germaniæ præſtitit beneficia, haud poſtremum ſit *Scientiarum diſciplina*; (n) ne patiamur partum à Majóribus decus atteri, turpiter extingui, & ad Familiæ noſtræ, (*cujus jugulum tantoperè petunt æmuli*) pudorem tumulo inhoneſtè componi, ſeriò deinceps proſpiciendum erit, ut pro temporum & locorum opportunitate ſtatuantur nonnullorum è Religione Virorum neceſſariâ capacitate & ſcientiâ inſtructorum Societates Literariæ, quorum communis labor potiſſimùm deſudet in conferendis ſymbolis, ac conſignandis univerſim iis, quæ Benedictino Nomini novum adgenerare ſplendorem, & ampliora afferre incrementa queant.

14. Eo autem curas ſuas, ſtudia & operas præcipuè intendent Socii, ut glorioſè à Majoribus geſta, dicta, ſcriptáque enarrent, Virorum benè de literis meritorum acta immortalitati conſecrent, plenos frugi libros præſertim hiſtoricos, aut vetera cujusque commatis monumenta recenſeant, illuſtrent, ad poſteros typorum beneficio transmittant, ac etiam cogitationes ſuas, animadverſiones, obſervationes, & notas ſingulares rarioréſque ſive proprias ſive alienas in commune proferant, aut ſimul cum aliis edendas communicent, ut ſic *collecta juvent, quæ ſingula non proſunt.*

15. Præterea hujus Sodalitii Conſortes literario inter ſe comercio, mutuis officiis, junctíſque conſiliis & operis ſeſe certatim juvare, tueri, defendere, atque ad propagandas ſui inſtituti rationes in communi opem & induſtriam conferre, ſuppetias & ſymbolas ſufficere, & quidquid in alterius uſum, commodum vel propoſitum fuerit, benevole ſuggerere, commodare, exequi, peragere; ſicque augendæ & illuſtrandæ rei literariæ ſtipendia ſimul facere, atque in eundem ſcopum ſua ſtudia convertere ſatagent.

17. Ex hac porrò communione ſtudiorum, quàm ingens utilitatum multitudo varietasque commodorum naſcitura ſit, ex eo facilè colligitur, quòd ille animorum nexus non ex im-

(l) Egger in Idea Lib. II. pag. 11.
(m) Alviſet in Murenulis Vermiculat.
(n) Vid. David. Kœhlerus in Præf. ad nov. edit. Directorii Hiſt. an. 1720.

imoderata cupiditate, ſed ex ipſo ingeniorum coïtu vel conflictu, ipsâq; adeò mentis luce ortum ducat, & in bonum comune ſeſe refundat, ut Ordinis decus, Reipublicæ commodum, Patriæ ornamentum tueatur, atque in artibus & ſcientiis omnia novis operibus, & felicioribus progreſſibus ſtrepere faciat, altérque alterius ope & columinibus ſuccolletur. Nil verò eſſe, per quod magis Diis immortalibus ſimilemur, quàm ipſum *ſcire*, Ciceronis ſententia eſt; *Scire autem tuum nihil eſſe, niſi Te ſcire hoc ſciat alter*, communis fert parœmia.

17. Tametſi ergo is fortè ſis, qui tuo ſucco vivere valeas, hoc tamen non facit, quin tuum cum aliis participes. Veritas ſcita non ſterilis virgo, ſed fœcunda eſt. Lux illa reflecti vult, aut repercuti, non ſub modio reponi. Vita ſolitaria eximios quidem partus concipit, & format, ſed ut in lucem prodeant, obſtetrice opus eſt. Nonnulla uni quantumvis oculatiſſimo poſſunt excidere, quæ plures attentos ſubterfugere nequeunt. Quod bonus neſcit *Homerus*, fortaſſe nôrit *Ofellus*. Excitat amicus ſtudium, Societas calcaria ſubdit, multa unus vel alter ſuggeret, quorum nunquam ipſe meminiſſes. Plus vident oculi plures, quàm duo; Socius à te multa diſcet, túque ab illo. Hinc uterque communi doctrinâ doctior, & communibus opibus ditior evadet. Quod tuum eſt, non amittis, & fit alterius; quod illius eſt, ipſe non perdit, & tuum fit; ſic lucerna lucernam accendit, & geminus fit focus.

18. Ad hæc, cùm recta inſtitutio, conſilium, præmonitio magnum ubiq; momentum habeat, in literis certè maximum; Neque enim adeſt illicò cuique ſubactum illud judicium, quod uſu longo multóque labore vix tandem paratur; nec ea felicitas omnibus paſſim, ſed melioribus tantùm ingeniis contingit. Hinc quosdam videas in ſtudiis tumultuantes, longo annorum ſpatio impalleſcere libris, nullum non movere lapidem, quo propoſitam diſciplinam aliquam conſequantur, qui tamen nil niſi pepones & lappalia ferunt; dum aliàs egregiè doctiorum virorum congreſſu formati, de ſolidioribus ſtudiis cogitare inciperent, tempúsque & labores utiliùs impenderent.

19. Maximam igitur Eruditus quisque ex ejusmodi Sodalitio utilitatem, jucunditatem & gloriam reportabit, quo reverà ſi careat, potenti ſanè adminiculo caret. Etenim haud fruſtrà *Homerus*, parens ille omnis eruditionis, conſultricem adhortatricemque *Telemacho* ſuo Minervam attribuit, innuens, quantum in ſtudiis expediat, priusquàm negotium aggrediamur, Sapientiores in conſilium adhibuiſſe. *Licèt enim virtus*, ùt Cicero ait, *à natura quosdam impetus ſumat; tamen perficienda eſt doctrinâ, & ſi ad naturam acceſſerit eruditio, ſingulare quid exiſtere ſolet.*

20. Si itaque monita factáque Sapientûm legem figunt gregi, profectò *quisquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam*, non poteſt non comoveri tot inſignibus incentivis. Sed maximè ad tam ſalubre inſtitutum mutuis opibus, ſubſidiis, favoribus & gratiis promovendum concitari deberent ii, quorum ſolemnis eſt in hoc genere authoritas & facultas, quòd eum illi ſuæ actionis fructum inde reportarent, quo nullus neque major, neque præſtantior exſpectari poteſt ab iis, quibus nihil eſſe in vitâ humanâ magnoperè expetendum exiſtimant, niſi gloriam Dei, Ordinis decus, Patriæ ornamentum, ſuique nominis immortalitatem. *Quid verò homini poteſt dari majus*, inquit Plinius, *quàm gloria, laus, & æternitas?*

21. Atqoe hæc cùm præſertim Familiæ Benedictinæ ſplendorem ſpectent, tum etiam illis maximè, qui rerum moderantur habenas, cordi curæque eſſe deberent. Conſtat enim publicè, & ad vigorem diſciplinæ, & ad ornamentum ſtatûs religioſi, & ad cujusque Monaſterii decus intereſſe, plures habere viros doctos & bonis artibus probè excultos. Neque verò tanta uſlibi eſt ſtudiorum neceſſitas, quanta in Cœnobiis, nec ab ullâ re Monaſteriorum felicitas magis pendet, quàm à literarum cultu; Hinc magni vir nominis MABILLONIUS, *abſolutè*, inquit, *nulla Religioſa Communitas florere poteſt, niſi in quâ bonarum artium cultura viget: Ubi enim tepeſcere cœperit primigenius ille religionis fervor, niſi literarum ſtudiis, aliisve piis exercitationibus foveatur, ſenſim degenerat in ſupinam, craſſámque ſocordiam, quâ virtus marceſcit, hebetatur animorum vigor, mores etiam inadvertentibus nobis defluunt, diſciplina laxatur, Religiò corruit, invaleſcunt evagationes, hinc inquietudines & omnis inde malorum lerna profluit.*

22. Tantò antem ſtudioſiùs ſalubria hæc monita aſſequi deberent PRÆLATI, quòd multis jam ſuorum experimentis cognoverunt, quantum ad promovendos ſubditorum animos, & propulſandum è clauſtris otium, momenti habeat verus & aſſiduus literarum cultus. Magna enim ingenia, niſi rectè literis fuerint inſtituta, tantò deteriora & perniciosiora evadunt, quantò majores in illis igniculi exarſerint. Ex adverſo ingeniorum cultura & laborum conſociatio, ejusdem inſtituti alumnorum torporem excutiet, frigus propellet, ardorémque provocabit, & plures, qui ſibi tantùm victuri eſſent, aliis inutiles, cùm generoſos Sodalium auſus, lætóſque ſucceſſus perſpicient, aut illorum laudes, ſcriptáque & elogia legerint, ipſi quoque ad veræ gloriæ conſecutionem, communéſque operas, & ulteriorem ſuarum animi dotium culturam interiùs ſeſe ſentient inflammari.

23. Sed & hac ratione *vivacioribus* ingeniis calcar addetur, ne ab inferioribus induſtriâ ſe vinci patiantur, aut *mediocribus* incentivum ſufflabitur, ut ad illud culmen, ad illum eruditionis apicem, quò pervenerunt alii, penetrandi nullam non occaſionem aucupentur, & captent. Sacræ verò familiæ hinc inde reſperſæ, ac ſubinde ignotæ & contemptæ, ſibi facilè de tali ſtudiorum communione gratulabuntur, ſperantes hac ſe ratione æmulorum dicteria feliciùs eliſuras, quibus *inutilia terræ pondera* hucusque eſſe videbantur: ſicqne majori ſtudio cavebunt ignorantiæ patroni, ne illorum ſocordia, & damnabilis inertia publicè privatímque perſtringatur.

24. Si igitur, quemadmodum Medici morbos curaturi in comunem regulam, quam *à juvantibus & nocentibus* vocant, ſcitè ac prudenter animum intendunt, ita etiam ſupremi rerum adminiſtri ad ea potiſſimùm ſuas curas, ſtudia, operas, nervóſque omnes intendere debent, quæ Reipublicæ bono, Patriæ ſaluti, Religionis augmento, Ordinis ſplendori, ac ſuæ gloriæ immortalitati conducere prona ſunt, haud ſcimus ſanè, an aliud quidpiam hoc in genere præſtantius, ſalubrius ac illuſtrius excogitari poſſit, quàm illud, quod inſtituendum ac ſtabiliendum proponimus, Eruditorum Sodalitium. Eja ergo!

Quod ſapimus, conjungat amor, quod vivimus, uno
Conſpiret ſtudio, nil diſſociabile firmum eſt.

CAPUT II.

De Senatu Academico, ejúſque Membris, Poteſtate, & Officio.

§. I.

OMnis Societas, ut ſit firma & ſtabilis, debet aliquâ regiminis formâ temperari; Nam ſi ſine ullo Magiſtratu, ſine ullis legibus aut ſtatutis inter ſe coïrent Socii, ſi nullâ certâ ratione, nullo Præſide, nullo Dictatore vel Moderatore regerentur, ſi cuilibet prout lubitum eſt, ſuis moribus vivere liceret, neceſſe foret, Societatem primùm innumeris turbis, ſimultatibus, tricíſque confundi, ac denique penitùs diſſipari. Ut igitur ſtabiliùs noſtrum perſtet inſtitutum, has Socii ſibimetipſis leges rogârunt.

2. Perpetuus ſtatuetur Magiſtratus ſeu Senatus Academicus duodecim membris ſelectioribus conſtans, penes quem ſumma erit poteſtas totiúſque Sodalitii directio, ita ut quod illi duodecim viri, vel major pars eorum decreverint, ſtatuerint, aut improbaverint, absque aliis ſive requiſitis, ſive ſolemnitatibus ullis ratum fixúmque habeatur.

3. Ex illo Senatu nominabuntur tria vel quinque ſecretiora membra, quibus majoris momenti negotia & Societatis arcana ſubinde committentur expendenda & expedienda. Hoc verò *Synedrion* non ſemper iisdem conſtabit perſonis, ſed diverſis, prout Præſidi & Senatui viſum fuerit his vel illis negotium demandare.

4. Ideò autem ejusmodi triumviratum volumus occultum, partim ut impartialins feratur judicium, ac omnis offenſæ evitetur periculum; tum etiam ne graviora Societatis conſilia propalentur, & in herba ſuffocentur. Quapropter illi, qui huic muneri fuerint præfecti, tenebuntur ad ſtrictiſſimum ſilentium, ad quod, ſi opus fuerit, jurejurando à Præſide vel Senatu adſtringi poterunt.

5. Cùm Senatus ſit velut totius Sodalitii corpus & anima; in corpore autem non omnia membra eundem uſum habent, ſic etiam unicuique è Senatoribus certa committetur provincia ſpartáque ſpecialiter excolenda, prout quisque Præſidi & Collegis viſus fuerit magis idoneus; ut ita partito

tico inter multos onere, minor ſit labor, diligentia & æmulatio major.

6. Societas non ſolùm in provinciis vicinioribus, ſed & longinquis Cœtui ſuo digniora adjungere membra, & durabile cum iis literarum commercium confovere ſataget; ita quidem, ut ex quavis Congregatione duo ad minus Sodales probitate, doctrinâ & humanitate excellentiores in album referantur, qui ſuas nobiſcum ſymbolas & notitias communicent.

7. Hunc in finem ſtatuentur aliqui è Senatu viri magis periti, qui peculiares correſpondentias cum exteris foveant. Sic unus cum Italis, alter cum Hiſpanis, tertius cum Gallis, alius cum Lotharingis, iſte cum Belgis, hic cum Bohemis, & ita porrò commercium literarium inſtituet; & quod quisque ad Societatis propoſitum ſuggeſſerit, candidè & ſincerè cum collegis communicabitur, vel ephemeridibus inſeretur.

8. Solerter adlaborabit Senatus, ut indaget, quibus in Monaſteriis & Provinciis deliteſcant ejusmodi homines, qui alio fortè ac in quo deſudârunt hactenus privatim ſcientiæ genere, aut in majori gradu & ſtatione collocati, melioribúsque principiis imbuti, majori cum fructu & Ordinis ornamento publicum promovere bonum apti ſint; hósque ſuum in chorum perhonorificè invitabit, & adſciſcere ſtudebit.

9. Omne conſilium opémque & operam conferet Senatus, ut Decreta ſummorum Pontificum, *Clementis V. Benedicti XII. Pauli V. Urbani VIII.* & Conciliorum Baſileenſis, Tridentini &c. de Studiis monaſticis & linguarum originalium cultu ſeriò executioni mandentur, & *Studiorum Moderatores* per ſingula monaſteria conſtituantur idonei ac zeloſi, qui rem literariam excitent, & prohibeant ignavorum ac deſidum prævalere conſenſum.

10. Pari ſtudio contendet Senatus, ut præcipua cujusvis per Germaniam Provinciæ Monaſteria pacto fœdere in hanc Societatem coaleſcant, & viros idoneos, ac neceſſaria ad ſalubre inſtitutum ſtabiliùs firmandum, & feliciùs promovendum ſubſidia liberaliùs ſuppeditent: *Neceſſe eſt enim eum facere ſumptum, qui quærit commodum.*

11. Ut verò Prælati & Mecœnates eo procliviùs alliciantur, titulus in Societate honorarius illis perhonorificè erit deferendus; Et iis quidem, qui primi inſtitutum juverint, promoverint, majora ſubſidia contulerint, ac ſuâ monaſteria huic Sodalitio nexu amico & indiſſolubili unire voluerint, CONSULTORIS PERPETUI titulus honósque concedetur.

12. Operam inſuper dabit Senatus, ut in præcipuo cujuslibet Provinciæ vel Congregationis Monaſterio ſubalternæ quædam in variis ſcientiis, artibus & diſciplinis erigantur Societates ejusmodi literariæ, quæ è vicinioribus locis congeſtas hinc inde opes literarias & ſymbolas cum noſtris conferant ſimul edendas, aut recenſendas.

13. Hunc in finem ſtatuetur in ſingulis Provinciis vel Congregationibus *Societatis* ASSISTENS *cum Socio*, qui negotium promoveat, inſtitutum commendet, ephemerides cum aliis communicet, virósque eruditos ad chorum noſtrum invitet, atque ut mutuis officiis communes pro Ordine & Patria labores conatúsque ſecundent, omni ſuadâ pelliciat.

14. Curas etiam eò maximè diriget Senatus, ut in aliquo Principali Monaſterio commodè ſito erigatur commune ſtudium *Hiſtorico-pragmaticum*, in quo prælegatur cumprimis aureus MABILLONII Tractatus *de Studiis Monaſticis*, tum *Hiſtoriæ literariæ*, præſertim Benedictinæ, dein *Eccleſiaſticæ*, cùm etiam *Theologiæ dogmaticæ*, Juris Naturæ & gentium, nec non publici Eccleſiaſtici ac profani prima tradantur elementa. Eodémque in loco lectiones linguarum *Hebraicæ, Chaldaicæ, Græcæ &c.* inſtituentur juxta conſtitutiones *Pauli V. Urbani VIII. &c.* in Bullario Caſinenſi relatas N. 291. 295. & 383.

15. Agendum quoque erit, & ſollicitè proſpiciendum, ut commune aliquod inſtar Patrum Congregationis S. Mauri, & Lotharingicæ Collegium in aliquo conſtituatur Monaſterio inſigni Bibliothecâ inſtructo, ubi conſummatæ eruditionis viri, *ceu veterani milites*, in liberiori otio, maturiori ætate, & majori ſubſidiorum apparatu, meditata opera expolire, alii verò Socii opportunè convenire, deque rebus literariis inter ſe ſtatis temporibus conferre poſſent; unde fœcundiſſima utique perpetuæ eruditionis, nec minoris gloriæ ac utilitatis ſeges reliquis cœnobiis accreſceret.

16. Ut autem Societas non ſolùm tecta ſartáque permaneat, ſed majora in-

indies ac feliciora capiat incrementa, ipſique major concilietur authoritas, præſtantiſſimum Mecænatis cujusdam in Cæſaris Aulâ patrocinium erit exorandum; cujus auſpiciis certa quædam privilegia Cæſarea poſſint impetrari, & inſtitutum ab injuriis, & inſidioſis æmulorum, malevolorúmque hominum obtrectationibus vindicari, ſuúmque Literis & Literatis decus valeat aſſeri & conſervari.

CAPUT III.

De Protectore, Præſide, Directore, & aliis Officialibus.

§. I.

QUoniam Societates Literariæ æmulorum faucibus ſemper hærent obnoxiæ, & potentiori fulcro deſtitutæ facilè diſſolvuntur, iiſque deeſt plerumque illicium, niſi hiſce reverentiam, authoritatem, ſplendorem, qui dignitates obtinent, ſpeciem in ſeipſis exprimendo concilient. Hinc Societatis Statores in acie primi eò curas ſuas & ſtudia ſtatim dirigent, ut Eminentiſſimi alicujus Cardinalis, vel Epiſcopi, aut Principis protectionem & tutelam ſibi adſciſcant:

Nam pietate gravem & meritis ſi fortè virum quem
Conſpexêre, ſilent, arrectiſque auribus adſtant.

2. PROTECTOR verò talis eligatur, *ſub cujus mereat virtus ſtipendia ſignis*, cujus etiam actiones, & indoles cum Academiæ norma apprimè conſentiant, quíque Societatem pro ſua authoritate, præſtantia, & in literas propenſione promovere, tueri, exornare, defendere, ac laborantibus ſubinde rebus conſulere poſſit & velit. Is verò velut ſupremus totius corporis vertex *honoris* non *oneris* ab omnibus habebitur.

3. Ordinis quoque ac Dignitatis ſuus ſemper erit Academiæ PRÆSES, qui ad id muneris perveniet, vel *Protectoris* nominatione, vel Senatûs Academici electione, aut meliori, quo Prælatis *Conſultoribus* & Senatui viſum fuerit modo. Durabit verò illius dignitas & officium vel ad triennium, aut in perpetuum, prout Senatus magis conducibile judicaverit.

4. PRÆSES talis conſtituatur ex confœderatis Abbatibus unus, qui in opportuno Superioris Germaniæ loco conſedeat, ubi trium aut quatuor ad minimum Eruditorum ex Senatu commodus poſſit haberi congreſſus, & facilis etiam exteris pateat acceſſus, ut illic commune Muſarum emporium, & velut totius Societatis centrum ſtatui, ac opportunum literarum commercium valeat ſtabiliri.

5. PRÆSIDI in ſpecie cura incumbet, ut Societas optimis & legibus & inſtitutis præmuniatur, ut ſtabilita ſuo in ſtatu, vigore & ſplendore ſervetur; ut ad hujus amuſſim ſocii aſſueſcant, ſeſe attemperent, & quoad fieri poteſt, omnibus ſtatutis mores ſuos, actus & labores componere ſatagant.

6. Maximè verò ad id aſſequendum proderit, ſi de his, quæ facere oportet, quæque evitare, Sodales ipſi inter ſe ac cum *Præſide* ſæpiùs contulerint. Quocirca *Præſidi* jus fáſque erit Academica comitia ſeu congreſſus ſolennes, quando neceſſitas aut utilitas poſtulaverit, indicere, condere cum Senatoribus novas leges, & regulas, rebúſque omnibus proſpicere, ac præcavere, ne tepor aut remiſſio cum tempore irrepat.

7. Quidquid majoris momenti Academiæ nomine expediendum aut conſcribendum fuerit, *Præſes* ſubſcribet, ſuúmque ſigillum apponet, aut pro rei gravitate, vel Perſonæ *ad quam* eminentiâ & dignitate, ipſe literas exarabit, diligentérque attendet, ut à reliquis officialibus ſingula ritè peragantur, ac univerſim rebus Societatis ita proſpiciet, ut quæcunque in ejus incrementum, aut commodum ullo modo cedere poſſunt, vel operâ, vel conſilio, induſtriâ & authoritate ſuâ ſedulò procuret.

8. Honoris quoque & majoris ſplendoris gratiâ, ſeligetur ex præcipuis Prælatis VICE-PRÆSES, qui in ea, qua degit provincia, rebus Societatis invigilet, & mortuo Præſide vices illius vicario munere interim peragat. Duo inſuper ex fœderatis Abbatibus ſtatuentur CONSULTORES ACTUALES, qui ſolennioribus annuis congreſſibus intererunt, & ſua cum aliis ſuffragia ferent. In his verò quinque velut ſupremis verticibus conſiſtet *Ordo Hierarchicus*.

9. Cùm verò Senatus Academicus conſiſtere nequeat, niſi unus ſit, qui clavum regat, concentus temperet, negotia dirigat, eâdem de cauſa, ob quam *Præſidem* ſibi eligit Societas, DIRECTORE quoque erit inſtructa. Is verò è Senatu ſeligetur, vir perſpicuæ eruditionis, & prudentiæ, rerúmque tractandarum peritus, cui rebus Academiæ

demiæ & diſciplinæ literariæ incumbendi otium ſit & capacitas: ut puta cujus humeris maxima totius corporis moles ſuſtentari poſſit & debeat.

10. DIRECTORI incumbet univerſim rebus Societatis proſpicere, literaria negotia dirigere, Conventus Academicos minùs ſolemnes ſeu ordinarios indicere, iis præeſſe, materias proponere, vota & opiniones aliorum colligere, deciſa formare, perſcripta cum *Secretario* ſubſignare, & ita quidem, ut *ex voluntate & mandato Senatûs Academici* id ſe facere uterque profiteatur.

11. Sigillum Societatis majus ſeu publicum ipſe ſervabit, & acta, ipſámque etiam Bibliothecam, conſtantem nempe tum editis cùm ineditis Societatis nomen præſeferentibus ſcriptis; tum ſubmiſſis à Sodalibus Viriſque eruditis animadverſionibus, ſymbolis, obſervationibus; tum etiam documentis & monumentis quocumque modo ad Academiam ſpectantibus; quibus ſpecialis locus ſeparatim ab aliis deputabitur.

12. Ut verò ſolatium habeat, ac rei literariæ liberiùs valeat intendere, ei unus è Senatu vir prudens & induſtrius PRO-RECTORIS titulo adjungetur, qui eodem abſente vel impedito, pari cum poteſtate & æquo moderamine vices ejuſdem geret, & in Conventibus Academicis proximum ab eo locum occupabit.

13. Conſtituetur etiam *Ærarii Academici* PRÆFECTUS, cui integra relinquetur cura temporalium, ſeu rei œconomicæ. Hinc proventus è libris editis, & divenditis, lucra item, emolumenta, ſubſidia à Benefactoribus collata, uti & ſumptus, expenſas, aliáque negotia Academiam in re familiari tangentia procurabit, publicúmque ærarium ſeparatim à rebus propriis, & quidem ſub *Directoris* clave & inſpectione cuſtodiet, omnéſque actiones ad unam utilitatis publicæ rationem exiget.

14. Ut autem ab omni ſuſpicione malæ in his rebus verſationis liberetur, *Directori* rationem de acceptis & expoſitis, quoties opus fuerit, reddet; Hic verò ſingula curatè in regeſto adnotabit, & ſtatis temporibus Senatui repræſentabit, à quo liquidationis ſyngrapham recipiet, & regiſtro œconomico inferet.

15. Sumptus ille in negotia Academiæ erogandos ſuppeditabit, ſigillum cælari, ſtatuta, quoties neceſſe erit, typis exſcribi, diplomata excudi, parerga & ornamenta uſui Academiæ deſtinatæ, æri aut ligno inſculpi, icones, emblemata, paradigmata, & alia hujuſmodi ephemeridibus vel Actis inſerenda confici curabit, & ſua ſub cuſtodia ad uſum fideliter ſervabit.

16. Societatis SECRETARIUM adſciſcendi facultas relinquetur *Præſidi*, qui tamen è duodecim membris ſecretioribus idoneum, ſedulum & eruditione debitâ inſtructum ſeligere tenebitur. Hic verò audiens erit dictis & mandatis Præſidis, aut eo abſente vel impedito, illius, qui ejuſdem vices gerere dignoſcitur, ab eo, aut à Senatu ſubſtitutus.

17. Conventuum receſſus, acta, ſtatuta, deciſa, protocolla, diplomata, & alia Academiæ nomine exaranda ipſe ſub *Directoris* dictatura, vel *Præſidis*, aut Senatûs Academici juſſu conſcribet, & cum *Præſide*, ac etiam cum *Directore*, quoties opus fuerit, *nomine Senatûs Academici* ſubſcribet. Singula quoque præſcripta, quò dirigenda ſunt, ipſe fideliter & ſedulò diriget.

18. In conventibus ſiniſtrum à *Directoris* latere locum tenebit. Ubi ſecretò feruntur ſuffragia, is bonâ fide eadem in chartam referet, eorúmque numerum inibit, nec cuiquam Membrorum, multò minùs aliis, votorum ſecreta aperiet. Literas ipſe etiam huc illuc ſubinde exarandas procurabit, nec quicquam à membris præter ſtatutum Minerval exiget.

19. Suus inſuper Societati erit *Cancellarius* & *Hiſtoriographus*, qui nomina ſingulorum membrorum, patriam, habitationis locum, functiones, diem annúmque receptionis, ſcripta, & ſimilia peculiari libro inſcribet, ita ut poſt appoſitos numeros plenus cujusque Socii titulus, res geſtæ, opera, aliáque memorabilia curatè adnotentur & conſerventur, ut hominum de re literaria benè meritorum memoria poſteritati in exemplum condigno modo proponi aliquando & commendari poſſit.

20. Acta quoque ſeu Hiſtoriam Societatis ſub *Directoris Academici* pollice ita adornabit, ut quæ ſingulis annis membra acceſſerint, vel deceſſerint, horúmque vitæ ſynopſin, prout à Socio literis mandata fuerit; obſervationum item ab Academicis factarum Catalogum, brevemque recen-

ſionem, & lata de iis judicia candidè & ſincerè poſteris conſignet.

21. Themata etiam ad elaborandum propoſita, eorúmque ſummaria, modum conventuum, decreta, & ſi quæ alia in ſolemnibus præſertim congreſſibus memoratu digna acciderint, ſedulò conſignabit, & præfixo Authorum nomine, ſubjunctiſque ipſis thematum evolutionibus, luci publicæ, cum bona Senatûs Academici venia, & approbatione prævia, exponet.

22. Præter hos rei literariæ Curatores, duo conſtituentur ſpeciales Societatis *Promotores*, quorum curæ, ſagacitati & induſtriæ res excitanda, ac promovenda committetur. Hi verò ſpartam hanc ſtudioſiùs excolere, aliis inſtituti præſtantiam, utilitatem, commoda, ſplendorem comēndare, ejúſque ſtudium & venerationem inſtillare, Prælatorum fœderatam opem, & munificentiam excitare, donationes, ſubſidia, legata, communis boni gratiâ corrogare, & ſi quæ alia ad propoſitum faciunt, ſingulari ſtudio zelóque peragere non negligent.

23. Eum in finem deputati, & credentialibus ac commendatitiis probè muniti, itinera literaria ad Ordinis Monaſteria, exteráſque provincias ſtatis temporibus inſtituent, Prælatos, Mecænates, Viróſque doctrinâ inclytos in propoſitum pellicere, inſtructiores Bibliothecas excutere, Manuſcripta, Antiquitatis monumenta, & quæ ad Ordinis aut cujuſque Monaſterii decus, ac cumprimis ad rei literariæ ornamentum & Societatis ſcopum facere judicaverint, ſolerter conquirere, ſcrutari, & in tabulas referre ſatagent.

24. Singuli porrò officiales in ſuſcepti muneris aditu, ſe bonâ fide, ſinceritate, & induſtriâ in omnibus ſuæ curæ commiſſis negotiis pro virili portione verſaturos in præſentia *Directoris* & duorum vel trium à Senatu deputatorum Sodalium ſtipulatâ manu promittent. Horum verò omnium munus ceſſabit, reſignatione, inhabilitate, negligentiâ, contemptu, malâ verſatione, aut quando Senatui neceſſarium vel utile viſum fuerit.

Caput IV.

De Membris Academiæ, & eorum receptione.

§. I.

POſtquàm plures cultioris indolis, & doctrinæ eminentioris ad egregium facinus ſeſe paulatim accinxerint, nulli deinceps in *Senatum* ſeu *Magiſtratum*, niſi celebres jam laboribus ſuis viri, aut quorum eruditio aliunde nota eſt & perſpecta, adſciſci poterunt.

2. Requiretur autem in eligendo, ut intra Germaniæ limites degat, & profeſſione ſit Benedictinus, cujus demùm cumque Monaſterii. Ipſa verò cooptatio fiet per ſolos Senatores, non ſecundùm receptionis ordinem, ſed juxta meritorum pondus, & penſato majori Societatis commodo.

3. Membrorum extra Senatum numerus certus non erit, cùm nec certus ſit vel conſtans numerus Virorum Eruditorum, qui ad egregios & præclaros auſus in bonum publicum & decus Ordinis vergentes pro viribus ſecundandos ſint apti aut parati, quibus ſcilicet omnibus & ſolis patebit aditus.

4. In hunc verò chorum admittentur omnis generis Viri Eruditi, ac cujusvis diſciplinæ literariæ Cultores, præſertim editis operibus orbi erudito cogniti, magíſque celebres; ut quod de Architectura Vitruvius, de hac quoque Academia dici queat, *Corpus ex omnibus ſcientiarum membris compoſitum.*

5. Quò autem hoc Societatis negotium feliciùs procedat, etiam ex Congregationibus exteris viri egregii in membra erunt cooptandi, videlicet duo ex Congregatione Caſinenſi, totidem è Sant-Mauriana, Hiſpanica, Lotharingica, Belgica, Bohemica, Polonica, Hungarica, & ita porrò ex qualibet provincia, quibuſcum literarum commercium, *quod baſis eſt noſtrorum conatuum*, inſtitui poſſit & foveri.

6. Eget præthereà Societas præſtantibus viris, qui conatus literarios variis modis adjuvent, promoveant & ſecundent. Quocirca Senatus eximios quoſque bonarum artium Cultores, cujusvis ſtatûs, ordinis & religionis aut regionis, qui de re literaria Benedictina benè mereri, eámque ſuâ operâ exornare voluerint, liberaliter invitabit, & inter *Membra honoraria* habebit.

7. Majoris quoque ſplendoris & honoris gratiâ in hanc Societatem adſciſcentur, quicunque ex ordine Principum, Comitum, Antiſtitum, Procerum favores & beneficia Academiæ impenderint, aut adſcribi petierint. Hi tamen legibus, queis reliqua Academiæ membra tenentur, non erunt adſtricti,

by Google

adſtricti, ſed ſolis gaudebunt honoribus & privilegiis, quatenus tamen id ſuis gratiis fuerint promeriti.

8. Ceterùm recipientur ſolùm ejus generis Viri, qui tum eruditione præſtantes, tum dignitate ac meritis, & vitæ integritate fini Societatis promovendo ſint idonei, ne ſolertiæ & eruditionis præmia in minùs dignos fortè collata vileſcant, & culpâ noſtrâ conculcentur; in hoc enim uno omne decus noſtrum ſitum eſſe arbitramur, ut non niſi *benè merentibus* Diploma Academicum velut *excellentiæ ſignum* concedatur.

9. Etſi verò ſupervacanei laboris eſt commendare conſpicuos, cùm lux ſuo utatur teſtimonio, nec alieno indigeat ſuffragio; nullus tamen in Societatis noſtræ album referetur, quin priùs ad cenſuram fuerit propoſitus,& per ſuffragia comprobatus. Hinc tentaminibus ſubjicientur omnes, quotquot ad Societatem hanc literariam adſpirant.

10. Modus porrò cooptandi Socios hic erit: Quemlibet Recipiendum *Directori* ab aliquo membrorum proponi, ejúſque merita repræſentari volumus. *Director* autem *Præſidi* & Senatui, ſeu duodecim membris ſecretioribus has illáſque perſonas, ut in Societatem adoptentur, ſibi fuiſſe propoſitas nuntiabit, commendatitias & merita iiſdem exponet, eorúmque vota deſuper rogabit. Hi verò intra quatuordecim ab acceptis literis dies, ſuam *Directori* mentem explicare tenebuntur.

11. Quodſi cognita ipſis ſunt *Recipiendi* merita, eruditio, mores, induſtria, &c. illicò paucis verbis indicabunt, *utrùm judicent dignum, nec ne, qui cooptetur in ſocium?* Si verò perſonæ ſufficientem notitiam non habent, cavebunt, ne votum ſuum deciſivè exponant, ſed addirâ clauſulâ: *Salvo meliori judicio*, illud declinabunt, obtendentes, *ſe nibil in contrarium reſcire...*

12. Elapſis quatuordecim diebus ab eo tempore, quo probabiliter ad *Senatores remotiſſimos* literæ pervenerunt, & ad *Directorem* referri poterat reſponſum, ſi fortè aliquorum ſuffragia adhuc deſunt, hiſce non exſpectatis, *Secretarius* præſentibus *Præſide* & *Directore*, duobúſque ad minimum Academiæ membris, numerabit vota, & ſi inter decidentes duæ tertiæ militent pro *Recipiendo*, habebitur pro *Recepto.*

13. Quòd ſi unus altérve prægnantẽ cauſam indicaverit, quæ eligendum in Societate cum laude & fructu ſtare non poſſe perhibeat, in rei veritatem curatiùs inquiret *Præſes*, vel *Director*, & prout inveniet, pronuntiabit. Omnia tamen amicè, benevolè, & citra æmulationem, invidiam, vel ullius contemptum & offenſam peragi debent. Societas enim Mater eſſe debet honorifica, ac maximè benigna, nec facilè ulli repulſam dare.

14. Hoc ritu *Initiato* vel *Recepto*, Diploma latino idiomate perſcriptum idque *Præſidis*, *Directoris* & *Secretarii* manu ſubſcriptum, ac publico Academiæ ſigillo munitum, unàcum Statutorum exemplo *Director* ipſe, aut *Secretarius* transmittet, receptionémque nuntiabit, & Academiæ nomine, ut huic choro literario accedere, eidémque ſuas operas, ſtudia, induſtriam addicere velit, pro Statûs, Dignitatis ac Meritorum ratione, decenter & perhonorificè rogabit.

15. Poſtquàm ſolennis receptio nuntiata fuerit Electo, is mox *Directorem* de ſua mente & acceptatione certiorem reddet, & pro oneribus Academiæ incumbentibus ſublevandis, præſcriptam à Senatu contributionis taxam liberaliter ſubmittet. Sícque in proximo Conventu Academico publicè pro membro declarabitur, & à die acceptationis, ſedendi in congreſſibus, & in albo Sociorum locus ei aſſignabitur, omnibúſque gaudebit juribus, titulis, honoribus, & privilegiis, quibus alii extra Senatum conſtituti.

16. Si fortè plures uno die electionem de ſe factam acceptarent, aut ratam haberent, quod omninò præcavendum, forte lis illa præſente *Directore*, & duobus Academicis dirimetur. Quisque autem Initiatus, ſtatim *Directori* tranſmittet vitæ ſuæ ſynopſin, & lucubrationum tam editarum quàm ineditarum ſyllabum, ut poſſit exinde judicium de ipſius in certa quædam ſtudia propenſione formari, & poſt fata ejus elogium conſcribi, actíſque inſeri.

17. Expungi verò ſemel Receptus non poterit, niſi quid admiſerit honeſto & Religioſo Viro indignum; vel in ſparta ſibi *quâ Socio* incumbente negligens, aut Academiæ & Statutorum contemptor extiterit; vel ſponte ab inſtituto reſilierit; aut toti corpori Academico noxius & inutilis viſus fuerit.

18. Nec enim ferent mores noſtri indignos, calumniatores, tetricos, deſides, ignavos, inutiles; Nec *Diogenes*

genes cynicos, nec *Ariſtippos*, quorum ille impudentiâ, hic adulatione ſanam politiam ita corrupit, ut uterque diverſo titulo, ille acutis dentibus, hic blandiore linguâ, is rodendo, hic lambendo, *Canis* nomen ſibi pepererit. *Foris Canes*, ne Academiam dehoneſtent, vel odioſam reddant, ejúsque progreſſum & ſtabilitatem ſufflaminent.

CAPUT V.
De Obligatione & Officio Sociorum Academicorum.

§. I.

QUæ ſit potiſſima PRÆSIDIS, *Directoris* & *Senatorum* in Societate literaria obligatio, vix meliùs exprimi poteſt, quàm TULLII verbis libro 3. de Legibus ita differentis: *Eſt*, inquit ille, *Senatori neceſſarium ſuam nôſſe Rempublicam, quà latè patet; quid habeat militum, quid valeat ærario, quos Socios Reſpublica numeret, quos amicos, quos ſtipendiarios; quâ quisque ſit lege, conditione, fœdere junctus; tenere conſuetudinem decernendi, nôſſe exempla Majorum, utilia quæque & honeſta proſpicere* (o)... Sed hæc in genere.

2. In ſpecie autem Membra ſingula tenebuntur ita actiones ſuas literarias inſtituere, ut finis Societatis ſuprà propoſitus, quantum fieri poteſt, attingatur. Hinc nullam evehendi bonarum artium ſtudia, horúmque Cultores, Patronos, Promotores, Mecænates conciliandi occaſionem prætermittent; ſed ubicunque degerint, Societatis incrementum, decus & ſplendorem quærent, tuebuntur, provehent, ſuæque Eruditionis radios aliis impertire contendent.

3. Quilibet Initiatus intra anni ſpatium aliquem ſuis è Concellitis juniorem ſcientiis addictum, qui & bonæ ſpei argumenta præbeat, ſibi in adjumentum & laboris ſocium adſciſcere ſtudebit, eúmque Societati præſentabit, quæ illum inter *Candidatos* vel *Coadjutores* recipiet, atque ipſius in re literaria profectui adſiſtere ſatagit, ut majora deinceps ſpectare, & recto ad gloriam tramite contendere feſtinet, atque in album Sociorum aliquando referri mereatur.

4. Seliget quisque *Receptus* in penſum ſuæ conſociationis materiam ſcopo Societatis congruam, ab alio haud præventam, ſub titulo *Diſſertationis*, *Schediaſmatis*, *Speciminis*, vel alio elaborandam, eámque tali expoliet diligentiâ, ut Orbis Eruditi conſpectum ſubire, ſui nominis famam tueri, & Societatis decus ſuſtinere queat.

5. Etſi certum exhibitionis penſi tempus à membris requiri non poſſit, cùm propter alias fortè occupationes literis ſemper vacare non poſſint; *negligens* tamen reputabitur, qui intra primum poſt receptionem annum induſtriæ & eruditionis ſuæ indicium non ediderit.

6. Si quis argumentum ſibi ſuſceperit elaborandum, ejus ichnographiam ſtatim *Directori* ſubmittet, ut ſi de eadem re rari quidpiam vel curioſi reliquis innotuerit, ab iis exploret, & illud viciſſim Authori amicè communicet. Pari modo confectum opuſculum ante editionem aliorum examini ſubjicietur.

7. Licitum verò erit membris, quibus opuſculum videre contigerit, materiæ perfectiùs elucidandæ gratiâ, quædam monere, corrigere, addere, immutare... Omnia tamen ſine acriori cenſurâ, fucô, invidiâ, cavillatione, aut ullius vilipendio; quandoquidem Viri ſapientis non eſt alterum lædere, vel invidiosè laceſſere.

8. Si quæ igitur aliquis obſervaverit vel circa ipſum thema, vel circa illius ſciagraphiam, aut circa elaborationem, ejúsve partes, quæ cenſoriam merentur virgulam, privatim de his Authorem reddet certiorem, aut, ſi mavult, ſuppreſſo nomine ad *Directorem* ſuas Animadverſiones diriget, ut hic ſecretò ad Authorem deferendas procuret.

9. Viciſſim Author ipſe hæc monita, vel adverſaria, non ùt cenſuram cogitationum ſuarum minùs utilem aut neceſſariam reſpiciet; ſed ea hoc fine fieri exiſtimabit, ut pateat, an non ab aliis dicta hæc jam ſint? An non meliùs & ſolidiùs dici ac efferri concinniùs poſſint &c? ſalvâ interim Authori libertate priora corrigendi, ſupplendi, retinendi, atque etiam opus ex integro retexendi, eidémque ſoli manente elimatioris elaborationis gloriâ, Academiæ verò honore & famâ, quod non niſi egregia ac luce digna ejus Socii in publicum proferant.

10. Qui receptionis ſuæ penſum abſolverit, cogi non poterit ad novæ materiæ elaborationem. Sufficiet, ſi alio

(o) Vid. idem Lib. 1. Ep. 1. ad Quint. fratr.

alio quovis modo Societatis laudabile inſtitutum pro virili portione promoverit, reflexiones, ſymbolas, obſervationes, & relationes menſtruas aliis ſuppeditaverit. Si tamen quis ſuo inſtinctu novas materias tractare voluerit, eò magis Societatis favorem merebitur, digniúsque illius membrum ſe præſtabit.

11. Quot autem & quantas obſervationes conferre ſingula membra velint Actis inſerendas, à cujusque arbitrio pendebit, modò ultra XII. plagulas non excreſcant. Ex latina verò ſcriptione majorem, quàm ex vernacula fructum ſperamus. Literati enim Viri ac præſertim exteri magis delectantur latinis operibus; illiterati verò ea non legunt. Latio igitur ſermone conſcribi debent omnia Ephemeridibus inſerenda.

12. Cùm porrò Senatus conſtare debeat tantùm ex Viris eruditis & exercitatis; his verò nunquam egregia in publicum proferendi materies deſit, hinc illorum quisque ad id erit obſtrictus, ut ſæpiuſculè aliquod ſuæ eruditionis & diligentiæ exemplum præbeat, ne paulatim tepeſcat fervor, & ſenſim in ſupinam craſsámque degeneret ſocordiam: Etenim, ut ſcitè Poëta,

Ingenium, ſtudio ſi non acuatur, hebeſcit,
Ut telum, aſſiduam cos niſi præſtet opem.

13. Quocirca ſi notabile temporis ſpatium præterire quis patitur, officium hoc ſuum absque cauſa negligens, à *Directore* ſeriò monebitur, & ſi intra ſemeſtre mentem aliam non induerit, è Senatorum albo expungetur, & alius in ejus locum juxta meritorum pondus ſubrogabitur. Hâc ratione reliquis calcar adjicietur, ut diligentiùs lucubrationibus ſuóque muneri incumbant, ne & ipſi deſides ac Societati inutiles videantur.

14. Socii per Germaniam reſperſi, atque etiam extranei quolibet menſe, aut quando commodè fieri potuerit, novitatum literariarum, ſi quas nanciſci contigerit, relationem *Directori* transmittent, & econtrà extractum quorumcunque memorabilium, quæ apud Academiam intereà coaluerint, *Director* ipſe petentis ſumptibus, communicabit. Menſtruas verò ejusmodi relationes conſcribent ſimul, vel alternativè *Secretarius* & *Hiſtoriographus*, éasque ſuis protocollis curatè inſerent, vel in Ephemeridibus Societatis edi curabunt.

15. Nullus quidem Sociis præter dictam relationem hiſce Statutis labor imponitur; quisque tamen eorum, cui otium capacitásque fuerit, aliquid in re literaria elaborandum propriâ electione aſſumet, vel à *Directore* ſibi dictari petet, altum illud ſemper animo revolvens: *Spartam accepiſti, orna illam.* Qui enim nihil ſcribunt, ut quid inani Sociorum nomine glorientur, vel iliades ab aliis ſalvâ fronte requirunt?

16. Ut autem cuique ſeſe diligentiùs in hac palæſtra exercendi præbeatur occaſio, argumenta Societatis ſcopo maximè congrua ſingulis pro re nata, & cujusvis capacitate vel propenſione à *Directore* proponentur. Illis tamen, qui jam alicui Operi inſudant, nihil imponetur novi, ſed perfectio Operis jam incœpti impenſiùs commendabitur: *Ingenium enim non debet duabus curis partiri*, ut ſcitè monet Quintilianus libr. 10. cap. 3.

17. Quia verò ſæpiuſculè invidia hæret in vicino, ſtatuimus, ut unusquisque Membrorum alteri, absque ulla tergiverſatione, literaria adjumenta pro poſſe & nôſſe ſuppeditet, ac ubique profectum Sociorum & ſcientiarum quærat; ita ut ſi quis privatas habet notitias, quæ Opera ab alio incœpta ornare ulteriùs, & limatiora reddere poſſent, iis ſine fuco Authorem inſtruere contendat, nil divinius mortali eſſe reputans, *quàm juvare mortalem; nec referre, à quo benè aliquid dicatur, modò dicatur.*

18. Eundem in finem cuilibet Membrorum facultas erit & libertas, ea quæ ex regeſtis & collectaneis Academiæ petenda ſunt, apud *Secretarium* vel *Hiſtoriographum* relegendi & exſcribendi. Sic etiam cuique aliquid ab Academicis requirenti, meliori quo fieri poterit modo, eidem candidè reſpondebitur. Neque enim qui fratrem pro veritate, pro publico, pro communi bono laborantem juvat, hominem juvat, ſed veritatem, & Dei ſe miniſtrum præbet, à quo omnis veritas, & omne datum optimum.

19. Quod ſi quem aut natura ſua, ut Tullius ait, aut illa præſtantis ingenii vis deficiet, aut minùs inſtructus erit magnarum artium diſciplinis, teneat eum curſum, quem poterit, prima enim ſequentem honeſtum eſt, in ſecundis tertiísque conſiſtere, & *in magnis voluiſſe ſat.* Nullus igitur ob ſuorum conatuum debilitatem erit irri-

irridendus, aut repellendus, ſed ad majora ſtimulandus, atque omni ſuâ dâ excitandus: Nam, *Si deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas*, & ut vates cecinit:

Nemo adeò ſtupidus, qui non addiſcere poſſit,
Si modò culturæ patientem accommodet aurem.

20. Inter Academicorum officia erit & hoc haud poſtremum, tum ut indicent *Directori*, ubi locorum reperiantur Viri eruditione & meritis inſignes, qui ſtudiis promovendis invigilent, aut apti ad id ſaltem & propenſi fuerint; tum ut hoſce excitent ad ornanda augendáque pro ſua virili portione communia hæc ſtudia; tum denique ut eosdem ad dandum Societati nomen pelliciant, & perhonorificè invitent.

21. Candidati ſeu *Coadjutores* omnia quæcunque ad æquum in re literaria guſtum, ad criſin & notitiam librorum contribuere valent, diligenter indagare non negligent. Hinc Eruditiores & PeritioresSociorum tam in Conventibus, quàm in Muſæis ſedulius frequentando, eorum doctrinæ participes fieri, lumináque & inſtructiones avidiùs ab iis haurire ſatagent. Hi verò quæſtionibus & dubiis reſpondendo ipſorum progreſſui neceſſaria præbere ſtudebunt adjumenta.

22. Univerſim hæc erit Sociorum cura princeps & obligatio: *Ordinis decus*, *Patriæ commodum*, *rei Literariæ incrementa quærere*, *Societatis gloriam & ſplendorem promovere*, *membra tueri*, *æmulorum ſuperbiam reprimere*, *contumelias refellere*, *infirmare facta*, *corroborare vera*, *ac ita omnes actus ſuos inſtituere*, ut de genuinis alumnis, Sociíſque eruditione & pietate conſpicuis gloriari aliquando poſſit Societas Literaria Germano-Benedictina.

CAPUT VI.

De Materiis tractandis, edendíſque Operibus, & Actis publicis Societatis.

§. I.

Multa cùm ſint, quibus Socii ſua & Majorum in rem Literariam merita egregiè amplificare & colluſtrare poſſunt, tum illud primum occurrit, ut *Hiſtoriam rei Literariæ Benedictinæ* jam certe à Nobis graphicè adumbratam, & inſigniter provectam expoliant, augeant, & perficiant. Unius enim tantùm hominis quantumlibet docti, huic oneri ferendo impares humeri videntur; cùm res ipſa, ſi attentè perpendatur, omnium difficillima ſit, & eo tractari debeat eruditionis apparatu, eâ ſagacitate, iis denique ſubſidiis, quæ nemo, quantumvis ſibi plaudens pollicere præſumat.

2. Addenda huic operi *Bibliotheca Generalis Benedictina*, quâ Scriptores cujusque propaginis ordine cognominum alphabetico comparéant, uniuscujusque vita deſcribatur, & Opera ſingula è veſtigio recitentur, habitâ locorum, Typographorum, Annorum, Formarúmque ratione. In ipſa autem cujuslibet Auctoris vita primò patria, mox ætas, deinde progreſſus & fata illius accuratè notentur. Tum Operum indices non tantùm accurati, ſed & doctis referti obſervationibus ſubjiciantur, ubi quid de opere, cujus ſit mentio, cenſuerint Eruditi, indicetur, quandóque etiam ad trutinam horum cenſuræ revocentur.

3. Etſi verò pro argumentis univerſa doctrina & humanarum Divinarúmque rerum ſcientia Sodalibus proponi poſſit, nihilque ſit, ubi cuique liber non concedatur campus. (*Siquidem hunc in finem inſtituantur Eruditorum Sodalitia*) præcipuus tamen noſtræ Societatis ſcopus erit, ut ſcripta inedita, Diſſertationes, Schediaſmata, Obſervationes, Epitaphia, Inſcriptiones, Epiſtolæ, veteres notitiæ, Diplomata, & alia ejusmodi venerandæ Antiquitatis monumenta, maximè noſtris in Chartulariis delitescentia, dias proferantur in luminis auras.

4. Hujusmodi laboris utilitatem comendat cumprimis illud *Alexandri* VIII. pronuntiatum, quo *Lucæ D'Acherii* Spicilegium laudabat dicens: *Utiliorem præſtare operam Reipublicæ Literariæ, qui eruendis è ſitu Bibliothecarum lucubrationibus veterum incumbunt, quàm qui novos cudunt libros; libri enim novi, ſi quid boni continent, ab antiquis mutuari ſolent.*

5. Quocirca iſtud cumprimis curabunt Socii, ut qui hinc inde reſperſi occurrunt virorum egregiorum fœtus in obſcurioribus ſubinde Bibliothecarum forulis, velut in ergaſtulis latitantes, meliori tamen ſorte digni, ſimul comportentur, & in lucem afferantur. Hac ratione vindicari

cari ab oblivione & interitu poterunt quàm plurimi libri aliàs fortè perituri, aut cum blattis & tineis inexpiabile bellum luctaturi, ſibi, poſſeſſoribus, & aliis inutiles.

6. Atque noſtro quidem animo plurimùm ſanè intereſſet Ordini & publico, ut in ſingulis cœnobiis eſſent aliqui huic curæ intenti, qui reſeratis Bibliothecarum clauſtris, intima earum penetralia perreptarent, per omnes receſſus & forulos annoſæ eruditionis exempla conquirerent, veteres illos Scriptores in pulvere dormientes excitarent, & pleniorem tot reconditorum Eccleſiæ monumentorum notitiam Orbi Erudito ſuppeditarent.

7. Laudabilem itaque operam, & Societati gratiſſimam præſtabunt Sodales noſtri, ſi accuratam ſuorum Manuſcriptorum, rariorúmque & præſtantiorum codicum, qui in ſuis Chartophylaciis adſervantur, recenſionem conderent, eámque Directori Academico ſiſterent, in Societatis Tabulario ad uſum reponendam, vel actis publicis aliquando inferendam, ut ſuus inde Poſſeſſoribus & Scriptoribus honos, ſuáque literarum cultoribus utilitas atque jucunditas accedat.

8. Patebit exinde, quibus divitiis gaudeat Reſpublica literaria Benedictina, quibus veniat illuſtranda; ubinam repoſitæ ſint opes illæ auro gemmiſque pretioſiores, quibus ſolidiori Sapientiæ inhiantes animæ adeò delectantur; quidnam denique ex iſtis gazis in publicum depromi, quid typis excudi poſſit, & debeat; Sicque Sociis exercendæ in ſuo fundo induſtriæ campus ſubſternetur ampliſſimus. Ex his verò catalogis facili deinceps negotio confici poterit diu deſiderata *Manuſcriptorum Germaniæ Bibliotheca*, exemplo ſummi Viri *P. Bernardi de Montfaucon* adornanda.

§ 9. Egregiè etiam ſua in Rempublicam merita augebunt Socii, ſi varia opera adhuc deſiderata, viz. 1. *Collectio Conciliorum per Germaniam celebratorum.* 2. *Bibliotheca Hiſtorica Germaniæ.* 3. *Apparatus Scriptorum rerum Germanicarum.* 4. *Diplomatum collectio amplior ex omnibus Germaniæ tabulariis.* 5. *Theſaurus Antiquitatum Germaniæ.* 6. *Hiſtoria Germaniæ Pragmatica.* 7. *Germania ſacra ad modum Galliæ Chriſtianæ conſcribenda.* 8. *Monaſticon Teutonicum inſtar Anglicani efformandum.* 9. *Opus diplomaticum Germano-Benedictinum,* 10. *Bullarium Benedictinum ſolas Summorum Pontificum Bullas complectens.* 11. *Apoſtolatus Benedictinorum per Germaniam;* & alia ejuſmodi, quæ Ordini Benedictino immortale decus conciliare, ac Gentis noſtræ gloriam ad exteras nationes traducere poſſent, ſucceſſivè per ſocias manus elaboranda & edenda in ſe recipiant.

10. Circa has aliáſque materias communi ſtudio illuſtrandas, primùm inter ſe conferent Socii, tum de principiis, ſubſidiis, rerúmque tractandarum modo ſuas ferent ſententias. Deinde ſinguli ſingularia argumenta curatiſſimè diſcutienda ſuſcipient, ac dirigente univerſum negotium viro maximè perito, ſymbolas mutuò conferent; quibus deinde in medium allatis, eæ probabuntur, quæ rem acu tangere videbuntur. Is verò qui operis directionem in ſe recipiet, ejus ichnographiam præliminariter adornabit, & rationes, utilitatéſque illius Sociis proponet.

11. Hanc igitur primam in Actis rationem à noſtris ineundam cenſemus, ut ſinguli ſingulas diſſertationes de argumentis jam propoſitis, aut aliis à Directore vel Senatu Academico deſignandis ſtudioſè elaborandas ſuſcipiant. Et unus quidem de Sodalitiis Literariis, eorúmque origine, progreſſu & commodis; Alter de Ephemeridibus, & aliis quibusdam ejusmodi commentariis; Tertius de bonarum Artium apud Germanos cultu, deque earum neglectu & impedimentis; Alius de condenda Scriptorum Hiſtoricorum Bibliotheca ejúsque uſu & neceſſitate; Hic de Conciliorum collectione & Hiſtoria Eccleſiaſtica Germaniæ; Iſte de re diplomatica, & ita porrò de reliquis tractabit.

12. Eligentur præterea pro obſervationum apparatu Themata ad Hiſtoriam naturalem, profanam, atque Literariam, cognatáſque his diſciplinas, puta *Numiſmaticam*, *Antiquariam*, *Heraldicam*, *Genealogicam*, *Chronologicam*, *Jus naturæ & Gentium*, item *Publicum S. R. I.* ac præſertim *Eccleſiaſticum*, & reliqua huc ſpectantia, eáque vel rariora, vel ab aliis planè omiſſa, aut non ſatis accuratè tractata, vel ab heterodoxis contaminata; aut vulgaria quidem, ſed circa quæ nonniſi ſingularia & ſublimiora aliorum cogitatis proferentur.

13. Uti ergò apes videmus omnibus quidem inſidere floſculis, utilia de ſingulis colligere, collecta in com-

P. Ziegelbauer Hiſt. P. I. U 2 mune

mune alvearium referre, ſic quilibet Socius ſuos primò fundos occupare, obire, excolere, codices diligentiùs evolvere, tabularia, forulos, ciſtas, fiſcinas excutere, nihil intactum relinquere, ſed profutura quæque etiam in ſpeciem contempta ac minutiora undique congerere, & in commune Muſæum ad uſum præſentium, & documentum poſterorum referre ſatager, ita quidem, nt ſibi porrigant invicem manus, & ad res colluſtrandas æqualiter omnes conſpirent.

14. Favere autem hiſce conatibus literariis maximè poterunt R.mi Antiſtites, ſi indices Diplomatum, Bullarum, Chartarum, Traditionum, Manuſcriptorum, & aliorum monumentorum veterum, quæ in eorum chartulariis deliteſcunt, conficiendos procurent, eósque cum ſummariis, initio, ſubſcriptione, monogrammate, ſigillíſque publicandos Academicis ſubmittant. Nos brevì uberrimum annoſæ vetuſtatis ſpicilegium nanciſceremur, & tempore ſuccedente *Artem diplomaticam Germaniæ*, Opus Ordini noſtro proprium, nec minùs utile quàm honorificum, votíſque Eruditorum certò reſponſurum, eſſemus conſpecturi.

15. Quantam præterea ab omni ætate apud Eruditos inivèrint gratiam, qui magnorum Virorum Opera hinc inde diſperſa, quæque ſucceſſu temporis inventu difficillima evaſerunt, colligere, ac redivivâ luce donare ſtuduerunt, nemo eſt, qui neſciat. Utiliſſimum ptoinde ſtudium labotémque impendent Socii, qui procurandis novis operum Virorum illuſtrium, puta *Bonifacii*, *Alcuini*, *Rabani Mauri*, *Wilhelmi Hirſaugienſis*, *Engelberti Admontenſis*, *Adami Villici*, *Joannis Tritbemii* &c. editionibus ſtipendia ſimul facerent, & Bibliopolas ad ejuſmodi editiones ſuſcipiendas ſolerter excitarent.

16. Adhæc cùm potiſſimi rerum Germanicarum Scriptores Hiſtorici ſint Benedictini, horum æquè ac ſua in patriam merita Sodales noſtri egregiè colluſtrabunt, ſi peculiarem tam editorum, quàm ineditorum collectionem adornarent, & concatenato veluti ſeculorum nexu digeſtos, Notíſque & Animadverſionibus illuſtratos ſimul edendos procurarent. Quod opus eò alacriori animo adgrediendum, eóque majori ſtudio perficiendum, quò propiùs ad Nos ſpectat, præcavendúmque eſt, ne exteri gloriam illam, quæ nobis propria eſt & hæreditaria, ſibi vendicent.

17. Acta Societatis, quod attinet, hiſce inſerentur minuta quædam opuſcula, nova & vetera, prout à Sociis communicata fuerint, aut ſecundùm materiæ connexionem, præmiſſóque Authoris cujuſque opuſculi nomine ſimul congeſta typis ſucceſſivè tradentur exſcribenda ſub tit: *Muſæum Germano-Benedictinum*: vel, *Collationes Patrum Societatis literariæ Germano-Benedictinæ*... Dabitur verò opera, ut ſingulis ſaltem quatuor anni temporibus, aut prout Senatui opportuniùs viſum fuerit, Tomulus unus in lucem prodeat.

18. Hæc verò ſervabitur in digerendis materiis œconomia. Primo ſemper loco compatebunt Initiatorum ſpecimina; Tum diſſertationes, obſervationes, ſchediaſmata &c. Deinde addentur Scriptores Benedictini cum accurata recenſione operum ab iis editorum. His denique ſubjicientur libri præſtantiores noviter à quibuſcunque Scriptoribus vulgati, & interdum quid curioſi aut inſoliti contineant, indicabitur. Quod ſi quis fortè Collegarum è vivis exceſſerit, paucis beata ipſius analyſis ad calcem inſinuabitur, cum honorifica mentione eorum, quæ in Societatis & rei literariæ commodum præſtiterit, quæ opuſcula ediderit, quæ poſthuma reliquerit, & alia memoratu digna.

19. Hac de cauſa, Membro ex Academia defuncto, *Director*, quamprimùm ejus ad eum perveniet notitia, aliquem ex Sociis requiret, ut ipſius *Vitam & Acta*, ſeu *Elogium hiſtoricum* eruditè brevitérque depingat. Continebit hæc deſcriptio præter pertinentia ad privatam viri vitam leviter tacta, maximè ejus generis res, quæ ad rem literariam augendam, virtutem inſtillandam, & alios excitandos faciunt: v. g. Singularia ingenii, ductúſque divini veſtigia; infucatæ pietatis & doctrinæ exempla; Controverſiarum defuncti cum eruditis momenta, aliorum de ipſius ſcriptis judicia, & his ſimilia.

20. Ita deſcriptum defuncti elogium peritioribus quibuſdam membris inſpiciendum & examinandum ſubmittet *Director*, nt ſi quæ habuerint, quæ addenda, emendanda, interpolanda, aut expungenda judicent, Authorem de hoc ipſo faciant certiorem.

Poſt-

Poſtquàm hoc modo Cenſorum manus evaſerit ſcriptio, inſeretur proximo anni illius Actorum Tomulo, præfixâ defuncti, ſi haberi poteſt, icone æri incisâ, quò perennius in poſterorum oculis verſetur ejus memoria, indéque reliqui ad veræ gloriæ conſecutionem ſeſe ampliùs ſentiant inflammari. *Imagines* enim *tacentes ſunt hiſtoriæ, quæ æri inciſæ non procul ab æternitate conciliandâ abeſſe dicuntur.*

21. Cùm ſæpè contingat, ut præmaturâ Virorum doctorum morte vel non abſolvantur, vel non edantur eorum opera, ſicque inter manus inceptas relicta ſubinde negligantur vel intercidant, aut etiam fuci ad horum pabula accedentes, non ſibi facta mella deprædentur; huic malo ut præſens aptetur remedium, Academiæ Director omnem adhibebit curam, quâ defuncti ſupellectilem literariam, ejúsque poſthuma ingenii monumenta tam perfecta, quàm affecta nanciſcatur. Ea verò alteri membro velut laboris ſuccedaneo revidenda, augenda, perficienda, & publici juris facienda committet.

22. Quò autem hoc ſalubre inſtitutum feliciùs faciliúſque procedat, conſultum fuerit ſancitâ lege cavere, ut ſi quod Societatis membrum diem ſuum obierit, non ſolùm ejus literaria ſupellex, ſed etiam ipſius peculium, cederet in Societatis ærarium, ut inde defuncti effigies æri incidi, & poſthuma ejus ingenii monumenta in lucem protrahi poſſent. Addi etiam poſſet, certa quædam pecuniæ ſumma à defuncti cœnobio pendenda pro ſuſferendis oneribus, dum aliter proſpicistur.

23. In omnibus porrò ſcriptis Societatis nomine publicandis ab illiberali ſtylo, contentione, aut putido cavillandi genere àbſtinebunt Socii, ſibíque cavebunt, ne tricas ferant ſcholaſticas, aut ſopitas de Religione controverſias ſuſcitent, vel politicas novitates, aut Principum prætenſiones incautè tangant. Si quis tamen veritatis amore, juſtiore zelo, aut pro ſua, vel Societatis & Ordinis defenſione ſimile opus conſcripſerit, Actiſque publicis recenſeri petierit, conſenſus ei non erit denegandus, modò æquanimi moderamine utatur, nec aliunde funeſtior pertimeſcendus ſit exitus.

Caput VII.

De Congreſſibus Academicis, aliíſque rebus Societatem concernentibus.

§. I.

Congreſſus Academici duplicis erunt generis; alii *ſolemnes* ſingulis annis, aut quoties opus fuerit, in loco ubi *Præſes* ſedem fixit, autumnali tempore, ſub ejus præſidio celebrandi. *Minùs ſolemnes* alii, ſeu *ordinarii*, quos *Director* ipſe ſingulis ſeptimanis aut menſibus cogere poterit. Ad hos verò convocabit tantùm Collegas eo in loco, ubi ipſe degit, ſubſiſtentes, niſi tamen de rebus gravioris momenti inſtituenda ſit conſultatio, & major requiratur Senatorum numerus.

2. In iisdem præſidebit *Director*, & ordinariè tractabitur ſolùm de rebus literariis, aliíſque levioris ponderis. Hic verò ſervabitur ordo. I. Literaria quædam diſſertatio ab uno ex Sociis compoſita, aut Academiæ commendata prælegetur. Quodſi nulla præſtò adeſſet, aliqua ex recens editis, ac fortè aliis inviſa ſubſtituetur. Tum Secretarius vel Hiſtoriographus Epiſtolarum literariis novitates continentium relationem faciet. Deinde fiet conſultatio de novis literariis, & menſtruis relationibus. Denique erudito colloquio, aut Directoris oratione finietur conſeſſus.

3. Ad ſolennes congreſſus invitabuntur duodecim viri, ac etiam duo Prælati Conſultores, & ex Sociis aliqui meritis & doctrinâ inſigniores, publicique conſilii participes. Nemo tamen præter eos, qui in officio Academico, & in vicinia ſunt, niſi expreſſè requiratur, comparere tenebitur. Quodſi quis impeditus fuerit, rationes ſuas & vices alteri procurandas committet, vel per literas exponet. Si verò juſſus non compareat, gravi ſubſiſtente causâ, ei munus, quod gerit, abrogabitur.

4. In ſolennibus congreſſibus, primò omnium novis, ſi quæ adſunt, membris, locus cuique debitus adſignabitur. Tum verò poſt breve *Præſidis* alloquium, vel *Directoris* præfamen, *Secretarius* articulos è ſtatutis ſibi prævié deſignatos, & Catalogum Sociorum præleget. Conſultabitur, an non in aliquibus Statuta ſint ſup-

 plenda

plenda, vel novis ſuffulcienda? Conſilia dehinc in medium proferentur de adhibendo irrepentibus abuſibus, laborantibúsque rebus, & reliquis defectibus remedio; de augendo Collegarum numero; de Societatis ſplendore magis illuſtrando, de operibus communi ſtudio elaborandis, & aliis occurrentibus negotiis.

5. Poſthæc incipiendo à *Præſide* cuilibet membro integrum fásque erit, quidquid habet, cupítque, ut votis Academicorum decidatur, proponere. Super ſingulis requiret *Director* ſingulorum deciſum. Suffragia autem erunt aperta, niſi fortè præſentem aliquem tangat materia propoſita; ubi tum ipſe tantiſper ſecedere debebit; vel occulta erunt vota; majoris verò partis partes erunt potiores.

6. Cùm nemo ex præſentibus quid ampliùs habet, quod proponi cupiat, deliberabitur eodem modo de poſtulatis, & materiis abſentium per literas expoſitis, aliiſque rebus ad ſtatum Academiæ publicum pertinentibus. Atque, ſi ita viſum fuerit, ſingulis ſuper articulis ſuffragia *Præſes* vel *Director* rogabit. Si majora præſentium adſunt, pro communi concluſo habebitur, atque à *Secretario* in Receſsûs formam redigetur, & ab omnibus præſentibus ſubſcriptione firmabitur.

7. Prætereà in Congreſſibus iſta erit habenda ratio, ut colloquia de iis potiſſimùm rebus miſceantur, quarum particeps quis in ordine ad Societatis ſcopum fieri maximè deſiderat. Tali enim ratione tum conſilia oppidò ſalutaria audientur; tum variæ opiniones prolatæ innoteſcent; tum media expiſcabuntur, quibus propoſitum liceat illuſtrare argumentum, ac ea fœnetari, quæ in progreſſu inſtitutum noſtrum ſecundent, magiſque ſtabiliant.

8. In iis Conventibus præcavendæ ſunt omninò & eliminandæ diſputationes, quæſtionéſque umbratiles, in quibus non eruitur veritas, ſed potiùs læditur charitas. Nam ſæpiuſculè in ejuſmodi contentionibus creſcunt rixæ, ſimultates, animorum diſſidia, quódque damnabilius eſt, ingenium quandoque contra veritatem ſumit arma, & ad eam ſubvertendam cuniculos & machinas omnes admovet; unde cavilloſiores ac pervicaciores diſcedunt multi, doctior utique aut melior nemo.

9. Tractabitur autem maximè de tactis in hoc ſyſtemate rebus, & aliis ad bonarum artium cultum magis augendum facientibus. Quocircà quùm noſtris in Cœnobiis reperiantur plures quandoque Viri egregio pollentes ingenio, qui de nullo tamen acerbiùs, quàm de bonorum librorum penuriâ & temporis anguſtiâ conqueruntur; utrique ſanè infeſtiſſimo ſolidioribus literis incommodo, ut medeantur religioſorum collegiorum Præfecti, partes ſuas interponent Academici; idque præſtabunt Antiſtites, ſi quidem obtrectatorum in nos declamationes ceſſare velint.

10. Cùm porrò nulla inter homines coaluerit unquam Societas Sacra, vel Civilis, aut Literaria, quæ communia ferre onera, communes facere ſumptus non debeat, adeóque proventibus non indigeat; circa rem œconomicam, ſeu Fiſcum ſollicitos etiam quàm maximè in Congreſſibus eſſe convenit. Quâ autem ratione, quibúsve mediis publicum quoddam ejuſmodi Ærarium, in hac rerum criſi poſſet conflari, difficile profectò eſſet conſilio quodam abſoluto definire. Modi enim, quibus id confici poſſet, dependent maximè à Prælatorum animo erecto, propenſione, liberalitate &c.

11. Quia tamen conſilia proponere omnibus licet, qui utcunque experiundo aliquid didicerunt, noſtro in ſyſtemate rem facillimè confici hâc poſſe ratione credimus, ſi nempè Confœderati Antiſtites aliquod *Capitale*, ut vocant, ſimul contribuerent, ex quo *Typographeium* opportuno quodam in loco ita erigeretur, ut quidquid fortis ac emolumenti inde proveniret, in Societatis ærarium cederet. Sic fundum haberent Socii, in quo ſibi ararent, occarent, ſererent, & meterent.

12. Quidquid inſuper ex libris Societatis nomine editis lucri obvenerit; quidquid ex Actis ſeu Ephemeridibus conflabitur æris; quidquid etiam à Prælatis, Mecænatibus, Sociis, aut aliis, quos honeſta boni communis cogitatio tangit, largitum fuerit, id totum ærario Academico fideliter inferatur, ac ne ſterilis in ciſta jaceat pecunia, fœnori detur. Alia tacemus media conſultius in ipſis congreſſibus pleno ore proponenda.

13. Quod ſi fortè Principes, Epiſcopi, Abbates, aliíve Proceres, Opus quoddam à Sociis, factâ condignæ mercedis repromiſſione, elucubrandum

dum poſcerent, vel in controverſiis, rebúſque dubiis Academiæ judicium requirerent, *Director* omnibus Sociis idipſum proponet, & qui ingenii ac eruditionis ſuæ periculum eo in argumento facere voluerint, ſua dabunt nomina, rémque inter ſe ita tranſigent, ut partitis laboribus, collatíſque invicem ſymbolis opus perficiant; & quod inde proveniet commodum, præter conſtitutum cuique operario Minerval, ærario inſeratur.

14. Quia verò præmiis invitare virtutem convenit, in ſingulis ſolennibus Academiæ Comitiis, *Præſes* vel *Director* conſtituto quodam honorario, ſeu agonis literarii præmio, duo Themata, unum ex ſacra, alterum ex civili Hiſtoria, vel ex Jure publico, digna in quibus evolvendis docti viri deſudent, & ex quorum enucleatione in publicum aliqua redundare queat utilitas, omnibus & ſingulis Academiæ membris proponet certatim elaboranda, ita ut qui rem meliùs confecerit, laureolam præmiúmque reportet.

15. Hujus rei gratiâ *Director* abſentibus ſtatim nuntiabit, circa quid verſentur Themata propoſita; Quilibet verò Socius illicò indicabit, quodnam ex illis ſibi ſeligat elucubrandum, ac ei argumento ita deinceps incumbet, ut illud intra tempus præfixum diducat, ſcriptóque ad prælum paratò comprehendat, & *Directori* ſubmittat. Tranſmiſſa autem *Director* tecto ſingulorum nomine cum Cenſoribus Academicis communicabit, rogabítque eorum deſuper ſuffragia, *quodnam ex omnibus præferri reliquis mereatur*; & præmium illi cedet, cui per majora fuerit adjudicatum.

16. Ut cuique etiam ſeſe in literariis exercendi occaſio facilitáſque præbeatur, in ſingulis generalibus Comitiis certa quædam levioris momenti argumenta Sociis præſcribentur pro lubitu elaboranda. Ea verò poſtquàm fuerint completa, mittentur *Directori*, ut eorum prælectione in ordinariis congreſſibus factâ, ſi probata ſint, & publicâ luce digna, Ephemeridibus inſerantur, præfixo ubique honorifico Auctoris titulo.

17. Peractis omnibus Præses poſtremò publicè declarabit, quinam Sociorum de propoſitis Thematibus omnium optimè egerint, quinam aliis palmam reddiderint dubiam &c. Auctoribus verò ſi præſentes ii ſint, de hoc gratulabitur, jubebítque *Secretarium*, ut eam, quæ in utroque themate pro omnium limatiſſima fuit habita, opellam publicè prælegat. Quo finito hiſce duobus diſtribuentur agonis literarii præmia, quæ in aliquo numiſmate, mnemoſyno, vel alio ſimili honorario conſiſtent.

18. Qui præmia retulerint, nova duo themata ad inquirendum & elaborandum Academicis conſtituent; atque pro illo anno denominabuntur *Academiæ Promotores*. Quem in finem Commendatitias, ſeu patentes literas à *Præſide*, *Directore* & *Secretario* ſubſcriptas, tribúſque ſigillis munitas accipient, hiſque inſtructi itet literarium ad Ordinis noſtri monaſteria per provincias ſibi deſignatas inſtituent, cunctáque memoranda ad Societatis ſcopum facientia curatè in pugillares referent, atque liberius otium nacti ita digerent, ut Actis inſeri poſſint.

19. Denique Comitiorum Receſſum, Deciſa, Statuta, & alia Concluſa, aut decreta deſcribi, ſubſcribi, & ſigillo Academiæ muniri, ac *Directori* ſingula in cuſtodiam extradi jubebit *Præſes*; Tum verò expeditis omnibus, ſingulos admonebit, ut concorditer ac fraternè inter ſe agant; Societatis decus & ſplendorem ubique propagare ſtudeant, diſciplinas meliores integrè ac ſanctè colant; Honorandæ exornandæque Matri Religioni Benedictinæ nervos omnes & curas intendant; Non ad quæſtum vel inanem gloriam, ſed ad commune Societatis bonum ſtudia laboréſque ſuos unicè dirigant; ita quidem, ut honor Dei, Eccleſiæ utilitas, Ordinis ſplendor, reíque literariæ incrementum, atque boni publici exinde reſultans commodum, omnium actionum ſcopus ſit & cynoſura unica. „

Hactenus Syſtema; cujus quidem adornandi curam dum mihi præſumptam inſinuo, abſit ut præſtiti officii partes inconſultâ jactatione altiùs extollere, aut res magnas à me profiteri ſuſtineam; Novi meo memet metiri modulo, nec eo audaciæ progrediar unquam, ut Majoribus leges figere, aut ſapientiores docere mihi præſumam. Muneris noſtri eſt inchoare & informare opus, non ad ſummam abſolutámque perfectionem perducere. Commonſtramus Sodalibus noſtris certum finem, quò tendere, tutum iter, quod ingredi, aſylum, quò ſe recipere inpoſterùm poſſint, quot-

quotquot Muſarum amœniorum amore capti, ſacris ipſarum intereſſe cum aliquo fructu voluerint. Si quis noſtra hæc conſilia pronis auribus non admiſerit, *vates officium fecit, ſi monuit.* (p) Quia verò, ut Polybius ait, (q) *Si tollas ex hiſtoria, quare, quomodo, quo fine, quidque fuerit actum, & quem convenientem exitum res geſta habuerit, quod ſupereſt, illius commiſſio mera eſt, non autem opus ad erudiendum Lectorem comparatum,* libet nunc etiam ipſas ab origine cauſas, *& tanti ſeriem, ſi fas, evolvere facti.*

Suſcepti conſilii rationes. Et ſuſcepti quidem conſilii ratio primaria fuit, *accuratior & auctior hujus,* quod ſiſtimus, *Operis editio.* Cùm enim ipſum Authoris manuſcriptum ad æquitatis trutinam penſiùs revocâſſem, & inventum eſſet minus habens; Me verò ac neminem unum *ſolum* tanto operi ex æquo perficiendo aut elimando ſuffecturum prudens arbitrarer, alios peritiores ejusdem calybis ſabros in conſortium adſciſcendos duxi, qui ſuas mecum ſymbolas conferrent, atque illuſtrandæ perampliùs & augendæ Rei Literariæ Benedictinæ ſtipendia ſimul facerent. Collatis itaque conſiliis cum egregiis quibusdam Viris prima mihi cura fuit explorare, quid ſuper ejusmodi inſtituto ipſi judicarent, & quem fructum inde ſperarent. Et nulli quidem dubium fuit, quin ejusmodi ſodalitium magnam Reipublicæ literariæ utilitatem, & Ordini gloriam, ac patriæ decus afferre queat. Sed quemadmodùm de inſtituti præſtantia & utilitate cordatus nemo dubitaverit unquam, ita de illius formandi modo tam diſpares fuere ſententiæ, ut *has non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes.* Tametſi

Conſultorum ea de re ſententiæ. verò ex ipſa animorum fluctuatione, aliisque cauſis ſatis proſpicerem, quam duram adirem provinciam, remque exitu difficilem adgrederer, non illam tamen intentandam credidi. Communicato igitur conſilio cum clariſſimo P. FROBENIO FORSTER, Sant-Emeramenſis Ratisbonæ Monaſterii Priore digniſſimo (*qui quamdam ejusmodi Sodalitii apud Bavaros formandi ideam ſibi jam formaverat*) inter nos primùm illud convenit, ut ſuam quisque conferret opem & operam, ad eliciendos Sodalium Fautorumque animos. Miſſis itaque huc & illuc literis, illicò eos interpellare placuit, quos inter hujus Sodalitii primipilos eſſe volueramus. Quid autem unus & alter reſponſi dederit, quidve conſilii ſuggeſſerit, grato animi ſenſu commemorare fortean non erit injucundum, nec inutile. Primus ſeſe offert Cl. P. *Cœleſtinus Leuthner* Weſſofontanus Congr. Bavaricæ eo tempore Secretarius, Vir eruditione & ſcriptis per orbem literatum celebris, qui ad provehenda illius inſtituti exordia per me provocatus, hæc inter alia reſcribebat die 3. Januarii anno 1752. „ Quàm „ inexſpectatæ, tam jucundæ fuerunt „ literæ, quas humanitas tua V. C. „ ad me dandas dictavit; Vidi enim „ novum exoriri Literaturæ Benedi„ ctinæ Atlantem, qui ſacri Ordinis „ gloriam in proſequendis Clar. P. „ Magnoaldi p. m. cœptis non ſuis „ unius humeris fulcire contentus ſit, „ ſed ad magis illuſtrandas res noſtras „ *Societatem* quoque *Literariam* coge„ re geſtiat. Hoc votum, quod præ„ ſtantiſſimis Viris *Bernardo Pezio, Fe„ lici Eggero, Marquardo Hergott, „ Magnoaldo Ziegelbauer, Anſelmo „ Deſingio,* ac noviſſimè *Frobenio For„ ſtero* inſedit, mihi quoque dudum „ pulſabat animum. Verùm illud „ ſemper deſiderabam, quod Martia„ lis: *Da Mæcenates; non deerunt „ Marce Marones!* Parnaſſus Boicus „ per octodecim & plures Diſſertatio„ nes ab eruditiſſimis Viris continua„ tus denique corruit. Cur? *Ex defe„ ctu publicæ* authoritatis, ut *Deſin„ gius* ſcribit in enarratione doctarum „ Societatum.

Cœleſtini Leuthner ſuffragium.

„ Alterutrum ejusmodi *Societati Be„ nedictinæ* neceſſarium, ſalvis alio„ rum judiciis, arbitror: præprimis „ tutelam magni cujusdam *Principis,* „ qui ſortem tali collegio munificè ita„ tueret, ex cujus annuo cenſu ne„ ceſſaria in rem pararentur ſubſidia, „ libri nempe, Ephemerides, comer„ cii facilitas, aliaque ejusmodi; vel „ certè *divitem Bibliopolam,* qui ſuis „ expenſis opera Sociorum vulgaret. „ Quantum ad hoc attinet, *D. Mar„ tinus Veithius* certè non foret diffi„ cilis, imò & avidus, ſi viderit Ma„ gnoaldinum Opus promptos inve„ nire emptores. Fortè aliis etiam „ Bibliopolis orexis cieretur, ut ope„ ras in hanc rem ſuas ſponte offer„ rent.

„ Quantum verò ad primum, Prin„ ceps ſecularis vix reperietur: me„ tuo, ut Epiſcopus. Sacri Ordinis „ noſtri quiſpiam fortè poſſit & velit, „ maximè ſi inter ſuos etiam vel Du-

ces

(p) Sadi Arabis Philoſophi effatum.
(q) Polybius libr. 3. pag. m. 186.

„ ces vel Socios futuros haberet: qua-
„ les viderentur Cel.mi Principes &
„ Abbates, *Campidonenſis*, *Fuldenſis*,
„ *S. Blaſii*, *Sant-Emmeramenſis &c.*
„ Quid optabilins vel accomodatius
„ foret Typographeo Campidonenſi?
„ Verùm hæc inter pia deſideria re-
„ linquentur, niſi ipſorummet aliquis
„ ultrò ad rem pulcherrimam fulcien-
„ dam incendatur. Quid verò? For-
„ taſsè nec ipſa Sodalium opera ſteri-
„ lis eſſet futura, ſi non ſingulares
„ tantùm unius Ordinis res, ſed pub-
„ licas etiam ac pluribus communes
„ ederent. . . Coaleſcentis Societatis
„ membra ſi comperero ea quædam
„ eſſe, quæ genium meum noverint,
„ ut *Frobenius Forſterus*, & *Anſelmus*
„ *Deſingius*, ſalvâ hac meâ apud
„ Thaumaturgam Vilgertshovenſem
„ ſolitudine promptiſſimè ſerviam le-
„ gendo, inquirendo, ſcribendo, com-
„ municando, quantum per Superio-
„ res licuerit, ſummóque ducam hono-
„ ri meis TE obſequiis mihi devinci-
„ re, cui manum, operam, animum
„ lubens conſecro, utque pretioſâ
„ amicitiâ tuâ ac benevolentiâ ſem-
„ per me dignêre omni contentione
„ obſecro.„ Hæc eximiæ Vir pruden-
tiæ & eruditionis.

Benedicti Buecheri ſententia. Pari humanitate & animi mode-
ratione *Benedictus Buecher* in Univer-
ſitate Salisburgenſi Ss. Theol. Doctor
& Aulæ Theologus, per me, nullâ li-
cèt præparatione factâ, interpellatus,
ſuam hac ſuper re expreſſit ſenten-
tiam: *Quem dudum*, inquit, *ex fa-
ma novi Virum clariſſimum . . . is jam
non interpellare me ignotus poteſt; quin
potiùs de ſuaviore mibi amicitia &
arctiore, ex cœpto literarum commer-
cio, neceſſitudine mibi ſummoperè gra-
tulor. Tibi verò Vir Erud. ut labores
tuos pro gloria ſacri Ordinis noſtri feli-
citer ſuſceptos fortiter generoſéque perfi-
cias, iterum iterúmque commendo.* Eſt
autem, quod & ampliùs me ſolatur,
quòd ſcilicet non ſolus (qui utique
præſtare id poſſes) ſed unà cum mem-
bris *integræ Societatis Literariæ Ger-
mano-Benedictinæ* huic operi (*Hiſto-
riæ Rei Lit. O. S. B.* inſudare conſti-
tuas, modeſtè & laudabiliter ſentiens,
plus oculos videre quàm oculum. So-
cietati huic ut Nomen dem meum,
Tuo Sodaliúmque tuorum nomine me
compellas, plura hac de re mecum
collaturus, ubi Vobis de mente mea
& propenſione ad id genus inſtituti
conſtiterit. Ad quod reſpondeo I.
*Societates ejusmodi Literarias jam nunc
& Orbi literato & ipſi Romæ fami-
liares me non poſſe non immenſum æſti-
mare, dummodo, quod ipſum veſtra
jamjam modeſtia probat, ex parvis ini-
tiis res magnæ creſcant.* II. *Iſtius-
modi initiis, quæ mibi magna jam ſunt
incrementa, ſuppetias dare, ſi ex me
pendeat, jubere TE volo, non petere;
Benedictinus non ſim, ſi pro re Benedi-
ctina, quoad potero, non laborem.* III.
*Quod autem & nomen meum Albo ve-
ſtro conſignandum poſcatis, parcite, ſi
dicam quòd per hoc nimium vos mibi
bumiles eſſe probetis. Viros conquirite
eruditione veſtrâ dignos: me curta domi
ſupellex, & nimia, quam de Societa-
te veſtra concepi, æſtimatio, probibent.
Servum ceteroquin ad obſequia tum fra-
terna, cùm literaria, ſi quid Juvàvii
ego poſſim, babebitis ſemper & cultorem
vobis toto corde devinctiſſimum.* „

Deſingii Votum. Conſilium quoque meum cùm ape-
ruiſſem Clariſſ. P. *Anſelmo Deſingio*
Viro amiciſſimo, haud ita ille propo-
ſito blandiri viſus eſt, quin unà ſimul
me de illius perficiendi difficultate ſa-
pienter admoneret: *De Societate*, in-
quit, *Germano-Benedictina Literaria,
quam meditaris, laudo ſtudium tuum &
voluntatem.* Quàm verò tenuis mihi
„ ejusmodi in rem ſpes ſuperet, *Fro-
„ benius* noſter TE docebit. Nec
„ moles me terret, quemadmodùm
„ alios, quos ais, ſed experientia.
„ Viginti ampliùs anni ſunt, ex quo
„ eandem cogitationem nec ſolus me-
„ cum, ſed cum Prælatis verſo, nul-
„ lá hactenus firmâ ſpe. . . Neque Ti-
„ bi diſſimulo, omnia ea, quæ tua
„ mihi de his epiſtola loquitur, nec-
„ quicquam profutura videri ad rem
„ ſaltem cum honore inchoandam.
„ Quocirca niſi certiora mihi augu-
„ ria nuntiaveris, ſine fuco pronun-
„ tio, neminem me invitaturum: præ-
„ cipuè cum ignorem ad quid, qua-
„ lésve epulas invitem. . . Hæc tamen
„ non ut animum dimittas expono,
„ ſed quò intelligas candorem meum.
„ Placet enim vehementer honeſtiſ-
„ ſimus conatus tuus, atque opto, ut
„ felix ex æquo reſpondeat eventus.
„ Priùs verò quàm de hoc ſpem con-
„ cipiam, ex TE flagito, utì ineun-
„ dæ ejusmodi Societatis ſchema con-
„ ficias, & Sodalium Fautorúmque
„ animos explores. . .

P. Udalrici Weis reſcriptum. Æquo ferè modo mecum agebat
P. *Udalricus Weiß* Urſinenſis in Sne-
via Cœnobii ſtudiorum Moderator,
qui in ſuis ad me literis 26. Januarii
1752. datis in hæc verba prorumpe-
bat: *De ineunda Societate Literario-*

Benedictina conſilium ſententiámque requiris meam: Ego verò è contrario jure à TE contendere mihi videor, ut quæ ſit ineundæ ejusmodi Societatis norma, quæ ratio, quis ſcopus, qui auſpices, Socii &c. priùs me doceas. Horum ex notitia merito mea ſuſpendi conſilia autumo... Cetera quæ verboſè ingerebat, neglectu potiùs, quàm relatu digna ſunt. *Ex ungue leonem.*

Marquardi Hergotti ſuffragium.

Moderatiùs ſuam explicabat mentem Clariſſ. ac Excellentiſſ. D. MARQUARDUS HERGOTT, S. Blaſii in nigra ſylva Monachus, & Præpoſitus in Crozinga, S. C. M. Conſiliarius, & Hiſtoriographus doctis æquè ac operoſis ſcriptis in publicum datis nominatiſſimus, qui per me in ſodalitii noſtri chorum invitatus ita reſcribebat: „Lætor ſanè, TE Virorum optime! in animum induxiſſe, Societatem literariam Germano-Benedictinam inſtituendi. Quis enim eſt literarum amantium Benedictinorum, qui non probet, non laudet conſilium hoc Tuum, quod cum honeſtate, decore ac commodo ſacri Ordinis noſtri eſt conjunctiſſimum?... Verùm cùm in hac tractatione ſpes boni eventûs futuri in benevolentia & opibus Celſiſſ. Principum ac DD. Abbatum Ordinis noſtri unicè ſit repoſita, fidâ TIBI mente ſuadeo, ut DD. Abbatibus & ſingillatim & enucleatè exponas, quænam per Germaniæ provincias diſperſa Monaſteria in Societatem, quam meditaris, coaleſcere cogitent, tum verò, quæ ſit illius inſtituendæ forma, quid Abbates, quid ſocii conferre debeant &c... Illa porrò, quæ hanc in rem dices, ſi auctoritate Eminentiſſ. Cardinalis QUIRINI Ordinis noſtri ſyderis eximii, fulcita ac literis encyclicis commendata fuerint, ſpero fore, ut DD. Abbates vel Concilium convocent, vel ipſi de tuo Inſtituto per literas colloquantur, hácque ratione faciliùs ac citiùs in Societatem coëant... Ego ſanè multis licèt negotiis impeditus & viribus fractus, illud tamen gratâ mente profiteor, me ultimum in inclyta ejusmodi ſocietate locum libenter occupaturum, ac unacum meis Sodalibus San-Blaſianis (*qui me multo doctiores ſunt*) donec vixero, viribus omnibus & conſiliis collaboraturum, ut in noſtra præſertim Congregatione San-Blaſiana literarum ſtudia floreant, & Deo benè fortunante nova capiant incrementa. Aperui me: Tu jam deſiderium Tuum, quod promovendæ Rei Literariæ, mei cauſâ in iſthac provincia noſtra injeciſti, pone, quæſo, vel ſaltem minue, & vale.

Veremundi Guſelii conſilium.

Hæc ille ſapienter omninò & appoſitè. Neque verò minùs ſapida ſunt, quæ Clariſſ. Vir P. *Veremundus Guſl* Priflingenſis SS. Canonum in communi Congregationis Bavaricæ ſtudio *Rotæ* Profeſſor, editis pluribus ingenii monumentis celeberrimus ſuggerebat conſilia his verbis: „Societatem Literario-Benedictinam quod attinet, Virorum Clariſſ. *Deſingii* & *Frobenii* ſenſibus pridem intellectis, quos ille ad finem Octobris, iſte in Novembri anno 1751. mihi ſignificaverant, eò inclinabat mens, ut ante omnia præliminaria quædam capita ſtatuantur, quibus & finis & uſus Societatis figatur certus, atque maximè uſus ille, qui in cujusque membri utilitatem redundet. Id verò, ſi me non fallat opinio, vix aptiùs in quoquam alio conſtitui poſſe videtur, ac *in fideli communione bonorum*, i. e. ſubſidiorum ad cujusque inſtitutum literarium aut opus pertinentium. Quis autem fidelem ſperet inter membra communionem, ſi ipſi Socii affectu & ſtudio veluti cœlo toto inter ſeſe divulſi elongatique ſunt? Quis amico fœdere & ſincero vinculo conſociabit eos, quorum ille veterem mundum, iſte novam incolit Utopiam? Quod onus condit, alter evertit? Hoc erit ignis & aquæ conſortium. Coadunanda itaque Societatis membra fini ejusdem apprimè accomodata eſſe debere, ego quidem cenſeo. Me nulla vexat gloriolæ cupido, ſed trahit ſincerus amor veri & boni publici.. Hic ſenſus animi mei eſt, à Tuo, uti mihi perſuadeo, minimè alienus. Sed nec aliis præripio ſententiam. „

Pezii & Kropfii Mellicenſium votum.

Addere his libet, quæ Clariſſ. P. *Martinus Kropfius* Mellicenſis in Auſtria Bibliothecarius reſcribebat: „Ego, *inquit*, & P. *Hieronymus* noſter ſummoperè tuum de inſtituenda Societate Literaria Germano-Benedictina conſilium approbamus. Profectò ſi per me ſtaret, omnem moverem lapidem, ut hoc Eruditorum Benedictinorum Sodalitium

„ litium

„ litium protinùs erigeretur. Quamquam vehementer dubito, quin omni ex parte ad propoſitum venias; ſunt enim difficultates, non tuâ quidem culpâ, obſtantes haud leves, quæ niſi removeantur, fruſtra TE eſſe puto. Quæ verò iſtæ remoræ, neque ſi poſſem, palàm ſcribere vellem. Sapienti pauca. „

* *Velle ſuum cuique eſt. Fratrum hinc diſcordia; ut inter*
Fratres conveniat, nil niſi velle deeſt.

Bonifacii Riedelii monita.

Paulò aliter ſuam mentem explicabat R. P. *Bonifacius Riedl* Benedicto-Burani in Bavaria Monaſterii Bibliothecæ Præfectus: *Societatem*, infit, *Literariam Germano-Benedictinam quod ſpectat, medullam tangis votorum meorum. R.mo Abbati meo conſilium hoc veſtrum vehementer probari non dubiis deprehendi indiciis.* Vide „quæſo! quàm largè conatibus noſtris „vel ipſum cœlum (*niſi planè mendax „augur ſum*) faveat. Auguſtam pro„ximis diebus adveniet cum Abbate „meo R.mus D. BEDA Præſul Weſſo„fontanus Congregationis noſtræ Præ„ſes Generalis. Optatius certè nihil „contingere ad propoſitum tuum po„terit. Habebis Viros canâ prudentiâ „præditos, ſcientiarúmque amatores „ſpectatiſſimos; Cum his negotium „tranſigas ſuadeo. Multum ad rem „promovendam juverit, ſi eiſdem, quâ „formâ, quibus legibus, quo fine, no„va Societas inſtituenda ſit, quos de„mùm jám in caſtris commilitones nu„meres, ampliter expoſueris. .. Atque „ſic exiſtimes velim, omne quidquid „in me eſt virium ac operæ, tuis com„modis, obſequiis, & Reip. lit. bono „eſſe conſecratum. „

Abbatum placita.

Communicato ſimiliter cum aliis pluribus conſilio, quùm omnes ferè noſtro propoſito ſuum adderent calculum, viſum etiam fuit rem ipſam Abbatibus proponere, ut imbelles conatus noſtros ſuis auſpiciis feliciores redderent. Verebar enim fore ut ægrè ferrent ipſis inconſultis tantæ molis ſtructuram à me præſumi, qui privatus eſſem Monachus, nullâ authoritate, nullis mediis ſuffultus. Criſi verò, invidiæ & odio inprimis obnoxium me ſentiebam fore apud eos, qui omnes bonas artes & diſciplinas in cœnobiis extinctas toto exoptant pectore. Ratus igitur illos præ aliis ſollicitandos eſſe Antiſtites, quos dixeram Muſis favere, & poſſe ad inſtituti rationes plurimùm conferre, laudatos RR.mos DD. *Bedam* Weſſofontanum, & *Leonardum* Benedicto-Buranum Auguſtæ in S. Udalrici Monaſterio datâ opportunitate conveni, eíſque propoſiti rationes paucis expoſui, ac illius Auſpices & Promotores ut ſe præberent, ſupplex interceſſi. Et ubi quidem ipſis noſtra non improbari conſilia comperi, erectiori animo alios plures excitandos duxi. Datis igitur Ratisbonam ad *Frobenium* noſtrum literis prolixiùs eum rogabam, ut Celſiſſimo Principi ſuo negotium proponeret, & Præſidis officium eidem deferret. Totus ille ut erat juvandis conatibus noſtris intentus, nullum prætermiſit officii genus, quod è re noſtra eſſe intelligeret. Ita verò ad meas reſcribebat: *Expoſui Celſiſſimo meo propoſitum tuum, qui illud pergratum habuit, optátque, ut felicem ſortiatur eventum. Præſidis tamen munus in ſe ſuſcipere recuſat, donec qui Sodales coïerint, quibúſque legibus ſtabilienda ſit Societas, eidem innotuerit.* Vereor, ne idem „ab aliis quoq; Abbatibus feramus re„ſponſum. Ii certè, quos ad chorum „noſtrum invitavi, priusquàm eidem „ſe jungere velint, quæ Societaris le„ges, quæ intentio, quis ſcopus, quæ „utilitas *&c.* edoceri cupiunt. Homi„nes iſti, ut facilè ipſemet judicabis, „debitâ Societatis Literariæ ideâ de„ſtituuntur; hinc moras nectunt, flu„ctuant, metuunt, nec minùs hærent „attoniti, quàm ad lucem veſperti„liones. Optimum igitur factu eſſe „exiſtimo, ſi iis, qui poſthac invitan„di ſunt, ſyſtema quoddam hujus So„cietatis proponatur, & quid Socii „poſſint, quid ſolus non poſſit &c. „breviter declaretur. Tuas igitur „Vir Clar. inprimis mihi de conſti„tuenda Societatis forma cogitatio„nes ut communices obſecro, quas ego „deinde ad alios transferam. *Quæſo TE etiam & obteſtor, ad Emin. Cardinalem* QUIRINUM *ſcribere ne moreris, cui ſi intentionem noſtram ſcitè declaraveris, illéque, ut minimè dubito, laudaverit, non parùm id alacritatis conciliabit iis, qui ad noſtras exhortationes tardi ſunt & inertes.* „ Ita vir amiciſſimus, cujus quidem hortatu & aliorum efflagitatione eò me adduci paſſus ſum, ut inſtituendæ iſtiusmodi Societatis Literariæ Syſtema adornarem, & onus, quod porto ærumnæ inſtar, humeris meis imponi ſinerem. Priùs verò quàm in publicum mitteretur, illud ad cenſuram ſubmiſi primùm laudato *Frobenio*, tum *Deſingio*,

Frobenii relata & conſilia.

& quibusdam aliis Collegis noſtris; Atque interea exaratis ad Eminentiſſ. Cardinalem QUIRINUM literis, eum ſubmiſsâ, quâ par eſt, animi reverentiâ ſupplex rogabam, ut ſuam de hoc fœdere literario mentem explicare, ac ſi probaret Inſtitutum, illius etiam *Protectionem* in ſe recipere dignaretur. Quanto ille, pro incomparabili ſuâ in Literas & Literatos proclivitate, exultaverit gaudio, quàm grato conatus noſtros exceperit animo, magnificè aperuit Italicâ quâdam epiſtola ad me Brixiâ 27. Maji A. 1752. datâ hoc tenore:

Em. Cardinalis Quirini epiſtola.

„Il foglio di V.P. M. R. in data 7. Aprile mi ha recata una diſtinta conſolazione per eſſermi ſervito di prova della memoria,ch'ella conſerva di me, quando dubitavo non poco di eſſere ſtato dalla medeſima cancellato. Mi ſi è accreſciuta l'iſteſſa conſolazione per avermi eſpreſſe quel ſuo foglio le belle applicazioni, nelle quali ſi trova preſentemente impegnata. La Continuazione della ſtoria cominciata dal P. *Ziegelbauer* ſarà utiliſſima all' ordine monaſtico, anzi alla Republica letteraria tutta, della quale verrà à renderſi una parte conſpicua la Società, ch'ella ha diviſato di eriggere, ſe non che il titolo di *Protettore*, di cui vuole onorare la mia perſona, è di granlunga ſuperiore a meteſſo, è pero nel riceverlo mi profeſſo dieſſer riempito di onore. Altretanto giuſtamente ſarà conferito il titolo di *Preſidente* a Mſgr. l' Abbate e Principe di S. Emmeramo, a cui nella prima occaſione, che averò di ſcrivere, eſprimerò il mio contento per il conto, che veggio farſi con tal deſtinzione de ſuoi meriti e talenti. „ Hæc Eminentiſſimus, penè infra purpuræ ſuæ dignitatem officioſus; memorabili ſanè exemplo, argumentóque potentiſſimo illos confundere, qui *olido conſueti vivere cœno, à Muſis & gratiis abeſſe, optimáque conſilia ſpernere dignoſcuntur*.

Tetricus rerum Status.

Etſi verò magnum intelligénsque ſummi hujus Viri judicium tanti facerem, ut minùs aliena pertimeſcerem; cùm tamen non omnia tuta ſartáque ex hoc Italico præſidio rebus noſtris ſperare & polliceri auderem, alios etiam Germanos paulo magis ſuprà vulgus ſapientes excitavi, qui ad urgendum opus enixè mecum contenderent. Sed quemadmodum illi, qui Apum examina quærunt, incauti ſubinde in Fucos & Veſpas incidunt, ita planè (*quid enim diſſimulem*) mihi contigiſſe fateor. Et tales quidem tùm *Auguſtæ*, cùm alibi velut ſorices ſeſe prodidêre nonulli Miſoſophi, & invidi, qui non tantùm propoſiti mei rationes, ceu *turbo naſcentes roſas*, ſufflaminare, ſed etiam ipſum, quem præſentem ſiſtimus, partum in ipſo penè ortu ſupprimere, méque moleſtiarum, & expenſarum cumulo à cœptis revellere moliti ſunt. Quâ de re apud *Frobenium noſtrum* conqueſtus, has ab eo eliciebam conſolatorias: *Laudare ſatis nequeo Tuam pro gloriâ & decore ſacri Ordinis noſtri induſtriam ſtudiúmque indefeſſum; Condoleo tibi cordintimè, quòd modicam inde reportes gratitudinem, ſed potiùs odium & ingratias ab iis referas, quorum honori & gloriæ militas. Stupenda ſanè res eſt, quòd viri egregii vilipendantur ab animalibus, quæ otioſa ſaginantur de pinguedine terræ benedictæ. Sed conſtans eſto, & perſevera Vir præſtantiſſime! atque mercedem exſpecta meliorem. Nihil quippe natura citò magnum fieri voluit, ſed pulcherrimo cuique operi difficultatem propoſuit, quæ labore, conſtantiâ, fortitudine & induſtriâ vinceretur. Quod perennare debet, difficiles habet non tantùm partus, ſed etiam parturitiones.* Macte igitur!

Frobenii incitamenta.

Durato, & rebus Temet ſervato ſecundis:
Fervidus oſores vindicis ardor edet.

Hæc ille, Paraſtata noſter conjunctiſſimus. Inde verò per me iterum provocatus, ut quid de Syſtemate noſtro ſentiret, quidve in eo emendandum, ſupplendum, omittendum, vel addendum judicaret, candidè exponeret, ita reſcribebat: *Syſtema Societatis Literariæ Germano-Benedictinæ, quod confeciſti, ſummâ voluptate lego, relegóque, Deúmque precor, ut Superiores excitet, qui optimæ huic rei collaborent omnibus viribus. Quantam non inde auguror S. Ordinis noſtri felicitatem & gloriam! Tradidi illud nitidè deſcribendum, exinde autographum tuum ad TE iterùm redibit. Sæpiùs verò deſcriptum Sociis illis, qui jamjam Cœtui noſtro ſeſe dediderunt, aliiſque eidem aggregandis communicabo; nec ullus dubito, quin exſpectationi omnium quàm cumulatiſſimè ſit ſatisfacturum...* Ita Vir doctus. Atqui adprobâſſe omnino ſeſe illud eruditis, & benè ſentientibus, multis ex rebus ac præſertim ex honorificis, quæ tulerunt de eo, teſtimoniis non obſcurè poſthac colligere mihi licuit. Unum alterúmve hic adponere volupe

& de Syſtemate judicium.

lupe

ſæpe eſt, ut de veritate magis conſtet. Ita enim Vir quidam egregius ſuam deſuper his verbis efferebat ſententiam : *Totius Sodalitii Academici compages tuo in ſyſtemate adeo ſcitè & providè conſerta eſt, ut qui eam convellere vellet, communi hominum judicio ſe defectum, aut vitioſo affectu infectum proderet. Quid verò magnorum ingeniorum ſeculi noſtri eruditione, perſpicacitate, induſtriâ dignius, quid Reipublicæ literariæ utilius, quid Ordini veſtro glorioſius, quàm conſilium hoc perficere? Ageſis igitur* Vir C. R. *hoc opus tuum in lucem emitte, ut præſtantioribus è veſtra familia viris, ac iis maximè, quibus rei literariæ clavum torquere Numen conceſſit, aditum aliquem patefaciat, anſam præbeat, viam ſternat, vel ſaltem ardorem ingerat, ad tantum facinus ineundum atque exequendum...*

Aliorum teſtimonia,

& incentiva.

Erigebat me alius ex eo, quòd magni cujusque inſtituti radix licèt exiſtat amara, fructus tamen ejus aliquando dulces forent : *Et quamvis,* inquiebat, *ſtadium, quod nunc decurris, ſub ſua initia ſit moleſtum, dies tamen molliet, & ſcopus, qui tibi in oculis eſt, bonum nempe publicum, Ordinis decus, & ſcientiarum incrementum. Illuc animum retorque, & cogitationes tuas omnes dirige; cætera eo habe loco, quo tempeſtates aut ventos; Et quò hæc tempora Tibi difficiliora ſunt, eò plura Tibi ad pervadenda omnia, ſi ita ferat caſus, parare debes adjumenta, ut minore animi moleſtiâ illa perferas, quæ tui ſyderis hominibus malignitas minari videtur. Jacta fidenter cogitatus tuos in Em. S. R. E. Cardinalem* QUIRINUM *Muſarum Statorem præſtantiſſimum; ſponſor ego Tibi ſum de optimo ſucceſſu, ſi eâ, quâ cæpiſti, conſtanter pergas virtutis & modeſtiæ viâ; nam vim temperatam Dii quoque provehunt...*

Negotiũ Em. Card. Quirino cõmendatur.

His aliiſque ſtimulis, in eâ, quâ tum verſabar rerum criſi, incitatus, licèt pares animo non reſponderent vires, *feſſáq; poſt primos hærerent viſcera partus,* rem tamen omnem auſpiciis altefati Em. Purpurati feliciùs perficiendam ratus, Syſtema, quod deſcripſeram, ſublimiori ejus ſapientiæ & cenſuræ ſubmittebam, impenſiùs rogans, ut, ſi quidem ſuum illi adderet calculum, RR.mos Germaniæ Abbates, pro eâ, quâ pollet efficaciori ſuadâ & auctoritate, ad id genus inſtituti ſolertiùs provehendum excitare ac pellicere dignaretur. Priùs verò quàm ab Eminentiſſimo reſponſum elicerem, inexſpectatæ mihi reddebantur literæ Celſiſſimi Principis San-Emmeramenſis die 29. Junii ſignatæ, quibus inter alia hæc nunciabat : *Accepi literas ab Em. Quirino 8. Junii ſcriptas, quibus mihi ſignificavit,* R. P. Oliverii Legipontii *propoſitum ſibi plurimùm probari. Ego cùm de iſto propoſito* (erigendæ Societatis Literariæ) *nihil mihi adhuc innotuiſſet* (primùm enim ſolia hâc de re ſcripta recepi die 24. Junii) *repoſui & mihi plurimùm probari : putabam agi de Hiſtoriâ literariâ* P. Ziegelbaueri. *Sed cùm novas ab Eminentiſſimo 15. Junii ſcriptas accepiſſem* (in quibus tamen nullam ampliùs mentionem facit de hoc propoſito) *reſpondi,* R. P. Legipontii *conſilium & deſiderium placere quidem, ſed media non ſufficere...*

Biduo poſtquàm has exceperam ſymbolas, Auguſtâ Ratisbonam emigrabam, pedem ad tempus in S. Jacobi celeberrimo Scotorum monaſterio fixurus, eo quidem fine, ut edendo *Monaſtico Scotico*, quod R. P. *Marianus Brockie* loci Prior tùm prælo parabat, operas curáſque commodarem. Vix illuc adpuleram, quùm reddita mihi eſt Eminentiſſimi Epiſtola hujus tenoris : *Ricevo con la ſua lettera ſegnata V. Kal. Jul. lo ſcritto che ha per titolo:* Syſtema inſtituendæ Soc. lit. Germano-Benedictinæ... *ed avendolo ſubitamente letto, aſſai mi è piacciuto. Giacche Poi V. P. ſi trova preſentemente ſtabilita in Ratisbona, e che però avrà tutt' il commodo di conferire con Mſgr. l' Abbate e Prencipe di S. Emmerano, voglio credere, che per l' eſſecuzione del ſuo utile & nobile progetto ſapra prendere le più convenienti riſoluzioni, alle quali ſarò io pronto e dar tutta la mano, come ſcrivo in queſt' iſteſſo giorno al medeſimo Prelato.*

Ejus reſponſio 13. Julii.

Pergratas haſce literas novi favoris & illicii bajulas cùm perlegiſſem, non parùm inde erectus, illicò easdem Celſiſſimo Principi San-Emmeramenſi relegendas exhibebam. Atque Is quidem pro eximio ſuo in Em. Card. QUIRINUM ſtudio gratiſſimas illas habebat; totus tamen ex *Rothfiſcheri* lapſu attritus, & occultis ſuſurronũ ſibilis in transverſum actus, talia mihi dabat reſponſa, è quibus boni ſperandum nihil eſſe, deſperanda omnia conjiciebam. Malum auxit infelix libellus, quo fugæ ſuæ motiva enarrat monaſterii illius de-

Quid Ratisbonæ actitatũ.

ſertor *Rothfiſcherus.* Viderat in eo Princeps promitti relationem quamdam de Lojoliticis Germaniæ ſcholis, cúmque eo tempore *Methodum Studiorum tùm humaniorum, cùm ſeveriorum, prout et deinceps in Gymnaſiis, & Univerſitatibus Catholicis per Germaniam majori cum fructu tradenda Superiorum nutu præſcribuntur,* typis Zunckelianis exſcribi curâſſem; hæc folia tam malè habuit Princeps, ut Eccleſiæ & Principatûs ſui excidium inde metueret. Omnia hinc ipſi ſuſpecta, in omni ſcirpo nodus. Tædet alia aliunde mihi Ratisbonæ conflata referre incommoda; quorum vel meminiſſe ſtoïcam quoque bilem moveat.

De alio loco & Mæcenate conſilium.

Ne igitur tantæ molis ſtructuræ fundamentum arenæ imponerem, de aliâ mihi Petrâ magis ſolidâ proſpiciendum duxi, atque ſtatim animo occurrebat *Celſiſſimus Princeps Campidonenſis*, in quem jam primùm Collegarum ſuffragia collimaverant, cuíque ego uni maluiſſem, quàm quantævis aliorum Abbatum frequentiæ noſtra probari conſilia. Exaratis itaque ad Em. Card. *Protectorem* literis, ſupplex ejus hâc de re efflagitabam ſuffragium; quod ille his explicabat verbis: *Quando credevo di ricevere da lei qualche notizia, che mi recaſſe piacere circa l' incaminamento dell' idea Societatis Literariæ, la quale ſi compiacque di communicarmi, raccolgo dalla ſua lettera non eſſerſi per anche poſta la prima pietra, anzi ne pur eſſerſi da lei fiſſato il luogo, ove accudire all' erezione della gran fabrica. Non poſſo ſe non approvare il tentativo, che ha diviſato di fare in Campidona, e quando ella mi aviſi di eſſerſi colà traſportata, non mancherò di fare con quel degniſſimo Prelato buoni offizj per facilitare a lei il ſuo intento...*

Facta Campidonam digreſſio.

Exploratâ ſimiliter quorumdã Collegarum mente, cùm omnes probarent conſilium, convaſatis illicò reculis, & equo ad iter comparato, Ratisbonâ Auguſtam, indéque Campidonam vergente ad finem Septembri, me contuli, ubi humaniſſimè exceptus inſigni planè experimento didici verè Nobiles Viros maximè omnium eſſe ad Comitatem & ad omnia magna natos pronósque. Plus quippe ſimplici vice ad gratioſiſſimos Celſiſſimi Principis affatus benignè admiſſus, quùm propoſiti rationes Eidem prolixiùs expoſuiſſem, ac clementiſſimum ſuæ Celſitudinis ad tam illuſtre opus præſidium ſubmiſsè imploráſſem, votis ille meis non tantùm dignanter annuebat, ſed etiam Syſtema inſtituendæ ejusmodi Academiæ, ſuis ſumptibus per typos publici juris fieri magnificè jubebat, grandi ſanè meo ſolatio, nec minori meorum ex ſacro Ordine Collegarum plauſu, & commodo.

Prima ibi Societatis fundamenta poſita die 5. Octob. 1752.

Prima autem nobilis hujus ſtructuræ fundamenta ponebantur die quinta Octobris divis Evergetis & Tutelaribus noſtris SS. PLACIDO & *Sociis* ſacrâ, atque ob firmata primordia & ſuſceptum à Celſiſſimo Principe illius Sodalitii Præſidium meritò memorandâ; quam proinde ſolennioribus deinceps Congreſſibus celebrandis dicatam voluit Senatus Academicus, atque ad perpetuam rei memoriam, & aliorum incentivum ſequentem inſcriptionem perituris quidem foliis, ſed indelebili charactere, publico honore & obeliſco ſignatis, primæ Statutorum editioni venerabundus appendi jubebat:

CELSISSIMI ac REVERENDISSIMI
DOMINI, DOMINI
ENGELBERTI
S. R. IMPERII PRINCIPIS,
DVCALIS ECCLESIÆ CAMPIDONENSIS
SVMMÆ SEDI IMMEDIATE SVBJECTÆ
ANTISTITIS MERITISSIMI,
DIVÆ AVGVSTÆ ARCHIMARSCHALLI..
DOMINI MÆCENATIS SVI
ET PRÆSIDIS CLEMENTISSIMI
HONORIBVS & MERITIS,
OB
GRATIOSISSIME SVSCEPTVM
NASCENTIS SOCIETATIS LITERARIÆ
GERMANO-BENEDICTINÆ
PATROCINIVM,
HOC PRIMVM VENERATIONIS SVÆ
MONVMENTVM
AFFECTV ÆRE PERENNIVS
STATVIT
SENATVS ACADEMICVS
A. R. S. MDCCLII.
III. NON. OCTOBR.

Inſtituti proſecutio.

Facto tam plauſibili exordio, tantorúmq; Nominum in fronte novæ ſtructuræ ſuſpenſis inſigniis, tutiorem me tantæ molis opus proſequi poſſe credidi. Ac mihi omnino videbatur huc omnia eſſe referenda ab iis, qui rebus præſunt, ut & conatus noſtros ſuccollarent, & inſtitutum peramplius proveherent. Campidonâ igitur ad vicina Ordinis noſtri monaſteria digreſſus RR.mos DD. Abbates *Ottoburanum* & *Urſinenſem* impenſiùs interpellabam, ut illi quoque favoris ſui zephyros rebus noſtris afflarent.

Et

Et hi quidem blanda mihi omnia coràm pollicebantur, ſed quæ poſtea comperi non fuiſſe, *niſi*, ut Comicus ait, *pictæ tectoria linguæ.* Inclinante Octobri Urſiniô Auguſtam redux, & humaniſſimo *DD. Veithiorum* exceptus hoſpitio, aliquot ibi dies recenſendo hujus Operis manuſcripto, eíque intexendis, quæ in itinere collegeram, adverſariis inſumebam. Tum verò de opportuno & ſtabili ad hiberna loco mihi ptoviſurus, *Schyrenſe* in Bojoaria monaſterium, unius diei ſtadio Auguſtâ diſſitum, caballo meo vectus adivi, ibíque prælandati *Frobenii* Sant-Emmeramenſis Prioris interventu à Reverendiſſimo Præſule D. PLACIDO FORSTER Muſarum noſtrarum Statore ſingulari, totóque Venerabili ejus loci cœtu peramantet ſuſceptus priſtinis me laboribus literariis totum teddidi.

Schyrenſis ſtatio.

Præcipua verò mihi deinceps cura fuit, non ſolùm Reverendiſſimum Abbatem, locíque incolas propoſito noſtro faventes conciliare, ſed etiam aliorum Sodalium Fautorúmque animos provocare ac pellicere, ut & ipſi in communis induſtriæ partem mecum venirent, & nomina officiáque ſua provehendo Inſtituto adderent. Calamum inde potiſſimùm exercuêre ancillantes Mercurii filiæ, quibus huc illúcque ablegatis nuntiabam Collegis, quæ gleba noſtris faveret frugibus. Quo autem animi ſenſu, quâ humanitate amicabiles ejusdem rei nuncias exceperint Noſtri, libet ex eorum reſcriptis depromere. Digna cumprimis ſunt, quæ hîc liberaliùs admetiar Eminentiſſimi Cardinalis QUIRINI verba. Iſte enim hac in re tam facundè diſertus, quàm ſapienter zeloſus, ita reſcribebat:

Cardin. Quirini reſcriptum.

Do pure la mia piena approvazione al proſpetto della Societá letteraria, e godo grandemente di ſentirlo patrociniato dal degniſſimo Prelato e Prencipe di Campidona, a cui faró ſopra ció nella prima occaſione di ſcrivergli, il dovuto applauſo. Giacche V. P. ſi trova nel monaſterio di Schüren, aſſicuri quel zelantiſſimo Abbate, ch'io conſervo una diſtinta memoria e dell' inſigne ſuo merito, e de' favori fattimi eſſendo Ospite nel ſuo monaſterio... Hæc Eminentiſſimus Purpuratus, cui Eruditi omnes ſapientiæ, doctrinæ, diſcretionis, & inſontis pro Religione boníſque literis zeli Palmas jure meritóque tribuunt.

Celſiſſimi Principis Campidon. favor.

Paulò pòſt quàm has ab Eminentiſſimo PROTECTORE literas exceperam, aliæ Campidonâ ad me perlatæ ſunt novi favoris nuntiæ, ab illuſtri doctiſſimóque Viro D. *Epimacho de Khronegg* illius Eccleſiæ Capitulari & Bibliothecæ Præfecto exaratæ, quibus inter alia ſibi gratulabatur. „Quòd „in Sueviam usque penetrâſſem, ac „indecoro pulvere ſepultam ſacerrimi Ordinis noſtri in re literariâ „gloriam reſuſcitare & inſtaurare totis viribus contenderem.„ Tum verò ſubdebat: *Vix ſatis explicuero, quantâ Clementiâ & oblectatione Celſiſſimus Princeps meus literas perlegerit tuas, qui proinde omnem ſuam principalem gratiam & favorem Tibi iterùm iterúmq; offert. Syſtema inſtituendæ Soc. Lit. Bened. elapsâ jamjam ſeptimanâ lucem publicam vidiſſet, niſi incendium fatale, triſte, noxium, impiâ manu* (ſic ſaltem non abs fundamento creditur) *impoſitum officinam chartariam noſtram die* 18. *Octobris penitùs devaſtâſſet. Damnum ex hoc improviſo caſu Monaſterio noſtro illatum ad* 20. *millia flor. æſtimant hujus artis chartariæ periti. Nihilominus ad finem menſis hujus* (Octobris) *doctiſſimum æquè ac utiliſſimum iſthoc opuſculum prelum ſubibit...* De reliquis,

-- *Maneat noſtros ea cura nepotes.*

Oliverii ad Campidonam invitatio,

His excitatus elogiis illam à Celſiſſimo Principe expetebam gratiam, ut hoſpitii ſtationem ſuo in Archiſterio mihi ad tempus benignè indulgeret, quò & Hiſtoriæ Lit. Benedict. editioni commodiùs incumbere, & ſimul inſtituendæ Societatis negotium lætioribus auſpiciis poſſem provehere. Deſiderium hoc meum ut primùm innotuit, placuit. Ita enim repetitis ad me literis inſinuabat laudatus *L. B. de Khronegg* in hæc verba profuſus: *Tuas exoptatiſſimas*, Vir Clariſſimè! *quas* 8. *Novembris ad me dediſti literas, ritè accepi, ex quibus illud mihi gratiſſimum fuit cognoſcere, Te noſtro in Monaſterio ac contubernio hoſpitium ad tempus deſiderare. Plenus ergo gaudio illas Celſiſſimo Principi noſtro exhibui, cui, ut paucis dicam, acceptiſſima erit præſentia Tua, ſi à R.mo Abbate Tuo Conſenſum* (jubente Sacra Regula cap. 61.) *ſeu literas commendatitias vel transmittas, vel Tecum afferas. Age igitur, gradum unà cum conſenſu Abbatis Tui accelera; expanſis enim brachiis exſpectat TE Campidona noſtra. Syſtema Tuum prelo liberatum proximâ feriâ* 3. *Auguſtam*

ad

ad Martinum Veith tranſmittam. Vale V. C. & me Tibi ſemper meam obſervantiam & cultum omni obſequii genere probaturum eſſe, perſuaſiſſimum habe. Campiduni 25. Novembris 1752... Rursùs aliis 12. Decembr. ſignatis, pari humanitate me invitans, *Celſiſſimo*, inquiebat, *Principi meo ter fauſtus adventus Tuus unicè in votis eſt... Ad me quod ſpectat, dies non dicam horos à 16. Novembris numerare incœpi, uti fraterno affectu TE præſentem ſalutare liceret...* Ergo,

Nil mihi reſcribas: attamen ipſe veni!

Ejúsque ad Friſingenſes,

Rebus ita ex animo fluentibus, priusquàm Bavariâ excederem, Schyrâ Friſingam ad celeberrimum Weichenſtephanenſe Monaſterium diverti, novos illic Commilitones conſcripturus. Effari verbis vix poſſum, quàm proclives in rem noſtram animos, quàm prompta ibi expertus ſim obſequia. Certabant propè mirabili concordiâ eruditi ejusdem loci incolæ in collaudando inſtituto, mutuóque ad id complectendum & provehendum ſtudio. Selectum proin faciendum ratus, tres ex illo ſacro cœtu emeritos Muſarum in caſtris Tribunos, R. P. *Gabrielem Liebheit* Priorem digniſſimum, Ven. P. *Æmilianum Naiſelium* Seniorem (r), & Clar. P. *Bernardum Reitter* Parochum, albo noſtro inſcripſi. His etiam accedebat Eximius P. *Henricus Eumering* Michaëlfeldenſis Profeſſus, eo tempore Lycæi Friſingenſis Præſes & SS. Canonum ac Theologiæ Profeſſor optimè meritus. Inde Schyram redux de itinere Suevico, rigente licèt brumâ, ſuſcipiendo cogitare ardentiùs cœpi; ídque demùm die 24. Januarii an. 1753. aggreſſus ſum in Comitatu R.mi Abbatis PLACIDI Mæcenatis noſtri pereximii, eſſedo Auguſtam vectus, atque ab eo pluribus gratiis & beneficiis in diſceſſu cumulatus. Auguſtâ die 26. digreſſus Campidonam appuli 28. ejusdem ſub meridiem, ubi humaniſſimè exceptus, atque ad gratioſiſſimos Celſiſſimi Principis affatus continuò admiſſus, omnem principalem, quâ hactenus, grato animi ſenſu, perfruor, conſecutus ſum gratiam.

& ad Campidonenſes digreſſio.

Localis Senatûs Academici erectio.

Stationem hanc nactus opportunam, totus deinceps in eo fui, ut hîc commune Muſarum emporium & velut totius Societatis centrum ſtatueretur. Hunc in finem rogatis Sodalium ſententiis primos in Senatu honores RR.mis ac Ill.mis loci incolis deferebam. Et quidem DIRECTORIS ampliſſimum munus, quod hactenus geſſeram, in ſe recipiebat R.mus D.nus *Udalricus L. B. de Hornſtein* Capituli Decanus; in cujus ſublevamen *Pro-Rector* nominabatur Ill. D.nus *Ludovicus L. B. ab Hornſtein.* Cancellarii titulus deferebatur Ill. D.no *Epimacho L. B. de Khronegg* Bibliothecæ Præfecto. Proviſor in futurum Ærario præficiebatur Ill. D.nus *Iñocentius de Riedheim*, Ss. Theologiæ Profeſſor; *Viri omnes doctrinâ & meritis inclyti.* Sed cùm ejusmodi honores & tituli in quodam tantùm ſplendore forenſi conſiſterent, nec fructum adferrent domeſticum, totius propè negotii moles in me devolvebatur. Suo tamen in ſtatu permanebat Senatus jam anteà è ſelectioribus membris conſtitutus. Ac quoniam in Academiis quædam ad popularē uſum, apparatúmque publicum referenda, quædam etiam ſecretiora ſunt, non omnibus, ob eorum abuſum, aliásque rationes, propalanda, hinc ſecretum ſtatuebatur Collegium *Triumviratu* conſtans, cujus arbitrio arcana & ardua quæque negotia expedirentur, juxta illud D. Bernardi monitum: *Omnes diligantur, ſed ad conſilium ſoli eligantur, qui & prudentes eſſe videantur & benevoli.* Atque hoc deinceps ritu ubi demum cúmque fuerit Sodalitii *Præſes*, illic ſtabilietur *Conſeſſus Academicus*, ex præcipuis ejus loci incolis & exteris quibusdam membris formatus: ita enim Plinius XI. de apibus, *ubicunque*, inquit, *Rex conſedit, ibi cunctorum caſtra ſunt.*

Sodalitii Schema in Actis Acad.

Totius verò corporis compages in ſeptem diſtincta eſt Ordines, quorum primus, velut *hierarchicus* Protectorem, Præſidem, Vice-Præſidem, & duos Abbates Conſultores, ac præcipuos Mæcenates oſtentat. Alter continet Abbates conſœderatos & Conſultores perpetuos. In ordine tertio reponitur *Magiſtratus* ſeu *Senatus Academicus* duodecim ſelectioribus membris conſtans, à & è quibus *Director* aliíque Officiales ſeliguntur. Quartus ordo complectitur Socios ex quovis Benedictino per Germaniam Monaſterio aſſumptos. In quinta claſſe comparent Socii è Congregatione Caſinenſi, Valliſoletanâ, Sant-Maurianâ, Lotharingicâ, Belgicâ, Bohemicâ,

câ,

(r) Obiit 26. Junii anno 1753.

Fallor, is ad ſuperos ſcriptis ſtipatus abivit,
Ut caperet meritis præmia digna ſuis.

câ, Polonicâ & Hungaricâ cooptati. Ad claſſem ſextam referuntur membra honoraria cujuslibet religionis & regionis, quibus Muſæ Benedictinæ in amoribus fuerint. In ſeptima perſtringentur *fuci* & *ſegreges*, qui honorandæ Matris ſuæ religionis Benedictinæ negligentiores fuerint, ant inſtitutum ſufflaminare tentaverint: *Æquum enim eſt*, inquit Diodorus Siculus, (s) *ſimúlque vitæ communi conducibile, malos eos, qui poteſtatem gerunt, literarum monumentis vituperari, bonos contrà æternis commendatos laudibus illuſtrari; Nam Majorum æmulatione & memoriâ plerumque poſteritas ad communem beneficentiam incitatur, & cavet, ne eam ingrediatur viam, quâ perditi ſunt, qui præceſſêre.* Si verò ejusmodi larvæ, & inutiles lappæ leniùs tractentur, urticarum inſtar urunt acriùs & mordent, quas ſi ſeveriùs quis contrectaverit, minùs nocebunt.

Teſſera Societatis Hiſce ita conſtitutis, multa deinde cura & deliberatio nos tenuit circa *Teſſeram*, ſive *Sigilli*, *Symboli*, & *Diplomatis* convenientiam. Teſſera enim intentiones Academicorum ſollicitè diſtinguit. Sumitur proinde ab actione, paſſione, principio, conditione, fine, loco, affectu, exercitio & ſimilibus circumſtantiis. Nobis oppidò placuit *Examen Apum* (t), **Examen Apum,** quòd id genus ſymboli & præclarum ſtabiliendæ Societatis è natura præbeat exemplum, & noſtro apprimè congruat inſtituto. Ex omnibus quippe animalibus, uti ſcitè *Virgilius* Georgicorum quarto, *Apes*

quarum indoles ex Virgilio deſcribitur.

Solæ communes natos, conſortia tecta
Urbis habent, magníſque agitant ſub legibus ævum,
Et patriam ſolæ, & certos novêre penates;
Venturæq; hyemis memores æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt.
Namque aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina. Deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ, ſpem gentis, adultos
Educunt fœtus; aliæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti;
Inq; vicem ſpeculantur aquas, & nubila cœli,
Aut onera accipiunt venientûm, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus à præſepibus arcent.
Fervet opus, redoléntque thymo fragrantia mella;...
Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque ſuo. Grandævis oppida curæ,
Et munire favos, & Dædala fingere tecta.
At feſſæ multâ referunt ſe nocte minores,
Crura thymo plenæ: paſcuntur & arbuta paſſim,
Et glaucas ſalices, caſiâmque, crocúmve rubentem,
Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus...
Illum adeò placuiſſe apibus mirabere morem,
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In venerem ſolvunt, aut fœtos nixibus edunt.
Verùm ipſæ è foliis natos & ſuavibus herbis
Ore legunt: ipſæ regem, parvóſque Quirites
Sufficiunt, auláſque, & cerea regna refingunt;
Sæpè etiam duris errando in cotibus alas
Attrivêre, ultróque animam ſub faſce dedêre:
Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.
Ergo ipſas, quamvis anguſti terminus ævi
Excipiat, (neque enim plus ſeptima ducitur æſtas)
At genus immortale manet, multóſque per annos
Stat fortuna domûs, & avi numerantur avorum.
Præterea Regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſervant. Rege incolumi mens omnibus una eſt,
Amiſſo, rupêre fidem; conſtructáque mella
Diripuêre ipſæ, & crates ſolvêre favorum.
Ille operum cuſtos, illum admirantur, & omnes
Circumſtant fremitu denſo, ſtipántque frequentes,
Et ſæpè attollunt humeris, & corpora bello
Objectant, pulchrámque petunt per vulnera mortem.
His quidam ſignis, atque hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Æthereos dixêre. - - -

Apes igitur argumentoſas ut ſociis imitandas inſinuaremus, alvearium in campo viridi ſitum, *quod ingens oleaſter inumbrat*, Sigillo academico inſerere libuit. **Sigillum Academ.** Eſt autem iſta arbor frondoſa, meo quidem animo, typus Benedictinæ per Germaniam Religionis, quæ benè plantata, *ſicut oliva fructifera in domo Dei*, uberes olim fructus protulit, ſed deinùm propriâ ſponte immutata, & frondium luxurie exuberans, neque fructum ſervat operationis, neque ſtatum veteris eruditionis. Hæc circum caſiæ, ſerpylla, & ſpirantis copia thymbræ, quæ apiculas huc illuc volitantes alliciant & retineant. Ad latus cernitur armata Pallas Meduſæ linguam eruens (u). In altera parte ſpectantur artium inſtrumenta, caduceus & Herculis

(s) Diodorus Bibl. libr. III. & Virgil. Georg. 3. v. 454. *Alitur vitium, vivitque tegendo.* Quia ultoriæ diſtrictionis negligentia, dum ſpem facit impunitatis, multam ſæpè nutrit peſtilentiam in Prælatis. *Vid. titul. jur. de ſuppl. negl. Prælator.*

(t) De quo Judic. 14. *Examen apum in ore, & favus mellis.* Confer. Vitruvius lib. 4. cap. 1. Joberti *Science des medailles*. pag. 239.

(u) *Qua de re plura in Commentariis.*

culis clava; quibus indicatur, meliores diſciplinas indecoro pulvere ſepultas, unitis viribus & ſtudiis rursùs excitandas, noſtrúmque inſtitutum ſtrenuè proſequendum; invidiam verò deſidiámque illiteratorum, ac veſanam nigricantium pedantarum ſuperbiam, ubique ſpernendam & conterendam. Hinc addita circularis epigrapha: VETERES REVOCABIT ARTES; quâ Societatis literariæ utilitates, fructus, commoda, labores graphicè deſignantur. Sicut ergò Apes videmus omnibus quidem floſculis inſidere, de ſingulis utilia legere, & quæ collegerunt, in unum ſaporem mixturâ quâdam & proprietate ſpiritûs ſui immutare; ſic eruditionis comparandæ ſtudioſus nihil intactum debet relinquere, ſed profutura quæ ſunt, undique colligere, & quæcunque ex diverſa lectione congeſſit, ſeparare, in tabulas referre, deinde adhibitâ ingenii curâ & facultate in unum ſaporem varia illa libamenta confundere, communíque alveario ita intexere, *ut etiamſi apparuerit, unde ſumptum ſit, aliud tamen eſſe, quàm unde ſumptum eſt, appareat*. Seneca Ep. 84. & Iſocrates apud Solorz. p. 225.

Symboli tabula. Teſſeræ imago, idem licet referat objectum, paulò aliter effigiata conſpicitur in hujuſce Operis fronte æreis formis expreſſa. Ibi Minerva in Muſarum domicilio reſidens, cubito, cui noctua ejus ales incubat, reclinato innixa, haſtámque manu tenens, protenſo lævæ digito duos monſtrat genios, *Ariſtæum* & *Apiarium*, alvear in manibus portantes, atque *Examina apum* favis emiſſarum, & in ramis Olivæ quaſi ludentium, colligere, ac novum iis nidum ſub palladiæ hujus arboris umbrâ (x) ſtatuere geſtientes. Melligini in circuitu præſto ſunt halantes floribus, ſtratique baccis ſylveſtribus agri; Tractus inde leniter aſſurgens, Hymettus, Mons præaltus, oleis, thymis, fruticibus & arbuſculis veſtitus, in cujus cacumine Pegaſus, & genialis Pieridum Charitúmque receſſus, ſeu pulcherrimum apicularum hoſpitium, è quo parmula in medium promicat Inſcripta: QUOD SAPIMUS, CONJUNGAT AMOR. In baſi ſpectantur inſtrumenta artium, Tubus opticus, circinus, menſuræ, ſphæra armillaris, acus magnetica, codices, diplomata, & alia id genus venerandæ antiquitatis monumenta; quibus innuitur ſapientiæ divinæ & humanæ ſtudium inter Socios ſeriò junctis animis eſſe tractandum, omnéſque curas, actiones & operas, *in publica commoda*, pedibus manibúsque dirigendas. Reliqua prætereo, ne acumine lectorem obtundam. Iſtud tamen inculcare, ac fortè etiam olim meminiſſe juvabit, animalia Apibus infeſta præprimis eſſe Lacertos, Meropes, Stelliones, Fucos, Crabrones &c. de quibus *Virgilius* Georg. IV. verſ. 242.

- - - Nam ſæpè favos ignotus adedit
Stellio, & lucifugis congeſta cubilia blattis:
Immuniſque ſedens aliena ad pabula fucus;
Aut aſper crabro imparibus ſe immiſcuit armis;
Aut dirum tineæ genus, aut inviſa Minervæ
In foribus laxos ſuſpendit aranea caſſes.

Literati Fucis, Crabronibus & Apibus ſimiles. Utì verò appoſitè *Morhoſius* (y) advertit, non incommodè omne ſtudiis incumbentium genus cum *Fucis*, *Crabronibus*, & *Apibus* comparaveris. *Fuci* ſunt, *inquit*, homines ignavâ operâ, compilatores vel doloſi, vel inepti, vani ſcientiarum oſtentatores, agyrtæ, aretalogi, aliena ad pabula ſedentes. *Crabrones* dicuntur feroculi illi, qui ut docti videantur, aliis inſultant; cúmque prodeſſe nullâ re poſſint, ſtrepitu tantùm moleſti ſunt & aſperi. *Apes* denique ſunt, qui illud doctrinæ & ſapientiæ mel è variis floribus congerunt, & bonæ famæ fragrantiâ orbem eruditum implent. *Hìc ſe ergò ipſum quis examinet, an inter Fucos & Crabrones; an verò inter Apes Literarias locum ſibi eſſe velit.* Noſtra ſanè Societas non alios Muſarum conſecraneos in conſortium recipiet, quàm qui velut apes argumentoſæ ſolidioribus ſtudiis, ut par eſt, ſedulò incumbere, ſuámque eruditionem editis ſpeciminibus orbi literato probare contendunt. Ceteros autem ſeu *Fucos* ſeu *Crabrones*, ignavúmque pecus à præſepibus arcebit. Ita enim habet Aſſociationis Diploma.

Diploma aſſociationis. „ SOCIETAS LITERARIA GERMANO-BENEDICTINA, quæ potiſſimùm dat operam, *ut meliores Diſciplinas, Artes, & Scientias provehat, atque ab interitu, ubi opus eſt, vindicet, Vindicatas exornet, amplificet & ſuſtentet*, præſtantiores hunc „ in finem viros, ac præſertim de ſolidioribus Studiis & Hiſtoriâ Patriæ „ vel Ordinis benè merendi cupidos, „ albo

(x) *Apes*, Virgilio teſte, *Palladiâ gaudent ſylvâ vivacis olivæ.*
(y) Morhof. Polyhiſt. Tom. 1. l. 1. cap. 15. n. 15.

„ albo ſuo & inſtituto eò libentiori „ animo adſcribit, quò fidentiùs ſperat fore, ut hi in partem communis „ induſtriæ acciti, ingruentes barbariei tenebras lumine ſuo diſſipent, „ Academiam illuſtrent, mutuisque „ officiis ejus tueantur dignitatem, „ augeant ſplendorem, & progreſſum „ perampliùs ſtatuminent. TE igitur „ ſpectatæ virtutis & doctrinæ Virum N. cujus merita, inſignémque „ eruditionem plurimi facit & æſtimat Senatus noſter Academicus, in „ Sodalium ſuorum cœtum adſciſcere, ſuóque Diplomate, *velut Lauri folio, & ſingularis excellentiæ ſigno* „ honorare, atque à communi Literatorum plebe diſtinguere decrevit; „ prout præſentium tenore TE *ſolito ritu initiatum ac receptum*, omnium „ deinceps Honorum, Titulorum, & „ Prærogativarum, quibus almſica „ hæc gaudet Societas, participem „ fore & conſortem declarat. Tu interim mentem, viréſque compone „ ad magnum virtutis opus, caſtósque labores, ſicque impoſiti Academici muneris partes implere, „ ſpartam excolere, decus tueri contende, ut futuræ laudis & gloriæ „ majus conſequaris augmentum. Vive felix! Religionis ſplendori & „ Scientiarum incremento, Nósque, „ qui TE velut Collegam & Membrum totâ, quam docent Muſæ „ omnium humaniſſimæ, & mutuò „ præſtant, humanitate perpetuò „ venerabimur, Tuis honoribus & „ obſequiis devotiſſimos exiſtima; cujus rei pignus Tibi & ſyngrapham „ damus hanc manum noſtram (*Loc.*) „ in conſeſſu Academico, reparatæ „ ſalutis anno - - - die - - - Menſis. - - - „

Inſtituti provehendi ſtudium.

Prævius hiſce apparatibus & parergis, ceu quibusdam ad inſtitutum invitamentis, meo ære genióque paratis, nulli deinceps labori, nullis ſumptibus & impendiis peperci, ut rem eò ptoducerem, quò maximè productam volebam. Et licèt non neſcirem, multos ſtudioſè contradicturos, novásque moleſtias & difficultates adſperſuros, ac etiam exſpectanda mihi eſſe ſiniſtra quorumdam ineptulorum judicia, vel excipiendas fortè calumnias & obtrectationes ab iis, quorum negligentiæ & impietatis arcem oppugnare ſuſtinerem; His tamen rebus minimè deterritus ſum ab eo propoſito, quod Ordini & Patriæ futurum utile exiſtimabam, plúsque apud me valuit inſtituti præſtantia, & hujus propagandi ſtudium, quàm obtrectatorum perverſitas (z); Præſertim cùm non deſutura mihi præviderem ſapientiorum hominum ſuffragia, qui aut conatus ſecundarent, aut æqui conſulerent laborem hunc à me pio rectóque ânimo ſuſceptum. Nec ſpem feſellit eventus; Ptodiêre ſiquidem, tum ex Germania, cùm ex Gallia, aliiſque exteris provinciis, Viri complures eruditi, prudentes, integri, & ab omni aſſentationis ſuſpicione longè poſiti, qui graviſſimis præconiis inſtitutum noſtrum ſunt proſecuti. Si me aliqua tangeret gloriolæ cupiditas, poſſem hîc integras implere paginas ſplendidis ejusmodi teſtimoniis; verùm quando in hoc conatu nec optimorum venamur laudem, nec malevolorum timemus vituperium, unum atq; alterum leniendo livori, aut faſcino depellendo in medium hoc loco adducere ſufficiat.

Gottſchedii de eo ſententum.

Princeps in gloriam venit celebris Philologus *Jo. Chriſtophorus Gottſchedius* Acad. Reg. Berol. & Inſtit. Bononienſis Socius, Lipſienſis Profeſſor publicus, qui à Sacris licet noſtris alienus inſtitutum tam ſpendidè exornavit, ut cornicum oculos confígere poſſit; ita enim in ſuis ad me literis 29. Maji Lipſiâ datis: „ Verbis, *inquit*, „ effari vix poſſum, quanta cum animi lætitia nuper à S. R. *Bruckero* „ Auguſtano, acceperim nuncium „ feliciſſimum de Societate Literaria „ in Ordine Benedictinorum per Germaniam inſtituendâ; Ea enim inclyti hujus Ordinis, cùm in Italia „ & Gallia, tum in hac ipſa Germania noſtra, dudum fuerunt in omnem rem literariam merita, ut ſolus ferè, inter tot familias religioſas, quibus abundat Eccleſia Romana, eminuerit, & adhuc

Exſtet ut in mediis Turris aprica caſis.

„ gaudebam igitur ex animo, quòd „ ad majora graſſari jam audirem Viros Ordinis hujus, inter Heroes eruditos meritò teſerendi; aſylum „ quaſi in ſinu ſuo aperiendo, quo ſe „ reciperent inpoſterùm, quotquot „ Muſarum amœniorum amore capti, „ ſacris ipſarum intereſſe cum aliquo „ fructu cuperent. Tuum igitur ſit, „ *Vir celeberrime!* judicium, quo „ plauſu his diebus à me recepta fuerit humanitatis pleniſſima epiſtola,

(z) Ita nempe, *Sentit amans ſua damna quidem, tamen hæret in illis.*

„la, quâ non ſolùm laudatiſſimi inſtituti ad perfectionem jam penè redactam eſſe fundationem, verùm mihi quoque, inter plures digniores, eam contigiſſe felicitatem ſignificabatur, ut in Societatem novi cœtûs vocarer, honorúmque & ornamentorum à tot illuſtribus Viris Germaniæ parandorum aliquo modo particeps redderer.

„ Permitte quæſo, *Vir illuſtris!* cujus merita dudum Eruditi in pretio habuerunt, ut in finum Tuum effundam, quidquid mihi in hoc negotio pulcrum & expetibile viſum fuerit: quod cùm multiplex variúmque ſit, in capita quædam ut diſpeſcam omnia, neceſſariò requirit. Pulcrum mihi videtur, primo loco, ſub tutela *Eminentiſſimi Cardinalis* QUIRINI fundatam eſſe hanc novam Societatem Literariam. Quis enim hujus Præſulis in omnes ferè bonas Literas infinita penè merita neſcit? Quis ejus in promovendis artibus & ſcientiis, curas, labores, ſumtúsque cum profuſione quaſi expenſos, ignorat? Quemvè Ipſi parem, omnis Eccleſia Romana inter purpuratos Principes ſuos nominare valet? Tanto igitur ſub *Protectore* Literis operam impendere, nonniſi omnium rerum ignaro, durum vel indifferens videri poſſit: mihi profectò expetibile honorificúmque ſemper videbitur.

Quid eo in negotio pulcrum &c.

„ Pulcrum etiam in illuſtri Societate hac mihi viſum eſt, eandem *Præſidem Parentémque* quaſi ſuum inveniſſe in Celſiſſimo & Reverendiſſimo Principe ENGELBERTO Abbate Campidunenſi. Quanta inſit Præſuli huic Literarum vis, quovè ardeat pectus Ejus generoſum in Scientias affectu, vel ipſum hoc inſtitutum Literarium tamquam monimentum nunquam interiturum ſeræ loquetur poſteritati.

„ Placuit inſuper pulcrúmque mihi maximè viſum eſt, non niſi Benedictinæ Familiæ Socios Germanos in laboris honoríſque communionem eſſe adſumendos. Ea enim eſt exterorum erga Nationem noſtram, invidia dicam, an ſuperbia? ut vix ſenſum communem eidem, Eruditionis laudem raro admodum concedant; ſibíque primas ſemper tribuant in Societatibus, ad quas admiſſi tamen parum aut nihil conferunt, uti vel ex Berolinenſi Academia renovata ſatis hactenus apparuit. His oppreſſionibus abundè cautum eſt ſapientiſſimo ſanè conſilio, in nova hac AA. LL. Societate Germanica.

De exteris non aſciſcendis in Senatum.

„ Adderem porrò his, quæ mihi in eâdem mirificè arriſerunt, quartum etiam; quòd ſcilicet, Te potiſſimum, *Vir celeberrime!* Societatis hujus *Promotorem, Secretarium & Statorem iu acie primum* nactus fuerit Cœtus Veſter, cujus quippe merita in rem lirerariam dudùm apud omnes innotuerunt. Verùm modeſtia Tua, reliquis Virtutibus Tuis non inferior impedit, quominus diutiùs huic capiti inhæream.

„ Accipe igitur, *Legiponti optime, Literarúmque elegantiorum inter Tuos antiſtes venerande!* Accipe, inquam, Senatuíque Veſtro nomine meo perſolve grates, quas dicere poſſum maximas, quòd me quoque, à Sacris licet veſtris, non tamen à Muſis Literíſque Veſtris alienum inter *Socios honorarios* recipere dignati non fueritis. Conabor, quantum virium mearum imbecillitas ſinet, quoad vivam, & gloriam Ordinis Societatíſque hujus, & decus Literarum, quod curæ cordíque habetis, promovere pro virili portione. Curabo, ut per diaria noſtra erudita innoteſcat Orbi Erudito nova hæc Benedictinorum per Germaniam Societas. Operam dabo ipſe quoque, ut inſtituti ejus ratio uberiùs, per ſcriptum menſtruum (*das neueſte aus der anmuthigen Gelehrſamkeit*) inclareſcat. Tandem ſymbolas meas quoque ad Veſtrorum Sociorum labores conferre ſubinde non morabor. Ita res veſtras feliciter gerite, mihíque ut facitis porrò favete! Dabam Lipſiæ die XXIX. Maji 1753.

Gottſchedii propenſus in res noſtras animus.

Atque hoc quidem egregium inſtituti noſtri præconium ſine fuco expreſſit *Gottſchedius* Vir arte & eloquentiâ candidus; nec minore animi nitore ſuum de eodem propoſito ſenſum explicabat celeberrimus Scriptor *Jacobus Bruckerus* Auguſtanus Academiæ regiæ Berolinenſis, itémque Bononienſis, & Societatum Liter. Göttingenſis, Lipſienſis, Jenensíſque Sodalis, qui humaniſſimo pariter atque gravi epiſtolio ad me exarato, inter alia hæc pollicebat: *Uti ex hac conſæderatione literaria plurimum utiitatis redundaturum eſſe in diſciplinas omnes, maximè verò in hiſtoriam ſa-*

Bruckeri de eodem inſtituto judicium.

crum

Digitized by Google

cram & patriam, certus ſpero; ita nihil in me deſiderari patiar, quo intellexero, adeo nobile inſtitutum conatibus meis poſſe adjuvari, meque venerabili iſtius Societatis corpori talem poſſe probare, qualem & ego me cupiam, & Senatus veſter pro re natâ juſſerit... Nec porrò palpum nobis obtruſit vir recti boníque cupidus, ſed reipsâ, quod promiſit, officioſè præſtitit; argumento ſanè potenti illos perſtringere, qui ſanctioris licet inſtituti profeſſione nobiſcum juncti ſint, privatim tamen degeneres, plus (*quod præfiſcinè dixerim*) obeſſe, quàm prodeſſe ſtudent. Eò autem pluris faciendum ſummi utriusque Viri judicium exiſtimo, quò ab omni aſſentationis ſuſpicione eſt remotius, *decétque de artibus ſolos judicare artifices, ac illud iis ſtatuere pretium, quod imperiti altioribus brutis rebus denegare ſolent.*

Recenſio Syſtematis facta ab Eruditis Lipſienſib.

Quàm acceptum præterea eſſet in vulgus hoc inſtitutum, intelligere ſatis licuit ex ipſius Syſtematis recenſionibus & notitiis, quas publico dedêre Göttingenſes, Jenenſes, Lipſienſes, Ratisbonenſes, aliíq; Eruditi Ephemeridum literariarum conditores. Libet eam hîc adtexere, quæ nobis Lipſiâ venit 27. Auguſti ſub titulo: *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen* num. LXIX. art. *Kempten* pag. 618. ubi repreſentato Syſtematis noſtri propylæo, ita pergunt Eruditiſſimi Cenſores: *Die Abſicht eine gelehrte Geſellſchafft unter den Teutſchen Benedictinern aufzurichten, iſt ſo lobenswürdig, daß wir weiter dabey nichts thun, als ſie nur bekannt machen dürffen. Franckreich hat ſchon ſo Nachahmungswürdige Mufter davon vorgeſtellet, daß man bloß in ihre Fußſtapffen tretten darff, um die Hochachtung und den Beyfall aller Gelehrten zu erhalten. Der Benedictiner-Orden iſt von je her ein gelehrter Orden geweſen, und es würde eine Schande ſeyn, wenn er dieſen Ruhm in Teutſchland verdunckeln lieſſe. Man will alſo hier mit vereinigten Kräfften zuſommen tretten, um dieſen Ruhm zu erhalten, und noch mehr zu erweitern. Gegenwärtige Schrifft erkläret uns die Einrichtung und das Vorhaben, nebſt der gantzen Verfaſſung der Vorhabenden Geſellſchafft, und den Pflichten aller ihrer beſondern Mitglieder, in ſieben Hauptſtücken. Das erſte redet von der Geſellſchafft überhaupt, ihrem Endzwecke, und ihren Vortheilen. Es ſollen nemlich die Mitglieder ſich dahin beſtreben, daß ſie die rühmlichen Verrichtungen ihrer Vorfahren, ihre Wercke und Schrifften erzehlen, um die Wiſſenſchafften wohlverdienter zu verewigen, nutzbare Bücher, inſonderheit hiſtoriſche, herausgeben, alte Denckmale bekannt machen, und erläutern, und auch ihre Gedancken, Anmerckungen und Beobachtungen, die von beſonderer Art, einiger Wichtigkeit und Nutzen ſeyn können, der Welt vorlegen, und einander bey ihren Arbeiten durch ihre Einſicht, Beleſenheit und erlernte Wiſſenſchafften hülffreiche Hand biethen. Das 2te beſchreibt uns den* academiſchen *Rath dieſer Geſellſchafft, und deſſen Mitglieder, deren man zwölffe erwehlen will, deren Amt und Gewalt. Das 3te redet von dem* Protectore, *dem* Præſidenten, *dem* Directore *und anderen Beamten der Geſellſchafft, welches ein* Proviſor, *ein* Secretaire *und ein* Actuarius *oder* Hiſtoriographus *ſeyn ſollen. Das 4te handelt von den Mitgliedern, zu denen man Männer aus allen Arten von Wiſſenſchafften, hauptſächlich aber Teutſche Benedictiner, nehmen will: doch ſollen auch aus einer jeden auswärtigen* Congregation *zween, und aus allen anderen Ständen, Orden und Religionen, noch Ehren-Mitglieder angenommen werden. Die Anzahl von allen dieſen ſoll unbeſtimmt ſeyn. Es wird auch die Art ihrer Aufnahme dabey angezeiget; ſo wie in dem 5ten Capitel die Verbindlichkeit und Pflichten der Geſellſchafft angegeben werden, die vornemlich darinnen beſtehen, daß ein jeder nach ſeiner Aufnahme eine Lateiniſche Abhandlung innerhalb Jahres-Friſt ausarbeiten, und zum Drucke überreichen ſoll. Die in Teutſchland hin und wieder zerſtreuten Mitglieder ſollen dem* Director *alle Monath einige gelehrte Neuigkeiten melden. Der Rath, oder die zwölff regierende Mitglieder aber ſollen öffters einige Materien zum Drucke ausarbeiten. Was dieſes für Materien ſeyn ſollen, und was für Wercke man vornehmlich herauszugeben bemühet ſeyn will, ſolches wird in dem 6.ten Capitel angezeiget, und wir melden daraus, daß man vornehmlich die Gelehrten-Hiſtorie der Benedictiner zum Augenmercke habe. Dabey aber will man doch auch ſeine Abſicht auf die Beförderung anderer groſſen Wercke richten, dergleichen z. E. ſind: 1.)* Collecta Conciliorum, per Germaniam celebratorum; 2.) Bibliotheca hiſtorica Germaniæ; 3.) Apparatus Scriptorum rerum Germanicarum; 4.

pu-

plomatum collectio amplior ex omnibus Germaniæ tabulariis; 5.) Theſaurus antiquitatum Germaniæ; 6.) Hiſtoria Germaniæ pragmatica; 7.) Germania ſacra, *nach Art des Chriſtlichen Galliens*; 8.) Monaſticon Teutonicum, *ſo wie die Cloſter - Geſchichte, ſo man von Engelland hat*; 9.) Opus diplomaticum Germano-Benedictinum; 10.) Bullarium Benedictinum, ſolas ſummorum Pontificum Bullas complectens; 11.) Apoſtolatus Benedictinorum per Germaniam, *u. a. dergl. Man würde ihnen in der That viele Verbindlichkeit haben, wenn einige von den erſten durch ihren Fleiß zu Stande kämen. Dabey wollen ſie auch auf die Ausgabe der geſammten Wercke einiger berühmten Männer, als* Bonifacii, Alcuini, Rabani Mauri, *Johann von Trittheim, u. a. bedacht ſeyn, welches ihnen eben ſo viel Ruhm bringen würde. Hier nächſt gedencken ſie alle Vierteljahre einen Theil von ihren kleinen Schrifften und Abhandlungen unter dem Titel:* Muſeum Germano-Benedictinum, *oder* Collationes Patrum ſocietatis literariæ Germano-Benedictinæ, *ans Liecht zuſtellen, in welchen ſie auch die kurtzen Lebens-Beſchreibungen ihrer verſtorbenen Mitglieder mittheilen wollen. Das 7.te und lezte Capitel handelt von den academiſchen Zuſammenkünfften, und andern die Geſellſchafft betreffenden Sachen. Wir wünſchen, daß dieſes Vorhaben völlig zu Stande kommen, und großmüthige Prælaten finden möge, die es auf alle Art und Weiſe unterſtützen; ja daß es der Geſellſchafft auch nicht an Mitgliedern mangle, welche ihren Fleiß auf eine gemeinnützige Art vereinigen, die an Einſicht und Gelehrſamkeit, an Eyfer und Liebe zur Aufnahme der Wiſſenſchafften, die Franzöſiſchen Benedictiner wo nicht übertreffen, doch ihnen gleich kommen.*

Gallorum eâdem de re ſenſus.

Germanis placet addere Gallos, unde validiùs conſtet de Inſtituti præſtantiâ & utilitate utriusque nationis Eruditos concorditer judicare. Ita verò quidam è Congregatione ſancti Mauri Vir ſcriptis oppidò celebris (a), per me in communis induſtriæ conſortium provocatus, de hoc ſibi plaudens reſcribebat: „ Le plus heureux evenement du monde n'auroit pas en la force de me cauſer des transports auſſi charmans, que la nouvelle, dont il vous a plû de m'informer par vos lêttres en date du 22. Juillet, touchant le projêt d'une Academie des Benedictins d'Allemagne. Ma plume eſt trop foible pour faire voir toute la grandeur de ma ſatisfaction, & de l'attention, que merite un ſi beau projêt. Une entrepriſe auſſi glorieuſe; qu'eſt celle de faire revivre les ſciences & les bonnes lêttres dans les monaſteres de nôtre Ordre, ne ſçauroit manquer d'etre recompenſée par un applaudiſſement univerſel, d'autant plus, que l'avantage, qu'il en revient à toute la republique des lêttres, doit être infiniment eſtimable. L'experience nous donne tous les jours des preuves de cette verité, qu'Ovide nous annonce:

Non omnia grandior ætas,
Quæ facimus, - - habuit. . .

Quelles lumieres ne repandroit pas une Academie de la ſorte ſur l'hiſtoire d'Allemagne, ſur la diplomatique, ſur les conciles, ſur l'antiquité, ſur les beaux arts, & même ſur l'etat des Egliſes des Monaſteres, des Maiſons illuſtres? Quels ſervices ne rendroit-elle pas à la Religion, à l'Ordre, à la Patrie, & même aux étrangers? La nobleſſe de l'ame, l'art de bien penſer, & de raiſonner ſolidement, ne ſont-ce pas des prérogatives de l'étude & les trophées de ceux, qui ont le bonheur, d'être rangés ſous les étendars de Minerve? Je ſuis donc au comble de la joie d'entrer au ſein d'une compagnie, qui ſera gloire de tous ces avantages, & qui travaillera à cultiver le champ des ſciences, & des études plus ſolides, pour les faire renaître & ſortir de l'obſcurité des ſiecles paſſés. Heureux! ſi mon empreſſement à me rendre digne de ſon approbation, pourroit repondre à l'attente de tous les membres, qui la compoſent. Du moins ferai-je mon poſſible dans l'eloignement, où je ſuis, de cooperer au luſtre d'une ſi noble Academie, & de lui communiquer ce que je trouverai dans nos contrées d'ouvrages, qui auront du raport avec le but, qu'elle ſe propoſe. C'eſt à Vous, *Mon Reverend Pere!* que j'ay en même tems une obligation toute particuliere de m'avoir envoïé le Syſteme de cette noble entrepriſe, & de l'expedition des lêttres patentes d'aſſocié qui y étoient jointes. Je vous prie d'aſ-

(a) Cujus nomen, quod ipſe occulere voluit, prodere ad nos nihil attinet, qui, *non quis, ſed quid dicatur*, attendimus.

d' aſſurer vôtre illuſtre Senat de ma veneration, & d'être perſuadé, que je ſerai toûjours avec une conſideration diſtinguée, & avec tout le reſpêt dû à vos merites. „ Vôtre &c. Alia quàm plurima tum extera, cùm domeſtica in rem noſtram afferre poſſem præconiorum momenta gravia planè & luculenta; aſt ne plauſus appetentior videar, præſtat arbitrium iis relinquere, qui æqui boniſque judicis partibus ornantur.

Roſchmanni de inſtituto judicium. Unum tamen prætermittere non poſſum *Clariſſ. Viri Domini* ANTONII ROSCHMANNI *J. U. Lic. S. C. ac R. M. Bibliothecæ publ. quæ Oeniponti eſt, Præfecti, Pro-Archivarii aulici, & Illuſtriſſimorum Tyrol. Provinciæ Ordinum Hiſtoriographi* teſtimonium ſincerâ quadam ſimplicitate, non arte ullâ, aut fuco, ſed è re natâ expreſſum, datis ad me literis VIII. kal. Maji in hæc verba: „ Explicando impar ſum, *Vir* „ *celeberrime*! quibus animi affecti„ bus & epiſtolam Tuam omni hu„ manitate ornatam, & Syſtema So„ cietatis Literariæ Germ. Bened. ſin„ gulari eruditione, mente heroâ, & „ conſiliis exquiſitiſſimis refertum u„ nacum Diplomate meæ in hujus So„ dalitii membrum receptionis ante „ ſeptimanas ferè tres acceperim. Sed „ quemadmodum Syſtema, opus Tu„ um, ſummâ animi voluptate, eo„ præcipuè ex capite, perlegi, quòd „ tandem repertus ſit, qui celeberri„ mo & antiquiſſimo Ordini veſtro in „ Germania, ac tot nobiliſſimis in eo „ lectiſſimiſque ingeniis facem accen„ deret, tritámque olim tantâ cum „ gloriâ viam iterùm monſtraret, quâ „ ad continuandam æterni Nominis „ famam etiam inpoſterùm contende„ re nitantur; ita attonitus hæſi, dum „ *Membri honorarii* dignitate me in„ clytæ hujus Societatis Senatus con„ decorare voluit. Tantum enim mi„ hi non blandior, ut hoc ornamento „ dignum me ulla ratione cenſeam; „ quæ enim edidi opuſcula, tùm a„ mori in patriam litando, tum ho„ nori meo qualicunque tuendo edi„ di, ſi quid tamen in communis in„ duſtriæ partem conferre poſſim, id „ perlubenter præſtabo, gratéſque „ interea quas debeo & poſſum re„ pendo maximas, opere acturus ma„ jores, ſi occaſio & vites ferant. Juſ„ ſa exſpecto veſtra, eúmque in finem „ opuſcula mea Vobis ſubmitto, ut „ quibus fortè par laboribus ſim, eo „ luculentiùs poſſitis colligere. Per „ TE autem, *Vir ſumme*! præſtantio„ res hujus Academiæ noſtræ Socios „ impensè rogatos velim, ut circa „ controverſiam, quæ mihi cum *Tar„ tarotto* de Epiſcopatu Sabionenſi *S.* „ *Caſſiani Martyris*, interceſſit, men„ tem ſuam aperire haud dedignen„ tor, atque me, quem nullis ex meritis „ Socium ſuum eſſe voluêre, ne hoc „ nomine non omninò indignus ſim, „ ſaltem inſtruant, in quo benè vel ma„ lè egerim, ut inpoſterùm ea omnia „ emendare poſſim, quæ perperam di„ cta, ac plus minúſve peccata ſunt.„ En illuſtre omninò veri Academici exemplum, quod pudorem incutere poſſit moroſis illis & inhumanis petronibus Poylphemíque fratellis, qui perhonorificè invitati, ac noſtris etiam donati libellis, ne reſpondere quidem dignantur.

Ejusdem in noſtrum Syſtema exegeſis. At verò non verbis tantùm, ſed etiam opere oſtendit, quàm præclarè de rebus noſtris ſentiret Vir eximius, dum valdè bellam atque gravem Syſtematis noſtri exegeſim ingenioſâ ad ſymboli & inſtituti rationes alluſione contexuit; quam velut purpuram huic panno noſtro ſolidam intexere volupe quidem foret; ſed quia prolixior eſt, ne quid tædii lectoribus afferam, illius ſinopſin reddere ſufficiat. „ Igitur, *inquit*, poſtquam Syſtema novæ hujus Academiæ non ſemel relegiſſem, plenúmque omnigenæ doctrinæ, optimæ mentis, ac bonæ frugis comperiſſem, nihil æquius eſſe credidi, quàm prompta Societati huic laudatiſſimæ, ac Germaniæ tam ſacræ quàm profanæ utiliſſimæ mea deferre obſequia, penſi loco exegeticum quoddam elaborare Synthema alludendo tùm ad Inſtituti illius rationes, cùm ad *Examen apum* in teſſeram omine optimo acceptum, & Syſtemati ex æquo reſpondens; nam ut à prologo ordiar, juſtiſſimis utique laudibus proſequitur Author ſacerrimum, antiquiſſimum ac præclarè omnino de utrâque Republicâ meritum Ordinem ſuum. Digniſſima hæc elogia cùm augere nequeam, hoc unum tamen mihi tamquam Tyrolenſium Hiſtorico ſilere nefas eſſet, *quòd quidquid Patriæ noſtræ Monumentorum ex difficillimis ſupereſt temporibus, id omne ſoli propemodum huic ſacro cœtui debeatur.* Benedictinorum in Tyrolenſes merita. Si enim Gothorum reſpicimus tempora, & quæ in his per Tyrolim acta, ea nos docet Magnus *Aurelius Caſſiodorus*, natalium ſplendore, geſtis præcipuis in aula *Theodorici* Gothorum

Re-

Regis muneribus, ſi quis alins, eminens, & demùm ſeipſo major, dum totum ſe projecit ad Divi *Benedicti* pedes, ſacram ejus regulam profeſſus. Atque hic ſeculo jam ſexto inclaruit; ſeptimo vidimus Ven. *Secundum* Tridentinum, pacis inter Langobardos, Romanóſque nuncium, *Agilulfi* Langobardorum Regis patrinum, & quod caput eſt, Divo *Gregorio* M. adeò familiarem, ut ſe ejus precibus commendaret, quod ex Pontificis hujus Sanctiſſimi epiſtolis liquet. Hic nos, licet breviſſimè, de Langobardorum temporibus inſtruit. Fuſior eſt Seculo VIII. *Paulus Diaconus*, qui *Deſiderii* Regis anteà Cancellarius, ſed poſteà ſeculi pertæſus in Princeps Ordiois Benedictini aſceterium Caſſinenſe ſe contulit. Ab hoc certè quidquid per duo ſecula (*quod ſanè non modicum*) in Tyroli noſtra per Langobardos actum eſt, grato animo nos accepiſſe profitemur. Illuſtris quoque eodem tempore *Aribo*, Friſingenſis, ob geſtum ibi Epiſcopatum, dictus, qui teſtis ferè ſuppar quidquid in rebus ſacris per medium geſtum fuit ſeculum, ſedulò conſcripſit, iterùm ex ſacro BENEDICTI Ordine. Duces quoque noſtros Bavarios aliquot exactè chartæ Salisburgenſes primigeniæ exhibent, iterùm à Divi hujus Patriarchæ diſcipulis confectæ; omnes autem & quidem curatiſſimè ab *Arnolfo* Comite Vochburgenſi Benedictino ad S. Emmerãmum Monacho allati ſunt: Ut adeò omnia ferè ac ſingula per quatuor omninò ſecula in Tyroli noſtra geſta huic ſacro Ordini in acceptis referenda veniant.

Viri de univerſa Republ. lit. benè meriti ex Ord. S. B.

„ Taceo jam de Italia, Germania, Francia ac univerſa Republica literaria ſummoperè meritos & omni laude majores ſuperioris noſtríque ævi Viros, *Acherium, Mabillonium, Montefalconium, Martenium, Durandum, Ruinartium, Calmetum, Bucelinum, Beßelium, Pezios*, & complures alios, tum ex Germania, cùm è gallicana Congregatione S. Mauri celeberrimos Viros, qui nos per ſeculum jamjam integrum nitidiſſimis emendatiſſimíſque SS. PP. editionibus, immenſo Eccleſiæ bono beârunt, beabúntque inpoſterum.

Apibus comparantur.

„ Certè non de ſuis tantùm rebus, ſed de ſacris profaníſque omnibus ſolliciti, ac in omnem ætatem intenti religioſi hi Viri, *Apes* verè dici poſſunt *aureæ*, quæ inſtar illarum, de quibus *Pauſanias* in Atticis, *non in unius alvearis angulo, ſed paſſim in omni regionis parte mellificant.* Quæ enim regio, quæ ætas illorum non plena laboris? Longum foret vel illuſtriores diverſarum gentium Doctores & Apoſtolos hîc enumerare, ac etiam ſuperfluum: *Quis enim neſcit*, inquit Browerus S. J. Scriptor non inglorius (b), *Benedictinæ Familiæ laudem hanc eſſe propriam, ut ambiat meritis & rectè factorum gloriâ, quàm latè patet, orbem Chriſtianum? Etenim ut palmas taceam & adoreas in reliquo occidente partas, certè innumeras abſtulit ex hac Germania noſtra magna, cujus inferæ, ſuperæ regionibus tot retrò ſeculis, hæc unica ferè dedit ſcientiæ, veræque pietatis Doctores, Duces, Magiſtros.* Sed & ſpeciale id habet religio Benedictina, in quo præ ceteris gloriari poſſit & verè debeat, citra alterius injuriam, quòd in omni ætate ſuos aluerit Marones, Homerus, Cicerones, Auguſtinos & Hieronymos: *Habuit*, teſte Wionio (c), *& ſuas Bibliothecas loquentes, atque, ut ita dicam,* Apes aureas. *Habuit in Sacroſanctæ Triadis enodandis ſuos* AUGUSTINOS *&* HIERONYMOS; *ita ut verè de illa dici poſſit: in ea illam diſciplinarum penè omnium fuiſſe intelligentiam, quam olim in Catone Cicero ipſe agnoſcebat.*

Societatum literariarum fructus.

„ A prologo ad ipſum progredimur opuſculum. Capite primo meritis extollit laudibus Sodalitiorum literariorum omnis ætatis & memoriæ cœtus varios, quorum membra *ad innumeros Mortalium uſus* lectiſſimis rempublicam ornant laboribus. Qui enim literarum provehendarum gratiâ in tales coëunt Societates, *Omnia ſubtili ingenii alâ pervolant, ex operibus optima ſeligunt, prudenter digerunt, utiliter pandunt, ac veluti apes ceras ex omnium arborum pratorúmque floribus confingunt.* (d) Et ſanè ni anteceſſores noſtri conjunctis animis ac ſtudiis tam ſtrenuè laborâſſent, pauculæ nobis memoriæ ſupereſſent reliquæ, præſertim de montibus noſtris Rhæticis, qui Viris his velut in pabulum doctrinæ conceſſi videntur, haud aliter, quàm olim *Helicon* & *Olympus* apibus atticis: *Nam ut Muſis* (verba Varonis (e) ſunt) *Helico-*

na

(b) Browerus in Antiquit. Fuldenſ.
(c) Wion Lib. 2. Ligni Vitæ cap. 61.
(d) Plinius de Apibus XI. 8. & XXI. 4.
(e) Varo de re ruſtica III. 6.

na atque Olympum attribuerunt homines, ſic his (Apibus) *floridos & incultos natura attribuit montes.* Quæcunque igitur ex ſterili temporum illorum proventu meſſis eſt reliqua, longè utique ſuavior ſit oportet, *ac dulcior illo*

Melle, quod in ceris attica ponit apis. (f)

Excurſio in laudes Benedicti XIV.

„ Summas deinde laudes meritò tribuit BENEDICTO XIV. Pont. Max. quòd ad univerſalis Eccleſiæ utilitatem immenſam tres hujusmodi Academias nuper erexerit, atque ſub auſpiciis eruditorum hominum poſteritati in exemplum conſecrârit. Hæc nimirùm Apis una illarum ſuit, quæ infauſto Ethnicis, feliciſſimo autem Chriſticolis omine ingenti orbis catholici plauſu, *faſtigio Capitolii inſedit* (g). Si enim Poëtarum Principi Virgilio credimus *eſſe apibus partem divinæ mentis*; cui quæſo! alteri tribuamus niſi *Apiculæ Lambertinæ*, divino Spiritu, *vi impoſiti muneris*, afflatæ; quæ ne à ventis, aut inimicis quidquam patiatur procellis, *Petram* ſeu *lapillum* complectitur, & ſecura omnem tempeſtatem evadit, non aliter ac apes, *quæ gerulæ ſecundos flatus captant, ſi cooriatur procella, apprehenſi ponduſculo lapilli ſe librant*; utì perbibent Plinius & Virgilius *Georg.* IV. *verſ.* 194.

Ordinis S. Benedicti encomium.

„ Perſunctus hac laude Syſtematis author, à ſummo religionis Chriſtianæ Moderatore ad ſanctiſſimum religionis ſuæ Protoparentem BENEDICTUM divertit, hujúsque Viri Maximi inſtitutum meritiſſimis ex eo celebrat encomiis, quòd dum plures Dei famulos in unius clauſtri ambitu collegit, aliud nibil ſpectâſſe videatur, quàm ut vinculo charitatis uniti, *Doctrinâ & Virtute* mutuò ſeſe paſcerent, & ſuſtentarent, *ut quod quisque non poteſt per ſeipſum, poſſit per alium.*

comunis labor.

„ A Patre ad filios procedit, inter quos per omnia hucusque ſecula reperti fuêre, & reperiuntur adhuc, *quibus* inſtar apum *labor omnibus unus, nec ullus*, cùm per cœlum licet, *otio perit dies*; ſed quoties cum variis variorum ingeniorum partibus conveniunt, doctè inter ſeſe conferunt, & amicè litigantium ritu, *veluti in pratis, ubi apes æſtate ſerenâ floribus inſidunt variis, & candida circum lilia funduntur, ſtrepit omnis murmure campus.* (h)

& inde reſultans comodũ.

„ Itaque & apibus iſtis religioſis labores omnes jucundi & grati ſudores, quos doctis lucubrationibus, conventibus ac concertationibus impendunt. Ubi enim plures idem legunt, ſuccum colligunt, & partes omnes æquâ lance trutinant; fit tandem ut felici quâdam æmulatione & nixu varii partus, ſecundùm varia rerum merita, emittantur in publicum: *Nam ſi duo ſint examina*, inquit Columella de apibus, *duo quoque genera favorum inveniuntur; cùm etiam in concordia ſuum quæque plebs morem figurandi ceras fingendíque obſervat.*

Fervor in ſtudiis.

„ Adhæc fervere vult inter Socios literarium commercium, mutua officia, conſilia, operas, & ſtudia. Quod ut faciliùs obtineatur, diſertè monet, ut ſicuti apes *venturæ hyemis memores, æſtate laborem experiuntur, & in medium quæſita reponunt*; ita etiam Socii ſedulò ſymbolas opésque literarias hinc inde congerant, adverſaria undique congeſta in comunem uſum referant, allata pro utriusque reipublicæ bono junctis ſtudiis diſcutiant, operísque haud ſegniter adhibitis perpoliant inventa, ac novâ quaſi luce perfundant.

Non aliter (ſi parva licet componere magnis)
Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque ſuo; Grandævis oppida curæ,
Et munire favos, & Dædala fingere tecta. (i)

Cura junioribus impendenda.

„ Curam quoque præcipuam junioribus, de quibus ſpes major concipitur, monet impendendam: Licet enim virtus à natura quosdam impetus ſumat, tamen perficienda eſt doctrinâ: *Neque cuiquam*, inquit Plinius (k), *tam clarum ingenium eſt, ut poſſit emergere, niſi illi materia, occaſio, fautor etiam, commentatórque contingat.* Sic & de apibus Columella, *ſemper quidem*, infit, *cuſtos ſedulè circumire debet alvearia: neque enim ullum tempus eſt, quo non curam deſiderent, ſed eam poſtulant diligentiorem*, utì notat Plinius, *cùm exundant novis fœtibus*; Tunc enim potiſſimùm, ubi *incerta volat, luditque favis emiſſa juventus*, convenit *inſtabiles animos ludo probibere inani.* Quæ res ſanè præcipui videtur eſſe quæſtùs & compendii; quia, ut Virgilius ait;

Hæc

(f) Ovid. V. Triſt. 4. 30.
(g) Tacitus Annal. xi. 64. 1.
(h) Virgil. Æneid. VI. Verſ. 707.
(i) Virgil. Georg. IV. Verſ. 176.
(k) Plinius Libr. VI. ep. 23.

Hæc potior ſoboles quâdam dulcedine læta
Progeniem nidóſque fovet. . .

Superiorum fides.

„ Religioſo denique ritu, ut caſtè ſanctéque tractentur omnia, Superiorum præcipuè auſpiciis, fide, curâ, exemplo peragendum comendat negotium. Nam ab illis potiſſimùm dependet totius rei felicitas; *Gens enim apiaria maximam fidem deſiderat, quæ quoniam rariſſima eſt, interventu Domini tutiùs cuſtoditur. Neque ea curatorem fraudulentum tantùm, ſed etiam immundæ ſegnitiei peroſa eſt. Æquè enim dedignantur apes, ſi minùs purè habitæ ſint, ac ſi tractentur fraudulenter*, utì Columella notat. Exemplo igitur ſuo *ducent examina Reges*, nihílque patientur deſiderari in ſeipſis, quod meritò culpari poſſit in ſubditis: Quippe, Virgilio teſte (1),

. . . Rege incolumi mens omnibus una eſt;
Amiſſo, rupêre fidem, conſtructáque mella
Diripuêre ipſa, & crates ſolvêre favorum.

De Senatu Academ.

„ Pergimus jam ad alterum Syſtematis caput, in quo ſtatim, ut res ordine procedat ſuo, ante omnia *Senatum Academicum* è præcipuis membris conſtituendum ediſſerit Author: Nam ſicut Reſpublicæ civiles & ſacræ ſine Magiſtratibus, Ducibus, Senatoribus ſeu Conſiliariis ſubſiſtere nequeunt, ita Sodalitates Literariæ ſine ſelectis quibuſdam Viris, qui concordibus ſtudiis omnia dirigant, temperent, & moderentur, ſtare diu non poſſunt. Solemne id etiam apibus: Ipſæ enim *Regem ſufficiunt parvóſque Quirites*; &, ut Plinius ait, *Rempublicam habent, conſilia privatim, Ducéſque gregatim*, & quod maximè mirum ſit, *mores habent & ſtudia, & populos & prælia*; Cúmque ordinatius nihil ſit diſciplinâ militari, multa ejuſmodi Virgilius adſcribit apibus: *Signo enim dato repente omnes conticeſcunt; indicto autem labore, fit interdiu ſtatio ad portam more caſtrorum:*

Sin autem ad pugnam exierint; (nam ſæpè duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu)
Continuò animos vulgi, & trepidantia bello
Corda licet longè præſciſcere. (m)

De ſelectu membrorum,

„ Providè dein monet, in receptione membrorum habendum eſſe delectum, & digniora tantùm aſſumenda, ſeù *quos doctrinæ ſanctæque juvat reverentia famæ*: Quò enim doctiores ſunt Socii, eò illuſtrior effulget academia, *Hinc*, ut Columella ait, *non ſunt degeneres intermiſcendæ apes, quæ infament generoſas.* Ex his verò ſelectioribus membris Collegium quoddam ſecretum, ſeu *Triumviratum* vult conſtitui, ad judicium in rebus arduis, aut de aliorum operibus & controverſiis, ſemoto partium ſtudio & offenſæ periculo, ferendum: *Sic probatis apibus deſtinari debere pabulationes, eáſque ſecretiſſimas*, ſcitè ediſſerit ſæpè laudatus Columella l. IX. 4.

& ſparta cuique aſſignanda.

„ Salubri quoque conſilio ſtatuit, ut tum Senatoribus, tum aliis, cuique ſua obveniat ſparta, ut partito inter multos onere, *minor ſit labor, diligentia & æmulatio major.* Sic etiam apud apes ſunt intus officia quæque diviſa: *Aliæ ſtruunt*, inquit Plinius, *aliæ poliunt, aliæ ſuggerunt.* Rem hanc ceu notiſſimam Poetarum princeps eleganter ſuo more celebrat Georg. IV. à Verſ. 158.

Namque aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina. Deinde tenaces
Suſpendunt ceras; aliæ ſpem gentis, adultos
Educunt fœtus; aliæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas:
Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti,
Inq; vicem ſpeculantur aquas & nubila cœli,
Aut onera accipiunt venientûm, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus à præſepibus arcent.

De excurſibus literariis.

„ Suadet ulteriùs conſtituendos Sodalitii promotores, inſtituenda itinera literaria, ſollicitandos Mæcenates, ac commercium cum exteris literatis ſtudioſè ſovendum; quemadmodùm & apes ſuos *ſpeculatores ad pabula mittunt, & illæ vel excurſus breves tentant, aut circum tutæ ſub mœnibus urbis aquantur; aut continuò ſaltus ſylváſque peragrant, ac etiam diviſis in collibus errant, purpureóſque metunt flores, & flumina libant*, utì Virgilius paſſim inſinuat cit. loc.

De ſubalternis Sodalitiis.

„ Utiliſſimum prætereà, ad facilitandum tantæ molis inſtitutum, fore cenſet, Societates quaſdam ſubalternas in variis Germaniæ provinciis, variíſque in ſcientiis & diſciplinis erigi, ut opes literariæ hinc inde diſperſæ minori labore & ſumptu comportentur, ſimúlque conferantur recenſendæ, ac ſi videbitur, edendæ in publicum. Similes quippe Societates veluti coloniæ ſunt in Scientiarum Republica, imò Duces coloniarum, quales olim Muſæ fuerunt, ſub apium

ſpecie

(1) Georg. IV. Verſ. 212.
(m) Virgil. Georg. IV. Verſ. 67.

ſpecie latitantes, Athenienſibus illis, qui colonias in Aſiam ducere, teſte *Philoſtrato*, parabant. Hæ ſunt proles illæ caſtiſſimarum Apium, hæc examina, quæ gentem in ſecula propagent, *ne pereont omninò*. Itaque, ne id in toto hoc apiario fiat, ſemper propaganda erit ſoboles, *obſervandúmque vere novo, cùm ſe nova profundunt examina, ut excipiantur, & domiciliorum numerus augeatur*, utì optimè apum conſervandarum magiſter inſignis Columella docnit lib. IX. cap. 9.

De ſtatione commoda. „ Sed ante omnia, ut & ipſi Socii congregari haud difficulter queant, eligendus & ſtatuendus eſt locus pro conventu eorum, qui ſcientiis eminent, cui lectiſſima accedat Bibliotheca, & commercii literarii facilitas. De loco enim & coñoda Apum ſtatione primò ſollicitos eſſe debere Apiarios enixè inculcat *Virgilius* Georg. IV. Verſ. 8.

Principio ſedes apibus ſtatíque petenda,
Quo neque ſit ventis aditus, (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) *neque oves, hædíque petulci*
Floribus inſultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & ſurgentes atterat herbas.

Apum cura de domicilio. „ Apes qooque ipſas præcipuam hac de re curam gerere docet Plinius libr. XXI. cap. 6. *Primùm*, inquit, *favos conſtruunt, ceram fingunt, hoc eſt, domos cellásque faciunt. His primùm alveum ipſum intùs totum, & quodam tectorio illinunt; his deinde fores quoque latiores circumſtruunt. Dein Regias Imperatoribus futuris in una parte alvei exſtruunt amplas, magnificas, ſeparatas, tuberculo eminentes.* Quo ritu exſtructæ huic veluti Scientiarum Regiæ Bibliothecam diximus jungendam, *Sedem Auguſtam, ſervatáque mella theſauris*, utì Virgilius ait verſu 228.

De fulcris & privilegiis adſciſcendis. „ Prudentiſſimè demùm conſulit, tum ad ſervanda ſarta tecta, cùm ad feliciora indies incrementa, authoritatémque majorem conciliandam, exorandum eſſe potentiſſimum Mæcenatis cujusdam Patrociniom, pro impetrandis certis quibusdam privilegiis tum Cæſareis, cùm Pontificiis, quorum ope Inſtitutum ab injuriis & inſidioſis aſſultibus valeat vindicari. Literati enim non raró ingentibus perſecutionibus ſunt obnoxii, veriſſiméque de his otì de apibus exclamare poſſumus cum Plinio (n): *Tot hoſtibus, tot caſibus, & quotâ portione eorum commemoratâ, tam munificum animal expoſitum eſt!*

„ Vigilandum igitur ſtrenuè, ne Socii aliorum calumniis, injuriis, livore, odio, impetigine, aut inutilibus tricis vexentur; ne & ipſi in lites, rixas & certamina pruriant, aut ſeſe invicem impetant, ſícque ſuccumbant adverſantium technis: *Cavendum erit*, inquit Columella, *ne apes intercipiantur violentiâ crabronum, qui ante alvearia plerumque inſidiantur prodeuntibus.* Sunt enim, qui inſtar crabronum mel nullum afferunt, ſed adimunt, *rapto vivere ſueti, & alienis glorioſi*; Sunt qui aculeis in optimos deſæviunt, atque, ut Cicero in Bruto loquitur, *maledictis faceti, aut ſubtiliſſimis pſeudo - critices telis venenoſi. Aranei quoque vel maximè hoſtiles, cùm prævaluêre, ut intexant, enecant alveolos. Papilio etiam hic ignavus & inhonoratus, luminibus accenſis advolitans, peſtifer nec uno modo; nam & ipſe ceras depaſcitur, & relinquit excrementa, quibus teredines gignuutur...* & tricis fugiendis.

„ In hoc itaque negotio præter alia requiritur cumprimis potens juxta ac generoſus Mæcenas, cujus auſpiciis tutus imbellis Pieridum grex hominum lucro & affectibus ſuis mancipatorum tumultus, tergiverſationes, cavillos, æmulationes, inſidias, obtrectationes, diſſidia ſuperare ac contemnere poſſit. Sic nec venenatus ſtellio, nec obſcœnum ſcarabei genus, nec papiliones, *lucifugæque blattæ*, ut ait Maro, *per latiora januæ ſpatia favos depopulabuntur.* Apes verò quò magis in tuto fuerint, *hoc acriùs incumbent generis lapſi ſarcire ruinas, complebúntque foros, & floribus horrea texent.* De ſubſidiario Mæcenate.

„ Capite tertio de aliis Academiæ fulcris ſermonem facit, *Magnanimóſque duces, totiúsque ordine gentis* (o), mores, officia & dignitates deſcribit, optátque primò, ut PROTECTOR talis eligatur, qui potentiori adminiculo eam ſuſtineat, excelſo vertice regat, temperet, & illuſtret; qualis ductor inter apum examina ſtatim à principio *tam corporis, quàm animi habitu ceteros antecellens*, ut eum *Plato* deſcribit de regno pag. m. 152. *Hic enim* De Protectore.

(n) Plin. Libr. XI. cap. 19.
(o) Virgil. Georg. IV. Verſ. 4.

enim Rex ſtatim mellei eſt coloris, & electo flore ex omni copia factus, neque vermiculus, ſed ſtatim penniger. Solus verò caret aculeo, totus ad beneficentiam compoſitus. An mas ſit, aut fœmina, ſub judice lis eſt. Nec multum refert: Modò *auguſtos habeat aditus, nec frigore ſtridat; illum admirantur apes, & omnes circumſtant fremitu denſo, ſtipántque frequentes.*

Præſide,

„ Locum Protectori proximum aſſignat PRÆSIDI, húncque velut *operum Cuſtodem cupit eſſe talem, qualem teſte Amiano Marcellino* libr. 17. in Conſtantino & Juliano Ægyptii per ſpeciem apis mella conficientis indicant, *Moderatori nimirùm cum jucunditate aculeos quoque innaſci debere his ſignis oſtendentes.* Uti enim à capite vitalem ſpiritum ducere corpus aſſolet, ita etiam à *Præſide* Societates literariæ omnem ſuum vigorem & ſplendorem mutuant. Illo vegeto, agili, generoſo, facilè membra parent, ſequuntur, obtemperant; cùm verò torpet ille, fluctuat, friget, reliqua ejusdem corporis membra languent, procumbunt, marcent, omníſque ex motu languido irrita redditur actio. Sic & in apibus duas nobis Regum ſpecies depingit *Virgilius* Georg. IV. verſ. 91.

Alter erit maculis auro ſqualentibus ardens;
(Nam duo ſunt genera) hic melior, inſignis & ore,
Et rutilis clarus ſquamis: ille horridus alter
Deſidiâ, latámque trahens inglorius alvum.

& aliis officialibus.

„ Ut binæ Regum facies, ita corpora gentis: Namque aliæ turpes horrent, aliæ fulgore coruſcant, *ardentes auro, & paribus lita corpora guttis.* Nempe, uti Plato indicat, *Quales in Republica ſunt Principes, tales reliqui ſolent eſſe cives.* Quocirca ut quibusque malis & incommodis à capite in totum corpus repentibus præſens aptetur remedium, providè cautum eſt, *Sodalitii Ductores & Præſtites*, quandocunque Senatui utile vel neceſſarium viſum fuerit, fore ſubmovendos, dignioréſque ſufficiendos; ita enim Virgilius de Apibus verſ. 29.

Deterior qui viſus, eum, ne prodigus obſit,
Dede neci: melior vacuâ ſine regnet in aulâ.

De membris Academiæ.

„ Brevius dein in ſchemate caput occurrit quartum de *Membris*, tum *ordinariis*, ex Ordine nimirùm S. P. Benedicti per Germaniam aſſumendis, tum *Extraordinariis*, ex quavis regione & religione, quibus Muſæ Benedictinæ in amoribus fuerint, tamquam *honorariis* honorificè ſuſcipiendis. Iſtis, qui trinis ſacræ religionis ſuæ votis adſtringuntur, univerſim ſicuti apibus, illud Poëtæ Mantuani convenit: *Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem, quòd nec concubitu indulgent...* Quia tamen per novas ſemper, & ſingulis plerumque annis reparantur colonias, ſuſceptíſque in demortuorum locum novis tyronibus, quibus ceu filiis adoptivis æternùm conſervantur, ſic inſtar apum, (p)

Genus immortale manet, multóſque per annos
Stat fortuna domûs, & avi numerantur avorum.

De obligatione Sociorum & Rectorum,

„ Prolixior eſt Author in Capite V. ubi de Sociorum obligationibus agit, ac quid *Præſidi, Directori, Senatoribus* incumbat, quid agendum membris, quæ reverentia Superioribus exhibenda, & quis rerum ubique ordo obſervandus, articulatim explicat. *Omnes* nempe inſtar apum, *magnis agitare cupit ſub legibus ævum.* Cúmque nullo tempore ſine Ductore, uti apes *ſine Rege, eſſe utique non poſſunt*, ipſi Reges & Duces ſufficiunt, circa quos mira plebis obedientia, nec ſic porrò *Ægyptus, & ingens Lydia, nec populi Partoorum, aut Medus Hydaſpes* (q) ſuos obſervánt Reges, uti hæ apes religioſæ. *Eſt autem non modò ejus, qui ſociis & civibus, ſed etiam ejus, qui ſervis, qui mutis pecudibus præſit, eorum quibus præeſt commodis, utilitatibúſque ſervire.* (r) Sic apud apes, *qui præeſt*, inquit Plinius, *reliquo tempore, cùm populus in labore eſt, ipſe opera intùs circuit ſimilis exhortanti.*

déque eorum correctione.

„ DIRECTOREM porrò graviter & ſeriò admonet Author, ut Senatores, & eos, qui proximè ab ipſis regendi Sodalitii gubernaculis conſiliarii ſeu motores adhibentur, ſi deſides, aut in officio negligentes fuerint, ac ſeſe emendare noluerint, ex albo Senatorum expungat, atque in ordinem redigat. Pari modo, ſi qui exerraverint, erroris manifeſti probro plectuntur, aliis exemplo futuri, ſuóque damno profuturi. Sic *utraque vis apibus metuenda*, quæ ſummâ cum juſtitiâ, *tardantes ſine clementia puniunt*, & *ignavum pecus à præſepibus arcent*, utì Virgilius & Plinius paſſim in-

(p) Virgil. Gegorg. IV. verſ. 197. & 208.
(q) Virgil. cit. loc. Verſ. 210.
(r) Cicero libr. 1. Ep. 1. ad Quint. & Plin. XI. 17.

inculcant. Inde verò major accedit de Academicis æſtimatio, obligationis cujusque ad alterum neceſſitudo arctior, & quod ante omnia celebrari debuerat, ſolertior in communis induſtriæ partem cura & ſollicitudo.

Omnium princeps cura.

„ Univerſim autem Sociorum omnium principem curam eſſe vult: *Æmulorum ſuperbiam reprimere, contumelios refellere, infirmare falſa, corroborare vera &c.* Multa hîc iterùm cum apibus ſpectamus affinia: Quid enim non agunt induſtriæ hæ aviculæ: Quâ concordiâ vires jungunt, quâ ſortitudine arma expediunt, hoſtes reprimunt, alvearia veluti munimenta corroborant? *Spicula* nempe *exacuunt roſtris, aptántque lacertos, & circa Regem, atque ipſa ad prætoria denſæ miſcentur, magnísque vocant clamoribus hoſtem!* Uſque adeò,

Ingentes animos anguſto in pectore verſant!

De materiis tractandis.

„Capite ſexto de tractandis agens materiis Sodales ſuos cumprimis hortatur, ut Bibliothecas circumquaque ſedulò excutiant, latentes in his manuſcriptos melioris notæ codices, ac præſertim hiſtoricos eruant, erutósque publici juris ſaciant, aut evulgandos *Directori* ſubmittant, ut ſic verum fiat illud, quod de apibus Plinius: *totæque onuſtæ redeunt ſarcinâ pandatæ.* Inſtat dein, ut Opera adhuc deſiderata, qualia ſunt: *Collectio Conciliorum per Germaniam celebratorum, Scriptores ejusdem gentis anecdoti, Antiquitates omnis generis lectiſſimæ*, & ſi quæ alia ad hujus ſacri Ordinis & Patriæ ſplendorem augendum opportuna, omni ſollicitudine, junctisque ſtudiis & operis elaboranda ſuſcipiant. Quæ omnia citra dubium cederent in communis Patriæ decus bonúmque maximum; ita ut nemo mortalium invidere his jure poſſit, ſi de illis, quod de apibus *Plinius* dixit, affirmemus, *ipſas ſolas ex eo genere, hominum cauſâ genitas.*

Conventus Academici.

„ Caput denique ultimum *Congreſſibus academicis* ſolennibus & ordinariis ſacrum eſt. Ubi Socii, ut apes, *effecto opere, educto fætu, functæ munere omni, exercitationem tùm ſolemnem habent.* (s) Ad hanc invitantur Præſules & Docti celebres, *qui multùm nitore à vulgo differunt, & fulgore coruſcant.* Ibidem iis, qui *opera conficiunt, & mella tenacia fingunt*, præmia diſtribuuntur; quod & in apibus ſeduli cuſtodes, teſte toties adducto *Plinio*, faciunt: Nam *diligentioribus ex hac vindemia duodecimam partem relinquunt.* Cætera textus habet, nec Oedipo opus, ubi Author ſatis clarus eſt & amplus. „

Hæc ſunt præcipua, quæ eximio prorsùs in ſchema noſtrum Synthemate complexus eſt laudatus Vir literatiſſimus *Roſchmannus*, cui licèt *in tenui labor, at tenuis non gloria ſurget* (t). Penſum verò ſuum, omine optimo in vota profuſus, ita abſolvit: *Ego*, inquit, *lectiſſimo huic apum Examini fauſta omnia feliciſſimo oſtento, perpetuáque conjecturâ auguror, quæ infantis hujus Academiæ operibus veluti Platonis ſuavitatem dulcis eloquii protendit, juxta illud Judic.* 14. Examen apum in ore, & ſavus mellis. *Hinc quemadmodum* Druſo, *cujus nominis etiam triumphator ille Rhætorum Vindelicorúmque ac Germaniæ ferè omnis incomparabilis fuit, pugnam proſperrimam Examen apum prædixerat, ita ego glorioſos ad immortalitatis memoriam triumphos de univerſis Literaturæ melioris hoſtibus*, livore & ignorantiâ, torpore & negligentia, fraude & ſuperbiâ, *fortiſſimo huic Vindelicorum* (teſte Strabone in bello Druſi) *populo Camboduni apud Eſtiones p. t. congregato, toto pectore auguror & voveo. -- Erit haud dubiè & erit brevì exoptatiſſimum illud tempus, quo in Academiam hanc Eccleſiæ perutilem, antiquiſſimo Ordini, ac Germaniæ orthodoxæ glorioſam, reſtaurandísque & illuſtrandis melioribus literis natam factámque, illud Apum elogium, apud hiſtoriæ naturalis promumcondum* Plinium, *quàm optimè quadret:* Quos efficaciæ, *inquit*, induſtriæque tantæ comparemus nervos? quas vires? quos rationi, medius fidiùs, viros? hôc certè præſtantioribus, quo nihil novêre niſi commune. *O quanto cum Patriæ tandem bono!*

Sic Vos non vobis in publica commoda natæ,
Communi Patriæ mellificatis Apes!

Roſchmanni votum.

Encyclica ad inſtitutum motiva.

Præclarum hoc docti Viri in rem noſtram ſuffragium confirmârunt alii plures ſuis tum oraculis, tùm epiſtoliis, quæ conſultò prætermittimus, ne aſſenſione literatorum hominum & vulgi plauſibus ita efferri videamur, ut regnare in literis velle ſugillemur. In nos noſtráque ſummum arbitrium amicis virísque peritis permiſimus, ac etiam ultrò Sodales laceſſivimus ſilen-

(s) Virgil. cit. loco à Verſ. 74.
(t) Virgil. Georg. IV. verſ. 6. de apibus.

tes, ut nævos defectúsque noſtros caſtigarent, meliora ſuggererent, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam adſpergerent. nihil quoque intentatum, nihil inauſum reliquimus, quò Celſiſſimis Principibus ac Reverendiſſimis Abbatibus noſtris perſuaderemus nos illis nucleos, non putamina vendere; Naſcens hoc nobile inſtitutum eorum favore, ſuffragiis, & opibus conſtanter ſuffultum ad eam *bono cum Deo & die* perfectionem evehi poſſe, ut amplioribus quotidie acceſſibus non ſolùm Ordinem noſtrum, ſed Patriam & Eccleſiam aliquando exornaret univerſam; Florem gloriæ decerpturos, qui factum occuparent primi, eóſque immortales fore, qui immortalitatis inſtrumenta ſolertiùs attollerent; Longè pulchrius, ac viris ad ſacrorum miniſterium vocatis dignius eſſe in provehendo ejusmodi inſtituto, quàm in epulis, ſamulis, curribus, equis & aliis perdendarum opum crepundiis, ſumptus facere; Quidquid hîc impenderetur, in commune bonum cedere, cùm cætera vel perituræ voluptati, vel inutili vanitati, non ſine ſecularium ſcandalo & religioſæ modeſtiæ læſurâ impendi ſoleant. &c.

Quales ſe exhibeant Abbates.

Sed tametſi in potentiſſimorum, quos Ordo noſter numerat, Antiſtitum benevolentiâ & animi promptitudine omnis in hoc negotio ſpes boni eventûs eſſet repoſita, ac exiſtimaremus fore ut, ſi conſilia noſtra improbâſſent exteri, at certè illi, qui ſanctioris nobiſcum inſtituti ſacra, Muſáſque amœniores colunt, tam ſalubre propoſitum tuerentur, & peramplius proveherent: Res tamen evenit multò aliter. Nullos enim hac in parte experti ſumus moroſiores quàm domeſticos, nullos difficiliores & inhumaniores, quàm quosdam Abbates. Cujus quidem incommodi culpa ubi reſideat, faciliùs prudens quisque poterit æſtimare, quàm ego in Orbis univerſi facie auſim exponere. Multa paucis complexus eſt ſapientiſſimus Abbas *Tritbemius* (u) in libello pentbico ſeu lugubri de ruinâ Ordinis monaſtici hiſce verbis: *Utilitati communi privata commoda præponimus, & bonorem Ordinis conſervare non curamus. Multa dicimus, multa pro utili defenſione religionis concludimus; ſed exponere denarios ſinguli formidamus. O zelus debilis, quem tenacitas inutilem facit! O verè pauperes Abbates, qui cùm habeant omnia ab Ordine, nihil habent pro Ordine! -- Ecce, quàm multi reperiuntur è noſtris, qui ſubſtantiam levibus partiuntur perſonis: avibus, canibúsque convivia parant: parentes & cognatos ſuos de bonis monaſterii ditant: reliqua in vanis voluptuosíſque comeſſationibus dilapidant; pauci ſunt, qui deſolationem Ordinis doleant, pauciores de remedio cogitant, pauciſſimi auxilia ſubminiſtrant...* Addere plura vetat ſpecies ſervanda pudoris. Videatur S. Bernardus Epiſt. 42. ad Henricum Senonenſ. cap. 2.

Obtrectatorum dicteria,

Quamvìs autem plurimorum tergiverſationes, malevolentiam, & inurbanitatem ſenſi, præ cæteris tamen unius atque alterius (*quorum nominibus jam parco, licèt non pepercerint meo*) inſignior animi torvitas fuit, ut qui livore, neſcio quo, aut ſuperbiæ œſtro perciti, pro bono malum reddere, méque cæſim punctim proſcindere non ſunt veriti. (x) Fuêre & alii privatim degeneres & veræ laudis boníque conſilii inexpertes, qui cùm honeſti nihil pro decore & gloriâ Ordinis agere cogitent, Nos quoque magni quidpiam moliri ægrè ferrent, eámque ſibi provinciam ultrò præſumerent, ut tamquam arbitri conſilia noſtra ſapientiſſimis quibusque Viris probata, velut *fanatica, periculoſa & effectu impoſſibilia* traducerent, modíſque omnibus deprimerent, ac vix non ferociter oblatrarent. Fuit & aliud genus hominum in Lycæis crepitantium, qui uti gregalium ſuorum ſcriptis dictíſque omnibus & factis quærere commendationem ſolent, ita per occultas coïtiones, dolos, ſuſurrationes, technas, fraudes, aliorum in literis conatus ſubvertere moliuntur, rati regnum ſuum brevì ruiturum, aut palmas jam partas ſibi præripiendas, ſi religioſi glandibus apiníſque relictis ad meliores epulas & fruges ſeſe converterent. Præterea alias aliorum tricas & cavillationes, quas pati aures per inſolentiam vix poſſint, ſi palàm proferantur. Neque verò noſtri eſt ingenii aut modeſtiæ verborum contumeliis certare, & quam ſuademus animorum conjunctionem, factis atterere. Satis nobis fuerit contemptores contemptu, æmu-

los

(u) Trithem. cit. loc. Cap. V.

(x) Ita malevoli fœdam imitantur arachnen, *cui roſa materies lethalis plena veneni eſt.*

los ſilentio, verboſos verbo revincere, ac eorum impetigini iſtud obtendere:

Non mihi noxia ſunt hæc ſibila, ſed magis ipſis,
Qui produnt virus, barbariémque ſuam.

reſtringuntur,

Ne tamen profeſſoriæ linguæ intemperiem liberiùs laxent, ſibíque perſuadeant nos eorum ſpicula ne ſenſiſſe quidem, molliter ab iis ſciſcitari libet, num *impoſſibile* judicent illud, *cui nil niſi velle deeſt?* An *periculoſum* jure dixerint inſtitutum, quod ſapientiſſimi Patres noſtri Gallicani, Lotharingi, alíique tanto cnm plauſu ſectantur? An *fanaticum* meritò cenſeant conſilium, cujus tot præclara à multis retrò ſeculis proſtant exempla? Certè ſi in legendis & evolvendis hiſtoriæ literariæ rerúmque veterum ſcriptoribus quandoq; attentiores fuiſſent cenſores iſti, obſervâſſent haud dubiè Germaniam jam inde à Seculo XV. *Maximiliani I.* Imperatoris juſſu & auſpiciis pluribus iiſque celeberrimis ejusmodi eruditorum Societatibus ornatam fuiſſe. Inter eas eminebant, *Rhenana*, *Argentinenſis*, *Boica*, *Celtica*(y), *Danubiana*, ac *Viennenſis Cæſarea*. Rhenanæ, quæ univerſam prope Germaniam complexa eſt, inſtitutor & Præſes extitit *Joannes Camerarius Dalburgius*, Philippi Palatini primùm Cancellarius, tum Wormatienſis Epiſcopus. *Is enim*, teſte Jacobo Burckhard (z), *tam meruerat, quàm qui maximè, ut celebratiſſimæ iſtius ſodalitatis literariæ per Univerſam Germaniam Dux ac Princeps uno omnium Sociorum conſenſu eligeretur; quandoquidem certiſſimus hic Mæcenas omnium in cuncta Germania eruditorum digniſſimus videbatur, ad cujus nutum Socii iſti ſeſe converterent; cujus cenſuræ ſcripta ſua ſubjicerent: cujusque auſpiciis ductúve immanis ac intoleranda barbaries, inveteratúmque iſtud malum ex Germania denique profligaretur.* Ejusdem Sodalitü Director primarius extitit doctiſſimus Abbas *Trithemius*; Socii autem è noſtro Osdine fuerunt *Joannes Piemontanus*, & *Jacobus Syberti* Lacenſes, *Eberhardus de Campis* Trevirenſis, *Paulus Langius* Poſavienſis, *Nicolaus Baſelius* Hirſaugienſis, *Theodericus* Fuldenſis, *Wolfgangus Treflerus* S. Jacobi Moguntiæ, & alii ad quos variæ extant Trithemii epiſtolæ, quíque operibus *Roſwithæ* à ſe collectis, & accurante CONRADO CELTE editis *Norimbergæ* anno 1501. Epigrammata præmiſerunt.

& inſtitutum exemplis

item ex natura hominis,

Poſſemus plura ejusmodi exempla ævo noſtro decantatiſſima in medium afferre, ſed ea quæ jam attulimus (a) adeò ſunt valida, ut ruborem iis elicere poſſint, qui deſperatione aut ignaviâ debilitati, quod aſſequi nequeunt, *periculoſum* aut *impoſſibile* dicunt. Tantò autem proniores in vota noſtra & conſilia deinceps ituros confidimus R^mos^ Antiſtites, quantò exploratius eſt *Hominem*, uti nos docuit Ariſtoteles, *eſſe animal politicum & naturâ ſuâ in Societatem propenſum.* Neque enim in hominibus quisquam eſt tantis naturæ præſidiis munitus, ut ipſe ſibi ad benè beatéque vivendum ſolus ſufficiat: nam & conſilio aliorum indiget & auxilio; ideóque ut ſubſidium ejusmodi liceat conſequi, homo humanæ appetens eſt Societatis; cujus fruendæ gratiâ eximium illud rationis & orationis munus tributum eſt illi divinitùs. Unde ſi quis fortè inveniatur, qui ſibi ſic ipſe ſufficere credat, ut aliorum prorsùs non indigeat ſubſidio, ac idcirco à Societate abhorreat, *Deiſtrum* quendam hunc eſſe *ſingularem* jure dixeris; ſin autem eâ ſit ingenii auſteritate, ut communitatem hujusmodi ferre nequeat, *Belluam inſociabilem*, imò feris ferociorem meritò pronuntiaveris, *nam ſævis inter ſe ſaltem convenit Urſis.* (b)

& variis motivis comprobatur.

Præterea, quem quæſo! Mortalium ad honeſtum ejusmodi inſtitutum amplexandum non excitaret illa, quæ hinc ſpectatur utilitas? Quis inquam, *cui Benedictini gutta cruoris ineſt*, non probet, non laudet, non ſectetur & provehat propoſitum, quod cum decore, gloriâ, commodo & ſplendore ſacri Ordinis noſtri eſt conjunctiſſimum? Ecquis verò tam plebeiæ abjectæque mentis fuerit, ut Mileſiorum placito ſubſcribat, quibus hâc lege nihil erat jucundius: *Nemo noſtrum frugi eſto?* Quis etiam ſine juſtâ animi commotione evolverit

rit

(y) *Celtica* ab authore ſuo *Conrado Celte* Poëta Laureato dicta, de quâ nuper *Jenæ* evulgata *Joan. Georg. Ruprechti* Oratio.

(z) Burckhard de fatis linguæ lat. Part. II. pag. 263.

(a) In Syſtemate cap. I. art. 2. ſupra p. 142. & ſeq. quibus addeſis Antuerpienſem Jeſuiticam Sodalitatem à *Bollando* gentili meo inchoatam, noſtrâ omninò imitatione dignam.

(b) Gelſtrupius in Trifolio polit. pag. 6.

rit conſtitutionem Epheſiorum, quâ homines doctrinâ & virtute excellentes, negligi, opprimi, aut è Republicâ ejici ſancitum erat? Et quis denique Abbates illos jure laudaverit, qui bonas artes & ſtudia à ſuis Monaſteriis eliminant, aut in viros doctos odio plerumque flagrant? Nonne ſatius eſt remis veliſque contendere, ut inter Clauſtrales vigeant *doctrina & pietas caſtique labores*, quàm otii & ignaviæ gangrænam admittere, nutrire, fovere, atque ita *ſcientiæ*, *bonitati & diſciplinæ* aditum præcludere? Me hercle! *non eſt venuſta ſpecies communitatis, ubi regnat deſidia & confuſio unitatis.*

Concluſio adverſùs æmulos. Quidquid igitur perpauci, iique obſcuri nominis homines in adverſum obganniant, ita comparatus ego ſum, ut quæ à Viris omni virtutum & literarum genere clariſſimis non ſine applauſu comprobari, urgeri, provehi, conſpicio, eadem pari cultu aliis imitanda ac ſectanda exiſtimem. Tantùm verò abeſt, ut qui conſilii noſtri momenta convellere, aut moleſtias nobis adſpergere voluerint, exinde ſolatii vel gloriæ quidquam aſſecuturi ſint; quin potiùs, ſi contra tenderent, vel ulteriùs tergiverſarentur, ſibi ipſis ignaviæ labem affingerent, ac eo usque urgeri poſſent, ut apertè morbo mentis laborare, aut vitioſum ob affectum bono publico, Religionis ſplendori, Patriæ commodo, & ſcientiarum incremento impudenter reniti, ac etiam Summorum Pontificum Conſtitutiones (c) vilipendere convincerentur; dum nos interim ſecurâ recti conſilii & operæ in re honeſta fideliter collocatæ fruemur conſcientiâ, tantóque majori gloriâ, quanto plures & potentiores ſuſtinuerimus æmulos: *Nam invideri glorioſum, at invidere probrum eſt ingens*: *Mens verò boni ſtudii ac pii voti tametſi effectum non invenerit cœpti operis, habet tamen præmium bonæ voluntatis,* uti Salvianus edixit, & Poëta confirmat accinens:

Si deſint vires, animi contentio certè
Laus erit, in magnis nam voluiſſe ſat eſt.

& Collatio partium. Verùm operæ pretium non eſt hiſce diutiùs imorari, & ſtimulis boves fodere: Qui enim recto tramite gradiuntur ad gloriam, & ſeriò decus quærunt Ordinis, ſponte ſuâ faciles noſtrum ſequentur conſilium, provehent inſtitutum, ac perampliùs exornabunt; ſi verò à Muſis & gratiis alieni fuerint, nec invitati, nec coacti illud amplectentur, aut cohoneſtabunt: *Neque enim quos ſervire cogit neceſſitas, ſed quos ad morem voluntas incitat, ii demùm cives Reipublicæ utiles eſſe conſueverunt.* Non quærimus fucos & crabrones, ſed apes; nec fami, ſed famæ laboramus. Et certè meritò deridendi eſſemus, ſi aſſuetas haræ nares ad amaracum provocare, aut ex quovis trunco & ſtipite Societatis literariæ compagem vellemus in altum educere. Satis fuerit ad ſtudiorum commodum & Societatis decus eos colligere Viros, in quibus præcipua viget authoritas, benevolentia, ſcientiæque, ut ita dicam, ſeu ſacræ ſeu profanæ principatus. (d)

Hos inter quùm familiam facilè ducat Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis QUIRINUS, *ſublimis Eruditorum apex & columen*, quis tanto ſub Protectore, Evergetâ & auſpice felicem ſibi non ſpondeat tam nobilis inſtituti ſucceſſum, majúſque ſtabilimen, & incrementum? Ecquis verò ab illuſtriſſimo Celſiſſimi S. R. I. Principis ENGELBERTI Campidonenſium Antiſtitis præſidio, ſumma quæque & illuſtria non exſpectet? Quis itaquam Sociorum hæc naſcentis Academiæ columina venerabundus admirans continuò non exclamet cum lyrico Vate: *O! & præſidium, & dulce decus meum!* Decus ab Eminentiſſimi Purpurati protectione, Præſidium à Celſiſſimi S. R. I. Principis munere. Utrumque imbelli Pieridum gregi venerabile & honorificum; quoniam *ſicut aſtra cæli coruſcantibus radiis micant illuminata per ſtatarium in circuitu Solem, ita quicunque illuſtriorum dignitate Virorum auſpiciis, favoribus & gratiis irradiantur, immortalitatis lumine apud poſteritatem illuſtrati permanent glorioſi*, uti ediſſerit Trithemius Epiſt. 32. lib. II. Societatis auſpices & Evergetæ.

Viciſſim, quia *Muſæ ſuos vetant mori, & literis perennat gloria*, ea fuit apud veteres Virorum literatorum æſtimatio, ut illos præ ceteris felices judicarent, qui ingenio, ſapientiâ, fortitudine, heroicóque animo memoratu digna facientes, in ea incidiſſent tempora, quibus copia eſſet eruditorum hominum, quorum reciprocâ neceſſitudine & obſervantiâ perurgente, quidquid videretur laudandum, literarum firmamento reciperet immor- Quibus decreti honores.

(c) Quas vide relatas Part. II. hujus Operis p. 580.
(d) *Il n'en faut que trois pour le luſtre d'un ſiecle.* Ode D. B. D. P.

immortalitatem. Quo pacto, ſicut Romani ſuos Heroës & Evergetas ad aliorum incentivum illuſtri quodam monumento gloriæ perpetuitati dicabant; Sic etiam Senatus noſter altefati utriusque Principis & Mæcenatis ſui virtutum ac meritorum admiratione captus, dignámqne hecatomben & aram in æternitatis templo illuſtriſſimis Eorum nominibus ſtatuere geſtiens, recurrente anniverſariâ ſuæ erectionis die divis Tutelaribus SS. PLACIDO & *Sociis* ſacrâ, conteſtandi animi ergò, publicum quoddam honoris monumentum, ad firmandam rei memoriam, æneis formis, affectu ære ſolidiori, exprimi curavit; cujus ectypum ceu evidens bonæ mentis, reverentiæ, & gratitudinis argumentum, hîc ſpectandum ſiſtimus, ut aſpectu ipſo moroſiores tacito quodam inſtinctu excitentur, & illi, quos magnarum rerum ſpecies ad ſe vocat, & allicit, peramplius inflamentur. *Hoc enim illud eſt*, inquit Livius, *præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum: Omnis TE exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri, & inde Tibi quod imitêre capias.* Ita verò habet numus:



Epilogus galeatus, Quæ porrò inde contigerint, cùm hæc folia pluteum premerent ad prelum, *ipſe quidem ſpatiis incluſus iniquis prætereo, atque aliis pòſt commemoranda relinquo.* Iſta autem tum de Societatis noſtræ primordiis, cùm de Sodalium conſiliis, amicorúmque officiis ad eam provehendam collatis; de Prudentum atque Eruditorum circa id genus inſtituti judiciis, déque iis omnibus, per quæ latiùs innoteſceret, & proveheretur propoſitum, hoc loco vel ideò recenſenda duximus, ut & ſegniores ac frigidiuſculi ad hæc incentiva magis incaleſcant, & ſua Mæcenatibus noſtris, in iis, quæ fortiter geſsêre, laus & gloria, amicis verò & ſodalibus, pro iis, quæ præſtitêre, gratia poſſit perennare. Plura interim reducta & in interiore ſacrario clauſa *Eleuſis* ſervat, quæ ſubinde oſtendat reviſentibus. Etenim de præſentibus malè loqui, non tutum, benè autem, boni non eſt Hiſtorici (e), quùm aut palpum obtrudat, aut benefacta exaggeret, quæ ſi colligas, in nucis teſta facilè concludes. Satìs ſit inculcâſſe Viris ſummis, quæ impoſitæ ſint iis partes, quæ cura & ſollicitudo incumbat, *ne in ipſis deficiat inſtitutum, quod ſub eorum auſpiciis & nominibus ſumpſit exordium.* & ſtimulatio Fautorum. Grandis eſt hic auſus, ære & marmore dignus, ſed tantò magis grandibus promptíſque animis indigus. Magna conſilia ingens plerumque turbo periculorum circumſtat: Quò fama illuſtrior, eò invidia propior; Hæc quippe tam luculenta eſt gloriæ teſtis, quàm individua corporis comes eſt umbra. *Facile autem*, ut ſcitè Plutarchus monet, *illa alius aliunde carpit & obtrectat, quæ paulatim & quaſi otioſè videt ſuccreſcere, aut oſcitanter tractari.* Quo denique fit, ut & Statores in acie primi, nimiâ moroſitate depreſſi animum deſpondeant, *& quæ deſperant tractata niteſcere poſſe, relinquant*, præſertim ubi vident ſe Fautorum ac Mæcenatum laudem & gloriam tantis moleſtiis & expenſis mercari debere.

Atenim, quæ magnitudo & difficultas operis ceteros retardare, & à cœptis ſolet deterrere, mihi non tam remoras injecit, quàm calcaria addidit. Perſeverantia in cœptus. Et quia, utì Ven Beda dixit (f), *non prodeſt bona inchoâſſe, ſi non quisque*

(e) Vid. Lucianus de Virtutibus Hiſtorici p. 368.
(f) Ven. Beda Homil. in Litan.

que ſtudeat ea, quæ bona inchoaverat, usque ad finem firmum perducere; ut porrò oſtenderem *Volenti omnia eſſe poſſibilia*, conatus ſum præſtare ſolus, quod plerosque potentiores ab inſtituto deterrebat. Etſi verò Abbates noſtri in publicum non niſi dubiâ mente & ſuſpenſo gradu procederent (g), atque à ſubſidiis non ſecùs ac ab urticis manum retraherent; bono tamen adſpirante Numine Societas inter maximas quasque adverſitates nata, ſub ipſis ferè initiis ſuis adeò provecta eſt, ut jamjam Viris quamplurimis proſapiæ ſplendore, officiorum dignitate, meritorum gratiâ, ac eruditionis famâ inclytis exornata fulgeat. Omiſſis iis, quos jam ſuprà laudavimus, aliisque nonnullis, quorum ſuffragia non tanti æſtimamus, libet hîc brevem illorum indicem attexere, qui in orbe literario maximè effulgent, vel juvandis conatibus noſtris præcipuam navârunt operam, nomenque & ſtudium ſuum Sodalitio profeſſi ſunt.

Index confœderatorum Abbatum.

Hos inter locum facilè principem ſibi vindicat R.mus ac Ill.mus Abbas AUGUSTINUS CALMET, fulgentiſſimum Orbis eruditi & univerſæ Familiæ Benedictinæ ſydus, ætatis 83.

R.mus ac Ampliſſ. Dominus PLACIDUS Schyrenſis in Bojoaria Monaſterii Abbas meritiſſimus, *Sodalitii noſtri Paredrus, Stator, & Aſſiſtens per Bavariam lauro dignus.*

R.mus ac Ampliſſ. D. *Thomas* Mellicenſis in Auſtria Abbas, *in ea provincia Aſſiſtens benè meritus.*

R.mus ac Ampliſſ. D. *Franciſcus* S. Martini Majoris Coloniæ, *Conſultor perpetuus & Aſſiſtens per inferiorem Rheni tractum.*

R.mus D.nus D. Ettonis in Brisgoia Monaſterii Abbas, bonarum artium Cultor & Promotor ſingularis, *Aſſiſtens in eodem diſtrictu.*

R.mus D.nus *Chriſtophorus* S. Felicitatis in Schwartzach ad Mœnum Abbas digniſſimus, *per Franconiam Aſſiſtens & Conſultor.*

R.mus D.nus *Ludovicus* S. Michaëlis Bambergæ, in ea Diœceſi Aſſiſtens.

R.mus D.nus *Franciſcus* S. Jacobi Moguntiæ Conſultor in ea provincia.

R.mus D.nus *Fridericus* S. Margarethæ prope Pragam, nec non Bronavienſis, Pollicii, & Walſtadienſis Monaſteriorum Abbàs, Congreg. Bohemicæ Præſes & Viſitator perpetuus, *Societatis noſtræ per Regnum Bohemiæ Conſultor & Aſſiſtens.*

Alios plures, quos libellis literíſque perhonorificè interpellavimus, quia ſuſpenſi hærent, aut dubii, vel malè affecti, miſſos facimus; ſive enim benigni & faventes, *quod optamus*, nobis contingant; ſive alieni & averſi (*quod patiemur facilè*) in noſtro tamen pergemus propoſito, & ipſos eo deinceps reponemus loco, quem ſibi elegerint, ut quilibet poſſit digito monſtrari & dicier, HIC EST. Ne inſontes cum noxiis periclitentur, & ob unius vel alterius capitis ignaviam totus Ordo infametur. *Quæ enim iſta bonitas*, inquit D. Gregorius, *uni atque alteri parcere, & omnes in diſcrimen adducere?* Sed de his alibi prolixiùs.

Socii celebriores.

Socios quod attinet, ea jam eſt horum copia, eáque inſtituti apud ſapientes æſtimatio & dignitas, ut quicunque in hujus album referuntur, hoc ipſo Sodalitii ſymbolo, velut publico charactere notati, apud omnes rerum intelligentes eruditione & doctrinâ illuſtres habeantur. Horum in numero præter enumeratos eminent:

R.mus ac Ill.mus Dominus *Columbanus Comes de Taxis & Valleſaxina* Campidonenſis Eccleſiæ pridem Decanus, nunc Præpoſitus in Lautetach, conatuum noſtrorum ſecundaneus nulli ſecundus.

R.mus ac Ill.mus D. *Carolus de Piesport* Fuldenſis Eccleſiæ cœnobita Presbyter, Ss. Theol. Doctor ac Profeſſor publicus, ſpectatæ vir doctrinæ ac humanitatis, vulgatis ingenii monumentis celeberrimus.

Clariſſ. P. *Hieronymus Pezius* Mellicenſis in Auſtria Bibliothecæ Præfectus, Veteranus in Muſarum caſtris miles, editis quamplurimis iiſque operoſis lucubrationibus orbi erudito nominatiſſimus.

Excellentiſſimus D. *Marquardus Hergott* S. Blaſii in Hercinia Sylva Profeſſus, Sac. C. Maj. Conſiliarius, Præpoſitus in Crozinga, cujus ſplendida & inſignia extant præclaræ eruditionis monumenta non pauca.

Gallus Cartier D. Ettonis in Brisgoïa Monaſterii Subprior, Ss. Theologiæ Profeſſor, ac S. Congregationis Indicis Conſultor Apoſtolicus,

ſcriptis

(g) Oppidò vidi trepidare homines, timbaréque, nec minus hærere attonitos, quàm aves implicitas viſco, aut ad lucem veſpertiliones. . .

ſcriptis celebratiſſimus, quem erroneè fatis A. 1749 functum ſcripſit *Magnoaldus* noſter P. III. hujus Operis pag. 572. hîc corrigendus.

Ipſius de Syſtemate noſtræ Societatis judicium, properante prelo, nimis ſerò ad nos delatum hîc loci reponendum cenſuimus: *Syſtema Societatis literariæ Germano-Benedictinæ attentè perlegi, atque meo quidem calculo, omnia in eo magna cum ſapientia & ſingulari prudentia propoſita deprehendi, nihilque ſupereſſe videtur, quàm ut S. O. N. Principes & Abbates Sodalitium ibidem præclarè adumbratum & maxima quæque promittens, nec non ſacro Ordini noſtro decus & utilitatem ſummam conciliaturum potenti ſuo patrocinio foveant, tueantur, & provehant....*

R. P. *Auguſtinus Dornblüet* Gengenbacenſis Profeſſus ſcriptorum copiâ percelebris.

Cl. P. *Hermannus Schollner* ſuperioris Altachæ in Bavaria monaſterii Profeſſus, Ss. Theologiæ in communi Congr. Bavaricæ Studio Profeſſor.

Ignatius Gropp S. Stephani Herbipoli Cœnobita benè doctus, Scriptor perdiligens & operoſus, in ſolidiores diſciplinas optimè propenſus.

Angelus Flörchen Hildeſii ad S. Michaëlem Profeſſus, publico datis pluribus ingenii monumentis commendatus.

Xaverius Ulrich Seligenſtadienſis ad Mœnum cœnobii alumnus, Diſibodibergenſis Abbatiæ, me reſignante, Præfectus, Vir eruditus, induſtrius, & ad optima quæque compoſitus.

Joachimus Herpfer Schyrenſis in Bavaria Profeſſus, p. t. Subprior & Profeſſur, majores in auſus animo promptus.

Ad urgendum opus incitamenta,

Reliquos tum ſuprà memoratos, tum ſubſidiarios & titulo honoris adſcriptos prætereo, alibi fuſiùs de iis dicturus (h); Nec enim refert quàm multos, ſed quàm bonos, utiles & induſtrios numeremus operarios. Academia Regia Inſcriptionum, quæ Pariſiis floret, novem tantùm Academicos primitùs complectebatur: aliæ Societates quamplures paucioribus ab initio conſtabant membris, quæ tamen magna deinde ſumpſerunt incrementa. Scilicet exigua plerumque rerum omnium initia eſſe ſolent, & quæ à prima linea invalida ſunt viſa, cum tempore vires ac robur accipiunt. Et verò ſi unus *Bollandus* Jeſuita cum duobus Sociis tantam meſſem ex alieno fundo potuit colligere, quidni tres quatuórve Benedictini, junctis operis, in ſuo latifundio uberiorem ſegetem valeant metere? Nec eſt quod ſollicitudo nos teneat anxios circa obſtetricantes manus, quæ ejusmodi fœtus in lucem educant; ſpectabiles Viri *Ignatius* & *Franciſcus Veith* Bibliopolæ Auguſtani percelebres, noſtro ſodalitio fœdere & benevolentiâ addicti, opera quævis Sociorum ſtudiis elaborata publici juris facere præſtò ſunt, modò hoc, quod pro fundamento & baſi totius ſtructuræ præſens ſiſtimus Opus, procos & emptores, ſarciundis, ut par eſt, expenſis frequentes inveniat.

& paraeneſis votiva.

Agite igitur Reverendiſſimi Antiſtites, Patres Patriæ, & gloriæ Benedictinæ aſſertores præſtantiſſimi! Agite quod conſulimus, & digna animi veſtri magnitudine, digna ære & marmore molimina cum plauſu, bonóque orbis eruditi alacres perficite! Vos quoque *fortiſſimum Cœnobitarum genus* *, & generoſa fœcundáque Spiritûs Benedictini progenies! animos viréſque colligite, preſſim Majorum veſtigiis ſolertes inſiſtite, acceptúmque à Patribus *doctrinæ & virtutis* depoſitum ad poſteros transmittere ſtudioſiùs ſatagite! Adeſte conſiliis, ſavete cœptis, ſudantibus ceroma, *ſudarium & veſtes*, robúrque addite, ac votis & conatibus noſtris non ſanè otioſis, ſed pro veſtrâ & ſacri Ordinis gloriâ, Religionis ſplendore, reíque literariæ incremento negotiaturis, benignè annuite, atque veſtra nobiſcum ſtudia mutuáque officia, & favoris niceteria generosè impendite. Rationes noſtras ponemus datatim, vos argumenta, nervum, cerulas, limámque dabitis; Nos veſtris meritis, induſtriæ & labori teſtimonium reddemus publicum, votáque ardentiſſima, ut bonum Numen Vos ſoſpitet diu, ac olim beet.

* S. Bened. in Reg. Cap. I.

Dii, quorum auſpiciis mortalia peſtora conſtant,
Efficite optatis pondus ineſſe meis!

CAPUT

(h) Tomulo I. Muſæi ſeu Actorum Soc. Lit. Germ. Bened.

CAPUT II.

PRÆCIPUA ORDINIS S. BENEDICTI PER ITALIAM, ANGLIAM, GALLIAM, GERMANIAM, HISPANIAM &c. MONASTERIA STUDIORUM GLORIA SUPERIORI ÆVO VEL NOSTRA ÆTATE NOBILITATA.

Monaſteriorũ nobilitas unde petenda?

INter Familiæ noſtræ Benedictinæ Monaſteria primum celebritatis locum ea dubio procul obtinent, quæ inſigniora virtutum ac ſcientiarum ſunt domicilia. Si enim Benedictina Religio magnarum alarum eſt aquila, quibus ad ſummum humanæ ſimul & divinæ ſcientiæ apicem evolavit, hæc hujusmodi aſceteria profectò nidus ſunt, ubi genuinos minimèque degeneres ſuos pullos collocare conſuevit.

non à divitiis,

Quæ laus igitur vel à ſitu, commodis, amœnitate loci, vel ab agris, latiſundiis, ac divitiis petitur, omnium minima, niſi ſapientûm calculi me fallunt omnes, habenda eſt. Sic etiam ad monaſterii alicujus celebritatem parùm ſaciunt ſumptuoſa ædificia, longa atria, & pretioſa illa tecta, niſi doctrina & eruditio ſedem in iis collocaverint.

nec ab ædificiis;

Quid enim ſunt vel ampliſſima cœnobia ſine viris virtute ac doctrinâ præſtantib', niſi inertium ſucorum alvearia? Non excelſi parietes, non marmoreæ turres, non inſanæ ſubſtructiones, ſed Religioſorum pietas ac eruditio monaſteriis nominis celebritatem ac ſplendorem accerſunt.

ſed à virtutum & ſcientiarum ſtudio.

Vera ac ſolida monaſteriorum ornamenta ſunt eadem ferè, quæ apud Chriſtianos urbium ac civitatum, de quibus D. Chryſoſtomus Sermone XVII. ad populum Antiochenum: *Diſce, quid ſit civitatis dignitas, & tunc manifeſtè ſcies, quòd ſi habitatores ipſam non prodiderint, auferre poterit alius nemo civitatis dignitatem. Non quòd metropolis ſit, neque quòd habeat ædificiorum magnitudinem, & ornatum, neque quod habeat multas columnas, & porticus, & deambulationes; neque quod ante alias civitates prædicetur: ſed inhabitantium virtus & pietas; hæc eſt dignitas & ornatus & tutela civitatis: ita ut ſi hoc deſit, omnium ſit viliſſima, licèt infinitum ab Imperatore conſequatur honorem.* Parem in modum ſi quis probè intellexerit, in quo dignitas alicujus monaſterii ſita ſit, tunc probè etiam intelliget, quòd niſi Monachi ignaviâ, otiô, luxu, aliíſque vitiis ipſum non prodiderint, nemo alius ejus dignitatem evertere poterit. Non quòd regia ſit Abbatia, aut Imperiale Monaſterium, neque quòd ſplendida ædificia, amœna viridaria, ſundos & agros plurimos poſſideat, neque quòd ante alia monaſteria ob lautitias & vitæ commoda prædicetur: ſed inhabitantium virtus & doctrina hæc eſt dignitas, hæc excellentia, hæc celebritas monaſterii: ita ut ſi eruditionis & pietatis ornamenta deſint, omnium ſit poſtremum, licèt Pontifices, Reges, & Imperatores magna privilegia & prærogativas in illud præ aliis contulerint. Non à ſaxis & muris, ſed ab inhabitantium monachorum virtute & doctrina celebre nomen venit monaſteriis.

Celebritas Monaſterii Burſfeldenſis & Spanheimenſis unde?

Quid obſcurius erat olim Monaſteriis *Burſfeldenſi* & *Spanheimenſi*? Quibus autem rebus factum, ut brevi temporis intervallo ad magnam pervenerint nominis celebritatem? Virtute ac ſcientia. Et quidem Burſſeldenſe cœnobium virtute *Joannis de Indagine*, Spanheimenſe autem *Joannis Trithemii* doctrinâ redditum fuit illuſtre: „Quid enim, *inquiebat Theodericus* „*Aſceta Fuldenſis in epiſtola* (i) *ad Trithemium*, quid fuit monaſterium „Spanheimenſe, priusquàm veſtra „paternitas reverenda eidem præficeretur? In obſcuro latebat, & „in tenebris, ita ut ultra decem milliaria in circuitu nominis ejus nul-

„la

(i) Trith. Epiſt. Famil. l. 2. n. 44. p. mihi 566.

„la æſtimatio vel notitia haberetur. Reddidiſtis illud veſtris lucubrationibus longè latéque glorioſum & notum, ita ſicut vidi per memetipſum, qui ultra triennium ſub veſtro magiſterio militavi diſcipulus, quòd ex Gymnaſio Pariſienſi in Gallia, Lovanienſi in Brabantia, Tubingenſi in Suevia, ex Italia quoque & Alemannia, aliíſque remotioribus terrarum locis, quàm multi viri doctiſſimi, Principes quoque & Pontifices excitati famâ nominis veſtri, certatim confluebant ad Spanheim non ſine monaſterii ipſius commodo & utilitate, qui omnes non hoc quidem nomine venerunt, ut monaſterium viderent, immò quod indubitanter tenendum eſt, propter te ac eruditionem tuam advenerunt.„ Hæc Theodericus. Nempe ut olim Propheta dicebat, urbem Bethleem nequaquam inter civitates Juda minimam eſſe futuram, cùm ex ipſa Dominator Iſraël ſit egreſſurus: ita monaſterio Spanheimenſi doctrina & eruditio *Johannis Trithemii* tantam nominis celebritatem conciliavit, quantam nullum aliud in Germania cœnobium tunc temporis habebat. Jam verò quàm multa id genus in ſacro Ordine noſtro aliquando extiterint, hodiéque non pauca exiſtant, difficile eſt dictù.

Scholæ duplices in Monaſteriis Benedictinis.

Omnium curioſiſſimè (utor verbis (k) *Cæſaris Egaſſii Bulæi*) & diligentiſſimè rem iſtam examinavit laudatus Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, & alibi paſſim, ubì ait, Benedictinos ab omni ævo ad literarum profeſſionem ſe contuliſſe, duplicéſque ſcholas inſtituiſſe: in minoribus quidem monaſteriis *Minores*, in majoribus verò & locupletioribus *Majores*, & in his omnium diſciplinarum emporium atque profeſſionem: atque ad has confluere ſolitos ex toto orbe Monachos, qui deinde ad Epiſcopia, & ad alias Eccleſiæ dignitates promovebantur. In illis porrò Majoribus unum aliquem doctrinâ & ſolertiâ præcellentiorem rei ſcholaſticæ præfectum fuiſſe, qui non modò docebat ipſe, ſed & curabat, ut alii Commonachi literarum profeſſioni addicti ſuum in docendo munus exequerentur. Audiamus ipſum. Sic ergo habet in Chronico Hirſaugienſi:

Minores.

In omnibus Ordinis noſtri Cœnobiis in Germania & Gallia maximè Monachorum Scholaſtici ex Monachis habebantur, qui juniores quoque & ingenio præſtantes in primitivis literarum ſcientiis erudirent, & poſteà qui habiles inventi fuiſſent, ad altiora transmitterent. En Minores Monachorum Scholas! Subjungit de Majoribus.

Majores.

In ſolis autem famoſioribus Cœnobiis, quibus & abundantia rerū temporalium erat copioſior, & Monachorum numerus major, conſtituebantur ad officium docendi alios Monachi omnium doctiſſimi, & non ſolùm in divinis, ſed etiam in ſecularibus literis eruditi, ad quos mittebantur Monachi altioribus Diſciplinis inſtituendi.

In Monaſterio Fuldenſi.

Primum verò ex his Majoribus Monaſteriis in Germania Fuldenſe Monaſterium extitit, quod olim S. Martyr *Bonifacius*, Moguntinenſium Archiepiſcopus, impenſis Pipini & Caroli Magni, Regum Francorum, in Buchonia Sylva in finibus Thuringiæ conſtruxit.

Weiſſenburgenſi.

Secundum fuit Sanctorum Petri & Pauli in *Weiſſenburg*, Spirenſis Diœceſis, quod ipſis referentibus Rex Francorum Dagobertus per viſionem admonitus fundavit.

S. Albani.

Tertium fuit Monaſterium *S. Albani* propè Moguntiam, antiquâ fundatione Regum Francorum inſigne.

S. Galli.

Quartum fuit Cœnobium *Sancti Galli*, in Suevia antiquiſſimum, per S. Columbani Abbatis ordinationem non multùm poſt mortem Sancti Legiſlatoris noſtri Benedicti conſtitutum.

Augiâ divite.

Quintum fuit Monaſterium in *Augia majore* propè Conſtantiam, quod S. Pirminius, Epiſcopus Meldenſis in Gallia, beati Mauri quondam diſcipulus, prædicator Chriſtianæ fidei olim per Sueviam magnificus & inſignis, fundavit.

Hirsfeldenſi.

Sextum fuit *Hirsfeldia*, quod ſanctus Lullus, Moguntinenſium Archiepiſcopus, beati Martyris Bonifacii ſucceſſor, anno Dominicæ Nativitatis DCCLXXIV. in Buchonia Sylva quatuor à Fulda milliaribus conſtruxit.

S. Mathiæ.

Septimum fuit Cœnobium *S. Mathiæ* propè civitatem Trevirorum, omnium monaſteriorum Teutonici Regni antiquiſſimum, quod longè ante S. Benedictum pro Monachis à ſancto Euchario I. Trevirorum Archiepiſcopo fuit inſtitutum.

Mediolacenſi.

Octavum Monaſterium *Mediolacenſe* in Lotharingia extitit, quod ſanctus Ludwinus, olim Dux, poſtea Monachus ibidem & Abbas, ac deinde Trevirorum Archiepiſcopus

(k) In Hiſt. Univerſ. Pariſ. Tom. I. p. 80.

fundavit. *Nonum* fuit Monaſterium

S. Mauritii Tholeienſi.

ſancti Mauritii apud *Dolegiam* in finibus Lotharingiæ Trevirenſis Diœceſis, quod ſanctus Pirminius ſupradictus Meldenſis Epiſcopus olim conſtruxit, & ſanctum Wandelinum diſcipulum ſuum Abbatem I. inſtituit, ac ſæpiùs inviſere conſuevit. Multi fuêre in ea regione Ordinis noſtri fratres eremitæ. In quo cœnobio antiquitùs, & magna Monachorum religio viguit, & ſtudium divinarum ſcripturarum omnium celeberrimum fuit.

Prumienſi.

Decimum fuit *Prumienſe* Monaſterium antiqua Regum Francorum in Diœceſi Trevirorum fundatione conſtructum, in quo per intervalla temporum viri complures in ſcripturis doctiſſimi claruerunt, varia ingeniorum ſuorum opuſcula ad utilitatem poſteritatis in Ordine lucubrantes.

Stabulenſi.

Undecimum fuit Monaſterium *Stabulenſe* in Diœceſi Leodienſium, quondam famoſum & potentiſſimum, in quo antiquitus maxima Monachorum multitudo extitit. Inter quos complures doctrina & ſanctitate coram Deo & hominibus magno in pretio claruerunt.

Corbeienſi.

Duodecimum fuit *Nova Corbeia* Monaſterium in Saxonia, conſtructum per Abbatem alterius Corbeiæ in Francia ſitæ, cujus monachi plures numero, eruditione & ſanctitate gloriosi totam Saxoniam Marchiam, Bohemiam, & Auſtriam cum provinciis adjacentibus ſuis prædicationibus & exemplis ad fidem veritatis converterunt.

S. Maximini.

Tertium decimum fuit Cœnobium *S. Maximini* propè muros civitatis Trevirorum antiquâ fundatione glorioſum, in quo magnæ ſanctitatis & eruditionis olim Monachi plures claruerunt, de quibus multi apud diverſas nationes Pontificatûs apicem aſcendere meruerunt.

Hirſaugienſi.

Quartum decimum fuit *Hirſaugienſe*, in quo per multos annos & magnæ ſanctitatis religio viguit, & ſtudium ſcripturarum Monachis in uſu continuo fuit.

Cùm autem hæ Scholæ Monachis & Oblatis ſolummodò edocendis inſtitutæ fuiſſent, quia tamen Epiſcopi & aliarum Eccleſiarum Præſules ſuas exercere neglexerunt, ant exerceri non curârunt, nec habebant Laici & ſeculares, qnò liberos ſuos commodè mittere poſſent ad eruditionem, eos præſertim, quos Eccleſiaſticis Ordinibus deſtinabant, proceſſû temporis intra ipſa Monaſteria recipi & hoſpitari poſtulârunt, aut ad Cœnobiales Scholas *Externas* miſerunt. At Monachi veriti, ne ſi ſeculares Regularibus miſcerentur, in Monaſticum Ordinem confuſio & perverſitas irreperet, duplices ſcholas exercitio literarum addixerunt; interiores quidem Cœnobitis inſtituendis, exteriores verò ſecularibus edocendis.

Scholæ interiores pro monachis: Exteriores pro Secularibus.

De utriſque clarè Ekkebardus Monachus in lib. de Caſibus S. Galli cap. 1. *traduntur*, inquit, *poſt tempus Marcello ſcholæ clauſtri cum Notkero poſtea cognomine Balbulo, & cæteris monaſtici habitûs pueris. Exteriores autem, id eſt, Canonicæ Yſoni cum Salomone & ejus comparibus.* Quæ verba referens & expendens Fileſacus in lib. de ſacrâ Epiſcoporum authoritate c. 15. ſubdit: *Sed hinc diſcimus Clauſtrales iſtas ſcholas in intimis Monaſterii penetralibus conſtitutas fuiſſe, alias verò extra Monaſterium...*

Quales fuère Floriacenſes.

Tales quoq; fuerunt Scholæ S. Benedicti ad Ligerim, ſeu *Floriacenſes*, nimirùm interiores & exteriores: ad has verò miſſus eſt *Abbo* filius Civis Aurelianenſis, ut in ejus vitâ apud Aimoinum legitur c. 1. *talibus ergo Abbo*, inquit, *ortus parentibus in Floriacenſi Monaſterio ſcholæ Clericorum Eccleſiæ S. Petri obſequentium traditur literis imbuendus.* Et has ſcholas, ait *Joannes de Boſco* in Bibliotheca Floriacenſi, *plur quinque millibus ſcholaſticorum olim abundâſſe.* Sed de his aliàs.

Quid de his in collatione Aquiſgran.

In collatione Abbatum Aquiſgrani ſub *Ludovico Pio* habita cap. 45. vetitum obſervabit nonnemo: *Ut ſchola in Monaſterio non habeatur, niſi eorum, qui oblati ſunt*; hoc eſt, *Dei ſervitio mancipati.* Verùm huic incommodo facili negotio occurrebant monachi; ſiquidem intra monaſterii ambitum ſcholam inſtituebant duplicem pro conditione & varietate auditorum; Alteram *clauſtralem*, in quâ pueri aſceticæ vitæ dicati exercebantur: Alteram *Canonicam*, ſive *Clericalem*, in quâ pueri ſeculares; illa in remotiore monaſterii parte: hæc extra monaſterium in adjacenti ædificio, cui tamen & ipſi præerant cœnobitæ. Et hæc ſanè ſcholarum partitio ſolennis erat non modò in Floriacenſi, Fuldenſi, San-Gallenſi, & aliis Cœnobiis, ſed etiam in Cluniacenſi Archimonaſterio, ut idoneus teſtis *Lucas Acherius* (1) fidem facit.

Porrò in illis Majoribus Cœnobiis toti rei ſcholaſticæ unum aliquem Mona-

chum

(1) In Not. & Obſerv. ad vit. B. Lanfranci.

Google

Scholarũ Præfectus vulgò Scholaſticus.

chum præfuiſſe, noménque *Scholaſtici* habuiſſe, teſtis eſt idem Trithemius, *è quorum Collegio*, inquiens, *in ſingulis Cœnobiis majoribus unus cæteris in ſcientiâ ſcripturarum excellentior Scholaſticus ponebatur.* Quòd ſi quem non habebant idoneum, quem aliis præficerent, aliunde, hoc eſt, ex aliis Monaſteriis evocabant eodem teſte. Quoties autem idoneum ad hanc ſubeundam provinciam in ſuo Cœnobio Monachum Abbas minimè haberet, de aliquo alio Monaſterio petere aptum, non erat verecundum. Maximum enim dedecus judicabant dociles animos Monachorum negligere, quos ut moribus & literis bene inſtituere poſſent, nullis laboribus, nullis parcebant impenſis. *Sic namque doctiſſimus ille Gemblacenſis Monachus Sigebertus multo tempore in Cœnobio S. Vincentii Metenſis Monachorum Præceptor, quamquàm de alio Monaſterio fuit. Ita Strabus Monachus Fuldenſis in Hirsfeldia, Notgerus S. Galli in Stabulenſi, Albinus Monachus Anglus in Fulda, Milo S. Amandi in Corbeia, atque alii complures in aliis Monaſteriis docendi ad tempus tenuerunt officium.*

Subinde ex alio cœnobio accitus, uti Sigebertus Gemblacenſis, & alii.

Imo etiã è laicis aſſumtus.

Imò nonnunquam ſi deeſſent Monachi ſatis periti, è ſecularibus aſſumebantur, qui id muneris præſtarent. Refert enim Hedio lib. 6. cap. 9. Hiſtor. Eccleſ. *Doctos viros è Græcia in Galliam veniſſe, & à Pipino & Carolo M. in Monaſteria miſſos eſſe, ut Græcam linguam docerent Monachos: atque ita Ægidium in Galliis, Apollonium Ratisbonæ in Cœnobio Hemerani, Virgilium apud Salisburgenſes inclaruiſſe.*

Ex his conſpicoum fit, quòd Majores noſtri, quia à ſui inſtituti primordiis ad literarum profeſſionem ſe contuleront; ſcholas habere voluerint duplicis generis in ſuis Monaſteriis: in minoribus quidem & infrequentibus minores & privatas, in majoribus verò & famoſioribus majores, quas propter penuriam Profeſſorum Laicorum & ſecularium, omnibus patere & publicas fieri voluerunt, ita ut unicuique liberum eſſet etiam extraneis, ſecularibus, Laicis, & Clericis ad eas convolare.

Non literis tantùm, ſed etiam virtutibus juventus ſecularis imbui ſolebat.

Attamen in his quoque ſcholis externis taliter juventus in literis inſtituebatur, ut haud minor pietatis ac morum quàm doctrinæ cura haberetur. Ut verbis utar Mabillonii. *Veteres illæ noſtrorum Academiæ eædem & rectè faciendi & bene dicendi ſcholæ erant: neque disjuncti (quod alicubi Cicero improbat) ſed iidem erant vivendi præceptores atque dicendi. Abſurdum quippe eſt diſſidium illud quaſi linguæ atque cordis: ut alii nos ſapere, alii dicere doceant.* Atque ne gratis hæc à me dici videantur, in exemplum è quàm plurimis adduco *S. Anſcharium* Septentrionis Apoſtolum, & *B. Aldhelmum* Abbatem primùm Malmesburienſem, tum Epiſcopum Schireburnenſem in Anglia. Et priori quidem non minori curæ fuit, ut diſcipulos ſuos, quos in ſchola Corbeiæ Gallicæ (m) docebat, bonis moribus, quàm liberalibus diſciplinis erudiret. Nec operam hac in re fruſtra collocavit. Contigit enim, ut quidam de ludo puer *Fulbertus* nomine à condiſcipulo tabula percuſſus interierit, ob quod non mediocriter contriſtatus eſt ſanctus Magiſter, quòd inter ſuos diſcipulos tam immane facinus accidiſſet. Cùm ergo puer ille tam graviter vulneratus animam ageret, S. Anſcharius in lecto recubans ſe ſopori dedit: tum ecce vidit animam pueri ab Angelis in cœlum deferri, & in manſione purpurea inter Martyres collocari, eo quòd ipſe puer vulnus ſibi illatum patienter tuliſſet, & pro perſecutore oràſſet. Quis hìc pro dignitate explicet, quanto fuerit ſolatio Divo Præceptori, talem educâſſe & inſtituiſſe diſcipulum? Beatus verò *Aldhelmus*, quo tempore monaſterio Malmesburienſi adhuc præfuit, celebrem in eo aperuit ſcholam, cujus limina incredibili diſcipulorum frequentiâ terebantur: in quibus inſtruendis fruſtra ſe operam ſumpſiſſe credebat, niſi non minùs probi, quàm literati evaderent. Cujus rei clariſſima dedit indicia in epiſtola ad *Adilwaldum* juvenem, domi ſuæ nobiliſſimum, diſcipulum ſuum, his ipſis verbis: „ Dilectiſſimo mihi filio, & ſimul diſcipulo Adilwaldo Aldelmus extremus ſervorum Dei ſalutem.

Epiſtola B. Aldelmi.

„ Quemadmodum te viva voce aliquotiens de aliquibus ammonere curavi, ita & ut nunc abſentem paternâ ſecundùm Deum auctoritate fretus literis exhortari non piget. Hoc enim ideò agimus, quod *charitas Chriſti*, ſicut ait Apoſtolus, *urget nos* (2. Cor. 5. v. 14.) Itaque fili mi chariſſime, licèt adoleſcens ætate exi-

(m) Hug. Menard. in Menolog. p. 378.

„ exiſtis; vaniſſimis tamen oblecta„ mentis hujus mundi nequaquam „ te nimiùm ſubjicias, ſive in quoti„ dianis potationibus & conviviis uſu „ frequentiore ac prolixiore inhone„ ſtè ſuperfluis, ſive in equitandi va„ gatione culpabili, ſeu in quibusli„ bet corporeæ delectationis volupta„ tibus execrandis. Memento ſem„ per, quod ſcriptum eſt: *Adoleſcen„ tia & voluptas vana ſunt.* (Eccl. xi. „ 10.) Ammonui quoque, vehemen„ tiori pecuniæ & omni ſecularis glo„ riæ Deo ſemper odibili jactantiæ ne„ quaquam ultra modum inſervias, „ illius ſententiæ reminiſcens: *Quid „ prodeſt homini, ſi totum mundum „ lucretur, animæ verò ſuæ detrimen„ tum patiatur.* Marci 8. 36. *Filius „ enim hominis venturus eſt, in gloria „ ſua, & ſanctorum Angelorum, & „ retribuet unicuique ſecundùm opera „ ſua.* Sed multò magis mi amantiſ„ ſime, vel lectionibus divinis, vel „ orationibus ſacris ſemper invigila. „ Si quid verò præterea ſecularium „ literarum nôſſe laboras, ea tantum„ modò cauſa id facias, ut quoniam „ in Lege divina vel omnis, vel pene „ omnis verborum textus artis omni„ no ratione grammaticæ conſiſtit, „ tantò ejusdem eloquii divini pro„ fundiſſimos atque ſacratiſſimos ſen„ ſus faciliùs legendo intelligas, quan„ tò illius rationis, quâ contexitur, „ diverſiſſimas regulas pleniùs didi„ ceris. Ante te autem hanc epiſto„ lam jugiter inter cæteros, quos le„ gis libros habere non omittas, ut „ videlicet ejus lectione creberrima „ de his, quæ in ea ſcripta ſunt, im„ plendis mea vice poſſis ammoneri. „ Vale. „ Hæc B. Aldhelmus, cujus epiſtolam referre integram eo viſum eſt, ut ex ea liquidò conſtet, quis cùm ipſi tum cæteris Majoribus noſtris in erudienda juventute olim propoſitus fuerit ſcopus. Nempe eò nunquam non collimârunt, ut *ii* juvenes atque adoleſcentes, quos liberalium artium diſciplinis inſtituendos ſuſceperunt, Deum ſummum illum rerum architectum rectè cognoſcerent, cognitum, quâ par eſt reverentiâ animique demiſſione ſuſpicerent, colerent, timerent, ac devenerarentur. Sciebant enim cognitionem hanc unicum eſſe & verum Chriſtianæ pietatis fundamentum, & virtutum magiſtram. Cupiebant quidem & alia ſuis diſcipulis, quibus vita & beatior & honoratior ipſis contingeret, ſed veram pietatem, divinum amorem & timorem, moresque chriſtianos in primis habebant curis; cætera ſcholarum ſuarum alumnis quasdam quaſi appendices aut optabant, aut procurabant. Quò fiebat, ut ex eorum ſcholis Viri illuſtres, moribus ornati præclariſſimis ingenti numero prodirent.

Benedictinis quis finis in juventute inſtruenda fuerit propoſitus.

Quæ diſciplinæ traditæ.

Et quidem in Monaſticis ejusmodi ſcholis, ſaltem inſignioribus, obſervat Cl. *Maderus* (n) non inferiores tantùm illas diſciplinas, Grammaticam, Logicam, & Rhetoricam, quas *Trivii* nomine appellavêre veteres, ſed & reliquas quatuor *Quadrivii* nomine illuſtres, fuiſſe traditas: atque aliter inſtitutos, qui in *exterioribus*, ſive canonicis, aliter qui in *clauſtralibus* erudirentur ſcholis. Hanc namque in iſtis ſcholis obtinuiſſe diſtinctionem, indicat liber Eckeardi Junioris de Caſibus S. Galli cap. 2. & alius Eckehardus de vita Notkeri cap. 7. Non igitur duntaxat vigebat SS. Literarum profeſſio, ſed omnium liberalium artium & diſciplinarum, quas tamen eo more tractabant noſtri, ut ſacrarum pediſſequæ eſſent, iisque ancillarentur.

Monaſteriorum à literarum ſtudiis magna celebritas.

Ex his verò juvenum, etiam illuſtrium, maximorum deinceps virorum publicis ſeminariis, Benedictini Ordinis magna claritas excrevit: ut licèt ſanctitate & religione tunc maximè florerent Cœnobia, tamen à Muſis penè majus nomen traherent. Id fatentur adhuc ipſi Novatores noſtræ ætatis, quibus aliàs Monachorum nomen ſatis inviſum: & hi tamen à literarum ſtudiis antiqua monaſteria celebrant, & ita celebrant, ut meras fuiſſe ſcholas contendant. Ipſa Confeſſio Auguſtana (o) cum aſſeclis ſuis fatetur, Cœnobia fuiſſe literarum Gymnaſia. Quamquàm in eo fallitur, aut fallit, quòd monaſteria nil niſi ſcholas fuiſſe tradit, cùm in iis ſemper princeps cura religionis fuerit, ſit, & eſſe debeat; altera eruditionis.

Teſtimonium Meibomii.

Henricus Meibomius (p) *Junior* ejusdem Confeſſionis Auguſtanæ aſſecla, non tantùm fatetur, in antiquiſſimis Germaniæ monaſteriis doctrinarum ſtudia fuiſſe tradita, ſed præterea contendit, cœnobia fuiſſe antiquitùs puras putas ſcholas. „ Teſtem „ do, *inquit*, omnem antiquitatem, „ quæ de hoc teſtimonium perhibet lucu-

(n) In epiſt. ad Conring. quæ Opp. ejus Tom. V. p. 547. extat.
(o) Aug. Conf. p. 2. cit. in Hiſt. Saliſburg. auth. Mezger lib. 3. c. 10. p. 253.
(p) in Notis ad Diploma Thaſſilonis T. III. Rer. Germ. p. 196.

„ luculentum. Nec uno in loco idem „ inculcat *Trithemius*, monachorum „ doctiſſimus, priſcæque in vita re„ ligioſa integritatis & ſanctitatis vin„ dex, & aſſertor flagrantiſſimus. Cujus locum ex Chronico Hirſaugienſi ad annum 890. adſcribamus. *Erat his temporibus hæc conſuetudo celeberrima, ut ſcholæ monachorum in ſingulis pene cœnobiis haberentur, quibus non ſeculares homines, ſed monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatiſſimi: qui non ſolùm in divinis ſcripturis docti eſſent, verùm etiam in Mathematica, Aſtronomia, Arithmetica, Geometria, Muſica, Poëſi, & cæteris omnibus non ſolùm in Romana lingua docti erant, ſed etiam in Hebraica, Græca, & Arabica doctiſſimi, quod ex eorum opuſculis facilè cognoſcitur.* Et paulò poſt: *Multi ex monachis propter ſcientiam literarum incomparabilem ad Epiſcopatûs honorem ſublimati ſunt, qui ordinem ſuum vitâ & doctrinâ mirabiliter illuſtrârunt.*

Trithemii,

Cum Trithemio facit *Cuſpinianus* librô de Auſtria his verbis: *In cœnobiis optimæ artes docebantur; erudiebantur in virtutibus, ac diſciplinis: vitam vivebant honeſtam ac ſanctam: omnis conatus erat in addiſcenda ſimul eruditione & tranquillitate vitæ.* Quæ Cuſpiniani verba à Meibomio ad confirmandam ſuam ſententiam adducta fuiſſe, oppidò miror, cùm ex iis manifeſtè evincatur, antiqua Benedictinorum monaſteria non eruditionis tantùm ac diſciplinarum, ſed virtutum etiam, vitæ honeſtæ ac ſanctæ fuiſſe ſcholas. Unde falſa procul dubio fuit eorum opinio, qui ante Meibomium pariter ſcripsêre, Monachorum cœnobia non aliter inſtituta fuiſſe, niſi ut inſervirent tanquam Lycæa, aut publicæ Academiæ, in quibus ſcientiæ humanæ traderentur. „ Si „ vel minima de antiquitate notitia „ habeatur, inquit *Mabillonius* (q), „ operoſum valdè non erit, commen„ titiæ hujus hypotheſis detegere fal„ ſitatem; inde námque ſuadebitur, „ amorem potiùs ſolitudinis ac vir„ tutum, mundíque deſpectum & fu„ gam ab hujus corruptelâ fuiſſe, quæ „ ad ejusmodi ſancta inſtituta unicam „ anſam præbuerint: denique id „ haud aliter factû fuiſſe, præterquàm „ ex deſiderio perfectè Chriſtum imi„ tandi, omniáq; propter ipſum relin„ quendi, exemplo Principis Apoſtolo„ rum Dominum in Evangelio ſic inter„ pellantis: *Ecce nos reliquimus omnia,* „ *& ſecuti ſumus te.* Ex quibus tantùm „ verbis, ut notat S. Bernardus, factum „ eſt, *ut Clauſtra & Eremi, Monachis* „ *& Anachoretis abundarent.*

& Cuſpiniani.

Monaſteria non fuerunt meræ ſcholæ.

Hæc de Scholis Benedictinis generatim dicta ſunto, nunc de iis in ſpecie acturi ſumus. Cùm verò non tam hiſtoriam, quàm Sciagraphiam Hiſtoriæ Literariæ ſcribam, à me minimè exſpectandum, ut ea omnia, in quibus olim floruêre, hodiéque florent literarum ſtudia, monaſteria deſcribam. Seligam duntaxat pauca, tum vetera, tum moderna, quæ ad Ordinis celebritatem, famam, amplitudinem, ac doctrinæ commendationem præ multis aliis recenſeri merentur.

è quibus celebriores deſcribentur.

§. I.

SACRUM MONASTERIUM CASINENSE.

CAſinenſis Monaſterii Schola ſi omnes alias Ordinis Benedictini Scholas circumſpicis, nulli quidquam de ſtatu & flore hodie concedit, & quod nulli conceſſum, inde usque à primis Familiæ Benedictinæ incunabulis ſua arceſſit exordia. Etſi verò nihil peculiare (r) ante hujus toto orbe celeberrimi Archiſterii deſtructionem nobis occurrat, paucorum annorum decurſu à Divi Benedicti obitu à Langobardis factam; haud ægrè tamen conjici poterit, literarum ſtudia illô etiam ævô à Caſinenſibus exculta fuiſſe, tum ex generali argumento alibi deducto, tum ex aliis, quæ ſpecialiora ſuperſunt. Carmina, quæ Marcus, ſancti Patriarchæ diſcipulus, ſuper ejus vita concinnavit, ſunt quidem unicum ſtudiorum illius temporis veſtigium, quòd usque modò ibi remanſerit; quicunque tamen ea perlegere voluerit, facilè inde dignoſcet, inter Poëtas mediæ ætatis vix alium occurrere, qui meliora cecinerit. Paulus Diaconus, qui nongentis abhinc annis monaſticam ibi vitam degebat, ea multùm commendavit; & Petrus Diaconus aſſeveranter tradit, præfatum Marcum ex Divi Benedicti Alumnis extitiſſe. Utcunque tamen ſit, procul dubio, ut ipſemet teſtatur, Caſinatis Montis monachus erat, quemadmodùm à nemine ambigitur, ſanctos Maurum ac Placidum

Schola Caſſinenſis omnium antiquiſſima.

(q) Mabill. Tract. de Stud. Mon. part. 1. c. 1. p. mihi 3.
(r) Idem l. c. part. 1. cap. xi. p. 42.

In ea inſtituitur illuſtris juventus Romana.

cidum ibidem à teneris annis, unà cum cæteris Nobilium Romanorum illuſtrioris generis & conditionis filiis, à S. Patre Benedicto fuiſſe educatos. Poſtquàm verò Monaſterium cum ſchola in cineres à Langobardis redactum fuit, monachi Romam confugientes Patriarchium Lateranenſe incoluerunt. Siquidem teſte Leone Marſicano in Chron. Caſin. Lib. 1. cap. IV. inde colonia monachorum Caſinum per Petronacem reducta eſt. In hoc aotem Patriarchio educatus ac literis imbutus eſt, ut perhibet (s) *Anaſtaſius*, *Gregorius II.* natione Romanus, ex patre Marcello &c. Poſt inclytæ verò Abbatiæ Caſinenſis reſtaurationem à *Petronace* Abbate factam, ſtudia quoque ibidem reſtituta fuerunt.

Paulus Diaconus ſcholæ magiſter.

Paulus enim *Diaconus*, qui *Deſiderio* ultimo Langobardorum Regi à ſecretis fuerat, cùm ſe in iſtnd Cœnobium recepiſſet, Monachus factus, humaniores literas Confratres ſuos ibidem docuit. *Joánnes Diaconus* in Chronico Epiſcoporum ſanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ in Tom. I. part. 2. Rer. Italic. Scriptor. pag. 310. loquens de *Stephano II.* Epiſcopo Neapolitano ait: *Hic etenim Romam direxit tres Clericos, qui in ſchola Cantorum optimè edocti, omnique ſacro Romanorum Ordine imbuti ad propria redierunt. Ex quibus unum Leonem, cognomento Mauranta, Cardinalem ordinavit Presbyterum, alios deinde Clericos in Monaſterium ſancti Benedicti Paulo Levitæ deſtinavit. Unus verò de iſtis, Johannes nomine, qui pòſt Diaconus ordinatus eſt, apprimè eruditus effulſit.* Eadem narrat Chioccharellus in Archiepiſcopis Neapolitanis pag. 74. & Ughellus Tom. VI. Ital. Sac. in Archiepiſcopis Neapolitanis.

quo uſus eſt S. Ludgerus Epiſc.

Paulo etiam *Diacono* præceptore ſub hæc tempora fors uſus eſt *S. Ludgerus*, Mònaſterii in Germania Epiſcopus, qui Widekindi Saxonnm Ducis, ac rei Chriſtianæ etiamnum hoſtis acerbiſſimi, furias declinans è Saxonia Romam primùm, tum in Aſceterium Caſinenſe abiit. *Erat enim*, ut Henricus Meibomius Junior (t), tametſi à Romanis Sacris alienus, minimè diffitetur, *erat is locus toti orbi Chriſtiano notus propter ſcholam, quæ à temporibus Benedicti per Occidentem Patriarchæ ibi florebat docentium ac diſcentium frequentiâ longè celeberrima, Eam diſcendi occaſionem avidè Ludgerus amplexus ſubſtitit ibi*; pro Saxonum converſione aſſiduè Deum orans, donec ſedatis perſecutionnm procellis Eccleſia Mimingarderodana rurſus ei àuſpicatò concrederetur.

Berthariüs & Erchempertus ſcholæ Caſinenſis ornamenta.

Seculo IX. *S. Bertharius* Abbas, vir doctus, prout illorum temporum conditio ferebat, ſcholam Caſinenſem illuſtravit, ſcribendo in uſum ſcholarium *aliquot de Arte Gramatica libros.* Eâdem in ſchola inſtitutus fuit *Erchempertus*, qui, teſte Peregrinio (u), *ingenii, quâ pollebat acritate exigui temporis ſpatio, & pro rudi illo ſeculo ad miraculum usque grammaticam, poëticam, rhetoricámque utcunque aſſecutus, cellam continuò adminiſtravit, legationiſque munus exercuit* (ſcilicet ad Stephanum Pontificem) *ut hoc quoque ſupra ætatem miraculum Mundus ille admiratus fuerit, & eo ipſe miraculo legatur electus, legatióque ejus charior acceptiórque Romano fuerit Pontifici. Nec tamen ob id crediderim, illum ut ſummum attigiſſe tunc annum vigeſimum quintum &c.* Scripſit hiſtoriam Langobardorum Psincipum Beneventi, Capuæ, Salerni &c.

Antonius Monachus Scholam Caſin. illuſtrat.

Seculo X. quòd Schola Caſinenſis non omnino incelebris fuerit, argumento eſt, quod de ANTONIO Monacho ſcribit VICTOR III. (x) *Qui ſecularibus ac divinis literis haud mediocriter eruditus ab adoleſcentia usque ad vitæ exitum in ſæpe dicto monaſterio omnibus pene in hac provincia notus extitit.* Quibos addi poſſunt *Laurentius* Monachus & Epiſcopus, qui præter vitam S. Mauri Abbatis & S. Caſtenſis Epiſcopi verſibus contextam, ſcripſit etiam Acta S. Wenceslai Bohemiæ Regis; necnon *Johannes* Abbas hujus nominis primus, qni ſcripſit Chronicon de perſecutionibns ejusdem Cœnobii.

Theodericus Sec. XI. eandem ornat.

Seculo XI. inter Scholaſticos Caſſinates agmen ducit *Theodericus*, de quo hæc habet Petrus Diac. de Vir. Illuſtr. Caſin. cap. 16. *Theodericus Caſinenſis Gymnaſii presbyter, vir inter ſcriptores eccleſiaſticos non immeritò prædicandus, hiſtoriam S. Confeſſoris Chriſti Firmiani, & hymnum in laudem beatiſſimi Mauri venuſto ſtylo deſcripſit.* Sequuntur *Alfanus*, *Amatus*, *Albericus*, maximè autem *Conſtantinus Africanus*, philoſophicis ſtudiis pleniſſimè eruditus, atque, ut Petrus Diaconus

(s) pag. 163. apud Gattol. in Hiſt. Caſ. Sec. III. §. IV. p. 21.
(t) Differt. de Origine Helmſtadii Rer. Germ. tom. III. p. 227.
(u) Hiſt. Princip. Longobard. à pag. 7. usque ad 24.
(x) apud Gattol. l. c. Sec. V. p. 105.

Alii illuſtres Viri.

conus cap. 23. ait: *Orientis & Occidentis Magiſter &c.* Africani inter alios quàm plurimos auditor erat *Adto* Agnetis Imperatricis Capellanus, qui, quæ *Conſtantinus* de diverſis linguis tranſtulerat, cothurnato ſermone in Romana Lingua deſcripſit. Hoc ævo etiam in Schola Caſinenſi à puero educatus fuit LEO *Marſicanus* Chronici Caſſinenſis celeberrimus conditor.

Leo Marſicanus ibidem educatur.

LEO *Oſtienſis Epiſcopus*, inquit Petrus Diaconus cap. 30. *ac Bibliothecarius, à pueritia in Caſſino oblatus, ſanctitate, & monaſticis diſciplinis ad plenum imbutus, & in divinis Scripturis apprimè eruditus &c.* Ex epiſtola nuncupatoria, quâ idem *Leo Marſicanus* celebre ſuum opus, Chronicon Caſinenſe, *Oderiſio* Abbati inſcripſit, abundè intelligimus, quis rei literariæ ſtatus ac conditio fuerit in Monaſterio Caſinenſi ſub *Deſiderio* Abbate Oderiſii anteceſſore ac poſteà Romano Pontifice, VICTORE hujus nominis tertio: *Ex diverſis mundi partibus ejusdem ſancti Prædeceſſoris tui diligentia vel jam eruditos aggregaverat, vel in hoc ipſo Cænobio erudiri ſtudioſiſſimè fecerat.* Floruit etiam hoc ſeculo Medicinæ ſtudium in Schola Caſinenſi, ſed de hoc aliàs.

Schola Caſin. apprimè floret.

De *Johanne Cajetano*, qui poſteà Summus Pontifex GELASIUS II. vocatus fuit, hæc affert Petrus Diaconus cap. 45. *Gelaſius Sedis Apoſtolicæ Pontifex, parvulus in Caſſino ſub Deſiderio Abbate beato Benedicto oblatus, & ab Alberico Philoſopho edoctus.* Quàm præclarè autem, docet nos Pandulphus Piſanus in ea, quam de Johanne ſcripſit vitam ſub nomine Gelaſii II. his verbis: *Tunc Papa* (Urbanus II.) *literatiſſimus & facundus fratrem Johannem, virum utique ſapientem, ac providum ſentiens, ordinavit, admovit, ſuúmque Cancellarium ex intima deliberatione conſtituit; ut per eloquentiam ſibi à Domino traditam antiqui leporis & elegantiæ ſtilum in Sede Apoſtolica jam pene omnem deperditum ſancto dictante Spiritu, Johannes Dei gratia reformaret, ac Leoninum curſum lucidâ veritate reduceret.*

In ea inſtruitur Gelaſius PP. II.

Idem Cardinalis Pandulphus in vita Gelaſii II. de iis Caſſinatibus agens, qui Gelaſium puerum (exeunte Seculo VI. liberalibus diſciplinis inſtruxerant, hæc ſcribit: *Hic* (Gelaſius) *beatæ recordationis domino Oderiſio Abbate Caſinenſi petitus ad ſerviendum imbi tanquam in Monaſteriorum omnium capite ac principio, & aſſignatus devotè & devotius eſt à jam dicto patre ſuſceptus, ac cum non paucis aliis regulariter eſt converſatus. Ubi viris ad omnia peritiſſimis, quorum in monaſterio non parva copia inerat, ad liberales artes addiſcendas adjunctus, & ipſas præ omnibus ferè aliis diverſarum regionum præclaræ indoli pueris artes in brevi, & monaſticum ordinem plenè nimis addidicit.*

qui præ aliis in literis excellit.

Eadem ſchola pluribus Viris doctis abundat.

Cui concinit Petrus Diaconus in prologo ad lib. IV. Chron. Caſin. *Sed dum tot, ac tantos viros in hoc ſacratiſſimo cænobio liberalibus diſciplinis plenos aſpicio, oneris faſce devictus ſuccumbo. Hi enim ſal terræ ſunt, quorum verbis hominum mentes, ne tædii torpore deficiant, condiuntur. Hiſperulæ ſunt & lilia in ſeptiformi candelabro poſiti, qui denſas peccatorum ſordes abluunt, & ad æterni luminis claritatem reducunt.* Quid verò ſibi velit Petrus, cùm *liberales artes* nominat, explicat *Nuceus* in Notis hiſce verbis. „Quod

Liberalium artiū nomine omnes ſcientiæ intelliguntur.

„ autem Petrus & Pandulphus libe-
„ rales ajunt artes, non ſeptem dun-
„ taxat illas intelligo, quæ hoc no-
„ mine ex uſu appellantur, qualis
„ Muſica, Gramatica, Dialectica &c.
„ à ſellulariis & ſervilibus diſtinctæ,
„ ſed univerſim ipſam encyclopæ-
„ diam, hoc eſt, diſciplinarum cir-
„ culum, prout Philoſophiam quo-
„ que, Theologiam, ſacrarúmque ſtu-
„ dium Scripturarum amplectitur;
„ quippe quæ ipſæ liberales imò li-
„ beraliores cenſeri debent, & libero
„ homine digniores, cujus animum
„ vitiis liberant, & virtutibus man-
„ cipant, quæ ipſiſſima hominis eſt
„ libertas. Nullum ſanè ſtudiorum
„ genus eſt, in quo majores noſtri
„ præclara monumenta non relique-
„ rint, quorum pleraque in noſtra
„ adhuc extant Bibliotheca. Caſinen-
„ ſi ergò Cœnobio Viri ut ſanctitate,
„ ita omni doctrinâ conſpicui nun-
„ quam deſiderati ſunt. Semper enim,
„ quæ Numinis largitas eſt,

Uno avulſo non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.

Alii illuſtres Viri: Pandulphus,

ANGELI verba confirmari poſſunt exemplo Pandulphi, de quo Petrus cap. 25. *Pandulphus*, inquit, *Oſtienſis Epiſcopus parvulus & ipſe in Caſino Benedicto oblatus ſcripſit Sermones de totius anni feſtivitatibus, Rythmum quoque in laudem S. Mariæ compoſuit, & alia nonnulla, quæ noſtris in manibus necdum venerunt.*

Gregorius,

De GREGORIO Monacho Caſſinenſi & Epiſcopo Terracinenſi idem Petrus Lib. IV. Chron. Caſſ. cap. 42. *Gregorius*, ait, *hujus cænobii à pueritia monachus, & in Scri-*

pturis ſanctis eruditiſſimus &c. ejus lucubrationes enumerat de Vir. Illuſtr. cap. 32. Denique ipſe *Petrus Diaconus* ab ineunte ætate in ſchola Caſinenſi Seculo XII. inſtructus de ſe ipſo audiendus eſt; ſic verò loquitur: *His porro temporibus Petrus Diaconus anno dominicæ incarnationis quintodecimo, centeſimo atque milleſimo, primo ætatis ſuæ luſtro, à parentibus ſuis beato Benedicto oblatus, & à jam dicto Gerardo Abbate ſuſceptus, & habitu ſanctæ converſationis indutus, atque ſub eodem Abbate per annos bis IV. eruditus &c.* Ejus præceptor (cap. 39.) alius Petrus etiam Diaconus, vulgò Senior: *Petrus Diaconus inſtitutor meus, declamator inſignis, è civitate Theanenſi, de quâ oriundus erat, egrediens, Caſſinum advenit, atque ab Oderiſio Abbate Monachus factus eſt.*

Petrus Damianus Scholæ Caſin. alumnus.

Non ultimum etiam decus ac prodigium Caſſinenſis ſcholæ hoc ævo fuit PAULUS Monachus, tametſi luminibus captus: de quo hiſce verbis agit Petrus Diaconus c. 36. *Paulus è Liguria Romanorum provincia ortus & ab ipſa infantia occulto Dei judicio lumine privatus, & ob hanc rem in literis & philoſophicis ſtudiis ignarus, tantum uſque in hodiernum diem de ſe miraculum præbuit, ut ab omnibus alter Didymus appelletur. Hic poſtquam ſub Oderiſio Abbate Caſſinenſe Cœnobium adiit, ſcripſit altercationem Romanorum & Græcorum, quæ facta eſt in civitate Conſtantinopolitana temporibus Paſchalis II. Papæ & Alexii Imperatoris: ſuper Eſaiam, ſuper Hieremiam, ſuper reliquos Prophetas, ſuper Pſalterium, ſuper Mathæum, ſuper Marcum, ſuper Lucam, ſuper Joannem, ſuper Epiſtolas Pauli, ſuper Apocalypſim.* Non ſolùm autem Grammaticam, verùm & reliquas artes auditu tantùm pleniſſimè cordetenus didicit. Scripſit etiam vitam S. Ebbizonis Monachi Caſinenſis, qui Hilarioni ſimilis fuit. Extant & alia ejus librorum volumina, quæ iu noſtras manus nondum venerunt. Obiit autem (y) apud Tiburtinam civitatem.

Paulus Monachus Scholæ Caſin. prodigiũ.

Seculo XIII. Caſinenſem Scholam primæ magnitudinis aſtrum, S. THOMAS *ab Aquino*, illuſtravit, qui anno 1230. pro illorum temporum more puer quinquennis monachus Caſinenſis efficitur, ut luculenter teſtantur viri ac fœminæ omni exceptione majores, non è noſtris tantùm, ſed ipſa ſacra Patrum Prædicatorum Familia, quorum teſtimonia nemini non legenda affert *Eraſmus Gattola* in Hiſt. Caſin. Sec. VIII. §. v. pag. 418. quamvis non neſciam, repugnare alios, ac non multis ante annis doctiſſimum *Hyacinthum Amat de Graveſon.* Utut res ſe habeat, de qua hîc contentionis funiculum trahere volupe mihi non eſt, maximè cum eam in opinionem ſim adductus, ut exiſtimem, ex D. *Thomæ Aquinatis* Monachatû Benedictino haud plus gloriæ accedere Caſſinatibus, atque ex eo Canonicis Regularibus accrevit, quòd *S. Antonius* Paduanus illorum primò inſtitutum amplexus in leges ſubinde FF. Minorum juraverit. Certum manet ex Ptolomæo, Lucenſi Dominicano, S. Thomæ multis annis Confeſſario, ſtudia Grammaticæ, Logicæ, & Philoſophiæ fuiſſe ab eodem apud Caſſinates exacta. En Ptolomæi (z) verba! *Hic* (S. Thomas) *nutritus in ſua pueritia in Abbatia Montis Caſſini, qui ſunt Monachi nigri, & ſecundùm morem nobiliſſimi illius patriæ, ut patet de B. Mauro & Placido, ibidem in ſua pueritia in logicalibus & naturalibus optimè profecit.* Veri etiam ſimile eſt, *S. Thomam* Neapoli aliquamdiu Benedictinos Præceptores audiviſſe in Theologia, ad quam eo tempore docendam *Eraſmus* Monachus Caſinas ab ipſa Univerſitate Neapolitana evocatus fuit. Plures alios vixiſſe in Cœnobio Caſſinenſi viros doctos certò credimus, cùm plures ad eccleſiaſticas dignitates ſint hoc ævo aſſumpti, quæ non niſi eximiæ doctrinæ pietatiſque ſtudio comparantur.

S. Thomas Aquin. illuſtre Sidus Scholæ Caſin.

Seculo XIV. Schola Caſinenſis viris doctis non caruit, præſertim Juris Canonici peritiſſimis, cujusmodi fuerunt *Nicolaus de Fractura*, *Richardus à S. Angelo*, & *Guillelmus de Sueſſa.* Doctus etiam certè fuerit *Petrus* Abbas neceſſe eſt, cujus operâ in viſitandis, reformandíſque Eccleſiis, alíſque graviſſimis peragendis rebus uſi ſunt URBANUS V. & VI. Regéſque Neapolitani CAROLUS III. & LADISLAUS; atque ex ejus regeſtis ſatis liquet cùm potiſſimùm Abbates omnes Caſinenſes examini, antequàm dignitatem inirent, ſubjicerentur,

Caſinenſes periti ſunt Juris Canonici.

quem-

(y) Ejusdem meminit Petrus lib. 3. Chron. Caſ. cap. 47. vid. etiam Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 45. pag. 376. Gattol. Sec. VII. §. VI. p. 392.

(z) Extat Ptolomæi Hiſt. Mſc. in pluribus Bibliothecis, teſte Oudino de S. E. vid. etiam Gattol. l. c. p. 478.

quemadmodùm modò fit, quantùm ad Epiſcopos.

Pyrrhus Caſinenſis Monachus perdoctus.

Seculo XV. Quis de *Pyrrhi*, Monachi Caſſinatis, ut de aliis taceam, doctrina addubitet, cùm MARTINI V. fuerit Referendarius? Ab *Eugenio IV.* antem electus eſt unus è quatuor judicibus, & conſervatoribus bonorum, juriúmque Congregationis S. Juſtinæ, quæ magna tum ſanctitatis ac doctrinæ opinione florere incipiebat, illi facultate tributâ, omnes ejus Congregationis monaſteriorum controverſias dirimendi. Plures extant in Bibliothecâ Caſinenſi codices hoc & proximo ſeculo manû exarati, in quibus Sermones, Expoſitiones in ſacram Scripturam, aliáque continentur, absque Authorum nominibus. An à Caſſinatibus noſtris elucubrata ſint, divinare non poſſumus, inquit Gattola. Nil certè mirum, paucos admodùm hoc ſeculo fuiſſe apud Caſſinates viros doctos, cùm graſſantia diu bella, viciſſitudinésque cœnobii otium literis adeò neceſſarium ademerint.

Viri omni eruditionis genere clariſſimi.

At enim Seculi hujus quaſi inopiam, quod proximè conſequutum eſt, virorum doctorum ubertate affatim compenſavit. Nullæ enim literæ, Græcæ, Latinæ, Hebraicæ, humanæ ac divinæ, in quibus Caſſinates non fuerint eximiè verſati. Quàm præſtantes enim Poëtæ Angelus Sangrinus, Honoratus Faſcitellus, Benedictus de Uva? Quàm diſerti Oratores Bernardus Genuenſis, Joannes Evangeliſta Mormillus, Thomas Ebulenſis? Quàm non contemnendi Hiſtorici Placidus Petruccius, Zacharias Serenus, Honoratus Medici? Quàm graves Philoſophi Severus Averſanus, Lucas Fractenſis, Mathias Venuſinus? Quàm ſapientes Theologi Benedictus San-Germanenſis, Theophilus Senenſis, Thomas ab Ebulo? Quàm inſignes Jurisperiti Gregorius de Viterbio, Benedictus Canophilus, Andreas à Sueſſa? Quàm eruditi Polygloſſi Chryſoſtomus à S. Geminiano, Paulus ab Altavilla, Benedictus de S. Germano? Qui omnes ſi defuiſſent, vel ſolus Gregorius Sayrus, Anglus natione, Scholæ Caſinenſi ſummo fuiſſet ornamento. Docuit is Theologiam incredibili celebritate ac doctrinæ præſtantiâ.

E quibus gente Angli non pauci.

Alios, eóſque omnes gente etiam Anglos Montis Caſini cœnobitas, viros & doctrina & virtute conſpicuos commemorat Angelus Nuceus (a), cujus verba digna exiſtimo, quæ hîc referantur: „Bonis avibus toto diviſos orbe Britannos Caſinum appuliſſe ſemper comperimus. Patrum noſtrorum ævo inde habuimus *Sayrum*, vitæ ſanctimonia venerabilem, editis voluminibus clarum: *Thomam Præſtonum*, doctiſſimum inprimis Theologum, & pro tuenda Romana fide in patrio ſolo per annos 50. conſtantiſſimum athletam, cujus Theologicos commentarios manû exaratos vidimus: *Michaëlem* præcedentibus non imparem: *Bernardum* nuper præfati Thomæ conſanguineum, magnâ ſanctitatis opinione defunctum. Nunc verò ex proxima Anglis Hibernia habemus Rachiſium, quem præter virtutum decora ſeverioris doctrinæ amœnioríſque literaturæ ampla ſupellex exornat.

Abbates Caſinenſes rei literariæ promovendæ ſtudioſi. Paulus,

Seculo XVII. ex Scholæ Caſinenſis Profeſſoribus, aliíſque viris doctiſſimis electi Præſules illam omnimodo conſervare ſuo in flore ſtuduerunt. Et quidem R.mus Abbas PAULUS religioſos juvenes ita ad optima quæque ſtudia accendit, ut Cardinali Caſpari Borgiæ, qui Româ cum Prælatis pluribus, magnatibúſque exceſſerat, Proregis munus obituro, edita ab ipſis literaria ſpecimina ſummoperè grata fuerint, quemadmodum & diſciplina monaſtica; quare magnis deinceps laudibus cœnobium Caſinenſe eſt proſecutus. Non minùs, imò longè magis apud Caſſinates à rei literariæ ſtudio promovendo commendatus habetur DESIDERIUS à *Fractis*, de quo hæc ſcribit in ejus elogio *Marcus Antonius Scipio*, qui eum optimè noverat: DESIDERIUS *Fractenſis familiæ de Peroniis perilluſtris, unà cum ſublimioris Philoſophiæ exercitatione (cui adoleſcens in Caſinati Academia devoverat ſeſe) optimarum quoque artium aſſiduam ſolertémque operam navavit. Quo tempore primores noſtræ Sodalitatis Patres Sanctiſſimi Pauli V. conſiliis de propaganda fide promptiſſimè obſequuti, celebrem inſtituendæ juventuti noſtræ Scholam Peruſiæ ad D. Petri aperuerunt,* DESIDERIUM *gymnaſio & promovendis ſcholaſticorum ſtudiis præficere. Quod ille munus accuratè adeò ac diligenter quadriennium eſt executus, ut complures alumni optimis diſciplinis egregiè imbuti ad antiquum Caſſinatis fa-*

Deſiderius,

(a) In Not. ad Chron. Caſin. lib. 4. c. 108. pag. 522.

miliæ ſplendorem inſtaurandum ex eâdem Academiâ prodierint. Hinc Deſiderius pietate ſimul & doctrinâ conſpicuus, Præſulis officium, atque inſignia maturè admodùm, ſacri verò Cœnobii regimen, PAULI CAMILLI *ſucceſſor adeptus eſt. Deſiderio* ſucceſſit SEVERINUS *à Caſtello Forti*, quem ab amplificandis literarum ſtudiis, quorum erat amantiſſimus, cùm & ipſe Philoſophiam plures annos docuerit, oratione panegyricâ poſt obitum laudavit D. Urbanus Marcheſius. De ANDREÆ *Parmenſis*, qui *Severino* ſuffectus fuit, eximiâ doctrinâ, ejusque apud alios promovendæ ſtudio agit *Andreas Raynerius* Tom. I. Hiſtoriæ Panegyricæ S. Anſelmi Cantuar. Archiep. & Puccinellus in Chronico monaſterii S. Petri & Pauli de Glaxiate, quod *Andreas* gubernaverat, cap. 145. pag. 273. & ſeqq. ANGELUS *de Nuce* non modò in Cœnobio Caſinenſi, ſed Romæ etiam in Archigymnaſio Sapientiæ, Philoſophiæ ac Theologiæ multis annis Profeſſor, Abbas Caſinenſis creatus, mirum quantum totus in eo fuit, ut doctrinarum ſtudia apud ſuos non retineret modò, ſed etiam propagaret, de quo plura aliàs. D. SEVERINUS PEPE *à Neapoli* Abbas ante adeptam abbatialem dignitatem annis quatuordecim SS. Theologiæ Profeſſor, quò ſtudia amplificaret, quotidie jam Abbas diſputationibus intererat, rationúmque momenta ſatis eloquenter ſubtilitérque exagitabat. ANDREAS DEODATUS *à Neapoli* in philoſophicis ac theologicis diſciplinis apprimè verſatus fuit, quas in aliquibus Congregationis Caſinenſis monaſteriis docuit, præcipuè in illo S. Severini; quo tempore magno à Literaris omnibus in pretio eſt habitus. Abbas factus choro, niſi gravibus curis detineretur, aſſiduè intererat, atque Lycæis literariis, in quibus identidem de rebus philoſophicis, theologicis, ac moralibus accuratè diſputabat. Et miretur quis, ſi ſub Abbatibus tam doctis, doctrinæque adeò ſtudioſis monachi floruerunt usquequaque doctiſſimi? cujusmodi fuerunt *Gregorius Sayrus, Hieronymus Petrochius, Mathæus Lauretus, Bernardinus Saivedra, Antonius à Neapoli, Felinus Paſſurus, Dominicus de Queſada, Bernardinus de Campanaro, Paulus Auguſtinus, Paulus Andreas Gualterius, Petrus Vecchia, Joannes Andreas Ricci*, aliíque plures.

Severinus, Andreas Parmenſis, Angelus de Nuce, Severinus Pepe, Andreas Deodatus, & alii doctiſſimi Monachi magno numero.

Cùm *Joannes Mabillonius* anno MDCLXXXV. iter literarium in Italiam cum *Michaële Germano* inſtituiſſet, ſæpiùs in Monte Caſſino ſcholaſticis exercitiis ſe interfuiſſe hiſce verbis teſtatur: *Dum à ſtudiis vacaremus, identidem interfuimus collationibus & diſputationibus publicis, quæ apud Caſſinates noſtros frequentiſſimè fiunt de rebus theologicis, & philoſophicis, maximè moralibus, nec rarò etiam de Scripturis ſacris.* Ejusmodi collationes „ paſſim conditæ Orationibus & Poëmatiis, ut hoſpitibus ſuis gratificentur. Sanè apud Caſſinates præclarè inſtituuntur juvenes, qui per ſex annos continuos ſub accuratâ magiſtri diſciplina in Novitiorum conclavi privato degunt, ubi in officiis pietatis atque in literis accuratè exercentur. „ Egregium viri longè doctiſſimi, atque in re literaria acutùm cernentis, omníque exceptione majoris de Schola Caſinenſi teſtimonium!

Jo. Mabillonii de Schola Caſinenſi egregium teſtimonium.

Seculo denique XVIII. quod agimus, HIPPOLYTUS *Penna* Neapoli, ante conſcenſum Abbatiale faſtigium Philoſophiæ atque Theologiæ Lector magno ingenio doctrináque, initio ſui regiminis præter Philoſophiam & Theologiam Scholaſticam, & Moralem, Sacrorum quoque Canonum ſtudium, Caſinatibus potiſſimùm adeò neceſſarium invexit, operâ D. TIBERII GENTILIS *à Janua* docti probique monachi uſus. Ejus ſucceſſor D. GREGORIUS GALISIUS *à Neapoli* magnâ vigilantiâ politiores literas in cœnobio ſuo aluit, vocatis magno impendio præceptoribus Grammatices, Rhetorices, humaniorum literarum & Græcæ linguæ. D. ARCHANGELUS *à Neapoli* è nobiliſſima *Brancacciorum* gente Monachus Caſſinas, & in Abbatem anno MDCCXXIII. inauguratus ingenti erga monaſticam eccleſiaſticámque diſciplinam, bonásque literas ſtudio ardebat; quâ de cauſa, plurimis atque optimis libris ex Gallia, variíſque Italiæ partibus, magnâ curâ advectis Bibliothecam Caſinenſem auxit.

Jus Canonicum docetur.

Nihil jam opus eſt exſpectare, quibus Scholam Caſinenſem verbis ulteriùs commendem, niſi quod Pontificium Oraculum pro colophone ſim in medium allaturus. Sanctiſſimus D. N. BENEDICTUS XIII. in Bulla (b) anno MDCCXXV. edita, hæc de Caſſina-

Benedictus XIII. Pont. Max. Scholam Caſin. commendat.

(b) Quam vid. apud Gattol. in Hiſt. Caſin.

Digitized by Google

ſinatibus teſtis oculatus prædicat: *Ac inſuper compertum habentes, à Monachis ibidem degentibus omnia, quæ ad eorum regularia inſtituta pertinent, laudabiliter obſervari, ſacrarum literarum ſtudia ſedulò exerceri, divinúmque inprimis cultum ſumma cum religione peragi, quemadmodùm propriis inſpeximus oculis, cùm in minoribus conſtituti illud Sanctuarium adeò celebre devotionis gratia viſitaturi perreximus.* Nempe bis cœnobium iſtud inviſit vir ſanctiſſimus anno MDCLXXVI. & MDCCXXI. quo omnia privati cujusque monachi munia obiit.

Eandem vindicat Jo. Bapt. Marus.

Quid plura? Concludat Aſceterii ac Scholæ Caſinenſis laudes R.^{mus} *Jo. Bapt. Marus*, Romæ Canonicus S. Angeli in Foro Piſcium, Vir Doctiſſimus in Præfat. ad Opuſc. Pet. Diac. de Script. Ill. Caſin. ubi teſtatur, *innumerabiles ferè Monachos ex hac nobiliſſima Academia Caſinenſi prodiiſſe, cujusvis doctrinæ genere refertos*, velléque, quod neſcio quis, ut illum appellat, diobolaris Sciolus fecit, ſacrum Aſceterium Caſinenſe eruditionis merita laude ſpoliare, eſt rem manifeſtam negare, non ſecus atque olim Zeno motum è rerum naturâ ſuſtulit, nivi candorem detraxit Anaxagoras, & Soli conceſſam ab omnibus Aſtronomis magnitudinem Epicurus. Faceſſant denique hæc ludicra riſû potiùs deſpicanda, quàm diſputatione ſeria confutanda, & producamus poſt fabulam tantam iſtius polymythi ſycophantæ, Id, quod Illuſtris ille Eccleſiaſticæ Antiquitatis præco Cardinalis Baronius Tom. IX. an. 716. ſuis Annalibus de Caſinenſibus inſeruit: *Sed & illud*, inquit, *absque trepidatione mendacii aſſeri jure poteſt; nullum unquam toto Chriſtiano Orbe extitiſſe aliquando monaſterium, ex quo tot viri ſanctitate conſpicui, atque doctrina, tantâ numeroſitate, ad regimen ſanctæ Apoſtolicæ Sedis adſciti fuerint; ut planè dici poſſit, fuiſſe idem aliquando Seminarium ſacrorum Antiſtitum, prout quæ ſuo loco dicturi ſumus, manifeſtè docebunt.* Vertat nunc igitur ſe in omnes formas Proteos iſte, & Caſinenſium Academiam, ut libet, oppugnet ſimul cum iis, qui in ipſa fœce ignorantiæ volutati, omnibúsque pudoris repagulis perfractis otioſam appellârunt, omnisque rei literariæ expertem etiam crediderunt.

§. II.

FULDENSE MONASTERIUM.

Fulda virtutum ac literarum officina.

CUm Aſceterii Fuldenſis, quò nullum in Germania nobilius aut illuſtrius, fundamenta anno quadrageſimo quarto ſupra ſeptingenteſimum S. Bonifacius, Archiepiſcopus Moguntinus poſuiſſet, ingentem ex eo fructum in publicum redundare poſſe exiſtimavit, ſi non virtutum modò officina, ſed literarum etiam ac doctrinarum foret domicilium. Unde continuò ludum literarium aperoit; haud ignarus, reipublicæ Chriſtianæ intereſſe, ut feroces Germaniæ populi non orthodoxa modò fide inſtruerentur, ſed literis etiam exculti mitiora ſaperent. Primum Monaſterio Abbatem præfecit S. Sturmium virtute ac doctrina conſpicuum. Hic juſſû & voluntate Divi Bonifacii iter in Italiam inſtituit, ut omnia Ordinis noſtri Monaſteria viſeret, ſanctiores illorum mores & uſum addiſceret, ac deinde Fuldam reverſus Cœnobitis ſuis ſervandos præſtitueret. In his erat Studium, cujus vigilias primi Fuldenſes Patres cum labore manuum aliísque religioſæ vitæ exercitiis ita arctè conjunxeront, ut de ipſis D. Bonifacius ad Zachariam Pontificem ſcripſerit: *Monachi ſub Regula Sancti Patris Benedicti viventes; viri ſtricti obſervantiæ, absque carne & vino & ſervis, proprio labore manuum ſuarum contenti.* Et ſi *primus diſcendi ardor*, ut D. Ambroſius inquit, *nobilitas eſt magiſtri*, magno fervore ad literarum, maximè ſacrarum ſtudia novellos monachos incubuiſſe neceſſe eſt, cùm ipſum ſanctiſſimum Germaniæ Apoſtolum, D. Bonifacium, divinas exponentem ſcriptutas audirent. Quibus inſtructi cum ſancto Abbate ſuo Sturmio in converſione infidelium Saxonum ſtrenuam operam collocârunt.

An literæ in Schola Fuldenſi ab obitu S. Sturmii defloruerint?

Ab obitû S. Sturmii Abbatis literarum ſtudiis in Fuldenſi Schola illicò concidiſſe ſcribit V. C. Jo. Frideric. Schannat in Hiſtoria Fuldenſi (c). Argumento eſſe vult circularem Caroli Magni Imperatoris epiſtolam, quâ omnes tam Clericos quàm Monachos pet univerſum ſuom Imperium exhortatur, ut literarum ſtudia, quæ ab ipſis neglectui haberi, eorum epiſtolæ ineleganter ſcriptæ oſtendant, impi-

(c) Part. 1. c. 6.

pigrè reſumant. Atque hæc epiſtola ſiguatè & expreſsè Baugulpho Abbati Fuldenſi inſcripta fuit. Quis hoc negat? nemo, niſi forſan Carolus Cointius, ut mox videbimus. Dicam tamen ego, hoc ab Imperatore factum eſſe, nou quòd literarum ſtudia in Fuldenſi Schola nullo haberi loco exiſtimaret, ſed quòd Baugulpbo, Abbatum per Germaniam & Galliam Primati curæ & ſollicitudini præprimis eſſe vellet, ut invigilaret atque operam daret, quò eadem in cæteris quoque monaſteriis excolerentur. Quis enim credat, Baugulphum, maguis virtutibus ornatum Præſulem ita ſocordem & deſidem fuiſſe, ut quem cultum literarum ejus anteceſſor S. Sturmius cum obſervantia regularis diſciplinæ conjunxerat, continuò ab eodem diſſociari paſſus fuerit? Sed ne pro antiqua, & communiter receptà opinione novam Lectori obtrudere velle videamur, eſto, quòd Caroli M. hortatû Muſæ à Baugulpbo in ſedem ſuam fuerint reſtitutæ.

Poſtquàm verò Abbatiali dignitate ſe abdicavit, ſucceſſor ei datus fuit in regimiue monaſterii Ratgarius an. Domini DCCCII. *Hic*, inquit Chriſtophorus Browerus (d) *Rabanum & Hattonem Turonos direxit ad Albinum Magiſtrum, gratia liberales diſcendi artes; Brunonem ad Einardum variarum artium Doctorem peritiſſimum; Modeſtum & Candidum cum aliis ad Clementem Scotum Grammaticæ ſtudendi gratiâ.* Quid verò, inquit hîc Carolus Cointius, hoſce monachos ad exteras dimittere ſcholas neceſſe erat, ſi Baugulphus Ratgarii anteceſſor, priſtiuos ſcholæ Fuldenſi honores reſtauravit? Unde vir doctus Caroli M. literas, quas ad Baugulphum bujus monaſterii Abbatem pro iuſtauratione ſcholarum dediſſe diximus, eidem inſcriptas fuiſſe negat. Id verò ait Mabillonius, (e) negatum leviori prorſus argumento, quaſi Fuldenſe Monaſterium non eſſet ex eorum numero, quæ majores tunc habebant ſcholas, ad quas ex aliis etiam cœnobiis monachi mitterentur: propterea quod Ratgarius proximus Baugulphi ſucceſſor Rabanum adoleſcentem è Fuldenſi monaſterio Turonos ad Aleuini ſcholam direxit: Imò verò id factum eſt, ob celebritatem magiſtri; contigítque ob ſimilem rationem, ut poſtea Fuldam ad Rabanum magiſtrum etiam Clerici ex cathedralibus eccleſiis, nedum monachi ex aliis cœuobiis mitterentur.

Caroli Cointii opinio,

revincitur.

Cæterùm Rabanus ex Galliis Fuldam reverſus, ſcholis regendis admotus fuit, quod munus cum aliis Scholaſticis per annos complures ita præclarè geſſit, ut & propter doctorum auctoritatem & loci exemplum non modò ex Germauia, ſed Britanniâ etiam, Italia & Gallia undique diſcendi gratiâ iugenui adoleſcentes, quos inter plurimi nobiles, Fuldam confluxerint. Quare brevì factum, ut Academia hîc divinarum juxta & humanarum literarum exiſteret multò celeberrima. Iu hac verò duplices erant ſcholæ, *interiores*, & *exteriores*. In illis ſoli monachi, in his ſoli ſeculares docebantur. Quam ſcholarum diſtinctiouem ipſa ratio docendi exigere videbatur. Aliter enim inſtituebantur, qui in exterioribus, ſive *canonicis*, aliter, qui in interioribus, ſive *clauſtralibus* erudiebantur. Quod ſupra initio hujus Capitis, ceu præviæ Iſagogis ad Hiſtoriam de Scbolis Benedictinis dictum hîc repetere non vacat. Utriſque ſcholis moderandis præfecti erant viri eximiæ pietatis ac doctrinæ, quos *Magiſtros*, ſeu *Scholaſticos* diſcipuli, aliíque paſſim vocabant. Quamquàm V. C. Jo. Frid. Schannat (f) in eâ ſit opinione, ut exiſtimet, ipſos etiam diſcipulos fuiſſe hoc nomine deſignatos; *quomodo*, inquit, *notanter ad annum DCCCLXX. in quadam donationis charta eorum plures ſubſcripti reperiuntur, dum ibidem mentio fit ſimul Magiſtri, qui eos ſcilicet Scbolaſticos procurat.* At nimium quantum vir doctus hîc fallitur. Ex Chronico Hirſaugienſi Joannis Trithemii ſcire poterat, atque adeò debebat, *Magiſtrum* Scholæ Fuldenſis fuiſſe decimum tertium ex duodecim *Scbolaſticis*, qui literas docebant, & propterea deputator lectionum, cui & obedire cæteri poſt Abbatem omnes tenebantur: unde *Scbolaſticos procurare* dicebatur. Quis deinde facilè credat, Abbates ita deſipuiſſe, ut, cùm plurimùm referret, chartas & inſtrumenta Donationum gravium virorum teſtimoniis muniri, pueros atque adoleſcentes, ut iisdem ſubſcriberent, in teſtes adhibuiſſe? Enim verò

An Scholaſticorum nomine etiam diſcipuli veniant?

ut

(d) In Schollis ad Poëma Rabani 13.
(e) Annal. tom. 2. l. 25. pag. 279.
(f) Loc. cit.

Google

ut id temporis (quæ eſt obſervatio Vadiani *de Colleg. Monaſter.*) non licebat paſſim & promiſcuè ſcribere chartas, ſed certi & delegati muneris ea facultas erat, qnam Abbates & Advocati Regii ea ætate non niſi Monachis conferebant, ita iidem Scholaſticos aliis Monachis in ſubſcribendis chartis præferebant, eorúmque teſtimonio publica inſtrumenta communire ſoliti erant.

B. Rabanus Scholæ Fuldenſis Magiſter.

Quantum verò Luna ignes inter minores, tantum Rabanus Magiſter inter Scholaſticos Fuldenſes effulſit. Neque enim ſolus in Scholis Fuldenſibus Rabanus docebat, tametſi præcipuus Magiſter erat. Habuit ſuos Scholaſticos & Collectores, quorum unus erat *Samuel*, poſteà Wormatienſis Epiſcopus, quem etiam ſub Alcuino præceptore condiſcipulum habuerat. Utrumque conſtat (g) ex carmine Rabani:

Quondam namque meum gaudebam te eſſe ſodalem
Inter Lectores, frater amate mihi.
Nunc quoque te gratuler retinere jura Magiſtri,
Creſcere virtute, patris habere locum.

Quibus verſibus ſignificat, Samuelem ſecum aliquando geſſiſſe Magiſtri ſeu Lectoris officium, quod Epiſcopus creatus retinebat.

Rabano igitur Magiſtro ſumma Fuldenſis ſcholæ celebritas erat, cujus verò florem, proh dolor! Ratgarius Abbas inopinatò ſuccidit: neſcio enim, qua mentis vertigine correptus ſcholas ſuſtulit, ita ut Rabanus Magiſter, aliíque Scholaſtici, quò locum furori Abbatis ſui darent, Fuldâ diſceſſerint. Ratgario autem juſſu Ludovici Pii Imp. in ordinem redacto, atque in ejus locum Ægile ſuffecto, ſcholis iterùm Rabanus ceu Magiſter præſtitutus fuit. Quàm præclarè verò ſub utroque Abbate Ratgario atque Ægile docendi munere functus fuerit, (h) Trithemius his verbis nos docet:

Mox ut docendi munus anno ætatis ſuæ vigeſimo quinto ſubivit, per omnia curavit Albinum ſequi, & imitari Magiſtrum, ut juniores videlicet monachos primùm doceret in Grammaticis, & cùm apti viderentur ad majora, gravioribus etiam formarentur inſtitutis. Cúmque hujus novæ inſtitutionis apud Germanos fama tranſiſſet in publicum; plures cœnobiorum Prælati eam docendi formam landantes, alii monachos ſuos ad Fuldam miſerunt, ſub Rabani ferula ſacris imbuendos ſtudiis, alii verò ſcholas erexerunt in monaſteriis propriis, quibus præceptores de memorato cœnobio doctiores quosque præfecerunt. Sed in tempore brevi valdè crevit numerus diſcipulorum Rabani docentis, & per totam Germaniam & Galliam eruditionis & ſanctitatis ejus veneranda opinio ſe diffudit. Unde factum eſt, quòd non ſolùm Abbates monachos, ſed etiam Nobiles terræ filios ſuos Rabani docendos magiſterio ſubdiderunt. Quos ille, ut erat manſuetiſſimus, omnes ſumma cum diligentia informabat, prout uniuscujusque vel ætas vel ingenium permittebat, alios in Grammaticis, alios verò in Rhetoricis, atque alios in altioribus divinæ atque humanæ philoſophiæ ſcripturis, ſine invidia communicans, qnod ſinguli ab eò poſtulâſſent. Omnes verò, quos in adjutorium ſuum docendos admiſit, non ſolùm proſâ, ſed etiam carmine, quidquid occurriſſet, ſcribere informavit.

Ejus diſcipuli & multi & illuſtres.

Multos inſignes doctos atque ſanctiſſimos auditores habuit, quorum fama commotus *Eginhardus*, magnus ille Magni Caroli Secretarius ſibi gloriæ ac ſummo emolumento duxit, filium ſuum *Wiſſinum* ſeu *Wicelinum* in Fuldenſi monaſterio oblatum, ei committere erudiendum; qua de re ipſemet audiendus eſt in epiſtola ad Filium: „Mi Nate, inquit, ſtude probos mores æmulari, & quem te ſemper ſequi hortabar, ne ullo pacto offenſum habere velis: ſed profeſſionis tuæ memor, quantum ipſe annuerit, cui te totum commiſiſti, ejus mandatis inſiſte diſcendis His edoctus, & in opere eorum aſſuetus nullo vitalis ſcientiæ commodo carebis; ſicut te præſens monui, in ſtudio te exerce, & quidquid ex ipſo lucidiſſimo, & abundantiſſimo *magni oratoris* ingenio aſſequi nobilis ſcientiæ potueris, nihil intactum relinque: maximè autem probos mores illius, quibus excellit, imitari memento; quoniam Grammatica & Rhetorica, cæteráque liberalium artium ſtudia vana ſunt, & valdè nociva ſervis Dei, niſi per gratiam divinam bonis moribus ſubeſſe noſcantur, quia ſcientia inflat, charitas verò ædificat. Melius „ mihi

(g) apud Mabill. in Elogio Rabani n. 10. quod Actor. Bened. Secul. IX. habes.
(h) Trith. in vit. lib. 2. c. 14. apud Bolland. in Act. SS. menſ. Febr. die 4.

„ mihi quidem eſt, ut te mortuum „ videre contingat, quàm inflatum & „ ſcatentem vitiis.„ Hæc pii parentis monita ad filium non minùs pium ac eruditum.

Rabanus non literis tantùm ſed etiam virtutibus diſcipulos imbuit.

Et verò Rabanus, beatiſſimus monachorum inſtitutor, tum *Weſſinum*, tum cæteros auditores ſuos erudire curavit, non minùs ad timorem Dei, & mandatorum obſervantiam, quàm ad intelligentiam ſcripturarum, ſciens in ſancto Propheta Daniel ſcriptum: Quoniam qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Parùm eſt enim ad ſcientiam hominis clauſtralis intellectum erudire, niſi etiam ſtudeas pro viribus affectum ad Dei amorem accendere. In quo docendi genere beatus Doctor Rabanus præ cæteris notabiliter emicuit; qui ſuos auditores inprimis ad juſtitiam erudivit, quibus inter legendum crebrò perſuadere conatus eſt, mores ſuos regularibus conformare ſanctionibus, evangelicíſque ante omnia ſemper obedire inſtitutis. Docuit illos mundum, & omnes voluptates carnis pro Dei amore contemnere, vanitates tranſitorias, & ſeculi pompas fugere, & omnem concupiſcentiam inordinatæ voluntatis declinare. Deum pura mente ſuper omnia diligendum monuit, & ſedulò, ut ſe reminiſcerentur morituros, diſcipulis Lector inculcavit.

Fuerunt eo tempore, Meginfrido teſtante, in cœnobio Fuldenſi monachi ſub regula S. Benedicti, omnipotenti Deo in ſumma religione famulantes, numero centum quinquaginta, qui omnes à vino & carnibus abſtinebant. Ex his duodecim ad minùs in omni ſcientia ſcripturarum doctiſſimi, dicebantur Seniores: quorum conſilio Abbas in quotidianis neceſſitatibus utebatur, ut opus non eſſet univerſam fatigare congregationem. Quoties verò ex his duodecim quiſpiam vel ad aliud cœnobium miſſus, vel morte fuiſſet ſublatus, ex doctioribus & ſanctioribus mox alius in ejus locum Rectoris & Seniorum electione conſtituebatur. Et hæc laudabilis Seniorum conſtitutio multis annis duravit, quamdiu videlicet ſtudium ſcripturarum in Fuldenſi monaſterio, quod S. Rabanus inceperat, viguit. Ita autem fuit lex duodecim Doctorum, ut ſinguli legerent juxtà principalis ordinationem magiſtri, qui ſemper tertius decimus erat, & propterea omnium deputator lectionum, cui & obedire cæteri poſt Abbatem omnes tenebantur.

Habet ſub ſe duodecim Lectores.

Ingens ad ſcholam Rabani concurſus.

Fama ſanctitatis & eruditionis Fuldenſium monachorum, & ſancti præcipuè Rabani per totum ſe regnum Francorum longiùs diffundente, filios ſuos multi nobiles & ignobiles ad ſerviendum Domino in eorum conſortium tradiderunt: è quibus poſteà plures in Germania Eccleſiæ Pontifices habuerunt atque Paſtores. Regulari etenim obſervantia durante nullus à Dei ſervitio repellebatur, ſive nobilis eſſet, ſive ignobilis; ſed juxta præceptum Legislatoris Benedicti, cunctis aditus pura intentione converti volentibus. Quæ tamen conſuetudo cum ſucceſſu temporis & in Fuldenſi monaſterio, & in plerisque aliis contra intentionem regulæ cernitur immutata, poſteà videlicet quum & divitiæ religionem extinxerunt, & luxus cum ambitione peſſima ſtudium eliminavit ſcripturarum. Fervor eo tempore incredibilis fuit monachorum erga ſanctarum ſtudium Scripturarum, qui per S. Rabanum Fuldæ cœpit, & brevi per omnia penè cœnobia Germaniæ & Galliæ coaluit.

Schola Fuldenſis eſt norma aliarum.

Scholæ igitur Fuldenſes, quæ profectò inſignis laus eſt, aliarum in Germania & Gallia magis celebrium typus & norma fuerunt. Nempe Monachi Fuldam undequaque miſſi cùm præclaram docendi methodum à Rabano uſurpatam obſervâſſent, eam domum reduces ac ſcholis præfecti retinuerunt. Hoc factum eſt ab *Harmuto* in S. Gallo, à *Walafrido Strabone* in Augia Divite, ab *Otfrido* Weiſſenburgi, ab *Angelomo* Luxovii, à *Lupo* Ferrariis, ut alios plures ſilentio prætermittam.

Lectorum quorundam nomina.

Rabanus deinde factus Abbas artes liberales docendi munus aliis viris eruditis impoſuit, reſervato ſibi officio interpretandi ſacras Scripturas. Eos inter Scholaſticos fuit *Candidus* literarum & ſcientiarum laude florens, ſcriptor vitæ B. Ægilis IV. Abbatis. Quorundam aliorum Lectorum, minimè tamen omnium, nomina (h) in Necrologio Fuldenſi memorantur.

Anno

(i) apud Schannat in Hiſt. Fuld. l. c.

Anno DCCCXXV. Delo.
DCCCXLVII. Heio.
DCCCXLVIII. Reccheo.
DCCCLV. Wagner.
DCCCLXXIII. Thiotmar.
DCCCLXXXV. Eribo.
DCCCLXXXVIII. Irminfri- (dus.
DCCCCI. Kriſtan.
DCCCCV. Graolf.
DCCCCXXI. Folonandus.

Præ cæteris laudatur Rudolphus

Miror, omiſſum fuiſſe *Luitbertum*, *Haimonem*, *Candidum*, *Magonem*, *Modeſtum*, *Ruthardum*, *Meginfridum*, *Wicelinum*, atque omnium maximè *Rudolphum*, qui Scholis Fuldenſibus præfuit, tanta nominis fama & exiſtimatione, ut Ludovici Germaniæ Regis & Confeſſarius & Eccleſiaſtes fieri meruerit, qui in ejus gratiam Fuldenſes Scholaſticos multis magníſque affecit beneficiis. Obitus Rudolfi in Annalibus Fuldenſibus ad an. Chriſti 865. hiſce verbis refertur: *Rudolphus Fuldenſis cœnobita presbyter & monachus, qui apud totius penè Germaniæ partes Doctor egregius, & inſignis floruit hiſtoriographus & poëta, atque omnium artium nobiliſſimus auctor habebatur*, VIII. *Idus Mart. diem ultimum feliciter clauſit.* Ab Ermenoldo, ſive Ermenrico in vita S. Solæ Abbatis x. Decembris ſalutatur in præfatione illi facta: *Didaſcalus & venerandus Magiſter, & in omni arte ex Rabani doctrina peritiſſimus, magni ac multiplicis ingenii vir.*

&

Meginfridus

Rudolpho doctrinæ ac eruditionis ſama non inferior fuit *Megenfredus*, ſive *Meginfridus*, qoi ſcholarum regimen an. 986. ſuſceptum per annos XXIV. geſſit. Magiſter ſubinde Parthenopolitanus, ſive Scholæ Magdeburgenſis Præpoſitus inter Hiſtoricos eximiū locum promeritus fuit circa an. 1010. Nec alios hoc ſeculo doctiſſimos Scholaſticos Fuldenſi defuiſſe Athenæo indicio eſt, quòd (k) *Willeramus* ex Scholaſtico Bambergenſi Monachus Fuldenſis, vir tam in divinis Scripturis quàm in ſecularibus literis non infimè doctus, non Fuldæ tantùm docendi munus adminiſtravit, ſed Pariſios etiam miſſus fuit, ubi in publico Gymnaſio Philoſophiam multis annis glorioſè docoit, ſícque inclaruit, ut nominis ejus famâ celebratâ in Abbatem Monaſterii Eberſpergenſis in Bavaria eligi meruerit. Ejus graviſſima verba, quibus ſacri codicis ſtudium comēndat, ſuo loco non tacebimus.

Alii Lectores.

Trithemius etiam celebrioribus hiſce Scholaſticis annumerat *Brandonem* & *Theobaldum*, quorum prior Seculo IX. alter initio Seculi mox inſequentis floruiſſe dicuntur. Accedunt inſuper *Joannes* & *Eberwinus* uterque in diverſis literis teſtes adhibiti, hic anno MCCXLI. ille verò anno MCXXXIX. denique & qui ad annum MCCCCXLIX. occurrit *Bertboldus Krabe* ab Hermanno Abbate ſuo *Rector noſtræ ſcholæ noſtri monaſterii Fuldenſis* dictus.

Muſæ in Fuldenſi monaſterio benè habentur,

Multis igitur ſecolis Fuldæ cum Muſis præclarè actum fuit. Cùm Rabano Mauro ad Abbatiam evecto omnes delicias, amores, omnia denique ornamenta recuperârunt, iis omnibus carituræ, ſi Ratharius diutiùs monaſterio præſuiſſet. Rabanum ex ſucceſſoribus plurimi imitati ſunt, viguítque Fuldæ ſtudium ſatis feliciter; ſiquidem adhuc ſub medium Seculi XII. inter ſcholares recenſebantur Boleslaus Sileſiæ Dux, is idem, qui poſtmodùm Lubeoſis cœnobii fundationem à Caſimiro Poloniæ Rege cœptam munificentiſſimè promovit. Quid plura? *Duo*, inquit celebris è Soc. Jeſu Theologus Jacobus Gretſerus, *duo certè S. Galli in Helvetia & S. Bonifacii Fuldæ in Buchonia monaſteria celeberrimis Gymnaſiis & Doctoribus eminebant, doctiſſimiſque viris abundabant, ad quos undique excolendi ingenii causâ fiebant magni concurſus.* Verùm ingruente ſenſim (l) iniqua temporum calamitate, quâ per frequentes diſſenſiones, bella, ſeditiones, aliáque mala innumera Fuldenſe Monaſterium intus & foris diverſimodè afflictum ac turbatum extitit, ſilere Muſæ, quin & exulare ſæpiùs coactæ ſunt: revocavit quidem eas, aluítque ſatis parcè ſola ſpes melioris impoſterùm ſortis; ſed cùm hæc quoque deficere cœpiſſet, nec eſſet ampliùs, qui ſuſtentaret, vires propemodùm omnes cum priſtinis honoribus amiſerunt; adeò verum eſt antiquum illud: *Frigent*, quin imò pereunt, *Muſæ, niſi à Principibus foveantur.* exulant,

revocantur.

Poſtliminiò tamen Fuldam redierunt, cùm Balthaſar Abbas Fuldenſis LXX. *adſcitis pro literis imbuendâ ſtudioſâ juventute Societatis Jeſu Patribus certam iis ſtabilémque in urbe ſedem* con-

(k) Chron. Hirſaug. ad an. 1064. (l) loc. cit.

conceſſerat. Noſtrâ ætate, multiplicatis favoribus, ex Lycæo in Academiam translatæ fuerunt: dum nempe Celſiſſimus S. R. I. Princeps Adolpbns ex Gente Dalbergica ſumptibus planè liberaliſſimis, adſcitis ſingularium diſciplinarum Profeſſoribus longè erudiſſimis, conſtitutis Legibus ut cùm maximè ſaluberrimis, obtentis à Romano tam Pontifice quàm Imperatore Privilegiis ampliſſimis Gymnaſinm in Academiam evebendum curavit; quæ anno 1733. die 19. Septem. (quod *Eccleſiæ*, *Patriæ*, *Imperio* felix fauſtúmque ſit) inaugurata cùm fuiſſet, ab inſignibus Candidatis continuò frequentari, à ſuo autem Celſiſſimo Mæcenate nuncupari cœpit *Adolphiana.*

Hactenus verò dictis colophonem imponat frequens illud, ac quaſi commune Fuldenſium Cœnobitarnm adagium: *Ex ſcholis omnis noſtra ſalus, omnis gloria, omnis autoritas & divitiæ.*

§. III.

MONASTERIUM S. GALLI.

Conringius ſcholæ San-Gallenſis laudes deterit.

FLorentiſſimo huic cùm virtutum tum doctrinarum diſciplinis Aſceterio debitas adimere laudes ſuſtinuit *Hermannus Conringius.* Sed quâ erat humanitate, encomia quædam priùs in illud congeſſit, quò dein ſincerâ magis fide majoribus ſpoliare crederetur. „ Magna ſcilicet, inquit, „ olim fuit in exiſtimatione ſcholæ „ literariæ nomine Monaſterium S. „ Galli: quin videtur ad Fuldenſis „ Cœnobii gloriam aſſurrexiſſe. Etſi „ verò haud negaverim præ aliis „ quàm pluribus cœnobiis hoc ha„ buiſſe haud paucos rara pro ſeculi „ ratione doctrinâ inſtructos, ſic ſatis „ quoque eximiam & locupletem ſibi „ inſignium librorum Bibliothecam „ conquiſiverit, ſcbolam tamen in„ ſtituiſſe doctrinæ illuſtrioris ſive ſa„ cræ, ſive ſecularis haud perinde „ certum eſt: ſed videtur, libris an„ tiquorum lectis modò hunc, modò „ quem alium, ad exemplum docto„ rum quorumque illius cœnobii, „ proprio quod ajunt Marte ſibi do„ ctrinæ aliquid comparaviſſe. Et ſa„ nè ſi vera ſunt, quæ ſcripſit *Con„ radus de Fabaria lib. de Caſibus S. Gal„ li cap.* 1. valuit olim cœnobium „ hoc doctrinâ ſic ſatis eximia. Is ſanè tradit, *ibi ſpiritualem effulſiſſe diſciplinam, ut non ſolùm Benedicti regulam, verùm etiam Philoſophiam totam ad unguem usque inveſtigârint, Theoriam Platonis, Hippocratis, Boëtii, omnéſque inveſtigaverint rivulos, ut in ſuis metris non Philoſophi ſolùm, ſed etiam poëtridæ fuerint.* Verùm hoc præconium fidem ſuperat, nempe Hermanni Conringii Medici, à Naudæo Medico, acerbo Benedictinorum hoſte, in tranſverſum acti, deditâ operâ, obfirmatóque animo increduli; ſed non aliorum doctrina & eruditione præſtantium virorum, è quibus ut vel unum *Joachimum Joannem Maderum* nominem, tantùm abeſt, ut lectis *Conringii Supplementis de Antiq. Academ.* ab ejus ſteterit ſententia, ut iis rectiùs, quæ idonei Authores tum de S. Galli Aſceterio, tum de aliis Benedictinis Cœnobiis memoriæ prodiderunt, fidem adhibendam cenſuerit. Addit nihilominus Conringius: „ Legere tamen operæ fuerit „ pretium, quæ nterque Eckardus „ libellis de caſibus S. Galli, & de vi„ ta Notkeri jam olim & avorum æta„ te de Monaſterii hujus doctrina, „ Bruſcbius in opere de *Monaſteriis*, „ & poſt illum *Stumpbius Helvetica„ rum rerum* præclari operis *libro „ quinto* ſic ſatis prolixè commemo„ raverunt. „

Ab eo diſſentit Maderus, & alii.

Schola San-Gallenſis quando cœperit.

Faciamus igitur operæ pretium, ac omnium primò in Scholæ San-Gallenſis incunabula inquiramus. Prima ejus primordia Abbas *Grimaldus* ſub annum DCCCXLI. jeciſſe non immeritò dici poteſt, niſi tamen ea referre cum Chriſtophoro Browero (m) ad ipſum S. Gallum velimus, qui *Othmarum* gentis Alemannicæ puerum eximium Grammaticis artibus imbutum ſui monaſterii ſurgentis Scholæ magiſtrum præfecit. È vivis exceſſit S. Gallus anno DCXXIV. floruiſſe literarum ſtudia in ejus Aſceterio, indicio *Felix Egger* (n) eſſe vult, quòd Bruſchius eo anno Academiam San-Gallenſem in Monaſterium Campodunenſe translatam ſcribat; licèt exinde iterùm propter rebellis plebis tumultum abducta Herbipolim fuerit, & abhinc etiam ob ſeditioſos in Epiſcopum cives per Archiepiſcopum Moguntinum Joannem Comitem Naſſovianum Erfordiam Bonifacio IX. Pontifice Maximo migrare juſſa ſit. At enim hæc ejusmodi ſunt, quibus

non

(m) Antiquit. Fuld. Lib. 1. c. 9. p. 36.
(n) Ideæ Ord. Hier. Ben. Lib. 1. part. 3. Diſſert. 3. n. 1. p. 187.

non pauca opponi poſſunt. Browerum, Bruſchium, Acherium (o), Eggerum, alióſque in errorem induxit Pſeudo-Theodorus, larvatus ille Biographus S. Magni Abbatis Faucenſis in Suevia. Is enim apud Caniſium antiq. lect. tom. IV. in vita ejusdem S. Magni hæc in literas retulit: *Conſtruxerunt*, (Gallus & Magnoaldus) *monaſteria miræ magnitudinis, & fratres inibi coadunatos doctrina & exemplo ad æternæ vitæ deſideria concitaverunt, Othmarum puerum curioſè nutrientes, atque doctrina grammaticæ artis, ſeu divinorum Librorum cum erudientes Magiſtrum ſcholæ conſtituebant.* Quæ quantoperè à vero disjuncta ſint, ex eo perſpicuum fit, quòd S. Gallus inter vivos agere antè deſierit, quàm S. Othmarus inter eos exiſtere cœperit. Diem enim ſupremum obiit S. Gallus an. DCXXIV. S. Othmarus autem an. DCCLVIII. in exilio integra adhuc ætate vitâ functus eſt, ut ex Hepidanni San-Gallenſis Monachi Annalibus teſtatiſſimum eſt. Quî ergò fieri potuit, ut S. Othmarus à S. Gallo curioſè nutritus, ſcholíſque præfectus fuerit? Plura argumenta in medium afferre haud lubet, quibus oſtendam, quòd ii flores prodigant, qui eos in Scholam San-Gallenſem ante tempora *Grimaldi* Abbatis plenis manibus effundunt.

Quid ſentiendum de Chartis San-Gallenſibus?

Non ita pridem typis vulgata eſt *Genealogia Diplomatica Auguſtæ Gentis Habsburgicæ*, cui plures chartæ inſertæ ſunt, quas Monachi San-Gallenſes per ea tempora Latinè ſcripſerunt, quas alii tamen ſemi-Latino potiùs ſermone ſcriptas dicere malunt. Atque ejuſcemodi chartas, quòd magnam redoleant barbariem, hodierni quidam Critici argumento eſſe volunt, monachos San-Gallenſes tum temporis rudes admodùm, & omnis propè elegantiæ expertes fuiſſe. Verùm ex id genus chartarum conſcriptione haud ſatis firmum peti poteſt argumentum. Si quis enim propiùs in ea tempora intueatur, facilè animadvertit, quòd cùm Germani ſeculo VI. & VII. patrium ſermonem ob ejus difficultatem literis conſignare nondum callerent, aliquid tribuendum fuerit vulgo, qui chartas politiori ſtylo conſcriptas non intellexiſſet; quæ etiam cauſa fuit, ut Leges & ipſa Regum ea ætate Diplomata eodem prorsùs inculto ſermone, & ſtylo ruſtico, ne dicam ob plures errores vitioſo conderentur.

Scholæ San-Gallenſis exordia à Grimaldo repetenda.

Exordia igitur Scholæ San Gallenſis à *Grimaldo* Abbate arceſſi poſſe, atq; adeò debere mihi videntur. Fuit verò *Grimaldus*, ſi in Joañis Egonis Augienſis Prioris ſententiam concedimus, in Augiæ Divitis Monaſterio Religioſus, & Scholaſticus celeberrimus, tantúmque nomen ob varias tum animi, tum corporis dotes ſibi comparavit, ut à Ludovico Germaniæ Rege, Pii filio, circa annum 824. in aulam ſuam, ubi Magiſtrum & Capellanum ageret, evocaretur; ubi tametſi inter inquietorum Palatinorum ſtrepitus diutiùs verſaretur, ſtudia tamen & quietem monaſticam ſummoperè adamavit, & quantùm licuit, aulicis curis ſæpiſſimè ſeſe ſubtrahens Monachi vitam in optato duxit otio, *Walafrido Strabone* affirmante, dum ſequentibus illum verſibus ſalutavit:

Quamvis ſubter agas Regum tabularia vitam,
Non te prætereo, ſpecubúsne latebis Homere?
Novi namque Suana tibi ſpelæa placere,
Solus ubi meritis Muſarum & amore fruare,
Sæpè tamen magnis victoribus optima cudis
Carmina, tempus erit rutilo te ſole calere.

Quamquàm Mabillonius, rectè an perperàm, hîc non diſputo, *Homerum* iſtum à Grimaldo Archicapellano diſcernat in Annotationibus (p) ad Ermenrici Monachi Augienſis Fragmenta, ex ejusdem Libro de Grammatica. Quisquis igitur fuerit Grimaldus, ob ingentia merita *Ludovico* Regi gratiſſimus fuit: is ut arctioris amicitiæ vinculo illum ſibi adſtringeret, poſteaquàm devicto Lothario fratre ſuo Imperatore univerſam Germaniam ſuo imperio ſubjugâſſet, ei San-Gallenſem Abbatiam anno DCCCXLI. in beneficii locum conceſſit, quam *Grimaldus*, ut qui jam à puero in Augia omne diſciplinarum genus imbibiſſet, & in aula etiam non ſolùm ingenium ſuum non hebetari paſſus fuiſſet, ſed verò potiùs maximè excoluiſſet, acuiſſétque, flumine eruditionis ſuæ San-Gallenſium Fratrum pectora, velut amœna quædam prata ita rigavit, ut paulò pôſt in celeberrimos Doctores evaſerint, nobiliſſimámque ſcholam inſtituerint, quæ dein Yſones, Notkeros, Tutilones, Ratpertos, & ſimilium virtutum perplures ſectatores produxit. Schola itaque San-Gallenſis ſeculo potiſſimùm nono ſub Grimaldo Abbate florere cœpit. „Sub

(o) in Not. & Obſerv. ad vit. B. Lanfranci pag. 35. col. 2.
(p) Analect. tom. IV. p. 332.

„hoc Abbate, inquit Bruſchius, ſcripti ſunt multi optimí libri magnis ſumptibus, & erat tum temporis Abbatia hæc San-Gallenſis celeberrima Schola, in qua & Principum & Nobilium liberi præclarè informabantur, ut eſſent, poſtea & ſapientia inſtructi, & ad omnes res gerendas aptiores.„

Ermenricus Augienſis ſtudet in Schola San-Gallenſi.

Priùs verò quàm de Scholæ San-Gallenſis Magiſtris ulteriùs verba faciam, ſermo mihi de Ermenrico Cœnobita Divitis Augiæ inſtituendus eſt. Hic in ſchola Augienſi diſcipulus Walafridi Strabonis fuerat. Cùm is verò juſsû Ludovici Germaniæ Regis ad Carolum ejus fratrem, cognomento Calvum, legationem in Galliam ſuſcepiſſet, Ermenricus à Grimaldo ex Augienſi in San-Gallenſe venire monaſterium juſſus eſt, ut eò loci literis operam navaret. Cujus rei teſtem magis idoneum laudare non poſſum, atque ipſum Ermenricum, qui in libro *de Grammatica* ad eundem Grimaldum eapropter gratias eidem his verbis refert. „Beatiſſimo præceptore meo WALAHFREDO pro reſponſo quodam domni Regis ad Karolum germanum ſuum pergente, ibiq́ne defuncto, interim quo eum inde ſperabas incolumẽ reverſurum, juſſiſti me de Auvavenſi monaſterio ad monaſterium S. Galli commorandi & diſcendi gratiâ proficiſci, ibiq́ue à fratribus honorificè receptum aliquamdiu commorari. Quod & feci juxtà præceptum benignitatis veſtræ. Navem conſcendi, atque illuc cum omni proſperitate, Deo gubernante, perveni, tantáſque virtutes in iisdem fratribus conſpexi, ut vix illas, ne dicas me, ſed neque Pythagoram de Samo egreſſum putem eloqui poſſe. Alius enim alio humilior & patientior invenitur, nec eſt zelus amarus inter eos vel invidiæ livor: ſed ſola caritas ibi principatur, & juſtitia regnat. Et ſic caritas mater eſt virtutum, & concordia filia ejus, ac ſimplicitas earum pediſſequa illic ſine dubio domicilium proprium habet, quæ etſi pro tempore in aliis locis commorata fuerit, & particulatim ſe ibi oſtenderit; hîc tamen ſemper cum filia & miniſtra tota conſiſtit.

Monachos San-Gallenſes eximiis laudibus ornat.

„Nec eſt adventantium hoſpitum ullus, cui ab his tribus non occurratur. Sunt enim jugiter ſimul indiſſolubiles, ut funiculus triplex, & inter omnes ſparſæ, integræ tamen unum omnibus miniſterium habent. A cujus ſcilicet caritatis uberibus ſuxit domnus *Engilpertus* largitatem, & ingenioſiſſimus *Hartmodus* benignitatem: ambo tam Deo quàm hominibus digniſſimi, tibi etiam domino cariſſimo per omnia fideliſſimi, ceu aurea candelabra lucent in domo tua ante Deum. Nec nocet, ſi unius lux paullò ferventiùs ardet, alterius verò leniùs, & ob hoc longiùs: cùm utrumque placeat, & botrus, qui à calore ſolis citiùs, & qui ſerò matureſcit; & equos velox, & qui pedetemtim ambulat, æquè laudatur ab his, qui interdum hujus, interdum verò illius utilitate, prout res liceat, utuntur.

„Longum eſt ſanè per ſingulos nominatim velle diſcurrere, quantos, qualéſque Dei ſamulos in omni arte & virtutum ſtemmate redimitos ibi viderim. Sed neq; in ædificiis conſtruendis ex omni materia tam induſtrios viros, vel rarò usquam reperi, ſicuti bene in nido apparet, quales volucres ibi inhabitant. Cerne baſilicam & cœnobii clauſtrum, & non miraris quod refero. Et ne de omnibns ſileam, quid eſt *Winibardus*, niſi ipſe Dædalus? vel quis *Iſſenricus*, niſi Beſeleel ſecundus? in cujus manû verſatur ſemper dolabrum, excepto quando ſtat ad altaris ſacri miniſterium. Tanta humanitas in eis eſt, ut tam perfecti viri non dedignentur opus ruſticum per ſeipſos actitare, penſantes ſcriptum: Humilitate penetratur cœlum, & caritate pervenitur ad regnum ſempiternũ. Quid memorem de domno *Amalgero* in conſilio provido, & univerſa morum honeſtate præclaro? In divino autem cultu quàm religioſus ſit, teſtatur altare aureum, ante quod ſedulò ſedet, nec jacet orans. Taceo de domno *Radgero* viro ſimpliciſſimo, usque ventum fuerit ad hoc, quò latiùs id valeam exponere, qualiter omnis Congregatio illa per rotũ diem laboraverat in una columnarum illarum, quæ in baſilica ipſa circumſtant. Ad ultimum omnibus jam feſſis, ac inde ſecedentibus, ſolus ille ab incœpto opere non receſſit, ſed tamen fruſtra ſudabat, antequàm in hæc verba prorupit dicens: *Sancte Galle finde illam.* mirúmque in modum in his verbis ſimpliciter editis rupis illius moles immenſa, ſuâ ſponte inde fiſſa enituit,

„unde

„ unde tota illa multitudo ante labo- „ ravit: ut apertè daretur intelligi, „ quod hanc ſindere non labor homi- „ num, ſed meritum ſancti Galli po- „ tuit, quæ per invocationem nomi- „ nis ejus ſimplicem, tam facilè ſiſſa „ apparuit. Et quia idem ipſe frater „ columna ſpiritualis ædificii fuit, „ in tali miraculo optimè claruit.

„ Longum eſt denique, ſi omnia „ illorum fratrum bene geſta, quibus „ per meritum ſancti Galli præemi- „ nent, velim tam brevi ſermone con- „ cludere; dum omnes unum ſint, & „ ipſi in Chriſto, & Chriſtus in eis: „ quia nihil impoſſibile eſt capiti Deo, „ qui diligit membra ſua: ſed nec ali- „ quid ad impetrandum difficile erit „ membris ſuis, qui ſic cohærent ca- „ piti ſuo. Fateor omnia laudabilia „ vidi in eis, & præcipuè caritatem „ ridentem, & unum vel nusquam, „ vel in paucis hîc nullum muſſitan- „ tem, completúrque in eis, quod „ olim Deus per Prophetam ſuum pro- „ miſit dicens: *Et veniens habitabo* „ *cum eis, & ipſi mecum, & inter* „ *illos ambulabo, & ero illorum Deus,* „ *& ipſi erunt mihi populus.* Et juxta „ Pſalmiſtæ cohortationem ſenes ibi „ cum junioribus ſemper laudant no- „ men Domini. „ Hæc Ermenricus, Augienſis Cœnobita, teſtis oculatus; quæ eâ causâ diductiùs à me relata fuerunt, ut clariſſimo ſint indicio, in Monaſterio San - Gallenſi liberalium artium ſtudia cum eo, quod eſt labot manûum in argo, laus divina in choro, obſervantia diſciplinæ in clauſtro conjuncta, majorem in modum floruiſſe. E cellâ S. Galli, inquit Antonius Yepeſius, (q) velut è fundamento, præclarum ſurrexit monaſterium, quod terras viris eruditis, cœlum ſanctis plurimùm auxit, ut ſi bona trutina penſes, pauca illi anteponas. Apertis porrò ſcholis, confertim illuc ſanguis nobilis, tanquam Athenas confluxit.

B. Notkerus Scholæ San-Gallenſis alumnus. Inter cæteros *S. Notkerus* adhuc puer literarum atq; morum præceptis inſtituendus, à parentibus Abbati Grimaldo commendatus fuit. Sic enim loquitur de eo Ekkeardus in vita (r) „ Cujus præfati parentes cùm ſecula- „ ri vitæ nobilitate eleganter floridi „ pollerent, ab ipſo matris utero fili- „ um ſuum Grammaticæ artis flagel- „ lo ſubdere devoverant. Quia verò „ in monaſterio S. Galli ſeptem libe- „ ralium artium ſtudium, & regula- „ tis vitæ rigorem vel diſciplinam flo- „ rere audierant, Spiritu Sancto eis „ tale deſiderium inſpirante, eundem „ locum virtutibus tanti viri ob me- „ ritum beati Patroni adornare mona- „ ſterium, eum vitæ monaſticæ ibi- „ dem ſubjicere propoſuerunt. *Et* „ *poſt alia:* Quem etiam ſub Archi- „ mandrita, qui tunc loco huic præ- „ erat, nomine *Grimaldo*, Abbate ca- „ nonico admodùm venerabili & ſan- „ ctitate honeſto viro, regulariter do- „ mino & patre Gallo, cum oblatione „ deferentes, atque inibi ſacræ inſti- „ tutionis gratia Spiritûs ſancti præ- „ libata, coma capitis ſub ejusdem „ Abbatis tegimine depoſita, magi- „ ſterio *Iſonis* omnium artium erudi- „ tiſſimo, & maximè divinarum ſcri- „ pturarum peritiſſimo imbuendus tra- „ ditur. Liberali itaque diſciplinæ „ bonæ indolis puer appoſitus, tanto „ ingeoio quæque doctè didicit, ut „ facilè agnoſceretur, non hoc hu- „ mani ſtudii eſſe capacitatem, ſed „ divini Spiritûs operationem. *Et* „ *poſt alia Cap. VII.* Cùm beati viri „ meos micis de magna menſa ſanctæ „ Scripturæ cadentibus, ſaturatis cum „ ſodalibus Ratperto & Tutilone, æ- „ què Monachis ſub Iſone magiſtro „ hoc in tempore literatiſſimo artium „ liberalium ſubtilitates non pro glo- „ ria, ſeu favore ſeculi, ſed pro uti- „ litate ſanctæ Dei Eccleſiæ admodùm „ ſatis edocta eſſet, & in divinis non „ mediocritet prælibata adepta ſuiſ- „ ſet, tamen cupiens ampliùs imbui, „ poſtulans in fide, nihil hæſitans Spi- „ ritum ſanctum, qui eum ab infantia „ repleverat.

Et poſt alia, ubi mentio ſit de Marcello Monacho Marci Epiſcopi Hiberni nepote, & ſcholæ etiam magiſtro: „ Hic erat (*Marcellus*) in divinis & „ humanis ſcripturis eruditiſſimus, cu- „ jus doctrinis beati viri Notkeri ſiti- „ bundus cor refocillatum eſt. *Et* „ *poſt alia:* Traduntur poſt breve tem- „ pus Marcello ſcholæ clauſtri cum „ beato Notkero Balbulo, & cæteris „ monachici habitûs pueris. Exterio- „ res verò, id eſt, canonicæ Iſoni „ cum Salomone & ejus comparibus, „ Marcello verò præſidente mentes „ diſcipulorum Notkeri, Raperti, Tu- „ tilonis, aliorúmque, ſeptem libera- „ lium artium ſcientia imbuit. „

(q) Chron. O. S. B. cent. 2. pag. pag. 71.
(r) Cap. 2.

Duplices Scholæ. Ex his verò intelligitur, quod non obiter notandum, tum in S. Gallo, tum in aliis Familiæ noſtræ cœnobiis duplices fuiſſe ſcholas; nempe alias *interiores*, ſeu clauſtrales, pro monachis, alias exteriores, ſeu Canonicas pro ſecularibus. *Erant verò diſciplinæ loci, ut ſemper, & tunc ſeveræ, non modò in clauſtro, ſed in ſcholis externis*, ut ex Ekkehardo juniore cap. VI. de Caſibus Monaſterii S. Galli diſcimus. Igitur Schola San-Gallenſis primos habuit magiſtros *Iſonem*, & *Marcellum*, qui liberales artes, mathematicas diſciplinas, philoſophiam, & theologiam Monachos, aliósque cùm in clauſtro tum extra clauſtrum docuerunt. Illud verò de Præſagium de magiſterio Iſonis. Iſone memoratû non indignum, quòd, cùm ejus mater uterum ferret, ericium ſe parere ſomniata, cui aculeos pueri evellerent, diſcuſſo ſomno rem marito narraverit. Ille ad incluſum in monte S. Victoris Euſebium pergens, quid de viſo conjectaret, ſciſcitatur. Hic verò naſciturum filium reſpondit, qui ſancto Gallo vovendus, magnus demum doctor & puerorum inſtitutor evaderet. Nec præſagium eventû caruit. Nullum enim tam hebes erat ingenium, quod *Iſo* pro ingenii ſui acumine humanis divinisque diſciplinis non exacuerit, quoad demum à Rege Burgundionum Rudolpho expetitus, ex ſcholis monaſterii Grandivallis ad Superos abiverit anno DCCCLXXVIII.

Ex ejus diſcipulis facilè præcipuus fuit *Salomon* hujus nominis III. Epiſcopus Conſtantiæ ad Rhenum, Ludovici Germaniæ Regis, Arnulphi, Ludovici IV. & Conradi I. Imperatorum Summus Cancellarius, Præſul undequaque doctiſſimus. Hic cùm veteri conſuetudine San-Gallenſium Aſcetarum mirè afficeretur, ſæpiùs Conſtantiâ ad S. Galli monaſterium acceſſit. Quâ autem occaſione cùm adhuc loci Abbas eſſet, Scholaribus S. Galli privilegia aliquando confirmârit, docet nos Ekkehardus his Privilegia Scholarium. ipſis verbis: „ Manè poſt Innocentûm diem Conſtantiam pergere cùm „ diſponeret, fratribus valedictis „ ſcholas præteriit (erat autem hic „ dies ſcholarium) oſtium quoque, ut, „ quomodo ſe haberent, perſpiceret, „ & aperuit, & intravit. Erat ubique „ jus illorum, ſicut adhuc hodie qui„ dem eſt, quoniam ex leges. quidem „ ſunt, ut hoſpites intrantes capiant, „ captos, usque dum ſe redimant, „ teneant. Ille verò utì Dominus lo„ci ſecurus in medium illorum pro„ greſſus cùm ſtaret, Epiſcopum, in„ quiunt inter ſe, non Dominum Ab„ batem capiamus. Ille verò liben„ tiſſimè hoc perpeſſus quomodolibet „ ſe tractare vellent conſenſit. Capi„ entes verò illum in Magiſtri poſu„ erunt, vellet nollet, ſolium. Si in „ Magiſtri, Inquit, ſedeo ſolio, jure „ ejus uti habeo, omnes exuimini. At „ illi incunctanter id agentes liceret „ ſibi tandem, rogant ab ipſo, ſe, ſi„ cut à magiſtro ſoliti ſunt, redimere. „ Cùm ille ſubjunxiſſet, quomodo? „ Parvuli Latinè pro noſſe, medii „ rythmicè, cæteri verò metricè, qua„ ſi pro roſtris rhetoricè etiam affan„ tur. Quorum duorum quoniam à „ patribus verba recepimus, unus in„ quit:

Quid tibi fecimus tale, ut nobis facias malè?
Appellamus Regem, quia noſtram facimus legem.

At alter Verſificator inquit:

„Non nobis pia ſpes fuerat, cùm ſis novus hoſpes,
Ut vetus in peius tranſvertere tute velis jus.

„ Et ille, cùm ſtudiis loco S. Galli „ ſemper molitis jocundaretur, ſuis „ temporibus adhuc ſolidè ſtantibus „ omnes, ita nt erant in lineis, exur„ gens amplexatus & oſculatus, indu„ ite, inquit. Enimverò ſi vixero, „ ait, me redimam, & talem indolem „ remunerabo, collectisque quanto„ cyus ante januam fratrum primis, „ ſtatuit parvis illis, & eorum perpe„ tuò poſteris pro teſtamento ſingulis „ annis ludi ſui tribus ab imperio ſta„ tutis diebus in eisdem ſcholarum æ„ dibus carnibus veſci, & de Abbatis „ curiâ ſingulos tribus donari eſcis „ cottidie & potibus. Quod cùm ipſe „ quidem annuatim præſens ſolvi ju„ beret, poſtea ita ſolutum eſt usque „ ad Ungrorum invaſionem. „

Difficilis erat iis temporibus (s) Muſarum cultus. Poſt Arnulphi enim Imperatoris obitum & Ludovici filii ſucceſſoris ætate tenerâ multæ toto Imperio enatæ turbæ, clades, & miſeriæ, maximè poſtquàm Hungari Italiam factionibus, & inteſtinis diſſidiis diviſam, impunè populati, Bavariam quoque victores aggreſſi inaudita crudelitate, cæde, ferro, flamma, cuncta permiſcuêre, interfectorum ſanguinem ſibi invicem propinantes. Has diſſen-

(s) Chriſtoph. Bartman. Annal. Herem. p. 24.

diſſenſiones, & bella, regníque Germanici orbitatem, & corruptelam morum haud ineleganti epiſtola ad Dadonem Epiſcopum deplorat Salomon Conſtantienſis. Inquit enim:

Non mirere, pater, ſi conflictamur acerbis
Luibus & pugnis, ſi motus ferveat orbis;
Sed mage mira putes, quod non ſint funditus omnes
Et tribus & populi funeſte marte perempti,
Ah cùm non habeant, qui Fac vel Deſine dicat.

Poſtea:

Plura quid his dicam? Deſunt ubicunque regentes:
Diſciplina cadit: huic & contraria ſurgit;
Abſque timore quidem nihil eſſe loquuntur honorem.

Mox de Ludovici pueritia ad reſiſtendum impare, animóque hoſtibus inde adaucto:

Infantilis adhuc perfungens nomine Regis
Ætas, nec pugnæ eſt habilis, nec legibus apta,
Cui Deus indulget regnis, ſceptróque potiri:
Sed tenerum corpus, feræq; ad fortia vires
Deſpectum propriis generant, atque hoſtibus auſum.

Poſtremò ſe ipſe quoque conſolatur petitis ſacrâ ex hiſtoria exemplis, & poſſe etiam rempublicam conſtare, Rege adoleſcente, ſi faveat ſupremum Numen, Joſiam pro argumento ponit, adjungit Samuelem, & Danielem:

Nobis per juvenem veniat benedictio Regem,
Si rata quam ſapiens prodit narratio e codex
Exemplum nobis authentica ſcriptio ponit,
Monſtrans non minimum juvenili ætate dolendum:
Strenuus annorum Joſias Rex fuit octo e
Cùm primùm regno fungi cœpiſſet avito.
Firmatus vero ſenſu, ſolidatus & ævo,
Indeptus plenis maturum robur ab annis
Zelo ferventi ſtuduit ſervire Tonanti:
Inſtaurat templum, comítque altaribus ipſum;
Ordinat officium, divinatione dicatum,
Lege monet populum, inſtigat flere reatum,
Scandala dimovit, luces exſcindere juſſit,
David iter vadit, Domino conſtanter adhæſit.
Ex quo profecit, qui puſio regna capeſſit:
Quis rogo nunc, juvenem debet diffidere Regi?
Dummodò cuncta regens Rex Regem dirigat ipſe.
Sincerus certè Samuel, Daniélque Propheta,
Eſſent ætatis pueri cùm fertè minoris,
Judicium ſenibus decernunt, júsque gerentis.
Quædam verba meis poſui, ſolamina quædam,
Ut quem ſollicitet formido, ſpes animaret.

Hæc quidem eo tempore Salomon, San-Gallenſis Scholæ illuſtre decus ac ornamentum, ſe ipſum & alios ad ſpes meliores exſuſcitans.

Ad hunc verò *Salomonem*, Epiſcopum Conſtantienſem, extant duo Carmina à Caniſio vulgata, Waldrami Monachi, & poſtea Decani San-Gallenſis non Latinè modò, ſed Græcè etiam docti, qui Epiſtolas Græcas manu ſua deſcribere potuit. Is ob virtutis & doctrinæ præſtantiam Epiſcopus Argentoratenſis factus anno 895. Concilio Triburienſi interfuit.

Ab obitu *Yſonis* & *Marcelli*, qui primos ordines San-Gallenſis Scholæ duxerunt, eorum diſcipuli, *Notkerus*, *Ratpertus*, & *Tutilo* ſuffecti fuerunt; de ſingulis pauca commemorare liceat.

Magiſtri celebriores Scholæ San-Gallenſis.

B. NOTKERUS in ſchola interiori, ſeu clauſtrali, juniores monachos ſacras literas docebat, ut Ekkehardus (t) his verbis teſtatum facit: „Quod „ Ratpertus in ſcholis, hoc ipſe in „ clauſtro præter verbera omni cari„ tatis egit cenſurâ. Nam Prioris „ permiſſô, magis autem & hortatû, „ juveniores adhuc idonei noctes di„ éſque, quando ab orationibus qui„ eſcerent, velut in inſidiis erant. „ Neque enim hora incompetens di„ cebatur, ſi codice in manibus quis „ cum domino Notkero loquebatur. „ Ipſe autem, cum propter regulæ „ tenorem ſibilis eos interdum & ſtre„ pitû abſturbaret, ab Abbatibus ei „ per obedientiam, quod refutaret, „ injunctum eſt.„ Is in gratiam Salomonis, Epiſcopi Conſtantienſis, paulò antè laudati, librum perinſignem conſcripſit de optimis quibusque divinæ paginæ Expoſitoribus. *Ratpertus* vir doctiſſimus, gravis & prudens, ſcholæ præfuit multos annos, adeò diligenter, ut non nunquam Miſſas & Curſum negligeret, dicens: *bonas Miſſas facimus, ſi eas facere docemus.* Quibus verbis Socii Bollandiani (t) hanc notam ſubjiciunt: *Patet porrò hinc, quàm antiqua ſit conſuetudo etiam in optimè diſciplinatis monaſteriis, ut ſcholarum magiſtri abſolvantur à chori oneribus, & ſatisfaciant privata Officii Miſſæque recitatione.* Ita Viri eruditi, Cicerones pro Domo etiam & Societate ſuâ. Poſtquam Ratpertus ſummâ laude ac virtute multis annis docuit, emenſo ſtudiorum curriculo, juventuti inſtruendæ præfectus ad ſummam usque ſenectam tantum vidit diſcipulorum concurſum, ut *cùm circa clauſtrum S. Galli languidus iret, nec tamen docere deſineret, quadraginta diſcipulis quondam ſuis Canonicis, tunc quidem Presbyteris loco propter feſtum advenientibus animam ſingulis in manus commiſerit; quorum quisque ei triginta*

(t) In vit. B. Notkeri Balbuli, cap. 4.

ginta Miſſas obituro promiſerat. Sic ille lætiſſimus factus, Deum, ut ſe diutiùs morbo coqueret, rogans, & pœnis nitidus effectus inter diſcipulorum manus in paradiſum, ut credimus, tranſiit. *B. Tutilo* munus ſibi ſumpſit juventutis in Muſica inſtituendæ. Erat enim, teſte Ekkehardo, Muſicus, ſicut & ſocii ejus, ſed in omnium genere fidium & fiſtularum præ omnibus [nam & filios nobilium in loco ab Abbate deſtinato fidibus edocuit] Quoniam verò hi tres San-Gallenſis Scholæ magiſtri in ſingularem amicitiam conſpiraverant, nemo in monaſterio erat, qui tam ſuavis & religioſæ conjunctionis, apud poſteros celebris futuræ, ſocius eſſe non optaret. Solus *Sindolfus* fuerat, qui facibus invidiæ ſuccenſus Gratiarum ſuo interventû turbavit congreſſum. Sed quàm non impunè tulerit, docet nos Ekkehardus (u), qui Sindolfum, refectorarium, hominem rudem & illiteratum, pro fictis ſuis criminationibus, quibus Notkerum, Ratpertum, & Tutilonem apud Abbatem traducere ſolitus erat, à Ratperto, jubente Tutilone, & connivente Notkero verberum grandine inſigniter mulctatum deſcribit. Is verò in omnem ultionis occaſionem intentus, indignum planè facinus perpetravit. Fortè fortunâ Liutwardus Vercellenſis Epiſcopus Epiſtolas Canonicas Græcas ex codice Bibliothecæ San-Gallenſis in ſuum uſum deſcribi petierat. Id in ejus gratiam multis vigiliis fecit Notkerus. Liber tranſcriptus cùm caſû in manus Sindolfi incidiſſet, ab eo per ſingulas paginas cultro conſciſſus, in locum, ubi eundem repererat, repoſitus fuit.

Græcæ linguæ peritia apud San-Gallenſes.

Quod ideò à me commemoratur, ut indicio ſit, non defuiſſe in Schola San-Gallenſi, qui Seculo nono, quod infrequens erat in Germania, Græcam linguam callerent. Quid? quòd, teſte Trithemio (x) *Hartmotus*, ſeu *Hartmutus* ejusdem monaſterii S. Galli Monachus, Rabani Mauri quondam auditor atque diſcipulus, linguæ Græcæ, Latinæ, & Hebraicæ peritus, adde & Arabicæ non ignarus fuerit. Cùm verò Trithemius dicit in Chronico Hirſaugienſi, (y) *Hartmutum* fuiſſe poſt Notkerum San-Gallenſis Scholæ magiſtrum, ab ejus ſententiâ planè diſcedo. Etſi enim *Hartmutus* ex Fuldenſi Schola ad San-Gallenſe monaſterium redux, aliquamdiu in eo forſan docuerit, ſub Grimaldo tamen Abbate non Magiſtri ſcholarum, ſed Proabbatis officium geſſit, vitâ functus anno DCCC-LXXXIII. cùm B. Notkerus ex eâ anno DCCCCXII. primùm diſceſſerit.

Monachi San-Gallenſes magni æſtimantur.

Quantum verò amorem, ſuíque deſiderium Viri hi doctiſſimi ſimul & integerrimi in Adalberonis ab an. 887. Epiſcopi Auguſtani, anno autem 909. demortui, animo concitârint, ex ejus memorabili reſponſo intelligimus. (z) Cùm enim è monaſterio S. Galli, quod devotionis causâ viſitaverat, domum reverſus à ſuis interrogatus fuiſſet, *eſſétne cum Monachis S. Galli, ut fama vulgavit, religia cum doctrinâ, ſeveritas cum diſciplina?* *Cæteri*, inquit, *quid ſentiant, neſcio, quod mihi in animo eſt, pronuncia: Unum ego Sanctum, & hunc defunctum quæſivi; vivas autem, ut verè fratres fatear, ſanctiſſimas inveni. Doctrinam verò illarum & diſciplinam in virtutum eorum operibus videre eſt. Delectat me talium memorari, quas quidem ut iterum videam, vix exſpecta. Oportet, ut omnibus modis, meis me juvantibus, præparem, quatenus ad proximum S. Galli diem viras Dei viſitans, frater illorum Conſcriptus fiam, & quantum mihi gratiæ eſt, charitatem illorum regratier. Venit autem Dei electus* (*hoc ſcilicet anna 908.*) *ut ſpoponderat, & magnis donis fratres & familias exhilaravit.*

S. Udalricus Scholæ San-Gallenſis alumnus.

Quatuor poſt annis nobiliſſimus adoleſcens, *Udalricus* nomine, cauſa doctrinæ ad S. Galli monaſterium acceſſit. Erat is ex illuſtriſſima Alamannorum proſapiâ. Pater ejus Hupaldus, Kyburgenſis & Dilingenſis Comes, mater Tietburga, Burchardi Sueviæ Ducis filia, *de præteritis futura credentes* (ſunt verba Ekkehardi de Caſ. S. Gall. cap. 14.) *tractaverunt, ubi vitam religiaſiſſimam, & docendi ſtudiaſiſſimam invenire potuiſſent, acceptóque conſilia commendaverunt eum ad ſancti Galli monaſterium, quia ibi nobilium Dei ſervarum multitudo & religiaſitas, diſcendi dacendíque ſtudium tunc temporis habebatur; Commendatus verò cuidam religiaſa vira, Grammaticæ artis edocto, Wanning nuncupato, à qua bene pracuratus quo-*

tidia-

(u) Cap. 3. de Caſ. monaſt. S. Galli.
(x) De Lumin. ſeu Vir. Illu. Germ.
(y) Ad an. 977. pag. 68.
(z) Ekkehard. in vit. Notkeri Balbuli apud Bolland. 6. April cap. 2.

tidianam religionis atque lectionis doctrinam accepit, & in intimis ſui cordis inſeruit, adeò ut paulatim fratres in eo doctrinæ fructificationem nimis proficere ſentirent, & ob hoc eum in ſuæ fraternitatis conſortium flagitando aſſumere conarentur. Nec S. Udalrici tantùm, ſed aliorum complurium Germaniæ Epiſcoporum inſtitutio ad præcipuam San-Gallenſis Academiæ laudem pertinet.

Culpâ unius ſcholarium monaſterii conflagrat.

Magna igitur cùm IX. tum X. ſeculo ſcholarium frequentia erat in San-Gallenſi ſchola, quorum unius incuriâ, incuria autem? imò malitia annu Chriſti 937. monaſterium cum ſcholis in cineres redactum fuit. Rem ſic narrat Ekkehardus junior (a): Thietune Abbate, ſevera & accurata erat non modò in clauſtro, ſed etiam in ſcholis exterioribus diſciplina. Die feſto ſancti Marci, ut ſcholares diebus feſtis ſolent, quædam errata commiſerant, quæ cenſores ſcholarum, quos *circatores* vocabant, feria tertia ad magiſtros detulerant. Reis pœnas dare juſſis, unus ex eis ad ſuperiora domûs, ut virgas afferret, miſſus. Ille, ut ſe ſuóſque commilitones virgis ſubduceret, titionem è fornace arreptum, aridis lignis tecto proximis ſubjecit, quæ ignem brevì conceptum in vicinam turrim eccleſiæ, flante aquilone intulerunt. Monaſterium ferè ex integro flammis abſumptum, libri multi amiſſi; campanæ tamen cum ſupellectili eccleſiæ, dum lentè ignis procederet, ſervatæ. Ex hoc incendio magna conflata eſt in San-Gallenſium animis invidia contra ſcholares, cenſentibus nonnullis, ſcholas prorsùs abolendas, ex quibus tantum mali ortum fuiſſet. Verùm hujus amoliendæ invidiæ causâ reponit Ekkehardus, longè plus honoris ex ſcholis iſtis monaſterio acceſſiſſe. Inde quippe clariſſimos variis Eccleſiis datos Epiſcopos ſe vidiſſe; Conrado Rege apud Ingelheimium paſcha agente, & ſancti Galli monacho ſcholarum Moguntiæ curante officium, tres Epiſcopos, ejus quondam diſcipulos, cum eodem divina peregiſſe officia, quibus abſolutis, Regem ei auri uncias præbuiſſe, quod ille non niſi ægrè accipere voluerit; Mathildem verò ſororem Regis, eidem monacho annulum, vellet nollet, in digitum inſeruiſſe. Hæc Ekkehardus, non inanis gloriolæ cauſa, ſed ut honorem doctrinæ & diſciplinæ ejus loci commemorando, præterita illa damna utcunque relevaret. Fuit & ipſe Gymnaſii Præfectus, tantáque diligentiâ ſtudioſam rexit juventutem, ut præter exiles quosdam puſiones linguâ vernaculâ nemo uteretur. Erat etiam, quod illis temporibus perrarum, Græcæ linguæ peritus.

Alii celebriores magiſtri.

Ab incendio monaſterii fieri non potuit, ut ſcholæ exteriores non annis aliquammultis conquieſcerent. Major enim cura tunc Cœnobitis San-Gallenſibus fuit de ædificiis inſtaurandis, quàm de ſcholis habendis. Excitato novo monaſterio ſcholæ iterùm apertæ, quibus magiſtri magnæ doctrinæ ac virtutis adhibiti fuerunt. Eorum aliqui à Trithemio in Chronico Hirſaugienſi laudantur. „*Adelhardus* monachus, inquit, frater *Notingi* ex monacho Conſtantienſis „ Epiſcopi, vir & ipſe doctus, qui „ *Diethmarum* & *Helpericum* ſingulari præditos ingenio, ſingulari „ quoque ſtudio docere in omni genere ſcientiarum diligentiſſimè curabat. Itaque Diethmarus cum „ ætate proficiens in omni ſtudio ſcripturarum doctiſſimus evaſit: & „ non minùs vitæ meritô, quàm eruditione literarum, ſcientiâ cunctorum erat venerandus. In monaſterium à parentibus datur, cùm „ puer eſſet decem annorum: ordinatur presbyter ætatis ſuæ anno 28. „ & cùm impléſſet annos quinque & „ triginta, in Abbatem Hirſaugienſem „ fuit ordinatus." Hæc Trithemius.

Diethmarus & Hilpericus.

Mirari tamen ſubit, quòd doctiſſimus hic Chronographus *Helpericum*, cujus paulò antè facta eſt mentio, modò *Adalardi*, modò *Diethmari* diſcipulum fuiſſe ſcribat. Atque quòd *Helpericus* operam *Adalardo* dederit, ſatis jam dictum eſt, quòd verò in *Diethmari* ſchola etiam limina triverit, ex eodem Trithemio in Añal. Hirſaug. ad an. 941. diſcere licet: „ Claruit his quoque „ temporibus apud Suevos in Cœnobio S. Galli *Helpericus* monachus, „ in omni genere ſcientiarum doctiſſimus, *Diethmari* quondam (*) diſcipulus, qui poſt mortem ſui Præceptoris Magiſter ſcholarum conſtitutus, multos præclaros auditores in omni ſcriptura doctiſſimus „ erudivit: qui cùm eſſet metro exercitatus, ſimul & proſa, multa „ ſcri-

(a) apud Mabill. Annal. Ben. tom. 3. pag. 435.

(*) In editione Sangall. legitur *Condiſcipulus*, unde Ziegelbaueri dubium facilè reſolvitur.

„ ſcripſit opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris comendavit. Ad „ inſtantiam juvenum Monachorum „ ſcripſit inprimis de Computo Eccleſiaſtico librum unum. De Incarnatione Dei libros duos. Diverſorum Carminum lib. 2. Sermones & „ varias Homilias ad Fratres. Reliqua „ verò, quæ compoſuit, ad manus „ noſtras non pervenerunt. „ Ex quibus Trithemii verbis revinci poteſt Conringius, qui ſcholam illuſtrioris doctrinæ in S. Gallo fuiſſe negat. Ac ſi verò ineffabile illud Incarnationis Dominicæ myſterium non eſſet inter illuſtrioris doctrinæ argumenta connumerandum. Niſi fortè Conringius Platonis Ideas, Ariſtotelis Categorias, Euclidis Elementa, Ciceronis Partitiones Oratorias, Homeri Fabulas doctrinæ præſtantioris florem dixerit, contrà verò Æterni Patris Filium (b) *novo ordine, nova nativitate generatum* nôſſe ac intelligere ſcientiarum fæcem ac quisquilias appellârit. Quid cauſæ verò fuiſſet, ut Helpericus graviſſimum illud theologicum thema duobus libris tractandum atque explanandum ſuſciperet, niſi ejus diſcipuli ad divinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes ſuas atque omnia ſtudia contuliſſent? Quid plura? „ Erant tum (ſeculo IX. „ & X.) San-Galli, „ inquit Bruſchius (c), multi doctiſſimi Mona- „ chi, & ferè omnes nobiles, opti- „ mæ vitæ & honeſtiſſimorum ſtudio- „ rum: præcipui verò inter hos Not- „ kerus & Radopertus erant inſignes „ Chronographi, & Poëtæ: Tutilo „ item, Hartmannus, Eccardus & „ Geroldus &c. Notkerus & Tutilo „ pro Sanctis poſteà ſunt habiti. Tu- „ tilo erat egregius ἀναγλύπτης, Muſi- „ cus verò etiam abſolutiſſimus. „ *Geroldus* ſeu *Keroldus* à ſuſcepto Subdiaconatu ſcholarum fuit magiſter (d), quo in munere Theodericum, ſeu Dietricum Metenſem poſteà Epiſcopum, in multis diſcipulum habuit; à Presbyteratu verò Prædicator inſignis, & Conſtantienſis Epiſcopi in illis partibus Vicarius, ac plebis Rector. Hic morti proximus, ſubſterni ſibi fœnum humo nudâ rogavit; tum ſubſtrato cilicio recumbens, fratribus convocatis peccata confeſſus, indulgentiam ab eis accepit. Dein omnes oſculatus dimiſit, & paulò pòſt ſancti Johannis Apoſtoli, cujus ſingularis erat cultor, cujúsque tum patrocinium imploraverat, præſentia, ut creditur, recreatus, placidè obdormivit in Domino anno 973.

Conringius refellitur.

Ex Schola San-Gallenſi expetuntur magiſtri.

Nec poſtremo San-Gallenſi Scholæ ornamento eſt, quòd aliis per Germaniam ſcholis magiſtros & præceptores ſuppeditàrit. Sic *Victor* (d) San-Gallenſis Cœnobita, cùm inſigni eruditione polleret, ab Erchenbaldo Argentinenſi Epiſcopo, cognato ſuo acceſitus eſt; ut Argentinenſibus ſcholis veternum detraheret. Quod ille adeò præclarè præſtitit, ut *Argentinenſes inter florentiſſimas poſteà conumeratæ fuerint.* Sic etiam è Schola San-Gallenſi *Chunibertus* Salisburgum evocatus fuit, ubi publicas & Epiſcopales Scholas præcellenti ſua doctrina vel inſtauravit, vel colluſtravit. *Ekkehardus* verò cognomento Palatinus, utriusque ſcholæ, Clauſtralis (quam vocant) & Canonicæ, id eſt, Interioris & Exterioris Magiſter, & cum magna quidem laude, ab Hadwiga Sueviæ Duce in præceptorem expetitus fuit. Quam cùm in arcibus Dwielanis inſtruxiſſet, ejus commendatione ab Ottone Imperatore in aulam evocatus, & Ottonis Junioris præceptor, licèt invitus, conſtitutus fuit.

Animam *Ekkehardus* Deo tradidit anno 990. quô etiam annô ULRICUS I. hujus nominis Abbas San-Gallenſis è vita exceſſit. „ Sub hoc Abbate, „ inquit Bruſchius, qui anno 991. in „ Abbatem electus fuerat, ſcholæ in- „ cipiebant jam aliquo modo frigere „ & collabi, quod nimium eſſet Mo- „ nachis negotii cum ceremoniis, pa- „ rùm cum literis. „ Sed fallitur, niſi etiam fallat Bruſchius. Non enim Ulricus anno 991. eligi in Abbatem potuit, qui jam año præcedente 990. fatis conceſſerat. Nec quod Monachi rem divinam ſtrenuè colebant, argumento eſt, literariam ab ipſis fuiſſe neglectam. Utriusque curam gerere potuerunt, & verò etiam geſſerunt. Non Ulricus, ſed ejus ſucceſſor, Kerardus, quid enim veritatem diſſimulemus? nullius, imò peſſimæ frugis Abbas, ſtudia literarum cum diſciplina regulari dedità quaſi operâ afflixit. Quod cùm Seniores Patres in Sancto Gallo, iniquiſſimo, ut par erat, animo ferrent, Ottoni III. Imperatori ſupplices facti fuerunt, ut Kerardum in ordinem redigeret. Sed cùm Comes Mutzo, à quo negotia regni omnia pendebant,

Literæ à Kerardo Abbate cladem accipiunt.

auro

(b) S. Leo Serm. 2. de Nativ. Dom.
(c) Monaſt. Germ. Chronol. pag. 114.
(d) Mabill. Annal. Ben. tom. 3. p. 619. & Ekkehard. de Caſ. S. Gal. cap. 14. p. 97.

auro à Kerardo corruptus effeciſſet, ut Otto Imperator juſtiſſimæ ſeniorum Patrum petitioni necquidquam annueret, eorum quidam, cujus nomen ignoratur, non injuſto affectus dolore hoſce verſus in Cæſarem effudit:

Otto Rex tua lex quia ſemper venditur auro,
Hinc gentes fruſtra quærunt judicia juſta.
Otto dum regnas, non ſunt judicia regni.
Otto dum regnas, regnat pecunia tecum.
Plus eſt argentum tecum, quàm lex ſapientûm.
Impie Rex Otto, cur fulmina te patiuntur?
Te regnare dolens cur non tibi terra dehiſcit?
Te cum Kerardo noſtro nimis ad bona tardo,
Et cum damnatis uterque precor pereatis.

Jam verò Bruſchius ad hoſce verſus naſum criſpans, eos non valdè illorum diſſimiles eſſe ait, quos olim æditius quidam compoſuiſſe dicitur, de novo in aram poſito & vetere abjecto Chriſtum repræſentante ſimulacro, qui tales vulgò narrantur:

O Jeſu vete, olim tibi plurima dete,
Jam Chriſtus novus tollit tibi flaxus & ovas.

Judicium ferat æquus lector de hoc judicio Bruſchiano, an propter verſus aliquos incultos, quos ſeniculus quidam metricator, ut eum Burchardus lib. de Caſ. S. Galli cap. 3. cognominat, in Principem effudit, laus eruditionis ac doctrinæ univerſæ San-Gallenſi ſcholæ detrahenda ſit?

Inſtaurantur. Extincto *Kerardo*, virtutum ac literarum peſte, in ejus locum ſurrogatus fuit *Burchardus* à Muſis minimè alienus; huic enim laudi tribuitur, quòd inter alia *ſtudia reduxit*, quæ tunc in S. Gallo floridè revixerunt, quàm ſub Kerardi regimine ſitu & incuriâ exaruerant. Sub Burchardo floruit *Notkerus* à latioribus labiis dictus *Labeo*. Vir erat excelſi ingenii, multis annis ſcholæ magiſter, & in omnibus literarum diſciplinis apprimè verſatus, qui primus in gratiam Fratrum ſuorum Pſalmos Regii Vatis, & librum Job in linguam Alamannicam tranſtulit. Vitam cum morte commutavit anno MXXII. quo anno etiam Burchardus Abbas fatis conceſſit.

Joannes Launoius (e) Scholam San-Gallenſem ad annum ML. perſeverare debuiſſe ex eo conjicit, quòd Hermannus Contractus. ejus alumnum fuiſſe *Hermannum Contractum* Thrithemius ſcribat in Chronico Hirſaugienſi: *His temporibus*, inquit, *anno MXLVII.* (*) *floruit in Monaſterio Sancti Galli Ordinis noſtri in Suevia Hermannus, Græcè, Latinè, & Arabicè peritus, Philoſophus, Rhetor, Aſtronomus, Poëta, Muſicus, & Mathematicus omnium ſui temporis celeberrimus, qui multa præclara volumina edidit.* Fuit autem Hermanni magiſter, ſubjungit Launoius, *Hilpericus* doctiſſimus in S. Gallo Scholaſticus. At Launoium in magnum errorem Trithemius induxit. Neque enim *Hermannus Contractus* unquam Monachus San-Gallenſis, ſed ſemper Augienſis fuit. Multò minùs operam Hilperico dedit, ut qui longè antequàm Hermannus in lucem editus eſt, diem clauſit extremum. Sed hoc argumentum alio loco fuſiùs tractabimus.

Anno 1034. Norbertus de Staffile Abbas creatus fuit, qui tametſi jam provectâ eſſet ætate, non dubitavit tamen, quò jura monaſterii ſui tueretur, cum Romoldo, Conſtantienſi Epiſcopo, prælia conferre. Atque iſte primus fuit Abbas San-Gallenſis, qui ſucceſſoribus ſuis exemplum belligerandi planè non laudandum præivit. Prolixus forem, ſi quæ bella per aliquot geſſerunt ſecula, hîc narrare inſtituerem. Quis verò non intelligit, quòd ſub id genus ferocis animi Abbatibus, qui ſuos monachos ſub Marte potiùs, quàm Apolline mereri ſtipendia maluerunt, San-Gallenſis ſchola non minima acceperit detrimenta? Quid? quòd monachi armis aſſuefacti Abbatem rei literariæ ſtudioſum vix ampliùs ferre poterant.

Bellicoſi Abbates exitio ſunt ſcholæ San-Gallenſi.

Anno 1442. *Caſpar de Breiten-Landenberg*, ſive *de Lato-Landenburgo*, monachus primùm Divitis Augiæ, dein San-Gallenſis, vir doctus, præcipuè tamen pontificiarum legum cognitione clarus electus fuerat. Hic anno 1458. quòd *literarum*, garriebant monachi, *ſtudioſior* eſſet, quàm adminiſtrationis curarum, ab officio depoſitus fuit, ita tamen, ut ipſe nomen Abbatis retineret, alius autem rebus omnibus præeſſet. Poterat tunc de San-Gallenſi Monaſterio dici, quod de Athenis olim Syneſius edixerat: *Athenæ olim quidem civitas erat ſapientûm ſedes: nunc autem ipſam celebrant mellarii, milites, Martiſque pulli.* De Monachis verò San-Gallenſibus rectè tunc temporis quis dicturus fuiſſet illud Alexandri M. apud Curtium lib. 11. c. 5. *Vices accipiunt melius acturi.* Ecce enim poſt mortem *Caſparis* Udalricus hujus nominis VIII. Abbas ſufficitur, & Romæ à Pio II. inauguratur. Hunc alterum

(e) de Schol. celebr. in Schola San-Gallenſi.
(*) In edit. Sangall. aliter legitur ad an. 1043. quo Hermannus mortuus ſcribitur, licèt ad an. 1054. vixiſſe alii contendant.

Reſloret.

Sancti Galli Fundatorem meritò appellare licet. Quàm autem ſtudiis faverit, ex eo intelligere facilè poſſumus, quòd literarum Gymnaſia iterùm aperuerit, Muſas in antiquam ſedem reſtituerit, viros doctos aluerit. Quos inter procul dubio connumerandus venit Joannes Biſchoffius, Monachus San-Gallenſis, Decretorum Doctor, Vir in utroque Jure verſatiſſimus, qui, teſte Mezlero, Gymnaſium San-Gallenſe ab Udalrico VIII. reſtitutum, Magiſtris Joanne Gaza, Joanne Donnvogel, anonymo quodam Seckelio &c. Monachis Collegis cum laude rexit. Im̃ortali etiam laudi vertit San-Gallenſi Scholæ, quòd *Ludovicus Blarerus* poſt an̄um 1526. in Abbatem & Principem Eremitani monaſterii ex ipſa poſtnlatus fuerit. In hoc enim cum monaſtica diſciplina penitus collapſa literarum ſtudia pariter extincta pro ſuo incredibili in bonarum artium & ſcientiarum diſciplinas amore reſtituit, ita ut ab eo tempore Principale hoc Aſceterium à virtutum & literarum cultu ab eo tempore ad hanc usque noſtram ætatem habeatur celeberrimum. Ex quo perſpicuum ſit, habere etiam literas ſuum quendam velut orbem: ut quemadmodùm temporum vices, ita & ſtudiorum vertantur.

Diethelmus Abbas.

De Abbate Diethelmo, qui anno 1564. rebus humanis exemptus fuit, legitur: *Religioſos ſuos ſcientiis inſtitui voluit.* Ejus verò ſucceſſor Othmarus hujus nominis ſecundus Abbas *Religioſos ſuos Pariſiis & Dilingæ in ſtudiis aluit.* Poſt quem Joachimus Opſerus, Monachus San-Gallenſis, cùm Dilingæ, Pariſiis, & Arverniæ ſcientias penè omnes imbibiſſet, Abbatialem emeruit dignitatem. *Is pariter Religioſos ſuos Dilingæ, Pariſiis, Romæ plures aluit.* Hæc tamen conſuetudo juvenes Religioſos ad externas Academias & Univerſitates mittendi brevì pòſt in Sancto Gallo deſiit, cùm monaſterium viris iterùm doctiſſimis abundare cœpit, qui eos cùm in inferiorum, tum ſuperiorum ſcientiarum diſciplinis informarent. Quid? quod Magiſtri ac Profeſſores more antiquo ad alia loca docendi causâ iterùm miſſi fuerunt. Sic Joannes Biſchoffius, cujus primùm anteà mentio facta eſt, Ticini cathedram Juris Canonici publicè docendo tenuit. Quantoperè rerum etiam divinarum periti fuerint, argumento eſt *Curſus Theologicus San-Gallenſis*, quem ſeculo proximè elapſo typis vulgatum docti quique Theologi magno plauſu exceperunt.

Scholam San-Gallenſem monachi ex aliis cœnobiis frequentant.

Quæ etiam cauſa fuit, ut, cùm Monaſterium S. Galli non nova modò literarum gloria & ſplendore ſcientiarum, ſed etiam admiratione alia Ordinis noſtri in Germania monaſteria compleviſſet, non pauci Abbates juniores ſuos Religioſos eò velut ad emporium liberalium artium amandârint. Nec ſpe ſuâ exciderunt: Pleriq; enim cùm ſacræ Theologiæ, tum aliarum diſciplinarum ſacris præclarè imbuti domum reverſi fuerunt. Quo tempore *Placidus* Abbas Ettalenſis *Scholam Nobilium* ſuo aperire in monaſterio ſecum decreverat, è ſuis capaciſſimum quemque ad S. Galli Monaſterium ablegavit, ut cùm aliis ſcientiis, tum cognitione inprimis linguarum imbuerentur. In Schola enim San-Gallenſi non Græcarum modò ac Hebraicarum literarum ſtudia coluntur, ſed plures etiam adſunt Polygloſſi, qui diverſas callent peregrinas linguas. Unum è multis nomino Hermannum Schenkium, Bibliothecæ Præfectum, Mabillonio non ſemel laudatum, Latinè, Græcè, Hebraicè, Italicè, Gallicè, Hiſpanicè doctum. Nec tot linguarum cognitio in eo ſterilis ac infœcunda fuit, ſed elegantes complurium librorum verſiones enixa eſt, quas ſuo loco commemorabimus.

Ejusdem ſum̃um decus eſt Cardin. Sfondratus.

At nulla ſublimior San-Gallenſis Scholæ gloria, quàm quòd à teneris annis in ea inſtitutus fuerit *Cœleſtinus Sfondratus* S. R. E. Cardinalis, illuſtriſſimum illud noſtræ ferè adhuc ætatis lumen, decus, ac ornamentum. Si enim Rhodia Schola vel eò ſolùm nomine habetur celebris, dignáque, quæ ſum̃is laudibus efferatur, quòd in ea Cicero, Romanæ eloquentiæ princeps, à Milone Rhodio perpolitus fuerit, quantum laudis ac celebritatis Scholæ San-Gallenſi accedit, quòd literarum ac bonarum artium diſciplinis eum excoluerit Antiſtitem, qui ſubinde *Pontificiæ authoritatis invictus fuit vindex ac propugnator?*

§. IV.
MONASTERIUM AUGIÆ DIVITIS.

Augiæ Div. celebritas potiſſimùm à literis.

SI quæ olim Augiæ Divitis celebritas fuit, ad illam quantamcunque famam, quæ certè maxima fuit, ex literarum veluti fontibus profluxit. „ De Augia Divite, quam appel-

„ lant,

„ lant, memoratur, inquit Herman-
„ nus Conringius, illam à Carolo
„ Martello ex inſtituto S. Pirminii ita
„ fuiſſe inſtitutam, *ut* (verba ſunt
„ Bruſchii) (f) *tantùm Principes, Co-*
„ *mites ac Barones illic educarentur, ac*
„ *erudirentur, à prima infantia usque ad*
„ *adoleſcentiæ tempora. Tum enim* (per-
„ git Bruſchius) *bene inſtitutis ac li-*
„ *berè educatis integrum ac liberum erat,*
„ *prodire iterum vel uxores ducere, vel*
„ *aulas principum, vel militiam ſequi.*
„ *Equitum verò ac civium liberi ad-*
„ *mittebantur nulli. Erat igitur tan-*
„ *tùm principum ac ſublimi ſtirpe na-*
„ *torum ſchola ac pæda-quoddam gogi-*
„ *um.* Trithemius lib. 1. ad An. Chri-
„ ſti 741. tantùm hoc refert de Augia
„ illa: *In illa ſucceſsû temporis multi*
„ *viri clauſtrales eruditione & ſanctitate*
„ *vixerunt inſignes.* De ſchola ma-
„ gnatum habet nihil. De S. Mein-
„ rado tamen in ejus vita apud Su-
„ rium menſe Januario ita ſcribi-
„ tur: *Meinradus cùm jam eam æta-*
„ *tem attigiſſet, quâ aptari poſſet litera-*
„ *rum ſtudiis, à patre ducitur ad inſu-*
„ *lam, quam veteres Sindelaugiam*
„ *vocabant Sindelaug. Huc puer jam*
„ *dictus à patre ductus commendatur vi-*
„ *ro per omnia honeſtiſſimo Erlebaldo*
„ *monacho.* De S. Wolfgango item
„ apud eundem Surium menſe Octo-
„ bri pag. 991. legitur: *Wolfgangus*
„ *non contentus ſcholis trivialibus, aut*
„ *privatis erudiri, patre deducente, eò*
„ *ſibi properandum ſtatuit, ubi tum in-*
„ *tra Germaniæ fines maximè florerent*
„ *ſtudia literarum, ad Augienſe Mona-*
„ *ſterium ſe contulit.* „ Hæc cùm Con-
ringius in Supplementis Diſſertatio-
num de Antiquit. Academ. num. 32.

Conringii iniqua cenſura de Schola Augienſi.

retuliſſet, immediatè ſubjungit: „ Ve-
„ rùm enimverò de reliquis antiqui-
„ oribus Cœnobiis Benedictinis Ger-
„ maniæ noſtræ nihil tale memoratur.
„ Ac proinde non fas eſt, exemplo
„ hoc uno in univerſum de omnibus
„ idem pronunciare. Eſt præterea
„ illis relationibus multum falſi admi-
„ ſtum, ut non liceat vel illas tutò
„ credere. Utque magnatum liberi,
„ aliique in Augia fuerint inſtituti non-
„ nihil primâ ætate, *veræ tamen &*
„ *ſolidæ doctrinæ* ſcholam ibi tum fu-
„ iſſe, ne hoc quidem argumento li-
„ cet dicere. Uno verbo, vetera illa
„ Cœnobia Benedictina nihil momen-
„ ti ad doctrinæ propagationem at-
„ tulerunt. „ Hæc Conringius Me-
dicus à Naudæo Medico Benedictinæ
Familiæ odio imbutus, & eâ quidem
eructat confidentia, atque ſi Pythius
eſſet Apollo, vel è Dodonæa quercû
oracula effunderet, eos tamen dun-
taxat ſuam in ſententiam adducturus,
qui nihil unquam de Venerabili Beda,
Alcuino, Rabano Mauro, Lanfran-
co, Anſelmo, aliiſque quàm plurimis
doctiſſimis Benedictinis audiverunt,
per quos non res literaria tantùm, ſed
vera ſolidáque doctrina multis ſeculis
propagata fuit.

Revincitur à ſuo Scholiaſte.

Et quidem quod ad Augiam Di-
vitem attinet, ſe non videre, inquit
Cl. *Gœbelius*, Conringii Scholiaſtes,
quâ ratione is neget, *veræ & ſolidæ*
doctrinæ ſcholam eo in monaſterio an-
tiquis temporibus viguiſſe, quæ tunc,
teſte Launoio, (g) & auditorum fre-
quentia, & diſperſâ Profeſſorum exi-
ſtimatione literarios adoleſcentes ac-
cerſivit. „ His, ait, acceſſerunt duo,
„ quæ hujus ſcholæ famam cumulâ-
„ runt. Unum eſt, Berno Augienſis
„ Abbas, quem ſcholæ præpoſitum
„ fuiſſe non dubito. At quis & qua-
lis fuerit, cùm alii plures, tum ma-
ximè Trithemius ſcribit in Catalogo
Scriptor. Eccleſ. *Vir*, inquit, *in di-*
vinis ſcripturis doctus, & in ſeculari-
bus literis valde notabiliter eruditus,
Muſicus, & Poëta, nulli ſuo tempore
ſecundus, vitâ & converſatione præci-
puus. Hæ ſunt animi dotes & orna-
menta, quibus magiſtrorum fama, &
auditorum multitudo comparatur.
Alterum, Augienſem ſcholam ali-
quando ſuppeditâſſe Monachos, qui
cæteris in locis præceptorum penuri-
am ſupplerent. Quinam verò illi fu-
erint, nec *Launoius*, nec *Gœbelius*
exprimunt; nec ego apud Joannem
Egonium, qui librum de *Viris Illuſtri-*
bus Augiæ Divitis ſcripſit, legere me
memini, quamvis ab eo illorum no-
mina & acta, qui domi Augienſi in
Academia docuerunt, accuratè re-
cenſeantur.

Conſului Bruſchium in *Monaſt.*
Germ. Chronolog. de Augiæ Divitis Mo-
naſterio. Is verò etſi meminerit *E-*
thonis Abbatis II. anno Domini 727.
ſub quo Scholæ Augienſis quædam
quaſi Coloniæ in Rhætiam, Bavariam,
Alſatiam miſſæ fuerunt, nullius ta-
men magiſtri nomen memoriæ pro-
didit. En Bruſchii verba. „ Hic Ab-
„ bas Etho, cùm inſignem haberet
„ in Augia Divite ſcholam, miſerunt
„ ad

(f) In Monaſt. Germ. Chronol. pag. 8.
(g) De Schol. celebr. pag. 27.

„ ad eum Legatos Dux ſuperioris Rhæ„tiæ, Duces Bavariæ & Alſatiæ, pe„tentes perſonas & libros ad inſtau„randa monaſteria, & ſimilia veræ „doctrinæ ac virtutis domicilia in ſuis „provinciis erigenda: quibus grati„ficari volens *Etho* diviſit libros ac „diſcipulos ſuos in quatuor partes, „unam partem ſuo reſervans mona„ſterio, ſecundam ad inchoandum „Fabarianum cœnobium in Rhætiam, „tertiam ad Altaheim in Bavariam, „quartam ad Murbachium in Alſa„tiam ſuperiorem miſit: ſingulis lo„cis duodenos aſſignans monachos, „& unum gubernatorem, ſeu Abba„tem. „ Hæc ille. Tria igitur Monaſteria, ſcilicet Altachenſe, Morbacenſe, & Fabarienſe, futura virtutum ac ſcientiarum domicilia ex Augienſibus Cœnobiis anno 1731. inſtructa fuerunt, duodenis ad ſingula fratribus deputatis, & totidem in Augia remanentibus. Ex quibus qui moderandis ſcholis præfecti fuerint, memoriæ proditum non legimus.

Waldo Abbas rem literariam apud ſuos egregiè promovet.

Anno 787. favore Caroli Magni, Literatorum ſummi Mæcenatis, in Abbatem Augiæ Divitis electus ac conſtitutus fuit *Waldo* Scholaſticus, qui cùm eſſet ſacrarum literarum apprimè gnarus, ſuos ita erudiit, ut plurimi à Carolo M. variis Diœceſibus & Monaſteriis præficerentur. Sub hoc etiam Abbate plures in Augia viri ſuſcepti, & monaſtico habitû induti ſunt; plures etiam libri ſcripti, & aliunde comparati ſunt; ita ut Augienſes monachi non tantùm per omnem Germaniam, ſed & apud exteras etiam nationes celeberrimum ſibi nomen pararent, & ubique in honore eſſent. Erat verò *Waldo* non excelſi minùs animi, quàm ſummæ doctrinæ Abbas, ſub Eginone Epiſcopo Conſtantienſi: *cujus tyrannidi* (ſunt verba Bruſchii) *diutiùs ſubeſſe non volebat, dicens Regi Carolo in faciem, ſe quamdiu poſſet trium digitorum, quibus ſcriberet, vigorem & uſum obtinere, non futurum ſub hujus epiſcopi manibus, & malle ſe eſſe ſcribam, quàm Abbatem nullius authoritatis.* At enim Bruſchii verba inter aniles nugas & figmenta numerat Johannes Egonius in Libro de Viris Illuſtribus Augiæ Divitis. Egino enim Epiſcopus Waldonem Augienſem Abbatem chariſſimum habuit, & nullas unquam inimicitias cum eo geſſiſſe legitur.

Quód etiam Heito facit.

Sub Waldonis magiſterio *Heito* tantos in literis & moribus progreſſus fecit, ut non tantùm publicè in Augia ſacras literas profiteretur, pauló que pòſt Waldone ad epiſcopalem dignitatem evecto Abbas fieret; ſed etiam à Carolo Magno Baſileenſi Cathedræ præficeretur, & Conſtantinopolim ad Orientis Imperatorem gravibus de cauſis mitteretur, ínque Caroli deliciis ob inſignes animi dotes haberetur. Pro Clericis Epiſcopatûs ſui ſaluberrima edidit Statuta. Scholam Augienſem ad altiſſimum artium ſcientiarúmq; omnium culmen promovit, ita ut undique magnorum Procerum, Ducum videlicet & Comitum filii in Augiam convolârint, literis & bonis moribus initiandi, ut deinde ad Epiſcopatus & Ducatus gubernandos idonei fierent. Diſcipulos in Augia habuit multos inſigniter eruditos, quorum nonnulli nominatiſſimi facti ſunt Magiſtri; quos inter excelluêre *Erlebaldus* poſtea Abbas, *Wettinus* monachus, divinis etiam viſionibus clarus; *Tatto* & *Reginbertus* Monachi, qui omnes ſcholæ Augienſi præfecti fuerunt. Et quidem *Erlebaldi* ſingularis illa eſt gloria, quòd S. *Meginradum* Comitem de Sulgow, nepotem ſuum, diſcipulum habuerit, & monaſtico habitu induerit, qui dein etiam Profeſſoris munere aliquamdiu in Augia functus ad cœnobium Pollingenſe propè lacum Turicinenſem eidem Augienſi monaſterio tum ſubjectum fuit juventutis inſtituendæ causâ transmiſſus. *Erlebaldi* condiſcipulus & individuus ſtudiorum comes erat *Wettinus*. Ambo autem, poſteaquàm ſub Heitonis diſciplinâ inſigniter profecerunt, ad majorem in artibus liberalibus ſcientiam acquirendam ad *Alcuinum* miſſi ſunt, quô Doctore in rebus philoſophicis, ſacríſque literis tantam ſibi doctrinam comparârunt, ut in Augiam reverſi ingenia ſuperârint omnia, quantumvis ſtupenda. Quo factum, ut ob eximiam rerum omnium, quâ præditus erat, peritiam, Wettinus ab Heitone Gymnaſio Augienſi Magiſter & Doctor daretur, quod *Walafridus Strabo* in prædicti Wettini viſionibus narrat:

Nam Wettinus erat celebri rumore Magiſter,
Artibus inſtructus ſeptem de more priorum,
Laudibus ex hominum multas vulgatus ad auras.

Paulò ante obitum (h) ſuum ab Angelo

(h) Egon, l. 1. c. 4.

gelo

gelo ſuo Cuſtode è corpore ductus, & reductus miranda vidit, ſtupenda audivit, quæ deinde Erlebaldo Abbati, & Fratribus præſeotibus ſingula ingenti omnium cum admiratione narravit, & non multò pòſt ex hac lacrymarum valle ad ſupernas æternáſque Patris cœleſtis manſiones vocatus eſt pridie nonas Novemb. A. Chriſti 824. Viſiones ejus excepêre & calamo expreſſere Heito Baſileenſis olim Epiſcopus, & Walafridus Strabo Augiæ Abbas, bic quidem metricâ, ille verò ſolutâ oratione.

Tatto celebris Scholaſticus.

Wettino autem ad cœlos præmaturâ morte evocato, Lycæum Augienſe moderari juſſus eſt *Tatto*, vir incomparabili ſcientiâ præditus, omniúmque virtutum præſidio apprimè munitus; quem Walafridus Strabo, diſcipulus, in viſione *Wettini* magnis laudibus extollit. Præſes (i) *Mauguinus* hujus Tattonis diſcipulum facit *Gotheſcalcum* è Saxonica Nobilitate oriuodum adoleſcentem, Orbacenſem poſtea monachum, ac inſelicem geminæ prædeſtinationis præconem. At à vero aberrat. Gotheſcalcus nunquam in Augia ſtuduit, ne politioribus quidem literis, ut vult Mauguinus, ſed à pueritia in Fuldenſi Cœoobio educatus fuit, inde in Orbacenſe Galliæ monaſterium demigràvit, ubi ita ſe totum lectioni Operum Divi Auguſtini dedit, ut *Fulgentii* nomen fuerit adeptus. Poſt *Tattonem* ſcholam Augienſem doctrinæ radiis illuſtravit *Reginbertus*, qui de ſacris literis meritiſſimus, & alibi eo nomine commendandus an. 847. & docendi & vivendi finem ſecit. Ab ejus obitû ſcbolam Augienſem moderari juſſus eſt *Walafridus Strabo*, illuſtre illud Seculi IX. ſidus, & præcipuum Augiæ literatæ oroamentum.

Walafridus Strabo ingens Augiæ Divitis ornamentum.

Fuit verò Walafridus Strabo diſcipolus *Tattonis*, cui à primâ pueritiâ operam dedit. Vix annos quindecim natus jam laudes *Ebbonis* Archiepiſcopi Remenſis verſibus celebravit. Triennio poſt viſionem Wettini carminibos complexus eſt. Dedit etiam ad Agobardum Lugdunenſem Archiepiſcopum epiſtolam metricam. Nec aliis celeberrimis viris ignotus fuit, ad qoorum cognitionem & amicitiam Muſæ ipſi aditum patefecerunt. Poſtea verò Fuldam miſſus fuit, & ſub Rabano ſacris literis operam dedit, quod occaſionem præbuit, ut Fuldenſis monachus à Trithemio vocaretur. Pauperem fuiſſe *Walafridum*, ex eo non vanè conjicitur, quòd Rabaoo pro calceamentis reſcribere ſit coactus:

Sed licèt innumeri pulſent mea pectora queſtus,
Plus tamen impugnat, quod nudipedalia cogar
Ecce pati.

Unde quod Bruſchius ſuprà dixit, lege ſancitum fuiſſe, ne quis, niſi Equeſtri, aut altiori etiam loco natus, in cœnobio erudiretur, ut credam, in animum inducere non poſſum. Reclamat Walafridi exemplum, qui ab honeſtis, ſed pauperculis parentibus progenitus à parvo puero in Augienſi ſchola educatus, progreſsû temporis in Abbatem electus eſt. Non ſemper Bruſchii veſtigia ſunt premenda; ſæpiùs imprudens ille à vero diſcedit, ut nihil dicam, quòd res monaſticas bonâ fide non tractârit. De Hattone, Augienſi Abbate, ac poſtea ejus nominis primo Archiepiſcopo Moguntino affirmare non dubitavit, quòd *Francorum Rex fuerit.* Quanta hæc, quámque enormis hallucinatio! Nam unde quæſo, exclamat Nicolaus Serrarius (k) *Francorum Rex Hatto?* Cujus Regis filius? In Mſ.to certè meo majore diſertè *genere obſcurus* dicitur. Et in Hirſaugienſi Cbronico Trithemius, *Sancto*, ait, *Sonderaldo per Northmannos* (ut prædiximus) *occiſo, Hatto Augienſis Abbas in Archiepiſcopum Moguntinenſem eligitur, vir quidem obſcurus genere, & nullâ nobilitate inſignis, ſed acutus ingenio.* Si Abbates igitur Augiæ potuerunt fieri, qui obſcuro loco, tenuíque orti fuerunt fortunâ, mirum, ſi nemo eò loci monachus fieri potuiſſet, niſi qui aviti ſtemmatis ſplendore coruſcaret. Unde inficetus eorum ſermo eſt, qui monachis Augienſibus hodie obganniunt: *Eſtote demenſo & diario veſtro contenti, non pro vobis è plebe natis, ſed pro Nobilibus Augia condita fuit.* Quod S. Pirminio Fundatori, ut faceret, nunquam in mentem venit. Quotquot (l) enim Fundatores antiquitus pro Ordine S. Benedicti Mooaſteria fundarunt, non aliter ſe fundâſſe declarârunt, quàm ut ibi monaſtica vita juxta Regulam S. Benedicti inſtitueretur, in cujus cap. 2.

ex-

(i) Hiſt. & Chron. Diſſert. Controverſ. Gotheſcalc. pag. 48.
(k) Rer. Mogunt. lib. 4. de Hattone pag. 417.
(l) Romanus Hay in Hort. Cruſ. alleget. 453. pag. 279.

expreſsè continetur, *ne ingenuus præponatur ex ſervitio convertenti, quia ſive ſervus, ſive liber, omnes in Chriſto unum ſumus, & ſub eodem Domino æqualem ſervitutis militiam bajulamus; quia non eſt apud Deum perſonarum acceptio.* Quæ nobilior, atque illuſtrior habetur Abbatia, atque Fuldenſis, quæ inter omnes Germaniæ & Galliæ Primas eſt? Hanc verò à S. Bonifacio, vel S. Sturmio pro ſolis Nobilibus fundatam fuiſſe, minimè legimus, ſimúlque conſtat, hominum memoriâ non-nobiles ibi Monachos & officiales extitiſſe. Lapides loquuntur & Epitaphia, quæ coram inſpeximus, inquit Cl. Romanus Hay, (m) rerum monaſticarum apprimè peritus author. Concilium Baſileenſe ſolorum Nobilium receptionem vocat *corruptelam*, eámque his verbis prohibet: *Præſertim illam Corruptelam reprobantes, quâ dicunt ſe aliqui, nullum niſi Nobilem recipere poſſe. Nam etſi Nobiles in receptione, cæteris paribus, præferantur, tamen & alii ob hoc non excluduntur, nec debent excludi* &c. *Datum Baſileæ decimo Cal. Martii, anno à Nativitate Domini* 1439. Quæ Bulla equidem mox eodem anno 26. Aprilis in Capitulo Provinciali Ord. S. B. Provinciæ Moguntinæ, à Monaſteriis Fuldenſi, Campidonenſi, Herſfeldenſi, Elvacenſi, S. Galli, Augiæ Divitis, Weiſſenburgenſi, Einſidlenſi &c. concorditer acceptata, ſed deinde maximo Augienſis Monaſterii malo, ut paulò pòſt audiemus, non obſervata fuit.

Goldaſtus de Walafrido Strabone falſa prædicat.

Pati veritate nituntur, quæ Goldaſtus Rer. Alam. tom. 2. part. 1. pag. 12. de *Walafrido* Strabone in chartam conjecit: „ Abbas, inquit, fama „ ingenii & doctrinæ lectus, quum „ provinciam commendatam piè ad„ modùm gubernaret, & ad ſtudia „ intentum animum, tamquam at„ cum (ut de Appio loquitur Cice„ ro) haberet, veluti inutilis & qui „ res Monaſterii dilabi pateretur, à „ fratribus pulſus eſt in exſilium, ut „ non obſcurè ipſemet ſcribit in car„ mine quodam ad Imperatorem, „ quod apud nos cum aliis ejus epi„ grammatis extat MS. Eadem invi„ dia apud Fuldenſes laborabat ma„ giſter ejus Rabanus, cui & Abba„ tia à fratribus fuit abrogata. Ejectus „ ita Walafridus (cui ob oculorum „ vitium *Strabi* vel *Strabonis* nomen „ inditum) Fuldenſe repetiit Monaſte„ rium, ubi ſub Rabano tutiorem a„ geret vitam. Quo in exſilio, aut „ vehementer animo fallor, aut Gloſ„ ſam Ordinariam, quæ neſcio cui „ Straboni Anglico adſcribitor, & „ Annales Fuldenſes, quos Utopico „ Strabo Fuldenſi tribuit Trithemius, „ inſtituit ſimul & perfecit. „ Hæc Goldaſtus. Veriora nos docet Ermenricus Walafridi Strabonis diſcipulus in libro ad Grimaldum Abbatem San-Gallenſem de Grammatica ſcripto, ubi Walafridum Augienſem Abbatem (cujus mors in annum DCCCXLIX. incidit) obiiſſe teſtatur in legatione, quam ex Augia in Galliam juſsû Ludovici Germaniæ Regis ad Carolum ejus fratrem, cognomento Calvum, ſuſcepetat. Quâ deinde veritatis ſpecie Goldaſtus dicit, Walafridum Abbatem à Monachis in exſilium pulſum Fuldam conceſſiſſe, ut ſub Rabano Abbate tutiorem ageret vitam, cùm eodem anno 842. quo Walafridus Augienſis Abbas creatus fuit, Rabanus Maurus, dimiſsâ Abbatiâ, è Fuldenſi emigravit Monaſterio. Hæccine ſibi conſtant? Sed in iis teſellendis nolim otio abuti.

Ermenricus Augienſis ſtudet in ſchola San-Gallenſi.

Ab obitû Walafridi Grimaldus Abbas San-Gallenſis Ermenrico mandavit, ut ex Augia ad S. Galli Monaſterium accedens, in ejusdem ſcholâ literis vacaret. Narrant, inquit Joannes Egonius Prior Augienſis, eum ex Augiâ ad S. Galli monaſterium transmeâſſe, ibíque inter eos Patres ſub Grimaldo ſcilicet Abbate diutiùs vitam duxiſſe. Quod num veritate aliquâ nitatur, non audet Egonius affirmare, cùm hactenus nihil hac de re invenerit. At enim ſi Egonius vitali adhuc veſceretur aurâ, facilè jam affirmaturus eſſet; Mabillonius namque poſtea in Bibliotheca Augienſi invenit *Fragmenta Libri de Grammatica* ab Ermenrico ad Grimaldum ſcripti; in quo pro eximio hoc beneficio his verbis eidem gratias agit: „ Bea„ tiſſimo præceptore meo *Walahfredo* „ pro reſponſo quodam domni Regis „ ad Karolum germanū ſuum pergen„ te, ibíque defuncto, interim quò cum „ inde ſperabas incolumem reverſurū, „ juſſiſti me de Auvavenſi monaſterio „ ad monaſterium S. Galli commoran„ di & diſcendi gratiâ proficiſci, ibi„ que à fratribus honorificè receptum „ aliquamdiu comorari, quod & feci juxta

(m) Hort. Cruc. 307.

„juxta præceptum benignitatis ve„ſtræ. Navem conſcendi, atque il„luc cum omni proſperitate, Deo „gubernante, perveni &c.„ Literis affatim inſtructus Ermenricus in Augiam rediit, ac ſcholarum regimen ſuſcepit. Vir fuit ſanè elegantis ingenii, magnæ facundiæ, proſa metróque excellens, ut ex ejus libro de Grammatica elucet, quem in gratiam Scholarium Augienſium edidit. De iisdem bene mereri etiam ſtuduit (n) *Kerardus* iisdem ferè temporibus Augienſis Scholæ Magiſter. Ut enim politioribus literis erat apprimè inſtructus, ita ad ſingularem Scholæ Augienſis utilitatem Synonima uno volumine magna induſtria congeſſit, quò juventuti deinceps ſtudioſæ labores in conquirendis vocabulis minuerentur.

Poſt *Ermenricum* & *Kerardum Buntwidus* aliíque viri docti Augienſem rexerunt ſcholam usque ad *Bernonem*, de quo ſuprà, ex Monacho Prumienſi à S. Henrico Imperatore Augienſi cœnobio præpoſitum, ac præſtantiſſimis Augiæ Doctoribus jure comparandum, aut etiam plerisque præferendum. Sub cujus regimine, quod usque ad annum Chriſti 1048. tenuit, Augienſis Schola non Hermanno tantùm Contracto, ſed Religioſis aliis compluribus, viris doctiſſimis, ita floruit, ut omnium ſcientiarum culmen faſtigiúmque tranſcenderet.

Augienſis Schola Seminarium Epiſcoporum.

Quod S. Cæſarius Homilia xxv. de celeberrimâ Inſula Lerinenſi dixit, hoc verè de Inſula Divitis Angiæ dicturus mihi videor: HÆC EST, QUÆ EXIMIOS NUTRIT MONACHOS, ET PEÆSTANSTISSIMOS PER OMNES PROVINCIAS DISTRIBUIT SACERDOTES, Epiſcopos ſexaginta (o), Archipræſules octodecim. Neque Eccleſiæ tantùm dedit tanto numero Antiſtites, quanto nullum aliud in Germania monaſterium, ſed Imperio etiam Adminiſtros, Legatos, Conſiliarios, Cancellarios &c. Potuiſſes igitur Augiam Divitem olim dicere Athenæum, unde illi prodirent, qui præcipua Sacerdotii & Imperii munera in terrâ Germaniâ adminiſtrarent. Atque ut ſolius *Hermanni Contracti*, ſimplicis monachi, neque ulla publica dignitate couſpicui uberiorem nonnihil mentionem faciam. *Vir erat*, teſte Trithemio, *in divinis Scripturis erudittiſſimus, & in ſecularibus literis univerſaliter doctiſſimus, Philoſophus Poëta, Aſtronomus, Rhetor, & Muſicus, nulli ſuo tempore ſecundus, trium linguarum, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ peritiſſimus.* Quæro jam ex Conringio, an hoc nihil veræ & ſolidæ ſit doctrinæ? an potiùs ineptiæ, apinæ, tricæque, & ſi quid vilius iſtis?

Igitur à Chriſti anno 800. ad 1050. usque, per dimidiam nempe, & duas integras annorum centurias Schola Augienſis lætiſſimo & nunquam obfuſcato doctrinæ ſplendore feliciter radiavit. Poſteà verò diffiteri non poteſt *Joannes Egonius*, ſeneſcenti jam Augienſi Gymnaſio oculorum aciem ſenſim fuiſſe hebetatam.

Scholæ Augienſis decrementa.

Deploratiſſima enim ſecuta ſunt ſecula, quibus homines, ſanguine quidem illuſtres, utì Comites, Marchiones, ac Duces, Augiam confeſtim intrarunt, non tam ut Monachi, quàm ut *Præpoſiti Majores*, ut vocabant, fierent. Habebat enim Augia permultas arces, & oppida, ita ut Ulma etiam, quæ hodie celeberrima in Suevia Imperialis civitas eſt, ejus ditioni fuerit ſubjecta. His moderandis ac gubernandis nobiles illi Monachi præponi quærebant. Cygni nempe erant, qui lautam eſcam, liberam auram, ac ſuavem nidum expeterent. Politiorum ac ſublimiorum literarum ſtudiis, aliarúmque ſcientiarum imbui diſciplinis in poſtremis curis habebant. Par ipſis ſollicitudo fuit de vita religioſe agenda; neque enim literarum ſtudia in Monaſteriis concidere poſſunt, niſi etiam regularis diſciplinæ obſervantiam ſecum in ruinam præcipitent. Quid? quòd exorto inter Henricum IV. exauthoratum, & in ejus locum ab Imperii Principibus ſubſtitutum Rudolphum Sueviæ Ducem cruento bello, Mavortii fuerint Abbates, quibus in arma animus pruriit; quæ etiam Epiſcopis Conſtantienſibus confœderati pro Rudolpho contra Abbatem S. Galli ab Henrico ſtantem, magno vici-

niæ

(n) Egon lib. de Vir. Ill. Aug. cap. 12.

(o) Mabillonius in Obſerv. ad vit. S. Pirminii Sec. III. part. 2. pag. 138. numerat tantùm Archiepiſcopos XIII. Epiſcopos XXXIV. quorum nomina Johannes Egonius Prior Gabrieli Bucellino communicarit ex ſui Monaſterii Necrologus, aliusque tabulis. Ego fidem ſecutus ſum R. P. Franciſci Mayer S. J. in Concione anno 1724. habita, qui fuit Monaſterii à fundatione Milleſimus Jubilæus.

niæ, præcipuè San-Gallenſis ditionis damno geſſerunt. Olim cùm Athenis omnia inteſtino bello ferverent, civéſque inter ſe tumultuarentur, Diogenes, ut & ipſe non ſine tumultu eſſet, dolinm ſuum huc illuc provolvere, atque per civitatis plateas in omnem partem verſare, agitare, ac propulſare cœpit. Quâ re civibus riſum excitavit. Sed quis tumultuante, ac bella ciente mnndo bellicos in monachis tumultus rideat, aut æquo ferat animo?

Deploratur.

Deploravit illos, cæteráque Augiæ mala, vir pacatioris genii, nec contemnendæ doctrinæ, *Conradus* Baro *de Cimbren*, qui cùm anteà Scholaſticum per annos egiſſet complures, ob ſingularis eruditionis excellentiam Abbas anno 1237. deſignatus fuit. Ejus eſt carmen non inelegans, quo afflictus Augiæ ſtatus amarè defletur. Sub ipſius regimine, quod annis XVIII. tenuit, res literaria in Schola non nihil regerminare viſa eſt, ſed quæ poſt ejus fata iterùm defloruit, adeò quidem, ut Bruſchius, cùm Abbatis Wernheri an. 1402. defuncti meminit, diſertis verbis dicat, tunc non quidquam ſtudiorum in Augienſi fuiſſe monaſterio. Quod ego factum fuiſſe non ex phyſica quadam ratione conjicio, ac ſi neceſſe ſit, ut quæcunque incrementum, ſtatum, & decrementum recipiunt, ubi ad ſummnm pertigerint culmen, retrò ac in præceps ferantur; ſed hanc crediderim fuiſſe cauſam, quòd ex opulentia, quam ſtudia literarum monaſterio pepererunt, provenerit luxus, ex hoc verò natum ſit otium, unà cum tædio laborum, quos ſcholæ & juventutis inſtitutio ſecum afferunt. Unde cùm anno 1428. *Fridericus* Comes *de Wartenberg* è monaſterio S. Blaſii in Sylva Nigra poſtulatus, Augiæ præfectus fuiſſet, doctos homines aluit, à quibus monachi literas addiſcerent, quorum Anteceſſores im̃ortali Angiæ Divitis gloria florem totius Germanicæ Nobilitatis plurimis annis docuerant. Alios Fridericus in variis Academiis altioribus etiam ſtudiis excoli curavit: ex iis ob docile ingenium & ſuaviores vivendi ac agendi mores facilè princeps eſt habitus Caſpar de Braiten-Landenberg, Canonum Doctor, vir doctus & apprimè manſuetus, qui anno Chriſti 1442. communi Patrum San-Gallenſium acclamatione ibidem Abbas eſt acceptatus. Remeâſſent igitur virtus ac doctrina quaſi poſtliminio in Augiam, niſi Friderico Abbati idem ferè accidiſſet, quod improvidis agri cultoribus contingere ſolet, qui exciſis arborum ac vitium ſtirpibus, niſi in earum locum novas magnámque ſpem frugis afferentes propagines ſufficiant, brevì ad inopiam rediguntur. Pro eo enim, ut juvenes, etſi non illuſtri, honeſto tamen loco natos, diſciplinæ regularis amantes, atque literarnm ſtudiis deditos deligeret, nullos niſi domi nobiles in monaſticæ vitæ candidatos cooptavit. Ut ipſe igitur ex vetuſta & nobili admodùm ſamilia natus erat, ita amore Nobilitatis Conventum ex ſolis, nndecunque potuit, Nobilibus corraſit, quorum duos tantùm ibi invenerat Nobiles, *Henricum Comitem de Lupfen*, & *Joannem Baronem de Roſeneck*, qui tamen ambo relicta profeſſionis religione diſcedebant propter ſũmam cœnobii penitus exhauſti inopiam. At enim nobiles iſti monachi avitæ ſtirpis ſuæ exiſtimationi, atqne gloriæ notam quaſi ignominiæ inurere ſibi videbantur, ſi literis, diſciplinis, & artibus capeſſendis incumberent.

Scholæ Augienſis finis.

Unde iterùm poſt hæc Augiam otium & inertia monachorum, nobili ſuâ duntaxat proſapia gloriantium, fruges autem, quas virtus & doctrina monaſterio peperit, ſtrennè conſumentium, planè deſtruxit, diſſipavit, deperdidit, quouſque demùm ab eorum uno *Marco de Knöring* fœdiſſimum in modum prodita fuerit; de quo videri poteſt *Cl. Bernardi Pezii Tomus VI. Theſ. Noviſſ. Anecdotorum.* Dicere liceat de Augia, celeberrimo quondam Aſceterio, quod Ariſtides(p) ad Antoninos Impp. de Smyrna, urbe nobiliſſima, ſed terræ motu concuſſa & collapſa dixit: *Nunc deſolatam perflant Zephyri.* Nec Augienſes, opinor, multùm hodie juvat, Augiam fuiſſe aliquando divitem ac felicem: nam miſerum atque acerbum conſolationis genus eſt, meminiſſe Anteceſſorum, qui meliore uſi fuerint fortunâ. At enim macte animis & virtute! *Manus Domini non eſt abbreviata;* Nec incaſſum orat Eccleſia: *Omnes Principes eorum, qui dixerunt:* hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei, *Deus meus pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti &c.* Pſal. 82.

§. V.

(p) in orat. Smyr.

Digitized by Google

§. V.
NOVA CORBEIA IN SAXONIA.

Corbeia Nova utriusq; Saxoniæ Schola.

CORbeia Nova, ſeu Saxonica, celeberrimi nominis Cœnobium in Circulo Weſtphalico, Diœceſeos Paderbornenſis, ad normam Veteris Corbeiæ in Picardia ad Somnæ fluvii & Corbeiæ torrentis confluxum ſitæ, inſtitutum fuit. Laudatur à Pagio (q) ex merito, quòd fuerit primaria aliquot ſeculis utriusque Saxoniæ ſchola, unde plurimi prodierint Archiepiſcopi, Epiſcopi, Antiſtites, viríque omni doctrinæ genere inſignes. Schola Corbeienſis, inquit Chronographus Huxarienſis Petrus Viſſelbeccius (r) Monachus Imperialis Monaſterii Eresburgenſis, per multos annos *Palladium & ornamentum totius Saxoniæ erat*, in qua docentes & diſcentes ſoli Deo & bonis artibus ac ſcientiis operam dabant. Joañes Trithemius (s) cùm celeberrimi hujus cœnobii exordia retuliſſet, *multi*, ſubjungit, *per ſucceſſum temporis in eodem cœnobio viri ſancti & doctiſſimi claruerunt.* Et iterùm: *Corbeiæ Novæ monachi plures numero, eruditione & ſanctitate glorioſi totam Saxoniam, Marchiam, Bohemiam & Auſtriam cum provinciis adjacentibus ſuis prædicationibus & exemplis ad fidem veritatis converterunt.* Agmen ducit S. Anſcharius Bremenſium ab anno 847. Epiſcopus, ab anno autem 858. ad 865. primus Archiepiſcopus Hamburgenſis, qui in Corbeiæ Novæ Athenæo primi magiſtri partes geſſit. (t) Erat verò in ipſa infantia levis admodùm. Mortuâ matre miſſus eſt ad ſcholam. Sed poſtbabito literarum ſtudio puerilibus nugis cum ſuis colluſoribus animum appellebat. At Deus eum ab ejusmodi ludicris retrahere voluit. Quamobrem die quadam vidit in ſomnis ſe eſſe in loco cœnoſo, & lubrico, ex quo non poterat ſe extricare. Non procul vidit amœnum quendam locum variis floribus vernantem. In eo vidit eximiâ quâdam formâ mulierem, quæ multas alias comites præcedebat, inter quas erat mater ejus: ad quam cùm vellet accedere, ſpecioſa mulier, quam beatam Mariam Virginem eſſe exiſtimabat, ei dixit, eum ad matrem acceſſurum, ſi pueriles nugas dimittere vellet. Hac viſione in alium mutatus eſt, cœpítque jocis futilibus ablegatis, meditationi & literis invigilare. Non multò pòſt mundo relicto cucullam induit in Corbeia Gallica. Cùm virtute & doctrina alios antecelleret, magiſter Scholæ conſtitutus fuit. Non ita pridem ædificatum fuerat cœnobium in Saxonia à S. Adalardo Corbeiæ Gallicæ Abbate, quod etiam Corbeia Nova appellatum eſt. Illuc miſſus eſt S. Anſcharius, ut primus Scholæ magiſter eſſet, cúmque ejus doctrina indies innoteſceret, publicus divini Verbi Eccleſiaſtes electus eſt: quod munus cum omnium applauſu ſtrenuè obiit. Teſtem hujus rei habemus S. Rembertum, ejus diſcipulum & ſucceſſorem. *Ad hunc ergò locum*, inquit ille, *Dei famulus* (Anſcharius) *unà cum aliis fratribus primò directus eſt, ut inibi officio fungeretur docendi. In qua re ipſe per omnia tam probabilis & acceptus inventus eſt, ut omnium electione publicè quoque in Eccleſia Verbum Dei populis prædicaret; ſícque factum eſt, ut ejusdem loci ipſe primus & Magiſter Scholæ & Doctor fieret populi.* Ita S. Rembertus, de quo Chriſt. Franc. Paullini in Theatro Illuſtr. Vir. Corb. Saxonicæ (u) hæc literis conſignavit. „ S. Rembertus ab ipſa infantia ab „ optimo Anſchario fideliter inſtitu„tus, factus tandem Rector ſcholæ „ clauſtralis Turcholtianæ [Cellam „ Turcholt S. Anſchario dedit Ludo„vicus Pius] cui ſumma induſtria „ præfuit. Abeunte verò Anſchario „ in Boream, Corbeiam vocatus, „ ibíque Magiſter Scholæ conſtitutus, „ Succeſſor tandem ejusdem in Ar„chiepiſcopatu Hamburgenſi.

Exordia ſua debet S. Anſchario.

Perſeveravit hoc docendi munus usque ad annum MCCCXLIII. ut colligitur ex hujus Monaſterii Annalibus antiquis apud Leibnitzium Scriptorum Rerum Brunſvicenſium Tomo II. ex quibus, utì ex Chronico Huxarienſi Petri Viſſelbeccii, Annalibus Hirſaugienſibus Joannis Trithemii, Notis & Obſervationibus Franciſci Paullini & Godofridi Leibnitii, quæ ad rem ſcholaſticam ſpectant, delibare juvat. Igitur

Præradbertus Lector.

In Annalibus Corbeiæ Saxonicæ antiquis ad annum 839. ſic legitur: *Præradbertus commonachus noſter claruit pietate & doctrinâ, Badhurado Epiſcopo*

E e 3

(q) apud R. P. Pichler in Hiſt. Imp. Rom. Germ. Tom. III. de Lud. Pio part. 3. c. 2. n. 43. p. mihi 247.
(r) pag 2. (s) In Chron. Hirſaug. nov. edit. San-Gall. pag. 11. & 13.
(t) Hug. Menard. in Menolog. pag. 575. (u) pag. 23.

ſcopo in Patberburn valdè dilectus. & ad annum 843. *Preradbertus lector eximium librum ſcripſit de Fide, Spe, & Charitate.* Hæc legens, inquit Illuſt. Leibnitius (x), quis non crederet, fuiſſe in noſtra Corbeia Lectorem quendam *Preradbertum*, etſi alibi inter Scriptores Eccleſiaſticos haud memoratum? Sed inquiſitione tandem apud ipſos Corbeienſes facta, juſſu Reverendiſſimi & Celſiſſimi Principis Abbatis copia mihi operis decreta eſt; ubi ex ipſo ſtatim initio intellexi, deceptos fuiſſe, quicunque fide Annalium loci *Preradbertum* admiſêre. Ita enim liber incipit: *Pr. Radbertus Warino Corbeienſi Abbati, & Archimandritæ ſuo ſalutem*, legendum *P. Radbertus*, id eſt, *Paſchaſius Radbertus*; ſic enim ipſe ſe appellare ſolet, Monachus & tandem Abbas Corbeiæ Veteris: quem ad *Warinum*, Abbatem Corbeiæ Novæ, etiam aliàs ſcripſiſſe conſtat, clarus ſeculi ſui vir, & dux eorum, qui circa Evchariſtiam Scholaſticorum doctrinæ prælusêre. Decepit ergò Corbeienſes noſtros jam olim, quod Warinum Archimandritam ſuum vocans ſeſe Monachum ex ejus Monaſterio profiteri viſus eſt. Sed idem ſenſus eſt, quaſi dixiſſet: *Radbertus Warino ſuo, Corbeienſi Abbati &c. ſalutem*, uti Cicero *Attico ſuo* ſcripſit, id eſt, amico. *Pr.* interpretarer *Presbyter Radbertus*, niſi conſtaret, Diaconatûs gradum non exceſſiſſe. Rem acu tetigit Cl. Edmundus Martene (y), qui, quod *Præradbertus* appelletur, obſervat, errorem eſſe Annaliſtæ, decepti inſcriptione recentioris Codicis Corbeienſis, quæ amanuenſis ipſius errore ſic effertur: *Preradbertus Warino* &c. cujus loco ſi antiquiores libros conſulere licuiſſet, non *Præradbertus*, ſed *P. Radbertus*, id eſt, *Paſchaſius Radbertus* legiſſet, quod ſanè præmiſſi verſus acroſtichi indicant, quorum initiales literæ efficiunt *Radbertus Levita.* Cæterùm Radbertus ipſe priùs in Corbeia Gallica eundem *Warinum* & *Anſcharium*, aliósque inſignes viros diſcipulos habuit, tandémque ad Abbatis in ea dignitatem, aſcendit A. D. 844. Ab *Adalardo* & *Wala* fratribus in Saxoniam miſſus aliquando fuerat, ut *Corbeiæ Novæ* Monaſterium, quod illi fundârant, abſolveretur: quo tempore forſan Magiſtri officio functus eſt aliquamdiu in ſchola Corbeienſi. Utcunque ſit, juvat hîc ex Petri Viſſelbeccii Chronico Huxarienſi brevem ſubjicere ſyllabum Lectorum Corbeienſium, in quo tamen quàm plures deſiderari facilè quis ex dicendis advertet.

Lectores Scholæ Corbeienſis.

Sub Adalardo Abbate I.
AnſchariusLector.

Sub Warino Abbate II.
Preradbertus.
Folkerus.
Thiodolfus.
Avo.
Helmricus.

Sub Adalgario Abbate III.
Healdus.
Wendilagus.
Othaldus.

Sub Avone Abbate V.
Ottbertus.

Sub Bovone Abbate VI.
Deddi.
Wicbertus.
Hogerus.
Wimo.

Sub Gotſchalko Abbate VII.
Thiadolfus, &
Rodolphus.

Sub Bovone II. Abbate VIII.
Helmdagus &
Arnoldus.

Sub Bovone III. Abbate X.
Eilbertus &
Wedekindus.

Sub Rothardo Abbate XVII.
Remaclus.

Sub Marquardo Abbate XXII.
Waramundus fit Abb.
Hillinus fit Abb.
Goderamnus.
Gumbertus.

Sub Folckmaro II. Abbate XXIV.
Heinricus.
Reinerus.
Bartoldus.

Sub Henrico II. Abbate XXV.
Reinmarus.
Sigebertus.
Adelgerus.
Volckmarus.

Ex hoc Catalogo compertum habemus, S. Anſcharium fuiſſe primum Scholæ Corbeienſis Lectorem. Tali nempe Didaſcalo dedicanda erat illuſtriſſima Schola, ex qua ſubinde tot Evangelii præcones & Septentrionis Apoſtoli prodierunt.

V. C. Franciſcus Paullini (z) Rythmos affert Saxonicos, quibus alii hujus Scholæ illuſtres Doctores & Lectores commendantur.

Darunter ſyn geweſen fürwahr
Veer und twentlich Doctoren klahr
In der billigen Schrifft so ſaamen,
Deren eine Hugo mit Nahmen
Ock Haimo, und deren noch mehr
Dorch des billgen Kindes ſötte Lehr
Sind in allen Könſten worden uterleſen.

Dat

(x) in Introduct. ad Script. Rer. Brunſv. Tom. 2. n. xxv. pag. 27.
(y) in præv. admonit. ad S. Radberti Opus de *Fide*, *Spe* &c. quod Collect. Ampl. Tom. ix. pag. 27. exhibetur. (z) pag. 34.

Dat ock veele Hillge da geweſen,
Welche da tor Biſhopen quämm
Als Sünte Anſcharius to Brebmen
Und Rabanus de Doctor gelart
Naa Fulda und Mainz gekobrē ward.
u. ſ. m.

An Rabanus Maurus in Schola Corbeienſi unquam docuerit?

At enim, vel ipſo Paullini fatente, chronologia tepugnat. Etenim anno 822. Nova Corbeia ad Viſurgim ſurrexit, & eodem tempore præfectus eſt Rabanus Fuldæ. „Dixerim, „inquit, ſtatim ſub exordio naſcentis „Eccleſiæ, licèt non diu, beic do„cuiſſe, abhinc verò Fuldam voca„tum. Rhytmos enim noſtros vera „ceciniſſe opinamur: ant num com„putus annorum regiminis vacillat? „Ægilque anno 822. adhuc ſuperſtes „vixit? qood tamen Marianus Scotus „Chron. L. III. æt. 6. Bucelinus in „Catal. Abb. Fuld. & Annal. Fuldenſ. „ad hunc annum negant. Aut num „conjicere fas eſt, Rabanum Ægili „non ſtatim ſuffectum eſſe, ſed dato „intervallo? Certè Sigebertus Gem„blac. ad h. ann. primum regiminis „ſui *Fuldenſ.* annum in 824. diſtulit, „Moguntin. initium ab anno 848. ca„piens. Nec Trithemii calculus L. II. „c. 39. Vir. Illuſtr. & L. III. c. 199. & „L. IV. c. 81. ſine errore deprehendi„tur: non enim anno 855. ſed ſeq. „d. 4. Febr. piè obüt, notante Lam„berto Schaffnab. ad h. ann. & Ma„riano Scoto l. c. Sigeberto Gemblac. „Chronogr. ad h. ann. Adde Compi„lat. Chronol. edit. Piſt. Francof. 1583. „Annal. Fuld. ad h. ann. & qui omne „punctum tuliſſe videntur, Fabricium „ac Browerum. Crederem itaque „ſpeciali juſſu Fundatoris noſtri Lu„dovici, Rabanum Corbeiæ vixiſſe, „quando autem & quamdiu, accuratè „non dixero. „ Hæc Franciſcus Paullini. Quæ verò tanti mihi non videntut, ut me in eam abduci ſententiam patiar, ut Rabanum Maurum in Schola Corbeiæ Novæ Magiſtri partes unquam ſibi ſumpſiſſe credam, Nam Sigeberti Gemblacenſis authoritatem non moror, de quo certum eſt, com in ſupputatione temporum parùm eſſe accuratum, ac res duobus annis ſeriùs, quàm geſtæ ſunt, ſuæ Chronologiæ intexere. Accedo potiùs aliis, iíſque maximè idoneis authoribus, qui uno ore affirmant, Ægilem Abbatem Fuldenſem anno 822. fuiſſe è vivis ſublatum, in ejus verò locum eodem anno, menſe Aoguſto vel Septembri Rabanum ſuffectum. Quis verò in animum inducere poſſit, ut perſuaſum habeat, Rabano Abbati taotum otii à graviſſimo Fuldenſis Monaſterii regimine fuiſſe, ut munus docendi in alieno monaſterio aſſumeret, aut illud Ludovicus Pius Imperatot ipſi demandaret? maximè cùm in Schola Fuldenſi onere exponendi ſacras Literas premeretur. Sed nec dici poteſt, quòd poſt annum 842. quo abbatiali dignitate ultrò ceſſit, Corbeiæ docuerit; ſeceſſit enim in cellam, quæ in monte S. Petri, non ita procul à Fuldenſi ſita eſt monaſterio, ubi totos ferè quinque annos privatus vixit usquè ad annum 847. quo Archiepiſcopus Moguntinus eſt creatus. Gratis igitur Lectoribus Scholæ Corbeienſis accenſetur.

Item an Haimo?

Vero nonnihil propiora videntur, quæ idem Paullinus de *Haimone*, Fuldenſi Monacho, ac poſteà Halberſtadienſi Epiſcopo commemorat his verbis: „*Haimo Doctor fuit Corb.* In hunc „ digitum intendunt ſchedæ noſtræ „ ſeu Rytbmi Germanici, quando „ ajunt: circa initium novæ *Corb.* „ Haymonem S. Scripturæ Doctorem „ hîc vixiſſe, totámque Saxoniam „ ſuo jubare illuſtrâſſe. Tantum lu„ cis acceſſit nobis ab hoc Titane. „ Sed bæc à Paullino faciliùs dicuntur, quàm probantur.

Anno DCCCLXI. *Waltericus* Commonacbus fit Lectot in monaſterio S. Petri in Erpenesphurt, mox autem Abba in alio monaſterio; doctus, & pauperum reſugium. Felix ſchola, quæ Magiſtros exteris ſuppeditare poteſt.

DCCCLXXXV. *Wimo* Lector noſter ob expeditam doctrinam & accuratam informationem, magni habitus ubiqne.

DCCCCLII. *Unwannus* noſter fit Lector ſacræ Theologiæ in Monaſterio S. Pantaleonis Coloniæ, & F. Harath profectus eſt cum illo.

DCCCCLXI. Floruit Schola *in nova eccleſia (quam Adelgarius Abbas Corbeienſis III. anno 863. ex bonis monaſterii ſui fundavit & dotavit in ripa Viſurgis, in memoriam S. Pauli*) cum tota Congregatione, certando quaſi cum noſtra. Sic mater dilexit filiam, & filia honorabat matrem. Fuit verò nova bæc eccleſia non monachorum, ſed Canonicorum, quam Adalgarius eo fine conſtituit, ut haberet ſeminarium, in quo boni doctíque inſtruerentur Canonici. *In hac ſchola,*

verba

Profeſſor Græcæ linguæ.

verba ſunt Paullini, (a) *juxta inſtitutum Carolinum, etiam Græcæ linguæ Profeſſor erat, uti Oſnabrugi.* Et verò interiores literas (b) à Corbeienſibus aliquando non neglectas, vel ex eo æſtimes, inquit Leibnitius, quòd ad annum 999. *Megnboldus*, magiſter ſcholæ, ob variam doctrinam mirè laudatur, quòd etiam, ut ad annos 1156. & 1157. notatur, *Wicboldus* Abbas bis legatus in Græciam miſſus eſt à Friderico I. Auguſto: & anno 1228. Hermannus quoque Abbas in Græca lingua valde doctus fuiſſe memoratur. Et 1332. *Richardus* Lector juniores Matheſin docere juſſus eſt. Sed & Medicinam non mediocriter excolebant Corbeienſes Monachi, ut Paullinus, ipſe Medicus doctiſſimus, qui apud Corbeienſes Bernardo Monaſterienſi Epiſcopo, Abbatiam tenente, aliquamdiu egit, aliquoties obſervavit. Hic anno 1055. notatur, *Arnoldum* Abbatem colica ſæpiùs afflictum ſolis baccis Juniperi comeſtis dolores viciſſe. *Thiedagus* monachus non tantùm *ſacrarum lectionum ſcientia* & eloquio, ſed & *arte medica* claruit, & Ottoni III. carus fuit, cúmque Boleslaus ſenior *Dux Bohemiæ* paralyticus ejus operâ utiliter uſus eſſet, Epiſcopatum Pragenſem ei procuravit, ut diſertè habet *Ditmarus* contemporaneus lib. VII. unde repetit Chronicon noſtrum ad annum 996. Notatur ad an. 1159. quemdam de Ikenrod *ſolo lacte* pro potû & cibo vitam produxiſſe ad annos CXXXI.

DCCCCLXVI. Sub Luitholfo Abbate florentiſſima diſciplina, & Schola in Saxonia prima.

Wittikindus Lector.

DCCCCLXXI. Claruit Wittikindus noſter, præclarus Hiſtoricus, Mathildæ Reginæ ſpecialiter carus. Natus is fuit in Saxoniâ, quibus parentibus nil certi habetur. Nomen è ſacro baptiſmi fonte *Wittikindi* tulit. Eſt autem, inquit Meibomius (c), nomen ipſum à ſapientia, quæ Germanis *Witte*, unde Wittikindus, quaſi dicas, ſapiens puer. Adoleſcens, quòd ingenio valeret, & religionis amore flagraret, deductus eſt in ſcholam monaſticam Corbeienſem, in qua tum temporis ſtudia literarum ut maximè florebant. Quantâ verò cupiditate diſcendi flagrârit Wittikindus, oſtendit Trithemius ad annum 952. & 954. ubi memorat, eum excitatum famâ Meginradi monachi & ſcholaſtici Hirſaugiam veniſſe, eúmque cum admiratione docentem diebus multis audiviſſe. Quô eôdem Trithemio teſte fuit Wittikindus *vir in divinis ſcripturis doctus, & in ſecularibus eruditiſſimus, qui multis annis in præfato monaſterio Corbeienſi ſcholæ monachorum publicæ præfuit, & complures diſcipulos poſt ſe doctiſſimos reliquit; ex quibus multi ad Epiſcopatus, & Abbatias diverſas poſtea fuerunt aſſumpti:* Quo tempore obierit Witikindus non conſtat: reliquit poſteritati præter Annalium Libros III. quædam alia ingenii ſui monumenta, quæ recenſet Trithemius Libro de illuſtribus Germaniæ Scriptoribus.

Illuſtres Diſcipuli:

DCCCCLXXVII. Luitholfus ſcholas & eccleſias ſuas viſitat, & corrigit; cujus pietas, doctrina, diſcretio, & liberalitas multa contulit Monaſterio. Ipſe in magno honore apud Principes & Nobiles, qui filios ſuos certatim mittebant in ſcholam noſtram. Bruno Henrici Aucupis filius & Ottonis M. frater uterinus, Archiepiſcopus Colonienſis ab ipſa adoleſcentia in Schola Corbeienſi Franciſco Paullini (d) memoratur. Sed obſtat vita Brunonis à Rotgero ſcripta, in qua *annos circiter quatuor habens* ad Baldricum noſtrum Ultrajectenæ Eccleſiæ Epiſcopum miſſus dicitur, ut liberalibus literarum ſtudiis ab eo imbueretur. Quod & factum eſt. S. Alfridum Epiſcopum Hildeſienſem, S. Gaubertum Epiſcopum Oſnabrugenſem, alióſque plures Eccleſiæ Antiſtites in Corbeia inſtitutos fuiſſe non ivero inficias.

Othericus Lector magnæ doctrinæ ac virtutis.

DCCCCLXXX. Floruit Othericus, qui Wittikindo in regenda Corbeiæ ſchola ſucceſſit, ut Trithemius ad hunc annum tradit his verbis: „Quo mortuo (Adelberto primo Magdeburgenſium Archiepiſcopo). electus fuit Othericus, monachus Corbeienſis, vir ſanctus, & tam in divinis ſcripturis, quàm in ſecularibus literis eruditiſſimus, qui ſcholæ monaſticæ in præfato cœnobio poſt Wittikindum aliquanto tempore præfuit: qui cùm eſſet in ſua himilitate contentus, electioni conſenſit invitus „ora-

(a) In Not. & quos citat Rolevinck de ſitu & moribus Weſtphal. l. 2. c. 5. p. 92. Kranz lib. 1. Metrop. 12. Dav. Chytr. l. 3. Saxon. pag. 55.
(b) Leibnit. loc. cit.
(c) In vit. Wittikindi Tom. I. Script. Rer. Germ. p. 624.
(d) l. c. pag. 35.

„oravítqne Dominum, ut eum ad e„piſcopatûs apicem non permitteret „aſcendere, quod & impetravit. Nam „in eundo ad Sedem Apoſtolicam pro „electionis ſuæ confirmatione obti„nendâ, cùm Imperator eo tempo„re eſſet in Italia, ſicut petiit à Do„mino, mortuus eſt, ut exponit Dith„marus lib. III. ubi addit, neminem „ſapientiâ ac facundiâ ſibi ſimilem „reliquiſſe.„ Quo tempore Paviæ apud Cæſarem erat, diſputationem habuit cum Gerberto, celeberrimo Galliæ Scholaſtico, poſtea Romano Pontifice Sylveſtro II. Mentionem illius facit Hugo Abbas Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi (e) his verbis: *Poſt annum Remenſis Adalbero Romam cum Gerberto petebat, & Ticini Otricum cum Auguſto reperit.* Et paulò infrà: *Et quia anno ſuperiore (anno 975.) Otricus Gerberti ſe reprehenſorem in quadam figura cum multiplici diverſarum rerum diſtributione monſtraverat, juſſû Auguſti omnes Palatii ſapientes intra Palatium collecti ſunt, Archiepiſcopus quoque cum Adſone Abbate Dervenſi, & ſcholaſticorum numerus non parvus, & cœptâ diſputatione, quum jam totum penè diem conſumpſiſſent, Auguſti nutû finis impoſitus eſt.* Ab Alberto Stadenſi Othericus vocatur *Magnus*; breve quidem, ſed elogiorum omnium ſine dubio luculentiſſimum, quod in re literaria nemini tum temporis adhuc erat conceſſum. Nec immeritò hoc encomio eum cohoneſtavit. *Verè enim magnus eſt, qui in ſe parvus eſt, & pro nihilo omne culmen honoris ducit.* (*Imit. Chr. lib. 1. c. 3.*) Vita Othericum deſtituit, quum humanæ gloriæ, quæ ex Epiſcopatû ei obventura erat, impatiens foret, ſcilicet, ut alteram immortalem, quam abſolutâ pietate, ac multorum inſtitutione promeritus fuerat, cœlum ſuſpiciens certiore voto ſequeretur. *Qui ad ſapientiam erudiunt multos, tanquam ſtellæ fulgebunt ad perpetuas æternitates.* Meminit Otherici etiam Adamus Bremenſis lib. 2. cap. 6. innuens, quòd diſcipulum habuerit Theadelmum, Bremenſem ſcholam florentiſſimam regentem. De ejus morte legendus eſt Diethmarus lib. III. ne fides habeatur Autori Anonymo Chronici Magdeburgenſis apud Meibom. Rer. Germ. Tom. II. pag. 277. ubi Othericus non humilis, ſed ambitioſus deſcribitur.

DCCCCLXXXII clarnerunt *Alardus* & *Erhartus* Viri multæ ſcripturæ, & teſte Trithemio, *Algerus* multis annis Scholaſticus, vir tam in divinis ſcripturis, quàm in ſecularibus literis doctiſſimus, qui per totum Imperium Germanorum eruditionis ſuæ laudem obtinuit immortalem.

DCCCCLXXXV. Acquirit nunc Monaſterium formam oppidi, & ſic quoque dictum eſt. Nova eccleſia & ſchola ibidem in uſum ejus. Nempe B. Adelgarius, Abbas Corbeienſis III. an. 863. ex bonis monaſterii ſui fundaverat, & dotaverat inſignem Eccleſiam Collegiatam in ripa Viſurgis in memoriam S. Pauli, ut haberet ſeminarium, in quo boni doctique inſtruerentur Canonici. Io hac ſchola juxtà inſtitutum Karolinum etiam Græcæ linguæ profeſſor erat, uti Oſnabrugi. Vide Franc. Paullin. in Notis ad Viſſelbeccii Chronicon Huxarienſe pag. 15. Rolevinc de Situ & Moribus Weſtphal. l. 2. c. 8. p. 92. Krantz lib. 1. Metrop. c. 2. & alios.

DCCCCXCIX. Claruit *Megnboltus* in varia literatura. Erat enim Theologus, Philoſophus, Muſicus, Poëta, bonus ſcholæ Magiſter, facundus Declamator, & devotus Monachus. Quàm pulchrum hoc ſeptenarium.

MXIII. Algero Scholaſtico rebus humanis exempto, Rogerius monachus ejusdem cœnobii ſcholis omnium conſenſu monachorum præficitur, homo multæ eruditionis, ſed eo tempore ſatis provectæ ætatis, ac propterea ad miniſterium doctrinæ minùs idoneus. Præfuit tamen ſcholis Monachorum annis fermè ſex: de cujus lucubrationibus videri poteſt Trithemius.

MXXX. Drutmarus ſtudia Fratrum promovit omni conatû, doctorum Virorum familiaris.

MXXXVIII. Claruit his temporibus Ethardus monachus in omni ſcientia ſcripturarum doctiſſimus, Algeri Monachi, & Scholaſtici quondam auditor, atque diſcipulus, qui Rogerio Monacho, de quo ſuprà dictum eſt, in regimine ſcholarum ante annos decem & octo, ſicut patet ex computatione temporis, ſucceſſerat, & multos diſcipulos in omni doctrinarum genere inſtituit. Hic inter cætera ingenii ſui opuſcula ſcri- pſit

(e) Juris publici fecit Labbeus in Bibl. MS.

pſit in quinque libros Moyſis non ſpernendæ lectionis Commentaria: quorum ſtudio ſuos Auditores Monachos reddidit doctiores. Sermones quoque & Homilias complures dictavit ad fratres elegantes. De Reſurrectione mortuorum ſcripſit plenum eruditione Tractatum. Scholis fermè præfuit annis triginta, & multa ſcripſit, quorum notitiam non habemus.

MLI. Erhardo è vivis erepto, ſucceſſit in regimine ſcholarum Bernardus Monachus in divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ſecularíſque literaturæ non ignarus, & præfuit officio ſibi demandato, annis fermè viginti octo. De cujus Incubrationibus vide ſis Trithemium.

Examen Scholarium.

MLIV. Pauciores Fratres habuit Arnoldus ob crebriora incendia, qui tamen choro & ſcholæ ſatisfaciebant. Bis in anno ipſe examinabat juniores monachos, ut ſtimulum daret vir doctus.

MLIX. Ad hunc annum Trithemius meminit Ruthardi, viri docti, & magnæ reputationis, qui ſcholis monachorum apud Corbeiam multo tempore præfuit, & magnum eruditionis ſuæ experimentum dedit; deinde proficientibus meritis, Abbas ejuſdem monaſterii fratrum electione conſtituitur, & ſatis religioſè converſatur. Trithemio adſtipulatur Lambertus Schaffnaburgenſis his verbis: *Vir in Sacris Scripturis optimè eruditus, & ſic ad loquendum expeditus, ut nemo illâ ætate verbum Dei copioſiùs, nemo ſubtiliùs, nemo elegantiùs tractaret.*

Marquardus Abbas doctrinæ ac pietatis promortor.

MLXXXIII. Marcwartus bonus Pater & doctus, doctorúmque amator, ſtudiis ſemper intentus, fugientem pietatem, doctrinámque ſeriò retraxit. Ampliſſimum habuit Conventum, & doctiſſimos fratres. Inter eos eminuit Windolfus lector, qui ſcholarum regimen narratur tenuiſſe, literarúmque ſcientiâ ita laudabiliter claruiſſe, ut in Abbatem alterius monaſterii promoveri meruerit. Marcwartus verò translatus eſt ad Epiſcopatum Oſnabrugenſem anno 1088. ſed eo iterum dimiſſo ad veterem nidum rediit, ibíque vitam clauſit. Tribus ferculis ſemper vixit contentus, *juſculo*, *olere*, & *carne*, ſeu *piſciculo*. Meruit hoc epitaphium:

Marcwartus, optabilis Abbas, pietatis & doctrinæ promotor, diſciplinæ monaſticæ inſtaurator, & boni Paſtoris exemplar, Epiſcopus poſtea Oſenbrug. ſed ob turbulenta tempora oneri iſti cedens, reverſus ad matrem, quam conſilio & induſtria laudabiliter juvit: quietem hîc in gremio ejus invenit, omni laude & honore dignus. Año MLXXX.

Scholæ decrementa.

MCIV. Schola monaſterii ruit in perniciem omnium, quod etiam in Chronico Huxarienſi his verbis aſſeritur: Anno MCIV. vidit Corbeia ſcholam ſuam deſtructam, unde omnia mala.

MCIX. Schola monaſterii non valet. Præpoſitus monaſterii hujus mali autor & promotor punitur à Deo.

MCXLVII. Succeſſit Wicpoltus, qui anno ſequenti reformat ſcholas, exemplum boni Prælati. Quæ ſcholæ ſunt in Monaſterio Corbeienſi, & civitate Huxarienſi, quæ propè monaſterium, & ad illius ſpectat ditionem. Optimi Prælati, inquit Viſſelbeccius (f), & pulcherrimi Principis exemplum dedit nobis Wicpoldus, cujus ſumma cura ſcholaſtica erat. Ideò Fratres *Eresburgenſes* ad ſtudia vehementiùs addiſcenda hortatus eſt paternâ admonitione. Veniens etiam Huxori anno MCL. univerſum Senatum & omnes Clericos ad ſe vocatos ita allocutus eſt religioſiſſimus Pater: *Paſtoralis officii cura poſtulat, ut de amplo iſto animarum lucro omni hora diligentiùs cogitemus, ut tandem fidam rationem reddamus de omnibus, quotquot fidei & inſpectioni noſtræ commiſit Dominus. Fera beſtia homo timoris Dei oblitus. Juſtum igitur & ſalutare fuerit, timorem hunc, qui omnis ſapientiæ radix eſt, cum ipſo lacte parvulis inſtillare, eóſque in ſcholis fideliter erudire. Quod niſi fiat, nec Clerici, nec ſeculares unquam valebunt. Seminaria & ſuſtentacula Eccleſiæ ac Reipublicæ ſcholæ ſunt. Sic pax & ſalus in terra noſtra. Moneo igitur vos, & omnem Univerſitatem, ceu dilectos & fideles noſtros, ut eandem curam nobiſcum ſuſcipiatis, omníque ſtudio in id incumbatis unicè, ne quid damni capiat juventus. Amputate autem amputanda, removete impedimenta huic conſilio inimica, nec parcite ſumptibus pro Dei gloria, pro augenda & conſervanda Eccleſia ac Republica, pro ſtabilitate Urbis veſtræ, pro ornamento patriæ, pro æterna do-* cen-

Reſtituitur priſtino flori.

(f) l. c. pag. 17.

centium & diſcentium ſalute utiliter impendatis. Ut verò res hæc procedat feliciùs, conſtituemus certos quosdam inſpectores & coryphæos ex Ordine Senatorio, & ex Clero, imo etiam ex noſtro Conventu, iiſque mandabimus, ut omni trimeſtri ſpatio juventutis ſcholaſticæ profectus & defectus conjunctis oculis & animis explorent, nobiſque ſignificent. Sic ſtimulus dabitur docentibus diſcentibuſque. Hæc Abbas Wicboltus, qui ſcholam Huxori quondam nudis pedibus ingreſſurus rogabatur à Capellano, cur id faceret? *túne neſcis*, dixit, *quàm ſanctus locus hic, & quàm reverenter converſari oporteat cum iſtis parvulis, quorum angeli ſemper ſtant coram facie Domini.* Sedens poſtea in ſella, magnâ lætitiâ recitantes & orantes audit pueros, dicens: *boni paſtoris eſſe, agnos bene curare, ut bonas inde ſperemus oves.* Ipſe Scholam clauſtralem Corbeiæ priſtino reſtituit nitori, fratréſque ad *chorum*, & *ſcholam* amandavit omnes. Vir fuit magnæ doctrinæ ac prudentiæ, & cùm Græcæ linguæ eſſet peritus, à Friderico I. Auguſto bis Legatus in Græciam miſſus eſt.

MCLXXX. Frethric de Scarfeld Scholæ Magiſter, mox vocatur in Abbam.

MCLXXXII. Magnum incrementum ſcholæ.

MCCIV. Hucboldus (g) Corbeienſis monachus, cùm eſſet ſacræ Theologiæ Doctor, à Religioſis Monaſterii S. Michaëlis in Hildesheim, unanimi conſensû in Abbatem electus fuit.

In eo conſervatur ab Hermanno Abbate.

MCCXVIII. Hermannus Abbas vir prudens & experiens viſitat ſcholas inſpectioni ſuæ commiſſas. Erat ſimul valde doctus in Græça lingua. Hujus Abbatis meminit etiam Autor Chronici Virg. Otterberg. his verbis: Anno MCCXVIII. Hermannus Abbas Corbeiæ Fratres Minores Ord. S. Franciſci in urbem Huxorienſem induxit 1.) ut religioſa vita & doctrina elegantiori prælucerent. 2.) ut juventutem in ſcholis fideliter inſtruerent, & Paſtores paganos aliquando onere ſuo levarent. Sed iſti Mendicantes (ut acerbè, ſincerè tamen, more ſuo dicit Viſſelbeccius Huxarienſis, Monachus Benedictinus in Imperiali Monaſterio, quod Eresburgi erat ad Dunolam, *nec vitâ modeſtiori, nec doctrinâ elegantiori vitam ornârunt ſuam, nec in ſcholis docere juventutem, uti par erat, ipſimet ignorantes.* Majori adhuc curæ, ut decebat, Hermannus Abbas habebat incrementum Scholæ Corbeienſis, quandoquidem omnis ſalus ex eâ in Monaſterium & territorium ſuum Deo benedicente fluxerat.

MCCCXXXII. *Richardus* Lector juniores Monachos Matheſin docere juſſus eſt.

MCCCXLIII. *Cuno de Albaxen* in ſchola noſtra inſtitutus Canonicus fit Bremenſis, tandem Regis in Anglia Conſiliarius.

Finis ſcholæ Corbeienſis.

Ab hoc anno usq; ad an. MCCCCLIII. quo Annalibus finis imponitur, nulla ſcholæ mentio ampliùs occurrit: imò ſeculo xv. haud ampliùs viguiſſe, argumento eſſe poteſt, quòd Annalium ſcriptor, aut interpolator, Antonius Schakenburgius, Monachus Corbeienſis, ad añum MCCCCXLII. de ſeipſo teſtetur: *Miſſus ſum ſtudiorum gratia in monaſterium Iburgenſe.* Et iterum poſt ſex annos ſcilicet MCCCCXLVIII. *Miſſus ſum ſtudiorum cauſa ad avunculum meum Canonicum majoris Eccleſiæ Mimigardevordienſis, qui fideliter me educavit.* Fors in monaſterio Iburgenſi humaniores literas, apud avunculum verò altiores edoctus fuit diſciplinas. Denique Annalibus ſuis coronidem notatu dignam his verbis imponit: *Interea Deus miſereatur Corbeiæ. Ut pietas & doctrina Ordinem noſtrum exaltavit, ita luxus & ſocordia eundem depreſſit. Sapienti ſat.*

Encomium Monaſterii Corbeienſis.

Hâc coronide melior illa, magíſque præclara, quam ex Chriſt. Franc. Paullini Theatro Ill. Vir. Corb. Saxonicæ afferre liceat: „ Næ, ſi nullum aliud Germania *Monaſterium*, „nullam aliam *ſcholam*, aut *eruditos* „ *Viros* habuiſſet, vel *unica* Corbeiæ „ univerſo *ſuffeciſſet Imperio.* Certè „enim *Karolus* Imp. cunctis Saxoniæ „Eccleſiis à ſe fundatis, teſte Oſnabrug. ſcholas adjecit, voluítque, „ut *quilibet* Canonicus tam *Græcam* „ *quàm Latinam linguam addiſceret*: „Kranzius I. Metrop. II. Rolevinck. „ de Situ & Morib. Weſtphal. Lib. II. „c. 8. p. m. 92. Quantus & qualis *An-*

(g) Chron. Monaſt. S. Mich. in Hildesheim apud Meibom. Script. Rer. Germ. Tom. 2. p. 526.

„ *Anſcharius fuerit*, ac *Othericus*,
„ pubis ſcholaſticæ Rectores, ut plu-
„ res taceam, notum eſt, conſtátque
„ inter omnes. Non tantùm XII. aut
„ XVIII. ot Leznerus opinatur Chron.
„ Corb. c. 25. p. 75. ſed XXIV. uno
„ eodémque die Doctores piè erudi-
„ tos ſchola hæc *utriusque Saxoniæ*,
„ cenſente Meibomio in præfat. ad
„ Wittekindi Annal. *aliquot ſeculis*
„ *primaris*, liberaliter aluit. „ Sed
ipſum Meibomium (h) audire juvat:
„ In cæteris, inquit vir doctiſſimus,
„ dandum fuit aliquid Monaſterio
„ Corbeienſi, quod nobis non tan-
„ tùm Wittikindum, primum & an-
„ tiquiſſimum Hiſtoriæ Saxoniæ ſcri-
„ ptorem, verùm multos Archiepi-
„ ſcopos, Epiſcopos, Archimandri-
„ tas, & viros inſigniter doctos dedit,
„ adeóque primaria utriusque Saxo-
„ niæ ſchola aliquot ſeculis fuit: imò
„ rempublicam literariam inſigni,
„ omnique prædicatione digno be-
„ neficio affecit, conſervatis quinque
„ prioribus Annalium Cornelii Taciti
„ libris: qua de re ſic ſcribit Juſtus
„ Lipſius ad 2. librum Annal. Taciti:
„ *Quinque hi priores libri inventi ſunt*
„ *Corbeiæ, quod monaſterium ad Vi-*
„ *ſurgim eſt, atque illinc depromptum*
„ *verè hunc theſaurum quæſtor quidam*
„ *Pontificius ad Magnum Leonem de-*
„ *tulit, donatus ab eo aureis quingen-*
„ *tis.* Hæc ille candidè & ſincerè.
„ Andreas Alciatus more ſuæ Gentis
„ Germanorum laudi invidens, in
„ quodam hiſtoriæ encomio ad Ga-
„ leacium Vice-Comitem ſcripto, hu-
„ jus rei meminit, ſed cum injuria
„ noſtræ gentis, contumelia mona-
„ ſterii Corbeienſis, ac veritatis di-
„ ſpendio; ſic enim garrit: *Eſſet ad-*
„ *huc* ἀκέφαλος *Tacitus, niſi Chriſtiani*
„ *Orbis Max. Pontifex Leo X. priores*
„ *quinque libros de Barbaris redemptos,*
„ *poſtliminiò, ut tandem reverteren-*
„ *tur, effeciſſet &c.* Siccine rependis
„ beneficiom Alciate? verùm ſimilis
„ eſſe ſtudes popularibus Tuſcis, de
„ quibus Trithemius Chron. Hirſaug.
„ in hanc ſententiam: *Anno Sigeri*
„ *Abbatis VIII. qui à Chriſto nato non-*
„ *genteſimus, ſexageſimus, venerunt*
„ *Legati Tuſcorum ad Ottonem I. Im-*
„ *peratorem, petentes ſibi dari aliquem,*
„ *qui eos in via veritatis inſtrueret,*
„ *quibus miſit Adelbertum, ex Mona-*
„ *cho Corbeienſi Epiſcopum, virum*
„ *doctum & ſanctum, qui vix evaſit*
„ *manus eorum.* „ Hæc & plura acrio-
ra Meibomius pro vindiciis Scholæ
Corbeienſis.

§. VI.

MONASTERIUM HIRSAU-GIENSE.

Hirſaugiæ fundatio.

IN Monaſterio Hirſaugiâ ſedem fuiſſe Muſarum, domicilium literarum, atque ſeminarium quoddam præſtantium virorum, omnes uno conſenſu Scriptores confitentur. Ædificari cœptum (i) ab Herlafrido Comite Suevo de Calba maximis ſumptibus, intra ſeptennium an. 837. abſolutum ſtetit. In novum monaſterium deducta colonia è Fuldenſi percelebri aſceterio, in quo ducenti minimùm ac ſeptuaginta monachi tum convixiſſe ſub directione Rhabani Mauri ſanctiſſimi Abbatis dicuntur: quos inter juxtà numerum Apoſtolici Collegii duodecim viri erant in omni varietate ſcripturarum Magiſtri præ cæteris doctiſſimi. Ex his omnibus ſelecti quindecim ad novam illam coloniam, quibus Lutbertus Abbatis loco præfectus, unus è duodecim illis magiſtris, vir profectioris ætatis, eruditione & moribus valdè notabilis, fratérque germanus Reverendiſſimi Abbatis Brunonis & Principis Monaſterii Hirsfeldenſis. Nec mora: Lutberti diſciplinæ multi viri nobiles in Suevia filios ſuos honeſtiſſimis ſcientiarum diſciplinis erudiendos comiſerunt ſub Hidulſo monacho, primo Scholæ Hirſaugienſis magiſtro, qui multos in omni ſcripturarum ſcientia nobiliter erudivit. Conſoetudinem enim Fuldenſium valdè laodabilem Hirſaugienſes etiam per annos plures obſervârunt, ut ſcholæ Monachorum unus doctior cæteris in Cœnobio præficeretur: qui Fratres non ſolùm in Sacris Scripturis, ſed etiam in ſecularibus literis ad perſectum erudiret.

Lutbertus Abbas I. Scholam aperit.

Hidulfo in regimine magiſterii ſcholaſtici Rothardus Monachus æquè doctiſſimus ſucceſſit, qui & ipſe unus ex primis quindecim monachis extitit, quos Rabanus Abbas Fuldenſis in Hirſaugiam miſit. Hic Strabi quondam auditor juvenis in omni doctrina conſummatus evaſit, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, metrô excellens & proſâ, inter Doctores Eccleſiaſticos non ultimus extitit; nam ut Megen-

(h) l. c. in vit. Wittikindi pag. 625.
(i) Vid. Trithemii Annal. Hirſaug. edit. San-Gall.

Megenfridus Monachus Fuldenſis refert in Chronicis, vir in omni ſcientia & ſanctitate conſpicuus fuit, ac tantæ apud Principes & Magnates illo in tempote æſtimationis, ut Imperator eum ad Epiſcopatum Halberſtatenſis Eccleſiæ poſt mortem Haymonis omnino voluerit promovere. Cui Ruthardus tale fertur dediſſe reſponſum: *Dato Pontificatum alteri, qui ſit dignus, ego quietem monaſticam, & ſtudium ſcripturarum cunctis mundi honoribus, atque divitiis longè præponere non dubito.* Eodem Megenfrido teſte, tantæ fuit eruditionis iſte Ruthardus, quòd non ſolùm monachi de diverſis cœnobiis ad audiendum eum

Ad quam magnus concurſus.

mittebantur in Hirſaugiam, verùm & ſeculares quàm plurimi ejus ſe magiſtetio ſubdiderunt. Nullibi enim ſtudia literarum in illo tempote magis quàm in Cœnobiis Monachorum per totam Italiam, Germaniam, & Galliam floruerunt.

Mortuo Ruthardo, Gerungi Abbatis imperio Richbodo Scholaſticus ordinatus fuit, vir omnium doctiſſimus, qui non minùs exemplo ſanctitatis, quàm doctrinâ eruditionis commiſſos ſibi Monachos juniores inſtituit. Huic Harderadus in ſchola monaſtica ſucceſſit, natione Francus Orientalis, vir doctus & bonus, qui vix biennio docendi magiſterio præfuit, quoniam poſt reſignationem Regenbodonis in Abbatem hujus monaſterii aſſumptus fuit. In Scripturis tam divinis quàm humanis fuit ſtudioſus atque doctiſſimus, omnium judicio dignus, & idoneus, qui poſt mortem præceptoris ſui Richbodonis ſcholæ præficeretur monaſticæ, fierétque cæterorum magiſter monachorum. Qui mox ut Abbas ordinatus fuit, ne præceptor deeſſet neceſſarius in Monaſterio diſcipulis, de conſilio fratrum ſcholæ magiſtrum præfecit Luthelmum doctiſſimum in omni ſcientia monachum, patriâ Suevum, humilibus quidem natalibus ortum, ſed eruditione ſcripturarum cunctis tunc Fratribus meritò venerandum. Magnam eruditionis ſuæ laudem obtinuit, & multorum inſtitutot monachorum fuit, è quibus haud paucos fieri Epiſcopos contigit.

Aliis Scholis Lectores ſuppeditat.

Adelbero autem ejus etiam diſcipulus, in omni varietate ſcripturarum doctiſſimus, poſtulante Abbate, & Conventu ad Moguntiam mittitur, & in monaſterio S. Albani Scholaſticus ordinatur; ubi monachos in omni ſcientia glorioſè inſtituens, magnam eruditionis ſuæ laudem & famam obtinuit: qui non multos poſt annos, juſſione Herigeri Moguntini Archiepiſcopi, Abbas Monaſterii S. Ferrucii ſactus eſt.

Poſtquàm verò Luthelmus uno & triginta annis Magiſter Scholarum extitiſſet, & monachos in omni genere doctrinarum magnificè ſemper erudiviſſet, docendi ſimul ac vivendi finem fecit. Quo mortuo, Herhordus Monachus in magiſterio ſcholarum ei ſubſtituitur, homo & ipſe doctus, tam in literis ſecularibus, quàm in divinis Scripturis, metrô exercitatus & proſâ, qui præfuit annis XVI. de quo Megenfridus ſcribit, quòd nemo illum unquam viderit, irâ commotum, vel animô turbatum, ſed mente ſemper tranquillâ & vultu ſerenô; ut Angelus Dei ſine reprehenſione laudabiliter in omnibus converſatus eſt. In lectione divinatum Scripturarum ſemper fuit ſtudioſiſſimus, nec ullo unquam tempore otioſus. Semper enim aut ſcripſit, aut legit, vel ſanctis Orationibus fuit intentus. Nil illi fuit gratius, quàm divinos revolvere libros, & mentem dapibus ſaturare ſupernis.

Huic in præfecturâ ſcholaſtici muneris immediatè ſucceſſit Diethardus Monachus non infimè doctus, qui magiſterio ſcholarum ſuſcepto magnum eruditionis fructum protulit, & Monachos in omni ſcientia doctiſſimos plures erudivit. Præfuit autem ſcholis monachorum annis quatuordecim: & non ſolùm Hirſaugienſes, ſed etiam ex aliis Monaſteriis ad ſe deſtinatos Monachos in omni genere doctrinarum copioſè inſtituit.

Cui an. DCCCLII. in regimine ſcholarum ſucceſſit Meginradus Monachus in omni varietate ſcripturarum doctiſſimus, & præfuit ſcholis Monachorum annos tredecim, qui multos ſuo labote diſcipulos laudabiliter inſtituit, ſicut & ipſe à ſuis præceptoribus glorioſè priùs inſtitutus fuit. Plures etiam propter excellentiam doctrinæ, omnimodámque ſcientiam ſcripturarum celeberrimi nominis habiti ſunt; de diverſis quoque Cœnobiis Monachi mittebantur ad Hirſaugiam; alii ut ſanctis inſtituerentur moribus, alii verò, ut divinarum humanarúmque ſcientiam ab optimis Magiſtris haurirent ſcripturarum. Nam quod Gymnaſia publica hodie ſunt omnibus,

Meginradus magnæ celebritatis Scholaſticus.

hoc eo tempore Monaſteria certa fuêre clauſtralibus, quando monachi ad diſcendum idonei ad præcipua mittebantur cœnobia, pro ſcientia ſcripturarum omnimoda pleniùs conſequenda. In omnibus enim monaſteriis Ordinis noſtri antiquis per totam Germaniam, & reliquas nationes Scholaſtici habebantur Monachorum ex Monachis doctiſſimi, quorum informatione Fratres juniores ingenio valentes, in omni doctrina erudirentur ſcripturarum. Et quamvis in ſingulis Cœnobiis haberentur Scholaſtici, moribus, & ſcientiâ potiores, quorum inſtitutione juniores ad optima quæque proficerent, in certis tamen monaſteriis inſignibus, ubi & numerus monachorum extitit copioſior, & rerum temporalium abundantia major, generalia tenebantur Monachorum Gymnaſia, ad quæ Monachos mittebant Abbates, quos altioribus voluiſſent erudiri doctrinis. Et quicunque ex his famam majoris acquiſiviſſet eruditionis, plures etiam habuerat diſcipulos. Quemadmodùm Meginradi noſtri tanta fuit eruditionis fama, ut non magnâ tantùm frequentiâ diſcipuli ad ejus ſcholam confluxerint, ſed vel ipſi celeberrimi aliarum ſcholarum magiſtri Hirſaugiam venerint, quò ejus fruerentur alloquio. Quos inter Windekindus Corbeienſis Scholæ Præfectus & Hiſtoriographus perquàm celebris in eo libello, quem compoſuit de ſtudiis veterum Monachorum, fatetur ſe famâ & eruditione Meginradi Monachi atque Scholaſtici S. Aurelii excitatum veniſſe in Hirſaugiam, & cum eo diebus habitâſſe aliquantis, multóſque ibidem reperiſſe monachos vitæ merito venerabiles, & in omni varietate ſcripturarum doctiſſimos. Meginradum verò his commemorat laudibus, dicens: *Monachorum ille doctiſſimus præceptor, veluti Hieronymus alter divinarum interpres ſcripturarum profundiſſimus ſuâ nos eruditione vertit in ſtuporem: ut verè cæleſtis ſapientiæ dici queat armarium, quippe quem nihil lateat doctrinarum.*

Poſt mortem Meginradi, quam obiit an. DCCCCLXV. Reginhardus Monachus Magiſter Scholarum conſtitutus eſt, docendi munere functus annis duodecim. Vir quidem ſatis doctus, quamvis ad menſuram Meginradi non pervenerit, nec eam docendi gratiam & alacritatem per omnia fuerit aſſecutus. Fuerunt tamen ex inſtitutione Meginradi Scholaſtici quàm plures docti monachi in præſenti cœnobio, è quibus unus nomine Egwardus, vir doctus, & Prædicator egregius, nec minùs vitæ merito, quàm eruditione ſcripturarum illuſtris, jubente Ottone Imperatore Magno Epiſcopus Sleſwicenſis in finibus Saxoniæ factus eſt, qui ſanctitatis ſuæ manifeſtum omnibus præbuit ſignum. Nam hominem in mari ſubmerſum ſuis precibus coram multitudine hominum ad vitam revocavit. Unde in ſtuporem converſi Sleſwicenſes nomen illi dederunt *Viri Dei*, appellantes eum *Gottmannum* causâ reverentiæ & honoris, utpote quem tantò miraculò Dei cognoverunt eſſe amicum.

Egwardus Scholaſticus vitæ ſanctimoniâ conſpicuus.

Cùm verò Reginhardus poſt duodecim annos vitam cum morte commutâſſet, Theobaldus Monachus jubente Sigero Abbate docendi provinciam ſubivit. Vir certè tam in divinis Scripturis, quàm in ſecularibus literis egregiè doctus, qui monachos juvenes ſuo magiſterio commiſſos non ſolùm literis, ſed etiam ſanctis moribus erudivit, de cujus ſchola multi fratres in viros præſtantiſſimos cum tempore evaſerunt. Cùm verò Comes de Calba facibus avaritiæ accenſus monachos Hirſaugienſes è monaſterio in exilium exegiſſet, Theobaldus venit cum uno fratre ad monaſterium Fuldenſe, ubi cum charitate ſuſceptus, uſque ad mortem in omni plenitudine converſationis Monaſticæ cum ſocio permanſit. Quo tempore verò Scholæ Hirſaugienſi adhuc præfuit, Arnoldus & ipſe monachus Hirſaugienſis cùm eſſet in omni genere ſcripturarum doctiſſimus, poſtulante Reverendiſſimo Epiſcopo Herbipolenſium Hugone magiſter Scholarum ad monaſterium S. Burchardi propè Wirzeburg à Lupoldo Abbate miſſus eſt: quod idem Hugo, Præſul digniſſimus eodem anno in utroque ſtatu magnificè reformaverat: ubi docendo & ſcribendo magnam eruditionis ſuæ gloriam acquiſivit.

Actum fuiſſet de Monaſterio Hirſaugienſi, niſi poſt ſexaginta quinque annos deſolationis operâ S. Leonis IX. Pontif. Max. avunculi Adelberti Comitis Calbenſis, hæredis Fundatoris anno 1071. Ordini Benedictino reſtitutum fuiſſet. Tum S. Fridericus primùm, & hoc mortuo B. Wilhelmus ex Priore Sancti Emmerami Abbates creati fuerunt. Erat hic poſterior in omni

B. Wilhelmus Abbas doctiſſimus.

omni genere ſcientiarum doctiſſimus, ut qui omnes artes, quas liberales appellant, penetravit. In Philoſophia Diſputator acutiſſimus extitit, in Muſica ſingularis eruditionis fuit, utpote qui cantus in laudem Sanctorum & plures & varios compoſuit. In Aſtronomia, Mathematica, & Arithmetica, quàm peritus fuerit, ejus volumina teſtantur; de his facultatibus multa lucubravit, quæ Trithemius in Annal. Hirſang. enumerat.

Hic eſt Wilhelmus Abbas ſanctiſſimus Chriſti famulus, qui Ordinem D. P. noſtri Benedicti, ſuo tempore penè collapſum in Germania & deformatum inſolentiâ Monachorum, inſtaurare & reformare ſtuduit, & plusquàm centum Monaſteria tam per ſe, quàm ſuos ad priſtinam regularis diſciplinæ obſervantiam revocavit. Exceptâ reformatione & Congregatione duntaxat Cluniacenſium, quæ numero Monaſteriorum excellit, nulla hactenus in Ordine noſtro reformatio extitit, quæ numero vel cœnobiorum vel notabilium perſonarum Hirſaugienſium inſtaurationi comparari poſſit. Sed neque noviſſima iſta noſtra, quam à loco ſui exordii Burſfeldenſem nuncupamus, Hirſaugienſium inſtaurationi comparari ad numerum poterit; quoniam illa plus quàm centum ſub ſe monaſteria virorum habuit: iſta verò necdum octoginta comprehendit. Denique Burſfeldenſis noviſſima reformatio etſi bona ſit ac ſancta, nullum tamen cœnobium uſpiam novum condidit. Wilhelmus autem Hirſaugienſium ter quaterque ſanctiſſimus Abbas octo noſtri Ordinis Monachorum cœnobia in diverſis provinciis, tam per ſe propria in perſona, quàm per ſuos diſcipulos fundavit. Quibus & Monachos & Rectores eorundem contulit, quos in obſervantia regulari perfectos eſſe novit, tales nempe, quales S. P. Benedictus in ſua Regula deſiderat, *vitæ merito, & ſapientiæ doctrinâ conſpicuos.*

Scholas aperit, in quibus ipſe docet.

Quia verò ſine literarum ſtudio id fieri non potuit, B. Wilhelmus è monachis ſuis, quorum centum & quinquaginta ſemper habebat, non duodecim tantùm Scriptores antiquarios ordinavit, de quibus plura ſuo loco dicturi ſumus, ſed ſcholas quoque aperuit, in quibus & ipſe docuit, & ad omne doctrinarum genus informavit. Unde ex ejus diſcipulis non plurimi tantùm ad abbatiales, ſed quatuor eriam ad epiſcopales Infulas, Saliſburgenſem, Conſtantienſem, Spirenſem, Metenſem aſſumpti fuerunt. Joannes Trithemius præter cæteros meminit ad annum MCXXXI. Conradi Monachi Hirſaugienſis, qui nomen ſuum ex humilitate occultans *Peregrinum* ſe in ſuis lucubrationibus nuncupat. Beati Wilhelmi quondam auditor atque diſcipulus, vir in omni ſcientia ſcripturarum doctiſſimus, & non minùs Religionis obſervantiâ venerandus: qui ſub nomine *Peregrini* ſcripſit multa præclara opuſcula; de quibus extant ſubjecta: Ad Theodoram Sanctimonialem opus inſigne, quod prænotavit Speculum Virginum, Libri VIII. In Evangelium per circulum anni Volumen magnum. De Vita Spiritûs & Fructu Mortis Lib. I. Et alius quidam prænotatur Matricularius Lib. I. Didaſcolon Lib. I. De Muſica & differentia Tonorum Lib. I. De laudibus S. Benedicti carmine heroico Lib. I. Sermones quoque varios, Homilias ſimul & Epiſtolas plures eleganter compoſuit, quarum mentionem facere ſingulatim nimis prolixum foret & tædioſum. Multis annis monachorum ſcholis in hoc Cœnobio præfuit, & plures diſcipulos inſignes atque doctiſſimos educavit. Obiit tandem Octogenarius cum Patribus ſuis in majori Cœnobio ut ſervus Chriſti ſepultus.

Meibomii de Schola Hirſaugienſi inſigne teſtimonium.

Inſigne teſtimonium, quod Henricus Meibomius, vir doctus, ſed Acatholicus, de Hirſaugienſi ſchola tulit, audire hîc omnino juvat. „ Florebat, inquit, tum temporis Hirſaugia doctrinæ cœleſtis, omnium „ diſciplinarum, artiúmque liberalium ſtudiis, ut uno eodémque tempore plures centum quinquaginta „ ſecum habuerit monachos Abbas „ Wilhelmus, cujus ſuprà meminimus. Hi omnes vacabant ſtudiis „ literarum, piiſque precum cantio„ númque exercitiis. Oeconomicos „ labores procurabant converſi, ſive „ laici, quorum non pauciores qua„ dragenis ibi viſebantur. Ex eruditioribus deſumebantur, qui vel ad „ Epiſcopatus, vel Monachorum „ collegia gubernanda mitterentur. „ Recenſet Trithemius in Chronico „ Hirſaugienſi ad annum 1083. quinquaginta octo Abbates diverſis temporibus ex Hirſaugia ad alia monaſteria amandatos. „

Idem

(k) Rer. Germ. Tom. III. in Chron. Berg. Monaſt. p. 298.

Aliud nec minùs præclarum Trithemii.

Idem Trithemius audiendus eſt, quantopere ſub Gebhardo Abbate, B. Wilhelmi ſucceſſore & demum Epiſcopo Spirenſi cùm virtus tum doctrina in Hirſaugienſi Monaſterio floruerint „ Erant in hoc ipſo Mona-
„ſterio temporibus Gebhardi Abba-
„tis & numero & merito viri præſtan-
„tes & magni, qui Ordinem monaſti-
„cum, ſicut cœlum aſtra decoran-
„tia illuſtrabant. Ex his nonnulli
„ante introitum Religionis magni &
„nominis & amplæ dignitatis in ſecu-
„lo extiterunt. Erant hìc Mona-
„chi alto de ſanguine nati: erant &
„humili propagine ruſticorum ac pau-
„perum ſati. Summa tamen inter
„eos fraternæ charitatis dilectio ſem-
„per extitit; unus vivendi modus
„omnibus fuit, non præponebatur
„ingenuus ex ſervitio converſo; nec
„ſanguis poterat ſibi locum uſurpare
„honoris in medio monachorum, ſed
„virtus. Nam ſicut regula nos do-
„cet Monachorum; ſive ſervus, ſive
„liber, omnes in Chriſto unum ſu-
„mus, & ſub uno Domino æqua-
„lem ſervitutis militiam bajulamus:
„quia non eſt apud Deum perſona-
„rum acceptio: ſolummodo in hac
„parte apud ipſum diſcernimur, ſi
„meliores ab aliis in operibus bonis,
„& ſanctis virtutibus, humiléſque
„inveniamur. Ad hujus integrita-
„tem Regulæ Monachi Hirſaugien-
„ſes vixerunt omnes, tantáque in
„hoc loco regularis diſciplinæ obſer-
„vantia coram Deo & hominibus flo-
„rebat, ut omnium ſententia bono-
„rum hominum confirmaret, majo-
„rem inſtitutionis monaſticæ purita-
„tem in tota Germania priùs nec vi-
„ſam uſpiam fuiſſe, nec auditam.
„Unde non immeritò nomen Hirſau-
„gienſium monachorum in omni Eu-
„ropa celebre fuit, & in ore omnium
„eorum fama laudabatur. *Inter quos*
„*multi fuerunt in omni genere ſcien-*
„*tiarum doctiſſimi, & non minùs*
„*vitæ merito, quàm eruditione ſcri-*
„*pturarum venerandi*; & multi qui-
„dem in ſeculo magni, & glorioſi
„Ducum, Comitum, Nobiliúmque
„filii ſeu cathedralium, aliarúmque
„Canonici, vel Prælati Eccleſiarum,
„ac Viri docti, ſive Magnifici, odo-
„re ſanctitatis Monachorum Hirſau-
„gienſium excitati omnia contemnen-
„tes, quæ poſſederant, ad conſor-
„tium pauperum Chriſti venerunt, &
„pro Dei omnipotentis amore mona-
„ſticæ converſationis habitum ſuſci-
„pientes tantâ ſe in pauperum Chri-
„ſti humilitate dejecerunt, ac ſi cun-
„ctis vitæ diebus idiotæ indoctiſſimi,
„aut mendicorum filii extitiſſent.„

Heymo Prior vir admodùm doctus.

His non virtute minùs quàm doctrina ſummè conſpicuis monachis ſummo cum imperio præfuit Abbas Gebhardus, qui de conſilio Seniorum Heymonem venerabilem Monachum Priorem Conventûs ſui Hirſaugienſis inſtituit, quem ad tale officium utilem eſſe, & idoneum fore non dubitavit. Fuit enim tam in divinis Scripturis, quàm in ſecularibus literis egregiè doctus, & non minùs in carmine, quàm in oratione ſoluta exercitatus. In moribus quoque compoſitus, maturus & religioſiſſimus extitit, qui fratres in omni puritate regularis obſervantiæ præceſſit. Scripſit inter cætera ingenii ſui opuſcula vitam, converſationem, & miracula S. Abbatis Wilhelmi bino volumine, quod poſtea frater quidam abbreviavit. Scripſit & de Muſica parvum, & non inutilem libellum: Homilias quoque ad fratres nonnullas edidit, quæ alteri cuidam Heymoni Halberſtatenſi Epiſcopo ex errore multoties adſcriptæ inveniuntur. Nam ita confusè plerumque tam iſtius ſcripta, quàm illius commixta videntur, quòd niſi lectoris provida ſagacitas ea noverit diſcernere, non facilè cui debeant attribui, phraſis differentiam haud intelligens, valeat judicare. Denique Haymo iſte maximam colligendis, reſctibendíſque voluminibus divorum Patrum diligentiam adhibuit, & fratres ad ſcribendum hilariter verbo & exemplo ſedulè provocavit. Unde per continuam in ſollicitando ſcriptores diligentiam, brevi tempore non parvam, nec vilem librorum ſupellectilem comportavit.„ Hæc Trithemius: ex quibus Joannes Launoius de Schola agens Hirſaugienſi erroris convincitur, dum illius gloriam unà cum Reginhardo, qui fatis anno 977. conceſſit, extinctam fuiſſe ſcribit. *Hæc eſt*, ſunt ipſius verba, *ſeries magiſtrorum Scholæ Hirſaugienſis, quæ in publicam variarum diœceſeon utilitatem diu multúmque duravit.* Fallitur Launoius, nam poſt Reginhardum Scholas Hirſaugienſes Theobaldus præclarè rexit, quouſque ipſe unà cum cæteris ſodalibus à Calbenſi Comite, bonis monaſterii inhiante ſolum vertere coactus fuit. Poſt monaſterii reſtitutionem B. Wilhelmus

Launoius corrigitur.

nihil

Scholæ Hirſaugienſis decrementa.

nihil potius habuit, quàm ut monachos impelleret, quò totâ corporis animique contentione ad virtutis doctrinæque ſtudia incumberent. Nec centum & ſexaginta aliquot annis ceſſatum fuit. Tum verò non negamus, & diſciplinæ monaſticæ & rei literariæ ſtudium apud Hirſaugienſes remitti cœpiſſe; maximè ſub Volpoldo Abbate, qui anno 1245. electus vivendi modum, quem reperit in monaſterio, tenuit, & monachos in torpore mentis nimiùm aberrantes à puritate Regulæ, minimè revocavit. Parùm eruditus fuit, quia ſicut in monachis fervor ſanctæ converſationis illo in tempore omnino tepuerat, ita illis nullum divinarum ſcripturarum ſtudium ſapiebat. *Unde* (conqueritur Trithemius Annalium Hirſaugienſium conditor) *propter nimiam monachorum illius temporis ignaviam, nihil, aut parum literis invenitur commendatum, quod nobis ad perfectionem Hiſtoriæ noſtræ queat conducere, ſed compellimur neceſſariò Hirſaugianum opus, geſtis alienis, per ſeriem complurium annorum, donec reformatio veniat, ornare...*

§. VII.

FLORIACENSE MONASTERIUM

Hanc ſcholam frequentandi fit Clericis licentia.

AD Ligerim ſuprà Aurelianos non Divi tantùm Patris Benedicti nomine ac ſacris exuviis, ſed virtutis etiam ac doctrinæ laude conſpicuum fuit. Ludum literarium aperuit S. Mommolus Abbas, eo ſapienti conſilio ac ratione, ut ad optimos inſtituendæ juventutis magiſtros Galliæ pubes conflueret, & à teneris utriusque eruditionis cùm ſacræ tum profanæ latices unà cum morum ac pietatis præceptis imbiberet. Teſtem hujus rei habemus Theodulphum Aurelianenſem Epiſcopum, qui ſub annum 818. in epiſtola ad Clerum Aurelianenſem conceſſit ſuæ Diœceſeos Presbyteris, ut nepotes affinésque ſuos educandos inſtituendóſque tradant Collegio S. Crucis, quæ matrix erat Eccleſiæ, & ſedes epiſcopalis, vel monaſterio S. Aniani, aut S. Benedicti, aut S. Liphardi. *Siquis*, inquit, *ex Presbyteris voluerit nepotem ſuum, aut aliquem conſanguineum ad ſcholam mittere, in Eccleſia S. Crucis, aut in monaſterio S. Aniani, aut S. Benedicti, aut S. Liphardi, aut in cæteris de his cœnobiis, quæ nobis ad regendum conceſſa ſunt, ei licentiam id faciendi concedimus.* Presbyterorum verò nepotes (l) ac conſanguinei, quos hic memorat Theodulfus, erant adoleſcentes in Clerum cooptati, ac certis addicti eccleſiis, alii urbicanis, alii vicanis; utriſque licentiam concedit adeundi, quas ex his vellent ſcholas. Neque enim licebat Clericis ab Eccleſia, cui ſemel incardinati erant, recedere inconſulto Epiſcopo. Has ergo ſcholas, uti publicas, agnoſcit Theodulfus, aliàs fruſtra concederet licentiam ad eas adeundi, niſi adventitii in illas admitterentur. Sic Epiſcopi, ſic Collegia Canonicorum ſubditis ſuis facultatem indulgent adeundi ſtudium Pariſienſe. Sic Theodulfus junioribus Clericis permittebat aditum Scholæ Floriacenſis, uti & aliorum ſuæ Diœceſeos Cœnobiorum: in quibus idem mos obtinebat, atque in San-Gallenſi, ubi duplices erant ſcholæ, *interiores*, ſeu clauſtrales, *exteriores*, ſeu canonicæ, pro ſecularibus, quorum conſuetudo junioribus monachis interdicta erat.

De Schola Floriacenſi memorant etiam veteres ejuſdem cœnobii conſuetudines his verbis: *Conventus autem lavatum manus vadit, & poſt in chorum, donec ſchola veniat, conſidebit.* Et infra, ubi de proceſſionibus: *Iſtos* (Diaconum & Subdiaconum) *ſubſequatur ſchola cum magiſtris.*

Ingens ſtudioſorum numerus.

Quantoperè autem hæc ſchola Seculo IX. ſub Adalberto, Adrevaldo, Adelerio, Seculo X. ſub Abbone, Aimoino, Gerberto, Conſtantino, aliíſque doctiſſimis Scholaſticis floruerit, docet Joannes de Boſco (m) Cœleſtinus Lugdunenſis cœnobii in ſua Bibliotheca Floriacenſi: ait enim *in ea plus quinque millibus ſcholares recenſitos, qui Didaſcalis ſuis muneris honorarii gratiâ pro Candelis Edictíſve* (le Lendit) *in Pariſienſi Academia noſtrâ ætate Claſſium Moderatoribus exhiberi conſuetis, bina manuſcripta, eò quòd necdum typographica ars emerſerat, offerebant volumina: quorum numeroſitas locupletiſſimam conflarat Bibliothecam Floriacenſem, quam annis 1561. & 62. diritas Calviniſtica inæſtimabili literariæ rei jacturâ diripuit,* diſſi-

(l) Mabill. Præfat. I. in Sec. IV. O. S. B. n. 187.
(m) apud Bulæ. in Hiſt. Univ. Pariſ. Tom. I. p. 312.

diſſipavit, laceravit. Hæc Joannes ſcribebat circa an. 1605. Idem Raynaudus teſtatur, verbis nonnihil immutatis: *Scholæ in monaſterio Floriacenſi fuere celeberrimæ, ita ut adoleſcentum & ſtudioſorum ultra quinque millia numeraret, à quorum ſingulis pro munere ſcholaſtico dabatur Monacho præceptori duplex volumen manuſcriptum, haudquaquam exile minerval certè, typographia tunc nondum per orbem propagata.*

Extant adhuc hodie veſtigia quædam Scholarum Floriacenſium Exteriorum, & diverſorum conclavium, atque cubiculorum, in quibus excipiebantur Externi Convictores: nam ibi, ut & in aliis quoque famoſioribus Cœnobiis duplices ſcholæ exercebantur, Interiores, & Exteriores. In Interioribus ſoli Monachi: in Exterioribus omnes paſſim inſtituebantur.

Eorum facilè præcipuus Abbo.

Ad has miſſus *Abbo* à parentibus, ut ſcribit Aimoinus, Monachus Floriacenſis in ejus vita c. 1. ubi de origine & vita illius agens, *Venerabilis igitur Abbo*, inquit, *Aurelianenſi ortus eſt in pago* (Boſcus ad marginem ſcribit eum fuiſſe Civem Aurelianenſem) *cujus patris vocabnlum Lætus, matris Ermengardis extitit. Quos quidem non vana tumens nobilitate ſuperbus alebat ſanguis, ſed tamen avis atavíſque derivata eos honeſtabat libertas. Quodque omnibus ſuperextat cauſis, timor Domini moribus adornabat honeſtis. Talibus ergo Abbo ortus parentibus in Floriacenſi monaſterio Scholæ Clericorum Eccleſiæ S. Petri obſequentium traditur literis imbuendus. Divinâ pro certo, ut credimus, id præordinante providentia, ut inde primordia ſumeret literarum, ubi poſtmodùm pleniſſimè fluenta doctrinæ mentibus erat propinaturus ſapientiam ſitientium, redderétque illis, ſeu eorum poſteris duplicatum ſuſcepti fœnoris fructum, à quibus ſimplicia tantùm acceperat rudimenta elementorum. Erant in eodem cœnobio duo præcellentes viri, quos carnis affinitas Matri ejus propinquos effecerat, unus dicebatur Gumboldus, qui relictis hujus ſeculi nugis ob Dei timorem habitum monaſtici ſuſceperat ordinis: alter vocatus eſt Chriſtianus, qui ſub clericali veſte Chriſto ſtudebat deſervire.* Hinc patet in illo Cœnobio etiam alios, quàm Monachos habitare ſolitos ad diſciplinas hauriendas.

Narrat deinde, quomodo virorum illorum admonitione Abbo Benedictinum habitum à Wlfado tunc Abbate ſumpſerit cap. 2. *Traditus itaque Scholis nulli ſodalium videbatur gravis. Inerat ei columbina ſimplicitas, ſerpentinæ copulata aſtutiæ, ut & per manſuetudinem leniret benevolos, & per providæ mentis acumen devitaret ſubdolos. Jam verò literariæ artis profunda tantâ adhuc puerulus rimabatur inſtantia, ut à Didaſcalis ſemel audita firmiter intra cordis conderet arcana.* Hæc Abbonis initia.

Fit Magiſter Scholarum.

Refert idem Author c. 3. eum ibidem factum fuiſſe poſtea Magiſtrum Scholarum: *Cùm verò jam ad tantæ profeciſſet faſtigium ſcientiæ, ut aliis quoque percepti talenti valeret donativum erogare, imbuendis præficitur Scholaſticis. Quos ille per aliquot annorum curricula lectione ſimul & cantilena cum tantâ erudivit curâ, ut palam ſe gaudere monſtraret, quòd pecuniæ ſibi creditæ lucra augmentare valeret.* De inſigni illius eruditione ac doctrina jam Capite præcedenti Ademarum Engoliſmenſem verba facientem audivimus.

Ffus diſcipuli: Aimoinus,

Inter cæteros verò ſub ejus diſciplina multùm doctrina & eruditione profecit *Aimoinus*, celebris ille Hiſtoricus, qui, quam *Francorum Hiſtoriam* Abbonis juſſu conſcripſit, eidem hiſce verbis inſcripſit: *Domino venerabili & in Chriſti dilectione fundato Abboni Abbati, totius gregis illi à Deo commiſſi minimus Aimoinus, perpetuæ ſervitutis munus. Præceptis Beatitudinis tuæ parui, Beatiſſime Pater, quibus præceperas, ut ingeniolum exercendo meum, quod tribuente Chriſto per tuæ ſollicitudinis, tuorúmque diſcipulorum laborem ad meliora profeciſſe arbitraris, res geſtas Francorum, ſive Regum, quæ & ſub diverſos ſparſæ libros, & inculto ſermone erant deſcriptæ, in unius redigerem corpus opuſculi, ac ad emendatiorem Latinitatis revocarem formam.*

Gauſlinus.

Alius nec minùs celebris *Abbonis* diſcipulus fuit *Gauſlinus* (n) LV. Archiepiſcopus Bituricenſis, Hugonis Capeti Galliarum Regis nothus, qui ſub ejus magiſterio in ſchola Floriacenſi multùm profecit in literis, maximè verò in virtutum omnium ſtudiis. Quaprópter primùm quidem Abbas Floriaci ordinatus eſt, Rege Roberto fratre cupiente; poſtea autem

(n) Gall. Chriſt. Tom. II. in Eccl. Bituric. Archiep. pag. 40.

tem ad Cathedram Bituricenſem provectus. Extat hujus Archiepiſcopi epiſtola ad Robertum Regem numero 96. apud Fulbertum Carnotenſem, de cauſis pluviæ ſanguinis, quâ reſpondet quæſtioni ſibi à Rege propoſitæ; Nimirum ut narratur in veteris hiſtoriæ fragmento apud Pithœum, in regione Aquitaniæ ſecus maritima tribus diebus ante ſolennitatem S. Johannis Baptiſtæ, pluit ſanguis, qui cadens ſuper carnem hominis, aut ſuper veſtimentum, aut ſuper lapidem, non poterat lavari, hoc eſt, lotione auferri; at ſi cadebat ſuper lignum, facilè lavabatur. Hæc ad Robertum Regem ſcripſerat *Wilbelmus* Comes, qui de hoc portento Gauslinum conſuluit, utrùm unquam accidiſſet quid ſimile, quídve id portendat, ac ſignificet? Epiſtola Regis eſt 39. inter Fulberti Carnotenſis Epiſcopi epiſtolas tomo IV. Collectionis Hiſtor. Franc. Quercetani.

Pluvia ſanguinea quid portendat?

Reſpondit Gauslinus, ſanguineam pluviam portendere bellum, maximè civile, adducítque teſtimonium Valerii Rufi libro memorabilium, ubi docet, ſimilia prodigia Caio Volumnio, & Servilio Sulpitio Conſulibus, præceſſiſſe belli civilis initia, quo Romana Reſpublica tamdiu laboravit. In Sicilia ſcuta ſanguinem ſudâſſe; Metenſibus cruentas ſpicas in corbem cecidiſſe; oppido Cerites aquas ſanguine mixtas fluxiſſe. Poſtea multa recenſet ex Euſebii hiſtoria, & aliis; maximè ſigna, quæ Juſtiniano Imperatore præcurrerunt illam peſtem inguinariã, qua homines in triduo extinguebantur. Reliqua epiſtolæ hujus, quæ plena eruditionis cùm ſacræ tum profanæ eſt, quam Gauslinus in Schola Floriacenſi, Abbone Magiſtro, hauſit, prætermittimus.

Scholæ Floriacenſis celebritas.

Tanta antem erat hujoſce ſcholæ fama, ut ex ea evocarentur Magiſtri, qui alibi profeſſuri eſſent: narrat enim idem author c. 4. miſſos ab Anglis Legatos ad Floriacenſe Monaſterium petiiſſe aliquem mitti è Magiſtris in Angliam ad docendum, miſſum autem fuiſſe ab Oioboldo tum Abbate circa an. 990. Abbonem; illum vèrò per bienniom docuiſſe in Rameſienſi cœnobio per Oſwaldum Archiepiſcopnm, olim quoque Floriacenſem monachum fundato, coi tum præerat Abbas Germanus ex eodem Floriaco aſſumptus. Porrò Abbonem In Anglia moratum per duos annos, & Dunſtani Archiepiſcopi Cantuarienſis familiaritate & Oſwaldi Eboracenſis ſuavi conſortio fruitum, ab Abbate ſuo revocatum fuiſſe in Galliam; Oioboldo verò paulò pòſt è vivis ſublato Abbatem electum Hugonis Regis temporibus, qui huic electioni conſenſum præbere non diſtulit.

Ad eandem Scholam undique mittebantur imbuendi, præſertim Monachi; ex Anglia verò & Normannia plurimi, ut legere eſt apud Balæum & Pitſeum, Scriptores Anglos. In eâdem etiam docuiſſe fertur Gerbertus ille Aquitanus, Aureliacenſis Cœnobii Monachus, ex Hiſpania reverſus, poſtea Sylveſter II. Rom. Pontifex; unde Remos poſtea vocatus Robertum filium Hugonis Capeti, & Ottonem filium Ottonis Imperatoris diſcipulos habuit; ut de Epiſcopis & Archiepiſcopis hòc locô nihil dicam.

Ejus celebriores Profeſſores.

Solum Bernwardum tacitus præterire non poſſum. Erat is nobiliſſimæ proſapiæ juvenis in Germania natus. Spretis rebus caducis in Monaſterio Hirſaugienſi ſolenni ritû ſe Deo devovit. Et licèt domi non deeſſent in celeberrima id temporis ſchola, qui liberalibus diſciplinis ipſum informarent, propter Gerberti tamen Scholaſtici celebritatem Floriacum ex Germania in Galliam miſſus eſt; ubi in ejusdem ſcholâ omnium doctrinarum ſtudiis ita inſigniter excultus fuit, ut poſtea in Epiſcopum Herbipolenſem aſſumi meruerit.

Intet Comprofeſſores habuit Gerbertus Conſtantinum, qui deinde Scholæ Rector, ſeu Præfectus fuit. Extátque ad eum Epiſtola inter Gerbertinas octogeſima ſeptima ſub hâc egigraphe: *Ad Conſtantinum Scholaſticum Floriacenſem.* Invitat eum ad ſe venire, & ut afferat ſecum Ciceronis libros: *Comitentur iter tuum Tulliana Opuſcula, & de Republica in Verrem: & quæ pro defenſione multorum plurima Romanæ Eloquentiæ parens conſcripſit.* In epiſtola 61. eum vocat *Dulce ſolamen laborum ſuorum*; cujus hortatû in explicandis Abaci rationibus operam collocârat; licèt jam per complura luſtra ab hoc ſtudio animum ſejunxiſſet. *Vis amicitiæ pene impoſſibilia redigit ad poſſibilia. Nam quomodo rationes numerorum Abaci explicari contenderemus, niſi te adhortante ô mi dulce ſolamen laborum Conſtantine! Itaque cum aliquot luſtra*

jam tranſierint, ex quo nec librum, nec exercitium harum rerum habuerimus, quædam repetita memoria eisdem verbis proferimus, quædam eisdem ſententiis. Nec putet Philoſophus ſine literis hæc alicui Arti, vel ſibi eſſe contraria. Subinde verò Conſtantinus ex monacho & Scholaſtico Floriacenſi factus eſt Abbas S. Maximini Aurelianenſis, quæ Abbatia ſita eſt in agro ſuburbano Miciaco, *au bourg de Micy* (o) ad primum ab urbe lapidem, unde eum Gerbertus vocat *Miciacenſem* Abbatem Epiſt. 33. addititiarum à Sirmondo. Fuit autem propter literarum & bonarum artium commercium Roberto Regi acceptiſſimus, à quo privilegium obtinuit an. 1020. piſcaturæ in Ligeri.

Audiendus etiam Malmesburienſis de Gerberto & Conſtantino Floriacenſis Scholæ Magiſtris. *Gerbertus habebat comphiloſophos & ſtudiorum ſocios, Conſtantinum Abbatem Monaſterii S. Maximini, quod eſt juxta Aurelianos, ad quem direxit regulas de Abaco; Ethelbaldum Epiſcopum, ut dicunt, Witenburgenſem, qui & ipſe dedit monumenta in Epiſtola, quam fecit ad Gerbertum de Quæſtione Diametri ſuper Macrobium & in nonnullis aliis.*

Poſt hæc tempora quod ad Floriacenſis Scholæ celebritatem pertineat, nihil in literarum monumentis me legere memini. *Quantum* nempe, ut Marci Tullii verbis utar, *detraxit ex ſtudio, tantum amiſit ex gloria.* Pro coronide affero verba *Papyrii Maſſoni*, auctoris quidem recentioris ævi, attamen gravis, & qui res multas in pauca redigit: *De Floriacenſi Monaſterio*, inquit, *ſæpè locuti ſumus in Diœceſi Aurelianenſi ad Ligerim ſito: hodie Benedicti nomen habet; fuit olim omnium bonarum artium ſedes certúmque domicilium.*

§. VIII.

MONASTERIUM BECCENSE.

B. Herluinus Fundator & Abbas Becci.

BEccenſi Monaſterio nullum toto ſeculo undecimo, quo conditum eſt, illuſtrius fuit (p), ſaltem in Neuſtria, cùm ob monaſticæ diſciplinæ obſervantiam, tum ob cultum literarum. Huic originem dedit Beatus Herluinus, primæ inter Neuſtraſios nobilitatis, qui in Gisleberti Brionenſis Comitis domo educatus, armis potiùs tractandis aſſueſactus eſt, quàm diſcendis literis, quarum penitus usque ad converſionem expers fuit. Poſteaquam enim mundo nuntium remittens monaſterium ædificare cœpit; tum verò prima literarum elementa addiſcere cœpit, cùm annorum pene eſſet quadraginta, Deíque opitulante gratia eò usque proceſſit, ut etiam ipſis literatis in exponendis & intelligendis ſacris Scripturis admirationi eſſet. Sub B. Herluino primo Abbate monaſticum habitum induit Lanfrancus, natione Italus, qui ex Italia cum multo nobilium ſcholarium comitatu in Normanniam veniens apud Abrincatas aliquamdiu literas docuerat. Tribus poſt annis ſcholas aperuit, ad quas confeſtim Clerici, nobilium filii, imò & nominatiſſimi ſcholarum magiſtri confluxêre. Hinc laici potentes, & nobiles viri multa eidem monaſterio contulêre; factáque eſt brevì omnium celeberrima Beccenſis Academia.

Sub eo ſcholam aperit B. Lanfrancus.

Auctus fuit ſcholarium numerus, poſtquàm Lanfrancus Berengarium, Turonenſis Scholæ Magiſtrum publicâ in diſputatione ignorantiæ in Dialectica convicit: ii enim, deſerto Berengario, Beccum ſe contulêre. *Excellens ſiquidem fama*, inquit Eadmerus in vita S. Anſelmi, *nobiliſſimos quosque Clericorum ad eum de cunctis mundi partibus agebat.* Ordericus Vitalis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lib. IV. Lanfrancum, ejúſque ſcholam his celebrat encomiis. *Coactu obedientiæ de clauſtrali quiete* (nempe de cœnobio Beccenſi in Normannia, quod ob paupertatem loci Lanfrancus elegerat) *protractus magiſter proceſſit, quo docente philoſophicarum ac divinarum Literarum Bibliotheca effulſit. In utroque nodos quæſtionum ſolvere potentiſſimus erat. Hoc magiſtro primitus Normanni literatoriam artem perſcrutati ſunt, & de ſchola Beccenſi eloquentes in divinis & ſecularibus ſophiſtæ proceſſerunt.* Nam anteà ſub tempore (q) ſex Ducum Neuſtriæ vix ullus Normannorum liberalibus ſtudiis adhæſit; nec Doctor inveniebatur, donec proviſor omnium Deus Normannicis oris Lanfrancum appulit. Fama peritiæ illius in tota ubertim innotuit Europa: unde ad magiſterium ejus multi convenerunt de Francia, de Vaſconia, de Britannia,

(o) Vid. Bulæ. in Hiſt. Univ. Pariſ. tom. 1. pag. 569.
(p) Vid. Annal. tom. 4. pag. 439. & ſeq. ibid. pag. 476.
(q) Ant. Pag. tom. iv. pag. 201. ad an. 1055. n. vii.

nia, nec non Flandria. Nullus tamen Lanfranci celebrior diſcipulus, atque D. Anſelmus, qui ejus famâ & eruditione adductus in Beccenſe Monaſterium acceſſit, ubi editis votis religioſis poſt Lanfrancum literas docuit. Quæ omnia ex graviſſimorum Authorum teſtimoniis, quæ Joannes Launoius congeſſit, uberiùs confirmare licet. Sic verò laudes Beccenſis Scholæ auſpicatur.

Eſt omnium celeberrima.

Scholam ferè omnium, quas hactenus deſcripſi, celeberrimam aggredior. Lanfrancus in ea regenda viginti per annos tantum operum labore & ſtudio geſſit, ut ſi quis magnitudinem ſcholæ cum annis conſerat, ætatem ultra putet. Ita enim longè latéque per orbem Chriſtianum famam circumtulit, ut qui res ſcholæ illius legunt, non unius Doctoris, & ſcholæ, ſed plurium Doctorum vel ſcholarum facta diſcant. Infinitus eſſem, ſi vellem ire per omnia elogia, quibus comendatur. Delectum habere non poſſum, quia egregia ſunt ſingula, ſed pauca de multis perſtringam.

B. Lanfranci vitæ ſynopſis.

Milo *Criſpinus* Weſtmonaſterienſis Abbas, in Vita Lanfranci, Capite I. *Fuit quidam vir magnus Italiâ oriundus, quem Latinitas in antiquum ſcientiæ ſtatum ab eo reſtituta tota ſupremum debito cum amore & honore agnoſcit magiſtrum, nomine Lanfrancus. Ipſa quoque in liberalibus ſtudiis magiſtra Gentium Græcia diſcipulos illius audiebat & mirabatur. Hic Papia civitate oriundus fuit. Parentes illius ejusdem urbis cives magni & honorabiles habebantur inter ſuos concives. Nam, ut fertur, pater ejus de ordine illorum, qui jura & leges civitatis aſſervabant, fuit. Lanfrancus humilitatem animi, ſermoniſque gravitatem in Abbate* (Herluino) *plurimùm veneratus & amans, Monachus ibi* (Becci)*efficitur.* Quod anno MXLII. contigit. *Deinde Cap. II.* „ At Doctor ille maximus
„ in clauſtro omnem operam impen-
„ debat quieti & ſilentio, cordis ſui
„ novalia verbi ſacri excolens aſſidua
„ lectione, irrigans ea dulci, quam
„ ſæpè obtinebat, lacrymarum com-
„ punctione. Nec oblitus, quod
„ Deo in nocturna captione promi-
„ ſerat, poſtquàm factus eſt mona-
„ chus, in diſcendis Officiis diurnis
„ & nocturnis curam maximam im-
„ pendere voluit, ut ſciret Deo lau-
„ dis ſacrificium perſolvere, ſicut no-
„ verat. Sic per tres annos vixit ſo-
„ litarius, gaudens quod neſciebatur
„ præter paucos, quibus aliquando
„ loquebatur, omnibus ignotus. Ru-
„ mor ut hoc factum prodidit, lon-
„ gè latéque protulit, & fama viri
„ præclariſſima Beccum & Abbatem
„ Herluinum brevì per orbem terra-
„ rum extulit. Clerici accurrunt,
„ Ducum filii, nominatiſſimi ſchola-
„ rum magiſtri Latinitatis, laici po-
„ tentes & nobiles viri multi pro
„ ipſius amore multa eidem Eccleſiæ
„ contulerunt. *Tum Cap. IV.* Lan-
„ francus quoque licentiâ Abbatis ſui
„ iterùm ſcholam tenuit, & ea, quæ
„ à Scholaſticis accipiebat, Abbati
„ conferebat, Abbas operariis dabat.
„ *Deinde Cap. VII.* De radicibus ma-
„ gnæ illius arboris, quæ in horto
„ ſuo remanſerant, ut per ſomnium
„ ſuum viderat, vidit poſteà prædi-
„ candus vir Herluinus pullulantes
„ quasdam virgulas in arbores ma-
„ gnas excreviſſe, multos videlicet
„ ad magna bonorum operum incre-
„ menta per illius inſtitutionem ac-
„ ceſſiſſe. Arbor frugibus opima fuit
„ venerabilis Anſelmus Eccleſiæ Au-
„ guſtenſis Clericus, qui Lanfran-
„ cum ad Monachatum ſubſecutus,
„ poſt eum Prior, poſt Abbatem Her-
„ luinum Abbas Becci, deinde Archi-
„ epiſcopus Cantuarienſis poſt eun-
„ dem Lanfrancum fuit. De quo
„ cuncta majora fuerunt, quàm no-
„ ſtra oratione referri queant. Ar-
„ bores fructuum bonorum jucundi-
„ tate delectabiles fuerunt, Abbas
„ Weſtmonaſterienſis Gilbertus Cri-
„ ſpinus, Abbas Carmelienſis Wil-
„ lelmus, Henricus Eccleſiæ Can-
„ tuarienſis Decanus, Hernoſtus Roſ-
„ fenſis Eccleſiæ Epiſcopus, & qui
„ ei ad idem officium ſucceſſit ibi-
„ dem, vir morum ſanctitate admo-
„ dùm reverendus Gundulfus. Hi
„ juvante Dei gratiâ in Beccenſi Ec-
„ cleſia à magiſtro Lanfranco edocti,
„ & à ſancto Patre Herluino in ſancta
„ Religione inſtructi in Eccleſiis aliis
„ poſteà honorabiles Patres ſunt in-
„ ſtituti. *Tum demùm Cap. XI.* Se-
„ quenti anno cum præfato Archi-
„ epiſcopo (*Eboracenſi*) Romam ivit,
„ & honorificè à Sede Apoſtolica ſuſ-
„ ceptus eſt: ſiquidem venienti Papa
„ aſſurexiſſe dicitur, tum pro ſua
„ magna religione, & eminenti ſci-
„ entia, tum quia dum eſſet in Nor-
„ mannia, venientes Romanæ Ec-
„ cleſiæ miniſtros honorificè ſuſcipie-
„ bat, & quosdam Papæ conſangui-

Ejus illuſtres diſcipuli.

„ neos ſtudioſè docuerat. Fertur
„ etiam Papa (Alexander II.) dixiſſe:
„ Non ideò aſſurrexi ei, quia Archi-
„ epiſcopus Cantoariæ eſt, ſed quia
„ Becci ad ejus ſcholam fui, & ad
„ pedes ejus cum aliis auditor con-
„ ſedi. Itaque duo pallia illi dedit,
„ unum, quod de Altari Romano
„ more accepit: alterum verò in in-
„ dicium videlicet ſui amoris, cum
„ quo Miſſam celebrare ſolebat, Ale-
„ xander Papa ei ſuâ manu por-
„ rexit. „

Ubi Alexander II. B. Lanfranco operam dederit?

Antonius Gattus Jureconſultus & Anteceſſor in Ticinenſi Academia hiſtoriam celeberrimi hujus Athenæi literis mandavit. In hac meminit honoris Lanfranco ab Alexandro Pontifice exhibiti (r) bis verbis: „ Papiæ
„ celebrem diſcipulum habuit Anſel-
„ mum de Badagio Mediolanenſem,
„ qui poſteà ad Pontificatum evectus
„ ſub nomine Alexandri II. quum
„ Lanfrancus jam conſecratus Archi-
„ epiſcopus Cantuarienſis Romam
„ profectus eſſet propter litem cum
„ Thoma Archiepiſcopo Eboracenſi,
„ is è throno aſſurrexit, & ipſum, ut
„ legitur in Vitis XXIII. Abbatum
„ S. Albani excepit his verbis: *Aſſur-*
„ *go tibi tanquam Magiſtro, & deoſcu-*
„ *lor tanquam Pædagogum, & non*
„ *tanquam Archipræſulem.* Hæc vir doctus. Sed ſtandum eſt authoritate Milonis Criſpini, Autoris coævi, qui in vita Lanfranci non Ticini ſed Becci Alexandrum eidem operam dediſſe diſertim teſtatur.

S. Anſelmus ex diſcipulo B. Lanfranci fit Monachus.

Beccenſe Chronicon ad annum MLX. hæc habet: „ Audiens igitur
„(Anſelmus) famam magiſtri Lanfran-
„ci jam Monachi Beccenſis, & ſcholas
„ibidem tenentis & regentis omnium
„penè Doctorum nomina præcellere,
„ſpreta pro Dei nomine patris & matris
„multimodâ hæreditate, cum aliquan-
„tis familiarium Clericis ad eum venit.
„In cujus ſcholis aliquamdiu diligen-
„ter manens, & ſibi & aliis multùm
„proficiens, tandem Lanfranci incita-
„mento, & Mauritii Rotomagenſis
„Archiepiſcopi conſilio, divinâ provi-
„dente clementiâ in Beccenſi Eccleſia
„habitum monachalem tota devotio-
„ne hoc anno ſuſcepit, anno ætatis
„ſuæ XXVII.

Guitmundus Averſanus Antiſtes in Lib. 1. de Sacramento Altaris. „ Sed
„ & tunc, *inquit*, temporis liberales
„ artes intra Gallias penè obſoleve-
„ rant, novis ſaltem verborum in-
„ terpretationibus, quibus etiam nunc
„ plurimùm gaudet, (*Berengarius*)
„ ſingularis ſcientiæ laudem, & cu-
„ juſdam excellentiæ gloriam venari
„ qualitercunque poterat, affectabat.
„ *Et quibuſdam interpoſitis.* Sed poſt-
„ quàm à Domno Lanfranco in Dia-
„ lectica de re ſatis parva turpiter eſt
„ confuſus, cúmque per ipſum Dom-
„ num Lanfrancum, virum æquè
„ doctiſſimum liberales artes Deus
„ recaleſcere atque optimè revivi-
„ ſcere feciſſet, deſertum ſe iſte à
„ diſcipulis dolens, ad eructanda im-
„ pudenter divinarum Scripturarum
„ ſacramenta, ubi ille adhuc adole-
„ ſcens, & aliis eatenus detentus ſtu-
„ diis adeò intendebat, ſeſe conver-
„ tit. *Et poſt alia*: Magiſter meus
„ vir eximius ſine dubitatione cre-
„ dendus Domnus Lanfrancus. „ Hic igitur Beccenſem ſcholam non modò inſtituit, ſed & liberalium artium, quæ per Gallias ferè obſoleverant, divinarúmque Scripturarum ſtudia ſumma animi contentione excitavit. Quod Lanfranco ſucceſſit tam feliciter, ut ex locis omnibus infinita auditorum multitudo Beccenſem ad ſcholam confluxerit. Quod animo haud æquo cùm ferret Berengarius, qui docebat tunc temporis, diſcedentes ad eam diſcipulos novitate doctrinæ retinere volens, in errores incidit, quos Lanfrancus ipſe, Guitmundus, & alii ſtrenuè confutârunt.

B. Lanfrancus æmulum habet Berengariũ.

Guillelmus Malmesburienſis in Libro I. de Geſtis Anglorum Pontificum, qui & qualis Lanfrancus fuerit, ita deſcribit: „ Lanfrancus gente Longo-
„ bardus, literaturâ perinſignis, li-
„ berales artes, quæ jam dudum ſor-
„ duerant, à Latio in Gallias vocans
„ acumine ſuo expolivit, teneriorem
„ ætatem in ſecularibus deterens, in
„ Scripturis divinis animo & ævo ma-
„ turuit, quibus edoctus mundi fu-
„ mos & ampullata gentilium eloquia
„ parvipendens, Monachatûs deſi-
„ derium imbibit, multíſque diu lo-
„ cis circumſpectis ex omni Abbatia-
„ rum copia Beccum apud Norman-
„ niam potiſſimùm elegit, pauperta-
„ te loci & Monachorum religione
„ captus. Factus ergò ibi Monachus
„ homo, qui neſciret agreſti opere
„ victum quærere, publicas Scholas
„ de Dialectica profeſſus eſt, ut ege-
„ ſtatem Monaſterii ſcholarium libe-
„ ralitate temperaret. Exivit fama
„ ejus in remotiſſimas Latinitatis pla-
„ gas,

(r) cap. 12. pag. 91.

„ gas; erátque Beccum magnum &
„ famoſum literaturæ Gymnaſium.
„ *Et poſt aliqua multa.* Erat tunc
„ temporis in doctrina & mundi ſa-
„ pientia famoſiſſimus, & quem ve-
„ nerabilitet ſuſpiceret Alexander
„ Apoſtolicus. Honoris maximum
„ fuit indicium, cùm Romam veni-
„ enti, ſequeſtrato illo Romani ſuper-
„ cilii faſtu, diligenter aſſurgeret, pto-
„ feſſus, hanc venerationem non ſe
„ illius Archiepiſcopatui, ſed magi-
„ ſterio literarum deferre: quapro-
„ pter ſe feciſſe quod eſſet honoris;
„ illum facere debere, quod eſſet ju-
„ ſtitiæ, ut pro more omnium Archi-
„ epiſcopotum ſancti Petri Vicarii
„ veſtigiis advolveretur.

Et poſt alia, qui & qualis Anſelmus fuerit, ita deſcribit: „ De An-
„ ſelmo eſt ſermo, qui in Auguſta ci-
„ vitate oriundus, quæ ſe primùm
„ tranſcendentibus Alpes exhibet,
„ mediocritatem natalium in clariſſi-
„ mam famam face virtutum ſuarum
„ extulit, puet literis inſtitit, pueri-
„ tiam egreſſus nunquam vel laſci-
„ viori aſpectu caſtimoniam turbavit.
„ Patriam terram exeundi patris ira
„ adoleſcenti occaſionem ingeſſit:
„ quam cùm ille nullo poſſet lenire
„ ingenio, ne domeſtica ſimultas in
„ violationem naturæ tranſiret, ab-
„ ſceſſu fefellit ſuô. Evaſis Alpibus,
„ cùm volutaret anxius animi, quò
„ tenderet, divina dignatio fluctuan-
„ tem ſerenavit; Normanniam ad
„ Lanfrancum eundum, cum quo ſi
„ moraretur, patriæ neceſſitudine à
„ literarum fomite incolatum lævi-
„ garet. Cùm ergò Beccum veniſſet,
„ non aſpernanter à Lanfranco ſuſ-
„ ceptus, magnum ei levamentum
„ ad ſcholas regendas fuit. „ Ecce
tibi alterum Scholæ Beccenſis præſidium & ornamentum.

S. Anſelmum verò adjutorem.

Deinde in Libro II. pergit Lanfranci laudes & Beccenſis ſcholæ gloriam explicare: „ Herfaſtus ne nibil
„ feciſſe videretur, ut ſunt Normanni
„ famæ in futurum ſtudioſiſſimi, Epi-
„ ſcopatum de Helmaban tranſtulit
„ ad Tetfordiam, parcæ, ut ajunt,
„ mentis homo, & nonnulla ex par-
„ te literis eruditus; quippe ante ad-
„ ventum Lanfranci in Normanniam
„ ptobabilis in eis ſcientiæ æſtimatus
„ ſit. Sed eo apud Beccum mona-
„ chato, cùm ubique ſcholares infla-
„ tis buccis Dialecticam ructarent,
„ Herfaſtus jam Guillelmi Comitis,
„ poſteà Regis Capellanus ad famo-
„ ſum Gymnaſium magna ſociotum
„ & equorum pompa pervenit. Tum
„ Lanfrancus ex prima collocutione
„ intelligens, quàm propè nihil ſci-
„ ret, Abecedarium ipſi expedien-
„ dum appoſuit, ferociam hominis
„ Italicâ ferociâ illudens. Quo is ir-
„ ritatus per Comitem effecit, ut Lan-
„ francus Becco Normanniáque om-
„ ni ſumoveretur. Sed interceden-
„ te Dei gratia, Guillelmi animus
„ pacatus eſt. „ Hic Auctot inde Beccenſis Gymnaſii frequentiam & celebritatem aſſerit, inde configit invidiam, quæ, ut eſt virtutis comes individua, Lanfrancum Gymnaſii rectorem non parùm vexavit.

Herfaſtum autem perſecutorem.

Guillelmus Gemmeticenſis in Lib. VI. Hiſt. Normannorum Cap. III. de Lanfranco, & de inſtauratis ab eo ſtudiis literarum ita loquitur: „ Ortus
„ Italiâ quidam vir erat, quem Lati-
„ nitas in antiquum ab eo reſtituta
„ ſcientiæ ſtatum tota ſupremum de-
„ bito cum honore & amore agno-
„ ſcit magiſtrum, nomine Lanfran-
„ cus. Ipſa quoque in liberalibus
„ ſtudiis Gentium magiſtra Græcia
„ diſcipulos illius libenter audiebat,
„ & admirabatut. Ex patria egreſſus,
„ quamplures multi nominis ſchola-
„ tes ſecum habens, in Normanniam
„ devenit. Beccum itaque adiit,
„ quô nullum unquam pauperius æſti-
„ mabatur, vel abjectius cœnobium.
Infrà; „Rumor, ut hoc factum (*de*
„*Lanfranci monachatu*) prodiit, longè
„latéque protulit, & fama viri præcla-
„riſſima Beccum & Abbatem Herlui-
„num brevì pet otbem terrarum extu-
„lit. Accurrunt Clerici, Ducum filii,
„nominatiſſimi ſcholarum Latinitatis
„magiſtri, laici potentes, & altâ no-
„bilitate viri. *Et paulò pòſt ad Anſelmum ſic accedit.* „Ortus igitur ex gene-
„roſis parentibus in civitate Auguſta,
„quæ contigua, & Burgundiæ & Italiæ,
„per diverſa loca ſtudiis literarum ope-
„ram dando pervenit Normañiam, &
„in Monaſterio Becci, ubi tunc tempo-
„ris magnus ille ſupradictus Lanfran-
„cus Prioris fungebatut officio, cum
„aliis conſcholaſticis ab eodem tam di-
„vinis, quàm ſecularibus literis inſtru-
„ctis, ipſius hortatu & conſilio factus
„eſt Monachus Becci anno ætatis
„ſuæ XXVI.

Thomas Walſingamus in Hypodigmate Neuſtriæ ad añum MXCVII. quicquid eſt Lanfranci illius ſcholarum, & Anſelmi, paucis comptehendit: ***Anſelmus genere Longobardus, Au-***

guſtæ

guſtæ civitatis indigena, à puero literas edoctus, cum literis bonos imbibit mores, ſtudens in hoc firmare propoſitum, ne ab honeſto reflecteret animum. Tranſcendens juga Alpium, in Gallia liberalibus diſciplinis ſtuduit per triennium: inde tranſiens in Normanniam, adhæſit Priori Beccenſi publicas ſcholas regenti tunc temporis permiſsû vel juſsû Abbatis Herluini.

Ivo Carnotenſis B. Lanfranci diſcipulus.

Inter alios è Lanfranci ſchola prodüt Ivo Carnotenſis poſtea Epiſcopus, & celebris ſacrorum canonum collector, ut *Robertus de Monte* ſcribit in appendice novà ad Sigebertum anno MCXVII. *Mortuus eſt*, inquit, *hoc anno vir religioſus, & magnæ literaturæ Ivo Carnotenſis Epiſcopus.* Hic *cùm eſſet juvenis, audivit magiſtrum Lanfrancum, Priorem Becci, in qua multi, & nobilitate ſeculari, & honeſtate morum convenerunt viri prædicti, & qui poſtea ad ſummum apicem eccleſiaſticæ dignitatis & religionis attigerunt.*

Cæterùm hactenus dicta concludam ipſius Lanfranci teſtimonio in epiſtola, quam ad Alexandrum II. ſcripſit, ubi Epiſcopale onus à ſe deprecatur. *Rogo*, inquit, *quatenus propter Deum & animam veſtram, ſicut veſtra, cui contradicere fas non fuit, me authoritate alligâſtis, ſic quoque alligatum abrupto per eandem authoritatem hujus neceſſitatis vinculo abſolvatis, vitâmque cænobialem, quam præ omnibus diligo, repetendi licentiam concedatis.* Et poſt pauca: *Meminiſſe ſiquidem debetis, nec tradi oblivioni oportet, quàm benignè veſtros conſanguineos, aliósque à Roma ſcripta deferentes, in præfatis adhuc cœnobiis conſtitutus ſæpe recepi, quàm ſtudiosè eos pro captu meo, ingeniíque ipſorum, tam in ſacris, quàm in ſæcularibus literis erudivi.*

B. Lanfranci epitaphium.

His tantùm adjicio Lanfranci *Epitaphium*, quod omni pietatis & doctrinæ laude præſtantiſſimus Philippus Abbas Bonæ Spei conſcripſit:

Vixiſti, venerande pater, ſapienter, & æquè
Vixiſti niveus, mors quoque vita tibi eſt.
Inter divitias pauper Lanfranco fuiſti;
Divitiis manans, pauperum amator eras.
Per te florentes artes valuere Latinæ,
Gratia de vobis ecce triumphat ovans.
Tu Latios ortu, Gallósque docendo levâſti,
Te ſibi primatem cardo Britannus habet.
In terra degens cœleſtia mente petebas,
Exemptus terrâ ſydera liber adis.
Ut geminos denis obſederat igne diebus,
Prompſit Luna dies, nocte ſolutus abis.

Hæc eſt egregia Beccenſis ſcholæ deſcriptio, inquit (s) Launoius, quæ nobis à peritiſſimo rerum illius temporis auctore ante oculos ſtatuitur.

Cum Beccenſi Schola vix alia comparari poteſt.

An autem alia fuerit ſchola, quæ huic vel eruditionis opinione, vel auditorum multitudine & doctrina componatur, dubitari meritò poteſt. Qui cæteris in nationibus præcellentes ingenio & authoritate magiſtri habebantur, advolabant Beccum, ut Doctoris Lanfranci fierent diſcipuli, & ſplendidiſſimo diſcipulorum Lanfranci titulo gauderent. Et ſanè Beccenſem ſcholam, quæ adoleſcentes Alexandri Papæ conſanguineos, aliósque Romanos Alexandri literis commendabiles accerſiit, cæteris omnibus in orbe Gymnaſiis præluxiſſe neceſſe eſt. His ergo fundamentis ſtat nobilitas hujus ſcholæ, quam velut optimarum artium & diſciplinarum parentem Roma ipſa ſuſpexit, quam Græcia coluit, quam Europa mirata eſt univerſa.

Ex illa prodiit Rogerius.

Nec illud Scholæ Beccenſis gloriam parùm adauget, quòd ex illa prodierit *Rogerius*, cognomento *Vacarius*, qui cùm monachus adhuc & monaſterii Prior eſſet, ex Normannia in Angliam trajecit; ubi primus omnium Anglos Jus docuit Cæſareum, ut Parte II. hujus Operis lib. 1. cap. 2. pluribus dicturi ſumus. Ex Juris Profeſſore in Abbatem Beccenſem ſub annum 1149. electus fuit. Sub cujus regimine literæ cùm humanæ tum divinæ ita floruerunt, ut, teſte Roberto Montenſi, *duodecim Abbates ad regimen eccleſiarum inde aſſumpti ſint.* Præfuit Cœnobio Beccenſi Rogerius annis triginta aut circiter. Diem obüt ſupremum anno MCLXXX. poſtquam ſumma virtutis ac doctrinæ cum laude dignitate illa functus, atque bonarum artium ſtudia ſuo in monaſterio concidere nullatenus paſſus fuiſſet. Unde Joannes Seldenus, author Acatholicus de Rogerio & Beccenſi Monaſterio ſcribens, *Obſervandum eſt*, inquit, *omnigena diſciplinarum ſtudia perquam eminenter in cœnobio Beccenſi illis in ſeculis viguiſſe, indéque Rogerium hunc inter ſtudioſos ita demum præcelluiſſe.*

(s) Loc. cit. pag. 49.
(t) Diſſert. Hiſtor. ad Fletam.

§. IX.

§. IX.

Prioratus S. Benedicti de Oxonia, qui vulgò adhuc Collegium ſeu Aula Glocestrensis vocatur.

Academiæ Oxonienſis fundatio.

S. NEotum noſtrum virtute juxtà ac eruditione inſignem Seculo IX. Abbatem, Alfredo Angliæ Regi, autorem extitiſſe, ut animum ad publicum ludum Oxonii aperiendum adjiceret, magno Reipublicæ Chriſtianæ emolumento, jam aliàs à nobis dictum fuit. In hac porrò Academia uti bonas artes Benedictini omnium primi docuerunt, eásque ſuccedentibus annis ſtrenuè propagârunt, ita juniores Religioſi eò magnâ frequentiâ miſſi fuerunt, ut ad literarum tum divinarum tum humanarum diſciplinas incumberent. Cùm Benedictinis verò Profeſſoribus ſeculares ſubinde ſuccederent, & monachi ſtudioſi non iis tantùm operam darent, ſed in ſecularium etiam ædibus hoſpitiò uterentur, parùm è diſciplina religioſa atque exiſtimatione Ordinis id eſſe jure ac meritò viſum eſt. Quare Abbates (u) Cantuarienſis Provinciæ conſilium inire cœperunt, de excitando Oxonii Prioratu, ſeu Collegio, in quo juvenes Religioſi in unum habitarent, ſúbque Ordinis ſui Magiſtris doctrinarum ſtudiis operam navarent. Concluſum tamen fuit, ut delectû habito haud alii, quàm qui morum & indolis elegantiâ ad Muſas nati eſſe viderentur, ad *Generale* hoc *Studium* mitterentur, quibus vir non virtute minùs quàm doctrinâ conſpicuus præficeretur, ad quem totius diſciplinæ, ſive correctione, ſive etiam diſpenſatione, aut abſolutione opus foret, arbitrium pertineret, qui etiam nomen *Prioris Studentium* obtineret.

Nec id conſilii cœlo diſplicuiſſe, argumento eſt, quòd Deus Opt. continuò Mæcenatem excitârit, qui Collegium pro literarum ſtudioſis ſumptibus ſuis fundaret. Fuit is Illuſtriſſimus Joannes Giffordius (x) Baro de Brimfeld, primæ nobilitatis inter Angliæ Proceres. Rex Eduardus fundationem ratam habuit, edito inſtrumento conceſſionis regiæ de terris & poſſeſſionibus Prioratui fundando amortizandis.

Fundatur Collegiū pro Benedictinis.

Ut verò literarum ſtudia in hoc Collegio Incrementa caperent, non ſemel eâ causâ conventus à Cantuarienſis Provinciæ Abbatibus habiti ſunt. Primum anno 1290. vetera monumenta memoriæ produnt, in quo 30. Abbates & Priores apud Abendonam ſuper iis egerunt, quæ *Prioratum Oxonii causâ ſtudii creatum de novo, quoad ædificationem inibi continuandam, & contributiones inpoſterum ædificandi prætextu communiter faciendas, contingere videbantur.* Anno 1343. in Provinciali Capitulo (y) apud Northamptonam celebrato Præſidentes ſalubria quædam condiderunt ſtatuta, quibus Cathedram Theologicam in novo Collegio erexerunt, Profeſſori ſtipendium conſtituerunt, leges de promovendis ad Doctoratum Theologiæ & SS. Canonum præſcripſerunt, tempus ad laudes divinas in Choro celebrandas ſtudentibus præſtituerunt, ac denique de eorum cameris & muſeis ordinârunt.

In alio Provinciali Capitulo, quod anno 1444. iterum Northamptoni celebratum fuiſſe vetera monumenta teſtantur, poſtquam congregati Patres monaſticæ diſciplinæ conſuluerunt, nihil prius habuerunt, quàm ut ſtudium in Oxonienſi Collegio ſartum tectum conſervarent. Igitur ſequentia (z) ediderunt Statuta.

Statuta pro Collegio.

„ Cùm in totius Ordinis noſtri „ redundet honorem ac ſcholarium „ noſtrornm Oxoniæ ſtudentium non „ parùm accreſcere videatur profe„ ctui, eò magis ſi in medio Oxoniæ „ de noſtro Ordine menſam propo„ ſitionis paratam inveniant, nec ſem„ per *aliqua doctrinæ ſuffragia ab ex„ ternis mendicare cogantur*: nos hu„ jus rei gratiâ de fratrum noſtrorum „ aſſensû ſtatuimus, ut in ſtudio præ„ dicto cathedra Magiſtralis per Do„ ctorem Theologiæ de Ordine no„ ſtro ſecundùm curſum Doctorum „ futuris temporibus occupetur, & „ ne eam per aliquod tempus per de„ fectum Doctoris de Ordine noſtro „ vacare contingat, ſtatuimus, ut quo„ tiens ſcholares noſtri in ſæpedicto „ ſtudio Doctore Theol. Ordinis noſtri „ caruerint, illud Præſidentibus ſine „ mora denuncient, & Præſidentes „ Doctoris in clauſtro reſidentis ſcri„ bant

Cathedra Theol. ſemper à Profeſſore Benedictino occupanda.

(u) Clem. Reyner. in Append. Apoſtolat. Bened.
(x) l. c. pag. 55.
(y) l. c. pag. 162.
(z) l. c. pag. 134.

„ bant Prælato, nt eum ad locum
„ prædictum occupandi causâ cathe-
„ dram mag:ſtralem transmittat: cui
„ qnidem magiſtro, ſi juxta ſtatutum
„ Univerſitatis Oxoniæ à tempote in-
„ cœptionis ſuæ annum compleverit
„ in legendo, & alios actus ſcholaſti-
„ cos, etiam in prædicando exercue-
„ rit, de communi collecta ſingulis
„ pro annis, in quibus ſic occupatus
„ fuerit, ſolvendas fore decernimus
„ decem libras. Si verò Prælatus, ad
„ quem Præſidens pro hujusmodi Do-
„ ctore mittit, dictum Doctorem mit-
„ tere renuerit, 10. marcas ad Ordi-
„ nis uſus communes ſolvere tenea-
„ tur, niſi cauſam impedimenti ſui
„ legitimam, & ſuo Monaſterio ma-
„ gis expedientem Capitulo Generali
„ oſtenderit.

M:nerval Proteſſoribus conſtitutum.

„ Item quia ante hæc tempota,
„ ad evitandas expenſas, quæ in Ma-
„ giſtrorum promotionibus eſſe ſolent,
„ nonnulli ad incipiendum in ſacra
„ Theologia, & in Jure Canonico pro-
„ pinqui, ad ſua Monaſteria à ſtudio
„ ſuetunt revocati, in totius Ordinis
„ verecundiam generalem: volentes
„ igitur ut hoc futuris non contingat
„ temporibus, ſed in noſtro Ordine
„ utriusque ſacultatis Doctotes cre-
„ ſcere poſſint, præcedentis auctori-
„ tate Capituli ſtatuimus, ut quilibet
„ noſtræ Religionis incœpturus Oxo-
„ niæ in Theologia, de cætero ſi eo-
„ dem anno, quo incœperit, alium
„ noſtræ Religionis in eâdem ſaculta-
„ te incipere non contingat, habeat
„ in incœptione ſua præ manibus vi-
„ ginti libras bonæ & legalis monetæ
„ de communi collecta: ſi autem uno
„ & eodem anno duos in Univerſitate
„ prædicta in ipſa facultate incipere
„ contingat, decernimus, ut uterque
„ eorum de ipſa collecta percipiat in
„ incœptione ſua decem libras dunta-
„ xat. Statuimus etiam, quòd quilibet
„ noſtræ Religionis incœpturus Oxo-
„ niæ in Jure Canonico, ſi eo anno, in-
„ fra quem incœperit, alium non con-
„ tingat incipere, percipiat de com-
„ muni collecta viginti marcas: ſi au-
„ tem uno & eodem anno duos in ea-
„ dem ſacultate Juris Canonici, ſicut
„ priùs incipere contingat, percipiat
„ uterque eorum de dicta collecta tan-
„ tummodò decem marcas. Et nt
„ incœpturus in ſacra Theologia, &
„ in Jure Canonico præ manibus per-
„ cipiant pecunias ſuperiùs limitatas,
„ ordinamus, & uniformiter diffini-
„ mus, quòd ſumptibus Ordinis fiat
„ una communis ciſta tribus clavibus
„ ſervata, quarum una erit in perpe-
„ tu:m rei memoriam in cuſtodia Ab-
„ batis Abendoniæ, pto conditione
„ hujus ſtatuti Collectoris unici Ge-
„ neralis; alia in manibus Prioris ſtu-
„ dentium, ſed tertia in manibus il-
„ lius Patris Cuſtodis vel Guardiani,
„ infra cujus ſundum ciſta committi-
„ tur antedictæ cuſtodiæ duratura;
„ in quam ciſtam volumus, & ordi-
„ namus octoginta libras bonæ & le-
„ galis monetæ viis & modis ſecuriùs
„ theſaurizari, quam ſummam ſuffi-
„ cere credimus de Capitulo in Capi-
„ tulum duraturam. Proinde decla-
„ tamus, & firmiter præcipimus ad
„ minus per menſem ante diem in-
„ cœptionis ſuæ clavium cuſtodes
„ ſollicitet, ut in certo die pet ſe vel
„ per alios ad ſæpè dictam ciſtam om-
„ nino declinent, & incœptori ſum-
„ mam ſibi limitatam eburſent, ad
„ quam ſummam per gradus aſſum-
„ ptionum exhauſtam, & denuò in
„ ciſtam reparandam, volumus, quòd
„ Collector Generalis pro tempore,
„ quiscunque fuerit, providè ſaciat de
„ eadem finem computûs in proximo
„ Provinciali Capitulo ſequenti: ita
„ quod ſumma ſupetiùs dicta in Ca-
„ pitulo ſequenti pet Præſidentes Do-
„ ctoribus allocata, qui incœperunt
„ medio tempore, inter duo Capitu-
„ la partim pet ſollicitudinem eorum,
„ qui de ciſta partem ratam ad ſuos
„ gradus incœperunt, & partim au-
„ ctoritate Præſidentium & Collecto-
„ ris infra tres menſes poſt Capitulum,
„ octoginta libræ loco ſummæ extra-
„ ctæ iterum ſubrogentur.

„ Item ſtatuimus, quòd nullus
„ noſttæ Religionis, & noſtri Capituli
„ incipiet in Oxonia vel in Cantabri-
„ gia in Sacra Theologia, vel in Ju-
„ re Canonico, niſi ſub Doctore ejus-
„ dem Religionis & ejusdem ſaculta-
„ tis, ſi talem Doctorem in ſtudio in
„ tempore incœptionis cathedram
„ occupare contingat.

Gradus à Doctore Benedictino accipiendus.

„ Item ordinatum eſt, quòd Do-
„ ctores ſanctæ Theologiæ, & Juris
„ Canonici poſt ſuſceptum gradum
„ Doctoratûs, in Monaſteriis Abbates
„ Superiores habentibus, in Capitu-
„ lo Provinciali, in Clauſtro, Choro,
„ Refectorio, Capitulo, Proceſſioni-
„ bus, tam extra Monaſteria quàm
„ intra, & ubique locorum, poſt Pri-
„ ores clauſtrales proximas ſedes tene-

Doctores præcedunt alios.

ant,

„ ant, & poſt Suppriores Cathedrales
„ propter gradûs dignitatem, eos con-
„ ſimiliter volumus honorari : dum
„ tamen ipſorum Doctorum mores,
„ & conditiones Religioni Doctora-
„ líque gradui ſint conformes. Sanè
„ alias dictos Doctores, ſicut cæte-
„ ros Ordinis noſtri ſubditos, regu-
„ laribus, ut decet, inſtitutis, volu-
„ mus ſubjacere. Prælatis verò, Pri-
„ oribus clauſtralibus, Superioribus
„ Cathedralibus, à ſuis dignitatibus,
„ officiis, & miniſterio per ceſſatio-
„ nem diſcedentibus, per prædicta
„ non intendimus in aliquo derogare :
„ cui etiam adjicimus, quòd nullus
„ alius, ſive Ordinis cuſtos, vel ſenio
„ provectus, ſeu officiarius contra lo-
„ cum Doctorum hîc diffinitum ali-
„ cubi locorum uſurpet, Ordinis cu-
„ ſtode dum regulariter præſidet, dun-
„ taxat excepto.

Statuta de veſtitu Doctorum.

„ Item ſtatutum eſt, & firmiter
„ injunctum, quòd ſinguli Doctores,
„ & Graduati audientiis in ſolennibus
„ publicè ſermocinantes, niſi fuerint
„ reveſtiti, habitibus de cætero uten-
„ tur ſcholaſticis : audientias ſolem-
„ nes dicimus, Eccleſias cathedrales,
„ Monaſteria ſolemnia, Crucem S.
„ Pauli, & quamcunque audienti-
„ am, ad quam civitas concurrit au-
„ ditum.

Ambitus officii Prioris ſub pœna excomunicationis prohibetur.

„ De Priore verò Studentium ita
„ ordinatum eſt, quòd cùm propter
„ præfectionem Prioris Studentium
„ Oxoniæ lites maximæ retroactis tem-
„ poribus, & nuperrimè accreverint,
„ unde graviſſima oriuntur ſcandala,
„ & non modicum noſtræ Religionis
„ detrimentum : nos authoritate, quâ
„ fungimur in hac parte, ſub pœna
„ excommunicationis majoris prohi-
„ bemus, ne quiſquam noſtræ Reli-
„ gionis Studentium Oxonii verbo
„ vel literis per ſe ipſos, vel per alios
„ quoſcunque, futuris temporibus pro
„ præfectione dicti Prioratus elaboret,
„ procuret, vel intromittat quovis
„ modo, niſi à Præſidentibus vel aliis
„ in tali negotio per ipſos aſſignatis fu-
„ erint ſpecialiter requiſiti. Et ſi quis
„ huic ordinationi parere noluerit, aut
„ transgreſſor repertus fuerit, decer-
„ nimus eum inhabilem, & inidone-
„ um ad tale officium, & ſi prope
„ gradum ſit, decernimus inhabilem ad
„ quemcunque gradum ſcholaſticum,
„ nec non eo facto, qualiſcunque fu-
„ erit, à ſtudio revocandum abſque di-
„ latione aliquali.

P. Ziegelbauer Hiſt. P. I.

Monachi inter ſeculares non ſtudeant.

„ Volumus etiam, & ordinamus,
„ quòd Prior Studentium, in quantum
„ poteſt, non permittat, ut unus
„ Monachus inter Seculares in ſtudio
„ moram trahat.

„ Item ſtatutum eſt, ut præfectio-
„ ne Prioris Studentium Oxonienſis
„ Abbas vel Prælatus ipſum præfici-
„ ens injungat præfato ſub virtute o-
„ bedientiæ, quòd quantum commo-
„ dè poterit, Conſtitutiones locales
„ noſtri Collegii, ſed & officium ſuum,
„ & noſtros Studentes in dicta Uni-
„ verſitate concernentes ſtudeat fide-
„ liter exercere.

Divinis officiis ſuo tempore Studentes interſint.

„ Sed tamen huc pro Studentibus,
„ de ipſis pauca ex pluribus elicere in-
„ tendentes, ordinamus, quod cùm
„ deceat, ut qui ſunt in literis eru-
„ diti, ſint in contemplatione aſſidui,
„ Studentes noſtri Ordinis in Oxoniis
„ conveniant, in Capellam in diebus
„ ſolemnibus, & dominicalibus, &
„ aliis feſtivis ad divinum ſervitium
„ decantandum ſub pœna ex arbitrio
„ Prioris Studentium taxandâ : de cu-
„ jus Statuti executione ipſius conſci-
„ entiam oneramus.

Statutum de habitatione.

„ Item decernimus, ut Priores
„ Studentium ſic ordinent de cameris,
„ ac ſtudiis in loco prædicto, quòd
„ ultra anni medietatem non vacent,
„ ſi qui noſtri Ordinis fuerint, qui
„ voluerint occupare : hoc tamen ob-
„ ſervato, ut ſi quis de domo ſeu de
„ Monaſterio, cujus ſumptibus ali-
„ qua camera ædificata fuerit, ſeu
„ nobiliter reparata, illuc venerit ad
„ ſtudendum, hujus auctoritate ſta-
„ tuti eam liberè ingredi valeat, aut
„ pacificè poſſidere. Teneatur etiam,
„ quicunque eam priùs occupaverat,
„ abſque difficultate & contradictione
„ quacunque exire.

„ De annis verò Logicalibus &
„ Philoſophicis, antequam aſcendant
„ ad Theologiam noſtri Studentes, ſe-
„ cundùm ſtatuta à prædeceſſoribus
„ noſtris, & loci conſuetudinem in
„ Oxoniis uſitatam volumus adimple-
„ ri. Præterea in eorum diſputatio-
„ nibus, problematibus & quæſtiona-
„ libus, ſecundùm quod hactenus
„ eſt conſuetum, pront ſtatuta tem-
„ pore magiſtri Joannis Wheadham-
„ ſtead, tunc Studentinm Prioris e-
„ dita de his omnibus, & aliis noſtros
„ Studentes ſufficienter concernenti-
„ bus intuenti declarant, memoriter
„ ſe diſponant.

Studentes exer-

„ Statuimus etiam, ut noſtri Oxo-
„ nienſes Studentes juxta diſpoſitio-

ceantur in concionibus habendis.

„ nem Prioris & SeniotumStudentium
„ in loco noſtro communi Oxonienſi
„ vel alibi, ubi ipſe, & Seniores de-
„ creverint, frequentet tam in lingua
„ Latina prædicent, quàm vulgari:
„ ut ſic id audaciùs ptomptiúsque
„ perficiant, cùm eos ad ſua Mona-
„ ſteria contigerit revocari, freqnen-
„ ter prædicare volumus, ad minus
„ quater in anno, in utraque lingua,
„ Latinâ videlicet & vulgari: tempo-
„ ra his prædicationibus magis con-
„ gruentia credimus, vigiliam Nati-
„ vitatis Domini, ſecundam feriam
„ primæ hebdomadæ Quadrageſimæ,
„ vigiliam Paſchæ, vigiliam Pente-
„ coſtes, vigiliam Corporis Chriſti,
„ vigiliam Aſſumptionis B. Mariæ,
„ vigiliam Sanctorum omnium, Sab-
„ bathum ante primam Dominicam
„ Adventùs Domini; in quibus volu-
„ mus unum noſtrorum Studentium
„ octavum annum ſtudii prædicti at-
„ tingentem in loco, & linguâ ſecun-
„ dùmStudentium Prioris,& ſeniorum
„ partis diſcretionem Studentium ſa-
„ lubriùs deputari. Quòd ſi tot ſtu-
„ dentes dictum annum attingentes
„ in ſtudio nequeant reperiri, paucio-
„ rum ſermonum numero ſint con-
„ tenti.

Mulcta in Abbates ſtatuta, qui ſuos non mittunt ad ſtudium Generale.

„ Et cùm de paucitate Studentium,
„ quæ oritur ex negligentia Prælato-
„ tum ad ſtudia ſuos ſcholares non
„ mittentium, ut deberent, conſul-
„ tiùs ſit cavendum, providemus,
„ Conſtitutionem Benedictinam de
„ Prælatis ſcholares ſuos non mitten-
„ tibus ad Studium Generale: & cùm
„ annus juxtà Univerſitatis computa-
„ tionem tres anni contineat termi-
„ nos, quibus Magiſtri communiter
„ ſuas continuant lectiones; cujus-
„ cunque Ptælati ſcholares, vel ſcho-
„ laris per terminum talem defuerit à
„ ſtudio, ſolvat pto quocunque ſcho-
„ lari talitet deficienti tertiam partem
„ ſummæ annualis in Conſtitutioni-
„ bus Benedictinis memoratam,& quia
„ vertitur in dubium penes quoſdam,
„ ad quantam ſum̄am monetæ Ang-
„ licanæ taxa illorum - - - Turonen-
„ ſium ſe extendat, quamquàm aliqui
„ ad minus, aliqui ad majus eas, ut
„ dicitut, æſtiment in valore: nos ta-
„ men omnem hujusmodi dubieta-
„ tem tollere cupientes, decernimus
„ quatuor groſſos Turonenſium æqui-
„ valere libris quindecim Sterlingo-
„ rum.

„ Item ſtatuimus, ut futuris tem-
„ poribus ſenes, & ætate ptovecti ſal-
„ tem pto Philoſophia addiſcenda ad
„ ſtudia non mittantut.

Lis apud ſeculares inſtituenda prohibetur.

„ Inſuper viam litis præcludere cu-
„ pientes, ac ſcandalis obviare, præ-
„ ſenti ſtatuto ſpecialiter prohibemus,
„ ne Studentes noſtri Ordinis inter
„ ſe ex quacunque cauſa coram Can-
„ cellatio, alióve judice ſeculari pla-
„ citent, ſeu diſceptent: nec quis-
„ piam eorum alium coram eis con-
„ veniat quovis modo. Sed ſi, quod
„ abſit, intet aliqnos eorum litis ma-
„ teria futuris temporibus oriatur,
„ ipſa, quatenus poſſibile ſuerit, per
„ Priorem, & quatuot, vel quinque
„ ſeniores ipſorum ſtudiorum ſopia-
„ tur,& ſi per eos tolli non poſſit, ipſa
„ materia Præſidentibus intimetur;
„ qui Præſidentes, ſi quid inter eos
„ malè ſuerit attemptatum, id debito
„ more corrigant, aut reforment.

Patrocinium ambire ſecularium interdicitur.

„ Item cùm abſurdum videatut in
„ Monacho contra vel præter ſui Præ-
„ lati voluntatem Magnatum preces
„ vel literas procurare, ut accedere
„ valeant ad ſtudia literarum, aut ini-
„ bi commorari, ſeu gradus aliquos
„ in ſtudio attingere, vel ad apicem
„ aſcendere Magiſtratus: hinc diſtri-
„ ctè præſentibus prohibemns, ne quis
„ noſtræ Religionis Monachus con-
„ tta vel ptæter ſui Prælati volunta-
„ tem ſecularium quorumcunque pte-
„ ces vel literas procuret, aut pro-
„ curare ſaciat, ut ad ſtudium trans-
„ mittatur, aut in ſtudio detineatur,
„ ſive ad gradus quoscunque ſtudii
„ promoveatur, ſuo Prælato neſcien-
„ te, & hoc nolente. Secus agentes
„ ad ſtudium mittendi tedduntur in-
„ habiles, & in ſtudio exiſtentes de
„ ſtudio ſnnt revocandi. Ex quo vo-
„ lumus, quod reclamante Prælato,
„ vel non conſentiente, gtadum aſ-
„ ſumens pœnâ inobedientiæ punia-
„ tur.

„ Item quod Licentiati ad inci-
„ piendum tam in Theologia, quàm
„ in Jure Canonico in ſuis gradibus
„ ſuſcipiendis caputia capparū ſcho-
„ laſticarum cum buggio furrata ha-
„ beant, ſive cum ſyndone nigro li-
„ nita, & conſimiliter baccalaureos
„ ad laturam ſententiarum decreta-
„ lium admiſſos caputiis cum buggio
„ ſurratis, utì de cæteris ordina-
„ mus.

Pernoctare alibi, quàm in Collegio interdicitur.

„ Item diſtrictè injungendo præ-
„ cipimus, ne quis ſtudentium noſtri
„ Ordinis in Univerſitatibus Oxoniæ
„ & Cantabrigiæ præſumat in poſte-
„ rum quomodolibet ullicubi perno-
ctare,

Digitized by Google

„ ctare, niſi priùs Priori Studentium
„ inſinuet in ſpeciali, ad quem prin-
„ cipaliter divertere ſe intendit, cùm
„ licentia ſit obtenta.

„ Item ordinamus, & diſtrictè vo-
„ lumus, qnòd noſtri Studentes in
„ Oxonia & Cantabrigia rariùs fre-
„ quentent tabernas, quàm hactenus
„ conſueverint: & ad ſupervidendum
„ volumus, ut Prior Studentium ſem-
„ per habeat oculum ſpecialem.

„ Inſuper ordinamus, & diſtrictè
„ præcipimus, quòd penſiones Stu-
„ dentium ab Officiariis, qui ſolvere
„ tenentur, in ſuis terminis ſecun-
„ dùm conſuetudinem Monaſterii
„ Studentibus fideliter ſolvantur: ſin
„ verò in defectu ſolutionis Prælato,
„ vel Præpoſito per literas, vel ore-
„ tenus referentibus, ab illo die Of-
„ ficiarius, qui ſolvere negligit, à car-
„ nibus, quousque ſatisfecerit, om-
„ nino ſe abſtineat. „

Hæ tamen Conſtitutiones, utut ſaluberrimæ fuerint, non ita ſanctè tamen fuerunt ſemper obſervatæ, quin non aliqnando plusquàm latum unguem, aut transverſum digitum fuerit ab iis diſceſſum. Maximè Abbates illi in transgreſſionis reprehenſionem vocati fuerunt, qui ſive ex negligentia, ſeu potiùs avaritia monachos ſuos domi retinuerunt, ne, ſi ad Generale Studium eos mitterent, pecunias expendere deberent. O ſacra auri fames! quid non etiam abbatialia cogis pectora? Unde Prior Collegii Oxonienſis in Capitulo Generali (a) non ſemel querimoniam de certis Prælatis ex zelo religionis facere ſatagebat, qui in deſtinando ſnorum monaſteriorum ſcholares ad Studia Generalia reperti ſecundùm tenorem Conſtitutionum Benedictinarum fuerunt defectivi, ipſorum quemlibet nominando, quorum nomina jam aliàs recitavimus. Præſidentes verò Congregationis contra id genus negligentes ſeu avaros Abbates novas ſequenti decreto (b) ſanxerunt pœnas.

Abbates quidam de non ſervatis Statutis accuſantur.

Statuta muniuntur adjectis pœnis.

„ Cùm ſit fruſtra Conſtitutiones
„ aliquas condere, niſi poſteà ab ho-
„ minibus obſerventur, congruit, ſic
„ Conſtitutiones per pœnas vallare,
„ ut pœnarum metu ad ipſarum Con-
„ ſtitutionum obſervantiam homines
„ arctentur. Et ſi aliqnorum tanta
„ ſit rebellio, qnod ad eas obſervan-
„ das faciliter flecti nolunt, convenit
„ addere pœnas pœnis, ut quos cer-
„ tæ pœnæ non flectunt, eos incli-
„ net pœnarum addita multitudo.
„ Cùm ergò felicis memoriæ Bene-
„ dictus Papa duodecimus ad noſtræ
„ religionis honorem non modicum
„ nuper decreverit, quòd ex ſingu-
„ lis monaſteriis noſtri Ordinis de
„ quolibet vicenario numero mona-
„ chorum mittatur ad ſtudium unus
„ aptus pro fructu majoris ſcientiæ
„ adquirendæ; ac contra non mit-
„ tentes pœnas ſtatuerit valdè gra-
„ ves; Sintque adhuc, ſicut ex mul-
„ torum relatu didicimus, quidam
„ noſtræ religionis Prælati, quos nec
„ Papale Statutum, nec ipſarum pœ-
„ narum metus emollit, ut de ſuis
„ monachis mittant ad Studium con-
„ tinuandi gratia juxtà numerum
„ prætextatum: Nos eorum rebellio-
„ nem, quatenus in nobis eſt, con-
„ fundere cupientes, ſtatuimus, ut
„ Prælati noſtri Ordinis quicunque,
„ qui virtute Conſtitutionis Papalis
„ prædictæ aliquem vel aliquos de
„ ſuis monachos ad ſtudium mittere
„ ſunt adſtricti, nec tamen hoc fa-
„ ciunt, ut tenentur; ultra pœnas
„ per Summum Pontificem contra ta-
„ les ſtatutas, nomine etiam pœnæ
„ ſolvant ſingulis annis pro quolibet,
„ quem virtute Statuti prædicti mit-
„ tere tenerentur ad ſtudium, & non
„ mittunt, Dominis Præſidentibus,
„ qui pro tempore fuerint, decem li-
„ bras in uſus comunes Ordinis con-
„ vertendas. Et ut de talibus, qui,
„ ut præſertur, de ſuis non mittunt
„ ad ſtudium, ut deberent, poſſit ci-
„ tiùs & certiùs Dominis Præſidenti-
„ bus apparere, præcipimus Priori
„ ſtudentium firmiter injungendo,
„ qnod de nominibus talium non
„ mittentium, ſive mittentium nimis
„ tardè, aut ante finem anni ſtuden-
„ tes ſuos à ſtudiis revocantium, cer-
„ tificet per ſuas literas annis ſingulis
„ Dominos Præſidentes: ut ſicut non
„ mittentes pœna decem librarũ, ſicut
„ præmittitur, ſunt multandi; ſic ni-
„ mis tardè mittentes, vel prematurè
„ revocantes, pro quanto in tempore
„ defecerint, pœnam ſolvant; ut cùm
„ annus juxta computationem Uni-
„ verſitatis tres contineat terminos,
„ quibus magiſtri communiter ſuas
„ continuant lectiones; cujuscunque
„ Prælati ſcholares, vel ſcholaris per
„ terminum talem ſeu termini majo-
„ rem partem à ſtudio defuerit, ſol-
„ vat pro quocunque ſcholari taliter
„ deficiente tertiam partem totius

Hh 3 „ ſum-

(a) l. c. pag. 177. (b) pag. 199.

„ ſummæ decem librarum ſuperiùs
„ memoratæ in uſus communitatis,
„ prout prædicitur, convertendam,
„ & conſequenter ſtatuimus de alia
„ quacunque majori temporis quan-
„ titate & ſumma communiter ma-
„ jore pœnæ nomine perſolvenda;
„ teneantúrque Prælati ſinguli ſuis
„ ſcholaribus de annalibus penſio-
„ nibus providere, ſicut in Bene-
„ dictinis Conſtitutionibus, titulo de
„ penſionibus ſtudentium, eſt taxa-
„ tum. „

Hactenus Leges & Statuta Collegii Gloceſtrenſis, quod Angli Abbates Oxoniæ condiderunt, ut in eo unus altérve juvenis religioſus è ſingulis monaſteriis aleretur, qui poſteà apud ſuos bonas literas profeſſuri eſſent. Qui verò Profeſſores in ipſo Collegio Gloceſtrenſi docturi erant, ſolenne initium publicâ primùm oratione, ac ſplendido deinde epulo more aliorum Univerſitatis Oxonienſis Profeſſorum facere conſueverant. Ejuſcemodi novi Profeſſores *Inceptores* vocabantur. Qua de re Antonio de Wood in Hiſtoria Univerſitatis Oxonienſis lib. 1. pag. 25. aures præbere neminem pœniteat:

Solenne initium Profeſſorum Academiæ Oxonienſis.

„ INCEPTORES epulis haud parùm
„ lautis Academicos pleroſque, non-
„ nunquam & oppidanorum præci-
„ puum quemque excipiebant: quod
„ hoc ordine præſtitit *Sylv. Gyral-*
„ *dus*. Primo die *pauperes* in convi-
„ vium adhibuit, ſecundo *Doctores*,
„ reliquóſque Academicos, tertio au-
„ tem *Milites*, *Civéſque Oxonienſes*
„ liberaliſſimè tractavit, velut ex *Hi-*
„ *ſtoria mea* ad an. CIↃCLXXXII.
„ uberiùs patebit. Rurſus circa an.
„ CIↃCCLXVIII. quo tempore *Al-*
„ *phonſus de Senis* natione *Romanus*,
„ literis *Oxoniæ* vacàbat (id enim è Re-
„ giſtro quodam pervetuſto teſtatiſſi-
„ mum fit) *Bonifacius de Saluciis* in
„ Jure Civili (ni fallor) incipiebat:
„ tum verò tanto epularum apparatu
„ celebrata dicuntur *Comitia*, ut præ-
„ teritis penè omnibus, maximè ſi
„ ejus facultatis ſplendorem inſpicias,
„ longè præluxerint. Etenim *Ince-*
„ *ptores* convivarum frequentiâ, quos
„ minimè capiebant hoſpitia Acade-
„ mica, adacti, magnam Cœnobii
„ *Oſneienſis* partem, Reſectorium uti-
„ que & clauſtra, præter alias ibidem
„ ædes conduxêre. Quamvis Epulas
„ vel hiſce ſolenniores in *Collegio Glo-*
„ *ceſtrenſi* à fratribus S. Benedicti in-
„ ſtructas paucis poſt annis reperio.
„ Cùm *Guilielmus* enim *de Broke*, è

Splendidum in Collegio Gloceſtrenſi.

„ S. Petri Gloceſtrenſis Monachus, in
„ Theologia inciperet an. CIↃCCXC-
„ VIII. (is è ſuo Ordine primus erat
„ in hac Facultate *Doctor*) Johañes de
„ Gamages Cœnobiarcha, Monachi,
„ Priores, Obedientiarii, Clerici &c.
„ ejuſdem monaſterii, tot inſuper
„ Optimates, & Armigeri interſuêre,
„ ut centum inſtar virorum equita-
„ tus (& ille apparatu ſpectabilis)
„ adimpleretur. Quin & præſentes
„ ſe dabant Cœnobiarchæ *Weſtmo-*
„ *naſterienſis*, *Readingenſis*, *Abendo-*
„ *nienſis*, *Eveshamenſis*, & *Malmes-*
„ *burienſis* cum Prioribus, Monachíſ-
„ que Benedictinis benè multis. Ve-
„ tùm nec impenſas conſerre recuſa-
„ bant, qui gravioribus impliciti ne-
„ gotiis adeſſe non poterant; quales
„ erant Epiſcopi, Cœnobiarchæ,
„ Priores, aliíque ejus Familiæ per-
„ plures; è qua vix quiſquam erat,
„ qui munera *Inceptori* illi aut non
„ ferebat, aut non tranſmittebat:
„ unde convivia tam ſplendida in-
„ ſtruebantur, ut Sodalitium ſancti
„ Benedicti jam tum in Anglia florere
„ incipiens gloriam uberrimam con-
„ ſecutum eſt; ídque *Collegio* ſpecia-
„ tim *Gloceſtrenſi* in honorem decúſ-
„ eximium ceſſit; res enim ipſa ſplen-
„ dore ſuo ſavorabilis, quin & tenuio-
„ res tam Laici quàm Scholares haud
„ parùm ſublevabantur. Porrò au-
„ tem de *Laurentio Honſom* vel *Hon-*
„ *ſome* perhibetur, quòd cùm ſub
„ *Gullielmo* antedicto (ad Prioratum
„ *Gloceſtrenſem* jam evecto) *Doctora-*
„ *tum* ſuſciperet (cujus nimirùm in
„ *Veſperiis* ſacræ Theologiæ Bacca-
„ laureus, ejuſdémque Cœnobii Mo-
„ nachus pridem reſponderat) epu-
„ láſque optimas, quamquàm jam
„ ante dictis haud æquandas exhi-
„ buit, morem utique ſervans, qui
„ euſque jam increbuerat, ut *In-*
„ *ceptores* quotquot conditionis non
„ eſſent multùm tenuiſſimæ, è re
„ partim ſua, partim munificentia
„ aliena, Academicos quàm lautiſſi-
„ mè tractarent.

Præter Collegium *Gloceſtrenſe*, duo alia, *Cantuarienſe* & *Dunelmenſe*, pro Benedictina ſtudioſa juventute excitata fuerunt; è quibus perinde atque è Gloceſtrenſi, multi & virtute & doctrinâ inſignes viri prodierunt; Theologi, Canoniſtæ, ſacræ Scripturæ Interpretes, divini Verbi Præcones, Catholicæ fidei Athletæ, Epiſcopi, Cardinales, Regii Legati & Cancellarii, qui Angliæ Regno magno emolumento,

Collegiū Gloceſtrenſe illuſtrium virorum ſeminarium.

to, Eccleſiæ Catholicæ præſidio, ſacro Ordini verò ſummæ gloriæ & decori fuerunt. Tres aut quatuor ad fidem faciendam commemorâſſe ſufficiat. Seculo XIV. floruit *Utredus Boltonus*, in Anglia Tranſabrina, ut ex Lelando loquitur Pitſeus (c), natus, Ordinis S. B. monachus Dunelmenſis, vir cujus tum doctrina, tum pietas ſuo tempore multùm illuxit. Alacritate ingenii promptus ad ſtudia, affabilitatis gratiâ jucundus ad colloquia, ſuavitate morum aptus ad conciliandam amicitiam, denique felici naturali indole præclariſque animi dotibus dexter ad omnia. Ab omnibus fratribus unicè dilectus, Abbati etiam, propter magnam, quam de illo conceperat ſpem, mirè charus. Concurrente igitur cum monachorum amore Abbatis favore, communi conſilio & unanimi conſenſu, miſſus eſt Oxonium ad ſtudia. Ubi labore, induſtria, & ingenii felicitate ad eam doctrinæ perfectionem tandem pervenir, ut cum eruditiſſimis ſui temporis viris non immeritò conferri potuerit. Sic integrâ famâ & ab errorum Wiclefi hæreſiarchæ confutatione celebris ſub finem regni Eduardi tertii in legatione honoratiſſima Romam miſſus fuir ad Gregorium undecimum, ibíque perbenignè ſuſceptus, & in pretio habitus, injunctum ſibi munus ſtrenuè peregiſſe ſcribitur.

Richardus Angarvillus, (d) inquit idem Doctor Pitſeus, natione Anglus, patriâ Suffolcienſis, civitate S. Edmundi Burienſis, unde & de Bury cognominari ſolet, ex monacho Dunelmenſi Ord. S. B. factus eſt primùm Regis Eduardi III. Cancellarius; deinde anno Domini 1333. Epiſcopus Dunelmenſis. Vir qui cum multa pietate conjunctam habuit ſingularem doctrinam. Videtur fuiſſe Sacræ Theologiæ Doctor Oxonienſis. Nam ibi, teſte Joanne Roſſo Warwicenſi annis multis ſtuduit, & ad ſummam tum in ſacris tum in profanis lireris pervenit cognitionem.

Adamus Eſton (e) Benedictinæ Profeſſionis Venetæ Icevorum ſeu Nordovici Monachus, & Oxonienſis Academiæ Doctor, erat præter alias linguas, Hebraicè, Græcè, & Latinè peritus, quod eâ ætate pro miraculo haberi poterat. Unde Romam vocatus à Gregorio XI. fit ejus Eccleſiæ Presbyter Cardinalis tituli S. Cæciliæ, Multa, imò plurima ſcripſit, quorum alio loco facturi ſumus mentionem.

Joannes Feckenamus (f), Monachus Eviſhamiæ, & tandem ultimus Weſtmonaſterienſis Abbas Oxonii ſtuduerat. Erat in eo multiplex doctrina, redundans in concionibus facundia, incredibilis religionis catholicæ zelus, pro qua defendenda poſt plurimos caprivitatis annos in Turri ſeu carcere Londinenſi invictus orthodoxæ fidei athlera piiſſimè obiit.

Collegiũ occupatur à Calviniſtis.

Quo tempore aurem ab Henrico VIII. Monaſteria ſuppreſſa fuerunt, etiam Collegii Gloceſtrenſis Alumnis Benedictinis pro imperio dictum fuit; *Veteres migrate Coloni*. Nunc Calvini aſſeclæ illud inhabitanr, in quorumgratiam Illuſtriſſimus Baro Giffordius illud planè non fundaverar. Supereſt inſignis Bibliotheca veterum MSS. Codicum, ex quibus quantoperè noſtri Monachi in ſæpiùs dicto Collegio ad literarum ſtudia incubuerinr, quivis rei literariæ non imperitus facilè ſecum animo æſtimare poterit. Luculentæ ſiquidem ac copioſæ Mſs. Codicum Bibliothecæ ſcholarum quondam celebrium certiſſima habentur argumenta.

Hiſpaniæ Collegia.

De Collegiis Hiſpaniæ omninò celeberrimis explicatiùs agere animo quidem nobis conſtitutum inſidebat, ſed deficientibus ſymbolis, iſtud hîc commemorâſſe ſufficiar, Valliſoletanæ Congregarionis Patres in ſuis Conſtirutionibus Barcinonæ impreſſis cap. 113. & ſeq. decreviſſe, ut in Congregatione perpetuò tria ſint Collegia, in quibus *Artes liberales & Philoſophia* doceantur, & quartum in quo *Theologia*. Pro Philoſophia deſignantur Monaſteria *S. Stephani de Ribas del Sil*, S. Juliani *de Samos*, & S. Mariæ *de Yrache*: Pro Theologia S. Vincentii *Salmanticæ*. Præterea deſignantur alia duodecim Cœnobia particularia, in quibus Artes & Theologia prælegantur, & linguæ originales *Hebraica*, *Chaldæa*, *Græca*, &c. tradantur, ut videre eſt in dictis Conſtitutionibus.

§. X.
COLLEGIUM CLUNIACENSE Lutetiæ Pariſiorum.

Fundatio. A. 1269.

ANno MCCLXIX. Collegium Cluniacenſe in Academia Pariſienſi ab Ivone de Vergy Abbate Cluniacenſi incœptum eſt ad uſum & commoditatem

(c) de Scriptor. Angl. æt. 14. pag. 528. ex Lelando c. 449. p. 392.
(d) Lel. cap. 231. Pitſ. æt. 14. pag. 467.
(e) vid. vit. Part. 2. lib. 2. (f) vid. ibid.

ditatem Scholatium Monaſterii Cluniacenſis, qui Lutetiam ad ſtudia mitterentur : quod deinde ab Yvone II. ejus Nepote, item Abbate, perſectum & abſolutum eſt. Quam in rem extat in illo Collegio ad januam Capellæ in Clauſtro hæc Inſcriptio: *Yvo primus Abbas Cluniacenſis ac primus hujus Collegii fundator an. Dom. 1269. plateam emit, murôſque fecit in circuitu, Refectorium, Culinam, Dormitorium, ac Clauſtri medietatem. Æterna pace fruatur, Amen. Yvo II. Abbas Cluniacenſis, primi fundatoris Nepos hanc ædem D. Virgini ſacram, Capitulum, & alteram Clauſtri medietatem fecit cum Bibliotheca. Æterna pace fruatur, Amen.*

Henricus verò de Fauteriis, qui cœpit Ordinem regere anno MCCCVIII. rexítque annis undecim, donec renuntiatus eſt Epiſcopus S. Flori in Arvernia, Statutum quoddam, ſeu Ordinationem edidit de proſpeto ſtatu Studentium Pariſiis in Collegio Cluniacenſi, quod anno MCCLXIX. ab *Yvone Vergyaco* fundatum fuiſſe retulimus. In quo quidem Statuto multa habentut notatû digniſſima ad rei literariæ commendationem. Et ſic ſe habet :

Sacræ Scripturæ dignitas &

„ Salutis author volens omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem „ veritatis, ſuíque ſanctiſſimi nominis „ venire, ſicut pro maniſeſtatione re„rum corporalium & terreſtrium à „ principio lucem corporalem fecit, „ ſic mitanda ſuæ bonitatis ſuperabundantia pro notificatione ſpiri„ tualium & cœleſtium quandam lu„cem ſpiritualem creavit, ſcilicet „ Sacræ Scripturæ inextinguibile lu„ men, *quæ*, juxtà Salomonis teſti„ monium eſt *Candor Lucis æternæ*, in „ credendis, ſperandis, & diligen„ dis mentes hominum illuminans o„ ſtendénsque ſuis diſcipulis, & Au„ ditoribus omnem veritatem neceſ„ ſariam ad ſalutem, eſt ſpeculum ſi„ ne macula. Sacra enim Scriptura „ velut ſpeculum noſtris interioribus „ facibus, & mentibus opponitur, ut „ ſi quæ in eis fœda fuerint, videan„ tur. *Hæc tanquam doctrix diſcipli„ næ Dei docet Deum timere*, ſeipſum „ proptet Deum abnegare, mundum „ & ea, quæ in eo ſunt, contemnere, „ cœleſtia appetere, mala vitare, & „ perſeveranter bona ſalutaria opera„ ri. *Hæc eſt illa lex Divina, in qua „ eſt, & lacteus potus*, quo tenera fi„ delium nutriatur infantia, *& ſoli„ dus cibus*, quô tobuſta perfectorum „ juventus ſanctæ virtutis ſpiritualia „ accipiat incrementa. *Hæc eſt lex „ perfecta*, quæ ad ſalutem conſulit „ univerſis, quos D. N. J. C. ſalvare „ dignatur. *Hæc eſt lex continens*, „ quod omni ætati congruit, quod „ omni profeſſioni convenit. In ea „ audimus præcepta, quæ ſaciamus, „ & in ea cognoſcimus præmia, quæ „ ſperemus.

Utilitas.

„ Ad tantæ igitur lucis totam Eccleſiam illuſtrantis claritatem in toto noſtro Ordine & alibi diffundendam, legíſque hujus tam ſacræ, tam ſalutiferæ fructum efficaciùs conſervandum & peramplius dilatandum

Henricus de Fauteriis condit Statuta.

„ Nos Frater Henricus miſeratione divinâ Cluniacenſis Eccleſiæ Miniſter humilis de conſilio Majorum Conventûs noſtri Cluniacenſis, & plurium de noſtro Ordine Diſcretorum Statuta prædeceſſorum noſtrorum ſuper proſperitate & promotione Studii Theologiæ in Domo noſtrâ Pariſiis edita cum infraſcriptis additionibus approbantes & innovantes ſtatuimus & adjicimus ad ſtatum proſperum dicti ſtudii, & ſtudentium, quæ ſequuntur.

„ Inprimis omnes & ſingulos Priores & Decanos noſtri Ordinis penſiones in dicta Domo noſtra pto Studentibus ibidem debentes obſecrantes in Domino exhortamnt, quatenus in Domo noſtrâ ordinata & fundata principaliter ad audiendam Theologicam Facultatem, ſapientiam tam ſupremam & difficilem, tam profundam & inveſtigabilem mittant ad proficiendum & ſtudendum docibiles, aptos mente & ingenio, *& potiſſimè in Grammaticalibus ad minùs ſufficienter fundatos.* Præcipientes in virtute obedientiæ *Priori Scholarum* dictæ Domûs noſtræ, vel alii vice noſtra & ſucceſſorum noſtrorum ad hoc agendum deputando, quòd nullum pro Penſionario, & Studente ibidem amodò recipiant, niſi ſufficienti examine recipiendorum per nos factâ, aut per ipſum Priorem Scholarium, ſeu per alium loco noſtri ad faciendam examinationem hujuſmodi deputandum. Quibus, Priori & Deputando à nobis & Succeſſoribus noſttis, Præcipimus in virtute obedientiæ, quòd in actu Examinationis hujuſmodi in ſinceritate animi ſaciendo, affectionibus inordinatis ſemotis, nemini deſerentes, docibiles, idoneos, ac ſufficientes tantummodò recipiant,

Non niſi ſubjecta capacia mittantur & recipiantur.

ant, alios minùs idoneos & inſufficientes repellendo, & ad propria loca, unde venerant, remittendo. Et niſi mittentes tales, loco ſic repulſorum & remiſſorum infra menſem à tempore temiſſionis numerandum habiles & idoneos miſerint, id Nobis & ſucceſſoribus noſtris pet Priorem noſtrum Scholarium & per Deputandum ſignificari præcipimus, & maturè, ut in hujusmodi ad commodum & promotionem ſtudii æquitatis & juſtitiæ temedium apponamus.

„Item quia in rebus ordo eſt maximum bonum, & ubi non eſt ordinis bonum, erroris & horroris malum exiſtit, ſtatuentes præcipimus, quòd Scholares & Studentes in dicta Domo noſtra libros audibiles audiant ordinatè, utpote diſpoſiti ad Logicam audiendam, quæ eſt modus ſciendi ad omnium artium & ſcientiarum principia viam habens. Primò ſummulas in Domo: deinde veterem Logicam, & poſtea novam Logicam in Domo, vel extra audiant: ut ſic imbuti in Logica competenter, libros naturales & Philoſophiæ audire, & faciliùs intelligere poſſint: *cujusmodi Logicalium & librorum naturalium Philoſophiæque auditionem eisdem concedimus NB. in favorem ſacræ Scripturæ, ut videlicet efficaciùs & faciliùs capiant & intelligant librum ſententiarum*, in quo profunda myſteria totius ſacræ paginæ continentur.„

Studia exordienda à Dialectica.

„Similiter de audientibus Theologiam ſtatuimus, quòd *libros Bibliæ audiant ordinatè*. Diſpoſitis verò & habilibus ad Logicalia audienda, & quorum diſpoſitione & habilitate diligenter attendenda, & indicanda Prioris & Supprioris dictæ Domûs noſtræ, & trium Diſcretorum Studii conſcientiam onerantes: pro Logicalibus audiendis ſpatium biennii, & pro libris naturalibus & philoſophicis ſpatium biennii concedimus; Nolentes hujusmodi ſpatium temporis præfixum ampliari ſine noſtra & ſucceſſorum noſtrorum licentiâ ſpeciali petita & debitè obtenta. Ordinantes etiam, quòd in Logicalibus & Philoſophicis modo præſcripto ſtudentes, hóris quibus poterunt lectiones Magiſtri actû Regentis in dicta Domo noſtra, lectionésque Bibliæ & Baccalariorum ibidem legentium audiant interdum, & honorificent eosdem, ſuper quo Superiorum loci & ipſorum Scholarium conſcientiam oneramus.

Tempus præfixum pro ſtudio philoſophiæ.

P. Ziegelbauer Hiſt. P. I.

„Item ad habendum experimentum, qualiter proficiant ſtudentes, & ad exercitationem ingenii & intellectus eorundem ſtatuimus, quòd omnes & ſinguli Bibliam audientes, poſtquàm biennii ſpatio eam audierint, ſermones & collationes ſecundùm ordinem faciant, & temporibus hactenus conſuetis. Propter verò bonum Proviſionis & ſtudii debiti in ſermonibus & collationibus hujusmodi faciendis, Prior vel Supprior dictæ Domûs noſtræ rogando, aut ſi ſit opus, præcipiendo, & injungendo prædicare debentes excitent, & cohortentur per quindecim dies aote. Recuſantes autem vel inobedienres in opere tam ſalubri per Superiores loci in Capitulo vel alibi tegulariter puniantur. Et quia fabricando fabri fimus, redditque & facit uſus hominem ad quælibet promptiorem, ordinantes ſtatuimus, quòd poſt Paſcha de quindena in quindenam fratres & ſtudentes in Gallico prædicent, ut in hujusmodi uſu & opere exercitati poſſint per ordinem & alibi promptiùs in Gallico proponere verbum Dei.

Studioſis ſacræ Scripturæ præſcribuntur Exercitationes Concionatoriæ.

„Item quia docet Apoſtolus Petrus, quòd unusquisque ſicut accepit gratiam, in alterutrum adminiſtret, ſitque ſapientia communicando largior, quæ retinendo minoratur, & redundantior eſt largiendo ſcientia, quæ dum plus confertur, plus abundat, ſtatuimus, quòd magis ſciens minùs ſcientem charitativè informet, unusquisq; eligendus aliquem librũ de Logica vel Philoſophia aliis legat juxtà ordinationẽ Prioris & Supprioris ac aliorum prædictorum conſcientias oneramus, præcipientes in virtute obedientiæ aptis & ſufficientibus ad legendum fratribus & conſociis, quatenus in exercitio hujusmodi lecturæ horis cettis & dicto modo faciendæ ſe exhibeant promptos, obedientes, & benignos.

Minùs docti à doctioribus informandi.

„Item propter exercitium collationis & diſputationis fructum (melius enim eſt conferre, quàm legere, quia quod obſcurum eſt aut dubium, citiùs declaratur, & percipitur conferendo) ſtatuimus, quòd ſemel in hebdomada, ſi fieri poſſit, vel ſaltem in quindena ſemel, horis cettis per Priorem & Suppriorem dictæ domûs, de conſilio tamen prænominatorum determinandis, diſputationes Quæſtionum Logicalium, Philoſophiæ & Theologiæ alternatim ſint inter fratres

Diſputationes & Collationes præcipiuntur.

ſtudentes, in quibus diſputationibus & collationibus notificandis opportunè per aliquem ſtudentium, verbis contentioſis & indecentibus propulſatis, veritas amicabiliter inquiratur. Inquiſitores nempe veritatis non contentioſos, ſed benignos & pacificos decet, & ut dicti ſtudentes ad repetendum ſtudioſiùs lectiones auditas excitentur, ſtatuimus, quòd horâ potationis ſerotinæ, quæ apud eos *Collatio* nuncupatur, ad quam horam omnes convenire præcipimus, *Præſidens* in Conventu vel *Deputandus* per Priorem de lectionibus ſingulorum ſtudentium ſingulis diebus petat.

Sine licentia Superiorum nemo munus Profeſſoris occupet.

„ Item quod teſte B. Iſidoro *ſumma virtus Monachorum humilitas eſt*, quæ debet maximè in perſonis ſcientibus efflorere juxtà verbum ſapientis dicentis, quòd ubi eſt humilitas, ibi eſt ſapientia, propter bonum obedientiæ meritum augentis, & opus religioſum laudabilius reddentis, aſtringentiſque fratres & monachos omnia etiam buna agere de conſenſu & diſpoſitione Patris ſpiritualis, quia quod ſine Patris ſpirirualis & Superioris Prælati fit voluntate, vanæ gloriæ attribuitur, non mercedi, ſtatuentes inhibemus in virtute obedientiæ, ne apti & ſufficientes ad legendum ſolenniter aliquem librum Bibliæ, cujuſmodi lectura *in Studio Pariſienſi Curſus communiter appellatur*, & præſertim librum ſententiarum præſumant legere ſine noſtra & ſucceſſorum noſtrorum licentia ſpecialiter petita & debitè obtentâ.

„ Item ad compeſcendos propriæ excellentiæ & honoris ſeculi appetitus ſervos Chriſti, & præcipuè Religioſos, qui abrenunciationem ſeculi promiſerunt, monet & inducit ſententia B. Joannis Chryſoſtomi dicentis: *Deſiderans Primatum in terra inveniet confuſionem in cœlo*, nec inter ſervos Chriſti computabitur, qui de Primatu tractaverit, nullúſque eorum feſtinet, quomodo aliis major appareat, ſed quomodo omnibus inferior videatur. Ut ergo nemo fratrum noſtrorum *Pariſiis in Theologia ſtudentium* aſſumat ſibi honorem niſi vocatus & electus ab illo, qui eſt Vicarius Dei, & ejus Prælatus, ſtatuentes in virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, quam ipſo facto incurrant contrarium attentantes, inhibemus, *ne Magiſter actû regens in Theologia in Domo noſtrâ Pariſiis, aut aliquis alius de Ordine cujuſcunque ſtatûs & conditionis exiſtat*, ad licentiam obtinendam, ſeu ad ſtatum honoris Magiſterii Theologicæ Facultatis, requirentis utique hominem in ſcientia perfectum, in morum honeſtate præclarum, & in eloquentia expeditum ac gratum, de cætero præſentare præſumat aliquem Baccalarium D. Cancellario B. Mariæ Pariſienſis. Nullus etiam Baccalarius præſentationi de ſe factæ conſentire aut licentiam hujuſmodi acceptare, ſeu preces ſecularium ad hoc impetrare præſumat, niſi nobis & ſucceſſoribus noſtris ſuper hoc facto debitè conſultis, & ſine noſtri & ſucceſſorum noſtrorum deliberatione matura. Si verò duo Baccalarii præſentandi & promovendi ad dicti Magiſterii honorem ſimul, & in eodem tempore concurrerint, licèt ſecundùm morem Studii Pariſienſis antiquior in Lectura ſententiarum primò ſit præſentandus, præpoſitionem tamen unius eorundem ad hujuſmodi Magiſterii honorem nobis & ſucceſſoribus noſtris reſervamus.

Nec gradum Doctoratûs accipiat.

„ Item dicit B. Benedictus in Regula, quod *obedientia, quæ Majoribus impenditur, Deo exhibetur, propter bonum obedientiæ, quæ eſt ſalus omnium fidelium, genitrix omnium virtutum, & inventrix Regni Cœlorum*, inter ſtudentes laudabilius promovendum præcipimus, quòd omnes & ſinguli tam Baccalarii, quàm alii ſtudentes Priori & Suppriori dictæ Domûs noſtræ, ſeu eorum vices gerentibus obediant humiliter & devotè. Inobedientes autem volumus & præcipimus per dictos Superiores extra Capitulum, vel in Capitulo, quod ſaltem ſemel in hebdomada per Priorem aut Suppriorem loci teneri ſtatuimus, regulari diſciplinâ puniri. Si verò, quod abſit, in crimen inobedientæ & rebellionis ſæpiùs, præſertim in caſu correctionis, aliquis deprehenſus, Priori dicti loci per præſens Statutum damus authoritatem, hujuſmodi inobedientes & rebelles, quos ex tunc jure penſionis privamus, de Studio & dicto loco amovendi, & ad loca, unde penſiones habeant, pro manſionariis mittendi. Omnibus & ſingulis Prioribus & Decanis noſtri Ordinis penſiones debentibus, præcipiendo mandantes, quatenus in hujuſmodi miſſione, Priori dictæ Domûs tanquam Nobis obediant, miſ-

Studentes obediant Superioribus Collegii.

miſſósque per literas dicti Prioris recipiant, & ùt priùs tractent, fraterna in Domino charitate, & id idem fieri volumus de non proficientibus in moribus & ſcientiâ, de quorum converſatione miſerabili infamia & ſcandala orirentur, ad quæ judicanda & diſcernenda Prioris, Supprioris, & trium Diſcretorum loci conſcientias oneramus.

Librorũ diſtributio & cuſtodia.

„Item qnia juxta verbum Senecæ, *turpis eſt lectura, quæ per negligentiam fit*, quæ tantò eſt reprehenſibilior, quantò res amiſſa magis eſt utilior, & neceſſaria, ſtatuentes præcipimus, libros communes dictæ Domûs per Suppriorem loci, aut per unum Scholarium idoneum à Priore & Suppriore deputandum tutè, diligenter, & fideliter cuſtodiri, diſtribuíque ſine acceptione perſonarum per Suppriorem ſtudentibus ſecundùm facultates & ſcientias, quas actualiter audiunt, videlicet Theologiam audientibus libros Theologicos, & Logicam audientibus Logicales, recipientes verò libros hujusmodi nomina ſeu titulos librorum, annum, diem receptionis, & nomen recipientis in ſcedula in communi Regiſtro redigenda ſcribant. Singulis autem annis ad diem Cinerum vocatis omnibus ſtudentibus in Domo per Priorem vel Suppriorem certum Inventarium de libris hujusmodi fiat, & in loco communi, in quibus loco & die, anno quolibet diſtributio dictorum librotum fiat, modo & forma ſuperiùs annotatis.

„Item quia *anima ſedendo & quieſcendo efficitur prudens*, ſtatuimus, quòd dicti ſtudentes horis opportunis & conſuetis ad ſtudendum ſint, & ſedeant ſolitarii in cellis, & ſtudiis eorundem pro fructû ſtudii & doctrinæ efficaciùs acquirendæ, in Clanſtro aliíſque locis dictis horis colloquia quæcunque, collationes verborum ad invicem præcipuè taliter prolatorum, quæ ſtudentes impedire, ſen turbare valeant, evitando. *Interdicentes eisdem omnino Civitatis Pariſienſis frequentiam, vagôſque diſcurſus per eandem*, proſecutiones cauſarum quarumcunque, nullúſque in civitate comedat, niſi cum perſonis Ordinis noſtri, & cum venerabilibus perſonis ſtudii, & tunc de licentia Superioris obtenta. Nullus etiàm extra domum, niſi pro lectionibus & ſermonibus audiendis determinatis, & ſine licentia vadat, Baccalariis duntaxat exceptis. Quando autem oportebit aliquos per civitatem ire pro aliquibus agendis, bini tunc ſocii ſimul honeſtè & maturè incedant, & juveni habenti agere in civitate ſocius maturus jungatur eidem. Nemo verò dictorum ſtudentium extra domum pernoctare præſumat ſine notitia & licentia Superioris, ad cujus licentiæ conceſſionem evidens utilitas, vel urgens neceſſitas ipſius Superioris conſcientiam inducat.

Excurſus è Collegio in Civitatem prohibentur.

„Item ut congruè fundati, diſpoſiti in morum honeſtate, & diſcretionis bonitate ad perfectionem ſcientiæ ſtatúmque Magiſterii aſſequendum fine debito non fraudentur, affectantes noſtrum Ordinem perſonis ſolennibus præcipuè theſauro ſapientiæ incomparabili reſertis decorari, ſtatuimus inhibentes omnibus & ſingulis Prioribus & Decanis noſtri Ordinis, ne Scholares locorum ſibi commiſſorum penſiones habentes in dicta Domo Pariſienſi ad proficiendum planè & ad fructum ſcientiæ Theologiæ adipiſcendum diſpoſitos & fundatos à dicta Domo temovere etiam juxtà conſuetudinem antiqoam, finito quinquennio, penſionéſque talium aliis dare & aſſignare præſumant, ſine noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum ſpeciali licentia. Audientes verò Bibliam, indiſpoſitóſque ad perfectionem in Facultate Theologica conſequendam poſt completum quinquennium poſſunt, & poterunt, ſi velint, revocare ad eorum loca & clauſtra, pro aliis Fratribus prædicationum & ſermonum inſtantia, & exemplorum honeſtate ſalubriter informandis: loco quorum propter Ordinis honorem, & ſacræ Scripturæ ſavorem alios docibiles & idoneos affectibus cognationis, affinitatis, & nationis à cordibus mittentium penitus excluſis, penſiones in dicta Domo debentes opportuno tempore mittere teneantur. Et ſi, quod abſit, contingeret, aliquem de dictis Prioribus & Decanis non mittere annis ſingulis *Penſionarios, & Scholares, ut tenentur*, nihllominus in favorem ſtudii & ſcientiæ, cujus augmentum cupientes, ejus detrimentum reddimus propter proviſionem & munitionem etiam victualium, quæ fit annuatim pro omnibus & ſingulis Scholaribus in communi, ac propter hoc quod dicti Scholares non ſunt in culpa, in hoc caſu ſubmittere omittens, cùm ob culpam

Mulctandi Superiores qui ſuos non mittunt ad ſtudia.

hujusmodi omiſſionis & negligentiæ in bono tam ſalutari dignum ſit, quòd pœna ſuum teneat auctorem, præcipimus diſtrictiùs, à dictis Prioribus & Decanis omittentibus mittere Scholares, ſummam integram penſionis in pecunia dictis Scholaribus aut Procuratori eorundem, ac ſi Scholaris ibi fuiſſet præſens & reſidens, ſine defectu & quovis obſtaculo perſolvi. Inſuper infra duos menſes id nobis & ſucceſſoribus noſtris per Priorem & Suppriorem loci ſignificari debitè præcipimus, ut in hoc per nos opportunum remedium apponatur. Præterea notam reprehenſibilis parcitatis & cupiditatis, quæ omnium malorum radix eſt, eradicari volentes, univerſis & ſingulis Prioribus & Decanis prædictis ſub pœna amiſſionis juris penſiones dandi inhibemus, ne Prioribus aut Beneficium competens habentibus has penſiones concedere amodò & aſſignare præſumant, Priori Scholarium noſtrorum Pariſiis, præcipientes in virtute obedientiæ, quatenus nullum Priorem aut Beneficium competens habentem ad penſiones hujusmodi Monachis ſimpliciter ſolitas dari de cætero admittant, quinimò repellant. Denique ſtatuentes inhibemus, quòd nullus Prior, aut Beneficiatus, ſeu Jura, aliámque Facultatem diſtinctam à Logica, Philoſophia & Theologia audire intendens in dicta Domo noſtra Scholarium Pariſiis commoretur, aut recipiatur ibidem ſine noſtra aut ſucceſſorum noſtrorum licentiâ ſpeciali.

„ Item quia habitis vitæ neceſſariis inceperunt Amatores Sapientiæ vacare ſtudio & acquiſitioni ſcientiæ & doctrinæ, ordinantes ſtatuimus, quòd Penſionarii de novo mittendi ad dictam Domum noſtram Pariſios veniant muniti integra penſione, aliàs minimè recipiantur, etiamſi idonei fuerint & fundati. Quod & ſtatuimus de aliis jam dudum receptis, & ſtudentibus, in fine anni cujuslibet vel in principio accedentibus ad loca & domos, unde habent penſiones. Obſecramus autem in Domino dictos Priores & Decanos, ſeu loca eorundem tenentes, quatenus in prompta traditione & ſolutione penſionis ſeſe exhibeant propitios & benignos. Denique ut dicti Scholares diſpendioſa multipliciter ſolutionis penſionum tarditate ſublata, bono proviſionis neceſſariæ, & comodo munitionis utilis opportuno tempore faciendæ valeant congaudere, præcipientes diſtrictè ordinamus, quòd omnes & ſinguli Priores & Decani penſiones debentes annis ſingulis in Capitulo Cluniacenſi Generali, vel ad tardiùs in Feſto Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ Suppriori dictæ Domûs, Ptocuratori aut certo mandato dictorum Scholarium ſolvant integras penſiones. Exhortantes verò dictorum Priorum & Decanorum fraternæ dilectionis affectum monemus eosdem per præſens Statutum, quatenus dictis Scholaribus Penſiones ſolvere Pariſiis ſtudeant ſine difficultatis obſtaculo, modo & forma præſcriptis. In quo ſi, quod abſit, negligentes eſſent, damus in præſenti Statuto Priori vel Suppriori dictorum Scholarium plenam poteſtatem negligentes & recuſantes ſolvere vice & authoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam compellendi ad ſatisfaciendum de integris penſionibus debitis, expenſis ob defect. n hujusmodi factis.

Statuta circa penſiones ſtudentium.

„ Ad faciendas autem tempore accepto munitiones & proviſiones pro anno & ad miniſtrandum Conventui noſtro Scholarium Patiſiis victui neceſſaria; ſtatuimus, quod annis ſingulis termino convenienti Prior vel Supprior de conſilio trium Diſcretorum Domûs eligant, & conſtituant duos fratres de ipſis idoneos & expertos in agibilibus, & ad profectum ſcientiæ minùs aptos pro munitionibus & proviſionibus tempore magis expedienti, ac pro officio & miniſterio Procurationis annuæ debitè faciendis; quibus eligendis & inſtituendis præcipimus, ut in hoc caſu & in aliis verbis Priori & Suppriori obediant tanqnam nobis. Et quia merces laborantibus debetur, volumus, quòd dicti Procuratores in bona diligentia ſecundùm durationem penſionum communitati ſtudentium ſervientes ſtipendium ſeu ſalarium hactenus conſuetum habeant pro labore.

Indoctiores ſunto rerum temporalium procuratores.

„ Cæterùm quia decet, magíſque expedit, ut dicti Scholares noſtri ſtudeant & proficiant, dum ſtudium Pariſienſe viget, videlicet in certis menſibus anni, in quibus Doctores, Magiſtri & Baccalarii legendo, diſputando, determinando ſibi & aliis proficiunt, quàm in certis Septimanis, in quibus certis ex cauſis, præſertim propter calores æſtivales ab actibus ſcholaſticis ceſſant & vacant, ordinantes ſtatuimus, quod juxtà antiquum

quum morem in Feſto B. Bartholomæi amodò & non anteà incipiant penſiones. In quo Feſto ſeu termino præcipimus penſionarios de novo mitti & recipi de cætero & non ante; & alios jam receptos *ad dictam domum noſtram Pariſiis* pro ſtudendo reverti, niſi pro toto anno ſufficerent penſiones. Verùm de longo penſiones habentibus, utpote de Imperio, de ultra Sagonem, de Pictavia, & de Arvernia pio compatientes affectu concedimus gratioſè, quod in caſu, ubi haberent, unde ad loca, à quibus penſionarii exiſtunt, accedere poſſent, circa dictum Feſtum B. Bartholomæi in dicta Domo noſtra faciant reſidentiam: quorum quemlibet tribus ſolidis & ſex denariis Pariſienſibus tantùm in hebdomada qualibet miniſtrandis eiſdem reſidentibus in Domo per Deputatum ſeu Deputatos ad proviſiones faciendas contentos eſſe volumus uſque ad initium penſionum.

Quo tempore penſiones incipiant?

„Præterea quia Fratres dictante Regula omnia ſibi neceſſaria debent à Patre Monaſterii ſperare, & habere, exhortantes omnes Priores & Decanos prædictos ordinamus, quod in caſu, ubi propter rerum cariſtiam & temporis importunitatem victui neceſſaria dictis Scholaribus deficerent, quod in tali neceſſitate ſuis penſionariis viſcera charitatis pio fraternitatis aperientes affectu, eoſdem in locis ſuis recipiant benignè, niſi in domo dicta Scholarium propter favorem ſtudii tunc temporis voluerint eiſdem gratioſa liberalitate exhibere affectum charitatis conſimilis vel majoris.

Statutum circa famulos & cameras.

„ Inſuper ſtatuimus, quòd nullus recipiatur ibidem, niſi ponat integram penſionem, nec aliquis particulariter teneat vel habeat Clericum aut Servientem, ad expenſas Communitatis, niſi ſummam 12. librarum Pariſienſium ſolvat annuatim. De Cameris autem Domûs ordinantes ſtatuimus, quòd Conventus ante omnia habeat neceſſarias Cameras ad comedendum, & alia loca opportuna ad reponendum & cuſtodiendum bona & victualia Conventus. De reliquarum verò Camerarum, & aliorum locorum diſpoſitione & ordinatione Prioris, Supprioris, & trium Diſcretorum ſtudii conſcientias oneramus.

Aliud circa Defunctos.

„Si quis verò de noſtris Fratribus & Scholaribus in dicta Domo noſtra deceſſerit, obſecrantes in Domino omnes & ſingulos ibidem ſtudentes exhortamur, quatenus decedenti, & defuncto fratri in Suffragiis ſpiritualibus, Pſalmodiis, Orationibus & Miſſis in noſtro Ordine conſuetis fieri pro compaſſionis affectu benignáque fraternitate aſſiſtant, ut ſic in tempore urgentioris neceſſitatis frater, quem manus Dei viventis tangit, à ſuis Fratribus miſericorditer adjuvetur. Res autem & bona omnia ejuſdem ſtatuimus, quod ad manus Prioris & Supprioris dictæ Domûs noſtræ, vel Priore abſente, ad manus Supprioris & duorum Diſcretorum Domûs & Seniorum deveniant, ab eiſdem fideliter obſervanda, & per eoſdem diſponenda vice & authoritate noſtra per hunc modum. Imprimis facta plena & integra reſtitutione librorum locis & perſonis receptorum precario, vel ex accomodato ab ipſo defuncto, dum viveret, volumus, quod de pecunia, ſi fuerit, vel libris & aliis rebus inventis, ſi quæ debebat, ſolvantur. Funeralia & opportuna pro eccleſiaſtica ſepultura juxta conditionem & ſtatum Defuncti per dictas perſonas emantur. Quibus peractis ſi fuerint aliqui libri remanentes, exceptis Decretalibus & Decretis noſtræ & ſucceſſorum noſtrorum diſpoſitioni reſervandis, eos volumus ad commnem uſum Conventûs Scholarium dictæ Domûs noſtræ perpetuò remanere. Veſtes autem & alia hujuſmodi bona reliqua inter Fratres ſtudentes egentes ſemotis favoribus & affectibus inordinatis per ſuperiùs nominatas perſonas, quarum ſuper hoc conſcientias oneramus, juſtè & fideliter dividantur, vel pauperibus erogentur pro remedio animæ decedentis.

„ Item juxtà antiquum Statutum præcipimus, quòd nullus Scholaris de Ordine noſtro extra dictam Domum noſtram, quæ Domus *Scholarium Cluniacenſium* communiter Pariſiis appellatur, ſtudere & morari præſumat ſine noſtra & ſucceſſorum noſtrorum licentiâ ſpeciali, Statutum antiquum in noſtro Ordine innovantes inhibemus, ne aliqui Priores Ordinis noſtri aliquibus Monachis, Manſionariis eorum, ſeu morantibus apud ipſos, qui tamen noſtri & Eccleſiæ noſtræ Cluniacenſi obedientes exiſtant & profeſſi, licentiam ſtudendi alicubi in aliqua Facultate dare & concedere præſumant ſine noſtra & ſucceſſorum noſtrorum licentiâ ſpeciali.

Nulli ex Congreg. Cluniac. ſtudere liceat, niſi in Collegio Cluniacenſi.

Ubi liceat ſtudere Juri Canonico?

„Item juxtà antiquum Statutum in noſtro Ordine præcipimus, quòd nullus de Ordine ſtudeat amodò in Jure Canonico, niſi in altero de locis infra ſcriptis, videlicet *Aurelianis*, *Toloſæ*, *in Monte Peſſulano*, & *Avenione*, & tunc nonniſi de noſtra & ſucceſſorum noſtrorum licentiâ ſpeciali, ut eſt dictum, ordinantes, quod Studentes in dicta Facultate, ſi ſit poſſibile, inſimul commorentur, non diviſim, vel ſaltem in hoſpitiis contiguis, ac vicinis.„

Collegiũ Cluniacenſe diu floruit.

Cæterùm floruit hoc Colleginm multo tempore viris eximiè doctis, qui ut literarum diſciplinas vel aliis traderent, vel ad easdem addiſcendas incumberent, eò undique è monaſteriis ampliſſimæ Congregationis Cluniacenſis miſſi fuerunt. Quòd ſi Annales Cluniacenſes mihi ad manum eſſent, eos evolvere non gravarer, quò ſyllabum virorum doctrina & eruditione præſtantium attexere poſſem. Nunc numerum penſare debet *Hugo Menardus*, Vir ſacræ Critices, ac Antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiſſimus, qui ex Virdunenſi S. Vitoni Cœnobio Pariſios miſſus in Collegio Cluniacenſi Rhetoricam multis annis profeſſus eſt. Cùm verò non ita pridem ex Reverendiſſimo Abbate Calmet in hodiernum hujusce Collegii ſtatum inquirerem, in hæc verba, datis ad me literis, ſuccinctè reſpondit: „Collegium Cluniacenſe Pariſiis juxta Sorbonæ ſcholas poſitum, ſæpiùs dum „Pariſiis verſaremur, inviſimus; olim „celebre, nunc obſcurum, & nullius ferè nominis; non ad ſtudia „Theologica exercenda, ſed ad procuratores rerum temporalium nu„triendos deſtinatum. In ſumma, „vix in Ordine Cluniacenſi reperiun„tur, qui literas ſeriò colant, quod „imputandum diſſidiis continuis in„ter Reformatos & non Reformatos, „inter Abbatem Commendatarium „& Monachos, in quos jurisdictio„nem exercet Abbas ille, quaſi eſ„ſet regularis.

Hodie in nullo flore eſt.

§. XI.

COLLEGIUM GREGORIANUM

Romæ pro univerſis Monachis ſub Regula S. Benedicti militantibus A. 1621. erectum.

Ejus inſtitutor

QUi primus Collegii Gregoriani in Urbe fundamenta jecit, CONSTANTINUS fuit *Cajetanus* Abbas S. Baronti ex Congregatione Caſinenſi. Catholicæ enim religionis zelo, non minùs ac exornandæ Matris ſuæ Religionis Benedictinæ ſtudio æſtuans, illud Romæ in Transtyberina regione (g) propè eccleſiam *S. Benedicti in Piſcinula* eſt adortus, eo quidem conſilio, ut Religioſi ſub Divi BENEDICTI inſtitutis militantes quarumcunque exterarum regionum Romam devotionis, ſeu negotiorum, vel ſtudiorum causâ adventantes illîc reciperentur, conviverent, & inſtituerentur, atque Majorum ritu adverſus Catholicæ Veritatis hoſtes calamo & voce pugnaturi indè in aciem ordinarentur, quarto propterea ad id voto conſtricti. Hoc itaque ſuo conſilio Eminentiſſimis S. R. E. Cardinalibus *Alexandro* Epiſcopo Albanenſi *Montalto* Congregationis Caſinenſis, necnon *Octavio* Epiſcopo Præneſtino *Bandino* Congregationis Bursfeldenſis in Germania reſpectivè *Protectoribus* communicato, quùm eos non approbatores tantùm, ſed pii hujuſce ſui propoſiti Laudatores & Promotores habuiſſet, in eam rem alacriori ſtudio incumbendum ratus, diverſas domos, ædificia & fundos, tam per viam emptionis, quàm perpetuæ conductionis emphyteoticæ de pecuniis ex parſimonia ſua atque induſtria licitè partis ad opus dicti Collegii perficiendum acquiſivit; ad quod etiam omnem ſuam ſupellectilem, omnésque libros, quos magna in quantitate habuit (*ut Monachi p. t. in eo degentes ſtudere, rudiorésque ab eruditioribus juxta cujusque captum tam publicè, quàm privatim doceri poſſent*) aliáque ſua omnia tranſtulit, donavit & reliquit, útque firmiùs conſtaret inſtitutum, ſupplex ipſum interpellavit Summum Pontificem GREGORIUM XV. quatenus præfatum Collegium inſtituere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de benignitate apoſtolica dignaretur. Pontifex igitur, cui nihil accidere poterat optatius, nihil jucundius, quàm dum intelligeret, ſuis etiam temporibus Religioſos emergere, qui de ea quam profeſſi ſunt Religione non propagandâ modò, ſed & exornandâ ſoliciti eſſent, ſanctum inprimis & laudabile dicti *Conſtantini* Abbatis propoſitum plurimùm in Domino commendavit, editáque an. 1621. die 18. Maji ampliſſimâ conſti-

Conſtantinus Cajetanus.

tutione

(g) Ubi olim extiterat *Aniciana Familiæ* palatium, ipſiúsque Ss. Patriarchæ *Benedicti* domicilium, uti pulchrè exponit *Cajetanus* in encyclicis, & ex eo *Stengelius* in vita S. Bened. cap. VI. pag. 13.

tutione, Collegium ab eo erigendum non ſolùm approbavit, ſed variis privilegiis, dignitatibus & gratiis exornandum cenſuit; quam quidem Pontificis Bullam, cùm nihil hac de re certius aut luculentius in medinm afferre poſſimus, hîc ſiſtimus integram.

Bulla Gregorii XV. Papæ pro illius erectione A. 1621. extat in Bullario M. Tom. 3. Conſt. 6. & in Caſinenſi Conſt. 287.

GREGORIUS *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.* Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Dei Patris unigeniti, qui, ut nos religione claris vitæ probatæ exemplis comprobata, cœleſtis Patriæ cultores efficeret, de ſummis cœlorum ad hujus mundi infima deſcendere, & in ara venerandiſſimæ crucis in pretium immolari non abnuit, vices, licèt immeriti, gerentes in terris, inter multiplices curas, quæ nobis ex Apoſtolatûs officio incumbere dignoſcuntur, illam, per quam Religio ipſa, præſertim *ſancti Benedicti*, quæ longâ, & continuatâ ſæculorum ſerie efforuit, multiplicatis illius cultoribus, quorum aſſiduis precibus, & fructuoſis operibus Deus ipſe propitiatur, noſtris temporibus amplificetur, ejúſque Religioſi ad almam urbem noſtram, pro negotiis confluentes, ab inopia, & indecenti quæſtu revocentur, quantum cum Deo poſſumus, libenter amplectimur: & ut feliciter id ſubſequi valeat, ejusdem officii partes, ut piiſſimi paſtoris eſt, favorabiliter impartimur; prout etiam nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotarum perſonarum, ejusdem Religionis pia vota ad hoc tendere, & in Deo conſpicimus ſalubriter expedire.

Cauſæ erectionis hujus Collegii.

§. 1. Exhibita ſiquidem nuper nobis pro parte dilecti filii CONSTANTINI *Cajetani* (h), Abbatis Monaſterii S. Baronti Ordinis S. Benedicti, Piſtorien. Diœceſis, Congregationis Caſinenſis, familiaris & continui conmenſalis noſtri, petitio continebat: quòd licèt inter omnes diſciplinæ regularis Ordines, is maximè conſpicuus eſſe dignoſcatur, qui à S. Benedicto Abbate fundatus, ſaluberrimíſque inſtitutis excultus eſt: & quem olim tot Imperatores, tot Reges, tot Duces, tot Principes, regalibns ſceptris, Regnorúmque, & Provinciarum gubernaculis depoſitis, ingreſſos fuiſſe, vitámque monaſticam in eo duxiſſe: ac ex quo tot Religioſos in S. R. E. Cardinales, & Prælatos aſſumptos: tótque ad ſummi Apoſtolatûs apicem evectos fuiſſe conſtat, ut longa & continuata multorum ſæculorum ſerie Eccleſia ipſa, nullos alios, quàm Familiæ Benedictinæ alumnos, ſummos Pontifices habuerit; ex eóque, jam ab antiquiſſimis temporibus admirabili doctrina, & ſanctitate præditi, viri propè innnmerabiles prodierunt; nihilominus omnes Monachi ſub vexillo dicti Ordinis S. Benedicti militantes, non nni, & eidem Superiori ſubſunt, ſed in aliquibus Regionibus, particularium Monaſteriorum Abbatibns, & Prioribns, in aliis verò Caſinen. etiam, in aliis aliarum Congregationum Superioribus ſubſunt. & hinc fit, ut cum in alma urbe noſtra nullum præfati Ordinis, niſi præfatæ Congregationis Caſinen. cœnobium ſeu Regularis locus exiſtat; ejusdem Ordinis Monachi, qui ad illam devotionis ſeu peregrinationis, ac liminum Apoſtolorum viſitandorum, ſeu etiam negotiorum vel ſtudiorum cauſa, ex omnibns Chriſtiani orbis partibus, inceſſanter confluunt, ſi præfatæ Congregationis Caſinen. non modò ſæcularium perſonarum more, eíſque promiſcui, in publicis hoſpitiis, atque etiam privatorum ædibus vivant; quin etiam plerique conſumptis in longinquis itineribus, & peregrinationibus & negotiis, quas aſportârunt, pecuniis, ad inopiam redacti, ſen morbo correpti, oſtiatim, & ad ſingula privatarum ædium veſtibula, cum maxima monachalis habitûs, atque ſtatûs indecentia, ſacerdotalíſque dignitatis vilipendio, mendicare cogantur. Alil etiam quod pejus eſt, ex rubore, & verecundia proprii ſtatûs & mendicitatis religioſum habitum, non ſine gravi laicorum ſcandalo, deponant. Quorum infelicem ſtatum, dictus *Conſtantinus* Abbas ſic in alma urbe noſtra reſidens, fraterna, atque chriſtiana charitate miſeratus, tandem animi cogitationem ad operoſiorem, & diuturniorem, imò verò perpetuam, extraneorum illorum Monachorum, Confratrum ſuorum ſubventionem, attollens, his incommodis opportuna ratione, remedium afferri poſſe cogitavit, ſi in dicta urbe aliquod hoſpitium, ſeu collegium, in quo omnes Monachi dicti Ordinis, quarumcunque exterarum Regionum, Romam devotionis, ſeu negotiorum, vel ſtudiorum causâ adventantes, recipiantur, convivant & inſtituantur.

(h) De quo plura Part. III. hujus Hiſt. pag. 379.

§. 2.

Facultas ampla data ad effectum conſtituendi quorumcunque Benedictinorum Collegium in Urbe.

§. 2. Hócque conſilio ſuo venerabilibus fratribus noſtris, *Alexandro* Epiſcopo Albanen. *Montalto*, præfatæ Congregationis Caſin., nec non *Octavio* Epiſcopo Præneſtin. *Bandino*, nuncupatis, S.R.E. Cardinalibus, Congregationis Burſfeldenſis in Germania ejuſdem Ordinis, reſpectivè, Protectoribus, comunicato; cum eos non approbatores modò, ſed pii hujuſce ſui propoſiti laudatores habuiſſet, in eam rem, alacriori ſtudio ſibi incumbendum ratus; ab eodem Alexandro Epiſcopo Cardinale, literas patentes obtinuit; quibus idem Alexander Epiſcopus Cardinalis, ei, reſervato tamen Sedis Apoſtolicæ beneplacito; ut in quocunque dictæ urbis loco, & ſitu comodo, & decenti, ſibi benè viſo, Hoſpitium, ſeu Collegium ad effectum recipiendi quoſcunque Monachos, ex omnibus Mundi partibus ad eandem urbem, devotionis, & negotiorum cauſâ, accedentes, conſtruere poſſet, facultatem conceſſit: ac omnia, & quæcunque inſtrumenta ſuper acquiſitione ſitus ad id neceſſarii celebrata, & celebranda approbavit: ac Collegio ſeu Hoſpitio ſic conſtruendo, omnia bona, res, proprietates & eleemoſynas ei relicta, & relinquenda applicavit, & appropriavit: ipſúmque *Conſtantinum* Abbatem collegii, ſeu hoſpitii hujuſmodi ſic erigendi, illiúſque fabricæ miniſtrum, & curatorem, cum facultate illius redditus tunc præſentes, ſi qui eſſent, & futuros, exigendi, citra tamen illius bonorum alienationem: illiúſque lites, & cauſas defendendi, & ad illas unum, vel plures procuratores ſubſtituendi, conſtituit, & deputavit.

Conſtantinus Abbas diverſas domos, ſitus, & ædificia emit, ſuam ſupellectilem, libros, aliáque dicto Collegio donat.

§. 3. Atqui dictus *Conſtantinus* Abbas, hac licentia fultus, ſanctum hoc opus, pia meditatione conceptum, re ipſa aggredi ſtatuit; datáque ſibl certa ſpe, & fiducia, quòd, ſi opus inſtitutionis dicti Hoſpitii, ſeu Collegii inchoaretur, quamplurimi Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Portugalliæ, atque Poloniæ, nec non Lotharingiæ, Flandriæ, aliarúmque Regionum, & Provinciarum Abbates, ad quorum notitiam dicti Conſtantini Abbatis intentio nonnullorum Monachorum in urbe degentium relatione, devenerat, fabricæ opus promovere, & pro ſtabilienda illius dote, adjutrices manus porrigere intendebant, diverſas domos & ædificia, nec non ſitus acquiſivit à dilectis in Chriſto filiabus *Victoria*, *Laurâ*, & *Lucretia* quondam *Laurentii de Caſtellanis*, ac dilecto filio *Tiberio* quondam *Pauli Arberini*, tam per viam emptionis, quàm perpetuæ conductionis emphyteoticæ de pecuniis ex parſimonia, atque induſtria ſua licitè acquiſitis, ad opus dicti Hoſpitii, ad quod, ſi inſtituatur, omnem ſuam ſupellectilem, omnéſque libros, quos magna in quantitate, magníque valoris habet, ut Monachi pro tempore in eo degentes, ſtudere, rudioréſque ab eruditioribus, juxta cujuſcunque captum, ſeu capacitatem, tam publicè, quàm privatim, docen poſſint; aliáque omnia ſua transportare, illáque ei donare, & relinquere intendit, & ex nunc, prout, poſtquam dictum collegium ſeu hoſpitium inſtitutum fuerit, donat, & relinquit.

Quidam fratres ceſſ[illegible] juribus ſuis in quadam domo.

§. 4. Et dilecti filii *Joannes Baptiſta*, & *Paulus* fratres, quondam *Ma. filii de Mancinis*, ſolâ pii hujuſce operis, licèt nondum inchoati, famâ, ad charitatem excitati jura ſibi competentia ſupra unà eorum domo contiguâ, in eundem Conſtantinum Abbatem, nomine dicti Ordinis, ceſſionis titulo, gratis, & tam laudabilis operis intuitu, transtulerunt, proùt in diverſis publicis inſtrumentis, ſeu aliis ſcripturis dicitur contineri.

Pontifex approbat contractus, & defectus ſupplet.

§. 5. Quare pro parte dicti *Conſtantini* Abbatis, aſſerentis, ſe dictum Ordinem in Monaſterio S. Nicolai de Arena, Catanien. expreſsè profeſſum, & ex civitate Syracuſanâ oriundum exiſtere, ac primò dicto Monaſterio præeſſe. Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenùs dictum Hoſpitium, ſeu Collegium hujuſmodi inſtruere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, quibus nihil unquam accidere poteſt optatius, nil jucundius, quàm dum intelligimus hiſce noſtris temporibus, Religioſos aliquot emergere, qui de eâ, quam profeſſi ſunt, Religione, non propugnanda modò, ſed & exornanda ſolliciti ſunt: ſanctum inprimis, & laudabile dicti Conſtantini Abbatis propoſitum plurimum in Domino gratiarum omnium auctore commendantes; ipſúmque Conſtantinum Abbatem à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſia-

cleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes: eúmque paterna benevolentia complectentes, ac ſperantes, quodſi dictum Hoſpitium, ſeu Collegium inſtituatur, illius inſtitutio, non ſolùm in Divini cultus augmentum, præfatíque Ordinis ornamentum, ac illius Monachorum ſubventionem, ſed etiam in dictæ urbis noſtræ ornatum, ac Chriſti fidelium ſpiritualem conſolationem ceſſum ſit. Nec non ſituum, ædificiorum, & locorum emptorum, conductorum, donatorum, & ceſſorum reſpectivè, ſtationes, confines, vocabula, & denominationes, præſentibus pro expreſſis habentes: nec non contractus emptionum, & conductionum, atque donationes, ſeu ceſſiooes, ut præfertur, factas: ac etiam emptiones, & acquiſitiones aliorum ſituum, & bonorum ad uſum fabricæ dicti Hoſpitii ſeu Collegii pro tempore faciendas, ex nunc, prout poſtquam factæ fuerint, ea approbantes, & confirmantes: omnesque tam juris, quàm facti, ac ſolemnitatum, quantumvis ſubſtantialium, & circa præmiſſa requiſitarum, ſeu requirendarum defectus, ſi qui jam intervenerint, aut pro tempore interveniſſe apparuerint, harum ſerie ſupplentes; hujusmodi ſupplicationibus inclinati.

Facultatem dicto Conſtantino conceditur poſſit conſtruere Collegium. §. 6. Eidémq; Conſtantino Abbati, ut in dicta urbe, ac ſitibus, ædificiis, & domibus à dilecto filio noſtro in dicta urbe, ejúsque diſtrictu Vicario in ſpiritualibus generali, & dicto Alexandro Epiſcopo Cardinale, priùs approbandis & viſitandis, unum Hoſpitium, ſeu Collegium pro receptione Monachorum extraneorum totius Ord. S. Benedicti, & ſub ejus Regula miliantium, ad urbem, devotionis, ſeu negotiorum vel ſtudiorum cauſâ, pro tempore accedentium, unà cum refectorio, dormitorio, cellis, & partibus neceſſariis, conſtruere, ſeu conſtrui facere, liberè, & licitè poſſit, & valeat, licentiam, & facultatem, Apoſtolica auctoritate, concedimus, & impartimur.

§. 7. Illúdq; ex nunc, prout ex tunc, & econtrà, poſtquam conſtructum, & ad convenientem formam, ita, ut in eo Monachi recipi, & habitare poſſint, redactum fuerit in Hoſpitium, ſeu Collegium Monachorum extraneorum dicti Ordinis, *Gregorianum* nuncupandum: in quo adſit unus Superior, qui Abbas *Præſidens*, unúsque vicepræſidens, qui *Præpoſitus*, vocentur, & in quo Monachi dicti Ordinis ad eandem urbem, devotionis ſeu ſtudiorum, vel negotiorum causâ accedentes, recipi, ibíque (durante eorum in dicta urbe manſione) habitare, pernoctare, & quoad illius redditus ſferre poterunt, charitativè tractari, eorum neceſſitates ſublevari, & in caſu infirmitatis curari poſſint, & debeant. & quamdiù inibi fuerint, Theologiæ, & Juris Canonici, aliíſque liberalium artium ſtudiis, ſub aliquibus ejusdem Hoſpitii ſeu Collegii Profeſſoribus, tam publicè, quàm privatim, vacare poſſint, & ſub cura, gubernio, & obedientia dicti Abbatis Præſidentis, qui in eos, aliásque dicti Hoſpitii ſeu Collegii perſonas, & ſervientes ſuperioritatem exerceat, illiúsque bona gubernet, ac de redditibus in illius uſum diſponat, vivant, illíque utì Superiori, obedientiam præſtent, & aliàs ad inſtar quorumcunque aliorum Hoſpitiorum, ſeu Collegiorum, quorumvis Ordinum, tam in dicta urbe, quàm in quacunque alia Mundi parte, & regione inſtitutorum, perpetuò ſine alicujus præjudicio, exigimus, & inſtituimus.

Gregorianum nuncupandum in quo Abbas præſidens, &c.

§. 8. Illíque ſic erecto, & inſtituto, pro onerum illi incumbentium ſupportatione, omnia & ſingola, res, proprietates, & bona, in quibusvis rebus conſiſtentia, illi tam per dictum Conſtantinum Abbatem jam relicta, ad valorem annuum centum ſcutorum monetæ circiter aſcendentia, quam deinceps per quosunque alios dicti Ordinis Abbates, & Conventus, ac alios Chriſti fideles quocunque intuitu, etiam per viam teſtamenti, codicillorum, donationis, etiam inter vivos, & causâ mortis, ſeu cujuscunque alterius diſpoſitionis, ac etiam in eleemoſynam, vel aliàs quandocunque, & qualitercunque relinquenda, elargienda, donanda, & eroganda; ex nunc, prout ex tunc, & econtrà, poſtquam relicta, elargita, donata, & erogata fuerint; ita, quòd liceat pro tempore exiſtenti dicti Hoſpitii, ſeu Collegii Abbati Præſidenti, & ab eo deputatis, illorum omnium poſſeſſionem corporalem, per

Quædam bona eidem Collegio applicat.

per ſe, vel alium ſeu alios, nomine dicti Hoſpitii ſeu Collegii, propria auctoritate, liberè apprehendere, & perpetuò retinere: fructúſque, jura, obventiones, & emolumenta exinde provenientia, nec non oblationes, & eleemoſynas eidem Collegio, ſeu Hoſpitio elargiendas, percipere, colligere, levare, arrendare, & locare: ac in dicti Hoſpitii ſeu Collegii, & Monachorum in eo, pro tempore, degentium uſus, & utilitatem ac neceſſitates convertere (*Vicarii urbis, hujuſmodi, aut cujusvis alterius licentia deſuper minimè requiſita*) dicta auctoritate, etiam perpetuò applicamus, & appropriamus.

Collegium, ac ejus Abbatem &c. à jurisdictione Vicarii urbis &c.

§. 9. Nec non Hoſpitium, ſeu Collegium, ac ejus Abbatem Præſidentem, Præpoſitum, & Monachos, aliáſq; perſonas, & bona tam mobilia, quàm immobilia, cujuscunque qualitatis & quantitatis exiſtentia, ac ubilibet conſiſtentia, ab omni jurisdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate præfati noſtri, & pro tempore exiſtentis in eadem urbe Vicarii, ad inſtar aliorum locorum Regularium, in dicta urbe exiſtentium, ac Ordinis, ſeu Congregationis Caſinenſis hujusmodi Superiorum: ita tamen, quòd ſingulis annis ab uno, ſeu duobus ex Procuratoribus generalibus Congregationum dicti Ordinis in urbe præſata degentibus (qui, ſi quid correctione, aut reformatione dignum invenerint, ejusdem Hoſpitii, ſeu Collegii Protectori pro tempore exiſtenti, quamprimùm referant) per turnū viſitari debeat.

& à contributione &c. eximit,

§. 10. Nec non à præſtatione, contributione, & ſolutione decimarum & quorumcunq; aliorum onerum ordinariorum & extraordinariorum, ex quacunque cauſa impoſitorum, & imponendorum, penitus, & omnino eximimus & liberamus; & ſub B. Petri Apoſtoli, ac noſtrâ, & Sedis Apoſtolicæ protectione, inviolabili conſervatione ſuſcipimus: ac correctioni, & omnimodæ jurisdictioni in ſpiritualibus & temporalibus dicti Alexandri Epiſcopi Cardinalis & Protectoris pro tempore exiſtentis; qui etiam illius Defenſor, Conſervator, & Judex ordinarius exiſtat, ſuper Hoſpitii ſeu Collegii hujusmodi bonis, rebus, juribus, actionibus & perſonis movendæ, cum omnibus earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & conexis, totóque negotio principali, privativè quoad omnes alios dictæ urbis judices ordinarios, eorúmque tribunalia, cognoſci, & decidi debeant, ſubmittimus, & ſubjicimus.

atque ſub Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcipit,

Statuit Abbatem præſidentem ex O. S. B. ad quinquenniū.

§. 11. Statuentes & ordinantes, quod dicti Hoſpitii ſeu Collegii Abbas Præſidens à Monachis in eo, pro tempore degentibus, ex eorum gremio, ſeu ex quocunque alio ejusdem Ordinis Monaſterio, in perpetuum, ſervatis de jure ſervandis, eligi, ejúſque officium ad quinquennium tantùm durare; ac perpetuis futuris temporibus, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, & indultis, quibus præſati Ordinis, & Congregationum, ac præſertim Caſinenſ. Abbates utuntur, fruuntur, & gaudent, ſimiliter, & æquè principaliter, & abſque ulla prorſus differentia, uti, frui, & gaudere debeant, hac prima vice duntaxat exceptâ, quâ eundem Conſtantinum uti fundatorem, & pii hujus operis auctorem, in gratiam fundationis hujusmodi & laborum, quos illius causâ ſuſcepit, ut peculiari quâdam prærogativa ſe à nobis cohoneſtatum eſſe lætetur, tenore præſentium in perpetuum Præſidentem, & Superiorem dicti Hoſpitii ſeu Collegii, ad ejus vitam, etiam cum facultatibus, privilegiis, atque honoribus, quibuscunque aliis, ſimilium locorum, & Hoſpitiorum, ſeu Collegiorum Superioribus, conceſſis, & competentibus, eadem auctoritate conſtituimus, & deputamus.

Dat facultatem Protectori, ut poſſit cogere vicinos ad venditionem domorum.

§. 12. Ipſiq; ac pro tempore exiſtenti dicti Hoſpitii ſeu Collegii Protectori, ut attento, quòd illins conſtitutio non ſolùm in Divini cultûs augmentum, ſed etiam in ornatum urbis cedit, ſi pro perfectione & ampliatione illius fabricæ, aliis ſitibus, & ædificiis, ſeu fundis contiguis opus fuerit, ipſorum ſituum, fundorum & ædificiorum dominos, ad illorum venditionem, ſibi, ad effectum illa dictæ fabricæ incorporandi, faciendam, mediante ſolutione pretii, à peritis æſtimandi, & non ultrà cogere pôſſint, facultatem impertimur.

Collegiū &c. à fideicommiſſis, hypothecis &c. eximit,

§. 13. Et ne contingat, tempore procedente, Hoſpitium ſeu Collegium præfatum, vel ipſum Conſtantinum Abbatem, & pro tempore exiſtentes illius Abbates Præſidentes, & Monachos, occaſione ſituum, & bonorum pro dicta fabrica acquiſitorum, & acquirendorum aliqua damna ſeu moleſtias pati; omnia, & ſingula, ſitus,

Digitized by Google

ſitus, domos, fundos, ædificia, & loca in dictam cauſam empta, & emenda, ab omnibus, & quibuscunque fideicommiſſis, ſubſtitutionibus, devolutionibus, hypothecis, & vinculis, tam notis, quàm non notis, purificatis, & purificandis, ſi quibus quomodolibet ſubjecta ſint, aut eſſe, dici, cenſeri, vel apparere poſſint, penitus, & omninò eximimus, & liberamus. ipsíſque fidei commiſſis, ad effectum præmiſſum, cum hoc, quod pretia bonorum emendorum in emptionem tot bonorum ſtabilium, ſeu locorum Montium non vacabilium de urbe convertantur, & loco bonorum fidei commiſſariorum ad favorem inſtitutorum, ſubſtitutorum, & aliàs quomodolibet vocatorum, ſuccedant; & fidei commiſſum, ſeu hypothecam, aut alia jura ſuper dictis bonis, pro dicta fabrica emptis, & emendis, habentes, aut prætendentes, non ad alia, ſed ad bona, aut loca Montium ex illorum pretiis emenda agere, & actiones ſuas dirigere poſſint, ſpecialiter, & expreſsè derogamus.

Cardinalem Montaltum Collegii deputat Protectorem.

§. 14. Cæterùm eundem *Alexandrum* Epiſcopum Cardinalem, ac pro tempore exiſtentem Protectorem dicti Ordinis, in eorum, & dicti Collegii ſeu Hoſpitii Protectorem, qui omnes illorum cauſas antedictas audiat, & decidat, cum facultate, quos, quibus, ubi, quando, & quoties opus fuerit, citandi, & inhibendi, ſub cenſuris eccleſiaſticis, ac pecuniariis pœnis, aliáque neceſſaria, & opportuna faciendi. Nec non quæcunque ſtatuta, & ordinationes, capitula, & decreta ipſius Hoſpitii ſeu Collegii, illiúſque bonorum, & perſonarum directionem, adminiſtrationem, gubernium, & receptionem Monachorum extraneorum, eorúmque vivendi normam concernentia, ac aliàs utilia, & neceſſaria, licita tamen, & honeſta, ac ſacris Canonibus, Decretíſque Concilii Tridentini, & inſtitutis ipſius Ordinis minimè contraria, ſaciendi, & condendi: ac quoties pro rerum, temporum, & perſonarum qualitate, ſen aliàs, expediens videbitur, immutandi, corrigendi, alterandi, moderandi, reformandi, & alia etiam ex integro condendi; quæ poſtquam correcta, & condita fuerint, eo ipſo Apoſtolica auctoritate approbata, & confirmata eſſe cenſeantur, pari auctoritate deputamus.

P. Ziegelbauer Hiſt, P. I,

Indulget Collegio ut gaudeat privilegiis universi Ordinis.

§. 15. Denique eidem Collegio ſeu Hoſpitio, ejúſque Abbati Præſidenti, & perſonis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, imunitatibus, exemptionibus, prærogativis, præeminentiis, antelationibus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, peccatorum remiſſionibus, cæteríſque gratiis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibusvis aliis, Ordinis præſati, & Congregationum præſertim Caſinen. hujusmodi Hoſpitiis, Collegiis & Monaſteriis, tam in prædicta urbe, quàm in quibuscunque aliis mundi partibus, civitatibus, & locis exiſtentibus: eorúmque perſonis, in genere, vel ſpecie, etiam per viam ſimplicis communicationis, & aliàs quomodolibet, nunc & pro tempore conceſſis, & quibus illa, & illæ de jure, uſu, ſtatuto, conſuetudine, privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſint; non ſolùm ad eorum inſtar, ſed pariter, & pariformiter, ac æquè principaliter, & absque ulla prorſus differentia in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi illa dicto Hoſpitio ſeu Collegio, illiúſque perſonis, ſpecialiter, ac expreſsè, & in individuo conceſſa eſſent, æquè perpetuò indulgemus. illíſque, ut quæcunque alia dicti Ordinis Hoſpitia, ſeu Collegia, Monaſteria, & Regularia loca, Hoſpitio, ſeu Collegio per præſentes erecto, de licentia illius Protectoris, pro tempore exiſtentis, agregare, illiúſque omnia & ſingula, gratias, indulta, & privilegia, eis per præſentes conceſſa, & deinceps tam principaliter, quàm extenſivè, & communicative concedenda, communicare poſſint, dicta auctoritate concedimus.

Inhibet ne libri amoveantur à Collegii Bibliotheca.

§. 16. Poſtremo autem, tam præfato Conſtantino Abbati, quàm pro tempore exiſtenti Hoſpitii, ſeu Collegii Abbati Præſidenti, cæteríſque perſonis tam regularibus, quàm ſæcularibus ſub excommunicationis majoris pœna, ne ullo unquam tempore, libros aliquos, qui tam ab ipſo Conſtantino Abbate, quàm à quibusvis aliis eidem Hoſpitio ſeu Collegio pro illius Monachorum uſu donati, & aſſignati, ſeu empti, & in particulari inventario, quod deſuper fieri debeat, deſcripti, & adnotati fuerint, ex illius Bibliotheca, anicianâ nuncupanda, mutare, vendere, aut quoquo modo diſtrahere audeant, ſeu præſumant, diſtrictiùs inhibemus.

Decreti præſervativum.

§. 17. Decernentes præſentes literas ſub quibusvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per Nos, vel alios Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, ſub quibuscunque verborum expreſſionibus, & formis, etiam motu proprio, ſeu ad quorumvis Imperatorum, Regum, aut aliorum Principum inſtantiam, pro tempore, factis, minimè comprehendi, ſed tanquam per loci pii, ad divini cultûs, & piorum operum augmentum erectione conceſſas, ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & vim, in quo anteà quomodolibet erant, ſtatum, reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, & de novo, etiam ſub Dat. per Cardinalem pro tempre Protectorem, nec non Collegii, ſeu Hoſpitii hujusmodi Abbatem Præſidentem, & Monachos quandocunque eligenda, de novo conceſſas eſſe, & fore, ſuúmque plenarium effectum ſortiri debere; ſícque ab omnibus cenſeri, atque ita, & non aliàs per quoscunque judices, etiam Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, judicari, & definiri debere.

Derogatio Contrariorum.

Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtris de indulgentiis, & gratiis adinſtar non concedendis, & ſi opus ſit, de unionibus committendis ad partes, vocatis, quorum intereſt, exprimendóque vero valore, ac Lateranen. Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis, fieri prohibentis; ac fel. recor. *Gregorii Papæ XIII.* de ſolvendo augmento ex cauſa retractûs, vel juris congrui; alíisque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Urbis, & Ordinis præfatorum, illiúsque Monaſteriorum, & locorum Regularium, ac Urbis præfatæ, & quorumvis illius tribunalium, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, reformationibus, uſibus, & naturis, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, Dilectis filiis Ordinis, illiúsque Monaſteriorum Regulariúmque locorum hujusmodi ſuperioribus, ac etiam Urbi, & Senatori, populóque Romano, nec non Vicario, Gubernatori, Senatori, Conſervatoribus, Auditori Cameræ ejusdem noſtræ urbis, eorúmque loca tenentibus, vicegerenti, Vicariis, Officialibus, & quibusvis aliis judicibus, ſub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, alíisque efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis; nec non irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, per quoscunque Romanos Pontifices, etiam prædeceſſores noſtros, ac Nos, & ſedem præfatam, Motu ſimili, ac etiam conſiſtorialiter, etiam iteratis vicibus in contrarium quomodolibet conceſſis approbatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorúmque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hæc ſervanda foret, illíſque aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, harum ſerie, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteríſque contrariis quibuscunque.

Fides tranſumptorum.

Volumus autem, quòd præſentium literarum tranſumptio, etiam impreſſis; manu alicujus notarii ſubſcriptis, & ſigillo Protectoris, pro tempore exiſtentis ejusdem Hoſpitii ſeu Collegii, munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, ac ubique locorum, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi oſtenſæ, vel exhibitæ forent.

Decreti irritans.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, confirmationis, approbationis, defectuum ſuppletionis, conceſſionum impartitionis, erectionis, inſtitutionis, applicationis, appropriationis, exemptionis, liberationis, ſuſceptionis, conſtitutionis, deputationis, derogationum, indulti, inhibitionis, decreti & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, quinto decimo kal. Junii; Pontificatûs noſtri anno primo.

Conſtantini Encyclicæ ad Abbates Germaniæ.

Præter hanc Sumi Pontificis Bullam *Conſtantinus Cajetanus* illius Collegii primus à Pontifice PRÆSES conſtitutus encyclicas Romæ typis R.mæ Cameræ Apoſtolicæ A. 1622. in 4. editas ad omnes totius propè Germaniæ Abbates direxit, quibus multis eos argumentis cohortabatur, ut ad hoc egregium opus perficiendum ſubſidiis pro virili portione concurrerent. Et

Auſtria-

Auſtriaci quidem in ſuis conſtitutionibus *Linzii* anno 1626. evulgatis inter alia decreverunt, *ut quidam bonæ ſpei & probatæ vitæ Religioſi ad dictum Collegium deſtinarentur, cum fructu tum in ſtudiis, tum in aliis Congregationis negotiis continuò ſuſtentandi...* Bavariæ quoque & Sueviæ Antiſtites ſalubre inſtitutum non minùs gnaviter promovere ſtuduerunt; Sed Bursfeldenſis Congregationis Abbates magis de uſu Pontificalium adipiſcendo, quàm de ſtudiis provehendis ſolliciti, maluerunt pro iſtis, quàm pro erigendo Collegio pecunias profundere. At enim, ut ſcitè hac occaſione advertit Clariſſ. D.nus VAN ESPEN in Suppl. Jur. Eccl. cap. 5. n. 3. *Fuit tempus cùm Abbates Congreg. Bursfeld. Uſum Pontificalium reprobarent, quòd licet interdiu ſimplici animo rationabiliter ferri poſſint, tamen à lippientibus & ad judicandum pronis, curioſæ magis vanitati, quàm religioſæ ſimplicitati deputari ſoleant, & Abbatibus ſuperbiendi anſam præbeant.* Hæc ille, quîcum faciunt S. *Bernardùs* ep. 42. *Petrus* Bleſenſis ep. 90. &c.

Collegii fata.

Uti verò Bursfeldenſes cunctando, ſic etiam aliarum provinciarum Abbates ſuâ lentitudine negotium iſtud non parùm ſufflaminârunt. Cùm enim congruis ad tantæ molis opus ſubſidiis deſtitueretur *Conſtantinus*, nec eſſent, qui nummos explicarent, hac occaſione (ut refert *Antonius Mongitore* in Bibliotheca Sicula verbo *Conſtantinus*) Pontifex GREGORIUS XV. Collegium de propaganda fide, anno 1622. editâ Conſtitutione *Inſcrutabili* (h) Romæ ad radices Montis Pincii erigendnm decrevit, eíque præfatum Collegium Benedictinum proviſoriè addixit, atque *Conſtantinum* inſtitutæ à ſe Congregationis illius Conſultorem creavit, cui propterea idem *Conſtantinus* libros ſuos, aliáque omnia, quæ habebat, *ad interim* legavit. Eo autem an. 1650. fatis functo, cum nullus ex Ordine pari zelo tanti momenti negotium urgeret, manſiones & alia erigendo ejusmodi Collegio Benedictino deſtinata ad alias manus tacitè translata ſunt. Rem tamen Ordinis ſub *Alexandro VII.* gnaviter egit R. P. *Hieronymus Giungi* San-Emmeramenſis Ratisbonæ Cœnobita, & Congreg. Bavaricæ negotiorum in Urbe Procurator, qui in ſuis ad R.mum CÆLESTINUM Abbatem literis Romæ 7. Febr. an. 1666. datis ita reſcribit: *Interim dum teritur tempus indefeſſâ ſollicitudine, poſſeſſionem Collegii Gregoriani recepimus, ſed omni prorsùs ſuppellectile vacui. Venit etiam ad me unus Procurator Bursfeldenſis, interrogans:* Sítne locus manutenendus necne? *cui ego:* ſi Româ, *inquiebam*, carere poſſumus, ſuaderem deſerere, ſi non poſſumus, *utì reverà non poſſumus*, ſuaderem manuteneri, & ſucceſſivè per Germanos, in quorum manibus nunc eſt, ædificari in formam debitam & convenientem non tantùm Hoſpitio, ſed Monaſterio & Collegio ſtudiorum, prout primitùs intentum fuit; ídque poſſet fieri tot ac tantorum Monaſteriorum exiguis immò nullis ferè ſumptibus, dummodò per decem v. g. annos ad minimum nuſſus aureus ſeu ducatus, ut vocant, à minimis, ab opulentioribus verò duplum, triplum, quadruplum, aut ampliùs pro libitu penderetur, & fabricæ applicaretur... Privilegia ſunt optima, & certè deplorandum, ſi debeant vitio Ordinis & neglectu Prælatorum interire atque in nihilum redigi, quæ unusquisque alius cuperet ſummo comparare pretio. Locus ſat amplus eſt, nondum tamen juſtæ formæ propter unam domum & hortum, quæ occupant angulum & viculum interjacentem, quæ plus minus 2000. ſcudis poſſent coëmi, & interim ad utilem locationem aptari, usque dum fiat diſpoſitio ad fabricam, quæ brevi ex ipſis locationum canonibus ſeu cenſibus poterit inchoari, & paulatim produci ac continuari juxta modellum jam factum, vel ſi videbitur, meliùs faciendum. Invidemus aliis, quód ſcholas ubique gubernandas ſuſcipiant, & nos excludamur. En locus eſt, & facultas ac libertas, & negligimus. *Certè ſi illos nuſſos, quos inſidiatoribus noſtris, Paraſitis, & neſcio quibus, ex D. Benedicti Patrimonio quotannis & penè toto die profundimus, ipſi Ordini ac bono publico tantiſper applicaremus; ſi vel ſingulis ſeptimanis decem crucigeri, ad ærarium publicum, velut pro eleemoſyna ad Ordinis neceſſitates, ſeponerentur, ídque per 10. aut 20. annos per ſola Germaniæ Monaſteria continuaretur? Proh! quanta ex tantillo ſumma brevì conficeretur! Quantum inde bonum emergeret!* Plura non addo, ſed ſola *Trithemii* verba ex libello lugubri de rui-

Hieronymi Giungi ea de re epiſtola.

(h) Extat in Bullario M. num. XXVI. in qua tamen *Conſtantini* nulla ſit mentio, unde & ſuſpecta redditur iſta Mongitoris relatio.

na Ordinis repeto: *Pecuniam modicam non volumus exponere, & abundantiſſimas fundationes patimur ab Ordine in alios tranſire. Utilitati communi privata commoda præponimus, & honorem Ordinis conſervare non curamus. Multa dicimus, multa concludimus, ſed exponere denarios ſinguli formidamus. O zelus debilis, quem tenacitas inutilem facit!* Hinc neceſſe eſt omnia demùm

In præceps ruere, ac retrò ſublapſa referri.

Ex ſymbolis P. Oliverii.

§. XII.

COLLEGIUM ANSELMO-BENEDICTINUM ROMÆ.

Exordia ſua debet Andreæ Deodato A. 1687. IMmortales debet Illuſtriſſima Congregatio Caſſinenſis laudes Reverendiſſimo D. ANDREÆ DEODATO, Abbati Caſſinati, qui dum Procurator ejus Generalis eſſet in Curia Romana, Collegium *Anſelmo-Benedictinum* in ædibus S. Calliſti inſtituit, ex quo velut virtutis ac doctrinæ officinâ viri magno numero, incertum doctiores an meliores prodierunt. Egregium opus iſto *Innocentii XI.* Brevi explicatur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Bulla Innocentii XI. INſcrutabili divinæ ſapientiæ, atque bonitatis arcano Catholicæ Eccleſiæ regimini, meritis licèt imparibus, præſidentes, ſacrarum eíſque ancillantium bonarum literarum ſtudia, per quæ depulsâ ignorantiæ caligine, mentes luce veritatis illuſtrantur, in Ordinibus, & Congregationibus Regularibus, præſertim ſub ſuavi monaſticæ vitæ jugo Deo famulantibus, uberéſque bonorum operum fructus adjuvante Domino proferre jugiter ſatagentibus, libenter excitamus, & promovemus, ac Paſtoralis officii noſtri partes peculiari deſuper charitate interponimus, ſicut rerum, temporum, & perſonarum qualitatibus maturæ conſiderationis trutina perpenſis ad omnipotentis Dei gloriam, religionis, & catholicæ fidei incrementum, & præſidium, ac ipſorum Ordinum, & Congregationum decus, & utilitatem, animarúmque ſalutem in Domino expedire arbitramur. Pontifex boni conſulit erectionem Collegii. Conſiderantes itaque quantum decoris & utilitatis Congregationi Caſſinenſi Monachorum Ordinis S. Benedicti, cujus egregia conſtant in Eccleſiam Dei merita, ſit proventurum, ſi in Monaſterio S. Pauli prope & extra mœnia hujus almæ Urbis noſtræ, ejuſdem Congregationis Collegium ſtudioſorum, in quo Monachi ipſius Congregationis Philoſophiæ, & ſacræ Theologiæ, vel Canonum ſtudiis ſedulò navent operam, opportunis rationibus inſtituatur; jámque provida Superiorum Monaſterii, ſeu Congregationis hujusmodi induſtria, de iis, quæ ad ejusmodi Collegü, ejúſque Collegialium, & Lectorum ſuſtentationem, & manutentionem neceſſaria ſunt, ſufficienter proviſum reperiri: Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & maturâ deliberatione noſtris, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in præfato Monaſterio S. Pauli, & reſpectivè in ædibus S. Calliſti de eadem Urbe, ubi Monachi dicti Monaſterii æſtivo tempore degere ſolent, unum Collegium ſtudioſorum, in quo decem ſaltem Monachi profeſſi dictæ Congregationis Caſſinenſis Theologiæ Scholaſticæ, & ſacrorum Canonum ſtudiis ſub idoneis Lectoribus, ſeu Magiſtris operam navare, & in illis inſtitui, atque ſedulò inſtrui debeant, tenore præſentium, ſine cujusquam præjudicio in perpetuum erigimus, & inſtituimus, ſtatuentes, & Apoſtolicâ authoritate decernentes, & ordinantes, ut Lectores ſive Magiſtri in novo Collegio ſic erecto & inſtituto ſcientias edoctori, ex ordine ſaltem Decanorum dictæ Congregationis Caſſinenſis ſeligantur, iíque ad id muneris idonei cenſeantur, qui optimis moribus, vitæque integritate præcipuè fulgere noſcentur, quíque per integrum ſeptennium in aliis Monaſteriorum ejusdem Congregationis ſcholis, aut in Univerſitatibus ſtudiorum Generalium Philoſophiam, & Scholaſticam Theologiam publicè profeſſi fuerint. Quinam eſſe debeant Profeſſores. Ne autem illorum electionem ulla prorsùs terrena affectio contaminet, iidem Lectores, ſeu Magiſtri in Capitulo Generali præfatæ Congregationis Caſſinenſis, à cunctis Definitoribus per ſecreta ſuffragia eligantur, præſtito priùs juramento eos eligendi, quos doctiores, aptiores, & præſtantiores eſſe pro ſua quisque conſcientia in Domino judicaverit. Ipſi verò Lectores, ſeu Magiſtri hac forma electi, in Theologiæ Scholaſticæ curſu eas ſententias, & ſcripto & voce diſcipulos doceant, quæ S. Anſelmi, Cantuarien- Adhæreant doctrinæ S. Anſelmi.

ſis

ſis Archiepiſcopi, ex S. Benedicti Ordine aſſumti, doctrinæ ad amuſſim cohæreant, ſub depoſitionis & privationis muneris, aliíſque pœnis, ſi ſecùs egerint, Superiorum arbitrio infligendis.

Numerus Scholarium.

Porrò ſcholaſticorum, ſeu Studioſorum Collegii hujusmodi numerus omni tempore minor denario non ſit, quorum tres tantùm, & non plures, ex dicti Monaſterii S. Pauli profeſſis, & reliqui ſeptem ex ſeptem ejusdem Congregationis provinciis aſſumantur; Ita ſcilicet, ut provinciarum quælibet diſcipulum unum ad idem Collegium, tertio quoque anno mittendi facultatem habeat. Qua in re ea lex inviolatè ſervetur, ut Monaſterium cujusque provinciæ, majori Profeſſorum numero gaudens, primum ſcholaſticum primo triennio ad Collegium hujusmodi mittat; quo elapſo ſecundi Monaſterii Alumnus ſubrogetur, & ſic de aliis ſucceſſivè. Quòd ſi in Monaſterio S. Pauli, ſive in alio cujusvis provinciæ hujusmodi reſpectivè Monachi ad dictas ſcientias addiſcendas idonei non reperiantur, ex aliis ejusdem, vel vicinarum provinciarum numeroſioribus Monaſteriis ad Collegium ipſum loco illorũ evocentur.

Non quilibet admittendi.

Nemo autem ad dictum Collegium admittatur, quem morum probitas, & regularis diſciplinæ ſtudinm non commendet. Et qui toti Philoſophiæ ac tribus vel duobus ſaltem Scholaſticæ Theologiæ Tractatibus in aliis prædictæ Congregationis Gymnaſiis ſedulò non vacaverint, ab ipſo Collegio arceantur. Ac propterеà à Definitoribus ejusdem Congregationis in Capitulo Generali tres docti, præſtantes, & zelo præditi Examinatores in unaquaque Provincia inſtituantur, qui publico conſulturi bono, Scholaſticos diligenter interrogent, & propoſitis eis Theologicis, atque Philoſophicis argumentis, ſeriò, & non ad ſpeciem examinent, déque eorundem aptitudine, doctrina, & ingenio, præſtito juramento in ſcriptis fidem faciant.

Priùs ſubeant examen.

Poſtquàm verò ſic examinati ad urbem pervenerint, ab Abbate Monaſterii S. Pauli, ac Procuratore Generali Congregationis, & Lectore Theologo Collegii hujusmodi pro tempore exiſtentibus denuo interrogentur, & iterato ſubdantur examini, ac idonei reperti approbentur, excipiantur, & Collegii gremio adſcripti declarentur; Inhabiles verò inventi, præmiſſa ad Præſidem dictæ Congregationis de eorum inſufficientia in ſcriptis teſtatione jurata, cum ejusdem Præſidis conſenſu, ad Profeſſionis ſuæ Monaſteria, ſive ad alia remittantur; & in examinatores, qui muneri ſuo defuerint, tanquam in perjurii reos, graviter in proximis comitiis animadvertatur. Quapropter ad Abbatiam S. Pauli regendam, ac ad Procuratoriæ generalis officium ii promoveantur, qui impoſito ſibi muneri ſatisfaciant.

Viſitatio Collegii.

Viſitatores autem dictæ Congregationis in Actu Viſitationis dicti Monaſterii S. Pauli præſatum Collegium viſitent, ac de vita, & moribus Scholaſticorum diligenter inquirant, & unà ſimul cum prædictis Abbate Monaſterii S. Pauli, & Procuratore Generali, eosdem ſcholaſticè examinent, & quos pravis moribus inquinatos, aut ſcientiis operam non dediſſe cognoverint, præhabito Præſidis conſenſu, extra Collegium eliminent, & ab Urbe abigant, eorúmque dimiſſionem eidem Præſidi, ſine mora ſignificent, qui ad præſcriptum præſentium literarum alios ſcholaſticos ejectorum loco ſubſtituendos curabit, ut omni tempore præfixus denarius numerus integer in Collegio hujusmodi perſeveret.

Tempus cum docendi cum diſcendi præfixũ.

Porrò nulli Lectori ultra ſexennium, nullíque ſtudentium ultra triennium in dicto Collegio liceat permanere, ſed his temporum ſpatiis reſpectivè evolutis, novi Lectores, novíque Scholaſtici antiquioribus ſubrogentur, incipiendo à proximè futuro Capitulo Generali dictæ Congregationis, quod tertia Dominica, poſt Paſcha Reſurrectionis Dominicæ, currentis anni MDCLXXXVII. celebrabitur. Lectores autem & Scholaſtici legitimè electi ante præfixum tempus à Collegio prædicto non amoveantur, niſi intervenientibus veris, juſtis, atque gravioribus cauſis, quas Abbas Monaſterii S. Pauli, & Procurator Generalis prædicti pro tempore exiſtentes, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati cognoverint, & approbaverint, & de quibus præmiſſo in ſcriptis juramento Præſidem dictæ Congregationis certiorem faciant, qui cum viſitatorum provinciæ Romanæ, Abbatis Monaſterii S. Pauli, & Procuratoris Generalis præſatorum, vel majoris partis eorum conſenſu, amovendos amoveant, alióſque in amotorum locum, ſervato quoad ſcholaſticos Monaſteriorum ordine ſupradicto, ac præmiſſo ſemper duplici eorundem examine, ſicut præmittitur ſtatuto, in Collegium inducant. Quod ſi contingat, Lectores intermedio tem-

pore

pore juſtis, & gravioribus id exigentibus cauſis amoveri, & Collegio privari, Præſes cum ſupradictorum, vel majoris partis eorundem conſenſu, de aliis Lectoribus provideat, usque ad futuram Dietam, ſi proximè fuerit celebranda, in qua nova Lectorum hujusmodi electio, & confirmetur, vel reprobetur, donec in Capitulo Generali Congregationis præfatæ, tunc proximè futuro, à Definitoribus, præſtito priùs juramento, ut ſupra, per ſecreta ſuffragia ea omnia, quæ interea geſta fuerunt, confirmentur, vel præcidantur. Eodémque modo pariter, ac lege in casû mortis, vel diutinæ ægritudinis, ſive Lectorum, ſive Scholaſticorum incidentibus Collegii neceſſitatibus usque ad Dietam, ſive Capitulum Generale pro interim conſulatur. Scholaſtici autem prædicti omnes & ſinguli ad inſtar reliquorum Monachorum in præſato Monaſterio S. Pauli degentium regulari obſervantiæ incumbant, mentali orationi certis horis per conſtitutiones ſtatutis omnino vacare ſatagant, chorum non omittant, Miſſarum oneribus, qui Sacerdotio initiati fuerint, ſarisfaciant, cæteráſque monaſticas leges inviolatè cuſtodiant. Ut tamen omni diſtractione remota ſcientiis adipiſcendis inſiſtere valeant, eos aliis occupationibus, & præſertim œconomicis curis nemo audeat implicare. Ipſi quoque Scholaſtici, dum in præſato Monaſterio S. Pauli commorabuntur, præter quotidianas lectiones, & repetitiones, ſingulis hebdomadis, ſemel per ordinem theſes diſputandas proponant, atque adversùs argnentes eâ quâ Monachos Ordinis S. Benedicti decet modeſtiâ, & religioſitate deſendant, & objecta diſſolvant. Quibus literariis exercitationibus, Abbas Monaſterii S. Pauli omnino, totúsque ejusdem Monaſterii Conventus ſemper interſint; Quocirca ut hujuscemodi ſcholaſticæ concertationes ſtudentium profectum juvent, & non ad inanem pompam excitentur, dictus Abbas hyemali tempore in præfato Monaſterio habitet, ut ejus præſentia, auctoritate, & vigilantia regularis obſervantia non tepeſcat, & ſcholaſticorum ſtudia ad ſcientiarum amorem inflammentur. Dum verò S. Calliſti ædes prædictas incolent, conſuetas Lectiones, & Repetitiones neutiquam intermittant, & inſuper ſigillatim Theſes in utraque facultate typis impreſſas publicè tueantur, quæ omnia ut clariùs, faciliùs, & commodiùs exequi valeant, tum Lectores, tum Scholaſtici ab acceſſu ad Monaſterium S. Pauli, feſtivis diebus exceptis, eximantur; prædicti verò Abbas, & Procurator Generalis, eosdem Lectores peculiari beneficentia, & ſpecialibus charitatis officiis proſequantur, ipſique Lectores ſexennio in præſato Collegio laudabiliter expleto, à Religione debitis honoribus decorentur. Cæterùm Magiſtris & Scholaſticis prædictis omnibus & ſingulis victus & veſtitus, medicinalia, & alia ad vitam neceſſaria Monachorum Caſſinenſium more, & dicti Monaſterii S. Pauli conſuetudine ſervatis, ab eodem Monaſterio cum omni benignitate præbeantur. Ut autem Monaſterium ipſum, horum cauſa nulli ſubjaceat incommodo, nec magis gravetur, cùm de præſenti Lector & ſex ſcholaſtici ab eodem ex ſuis proventibus ſuſtententur; pro alio Lectore, aliíſqne ſcholaſticis addendis usque ad præſcriptum numerum denarium, Procurator Generalis dictæ Congregationis eidem Monaſterio, cum effectu, ſine mora ſingulis annis perſolvat ſcuta ſexcenta monetæ, quæ cùm dicta Congregatio interuſuria debiti ſexaginta millium ſcutorum ſimilium, quo in Monte Novennali nuncupato obſtringebatur, diminui, & ad minorem quantitatem reduci nuper obtinuerit, ex eâ ſummâ, quæ per diminutionem, ſive reductionem hujusmodi facta eſt compendii, præſtanda erunt: Cui ſolutioni ſi ullus Procurator Generalis pro tempore exiſtens ſatisſacere neglexerit, vel temerè renuerit, ipſo facto ſecluſa omni excuſatione, nullóque favente colore, officio, dignitate Abbatiali, ac voce activa & paſſiva in perpetuum privatus intelligatur, ſtatímque à Præſide dictæ Congregationis ab officio, gradu, & dignitate depoſitus, & privatus declaretur, poteſtate ad eosdem gradus & dignitates iterum illum aſſumendi vel rehabilitandi (Sede Apoſtolica inconſultâ) cunctis penitus interdicta. Quòd ſi Præſes negligentiæ vel conniventiæ in his exequendis reus extiterit, in easdem pœnas ſe ipſo facto noverit incurriſſe. Pecuniæ verò in acceſſu ad Collegium, & receſſu ab illo, ac in Concluſionibus quolibet anno imprimendis expendendæ, à Monaſteriis profeſſionis eorundem Lectorum & Scho-

la-

Scholaſtici ſtudeant obſervantiæ regulari.

Diſputationes hebdomadariæ habendæ.

Fundus pro ſuſtentatione Profeſſorum & diſcipulorum.

Ex aliis etiam Congregationibus juvenes ſtudioſi mitti poſſunt.

laſticorum teſpectivè ſubminiſtrentur. Liceat autem Abbatibus, & aliis præfatæ Congregationis Caſſinenſis Monaſteria teſpectivè tegentibus, nec non etiam aliis Abbatibus, vel Superioribus aliarum Congregationum, Monachorum nigrorum tantùm ſub S. Benedicti Regula militantium, ſupta præſcriptum decem Scholaſticorum numerum, præhabito in ſcriptis Præſidis dictæ Congregationis Caſſinenſis, ac Abbatis Monaſterii S. Pauli, & Procuratoris Generalis præfatorum conſenſu, alios Monachos Monaſteriorum, quibus præſint, Alumnos ad Collegium prædictum mittere, perſoluta quotannis dicto Monaſterio ſancti Pauli, pro eorundem ſuſtentatione, aliiſque neceſſariis convenienti pecuniæ ſumma; qui ſupra numerum mittendi ejusdem Collegii leges, ſtatuta, & conſuetudines, quibus cæteri Scholaſtici obnoxii ſunt, ſetvare omnino teneantur. Quia

Urgetur obſervantiæ Brevis Apoſtolici,

verò ad præmiſſa omnia exequenda, & firmiter obſervanda potiſſimùm obſtringuntur, & valde conſerre poſſunt ipſimet Religionis Supetiores; Idcirco ſtatuimus pariter & ordinamus, ut in quolibet memoratæ Congregationis Caſſinenſis Capitulo Generali, poſt Definltorum electionem, ptima die, poſthabito omni alio quantumvis graviori negotio, Definitotes ipſi diligenter, & ſeriò inquirant, an de iis, quæ in præſentibus literis continentur, aliquid omiſſum, Innovatum, aut à quoquam fuetit In contrarium, ſeu aliter diſpoſitum. Quòd ſi hæc omnia & ſingula non ad unguem ſervata, & his noſtris Apoſtolicis juſſionibus non plenè obtemperatum animadverterint, ſtatim emendanda emendent, & corrigenda corrigant, ac omnia ad formam earundem præſentium literatum in integrum reſtituant, & de transgreſſoribus, violatoribus, & negligentibus pro culparum gravitate pœnas ſumant: Si autem Definitores prædicti in præmiſſis exequendis deſides, remiſsíque extiterint, omnia Capltuli Generalis acta, promotiones, electiones, proviſiones, deſignationes, & decreta, ipſo facto nulla, inanla, & invalida ſote, harum ſetie decernimns, & declaramus: Et ptæterea Abbas Monaſterii S. Pauli, & Procurator Generalis pro tempore exiſtentes prædictl, in earumdem literarum noſtratum omnimodam executionem minimè intendentes, in pœnas privationis gradus, dignitatis, & officiorum, ac vocis activæ & paſſivæ ipſo facto ſe incurriſſe noverint, ſuper quibus non niſi à Sede Apoſtolica præſata diſpenſari poſſit. Denique ut nemo præmiſſorum ignorantiam valeat allegare, dilecto filio Andreæ Deodato à Neapoli per præſentes literas omni cura, & ſollicitudine, dilectis pariter filiis Præſidi, Viſitatoribus, omnibúsque Abbatibus præfatæ Congregationis Caſſinenſis notificare procutet, ipſéque Andreas Deodatus, qui de præſenti Procurator Generalis ejusdem Congregationis exiſtit, præmiſſorum omnium, & ſingulorum executioni curatè, atque diligenter invigilet, ac de omnibus Nos, & hanc Sanctam Sedem quamprimùm teddat certiores. Decernentes ipſas ptæſentes literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quòd Superiores & Monachi Congregationis Caſſinenſis, & Monaſterii S. Pauli præfatorum, aliíve quilibet in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuscunque gradus, ordinis, præeminentiæ vel dignitatis, aut aliàs ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ, propter quas præſentes emanârint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis nullo unquam tempore vel ſubteptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, alióve quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuámque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, ſeu in controverſam vocari, aut adversùs illas apeitionis oris, reſtitutionis In integrum, aliúdve quodcunque jutis, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud, uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; Sed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuóſque pleна-

narios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quantocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, & adimpleri; Sícque, & non aliter in præmiſſis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliósve quoslibet, quacunque præeminentia, & poteſtate fungentes, & ſnncturos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari ac definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, aut quatenus opus ſit, fel. recordationis Pauli ſecundi, & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliísque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibúsque Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, nec non Congregationis Caſſinenſis, & Monaſterii S. Pauli præfatorum, aliísqne quibusvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, ſtylis, nſibus, etiam immemorialibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis etiam Congregationi, & Monaſterio præfatis, illorúmque ſuperioribus, & aliis perſonis quibuslibet, ſub quibuscunq; verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliísq; efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibúsq;, & aliis Decretis, in genere vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum cenceſſis, & quantiscunque vicibus, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus, & ſpeciali, ſpecifica, expreſſa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & insererentur præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hâc vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac pleniſſimè & ampliſſimè derogatum eſſe volumus, cæterísque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis ſeu exemplis etiam impreſſis, manû alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in Judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xx. Martii MDCLXXXVII. Pontificatûs noſtri anno undecimo.

J. G. Card. Gluſius.

Loco ✝ Sigilli.

Jam verò ſi hiſtoriæ vela pandere, & quaſi apertum ingreſſus mare, per eorum virorum laudes, qui literarum diſciplinas in celeberrimo hoc Collegio vel ipſi docuerunt, vel certè quidem ab aliis edocti fuerunt, decurrere inſtituam, vereor, ne, cùm omnes ſigillatim recenſere inſtituam, æquo fiam diffuſior. Unde aliquorum duntaxat facturus ſum mentionem.

Alexander Lellius, aliàs de Vignatis à Peruſia, ibidem in S. Petri cœnobio Monachi vitam profeſſus an. 1664. ſcholaſticis diſciplinis, præcipuè Theologicis, haud incelebris fuit, eásque Peruſiæ & Romæ plures annos docuit, apud Magiſtros & Theologos Urbis magno in honore & exiſtimatione habitus ob ſingularem in loquendo perſpicuitatem, & mirabilem cùm in docendo, tum in diſputando facilitatem omnium primus inter Italos Benedictinos ad mentem Divi Anſelmi explicare eſt aggreſſus, permotus exemplo Cardinalis Aguirrei tum viventis, aliorúmque in Hiſpania Monachorum, qui in eundem Sanctum Doctorem præclara Commentaria ſcripsêre.

Alexander Lellius

omnium primus ex Italis Theologiam ad mentem S. Anſelmi exponit.

Alphonſus Mariconda patriâ Neapolitanus, natus die 5. Octobr. anno 1672. in S. Severini Cœnobio ejusdem Urbis Neapolis Regulam noſtram

ſtram profeſſus eſt anno 1687. die 19. Octobr. Vir excellentis ingenii, & non vulgaris doctrinæ, tam in ſcholaſticis, & dogmaticis, quàm in amœnioribus literis, itémque in profana & Eccleſiaſtica eruditione, Græcáque lingua, Neapoli in eodem S. Severino primùm ſcholaſticis ſtudiis vacavit, deinde Romæ in D. Anſelmi Collegio ſolidiori Theologiæ ſacríſque Canonibus operam dedit, eo ſanè profectu, ut triennio expleto earundem facultatum Magiſter, ſeu, ut dicimus, Lector evaſerit, eáſque Neapoli in laudato S. Severini Monaſterio tradiderit. Mox Florentiam accerſitus, majori adhuc plauſu in eisdem ſcientiis diſcipulos apud S. Mariæ aſceterium inſtituit, inter quos duos præ cæteris inſigniores rara doctrina ac editis lucubrationibus Orbi literario notiſſimos, Angelum videlicet Mariam Quirinum, nunc Cardinalem Eminentiſſimum, & Virginium Valſecchium nullo doctrinæ ac eruditionis genere non excellentem, ſortitus eſt. Ibi cùm degeret Alphonſus, doctis non ſolùm quibusque, ſed etiam optimatibus ejusdem civitatis Florentiæ acceptiſſimus fuit. In patriam reverſus, primariam ſacræ Theologiæ cathedram in publica Univerſitate conſequutus, plures annos ibidem docuit. Demum à Clemente XI. Pontifice Maximo ad Regium Epiſcopatum Triventinum in Samnio fuit aſſumptus, anno 1717. die 12. Julii, conſecratus autem die 18. ejusdem menſis Romæ à Cardinali Paulutio eidem Sanctiſſimo à Secretis Statûs.

Illuſtres ejus diſcipuli.

Creatur Epiſcopus.

Joſephus Porta, Aſtæ (quæ eſt Liguriæ urbs, ſub Duce Sabaudiæ, & Sardiniæ Rege) natus, ibidem apud S. Bartholomæum Monachi vitam vovit anno 1668. die 5. Octobr. Theologicâ ſcientiâ, ſacra eruditione & morum integritate floruit. Matheſim egregiè calluit, & mathematica quædam inſtrumenta affabrè compoſuit. An. 1687. Romam accerſitus in D. Anſelmi Collegio Theologiam magnâ nominis celebritate explicavit, eandémqne Theologiam univerſam, prout à recentioribus in tractatus dividitur, ad mentem ejusdem Doctoris ipſis illius textibus ac verbis undique conſtabilitam typis vulgavit. Poſtea Caſinum tranſiit, ubi aliquot annis regularis diſciplinæ ac pietatis exercitationibus impenſiùs ſeſe tradidit, tempus omne, quod ab eisdem ſupererat, mathematico præſertim ſtudio attribuens. Dum his mentis ac ſpiritus deliciis, beatáque frueretur quiete, à Congregatione Caſinenſi Prior Clauſtralis nil minùs cogitans, electus fuit: quo munere Cæſenæ primùm, ac deinde variis in monaſteriis aliquot annis perfunctus, fatis tandem conceſſit, relictis præclari ingenii ſui monumentis.

Inſignis Mathematicus.

Joannes Antonius Orſati (i) Nobilis Patavinus, in D. Juſtinæ cœnobio profeſſus eſt Monaſticum Inſtitutum an. 1699. die 19. Mart. Vir doctus, & eruditus, Lector Philoſophiæ & Sacrorum Canonum in eodem monaſterio mox Romam accerſitos, ut in Collegio Anſelmo-Benedictino Theologiam doceret, cùm egregiè admodùm provinciam inchoâſſet, à Veneto Senatu an. 1719. Sacræ Scripturæ publicus Interpres in Patavino Gymnaſio electus inſigni adeò cum honore in patriam remeavit, ubi haud vulgaris doctrinæ fama literarium munus adimplet. Ejus opera in Bibliotheca-Caſinenſi ab Abbate Armellino recenſentur.

Fit Sac. Scripturæ Profeſſor in Academia Patavinâ.

Joannes Baptiſta de Miro, omni ſcientiarum genere ornatiſſimus, magnam apud omnes eruditos, qui eum noverunt, reconditæ ac ſelectioris doctrinæ opinionem jure ac merito obtinuit. Cùm ſcholaſticas ſcientias complures annos Neapoli ac Venetiis cum plauſu docuiſſet, Romam accerſitus in D. Anſelmi Collegio ſacros Canones eruditiſſimè explicavit, eodémque tempore diſcipulos in Græcis literis apprimè inſtruxit, ut hujusce præclariſſimæ linguæ ſtudia, quæ olim in Caſinenſi Congregatione floruerant, poſtliminiò revocâſſe videatur; inter quos inſignis eſt Cœleſtinus Pezzancheri S. Sixti Placentiæ primùm, deinde ſub nomine D. Placidi Ciſtercienſis Monachus noviſſimæ Reformationis Trappenſis, nec ita multò pòſt Caſæmarii Abbas, demúmque Epiſcopus Himerienſis, mox Tiburtinus à SS. D. N. Benedicto XIII. creatus. Imò Benedictus etiam Bacchinus, clariſſimum illud doctrinæ Sydus, *Mirum* præceptorem in Græcis literis Parmæ ſe obtinuiſſe gloriatur.

Græcæ linguæ ſtudia reſuſcitat.

Bo-

(i) l. c. part. 2. pag. 25.

Bonaventura Finardi (k), cùm in D. Anſelmi Cullegio ſcholaſticis facultatibus, ac Juri Pontificio ſedulam operam navâſſet, iisdem diſciplinis, Neapoli, Venetiis, poſtremò Romæ Congregationis Caſinenſis Alumnos inſtruxit; Romæ ſanè in prælaudato Collegio integris ſex annis, præſtituto nimirùm ab Innocentio XI. ad docendum ibidem tempore, eâ eruditionis laude Sac. Canones eſt interpretatus, ut illi à Clemente XI. (à quo inter Sac. Indicis Conſultores cooptatus eſt) ad aliud ſexennium idem docendi munus ſit prorogatum. Præcipuæ quoq; Congregationis Caſinenſis dignitates ei ultrò delatæ fuerunt.

docendi munus ei prorogatur.

Nicolaus Maria de Tedeſchis (l) Siculus, Catanenſis, nobili genere ortus, in Monaſterio S. Nicolai de Arenis an. 1686. Profeſſus, Romæ in D. Anſelmi Collegio Scholaſticam ac Dogmaticam Theologiam magno diſcipulorum profectu, nec minori nominis celebritate plures annos tradidit. Quamobrem Clemens XI. Pont. Max. ejus doctrinæ ac probitatis acceptâ famâ, eum inter ſacri Indicis Conſultores, Sanctæque Romanæ ac Univerſalis Inquiſitionis Qualificatores admiſit, nec multò pòſt ad Liparitanum Epiſcopatum evexit an. 1710. cùm jam à Congr. Caſin. Prior electus fuiſſet, & brevì admodùm Abbas eligendus foret. Sed parvo ſanè tempore apud Liparam manſit, gravibus enim Eccleſiæ ſuæ exigentibus cauſis, Romam paulò pòſt rediit, ubi prælaudatus Pontifex ſacrarum Congregationum Rituum, & Examinis Epiſcoporum *Secretarium*, ſanctæque Inquiſitionis *Conſultorem*, ac eorundem Epiſcoporum *Examinatorem* illum conſtituit; quibus provinciis omnium Ordinum plauſu ſtrenuè ſatisfecit; nec dubium eſt, imò pluribus in Romana Aula notiſſimum, ſtatuiſſe Pontificem, ampliſſima illum S. R. E. Cardinalis dignitate inſignire, niſi ejusdem Pontificis inſperata mors maximum hunc honorem Nicolao eripuiſſet. Poſt cujus deceſſum Nicolaus Epiſcopatu Lipirienſi dimiſſo, & ab Innocentio XIII. Archiepiſcopus Apamienſis declaratus, prædictis in Urbe muneribus obeundis ſtrenuè incubuit. Sed honorum & munerum ſatur ex Urbe ſeceſſit in Monaſterium Sacri Specûs, ubi S. P. Benedictus pœnitentiæ causâ triennio delituit, ac prima Ordinis noſtri fundamenta jecit. De hoc Aſceterio Nicolaus quàm optimè meritus eſt, inſigni liberalitate illi elargiendo conſpicuam quatuordecim millium ſcutorum ſummam (præter alia plura maximi momenti beneficia, & donaria in idem collata) ut ex ejusdem ſummæ fructibus *quatuor alii Monachi, aliúsque Converſus* (ſeu ut dicimus *Commiſſus*) ibidem ali debeant, qui divinam Sinaxin quotidie, aliáque regularia exercitia obire teneantur, & Peregrinorum, aliorúmque adventantium Confeſſiones ampliſſima cum facultate excipere valeant, eâdem nempe, quâ Pœnitentiarii Apoſtolici S. Petri de Urbe, & Sacræ Domûs Lauretanæ potiuntur; quò etiam fit, ut ſacratiſſimo loco priſtina veneratio, quâ à tot retroactis ſeculis floruit, non maneat ſolùm, ſed magis magíſque augeatur. Cæterùm Nicolaus ex Monaſterio Sacri Specûs in Urbem à Benedicto XIV. revocatus fuit, ut in Collegium Purpuratorum Patrum, veluti omnes augurabantur, cooptaretur. Sed priùs tamen è vita migravit, quàm SS.mus hic Pontifex vel ipſum, vel alium quempiam ſacrâ purpurâ donâſſet.

Creatur Epiſcopus Liparitanus, tum

Archiepiſcopus Apamienſis.

Marianus Armellinus, in Monaſterio S. Pauli de Urbe Profeſſus, Collegii S. Anſelmo-Benedictini non alumnus tantùm ſed etiam decus & ornamentum fuit. Is cùm non vulgari ſacræ eruditionis & probitatis authoritate clariſſimus ſpectaretur, Abbas Monaſterii S. Petri de Aſſiſio conſtitui promeruit. Scripſit eruditè & luculenter Bibliothecam Benedictino-Caſinenſem, ſive Scriptorum Caſinenſis Congregationis, aliàs S. Juſtinæ Patavinæ, de quo celebri opere aliàs acturi ſumus.

Eſt Auctor Bibliothecæ Scriptorum è Congr. Caſin.

Leander ex illuſtriſſimis *Comitibus de Porzia* illuſtre omninò fuit Sidus Collegii S. Anſelmi, quod doctrinæ virtutúmque radiis mirum quantum illuſtravit. Ab anno enim hujus ſeculi octavo usque ad decimum nonum divinas in eo ſcientias eſt profeſſus. Cùm autem expleto ſexennio juxtà Collegii conſtitutiones docendi munere ſe abdicare debuiſſet, illud Superiores, impetrato pontificio conſenſu, per quinquennium prorogârunt. Tum ex Theologiæ Profeſſore emerito Priorem, deinde Abbatem S. Chryſogoni Jaderæ in ditione Veneta eſſe juſſerunt. Anno 1722. electus fuit in Abba-

Docendi munus ei prorogatur.

(k) vide plura in laudem Reverendiſſimi Abb. Finardi apud Armell. part. 1. p. 107.
(l) l. c. part. 2. pag. 115. & Lit. V. pag. 29.

Abbatem Monaſterii S. Pauli de Urbe, quod ære alieno liberavit, ejus bona novis acceſſionibus cumulavit, diſciplinæ regularis obſervantiam promovit, ſtudia literarum apprimè fovit, ædificia Eccleſiæ non ſarta tecta tantùm conſervavit, ſed ſenium etiam iiſdem pontificia liberalitate detraxit, Innocentii XIII. Theologus factus præter alia illuſtria munera, quæ in cæteris ferè omnibus ſacris Congregationibus obivit, in Conſultorem S. Officii promotus fuit; quod ampliſſimum munus non ſolet Summus Pontifex Viris Religioſis deferre, niſi quos inter Purpuratos Eccleſiæ Proceres adlegere animô ſecum deſtinavit.

Ornatur purpureo galero.

Purpurâ verò an. 1728. ornatus magna doctrinæ ac prudentiæ fama, majore virtutum gloria in ſacro illo Senatu effulſit. Ejus ac *Bonaventuræ Finardi*, ſupra jam à nobis laudati meminit Eminent. Cardinalis QUIRINUS in præclara ſua Diſſertatione (m) *De Monaſtica Italiæ Hiſtoria conſcribenda,* his verbis: „ Hac tempeſtate literas
„ in Congregatione Caſinenſi non me-
„ diocriter florere (abſit invidia) ſa-
„ tis probat, ut intra domeſticos pa-
„ rietes continear, nobile Profeſſo-
„ rum Par, qui hîc Romæ in noſtro
„ Caſinenſi Collegio ſtudia moderan-
„ tur, videlicet Leander Porcia, &
„ Bonaventura Finardi, ambo in of-
„ ficio ſuo, quòd eo magna cum lau-
„ de fungantur, ultra ſexennium le-
„ gibus ſtatutum authore Eminentiſ-
„ ſimo Cardinali Panciaticho bene-
„ ficentiſſimo Caſinenſium Protecto-
„ re, Summíque Pontificis decreto
„ permanere juſſi, Ambo Venetæ
„ Reip. dominationi ſubjecti, eóque
„ libentiùs honoris causâ à me nomi-
„ nandi. Ille Theologiæ Lector, Prior
„ Lirinenſis, ſplendidíſque quatuor,
„ ut dicimus, Congregationum ti-
„ tulis, quotquot adhuc neminem
„ ex Regulatibus, ſi unum Patrem
„ Damaſcenum ex Franciſcanorum
„ familia excipiamus, obtinuiſſe pu-
„ to, inſignitus, Pontificiam muni-
„ ficentiam pluries expertus eſt; Al-
„ ter verò Sacrorum Canonum peri-
„ tiſſimus, edito jam in ſacri Indicis
„ Congregatione præclaro Doctrinæ
„ ſuæ ſpecimine, profectò mere-
„ tur. „

Georgius Thierra Ss. Theologiæ & SS. Canonum Doctor in religioſam Divi Benedicti familiam ſe ſolenniter dicavit in Monaſterio D. Juſtinæ de Padua. Diſcipulus fuit doctiſſimi *Joannis Antonii Orſati*, de quo paulò antè. Parta literarum gloria, Theologiam in Collegio Anſelmiano Romæ ab an. 1726. usque ad an. 1732. præcipuâ laude docuit. Nobilior adhuc evaſit, cùm Conſultor primùm factus Congregationis ſacrarum Indulgentiarum & Reliquiarum, tum in Priorem Monaſterii S. Benedicti Padolironenſis totius Italiæ ampliſſimi & celeberrimi electus fuit. Cùm ad ſingularem verò doctrinam, ſummam prudentiæ laudem, agendi dexteritatem, & obſervantiæ regularis zelum adjunxiſſet, primus omnium fuit, qui à Superioribus Congregationis Caſinenſis in gravi negotio ad Aulam Cæſaream pro tuendis Juribus, Privilegiis, ac Statutis ejusdem Sacræ Congregationis labente anno 1737. mitteretur.

Ablegatur ad Cæſaream aulam.

Virum hunc Clariſſimum, à quo in amicitiam receptus ſui, mirificè & diligo, & veneror, tum propter ſummum ingenium ejus, ſummámque doctrinam, tum propter ſingularem humanitatem. Viennæ cùm eſſet, Orationem funebrem, quam Excellentiſſimus Nuntius Apoſtolicus, nunc Eminentiſſimus S.R.E. Cardinalis, Dominicus Paſſionei, in laudem Invictiſſimi Herois ac Principis Eugenii de Sabaudia incredibili verborum elegantia, & ſententiarum gravitate conſcripſit, ex Italico in Latinum idioma probè, exactè, fideliterque transtulit. Ipſe verò alias habuit orationes, non lectione tantùm, ſed editione digniſſimas, quas legere tametſi mihi licuerit, laudibus tamen hîc efferre nolo, quia viventis parco modeſtiæ. In Italiam redux Abbas creatus eſt, quâ dignitate hodiéque fruitur.

Facultas Germaniæ Abbatibus facta ſuos Romam in Collegium S. Anſelmi mittendi.

Cæterùm ex Apoſtolico Brevi Innocentii XI. notanda & repetenda veniunt illa verba: *Liceat autem Abbatibus & aliis præfatæ Congregationis Caſinenſis Monaſteria reſpectivè regentibus, nec non etiam aliis Abbatibus, vel Superioribus aliarum Congregationum, Monachorum Nigrorum tantùm ſub S. Benedicti Regula militantium, ſupra præſcriptum decem Scholaſticorum numerum, præbabita in Scriptis Præſidis dictæ Congregationis Caſinenſis, ac Abbatis Monaſterii S. Pauli & Procuratoris Generalis præfatorum conſenſu, alios Monachos Monaſteriorum, quibus præſint, Alumnos ad Collegium prædictum mittere, perſoluta quotannis dicto Monaſterio ſancti Pauli*

(m) in Notis pag. 94.

pro eorundem ſuſtentatione, aliſque neceſſariis convenienti pecuniæ ſumma, qui ſupra numerum mittendi easdem Collegii leges, ſtatuta, & conſuetudines, quibus cæteri Scholaſtici obnoxii ſunt, ſervare omnino teneantur. Ex quibus verbis Sūmi Pontificis liquet, etiam Germaniæ noſtræ Superioribus copiam ac facultatem fieri, ut, ſi velint, juniores ſuos Religioſos ad Collegium Anſelmo-Benedictinum Romam transmittere poſſint. Neque, ut id faciant, graves deſunt rationes. Loquor verò non de omnibus, ſed de iis ſolùm, qui præclaris ingenii dotibus cæteros antecellunt.

Cauſæ mittendi.

Primò enim eorum Religioſi non Romæ tantùm ſtudebunt, in qua nomen aliquod à literarum diſciplinis obtinuiſſe, non minus ferè eſt, quàm alibi primas tuliſſe, ſed etiam apud Ordinis ſui Religioſos ſtudebunt, neque *doctrinæ ſuffragia ab extraneis emendicare cogentur*, (quod Congregationis cùm Cluniacenſis tum Anglicanæ Abbates ac Superiores, utì ſuprà audivimus, *Ordini parùm honorificum eſſe*, dudum jure ac meritò judicârunt) ſed ab Ordinis ſui eximiis Doctoribus haurient; cùm Collegium hoc doctiſſimorum Profeſſorum, ex ampliſſima, quàm latè patet, Congregatione Caſinenſi, delectorum lectionibus illuſtretur. Tum Condiſcipulos habebunt, excellentia ingenii, doctrinæ varietate, atque morum integritate lectiſſimos, ut qui ex univerſa Religioſa juventute totius Congregationis pariter electi præſtantium ingeniorum veluti flos habentur. Deinde nec novitiâ, nec extraneâ, ſed antiquâ, ſolidâ, *Benedictinâ*, & verè domeſticâ inſtruerentur doctrinâ, nempe S. Anſelmi noſtri Cantuarienſis Archiepiſcopi, Doctoris Sapientiſſimi, cujus doctrinam cùm paſſim complectatur, & impensè veneretur S. Thomas Aquinas, ſicut & Anſelmus ipſius S. Auguſtini doctrinam, perinde juvenibus Religioſis erit, S. Anſelmi placitis inſtitui, atque utriusque præſtantiſſimi Eccleſiæ Doctoris Auguſtini & Thomæ Theologicis imbui ſententiis. Quid dicam præterea, quòd ipſis aſpectu, & collocutione aliorum ex Ordine noſtro graviſſimorum virorum frui licebit? Adſunt enim ex Italia, Gallia, Hiſpania &c. Procuratores Generales Congregationum S. Juſtinæ, vulgò Caſinenſis S. Mauri, Valliſoletanæ &c. Qui cùm prudentiâ & doctrinâ plurimùm valeant, & poſſint, comi plerumque alloquio ſunt, & in Ordinis ſui Sodales, ſapientiæ præſertim ſtudioſos, obvia voluntate. Ex horum congreſſu non meliores tantùm ac doctiores fient, ſed non minimum etiam prudentiæ in tractandis Congregationis ſuæ negotiis, cùm opus erit, in Curia Romana comparare poterunt.

Juvenes mittendi queîs moribus præditi eſſe debeant.

Qui verò Religioſi juvenes ex Germania Romam ad inclytum hoc Collegium mittendi ſunt, eos in ſtudio diſciplinæ regularis, & literarum ardentes eſſe oportet, ne, quod aliquando à duobus factum eſt, ipſi domum ſuapte ſponte, ſed inglorii redeant; vel etiam, quod factum tamen ſuiſſe mihi non conſtat, cum ſui rubore ac confuſione remittantur. Neque enim in obſervantia Brevis Apoſtolici Innocentii XI. à Superioribus cum ſtudioſis Religioſis diſpenſabitur; cùm inferior in lege Superioris diſpenſare haud valeat.

Illuſtriſſ. Com. ab Harrach de Germana ſtudioſa juventute Benedictina optimè mereri cogitat.

Id verò conſilii me dediſſe in prima Partis hujus Generalis editione an. 1739. eò minùs me nunc pœnitet, quò certiùs deinde mihi conſtare cœpit, Excellentiſſimum b. m. Comitem ab Harrach, Rotæ Romanæ Auditorem, atque Epiſcopum Nitrienſem, quò benè de Familia Benedictina mereretur, animo ſecum conſtituiſſe, monachos adoleſcentes, quibus eſſet præſtantia ingenii, Romam è Germania arceſſere, quò ſolidiore Theologicâ doctrinâ imbuti, tranſcenſis Scholaſticorum ſcholis, ad SS. Patrum, ſacrorum Conciliorum, eccleſiaſticæ traditionis, atque antiquitatis, non illius veternoſæ, ſed purioris, ſanctioris, atque reconditioris ſtudium traducerentur. „ Latiſſimè (inquit V. C. Raymundus Cacchetus in Oratione Funebri ejusdem Illuſtriſſimi Comitis Romæ immaturâ morte rebus humanis erepti) latiſſimè in
„ Germania patet S. Benedicti Inſti-
„ tutum, plurimáque extant Mona-
„ chorum Cœnobia, eadémque fre-
„ quentiſſima, quæ propter magiſtro-
„ rum inopiam vel nulla habent ſtu-
„ dia, vel prorſus inania. Jam diu
„ erat, quum (Harrachius) iniquiſ-
„ ſimo animo ferebat, quòd quum
„ ejusdem Ordinis Monachi tum in
„ Italia, tum in Gallia SS. Patrum
„ ſcientiam, dogmaticam Theolo-
„ giam, Criticen ſacram, & reliqua
„ hujusmodi ſumā cum laude & fru-
„ ctu profiterentur, ac docerent, ii-

„ dem

„ dem in Germania, ſiqui Theologiæ
„ darent operam, in ſolis vocularum
„ captionibus & quæſtiunculis planè
„ ſupervacuis ſine ſua, ſine aliorum
„ propè ulla utilitate occuparentur.
„ Animadverterat porrò ſæpè acci-
„ diſſe, ut unius viri judicium & ſci-
„ entia certam hominum ſocietatem,
„ ſeu Provinciam, vel univerſam ad
„ ſanitatem moris aut doctrinæ revo-
„ câſſet. Noverat, noſtros etiam mo-
„ nachos non multis abhinc annis in
„ eadem eſſe calamitate verſatos, apud
„ quos per duos tantùm vel tres ho-
„ mines, ſuum ſacris ſtudiis hono-
„ rem eſſe reſtitutum. Audiêrat præ-
„ ſertim Patavinum S. Juſtinæ Cœ-
„ nobium incredibili quâdam ſacra-
„ rum Literarum laude florere, & ve-
„ hementer admirabatur, tanti ac
„ tam præclari & fructuoſi ornamenti
„ unum Leonardum Porziam, nunc
„ S. R. E. præſtantiſſimum Cardina-
„ lem, principem auctorémque exti-
„ tiſſe. Quibus exemplis & rationi-
„ bus adductus, quatuor ex Germa-
„ nia adoleſcentes Monachos inge-
„ nio eximios Romam accerſere con-
„ ſtituerat, qui à doctioribus magi-
„ ſtris ſolidiſſimam doctrinam hauri-
„ rent, donec univerſam ſacrorum
„ ſtudiorum, optimámque rationem
„ adepti eſſent. Tum denique in pa-
„ triam reverti; ibi eò magis ac ma-
„ gis conſiliis confirmare, auctorita-
„ te tueri, omnibus adjumentis in-
„ ſtruere. Spes erat injecta planè ex-
„ plorata, hoc pacto ſore, ut optima
„ ſtudiorum ratio primùm in Salis-
„ burgenſem Academiam, in qua ab
„ iiſdem Monachis diſciplinæ tradun-
„ tur, deinde non ſolùm in Nitrien-
„ ſem Eccleſiam, ſed paullatim in
„ totam Germaniam propagaretur.
„ Id verò non uno animo finxerat,
„ ſed jam propè erat, ut reapſe per-
„ ficeret. Magnum ſanè atque ex-
„ celſum conſilium, cujus rationem
„ ubi primùm mihi declarâſſet, jam
„ inde cùm maximis rebus toto orbe
„ terrarum geſtis conferendum pu-
„ tavi, & memoriâ hominum cele-
„ brandum ſemptiternâ. „ Hæc Cl. Cacchetus.

Suadetur, ut Româ Pariſios mittantur.

Poſtquàm verò Romæ in Collegio Anſelmino Juri Canonico & Theologiæ Scholaſticæ ſat litatum ab iis fuit, nollem eos ſtatim domum in Germaniam revocari, ſed Pariſios in Galliam mitti optarem, ut in Monaſterio S. Germani à Pratis in Hiſtoria & antiquitate eccleſiaſtica, ſacra Critica, Theologia Poſitiva, ſtudio ac lectione SS. Patrum informentur. Nec doctiſſimi illi Patres ad eos inſtituendos ſe difficiles præbebunt. Colligo id ex literis Cl. *Renati Maſſuet* ad Cl. *Bernardum Pezium* anno decimo quinto labentis hujus ſeculi exaratis.

„ O utinam, Bernarde mi, Tibi lice-
„ ret per annos aliquot hîc mecum
„ Pariſiis verſari, ubi Muſæ in hono-
„ re ſunt, frequentes eruditi, Bib-
„ liothecæ libris omnigenis inſtructæ,
„ aptiſſima denique omnia ad judi-
„ cium informandum. Si quid certè
„ apud Reverendiſſimum Abbatem
„ tuum valerem, id ab eo precibus
„ extorquerem, ut Te huc per bien-
„ nium ſaltem nobiſcum victurum in
„ hoc San-Germanenſi Cœnobio
„ mitteret: nec ipſum, nec Te itine-
„ ris & expenſarum pœniteret. Quid-
„ ni à vobis fieri poſſet, quod à tot
„ aliis Abbatibus Germanis, Belgis, &
„ Italis factitatum non rarò vidimus.
„ Ii nempe juniores optimæ ſpei mo-
„ nachos ad nos miſerunt, Gallicis
„ moribus, linguâ, literis, & ſtudiis
„ informandos. Etiam nunc duos è
„ noſtris Italos habemus in hoc mo-
„ naſterio hoſpites, alterum à decen-
„ nio, Raguſinum è Congregatione
„ Melitenſi, alterum Venetum è Con-
„ gregatione S. Juſtinæ, à ſex circi-
„ ter menſibus. Prior in patriam mox
„ reverſurus, egregia hîc ingenii ſui
„ monumenta reliquit, duo ſcilicet
„ nova Volumina in ſolio *de Antiqui-*
„ *tatibus Conſtantinopolitanis*, quæ è
„ prælo exeunt. Hi Pariſinæ com-
„ morationis fructus. Nec minores
„ de poſteriori ſperamus. Fatetur
„ uterque, fatentur & exteri omnes,
„ quotquot ex omni orbe huc con-
„ fluunt, nullam urbem literis op-
„ portuniorem eſſe, atque Lutetiam
„ Pariſiorum. Veni & experire, quid
„ rei ſit. „ Hæc *Maſſuetus*, quæ ego

autem eò confidentiùs hîc adſcribenda putavi, quò magis ea viros eruditos calculo ſuo approbatoros credo. Nondum tres quatuor abierunt anni, cùm Potentiſſimi in Germania Principis Miniſtrum dicere audivi, ſe, ſuâ modò in poteſtate id ſi foret, è Gallia in Benedictina Germaniæ Monaſteria aliquos Congregationis S. Mauri Viros doctos evocaturum, ut quibus optimis diſciplinis ipſi eſſent exculti, iiſdem etiam ſuos in Germania ſodales excolerent, cùm profectò præter Ariſtotelicam Philoſophiam, & Scholaſticam Theolo-

giam, totam in pleriſque Germaniæ Monaſteriis literariam ſupellectilem, multæ adhuc aliæ præſtantes literæ ſuperſint, quarum opes ſibi comparare ipſos oporteat, ut de veræ ſolidæque doctrinæ gloriari poſſint opulentiâ. Quod multò autem pluris faciendum eſt, non doctiores modò, ſed etiam meliores in patriam revertentur. Monaſterium S. Germani à Pratis non tam Academicum ſcientiarum Lycæum eſt, quàm Jeſu Chriſti Gymnaſium, ubi monachi degunt, qui literas æquare ſtudent cum morum integritate ac vitæ ſanctimonia. Hi enimverò juvenes religioſos non ſcientiâ tantùm, ſed exemplo etiam augere poſſunt.

§. XIII.

MONASTERIUM ETTALENSE.

Ettalenſis Scholæ celebritas.

ECquis eſt hodie tam inacceſſus, tam ab omni hominum conſortio remotus in terra Germania locus, quo non hujus celeberrimæ Scholæ fama penetrârit? Certè non vicinas tantùm provincias, Bavariam, Palatinatum, Sueviam, Auſtriam, Tyrolim, ſed Belgium etiam, Italiam, Hungariam, Bohemiam, Poloniam, aliáque nobiliſſima regna, ſplendore ac gloria nominis ſui complevit. Unde pretium operæ facturus mihi videbar, ſi eam inter celebriores Ordinis noſtri ſcholas hîc referrem. Cùm verò ejus hiſtoriam exactè atque pro dignitate haud callerem, literas ad Bibliothecarium Ettalenſem V. C. *Edmundum Pockium* his ipſis verbis conceptas dedi.

Auctoris literæ ad Cl. Pockium.

- - - Cùm in Hiſtoria Literaria Ord. „ S. Benedicti, cujus ſciagraphiam in „ præſens elaboro, mihi neceſſariò „ de Scholis Benedictinis magis cele„ brioribus, non veteris tantùm, ſed „ recentioris etiam, atque hodierni „ ævi agendum ſit, Ettalenſis veſtra „ Academia nullo modo tacita relin„ quenda eſt. Ejus igitur, cùm an„ te alias Ordinis noſtri ſcholas in „ Germania habeatur celeberrima, „ origines, progreſſus, fata, ac mo„ dernum ſtatum pleniùs deſcribi, ac „ mecum communicari, humaniſſimè „ precor. Primas lineas, quas ex iis, „ quæ auditione de inclyta Schola „ Ettalenſi accepi, pridem duxeram, „ eo tantùm fine communico, ut ex „ illis, quæ effigies futura ſit, cog„ noſci poſſit. Omnino Ettalenſe „ Athenæum, magnum hodiernæ rei „ literariæ in Ordine Benedictino de„ cus ac ornamentum, deſcribere „ ſtatutum eſt, etiam invitis ac no„ lentibus doctiſſimis Ettalenſibus, „ ſed malim, quâ ſunt humanitate „ ac facilitate, volentibus, atque „ annuentibus, imò & opem feren„ tibus. Unde Cl. Paternitatem ſuam „ efflictim precor, ut accluſam de„ lineationem pro ſua eximia comi„ tate vel ipſa perficiat, vel eandem „ doctiſſimo cuidam confratri perfi„ ciendam dare ne gravetur. Habe„ bit me beneficii memorem; Reli„ gionem verò Benedictinam, chariſ„ ſimam noſtram Matrem, novo li„ terarii laboris nomine ſibi devin„ ctam.

Fundator Abbas Placidus.

Explicatiùs autem mihi referri precor, quomodo illuſtris Schola Ettalenſis auſpicatò ſit condita, quæ habuerit incrementa, quæ impedimenta ſe interjecerint, ut rurſus effloruerit, hodiéque inſigniter floreat.

Atque inprimis Reverendiſſimi Placidi Seuzii b. m. Abbatis ſapientiæ, vigilantiæ, laboribus, & ſedulitati hoc illuſtriſſimæ Juventutis Lycæum in acceptis referri debet. Fuit verò Placidus &c. *Synopſis laudatiſſimæ vitæ hîc inſerenda; vel, ſi placet, funebre ejus Elogium mecum communicetur. Ego interea ex Oratione, quam V. C. Anſelmus Manhardt Canonicus Regularis in Rottenbuech, in ejus funere patrio ſermone dixit, pauca Latinè verſa hîc delibabo.*

Ejus vitæ Synopſis.

PLACIDUS honeſto loco Landſpergæ in Bavaria natus, vitam adiit an. 1672. die 13. Sept. Egregium à natura ſortitus ingenium, pietati ſimul ac bonis literis à puero operam navavit. Verecundiâ tantâ fuit, ut eo præſente, velut altero Bernardino, nemo verba facere prætextata auderet. Decurſo Philoſophiæ ſtadio ſe Deo in Ettalenſi Monaſterio ſolenni votorum nuncupatione dicavit. Poſt exactum tyrocinium Theologiæ ac utrique Juri vacare juſſus, ſupremam Doctoratûs lauream Salisburgi meruit. In Abbatem an. 1709. electus, ita feliciter per 27. annos præfuit, ut alter Monaſterii Fundator habeatur. In ſuo regimine *plus amari* ex S. Legiſlatoris monito, *ſtuduit*, *quàm timeri*. Amorem verò ſibi cunctorum, amore erga cunctos conciliavit. Ut enim ameris, amandum eſt. Atque inprimis Deum ſupra omnia amavit,

Ejus amor erga Deum,

non

non in ſecundis tantùm rebus, ſed adverſis etiam rerum viciſſitudinibus. Unde ſeu ſanus, ſeu ægrotus hymnum Ambroſianum *Te Deum Laudamus* ſemper in ore habuit, quem etiam morti proximus clarâ voce intonavit. Sic vita reſpondit morti, & hæc vitæ. Laudes enim divinas concinendi ſtudioſiſſimus fuit, queîs cujusque diei initia & finem, graviſſimis licèt obrutus negotiis, in choro conſecravit. Poſt Deum præcipuis

Dei Matrem, in amoribus ſanctiſſimam ejus Matrem habuit. Præ tenerrimo erga eam amore oculi lacrymis ſæpiùs madebant. De Dilectâ nunquam ſatis loqui poterat, quam precibus, jejuniis, & eleemoſynis devotiſſimè colebat. Pro thavmaturga ejus imagine Sacellum admirandæ elegantiæ maximis ſumptibus excitavit. Quo autem amore erga Virgineæ Matris Sponſum, D. Joſephum, S. Joannem Nepomucenum, alióſque ſacros Cœlites flagraverit, haud paucis explicari poteſt. Secundùm Superos neminem

ſuos Religioſos. majori complectebatur amore, atque ſuos Religioſos; quos non virtute tantùm, ſed literis etiam egregiè inſtitui curavit. Unde illos Salisburgum, Oenipontem, S. Gallum, Romam non ſine magnis pecuniarum expenſis ablegavit. Domi verò illuſtrem Bibliothecam in eorum uſum inſtruxit. De rerum moralium doctrinâ hebdomadarias *Caſuum Conſcientias* ab iis haberi voluit, quò partes Confeſſarii in tanto támque quotidiano peregrinantium concurſu ritè implerent. Menſtruis Diſputationibus ſemper interfuit, non otioſus auditor, ſed ſtrenuus ita, ut vocant, *Argumentans*, ut nemo magis. Uti ipſe verò tempora, momentáque omnia ſic moderabatur, nihil ut vacuum in vitæ decurſu maneret, ac, ut ait Tullius, ne ipſum quidem otium eſſet otioſum, ita ſuos Cœnobitas ad otii fugam ſæpiùs & graviſſimis exhortari verbis conſueverat. Si quis eorum, ut humana fert fragilitas, vel minimùm à rectâ aberrans linea ad illam reducendus eſſet, eum in correctione modum ſervabat, ut ſtatim oleum infunderet deſuper. Nihil ſuis Religioſis in ratione victûs ac veſtitûs deeſſe patiebatur. Cùm octodecim tantùm eſſent tunc temporis, quò Abbas fuit conſtitutus, quadraginta & plures moriens reliquit. Innumera ſunt beneficia, quibus eos affecit. A Cœnobitis amorem ſuum

erga Cœnobii officiales, famulos, domeſticos, ac ſubditos extendit, ut communis omnium videretur parens. Subditos,
Ut verò de poſtremis tantùm loquar, non nova iis onera impoſuit, non dura imperavit ſervitia, non pecuniarum indixit exactiones; ſed potiùs ære preſſos alieno liberavit, eo indigentes mutuatis ſine fœnore pecuniis juvit, annonæ inopia laborantes gratis frumento recreavit. Majori adhuc curæ habuit viduas, & pupillos. Quantus jam ejus amor erga pauperes & egentes homines? In hos Pauperes,
præter quotidianam ſtipem multa aureorum millia erogavit. Vitæ etiam ſubſidia quàm multis pauperibus literarum ſtudioſis ſuppeditavit, ut ſine iis valedicere Muſis ipſos opportuiſſet. Hoſpitibus ac peregrinis, Hoſpites,
qui in Monaſterio Ettalenſi nunquam deſunt, omnia charitatis exhibuit officia. Quis unquam Comes, quis Princeps, quis denique magnus clarúsque vir apud eum diverſatus eſt, quin ſibi non à ſplendido Abbate, ſed à præpotenti aliquo Principe exceptus videretur? Patriam deniq; univerſam Patriam,
ſic dilexit, ut ejus comoda, ſalutem, ac felicitatē prudentiſſimis conſiliis promovere ut cùm maximè ſtuderet. Et verò tantam ſibi cognitionem atq; intelligentiam eorum, quæ ad populos rectè gubernandos pertinent, comparaverat, ut conſiliorum prudentiâ exercitatiſſimos Statiſtas & Politicos ſuperârit. Unde propter ſingularem quandam tractandarum rerum ſcientiam tantum auctoritatis in publicis Bavariæ Comitiis conſecutus erat, ut de ejus conſilio & ſententia plerumque omnia gererentur. Quid plura? Ejus auſteritas erga ſe ipſum,
Abbas Placidus omnes dilexit, ſe ſolum odio habuit. Quàm ſibi ipſe auſterus fuerit, haud facile dictu eſt. Menſa frugalis, non lautior, quàm vel poſtremi fratris Laici. Ciborum enim cupedias in menſam ſuam inferri ſeverè interdixerat. Sæpiùs aquâ reſtinxit ſitim; ſomni tempora longè arctiora, quàm noctis erant; neque enim ſomnum ultra tres, quatuórve horas produxit. Cùm alii dormirent, ipſe preces fundere, ſtudiis vacare, literas ſcribere, negotia expedire, Monaſterium & Collegium viſitare. Verè vigilantiſſimus Abbas. Summam modeſtiam toto corporis veſtitû ac habitu præſeferebat. Cùm in Abbatia noviter constructa commodùm habitare potuiſſet, ex veteri domicilio, anguſto, incommodo, ob-

obſcuro, ſcriptis ac literarum monumentis oppleto emigrare nunquam voluit, meliore ſe indignum dictitans. Nihil illo demiſſius, manſuetius, civilius; quæ virtutes amoris magnes ſunt. Quod fuerit ejus pœnitentiæ ſtudium, flagella multo cruore conſperſa, & poſt mortem inventa ſatis produnt. Cùm igitur magna ſui abjectione, rigidis jejuniis, abſtinentiis, carníſque macerationibus ſeipſe ſolum odio perſequeretur, omnes verò cæteros, etiam minùs addictos, effuſa charitate, ſummáque benevolentia complecteretur, quid mirum, quòd ſicut olim ille Carneades omnium ad ſe animos converterit, & rapuerit. Tandem mors placida Abbatem Placidum ad meliorem vitam transtulit. Deceſſit verò *dilectus Deo & hominibus* anno 1736. die - - Sept.

Academia Nobilium cur inſtituenda?

Inſignis igitur hic Præſul cùm ſapienter intelligeret, à *Nobilibus*, ad Rempublicam adminiſtrandam natis, literarum ſtudia præ aliis amari, coli, tractari debere, in Ettalenſi ſuo Monaſterio *Illuſtrium* inſtituit Academiam ſub invocatione SS. Joſephi & Catharinæ, ut in ea ſub idoneis omnium diſciplinarum atque artium equeſtrium magiſtris juvenes ac adoleſcentes illuſtri proſapia oriundi erudirentur: quorũ operâ & Pontifices & Imperatores, cæteríque Principes quà Eccleſiaſtici, quà Seculares, in utroque regimine, Eccleſiaſtico ac Politico, uti poſſent. Eximium Præſulem, ac de bono Reipublicæ Chriſtianæ promovendo prudentiſſimè ac piiſſimè ſollicitum.

Negotium hoc magni momenti; nec minoris difficultatis cum ſuis viris Religioſis &c. vel ſecum diu deliberatum, cùm locis debitis propoſuiſſet, ſucceſſus ubique invenit feliciſſimos.

Ædificat Collegiũ.

Abbas igitur de Collegio extruendo, de ædificiis parandis extra clauſuram, de convictu communi pro nobiliſſimis juvenibus, eorúmque famulitio, de pluribns Magiſtris, qui eos artem equeſtrem, gladiatoriam, ſaltatoriam &c. linguas peregrinas, Gallicam, Italicam &c. aſſignatis ſtipendiis erudirent, conducendis, curam ſe dignam adhibebat. E ſuis doctiſſimum quemque ſelegit, qui elegantiores literas, qui Philoſophiam, qui Arithmeticam, Hiſtoriam, Geometriam, Genealogiam, Heraldicam &c. profiterentur.

Leges condit pro illuſtri juventute.

Adhæc prudentiſſimns Abbas leges præclaras præſcripſit, quibus illuſtres Academiæ alumni non ad doctrinæ modò, ſed Chriſtianæ etiam virtutis ſatus accipiendos diſponerentur. Quid enim literæ ſine pietate ac timore Domini, niſi ut illuſtres juvenes iis imbuti ad civitatum, provinciarum ac regnorum perniciem ſint Rempublicam aliquando adminiſtraturi? Non doctrina tantùm, ſed pietate etiam opus eſt Nobilibus, ut eorum fides erga DEUM, & Rempublicam conſtet. Magnum Reipublicæ malum Nobilis doctus, ſed non pius, Magiſtratum ſine timore Dei gerens.

Quæ frequens adeſt.

Adfuit rei bene cogitatæ ſupremi Numinis benedictio: confluxerunt è flore Nobilitatis 40. 50. 60. usque ad ſeptuaginta non Equites tantùm, Barones, ac Comites, ſed etiam Principes, è Bavaria, Suevia, Franconia, Palatinatu, Helvetia, Tyroli, Carinthia, Foro-Julii, Auſtria, Styria, Hungaria, Croatia, Sclavonia, Tranſylvania, Servia, Moravia, Sileſia, Bohemia, Polonia, Italia, Roma, Neapoli &c. Ex omnibus iſtis regnis ac provinciis, quod nemo unquam crediddiſſet, nobiliſſimi juvenes à parentibus ad Academiam Ettalenſem miſſi fuerunt. Illud etiam prodigio par videri poterat, quòd in tanta nationum, geniorum, affectûum, ætatis, ſtatûs, ac proſapiæ diverſitate, magno tamen animorum conſensû inter ſe vixerint, neque unquam ea propter turbas dederint.

Gratulabatur ſibi optimus Præſul, quòd rationem occaſionémque bene merendi de Republica Chriſtiana in nobiliſſimis juvenibus ad utrumque decus &c. informandis inveniſſet.

Academiæ Ettalenſis ſecunda fama.

Florebat hoc modo Ettalenſis Schola, ſparſa per univerſam Germaniam, ne dicam, Europam, ſecunda veráque fama, quod nullibi majore ſolertiâ, quàm eò loci operæ ſcholaſticíque labores urgerentur. Hoc mihi annis abhinc aliquot iter per Bajoariam facienti illuſtriſſimus quidam Baro atteſtatus eſt: Filios, inquiebat, habeo plures, qui ſtudiis non uno in loco vacant; ſed cùm in annua recreatione experiri volo, quantum in iisdem progreſſum fecerint, facilè animadverto, quòd qui in Ettalenſi Schola literis imbuuntur, eos eruditione ac doctrina ſuperent, qui ab aliis inſtituuntur.

tur. Sed cùm hæc comparatio poſſit eſſe odioſa, nolo plura.

Jactatur adverſo caſu. Florebat, inquam, hoc modo Ettalenſis Academia, cùm inopina mors unius atque alterius juvenis, ſummo & nobiliſſimo genere nati, eam magnoperè afflixit. *Deſcribatur.* Ex tam triſti & acerbo funere, cujus cauſa non ſatis conſtabat, Ettalenſes haud minorem conceperunt dolorem, atque olim Elnonenſes Benedictini ſenſerunt, cùm duo Juventutis Principes, *Pippinus* & *Drogo*, Caroli Calvi Galliarum Regis ac Romanorum Imperatoris filii, quos literis inſtituendos ſuo in Monaſterio ſuſceperant, in flore ætatis præter omnium opinionem immaturâ morte ſublati fuerunt.

Congratulabantur ſibi Ettalenſis gloriæ æmuli, hanc inopinatæ adverſitatis tempeſtatem, eámque fore tantam ſperabant, ut quâ ſi non eſſet evertenda, ita tamen à nobiliſſimâ juventute deſerenda, ut ad priſtinæ dignitatis faſtigium ac celebritatem nusquam iterum pervenire queat. At enim per Dei gratiam ſpe ſua evoluti fuerunt. Adeſt hodiedum magna juvenum frequentia è flore nobilitatis. Adſunt hoc anno 1738. duo Sereniſſimi Principes de Lobkowitz, quibus propediem tertius accedet. Intereſſe verò exiſtimo ad poſteritatis memoriam, quinam in Ettalenſi Schola à fundatione in præſens usque tempus ſtudiorum causâ verſati fuerint: quorum nomina attexuiſſe non ingratum erit Lectori. NN. Principes, NN. Comites, NN. Barones, NN. Equites, ex Germania, Italia, Hungaria, Bohemia, Polonia, &c. *Syllabus texatur.*

Profeſſores. Priùs autem, quàm ad finem decurrat delineatio, nomenclationem etiam adjiciam ex doctiſſimis Ettalenſibus, qui hactenus illuſtrem juventutem præclariſſimis ſcientiarum diſciplinis inſtituerunt, *Catalogus Profeſſorum ſubjiciatur.* Et fuiſſe illorum labores minimè inanes, docuerunt actus publici diſputationum, examinum, defenſionum &c. ex Hiſtoria, Philoſophia, Matheſi &c. Sic anno 17-- Illuſtriſſimus Comes de Thurn Valſaſſina & Taxis ſub Præſide P. N. ex Comitibus de Arco, Ettalenſi Aſceta doctiſſimo, publicas Theſes, Sacræ Cæſareæ Majeſtati inſcriptas, propugnavit. Quas alias Theſes Illuſtris Juventus cum laude, ac admiratione omnium publicè pro- Diſputationes.

P. Ziegelbauer Hiſt. P. I.

pugnandas ſuſcepit, pleræque S. R. I. Principibus atque Electoribus non ſine magna Ettalenſis Academiæ celebritate ac commendatione nuncupatæ fuerunt.

Suave credo, ac perjucundum Ettalenſibus eſt, circumferre oculos per Germaniam, Italiam, Hungariam, Bohemiam, Poloniam &c. ac diſcipulos quondam ſuos præcipuis dignitatibus ac publicis muneribus videre florentes. Alios ſummis Principibus ab intimis eſſe conſiliis. Alios Sac. Cæſ. Majeſtatis eſſe Camerarios. Alios in ſupremis Regnorum ac Imperii Dicaſteriis jus dicere. Alius in Eccleſiis Cathedralibus virtute ac pietate populis prælucere. Alios deniq; & arma & armorum jura edoctos pro tuenda orthodoxa fide & patriæ libertate gladium fortiter ſtringere. Ex ſchola Ettalenſi prodeunt Illuſtres Viri.

Quæ cùm ita ſint, quis à communi censû ita relictus eſt, ut non intelligat, quanto beneficio inclytus Fundator, Ampliſſimus Abbas Placidus p. m. univerſam rempublicam literariam, imò totam Germaniam, atque adeò Europam affecerit: quámque conſultè agat meritiſſimus ejus ſucceſſor, Reverendiſſimus Abbas Bernardus, quòd de conſervanda amplificandáque Schola ſit ſollicitus &c.

Cùm enim R.mus Abbas *Placidus* fatis conceſſiſſet, Sereniſſimus Bavariæ Elector Carolus Religioſis Ettalenſibus nuntiari juſſit, rem ſibi pergratam facturos fore, ſi eum in Abbatem eligerent, qui quæ ab Abbate *Placido* optimè inchoata ac ſtabilita fuiſſent, non modò ſervare ac retinere, ſed & augere, provehere, atque conſummare poſſet. Quâ in re necquicquam Ettalenſes divina bonitas deſtituit, aut fefellit eventus. Communibus enim votis Bernardus in Abbatem cooptatus fuit; de quo nempe ſpes indubia concipi poterat; quòd, uti rei literariæ & amantiſſimum & peritiſſimum ſemper ſe præbuiſſet, ita ejusdem promovendæ foret ſtudioſiſſimus: præclari inſtituti non modò continuator, ſed æmulus. Quid? quòd ipſe Sereniſſimus Elector paucis ante menſibus coràm & præſens hujus rei capere voluit experimentum. Et verò ea ſpecimina tum in arte equeſtri, gladiatoria, ſaltatoria &c. tum in aliis diſciplinis ac ſcientiis illuſtris juventus dedit, quibus Princeps mirificè oblectatus fuiſſe dicitur. Abbas Bernardus ſucceſſor ſtudium fovet.

Cl. Pockius moritur.

Atque hæc hujusmodi ad Cl. *Edmundum Pockium* ſcripſeram; ſed mortuo verba feci: jam enim priùs vitâ exceſſerat, quàm literæ meæ ad Monaſterium Ettalenſe deferri poterant. Erat verò vir ille eximius honeſtiſſimis & piis Mercatoribus parentibus anno 1691. die 18. Octobr. Salisburgi natus; ubi per ætatem licuit, in eodem hoc celeberrimo literarum emporio mercem bonam, Philoſophicarum & Theologicarum ſcientiarum theſaurum locupletem ſibi acquiſivit. E ſeculo ad Religioſa clauſtra translatus, & anno 1709. die 21. Novemb. D. Benedicti Ordinem in Ettalenſi Monaſterio profeſſus, factus anno 1718. ſacerdos, deinceps totum libris (utens peramicâ occaſione Bibliothecæ, cujus curam ultra 15. annos indefeſſam geſſit, ſcivítque cum altera culinæ Ettalenſis, vel ſola virum fatigante, dexterrimè luſtro integro conjungere) ſe immerſit ſtudiis Geographicis & Hiſtoricis, quas pulcherrimas artes per complures annos in Illuſtri Collegio Ettalenſi docuit; earundémque profectum per tabellas à ſe ſcriptas, & prælo commiſſas in diſcentibus inſigniter promovit. Prodigii inſtar ſit, quod hoc tantum potuit, & conjungere etiam voluit cum ſacri Confeſſionalis, quod diebus Dominicis & Feſtis primus adivit, & ultimus deſeruit, apud Ettalenſes aſtrictioribus laboribus, infirmâ plerumque valetudine, & inter intenſiores podagræ labores. Sed nempe his denique ceſſit, &, ubi ſæva hæc Erynnis ipſa præcordia invaſit, diem extremum obiit 20. Julii (An. 1737.) morientium Sacramentis ritè præmunitus, & in Dei voluntatem optimè reſignatus.

Cùm igitur à mortuo nullum tulerim reſponſum, lubet hîc in gratiam Lectoris adſcribere, quod V. C. *Carolus Meichelbeck* de illuſtri Schola Ettalenſi (k) in ſua Hiſtoria Friſingenſi memoriæ prodidit.

Scholæ Ettalenſis Hiſtoria ex Carolo Meichelbeck.

Anno 1711. ex relictis à Sereniſſimo Bavariæ Duce *Maximiliano Philippo* bonis facta fuit fundatio pro ſex juvenibus ſtudioſis, qui deinceps in Monaſterio Ettalenſi alerentur, literísque ac bonis moribus probè imbuerentur. Horum optima educatio cùm hoſpitibus identidem occurrentibus ſummopere probaretur, accidit, ut multi alii liberos ſuos Rev. Domino Abbati comendarent, ibidem inſtituendos. Illud exemplum etiam viros illuſtres paulatim in. ſequelam traxit, qui proinde & ipſi nobilem ſuam juventutem eidem D. Abbati concredere cupiebant, ibidem extra Urbium ſtrepitus, & pericula juventuti ſæpè imminentia quàm optimè excolendam.

Non deerant rationes, quæ Abbatem ad facilem añutum permoverent. Nam primo loco ei occurrebat exemplum Nobilium Romanorum, qui liberos ſuos curæ beatiſſimi Patris BENEDICTI olim commiſère: de quibus S. Gregorius noſter ſic habet: *Cæpére etiam tunc ad eum Romanæ urbis Nobiles, & Religioſi concurrere, ſuóſque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare:* Et mox ſubdit: *Tunc quoque bonæ ſpei ſuas ſoboles Eutychius Maurum, Tertullus verò Placidum tradidit.* Simillima paſſim maximo numero occurrunt in Annalibus Ordinis noſtri, ut nemo eruditorum ibit inficias. Præterea in memoriam Abbatis venerat pium propoſitum Ludovici IV. Imperatoris Auguſti, qui, cùm ipſum Monaſterium Ettalenſe munificentiſſimè fundâſſet, ac dotâſſet, ibi non Aſcetas modò, verùm etiam Nobiles ali voluit, veluti ſuo loco monuimus.

Statuit itaque Rev. D. Abbas pro Nobilibus in ſuo illo Monaſterio temporis ſucceſſu collegium erigere, in quo ii prima rudimenta diſcerent, ac deinceps paullatim humaniores etiam diſciplinas, uti etiam Philoſophiæ arcana: Arithmeticam, Hiſtoriam, Genealogiam, Heraldicam, Geometriam ac Muſicam edocerentur: ad artes etiam cæteras, equeſtrem ſcilicet, gladiatoriam, ſaltatoriam, linguáſque exteras diſcendas adhiberentur atque exercitarentur. Deſperâſſent multi de tanti moliminis propoſito intra montes, ac in loco illo ſolitario executioni mandando. Verùm indefeſſa Abbatis induſtria factum eſſe oculis cernimus, ut hodiéque præter ſtudioſos è plebe illuc mitti ſolitos, ibidem ſingulis annis numerentur ferè ſexaginta illuſtriſſimi adoleſcentes, Comites atque Barones, Boii, Suevi, Auſtrii, Tyrolenſes, Palatini, Tranſylvani, Bohemi, Hungari, Belgæ, Itali, aliíque plures, qui omnes extra Aulas & Urbes, earúmque ſyrtes poſiti, moribus ac diſciplinis optimis adeò feliciter, atque ordinatiſſimè imbuuntur, ut non ſolùm viri graves, verùm etiam magni Principes con-

(k) Tom. II. pag. 497.

by Google

conſilium fortiſſimi Abbatis ſummoperè cōmendent. Det optimus Deus, ut ejus præclaris veſtigiis etiam ſucceſſores inſiſtant! Id certè gloriæ Dei, bonóque publico ingens incrementum adjiciet.

Quis verò credat, illuſtriſſimæ hujus Scholæ lumen ac ſplendorem momento quaſi extinctum, radios ſuos quoque terrarum diffundere, ut antea ſolebat, repentè deſiiſſe. Et hæc extinctio non aliunde, quàm ab igne extitit, quo Monaſterium Ettalenſe anno 1744. conflagrans, heu dolor! penitus in cineres redactum eſt. Tum verò etiam de Schola actum fuit. Acceſſit alterum belli incendium, quô univerſa Bavaria, ut nemo neſcit, adhuc ardebat. Quo tempore nova ampliſſimi monaſterii ædificia è fundamentis excitare, longè difficillimum erat; unde Monaſterii ſqualor nondum ſublatus erat, quo tempore (annus erat 1748.) Eminentiſſimus Cardinalis *Quirinus* eò acceſſit, uti ipſe narrat in epiſtola, qua iter ſuum Campidonenſe deſcribit, his verbis: „Animus erat Campidonâ rectà in Italiam contendete, quamvis me quodammodo ad ſe vocarent Bajoariæ Monaſteria, excitâſſétque jam anteà ad ea perluſtranda Præſes Generalis Congregationis Bavaricæ, Abbas Weſſofontanus. Dectevi tandem unicè adire Ettalenſe, quod cæteris propiùs viam meam pergenti occurrebat. Beatæ Mariæ Virginis Imago, cujus ibi ſingularis eſt cultus, magna non à vicinis tantùm populis, ſed à longè etiam diſſitis pietate frequentatus, & fama prætereà Academiæ ibidem à quinquaginta & ampliùs annis ad Germanicam nobilitatem Chriſtianis moribus, equeſtribus attibus, boníſque literis imbuendam inſtitutæ, invitamento mihi fuerunt, ut eo commearem. At prætet Marianum cultum, quem magnoperè ibi florere deptehendi, reliqua ſpes omnis evanuit. Non ibi certè ſplendidum Monaſtetium, non celebrem Academiam nactus ſum, ſed magni tantùm nominis umbram, ſolam vaſtitatem, ruinas duntaxat. Conſcius utique incendii, unde tantum malum manavit, ad locum illum acceſſeram, at multò fœdiot clades, quàm putâſſem, ſpectandam mihi ſe dedit. Triſtiſſimus aſpectus ille adeò viſcera mea commovit, ut toto itinere, quo poſteà Oenipontum Ettala perrexi, mente mea revolverim, decere maximè, non ex Bajoariæ tantùm Principatu, ſed ex plerisque aliis Germaniæ ditionibus, quæ generoſam juventutem Ettalenſi Academiæ inſtituendam tradere aſſueviſſent, munifica parari poſſe ſubſidia ad Monaſterinm illud in priſtinum ſtatum reſtituendum. Hac verò in cogitatione defixns dum ſtarem, ſeu Virginis ejus loci Patronæ, ſeu S. Patris Benedicti impulſu, conſtitui adjutricem & ipſe manū operi tam pio exhibere, ſpopondíque, ut primo Oenipontum adveni, Abbati Ettalenſi per Epiſtolam, me in rem illam mille florenos collaturum, eáque occaſione illum hortatus ſum, ut collationes, quæ aliunde obvenerant, magis magíſque adaugere ſatageret, eam induſtiam adhibendo, quam haud parùm utilem Templi ſui conſtructioni promovendæ experitur Catholicorum Berolinenſium neceſſitas. Hoc ipſo exemplo Ettalenſes coram excitaveram, ut rem non quidem ſuam, ſed Matris Dei, ſed Benedicti Monachorum Patriarchæ, ſed Bajoariæ, ſed Germaniæ univerſæ, gnaviter curarent.„ Hæc Em. Card.

Ex me illuſtriſſimi duo Comites hiſce annis ſciſcitati fuerunt, quo loco poſt Monaſterii conflagrationem res Academiæ Ettalenſis jam ſitæ eſſent; ſe in eo Athenæo non minùs veræ pietatis rudimentis, quàm literarum diſciplinis, & equeſtribus exercitiis quàm optimè inſtitutos fuiſſe: in optatis habere, ut brevì reſtituatur, quò filios ſuos Ettalam mittere poſſint; tantùm monendos eſſe Patres Ettalenſes, ſe gravibus adducti rationibus duo jam non probare, quorum facultas ſibi facta fuiſſet, ludendi nempe pro pecuniis; deinde veſtes portandi aureis argenteiſve ſegmentis ornatas; cætera omnia ſe matura jam ætate boni conſulere, ſuóque probare ſuffragio.

§. XIV.
MONASTERIUM CREMIFANENSE.

APertiſſimum eſt diſcrimen, atque intervallum longè maximum, quô Palladium Cremiſanenſe à Scholis trivialibus, ut vulgò vocantur, & quæ iis nobiliores videri exambiunt, particularibus, ſeſe disjungit, ſecernit, ac diſtinguit. Eſt enimverò, ac jure optimo dici meretur ACADEMIA, in

qua non hnmaniores ſolùm literæ, aut Philoſophia tantùm cùm Theologia, ſed mathematicæ etiam diſciplinæ, Phyſices experimentalis placita, Juris divini ac humani prudentia, Hiſtoriæ cùm ſacræ tum Civilis principia, præcipuarum ac maximè celebrium linguarum Inſtitutiones, non prætermiſſis artium Gymnaſiſticarum præceptis, docentur & traduntur. Quia verò Academiæ & Univerſitates, in quibus univerſarum literarum ac ſcientiarum doctrina explanatur, ſtudioſæ juventuti, ſine præhabito Supremi Principis annutu, aperiri fas non eſt, ante omnia viſum eſt afferre Regium Diploma, quo Sereniſſima Hungariæ ac Bohemiæ Regina, Archidux Auſtriæ, Auguſtiſſima Imperatrix MARIA THERESIA Cremiſanenſem Academiam clementiſſimè anno 1744. confirmavit.

Diploma regium Academiæ Cremiſanen.

Wir MARIA THERESIA von Gottes Gnaden Königin in Hungarn, Böheim, Dalmatien, Croatien, Sclavonien, Ertz-Herzogin zu Oeſterreich, Herzogin zu Burgund, zu Braband, zu Mayland, zu Steyr, zu Kärnten, zu Crain, zu Mantua, zu Parma, und Piacenza, zu Limburg, zu Luxenburg, zu Geldern, zu Würtemberg, Ober- und Nider-Schleſien, Fürſtin zu Schwaben, und Sibenbürgen, Marggräfin des heiligen Römiſchen Reichs, zu Burgau, zu Mähren, Ober- und Nider Laußnitz, gefürſtete Gräfin zu Habſpurg, zu Flandern, zu Türoll, zu Pfierd, zu Küburg, zu Görz, zu Gradiſca, und zu Artois, Landgräfin in Elſas, Gräfin zu Namur, Frau auf der Windiſchen Marck, zu Portenau, zu Saliens, und zu Mechlen, vermahlte Herzogin zu Lothringen und Paar, Groß-Hertzogin zu Toſcana.

Bekennen für Uns, unſere Erben und Nachkommen an unſern Durchleuchtigſten Ertzhauß offentlich mit diſem Brief und thuen kund allermänniglich, daß uns der ehrſame Geiſtliche unſer würcklich geheimer Rath und lieber andächtiger Alexander Abbt des Gottshauß Crembsmünſter in unſerm Ertz-Herzogthum Oeſterreich ob der Ennß allerdemüthigiſt zu vernemmen gegeben; Wasmaſſen Er entſchloſen wäre, in gedacht ſeinen Stüfft eine adeliche Academie *aufzurichten, und daſelbſt nebſt denen adelichen Exercitien und denen ſchon von zwey hundert Jahren her mit guten fortgang eingeführtkleineren, auch die höhere* Studia *fortſetzen zu laſſen, damit die adeliche Jugend nicht allein in anſtändigen wiſſenſchafften gehörig unterricht: ſondern auch zwiſchen Cloſter-Mäuren zu einen tugendſamen Wandl deſto leichter und gewiſer angeführet, mithin ſowohl zu ihren eigenen als des gemeinen Weeſens Nutzen wohl geübet, und chriſtlich erzogen werden möchte. Uns dahero allergehorſambſt bittend, daß Wir als jetz regierende Königin, Frau, und Erb-Lands-Fürſtin in Oeſterreich diſe zum Behuf der adelichen Jugend errichtende adeliche* Academie *in unſern Lands-Mütterlichen Schutz und Schirm zu nehmen, und ſelbe mittelſt eines hierüber ertheilenden* Diplomatis *zu beſtätten allermildeſt geruhen möchten.*

Wann Wir dann gnädiglich angeſehen, ſolch des ſupplicirenden Abbtens zu Crembsmünſter demüthigſte Bitte, benebens erwogen, daß deſſen Vorhaben gar löb- und rühmlich, auch dem Publico *nutz- und erſprießlich: mithin diſe errichtende adeliche* Academie *unſers höchſten Schutzes um ſo mehr würdig ſeye, weilen die dißländig adeliche Jugend andurch die Gelegenheit überkomme, ſowohl in Chriſtlichen Sitten und Tugenden, als anſtändigen Wiſſenſchafften und Exercitien mit leidentlichen Koſten unterrichtet zu werden, folgſam ſich auch in ihren Vatterland ohne derentwillen auswärtige Länder mit Aufwendung groſſer Speſen zu beſuchen, zu unſern und des gemeinen Weeſens Dienſt geſchickt und tauglich zu machen; wie Wür dann gegen ihme Abbten der gnädigſten Zuverſicht ſeyn, daß er nach ſeiner in gelehrten Sachen ohnedem beſitzend-fürtrefflich Erfahren- und Geſchicklichkeit ſothane* Academie *mit allen Erfordernuſſen gehörig verſehen, und den Fortgang der allda ſtudierenden Jugend beſtmöglichſt zu befördern ſich allſtätts eyfrigiſt werde angelegen ſeyn laſſen.*

Als haben Wir über den von unſerer Nider-Oeſterreichiſchen Regierung und darobiger Lands-Haubtmannſchafft dißfalls abgefordert- auch jüngſthin gehorſamſt erſtatteten gutachtlichen Bericht mit wohlbedachten Muth, gutten Rath und rechten Wiſſen ſowohl für Uns, als unſere Erben und Nachkommen vorgedachte adeliche Academie *nicht allein gnädigſt beangenehmet, gutgeheiſſen, und beſtättiget, ſondern ſelbe auch in unſern Landsfürſtlichen Schutz, und*

Schirm

Schirm allermildeſt an- und aufgenohmen.

Thun das auch beangenehmen, und beſtätten mehrgedachte adeliche Academie, *wie vorſtehet, aus König- und Landsfürſtlicher Machts Vollkommenheit hiemit wiſſentlich in krafft diß Briefs, ordnen, ſetzen, und wollen, daß ſolche von nun an in ewige Welt-Zeit in Unſern und Unſers Durchleuchtigſten Ertz-Hauſes Schutz und Schirm beſtändig bleiben, in ſelber als in offentlichen Schulen die* Profeſſores *ihre* Studia *und* Lectiones *tradiren und geben, auch jener Freyheiten, und Befügnuſſen, welche andere derley mit Landsfürſtlicher* Protection *fürgeſehene Academien genüſſen, ſich ebenfalls erfreuen, und von niemanden, wer der immer ſeye, auf einigerley Weiß hierwider angefochten, beſchweret, oder bekümmeret werden ſolle.*

Gebieten darauf N. N. allen und jeden Unſeren Nachgeſetzten geiſt- und weltlichen Obrigkeiten, inſonderheit aber jetzig- und künfftigen unſern Statthaltern, Land-Marſchallen, Lands-Haubtleuthen, und ſonſt allen anderen Unſern untergebenen Stellen, und Gerichten hiemit ſo gnädig- als ernſtlich, und wollen, daß gleichwie Wir auf diſe heylſame und dem gemeinen Weeſen vorträgliche Academie *ein beſonders Auffſehen zu allen Zeiten gnädigiſt tragen werden, alſo auch ſie vorgedacht- adeliche* Academie *diſer Unſerer darüber ertheilt- gnädigſten Beſtättigung, und Schutzes allſtäts ruhiglich genieſſen laſſen, und ſowohl den gegenwärtigen als alle künfftig nachfolgende Abbten zu Crembsmünſter in denen hierinfalls machend-nutzlichen Verfüg- und Anordnungen nicht hindern, irren oder beſchweren, ſondern denenſelben bey jeder Vorfallenheit auf Verlangen den nöthigen Beyſtand leiſten, und von Unſertwegen veſtiglich ſchützen, ſchirmen, und handhaben, darwider ſelbſt nicht thun, noch das von andern zu beſchehen geſtatten, in kein Weiß noch Weeg, als lieb einem jeden ſeye Unſere ſchwere Ungnad, und Straff zu vermeiden.*

Das meinen Wir ernſtlich mit Urkund diß Briefs, beſiegelt mit Unſern König- und Ertz-Hertzoglich- anhangenden Inſiegl, der geben iſt in Unſerer Haupt- und Reſidenz-Stadt Wienn den ſibenzehenden Monaths-Tag Septembris *nach Chriſti Unſers lieben Herrn und Seeligmachers gnadenreichen Geburt in ſibenzehenhundert vier und vierzigiſten, Unſerer Reiche in vierten Jahre.*

Maria Theresia mppria.

J. F. Gr. v. Seilern mppria.
Ad Mandatum Sac. Reg. Majeſtatis proprium.

Mathias Benedict Finſterwalder.

Hoc verò ampliſſimum Diploma modernus Dominus Præſul Excellentiſſimus, quippe Sac. Cæſ. Majeſtati à Conſiliis Intimis, Alexander hujus nominis Abbas II. impetravit. Cùm enim intelligeret, quanta eſſet utilitas & neceſſitas, ut juventus maximè illuſtris earum literarum ac bonarum artium diſciplinis, quibus ad Reipublicæ gubernacula ritè moderanda opus eſt, inſtituatur, ſapientiſſimè animum ad univerſalem Academiam erigendam adjecit, eámque magnis erectam impendiis Regio Diplomate confirmari curavit. Quòd ſi proinde in Academiæ Cremiſanenſis initia, incrementa, & progreſſus intueor, tres occurrunt ampliſſimi Abbates, qui in ea fundanda laudatiſſimam collocârunt operam. Primus eſt *Gregorius Lechnerus*, qui anno 1548. vel 1549. apertâ literarum ſtudioſis ſchola, prima ejus jecit fundamenta. Alter eſt *Placidus Buchauer*, qui Scholæ Seminarium ſuperiori ſeculo adauxit. Tertius *Alexander Füxelmüller* (hoc enim Rev. Præſuli cognomentum) qui ſcholam ad Academiæ culmen & faſtigium evexit, adjutus prudenti in omnibus conſilio, induſtriâ, & operâ V. C. *Nonnoſi Stadler*, Majoris Oeconomi Cremiſanenſis Monaſterii, quod verè inclytum, præpotens, ac Superioris Auſtriæ primarium habetur. Nec partes ſuas in hoc bonarum literarum mercatu conſtituendo deſiderari paſſi ſunt cæteri Aſcetæ Cremiſanenſes propè omnes, qui ut pietate in Deum, charitate in homines, legúmque monaſticarum obſervantiâ celebres ac conſpicui habentur, ita optimarum artium diſciplinis apprimè exculti de communi hominum ſocietate bene mereri ſtudent, atque in præcipuis habent curis. Fruſtra ab Excellentiſſimo ſuo Abbate Academiam conditam arbitrantur, niſi operam dent, ut ea ſit perpetua, & ſtudia literarum floreant

maxi-

maximè; neque alio nomine Cremiſanium magnificentiùs elatiúsque ſe jactet, quàm quòd Muſarum ſit ſedes, ſapientiæ domus, ac doctrinarum domicilium.

Ex hiſce igitur Viris Religioſiſſimis Academia habet unum Regentem, duóſque Subregentes, penes quos ſunt univerſæ illuſtris juventutis quaſi habenæ; apud quam perpetuò habitant, eámque verbis magis, pudore, ac comitate regunt, quàm metu, & verborum acerbitate in officio tetinere ſtudent, non imemores illius apud Poëtam: *Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.* In tria autem Contubernia ob id Nobiles Juvenes ſunt divifi; quæ Contubernia non tantùm bellè, ſed & ſplendidè in omni cultu exornata ſunt aulæis, picturis, reliquóque omni apparatu, & ſupellectile non commoda tantùm, ſed concinna, nitida, pereleganti. Nihil huc admittitur, quòd Muſarum oculos, quæ ad loca inculta & parùm amœna non libenter accedunt, offendere poſſit. Abeſt deinde omnis ſtrepitus, tumultus, clamor, qui animum à cogitando, legendo, ſcribendo avocare, atque in diverſa diſtrahere poſſit. Magna ſtudiorum tempore quies, otium, ſilentium.

Linguarum, artiúmque equeſtrium Magiſtri delecti ac mercede conducti ſunt maximè idonei, periti, ac induſtrii. Linguæ Hebraicæ ac Græcæ unus eſt Magiſter pro iis, qui earum cognitionem ſibi comparare cupiunt. Unus item linguæ Gallicæ & Italicæ. Magiſter ſaltûs & armorum. Magiſter etiam artis equeſtris cum hippodromo duplici, altero pro æſtivis, altero pro hibernis menſibus. Prætet Profeſſorem Matheſeos adeſt etiam Magiſter, ut vocant Ingeniarius, qui foris in campo velut Martis juventutem exercet. Quò autem gravioribus exercitationibus tanquam ab opere feriata illuſtris Juventus ad ſtudia reſumenda, & exercitia equeſtria addiſcenda alacriot reddatur, neque in exhauriendis laboribus plus æquo defatigetur, non deſunt honeſtæ animi remiſſiones, maximè ſtatis temporibus venationes, quarum illuſtres juvenes ſunt amantiſſimi.

Præter illos autem adeſt intra Monaſterii ſepta Seminarium quoddam, quod hîc *Muſeum* dicere mos invaluit. In quo juvenes propriâ victuri impenſa ſuſcipiuntur, domi etiam nobiles; potiſſimùm autem ex Monaſterii liberalitate ſuſtentantur, jam plures, jam pauciores, interdum quadrageſimum excedunt numerum. Nec iſtorum habitatio inconcinna eſt, ſed bellum in modum exornata. Omnes ingenuè & liberaliter tractantur.

Scholas quod attinet, eæ ita reguntur, ut humaniorum claſſibus ſingulis ſinguli præſint Profeſſores. Logices Profeſſor unus eſt; Unus Phyſices ac Metaphyſices. Unus Matheſeos & Philoſophiæ experimentalis. Unus Theologiæ Moralis. Unus Juris Civilis Inſtitutionum. Unus Digeſtorum. Unus Juris Canonici. Unus Theologiæ Speculativo-Dogmaticæ. Unus Præterea Præfectus Scholarum, nullius claſſis Profeſſor, ut hoc accuratiùs ad mores & eruditionem juventutis attendere valeat.

Studioſi ſeu Scholares duplicis dici poſſunt ordinis. Alii ſont, qui participes fiunt exercitiorum, quæ nobilia vulgò dici ſolent, ut artis equeſtris, gladiatoriæ &c. Et hi omnes ſunt intra Monaſterii ſepta, æréque non magno ibidem in omni victu ſatis lautè aluntur, & inſtruuntur, frequentantes pro ſua quisque ætate ſcholas. Alii ibidem in Muſæo aluntur ex diverſis ſcholis, ut ſuprà jam expoſitum.

Alterum Scholarium genus eſt eorum, qui menſa Monaſterii non utuntut, ſed in oppido per civium domos conducunt ſibi & habitationem & victum: atque inde ſcholas frequentant.

Verbo, nihil eorum deeſt, quæ Publicam Academiam, qualis per Diploma Regium hæc eſt, decere dignoſcuntur. Diſputationes publicæ tum exercendi ingenii, tum declarandi profectûs causâ non infrequentes habentur. In his juvenum alii opponunt, alii defendunt, utrique velut in palæſtra alacriter deſudant, & quaſi de palma ac præmio inter ſe certant pulcherrimo, atque alter altero doctior haberi contendunt.

Quia verò omnis eruditio ac doctrina, quantumvis magna & præſtans, parvi facienda eſt, niſi ſit cum virtute, vitæ integritate, morúmque probitate conjuncta, prudentiſſimis hac de re ſtatutis cautum eſt, ad quorum obſervantiam omnes adſtringuntur. Exercitationes ſacræ tum quotidianæ tum extra ordinem vigent ſaluberrimæ. Re enim ipſa & experientia docemur, nihil ad Reipublicæ ſalu-

ſalutem & incolumitatem magis eſſe proficuum, quàm ſi juvenes non ad hunc morem, qui nunc increbuit, ſed ad veterem diſciplinam, ſanctiſſimámque inſtituantur, atque poſtquam vera erga Deum pietate & timore fuerunt imbuti, è ſcholis dimittantur.

Præter eccleſiam Monaſterii adeſt Sacellum proprium magnæ elegantiæ, in quo Academici rei divinæ quotidie interſint, Deóque cultum adhibeant. Ut verò Supremi etiam Numinis parentem, Miſericordiæ Matrem, quæ ſe diligentes diligit, & ad ſe piè ac religioſè confugientes tuetur, ac protegit, præcipua veneratione atque honore proſequantur, Parthenicum erectum eſt Sodalitium. Quæ quidem Academica Congregatio, ut vocant, à Sacroſancta Sede Apoſtolica eſt confirmata, ſpiritualibus magníſque dirata theſauris, ut ex ejusdem Pontificia Bulla perſpicuum ſit, quæ hæc eſt:

Benedictus PP. XIV.

Bulla Pontificia.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Cùm, ſicut accepimus, in Monaſterio Monachorū Ordinis S. Benedicti loci Cremiſanienſis, Paſſavienſis Diœceſis una pia & devota Chriſti fidelium Scholarium ſeu Studentium tantùm Confraternitas ſeu Congregatio Academica nuncupata, ſub titulo ſanctæ MARIÆ in Piſcinula etiam nuncupata, canonicè erecta ſeu erigenda exiſtat, cujus Confratres quamplurima pietatis & charitatis opera exercere conſueverunt, ſeu intendunt, Nos, ut Confraternitas ſeu Congregatio hujusmodi majora indies ſuſcipiat incrementa, de omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus Chriſti fidelibus ſcholaribus ſeu ſtudentibus tantùm, qui dictam Confraternitatem ſeu Congregationem impoſterum ingredientur, die primo eorum ingreſsûs, ſi verè pœnitentes & confeſſi ſanctiſſimum Evchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam; ac tam deſcriptis quàm pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi verè quoque pœnitentes & confeſſi, ac ſacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti Nomen JESU ore, ſi potuerint, ſin minùs, corde devotè invocaverint, etiam plenariam; nec non eisdem nunc & pro tempore exiſtentibus dictæ Confraternitatis ſeu Congregationis Confratribus etiam verè pœnitentibus & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis ſeu Congregationis Eccleſiam ſeu Capellam vel Oratorium die vigeſima tertia menſis Januarii à primis Veſperis usque ad occaſum ſolis diei hujusmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper dictis Confratribus etiam verè pœnitentibus & confeſſis ac ſacra communione refectis Eccleſiam ſeu Capellam vel Oratorium hujusmodi in quatuor aliis anni feriati diebus per memoratos Confratres ſemel tantùm eligendis, & ab Ordinario approbandis, ùt ſupra viſitantibus & ibidem orantibus, quo die prædicto cùm id egerint, ſeptem annos & totidem quadragenas; quoties verò Miſſis & aliis divinis Officiis in Eccleſia ſeu Capella vel Oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis & recitandis ſeu Congregationibus publicis vel privatis ejusdem Confraternitatis, ſeu Congregationis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam, qui corpora defunctorum, tam Confratrum hujusmodi, quàm aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quascunque Proceſſiones de licentia Ordinarii faciendas, ſanctiſſimúmque Evchariſtiæ Sacramentum tam in Proceſſionibus, quàm cùm ad infirmos, aut aliàs ubicunque, vel quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel ſi impediti, campanæ ad id ſigno dato ſemel orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem & ſalutationem eandem pro animabus defunctorum confratrum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes Præcepta Dei, & ea, quæ ad ſalutem ſunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum exercitio ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debi-

tis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ſi aliàs dictis Confratribus præmiſſa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, præſentes nullæ ſint, útque ſi dicta Confraternitas ſeu Congregatio alicui Archiconfraternitati aggregata jam ſit, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet inſtituatur, priores & quævis aliæ literæ Apoſtolicæ illis nullatenus ſuffragentur, ſed ex tunc eo ipſo pariter nullæ ſint. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XVII. Decembris MDCCXLV. Pontificatûs noſtri anno quinto.

Lect. in Conſil. Eccl. 14. Jan. 1746. Exped. cum deſignatione quatuor feſtorum ſequentium, ſcilicet S. Scholaſticæ V. S. Joſephi Sponſi B. V. M. Viſitationis ejusdem B. M. V. & S. Catharinæ V. & M. Concl. fiat publicatio juxtà tenorem Brevis. Sign. Paſſavii ex Conſilio Eccl. die & anno quibus ſuprà.

Joan. Evang. Krenauer
Conſil. Eccl. & Offic. Not.

Quare autem Academica hæc Congregatio ſub Titulo MARIÆ IN PISCINULA erecta fuerit, ratio in ejusdem *Legibus* redditur, quæ anno 1747. Styræ typis vulgatæ fuerunt. Eſt igitur Academia Cremifanenſis Muſarum domicilium, literarum emporium, artium equeſtrium palæſtra, eruditionis & doctrinæ officina, morum & virtutum magiſtra, & quod non poſtremæ laudis loco haberi poteſt, *prima Nobilium in Auſtria*, prima, inquam tempore. Nam ea, quæ RR. Patribus Societatis conceſſa eſt, Viennæ in Thereſiano, poſterior eſt. Adde, quòd Schola, ſeu Gymnaſium Cremifanenſe ſit omnibus Jeſuitarum Scholis antiquius, quippe jam anno 1548. vel 1549. ut ſuprà dictum, ab Abbate *Gregorio Lechnero* erectum, à *Placido Buchauer* auctum, ab hodierno verò Præſule ALEXANDRO ad Academiæ culmen evectum. Qui Reverendiſſimus & Excellentiſſimus Abbas cùm ob alia virtutum decora habeatur inſignis, tum verò vel hoc uno venit nomine celebrandus, quòd Scholæ Cremifanenſis gloriam, quaſi hæreditario acceptam jure, non ſolùm non interire non ſit paſſus, ſed iis honorum incrementis, quæ potuerunt eſſe maxima, reddiderit auctiorem, multóque, quàm anteactis duobus ſeculis, illuſtriorem.

Jam verò, Benevole Lector, ex te ſciſcitari liceat, qualis hæc videtur Benedictina Academia? An non egregia, præclara, atque ea omnino, abs qua juventutis, maximè illuſtris, eximia inſtitutio tam in corporis quàm animi exercitationibus ſperari poſſit? Quare optandum eſt, ut juvenes & adoleſcentes, non tam rerum & Academiæ novitate, quod naturæ hominum corruptæ frequentius, & quaſi congenitum habetur, quàm literarum atque bonarum artium amore & deſiderio exciti ad eam quaſi ſturnatim advolare non prætermittant; maximè cùm parvo hîc vivatur, & inſtruatur, quod Palladis alumnos facilè allicere & poteſt & ſolet. Quamquàm ego, ſi quid in hac re intelligo, ſatius eſſe exiſtimem, multóque ad profectum in ſtudiis majorem faciendum conducibilius, ſi Academici numero non nimiùm frequenti ſint; aliàs enim futurum eſt, quod alibi fieri conſuevit, ut centum diſcipuli uni Magiſtro dent operam, unus verò Magiſter vix decem diſcipulis, nt expedit, operam dare poſſit. Verùm hoc diductiùs explicare, huc non pertinet.

§. XV.

De erigendo communi per Germaniam Seminario Benedictino, ad excolenda inſtar Patrum Congregationis S. Mauri ſolidiora Studia.

ENumeratis celebrioribus intet Benedictinos Scholis, Lycæis, & Academiis, non incongruum, nec inutile futurum duximus hîc attexere *Votum Anonymi* nuper publico datum, *pro communi per Germaniam Seminario Benedictino*, unà cum Academia Nobilium, in Univerſitate Heydelbergenſi, aut in alio quovis commodiori loco, ex reſiduis deſolatorum in Palatinatu Rheni Monaſteriorum proventibus, ad excolenda inſtar Patrum

trum Congregationis S. Mauri ſolidiora ſtudia, *erigendo*, *fundando & ſtabiliendo*; ita enim cauſam banc illuſtrem ſanè & momentoſam perorat noſter, media etiam, quibus id confici poſſet, ſubmiſsè inſinuans.

Mores in adoleſcentibus ante omnia ad virtutem formandi.

MUlta cùm ſint ad rectè conſtituendam Rempublicam à Viris prudentibus ſapienter excogitata, atque à Legislatoribus præclarè ſancita, haud ſcio ſanè, an aliud quidpiam hoc in genere præſtantios, ſalubrius, aut illuſtrius conſtitutum unquam fuerit, quàm illud, quod *de illuſtri Juventute ad omnem virtutis & doctrinæ partem informandâ* apud Veteres majorem præ cæteris vim babuiſſe produnt biſtoriæ. Ea enim apud omnes benè moratas gentes ex ipſis naturæ ducta principiis invaluit opinio, ut ſi ſalvam florentémque & beatam velimus Rempublicam, præcipuam illis Surculis, *in quibus ſpes publica vertitur*, ritè excolendis formandisque curam eſſe collocandam. Quid namque eſt in hominum vita vel ad fructum ſuavius, vel ad dignitatem honeſtius, vel uſu ſalutarius, quàm à teneris ſobrietatem, prudentiam, juſtitiam, virtutem & ſapientiam imbibere? quid triſtius verò ac exitialius contingat, quàm ſi à DEI diſciplina & operibus illius alieni, omnia ſceleribus, flagitiis & libidinibus polluant feroces & rapidi? Quæ autem gens tam agreſtis & barbara, quæ non agnoſcat, non intelligat, à primis annis reliquam pendere vitam, eſſéque cum primis rudimentis apta connexáque cætera, poſtrema cum mediis, cum initiis utraque ferè conſentire? Ut enim in ſemente poſita ſpes meſſis eſt, ita totius reliquæ vitæ exſpectatio ab educatione pueritiæ pendet. Altas radices agunt ſerpúntque latè uti in novalibus, quibus primis annis ſemina committuntur.

Difficulter eraditur, quod rudes animi imbiberunt.

II. Mirari itaque deſinant boni Cives omnia mala, graves calamitates, ſcelera, flagitia, exorbitantias quaſi facto agmine per Aulas, Urbes, Vicos & Oppida graſſari, eâ curâ paſſim neglectâ, quæ vel maximè commendata omnibus eſſe debuit publicè privatímque. Filiorum infantiam deliciis & voluptate parentes corrumpunt, corpus otio, animum libidine imminuunt, oſtro, purpurâ, auro, gemmarum fulgore ſuperbiam faſtúmque alunt; cupediis irritatur palatum, nervi omnes corporis & animi eliduntur: Domi audiunt vidéntque, quæ pudet pigétque referre, exempla turpitudinum, vitiorum imagines.... Et credimus ex iis adoleſcentibus aut ſtrenuos milites, vel generoſos Equites, aut apolectos Senatores evaſuros? quos potiùs credi par eſt majores factos, clavo admotos, vel Magiſtratum adeptos, majore vitiorum licentiâ miſerabiles ſtrages quamprimùm edituros. Non facilè eluuntur colores, quibus nativus lanarum candor mutatur, retinétque odorem teſta diu, quo eſt primo tempore imbuta.

III. Et verò rerum imagines à primis annis ſuſceptæ, Exempla, Præceptáque quantoperè hæreant, quantam vim ſive ad corrumpendos mores, ſive ad caſtigandos habeant, vix credi poſſit. Quòd quidam præclara facinora per totam vitam ſuſcipiant, quòd pravos motus coërceant, alii libidini, ignaviæ, luxui, cæterísque vitiis mancipentur, ferè ex prima inſtitutione totum pendet; ſapuit, qui dixit: * *Adoleſcens juxta viam ſuam ambulans, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Canem tu mihi venaticum, dum tener eſt, inſtituas, odore perſequi feram, monſtrare prædam rictu contracto, ſublatáve manu, alterum offæ, ſaltationi, excubiis aſſueſac, quantum conſuetudo valeat à teneris ſuſcepta, facilè experieris. Equum inutilem putes noxiúmque, niſi à primo tempore domitus, tergo ſeſſorem admittere, pedes movere ad numerum, fræno & calcaribus regi virgáque ſit edoctus. Mites arbores, dum ſunt teneræ, adminiculis erigas, circumcidendo caſtiges, telluris vitio laborantibus mutes locum; ne eâ curâ neglectâ ſilveſcant, fruſtráque deinde omnis labor ſit: *Frangas enim citiùs, quàm flectas, quæ ſemel induruerunt.* Et erit aliquis tam à communi ſenſu alienus, tam oblitus publicæ ſalutis, qui non putet omnem curam teneræ præſertim Nobilium Adoleſcentulorum ætati impendendam? formandos ad juſtitiam, Exemplis Præceptíſque ad innocentiam pro ſtatûs ſui conditione erudiendos, quo tempore mollis ceræ adinſtar ducentis manum ſequuntur, in quemcunque velis habitum formámque mutare? Divina ſanè Platonis ſententia eſt: *Magna ingenia, niſi rectè inſtituta literis fuerint, quæ mores emolliunt, tanto deteriora & Reipublicæ pernicioſiora*

* Prov. 22.

evadere, quanto majores in illis igniculi extiterint. 6. de Rep.

IV. Quapropter Sapientiſſimi Legislatores, prudentéſque Viri ad præcipuam ſuæ providentiæ partem pertinere ſemper judicârunt, quibus moribus prima ætas imbueretur, plurimúmque operæ poſuerunt in Nobilium cumprimis Adoleſcentûm inſtitutione commendandâ. Sic *Lycurgus* Lacedæmone ex numero Principum ei curæ virum præfecit prudentiâ probitatéque præſtantem, quem *Pædonomum* dixit, ſublatis ſervis, quibus liberos inſtituendos credere anteà parentes ſoliti erant, ne frequenti cum iis uſu ſerviles induerent mores. Id ſecutus *Ariſtoteles* è pluribus Magiſtratibus unum eidem officio cum ampla jubendi vetandíque poteſtate præficiendum voluit. Meliùs Perſæ, uti *Xenophon* ſcribit, diviſâ multitudine in quatuor partes pueris Nobilium inſtituendis viros principes præfecerunt, ex ſenioribus ſelectos, probitate excellentes, ut uberior proventus exiſteret, duodecim numero, quo partitâ inter multos curâ, minor eſſet labor, diligentia & æmulatio major. Alexandrini Reges iſtud quoque providerunt, ut *Literatos doctóſque viros ex omni terra cogerent, quibus & Muſæum, in quo fas eſſet Muſis operari, extruxerunt; immò & alimenta è publico erogabant iis, qui Muſæi conſortes erant*, ut refert *Strabo* lib. 17. Hoc itidem ſtudio excitati Reges Ægypti, Pergami, & Spartani longè majorem ſollicitudinem & gloriam in cultura illuſtris præſertim juventutis, ac in fovendis bonarum artium diſciplinis, erigendíſque publicis Eruditorum emporiis, quàm in rebus bellicis collocabant. Quam ſanè induſtriam curámque optant boni omnes, ut ex parte noſtri Principes ac Magnates imitarentur.

V. Sed ad res noſtras propiùs ut accedamus, primis certè ſæculis *Benedictinos* paſſim in palæſtra illa ſcholaſtica, magno & ſuo & Reipublicæ commodo, deſudâſſe communis vox eſt. Enimverò Optimates experientiâ probè edocti, quàm periculoſum ſit liberos ſine delectu cuicunque ſe obſtrudenti erudiendos tradere, jam inde à primis temporibus eam educandæ juventutis curam ſacro Ordini Benedictino demandandam eſſe cenſuerunt, quòd plurimùm referre exiſtimarent, ſi pueri pietatem cum literis ſenſim inſtillatam auribus oculíſque imbiberent apud Viros Deo ſacratos aſſiduè verſantes. Ejus rei teſtes prodeunt *Placidus* & *Maurus* Senatorii Ordinis puberes, aliíque eximiâ indole adoleſcentuli, quos ſanctiſſimus Legislator BENEDICTUS Ipſe à teneris ad omnem virtutis pulchritudinem & ingenii cultum educavit, útque idem facerent poſteri, in ſua Regula ſaluberrimè monuit. Quo factum, ut ejus inſtituti cultores acceptum à Patre munus, cùm aliàs ſemper excoluerint, tum majori apparatu reſuſcitârint, poſtquàm Divi BENEDICTI propago in Gallia, Anglia, Hiſpania, Germania feliciore germine multiplicari, & ad novarum gentium populorúmque converſionem, aut hæreſum extirpationem efflorеſcere cœpit. Unde haud levis publica utilitas extitit, & pronior in hunc Ordinem nationum omnium favor, opéſque Cœnobiis ingentes acceſſerunt, omnibus certatim pios eorum conatus, & ſerviendi Eccleſiæ ac Reipublicæ ſtudia juvantibus, re, operâ, conſilio & ſubſidio. Hinc veterum Cœnobitarum frequens iſtud erat Epicherema: *Ex Scholis omnis noſtra ſalus, omnis gloria, omnis felicitas, divitiæ omnes, ac Ordinis ſplendor conſtánſque ſtabilitas.*

VI. Laudandi igitur Majores noſtri, quòd in ſtudium juvandi Rempublicam impulſi hanc educandæ & erudiendæ Illuſtris Juventutis provinciam Magni Parentis ſui exemplò arripuerint, Divinum ſe Numen promereri, & Principes ac Proceres ſibi devincire eâ laboris procuratione rati, in qua tantum momenti videbant repoſitum. Laudandi etiam poſteri, qui Patrum æmulatione *Hieraci* in regno Navarræ, *Oveti* in Hiſpania, *Duaci* in Flandria, *Salsburgi* & *Friſingæ* in Bavaria, *Fuldæ* in Buchonia, *Viennæ* & *Cremiſanii* in Auſtria, *Ethalæ* & alibi in Germania hodiéque ſacras literas & diſciplinas omnes publicè ſummo cum fructu profitentur. Sed quia res ad Triarios, quod ajunt, rediiſſe videtur, hîc gradus nobis tantiſper figendus eſt. Jam enim adverſus Benedictinæ Familiæ præſertim Germaniæ inferioris Cœnobitas adeò conclamatum dignoſcitur, ut & Flagritribæ in ſcholis, & Eruditi in Muſæis paſſim muſſitent: *Studiorum & Talentorum nullum ferè inter eos eſſe uſum, tum quod iſta non æſtimentur in Cœnobiis, tùm quod hæc in lo-*

cis

cis minùs celebribus ſita, occaſionem iis utendi eripiant. (l)

VII. Quamobrem, cùm teſte Hugone, *per ſcientiam fiat greſſus ad diſciplinam, per diſciplinam ad bonitatem, per bonitatem verò ad beatitudinem;* cúmq; *Vita præter Chorum & Miſſam otioſa*, ſine literis *facilè evadat vitioſa, ac mors potiùs dicenda ſit, quàm vita.* (Otium ſine literis mors eſt, & hominis vivi ſepultura. *Seneca ep.* 82.) *Ut ipſis Monachis proficiendi in ſcientiir via opportuna non deſit*, CLEMENS V. Pont. Max. in Concilio Viennenſi de anno 1312. ſapientiſſimè ſtatuit (m), *ut in ſingulis Monaſteriis, quibus ad hoc ſuppetunt facultates, idoneus teneatur Magiſter, qui eos in primitivis ſcientiis inſtruat diligenter.* BENEDICTUS verò Papa XII. in ſolemni ſua conſtitutione anno 1336. ſuper proſpero ſtatu Monachorum O. S. B. edita, *Ut eadem religio, in divini cultûs obſequio floreat boneſtatis candore, fulgeat diſciplinâ regulari, præemineat ſapientiâ, ac ſcientiæ divinæ pariter & humanæ (ſine quibus mortalium vita non regitur) fulgoribus rutilet: nec decreſcat in profectu ſubſtantiæ temporalis*, ſaluberrimè decrevit & ordinavit (n), *Ut poſtquàm Monachi in ſcientiis primitivis eruditi fuerint, ad ſacræ Theologiæ, SS. Canonum, aut Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tranſeant facultates, & ſingula Monaſteria, de quolibet numero vicenario Monachorum, unum vel duos idoneos pro fructu majoris ſcientiæ acquirendo ad generalia ſeu ſolemnia ſtudia mittere teneantur, & cuilibet ipſorum mittendorum de penſione annua providere. . .* Quâ itidem de cauſa Patres Concilii Tridentini ſtatueſunt Seſſ. 23. Can. 18. *Ut ſingulis in Diœceſibus Seminaria alendis atque erudiengis junioribus excitarentur.* Et quia Cœnobitas paulatim laboſibus Apoſtolicis more majorum exantlandis aptandos eadem Synodus cenſuit, ipſis quoqoe Abbatibus neceſſitatem quamdam impoſuit (o), *Ut inſuper Præceptores in Cœnobiis alerent*; Atq; ne cœleſtis ille ſacrorũ librorum Theſaurus, quem Spiritus ſanctus ſummâ liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, providè decrevit: *Ut in Monaſteriis quoque Monachorum, ubi commodè fieri queat, etiam* Lectio S. Scripturæ *habeatur; qua in re, ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum, in hoc ut Sedis Apoſtolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.* Quia autem hoſtis humani generis *Linguarum ſcientiâ*, ſingulari dono Dei hominibus traditâ, ad ipſius Largitoris contumeliam, & fidei catholicæ detrimentum, nunc ut cùm maximè abutitur, hinc PAULUS V. Pont. Max. motu psoprio conſtitutione pespetuò valiturâ an. 1610. die 31. Julii ſub gsavibus pœnis & cenſuris ſancivit, *ut in cujuscunque Ordinis & inſtituti Regularium ſtudiis Lectiones Linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ & Caldaicæ inſtituantur.* Quod decretum S. Congregatio de propaganda fide anno 1623. die 16. Octobris ſeriò executioni demandari juſſit, ex ſpeciali mandato URBANI VIII. præcipiens, *ut in Capitulir generalibus ejus decreti obſervatio juretur, &c.* Margarini Bull. Caſin. *Conſt.* 291. 295. 383.

VIII. Quibus quidem ſacsatiſſimis ac ſaluberrimis Conſtitutionibus moſem geseſe cùm teneamur, eum in finem Sapientiſſimi quidam Benedictinæ per Germaniam Familiæ Antiſtites, & cum iis Cœnobitæ ſaniores, conſultum & ntile duxerunt, ut commune quoddam univerſo Ordini Benedictino *Seminarium* ſeu *Collegium* in Univerſitate Heidelbergenſi, vel alibi ex reſiduis deſolatorum in Palatinatu Monaſteriorum psoventibus, collatis unà per confœderationem ſubſidiis erigeretur, fundaretur, & ſtabiliretur, eâ quidem animi ſententiâ, ut eliminato illo Studii genere, quod Sophiſticas nugas ad nauſeam proſequitur, & à ſublimiorum ſcientiarum cultu ingenia retrahit, illic ſolidiores duntaxat excolantur diſciplinæ, videlicet: *Theologia Dogmatica & Polemica*, præſertim de Controverſiis, quæ Catholicis cum modernis hæreticis intercedunt, *Studium* item *Sacræ Scripturæ*, *SS. Patrum, Conciliorum, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Juris publici, Naturæ & Gentium*, nec non *Rei Diplomaticæ*, & *Linguarum originalium Hebraicæ, Chaldaicæ, Græcæ*, aliáqne ſimilia in his Regionibus maximè neceſſaria, & à ſolis ferè Acatholicis exculta, ſubindéque flagitioſè tractata, & in avitæ fidei eliſionem detorta.

(l) Libellus de Cura ſalutis.
(m) Clem. Ne in agro. -- De ſtatu Monachor.
(n) Cap. VI. & VII.
(o) Chopin. de jure Relig. Lib. 1. Tit. 2. N. 8. p. 58. *Petrus Maria Forti* de judice conſervatore Regularium &c.

IX. Quia verò pleraque per Germaniam Monaſteria ab Optimatibus fundata, dotata & ampliata fuerunt, ut progenies ſua benè in illis inſtituta utilis eſſet exemplo & doctrinâ hominibus; plusque laboris & curæ tribuendum ſemper duxit Benedictina Familia culturæ Illuſtris Juventutis, quàm adultorum informationi, quorum ætas durior, aut malitia ſubinde iniquior eſt, quàm ut medentium manus ac operas ferant; Hinc etiam præfati Abbates Majorum ſuorum Inſtituto excitati, ut ſuum erga Principes & Statum Equeſtrem teſtentur affectum, ac benè de Republica merendi ſtudium, memorato Collegio à ſe, ùt præfertur, erigendo, ACADEMIAM NOBILIUM [*qui in vicinis Rheni, Franconiæ, & Sueviæ Circulis frequentes degunt, atque ex defectu occaſionis opportunæ, ac debitæ informationis paſſim excurrunt ad Heterodoxorum Gymnaſia, ubi peſſima cum lacte imbibunt principia, quæ deinde majores facti, & ad officia publica in Aulis Principum admoti in avitæ Religionis exitium detorquent.*] adjungere, & inſtar *Ethalenſis* in Bavaria effingere ac formare intendunt, ut illìc eximiæ indolis Adoleſcentes, in ſpem collapſæ Majorum fidei reſuſcitandæ educantur, & unà cum Religioſis Alumnis in liberalibus diſciplinis, pro Statûs ſui conditione, *velut unius moris in Domo*, caſtè piéque inſtruantur. Fore enim confidunt, ut cum fide pietas lætiùs & conſtantiùs in fructus adoleſcat, ſi quando radix enthea, i. e. intellectus ab errore, & flexilis adhuc voluntas à cupiditate præſervata, aut perſanata fuerit.

X. Præterea quoniam callidi quidam noſtræ ætatis Cenſores, pulcherrimi nominis objectu fallere dum pergunt, Monachos loco pellere ſatagunt, útque majoris boni prætextu pias fundationes ſuis uſibus aptare faciliùs poſſint, *Benedictinos* quantumvis contemplationi, precibus, lacrymis & gemitibus pro ſalute Patriæ & militantis Eccleſiæ in Cœnobiis deditos, velut *Ventres pigros, ſtupidas pecudes, & inutilia terræ pondera*, minùs verecundè ſolent traducere, ipſisque odium & invidiam apud Principes, Magnates & imperitum vulgus vel maximè exinde conflare, quòd *Bono publico nihil conferant operæ, nullum Eccleſiis præſtent obſequium, nec ſaluti animarum aut Chriſtianæ charitatis officiis incumbunt....* ut maleſarta hæc elidantur dicteria, & *per miniſterium ſervitutis noſtræ*, ût Divus ait Bernardus, *qui ſapiunt, non deſipiant, qui non ſapiunt, ſapiant, & qui deſipuerunt, reſipiſcant*, præfati Seminarii ſeu Collegii Profeſſores & Alumni, ſuas in futurum offerunt operas non ſolùm ad profeſſuras academicas, & Illuſtrium inſtructionem, ſed etiam ad MISSIONEM APOSTOLICAM (*ſi ita Summo Pontifici viſum fuerit*) pro rerum, locorum ac temporum exigentiâ obeundam; ut hoc labore Apoſtolico Fideles in fide & charitate conſerventur, errantes ab errore liberentur, & parta in Collegio doctrina ad praxin deducatur. Hoc enim prædicationis munus in Germania præ cæteris ad *Cœnobitarum O. S. B. fortiſſimum genus* pertinere ex eo videtur, quòd Evangelium primi his terris intulerint, & Eccleſias, Univerſitates, Scholáſque excitaverint: *Divino* namque *judicio*, ait Doctor Angelicus Opuſc. 19. Cap. 4. *reputatus fuit* BENEDICTUS *idoneus, cui immediatè à Deo committeretur prædicationis officium: & ſic tam verbo, quàm exemplo ſuos Diſcipulos imbuit utrâque vitâ, ut Scalam, quam erexerat in regula, aſcenderent contemplativi ad Deum, & Angelorum more deſcenderent per compaſſionem ad proximum.*

XI. Cùm autem Ordo S. Benedicti in ſolo Palatinatu ultra quadraginta utriusque ſexûs Monaſteria, ferociente turpiſſimo religionis diſſido, per hæreticos *viâ facti* occupata, demùm redimendæ pacis causâ profanis ipſorum incubis, urgente fatalium temporum neceſſitate relinquere debuerit, non quidem abſolutè & in perpetuum, ſed *tolerativè* tantùm & quoad uſum facti, *donec aliter de Religionis controverſiis diſpoſitum fuerit;* jam verò integrum deſudet ſeculum in hujusmodi controverſiarum compoſitione, nec ſpes ferè ulla ejus obtinendæ appareat, verèndúmque ſit, ne majores deinceps nectantur difficultates, *dùm unius perverſi moliminis felix exitus, ad aliud eſt ſtimulus*: idcirco alteſati Abbates benè providi pertimeſcentes, ne in manutentione ſuorum jurium velut deſides ac juſto torpidiores arguantur, ſuáque incuriâ fundationes ſacræ penitùs intercidant, aut *pro derelictis* uſurpentur, & clauſula paci toties inſerta reddatur inutilis & irrita, has ineundæ

cujus-

cujusdam compoſitionis & tranſactionis conditiones Sereniſſimo PRINCIPI ELECTORI PALATINO, ejúſque Adminiſtrationi Eccleſiaſticæ proponendas duxerunt: *Ut nempe accedente Summi pontificis autoritate* (ſine qua nihil jure de rebus ſacris conſtituitur) *aliquid ex reſiduis ſacrarum ejusmodi fundationum proventibus*, (qui ſeſe ultra 113442. flor. exporrigunt) *pro aliquali gravaminum levamine & damnorum compenſatione, exemplo legis* Rhodiæ *ad dicti Seminarii & Nobilium Academiæ erectionem, ſtabilitatem & decentem Profeſſorum ſuſtentationem deputetur annuè percipiendum*; ipsâ dictante naturali æquitate, damnum, quod quis Reipublicæ causâ, inſtante neceſſitate ſuſtinuit, eâ ceſſante, debitâ inter omnes proportione reſarciendum eſſe.

XII. Et hæc quidem cauſa, utì publica eſt, ac Reipublicæ proficua, ita illis præſertim, qui rerum moderantur habenas, gravis & ponderoſa eſſe deberet. Conſtat enim id genus Inſtituti ad Patriæ decus, Religionis ornamentum, boníque publici commodum & immortalem ejus Promotorum ac Mecænatum gloriam quàm maximè profuturum. Certum etiam eſt publicè ad felicitatem & ordinationem Statûs politici intereſſe, Academias habere benè conſtitutas, in quibus Illuſtres è libera S. R. I. Nobilitate Adoleſcentes ſimul in bonis Artibus educarentur, & à teneris præcepta morum, doctrinæ ſacræ & pietatis imbiberent; unde & Eccleſiæ Cathedrales Canonicos, & Imperium Conſiliarios, & cæteri Principes rerum ſuarum Adminiſtros peterent probè inſtructos. Neque verò ullus facilè iverit inficias fortunam Reipublicæ ut plurimùm conjunctam eſſe cum fortuna rei literariæ, boníſque diſciplinis vigentibus Civitatem benè beatéque ſe habere, oppreſſo contra literarum cultu ſimilem eſſe orbi Sole carenti. Hinc ſapiens illud FRIDERICI *ſapientis* Saxoniæ Electoris effatum: *Ut bonæ Artes floreant, rectéque ſe habeant, tantum intereſſe Reipublicæ, nullius ut rei magis.* Neque enim Religionis ornamentum aliud eſt illis ſplendidius, nec civilis rerum ſtatus ab ulla re magis, quàm à literis pendet. Quocirca, ut jam ſupra attingere cœpimus, qui bonorum Principum munere olim functi ſunt, hanc etiam principem curam habuerunt, ut cùm in cæteris Rempublicam compoſuiſſent, iis moribus & Studiis bonæ mentis ſpeíque Candidatos imbui curarent, quibus ad Patriæ defenſionem, & rem ſtrenuè gerendam opus eſſet.

XIII. Sicut verò liberale illi ac heroicum ſequuntur Inſtitutum, qui bonas Artes ſolidioréſque diſciplinas impenſiùs promovent, iíſque Juventutem à teneris informari procurant, ita meo quidem animo, Reipublicæ & Eccleſiæ hoſtes, Boníque publici neglectores jure dixerimus illos, qui eas ſupprimunt, aut illud duntaxat ſtudii genus ſectantur, quod Sophiſtarum Strophis nugíſque turget, & ingenia magis obtundit, quàm rectificet. Quâ de causâ *Xerxes* dixiſſe legitur, *ſe non poſſe gravius malum optare ſuis hoſtibus, quàm ut dementiâ & otio capti dediſcenda diſcerent, ac Sapientes viros à ſe alienarent & repellerent.* Et verò ſapientûm doctorumque hominum multitudo eſt orbis ſanitas & oculus, horum defectus & ademptio, quid aliud quàm morbus & cæcitas? Si Eruditorum ſcientiâ, *ut Sole Luna*, Mundus illuſtratur, quid aliud imperitorum ignorantia, quàm Mundi obſcuratio? Si Seminaria & Academiæ ſunt pietatis & Virtutum officinæ, bonarúmque artium promptuaria, quid aliud privatio horum, quàm Epicuriſmus & regnum tenebrarum? Ecquid verò triſtius aut pernicioſius Reipublicæ accidat, quàm ſi neglectâ ſanctiori illâ ſapientiâ, *quæ doctrix eſt diſciplina Dei, & electrix operum illius*, omnia ſophiſticis perſonent crepitibus, nulla vox de illis audiatur ſtudiis, *quæ ſobrietatem docent, & prudentiam, & juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vitâ hominibus.* Sap. 8. Verùm opus non eſt ulcus magis retegere, atque rem manifeſtam & ante omnium oculos poſitam pluribus declarare; ipſa ſanè docet experientia Germaniam noſtram nunquam ad tantam defeciſſe Doctrinæ, Morum & Religionis barbariem, quàm ubi & quando ſolidiores diſciplinæ aut penitùs neglectæ, aut Ariſtoteliadûm ineptiis corruptæ, obſuſcatæ & contaminatæ fuerunt.

XIV. Aſt quia de morbo agere nil juvat, niſi ei perſanando quæratur antidotum, facilè verò ejus rei, quæ ardua videtur, nauſea eos capit, quibus de meliori luto non finxit præcordia Titan; ut porrò propoſitum de erigendo Heydelbergæ Seminario Con-

ſilium

ſilium, in ea, quâ verſamur rerum criſi, absque juſto cujusquam gravamine faciliùs feliciúsque in effectum deduci queat, media quædam & adminicula, *ſalvo meliori judicio*, proponere & ſuggerere fortaſſe non erit inutile.

Et primum quidem ac principale reponimus in Clementiſſima Sereniſſimi Principis Electoris generoſitate, munificentiâ & æquitate. Cùm enim in re tanti momenti, ex qua non modicus Patriæ ſplendor acceſſurus ſperatur, familiam ducant Principes & Magiſtratus, iis cumprimis hæc cura ſimul & gloria cordi eſſe convenit. Etenim ſi Armamentaria, ſi palæſtræ, penus & promptuaria, quæ corpus adjuvant, tanto ſtudio, tantísque impenſis in plerisque Urbibus ſtatuuntur; ſi Palatia, Ambolacra, Horti, Theatra, ac ejusmodi voluptuaria tanto apparatu exſtruuntur; Quidni & bonæ mentis alumnis, Virisque Eruditis, *qui diſciplinâ & moribus Rempublicam adjuvant, ſcriptísque ſuis ea omnia memoriæ commendant, quæ poſteris ſeculis profutura ſint*, ſua erigantur emporia, ſuæ ſtatuantur Academiæ, quibus & animi excolantur ad ſapientiam, & contra barbariem juventus armetur ad virtutem, quemadmodùm præſidiis ad fortitudinem Reipublicæ corpus firmatur? *Id ſanè certum*, inquit celebris polyhiſtor Morhofius, *quòd ſi Princeps tale quid moliretur, frequentior Virorum Eruditorum & Studioſorum confluxus impenſas facilè reſarciret.* Sicut enim Magnes calybis aciem in ſuas vertit partes, ſic Academiæ benè inſtitutæ ex quacunque orbis parte, quamplurimos bonæ frugis candidatos ad ſe pertrahunt, uti pluribus palàm facit *Hypp. à Collibus* in ſuo Tract. *de Cauſis Magnitudinis Urbium Cap. XI.*

XV. Alterum fundamentale medium iſtud occurrit, ut *Spanheimenſe Monaſterium*, quod ob illuſtre illud orbis literati & Germaniæ ſydus, *Joannem Trithemium* loci Abbatem, olim erat nominatiſſimum, hácque de cauſa ſumptibus Ordinis pridem recuperatum & inſtauratum fuit, nuper verò Abbatiæ S. Jacobi Moguntiæ, non inſpecto jure totius Congregationis, *in Admodiationem* privativè conceſſum eſſe fertur, præfato deinceps Seminario majori cum fructu & Patriæ emolumento, ad ſuſtentationem Profeſſorum uniatur & mancipetur. Hâc ratione proventus, qui Moguntiam abeunt, in Patriam redibunt, atque ad totius Ordinis bonum, Statûs Equeſtris commodum, & Univerſitatis Heydelbergenſis decos explicabuntur. Ipſa autem ratio naturalis dictat bonum commune præferendum eſſe privato: Quemadmodùm enim *bonum quanto communius, tanto divinius eſt*, ùt ait Ariſtoteles *libr. 1. Ethicor. cap.* 2. ita etiam magis expedit petire bonum particulare unius membri, quàm bonum divinius totius Ordinis ac Communitatis: Idque fortius in caſu noſtro obtinet ex eo, quòd præfatum Monaſterium nulli alteri, quàm Sacro Ordini de jure ſubjiciatur: *Omnia enim, quæ ad Monachorum ſuſtentationem Principes ac fideles populi Cœnobiis contulerunt, Sancto* BENEDICTO *tradidiſſe memorantur. Alienum autem reſtitutioni cenſetur obnoxium*, ut fuſiùs probat Trithemius *in libr. de ruina Ord. Cap. VI.*

XVI. Tertium adminiculum in eo collocamus, ut ABBATES MOROSIORES, *quibus ſolemne eſt præſentibus ſolùm frui, ſua publicis comoda præferre, Fratres negligere, Viros ſeriis ſtudiis deditos opprimere, ſæculi pompam colere, nec quicquam de bono communi, vel Ordinis ornamento cogitare*, auctoritate Summi Pontificis ſub pœna privationis uſûs Pontificalium, & aliorum privilegiorum, juxtà ſuperiùs allatas Conſtitutiones Apoſtolicas, ad tam ſanctum & ſalubre Inſtitutum ſuis ſubſidiis pro virili portione promovendum adigantur: Illi verò, qui bona vel prædia in terris Sereniſſimi Electoris Palatini poſſident, ejus auctoritate, edictóque publico, ad contribuendum pro rata *manu forti* compellantur, ut ita, quos amor boni publici, & totius Ordinis decus, non potuerunt flectere vel allicere, timor poteſtatis ad ſaniora conſilia inducat. *Nec enim caret reatu criminis, qui avaritiam præponit ordini pietatis*: Ubi verò non eſt metus juſtitiæ, conditio juris citò contemnitur, & niſi auctoritas Principis interveniat, monentis ſermo in vanum laborat.

XVII. Quartum non minùs conducibile medium in eo conſiſtit, ut ſuperfluus Receptorum, Quæſtorum, Adminiſtratorum & Penſionariorum, *qui ex proventibus Eccleſiaſticis ſuſtentantur*, numerus reformetur, & quod exinde accreſcet emolumentum, memorato Collegio tantiſper applicetur; ita fiet, ut Eccleſiis & Parochis nihil detrahatur, & Ordini Benedictino

maxi-

maximè læſo aliquid reſtituatur. Ad id verò clementiſſimè præſtandum moveri poſſet SERENISSIMUS PRINCEPS vel ex eo, quòd in Cameralium adminiſtratione ſimilem reformationem non ſine fructu nuper inſtituerit; Quidni & in bonorum ac proventuum Eccleſiaſticorum diſpenſatione? præſertim cùm notorium ſit nonnullos his in rebus malè verſari, fami non famæ ſervire, Eccleſiarum neceſſitates in extremis ponere, poſſeſſiones alienare, verbo: non Chriſti, non Religionis, non Principis rem agere ſed ſuam.

XVIII. Quintum medium eſt, ut ex Recepturis Eccleſiaſticis aliquæ iis in locis ſitæ, ubi cura animarum Parochis ab Adminiſtratione ſalariandis incumbit, Religioſis à Seminarii Præfecto immittendis committantur adminiſtrandæ *cum onere & bonore.* Hoc pacto reſcindentur inutiles ſumptus pro ſuſtentatione Receptorum ſecularium, & ipſimet Regulares Parochialia cum re familiari Adminiſtrationi addictâ, ita procurabunt, ut ex una fidelia duos dealbent parietes; ſicque duplici ſtipendio aggratiati, quod ſupererit congruæ ſuſtentationi, in Seminarii uſus impendere tenebuntur. Et verò cum adeò rarus ſit ceſpes, quem ſeculares à Monachis inſideri cupiant, cur his invidendum erit, ſi ſua ſibi præferibiliter adminiſtranda committi exigant? *Credimus enim,* ut appoſitè Innocentius in cap. *Noveritis:* de Sentent. Excom. *Eccleſiam à Deo habere Privilegium, quòd ipſa ſola res Eccleſiaſticas adminiſtrare debeat.* Hinc vulgare illud: *Secularia ſecularibus, Eccleſiaſtica Eccleſiaſticis eſſe relinquenda.* Et iſtud quidem Laicos à bonorum Eccleſiaſticorum contrectatione vel maximè debèret cohibere, quòd experientia doceat, *omnes familias ex ejusmodi bonis ditatas, tractu temporis ad incitas fuiſſe redactas, atque demùm in fine tam fuiſſe miſeras, quàm in ortu fuerant ſplendidæ.*

XIX. Sextum huic affine præſcribitur in ipſo Pacis Weſtph. inſtrumento Art. 5. §. 26. ubi diſertè cavetur: *Ne Monaſteria, Fundationes, Sodalitia... in alios Religioſorum Ordines, quàm quorum Regulis primitùs dicata ſunt, commutentur, niſi Ordo ille penitùs interciderit.* Tunc enim primùm Magiſtratui Catholico permiſſum eſt alios (*& quidem ad excludendos Jeſuitas*) ex Ordine ante diſſidia Religionis anno 1517. exorta uſitato novos Religioſos ſubrogare. (p) juxta quod S. Concilium Trid. Seſſ. 14. de Reform. Cap. 20. ad eundem ſcopum collimando, jam antè decreverat: *Ut quovis modo vacantia regularia beneficia Religioſis tantùm illius Ordinis, & non aliis conferantur...* Sicut & *Ferdinandus I.* in Comitiis Auguſtanis anno 1555. pariter ſanciverat: *Quòd Eccleſias, Prælaturas, Beneficia, & Bona Eccleſiaſtica per eos regi & adminiſtrari oporteat, qui vigore fundationum & juxta voluntatem Fundatorum ad id habiles exiſtunt.*

XX. Septimum denique medium, ſed cautè tractandum, iſtud eſt, ut inæqualitas factæ partitionis proventuum Eccleſiaſticorum Adminiſtrationi Heydelbergenſi obnoxiorum ad æquitatis & juſtitiæ ſtateram revocetur, velut contraria ipſimet paci Weſtphalicæ. Enimverò maſſa proventuum in ſeptem ſolet dividi partes, quarum quinque Calviniſtis, duæ verò Catholicis obveniunt, excluſis planè Lutheranis, qui tamen ſoli veniunt nomine *Auguſtanæ Confeſſioni* addictorum, & in anno normali in Imperio toleratorum: Ita enim habet Art. 5. *Quæcunque bona Eccleſiaſtica ſeu Catholici ſeu Aug. Confeſſioni addicti anno 1624. die 1. Januarii poſſederunt, eadem omnia & ſingula iidem poſſideant... Uſque dum aliter de controverſiis Religionis diſpoſitum fuerit...* Quin & ibidem proviſoria bonorum Eccleſiaſticorum ex ſola poſſeſſione, *non inſpecto alterius jure,* ſed neceſſitatis lege, conceſſa detentio, iis circumſcribitur terminis, *ut æqualitas exacta mutuàque inter trinæ Religionis ſtatus ſervetur:* ita ut, *quod uni juſtum, alteri juſtum eſſe debeat...* Quocirca cùm ipſimet Calviniſtæ hanc ſibi legem rogaverint, *ut cujus eſt regio, illius ſit de religione diſpoſitio;* cúmque exinde *Exuviis inopum culti, ditésque rapinis,* & ſucceſſibus elati rem catholicam, & pacem ipſam promiſcuè fregerint, omnémque diſſidiorum compoſitionem hactenus eluſerint; fas eſſe credimus Principi Catholico ipſos jure Territoriali ad præſcriptam æqualitatem reducere, ac ea, quæ ſummorum paciſcentium placito concluſa, conventa & in tabulis

(p) Confer. *Ferdinandus Beckiſch* in Comment. ad hunc §. 26. *Puffendorf* Lib. 18. Rer. Suec. §. 60. itémque 69. necnon libr. 19. §. 96.

bulis publicis expreſſa ſunt, pro lege & norma iisdem ſuſcipienda imponere.

XXI. Neque verò mihi quispiam hîc Rempublicam objiciat platonicam, quam animo concipere, deinde inſtituere non æquè ſit facile: Nam, *Cauſa jubet ſuperos melior ſperare ſecundos.* Omni negotio quantumvis arduo ſua eſt opportunitas, & multa, quæ fortitudine ſuperari nequeunt, tempore vincuntur. *Salus autem populi eſt in amplitudine Conſiliarii.* Neque porrò licita & efficacia unquam defuerunt media, nec hodie deſunt, quominus absque colliſione, rupturâ, aut ſeceſſione Imperii à Sacerdotio utrimque impleatur illud Chriſti præceptum: *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei Deo.*

XXII. Si igitur ſupremi rerum adminiſtri ad ea potiſſimùm ſuas curas & ſtudia intendere debent, quæ Reipublicæ bono, Patriæ ſaluti, Religionis augmento, ac ſuæ gloriæ immortalitati conducere prona ſunt, haud ſcio ſanè, an aliud quidpiam hoc in genere præſtantius excogitari poſſet, quàm illud, quod præſcripto modo erigendum proponimus Seminarium unàcum Academiâ Nobilium. Præterquam enim quòd res iſta mirificam & pulcherrimam inter rei literariæ cultores excitatura ſit æmulationem, erit tota exinde Provincia eò felicior, quòd non ſolos recentes, ſed & antiquiſſimos Ordines [*quibus fidei lumen, ſoli cultum, ſcientiarum diſciplinam, & inde ſecutam felicitatem in acceptis referre debet*] in ſuo gremio refloreſcentes viſura ſit, ac etiam Viros undequaque Eruditos, Illuſtrésque adoleſcentes certatim iſthuc confluentes admiratura & veneratura. Sacræ verò Familiæ Veteres ſibi facilè de tali ſtudiorum occaſione gratulabuntur, ſperantes hâc ſe ratione æmulorum dicteria feliciùs eliſuras, quibus *inutilia terræ pondera* hucusque eſſe videbantur. Hoc inſuper facinore Æri incidendo Serenissimus Princeps, & Excellentiſſimi ejus Aulæ Miniſtri inexplicabile in Reipublicæ literariæ Civilísque com̃odum præſtabunt beneficium, omnésque Religioſorum cœtus, & orbis Eruditi Cives, ac Statum cumprimis Equeſtrem ſibi de novo maximè obſtringent, atque præter æternam ſui memoriam & gloriam Nominis im̃ortalem à Deo O. M. bonorum omnium Remuneratore mercedem accipient æviternam.

Hoc votum noſtri ſumma laboris habet.

Hucusque libellus *Coloniæ Ubiorum* typis editus; Supplica verò ad eliciendum Sereniſſimi Principis Electoris Palatini annutum & patrocinium, per Procuratorem Ordinis anno 1747. die 12. Aug. præſentata hujus erat tenoris:

Sereniſſime ac Potentiſſime Princeps Elector, Domine, Domine Clementiſſime!

Supplica ad Sereniſſ. Principem Electorem Palatinū.

» Voti compellit neceſſitas, & offi-
» cioſa mentis perurget devotio, ut
» Sereniſſimæ Celſitudini veſtræ ſub-
» miſſiſſimâ, quâ par eſt, animi prom-
» ptitudine exponam, qualiter Vene-
» rabiles Ord. S. Beuedicti per Ger-
» maniam Abbates Religionis amore
» ac boni publici ſtudio concitati,
» Deo, Principi, Patriæ, & ſanctæ
» Matri Eccleſiæ ſinceris affectibus
» ſervire, ac rebus ſuis quodammodo
» conſulere geſtientes, decreverint
» commune quoddam Collegium ſeu
» Seminarium Benedictinum in alma
» Univerſitate Heydelbergenſi pro ex-
» colendis ſolidioribus Studiis, ad in-
» ſtar Patrum Congregationis S. Mau-
» ri erigere & ſtabilire. Cùm verò
» ſalubre iſtud ac perutile inſtitutum
» perfici nequeat ſine Clementiſſimo
» Serenitatis veſtræ annutu, faven-
» tiſſimísque auſpiciis, idcircò nomi-
» ne ſui Ordinis humillimè ſupplicat
» Orator, quatenus Sereniſſima ſua
» Celſitudo vigore Superioritatis &
» Dominii Territorialis præfato Or-
» dini Benedictino non ſolùm facul-
» tatem ad id propoſiti neceſſariam,
» ſed etiam locum ædificiis ad hoc
» requiſitis idoneum concedere, aut
» vetus quoddam Monaſterium Or-
» dinis ſancti Benedicti in vicinia ſi-
» tum ad hunc finem deſtinare, ſu-
» ámque potentiſſimam protectionem
» & aſſiſtentiam principalem deſuper
» clementiſſimè impertiri ac decer-
» nere dignetur, nt memorato Ordi-
» ni (*qui ultra quadraginta Monaſte-*
» *ria in turpi religionis diſcidio profa-*
» *nata, ipſis gementibus piorum Fun-*
» *datorum manibus, redimendæ pacis*
» *causâ aliis, de facto,* usque dum ali-
» ter de controverſiis Religionis diſ-
» poſitum fuerit, *relinquere debuit*)
» aliquid ſaltem ex reſiduis ſacrarum
» ejusmodi fundationum proventibus
» ad dicti Collegii erectionem, ſuſten-
» tationem & ſtabilitatem, pro ali-
» quali ſolatio & gravaminum leva-
mine

by Google

„ mine, exemplo Legis *Rhodiæ*, ac
„ etiam in vim Articuli V. Pacis Weſt-
„ phalicæ, aliarúmque fundamenta-
„ lium Imperii Legum, & Concorda-
„ torum Germaniæ, ex æquo & bo-
„ no annuè percipiendum deputetur,
„ *donec aliter per Dei gratiam deſuper*
„ *proviſum fuerit.* Clementiſſimam
„ hanc gratiam ceu juſtitiæ admini-
„ ſtram à Sereniſſima Æquitate &
„ Benignitate Veſtra Ordo Benedi-
„ ctinus eò fidentiùs ſibi pollicetur,
„ exſpectátque ſecuriùs, quòd id
„ genus inſtituti ad Patriæ decus,
„ Religionis Incrementum, boní-
„ que publici commodum & immor-
„ talem Glorioſiſſimi Nominis Ve-
„ ſtri memoriam, quàm maximè pro-
„ futurum nullus dubitet. Qua-
„ propter ſperans fore, ut *Sereniſſi-*
„ *ma ſua Celſitudo* de noſtræ inten-
„ tionis rectitudine & petitionis ho-
„ neſtate pleniùs inſtructa, tribu-
„ nal cordis ſui aſcendere, & Æ-
„ quitatis ac Clementiæ ſuæ viſcera
„ erga memoratum Ordinem Bene-
„ dictinum miſerè in Palatinatu attri-
„ tum pandere non ſit dedignatura,
„ humiles haſce preces ſupplex nomi-
„ ne ſuæ Congregationis defert Ora-
„ tor, ac pro felici & longævo Sereni-
„ tatis Veſtræ regimine bonum Nu-
„ men inceſſanter exoraturus, eam,
„ quæ communi adhuc deeſt felici-
„ tati, hæreditatem, uno omnium
„ voto, quia omnium bono, per
„ eum, à quo Benedictionis nomen
„ hæreditamus, vovet & precatur,
„ *Celſiſſimæ ac Potentiſſimæ Serenita-*
„ *tis Veſtræ*

Humillimus in Chriſto ſervus
P. Oliverius Legipont O.S.B.
Diſibodibergenſis Abbatiæ
Præfectus, & ſui Ordinis
per Palatinatum Actuarius.

Quid eo in negotio actitatum.

Supplicem hunc libellum clementiſſimè exceperat Ser.^mus Princeps Elector, jámque ſpes optima de bono eventu affulgebat, cùm quidam *prædo rapax olei, quô lampas fulſerat aris,* de improviſo intervenit, totúmque negotium invertit. Sed tametſi nonnulli parùm æquo ſe eſſe in res noſtras animo oſtenderent, haud tamen ab urgendo negotio deſtitit *Oliverius*; Quin illud Anchiſis ad Æneam: *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ita*, ſibi dictum reputans, illudque Machabæorum 15. obtendens: *Nos neque alienam terram ſumpſimus, neque alienam detinemus, ſed hæreditatem patrum noſtrorū, quæ injuſtè ab inimicis noſtris aliquo tempore poſſeſſa eſt, tempus habentes vendicamus,* Actionem *de repetundis* contra Heydelbergenſes Jeſuitas ratione uſurpati Monaſterii *Neoburgenſis* inſtituendam duxit, contendens eos hodiéque teneri ad illius reſtitutionem Ordini Benedictino & Congregationi Burſfeldenſi faciendam *cum omnibus juribus, pertinentiis, fructibus perceptis & percipiendis, intereſſe & damno ac refuſione expenſarum.* Cujus quidem juſtiſſimæ prætenſionis ſuæ multa ille nec proletaria adfert momenta. Primum, quia iſtius Monaſterii ad Jeſuitas translatio directè contrariatur Articulo V. Pacis Weſtphalicæ, in qua expreſsè cavetur §. 26. *Ne Monaſteria, Fundationes &c. in alios Religioſorum Ordines, quàm quorum Regulis primitùs dicata ſunt, commutentur, niſi Ordo ille penitùs interciderit.* Tunc enim primùm Magiſtratui Catholico permiſſum eſt alios, & quidem *ad excludendos Jeſuitas*, ex Ordine ante diſſidia Religionis anno 1517. orta, uſitato, novos Religioſos ſubrogare. Conſtat verò *Neoburgenſe* ſeu *Novum Caſtrum* ad Nicrum flu. uno ferè milliari ab Heydelberga diſſitum, eſſe Ordinis S. Benedicti Monaſterium Congregationi Burſfeldenſi ab anno 1480. unitum, proindéque eidem præferibiliter ad alios, eſſe reſtituendum, ídque fortiùs exigente publicâ & evidente utilitate *ad fundandum*, ut præſertur, *commune Seminarium Benedictinum unà cum Academia Nobilium...* Ipſos autem Jeſuitas per præſatam Pacis Weſtphalicæ clauſulam art. v. §. 26. inſertam excluſos eſſe à captanda aliorum Ordinum hæreditate, in terminis tradunt paſſim Doctores, in ſpecie *Ferdinandus de Buckiſch* Comment. ad Inſt. P. W. pag. 224. Obſerv. 46. ad Art. V. Cui pollicem premit *Samuel Puffendorfius* libr. 18. Rer. Suec. §. 60. itémque §. 69. & libr. 19. §. 96. ubi, *Nono*, inquit, *capite lis erat ſuper cœnobiis... circa bona ſacra ad Catholicos ſpectantia, & in Evangelicorum ditionibus ſita*, concluſum eſt, *ut non niſi illis reſtituerentur, quorum Ordini ab initio dicata fuerunt;* Catholici hanc exceptionem addidernnt: *Niſi talium Religioſorum Ordo planè interciderit.* Huic clauſulæ Evangelici aliam reſtrictionem ſubnectebant: *Ut in ejuſmodi Ordinem demùm conferantur, qui ante diſſidia Religionis exorta in Germania in uſu fue-*

Actio repetundarum

1. Ex inſtrum. pacis Weſt.

rit; nimirum, *ne iſta omnia per Jeſuitas abſorberentur.*

Alterum momentum ex Concordatis Germ.

Alterum juris agendi fundamentum reponitur in *Concordatis Germaniæ*, quæ inſtar pragmaticæ Sanctionis utrimque inconeuſſa ſervari debent. Cùm etenim Statuta hæc ſint à partibus ipſis hinc inde approbata, laudata, concluſa & recepta, utramque partem contrahentem æquè complectuntur, & à neutra absque alterius conſenſu violari poſſunt, & eò minùs à ſummo Pontifice, quò major eſt hujus obligatio, ut bonæ fidei in commercio humano ſervandæ non ſolùm ponat leges, ſed etiam exhibeat exemplum. Eadem autem obligatio, quæ *Nicolaum V.* Pontificem contrahentem ex unâ ſtringebat, tenet etiam ſucceſſores: Hæc enim pacta *Romanæ Ecclesiæ*, *&* *Germanicæ Nationis nominibus* ſunt inita, quâ ratione ad ſucceſſores ea tranſire docent JC.ti Sicut igitur Pontifices obligatam volunt per hæc Concordata Nationem Germanicam etiam hoc tempore: ita quoque Romanam Sedem obligatam ſateri debent noſtro ævo, præſertim cùm ratio utilitatis in utramque partem redundantis hucusque nunquam ceſſaverit. Unde prono fluit alveo, nec ſummum Pontificem *de jure* potuiſſe integra alterius Ordinis monaſteria in Jeſuitas transferre, proindéque nec Principibus ſeculi id licere.

Tertium juris fundamentum ex clauſula *usque dum.*

Tertium juris agendi momentum repetitur ex eo, quòd ceſſio bonorum Eccleſiaſticorum Auguſtanæ Confeſſioni addictis, ex ſolâ poſſeſſione, *non inſpecto, nec ſublato alterius jure*, ſed neceſſitatis lege, ac *de facto* duntaxat, & *proviſoriè* facta dignoſcatur, *usque dùm aliter de controverſiis Religionis diſpoſitum fuerit.* Quod etſi ad *Calendas*, ut ajunt, *Græcas* aliqui futurum exiſtiment, neſcio tamen an prudenter & Chriſtianè; divino quippe Numini, in cujus manu ſunt omnium poteſtates, jura Regnorum & corda Principum, certè non eſt impoſſibile vel difficile, per Spiritum unitatis diſcordantes à ſe animos reconciliare, dum per eundem Spiritum in corde fidelium ſui amoris ignem accendere, & per diverſitatem linguarum diviſas gentes & mentes in unitate fidei congregare conſuevit;

Card. Auguſtini Velerii ſententia.

Imò (*ùm ſuperet Divina clementia mortalium omnium iniquitates, non videtur deſperandum aliquando fore rationibus quibusdam occultis, ut Provinciæ reſipiſcant, & ad ſanitatem Fidei mortales quàm plurimi redeant*, ita enim æterna Veritas per verbum Incarnatum *Joan.* 10. eventurum edixit, *ut fiat unum Ovile & unus Paſtor.* Hinc & ipſi Galli, communes licèt tùm Germaniæ hoſtes; ea, quæ toto Articulo V. in Catholicæ religionis præjudicium inſerta ſunt, adeo ægrè ferebant, ut *Avauxius* Plenipotentiarius Gallicus, pro zelo ſuo à *Puffendorfio* libr. 18. & 19. rerum Suecicarum hinc inde notatus, cùm ſubſcribendum eſſet, ingemiſcens dixerit: *Vellem me neſcire literas...* Et ita demùm Galli clauſulam iſtam: *Usque dum de* Religionis *diſſidiis per Dei gratiam conventum fuerit*, omninò ſufficere cenſebant, ut olim adverſæ parti, *ceſſante neceſſitate*, à Catholicis Principibus obviaretur, ſi deinde amicabili compoſitioni nollent acquieſcere, aut eam diutiùs protelare. Si enim perpetuitas retinendi in pactum veniſſet, dici debuiſſet: *in perpetuum*, aut illa clauſula adjici nullatenus debuiſſet, ne illuſoria videretur. Hâc autem ratione ſalvari jura antiquorum Ordinum in Pace Weſtphalicâ temerata ſanus nemo inficias iverit; à nullo igitur violari, intercipi vel lædi jura iſta poſſunt, vel debent, præſertim cum poſſibilis ſit caſus, quo paciſcentes Principes poſſent & deberent illa bona monaſteriorum hæreticis auferre, & legitimis dominis ad mentem fundatorum reſtituere. Atenim factâ eorum ad Jeſuitas translatione omnia iſta jura tam providè antiquis Ordinibus reſervata intercipi & extingui nemo non videt. Nefas ergo ac perfidum fuerit ejusmodi bona Divi *Benedicti* Familiæ dicata auferre, & in Jeſuitas transferre.

Quartum argumentum ex Bulla Pontificia Innocentii X.

Præterea ceſſio illa bonorum Eccleſiaſticorum tam malè habuit Pontificem Maximum INNOCENTIUM X. ut per Nuntium ſuum *Fabium Chiſium* ſolenniter proteſtatus ſit, immò in ſua Bulla: *Zelo domûs Dei.* A. 1648. publicata, Articulos initæ pacis, qui Religioni Catholicæ, Eccleſiis, Monaſteriis, aliísque piis locis, perſonis & juribus Eccleſiaſticis quomodolibet præjudicant, nullos & irritos declaraverit, *neque ex illis* (ſic verba ſonant) *cuiquam aliquod jus vel actionem, aut titulum coloratum vel cauſam præſcribendi, etiamſi longiſſimi &*

imme-

immemorialis temporis poſſeſſio, etiam citra ullam interpellationem ſeu interruptionem ſubſequatur, acquiſitum fuiſſe, nec eſſe, minúſve ullo tempore acquiri & competere, ſed *pro non extantibus, & non factis perpetuò haberi. . . ſicque & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcunque judices. . ſemper & ubique judicari & definiri debere, ac irritum & inane, quidquid ſecùs ſuper his à quoquam, quâvis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. . .* Nullus autem Jeſuita negaverit Pontificem in rebus ſacris poſſe jus etiam in Principes dicere, hancque *Innocentianam* idem robur eandémque vim habere, quam habet Conſtitutio *Unigenitus*, vel quævis alia: Aut ſi ad ſolennem hanc proteſtationem & declarationem *Nullitatis* attendere noluerint Jeſuitæ, nec nos tenebimur reſpicere privata & plerumque malis artibus elicita, quæ nobis ex adverſo obtrudúnt Principum & Pontificum reſcripta. Quòd ſi ipſis huic, ut decet, Innocentianæ fidem robúrque denegare animo non inſidet, res noſtra habetur deciſa, *Pacem Weſtphalicam* neutiquam tollere jura & prætenſiones antiquorum Ordinum in ſuas fundationes, proindéque nec quidquam juris, vel juſti tituli ipſis Principibus, aut aliis quibusvis bonorum monaſticorum incubis affricare poſſe; ac conſequenter jus Familiæ Benedictinæ in ſua Monaſteria competens ſervari debere inconcuſſum & inviolabile, *donec aliter per Dei gratiam de controverſiis Religionis conventum fuerit.*

Quintum argumentum ex Adminiſtratione bonorum Eccleſ.

Adhæc certum eſt & innegabile, bona Monaſteriorum in Palatinatu *de facto*, non *de jure* ſuppreſſorum haud eſſe extincta aut ſecularizata, ſed ſub *Adminiſtratione Eccleſiaſticâ Heydelbergenſi* certis conditionibus conſervari & adminiſtrari, *donec diſſidentes in Religione ad concordiam redierint*, vel *aliter de controverſiis* cum conſenſu eorum, quorum intereſt, *diſpoſitum fuerit.* Certum etiam eſt Ordinem S. Benedicti nunquam conſenſiſſe in translationem memorati *Neoburgenſis*, aut alterius cujusque monaſterii; proindéque ſuis juribus & prætenſionibus nunquam ceſſiſſe. Sed & notorium eſt ipſam Adminiſtrationem Eccleſiaſticam ſemper ægrè tuliſſe, ac reclamâſſe contra ejusmodi translationes in Jeſuitas, utpote in ipſa Pace Weſtphalica, utì ſuprà attingere cœpimus, ab herciſcundo aliorum Ordinum patrimonio excluſos. His autem ita ſibi conſtantibus, quid juvabit rapinas & ſpolia vanis, & ne ſpecioſis quidem vel apud prudentes validis velare prætextibus? Quid proderit obtendere Principis aut Pontificis authoritatem? Quid longam poſſeſſionem, quid alia ſubterſugia prætexere conducet? cùm res ipſa ſemper clamet ad dominos ſuos, & explorati juris ſit, *non firmari tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit*; *Nec dimitti peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Ubi verò nuda veritas cernitur, turpis ignominia eſt, ſi commento fallaciæ deſervitur.

Sextum argumentum ex officio Principum.

Non ſolent Principes aut Pontifices Monaſteria deſtruere, aliorum jura lædere, ſed ædificare, tueri, & defendere; *data enim eſt iis poteſtas ad ædificationem, non ad deſtructionem* (q); Ita quidem ut ipſe *Vincentius Filiucius* Jeſuita non dubitet ſcribere, *Pontificem tam ex officio, quàm quaſi ex contractu cum iis, qui bona Eccleſiis reliquerunt, obligatum eſſe lege divinâ & naturali, tam his, quàm illis, in quorum emolumentum relicta ſunt, non alienare; adeò ut ſi contrarium fiat, injuria fiat Fundatoribus, quorum voluntate legitimâ & rationabili non ſtatur; lædatur utilitas publica, cultúsque Religionis; fiat injuria Religioſorum ſucceſſoribus; quæ tanto major eſt, ſi præter jacturam bonorum fortunæ, famæ quoque periculum adſit, quod tunc accidit, quando bona ita ſine cauſa auferuntur, ut detur aliis probabilis ſuſpicandi occaſio, factum id eſſe, vel propter negligentiam, inſcitiam, aut ignaviam, vel propter flagitioſam vitam...* Ut quid ergo Heydelbergenſes Jeſuitæ Pontificem ſuæ impetiginis fautorem, & injuſtitiæ cooperatorem allegant? Unde ipſis tam inaudita præſumptio, ut coram Vicario Christi, rem gratam mentiantur Principibus, quam conſtar illis eſſe contrariam? Si enim laudem Dei Principes quærunt, ſi Religionis cultum, ſi juſtitiam & æquitatem pacémque diligunt, ſi ſuo muneri, ſuæque conſcientiæ ſatisfacere cupiunt, nunquam Monaſteria *Sancto* BENEDICTO dicata auferent, nunquam ab Ordine Sancto ad Jeſuitas contra fundatorum mentem, contra omnia jura ſacra & profana transferri conſentient.

(q) Luculentus hac de re Marcellus Papa relatus diſt. 96. in hæc verba: *Boni Principis eſt Eccleſias contritas atque conſciſſas reſtaurare &c.*

tient. Sin autem utilitates ſuas velint attendere, plus de Cœnobiis Benedictinis, quàm de Jeſuiticis Collegiis ſenôrunt lucri accipere; Horum enim Patrum aviditatem Principes plura indies indulgendo, non tam implent, quàm exacuunt, magíſque ſovent, ita quidem, ut hi aliena petendi finem nullum, iſti verò largiendi nunquam reperiant terminum.

Modeſta excuſatio & ad æquitatem adhortatio.

Hactenus *Oliverius.* Quâ in cauſâ licet putreſcentia vulnera aceto & ſale potiùs defricanda, quàm oleo diluenda fuerint; quia tamen, uti Auguſtinus ajebat, *In jure & æquo decet animi magnitudo*; & *Quiſquis metu cujuslibet poteſtatis veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe provocat, quia magis timet hominem, quàm Deum,* * hinc ſperat fore, ut RR. PP. Jeſuitæ animarum ſaluti maximè intenti, quidquid hîc pro veritate & Juſtitiâ aſſertum eſt, æqui bonique conſulant, ne dum ipſi aliis prædicant, primas noſtræ Religionis leges: *Non furtum facere; Non concupiſcere rem alienam; Neminem lædere; ſuum cuique tribuere &c.* floccifacere arguantur, & Seculi Principibus, atque hæreticis ſimilia perpetrandi anſam ſuppeditent. Verendum enim eſt, ne ſi tot juſtæ Religioſorum querelæ latiùs ſerpant, piorum offendatur animus, impiorum dicaces linguæ magis acuantur, & dœmoni ad vaſtitatem incubanti, ſubdatur materia de ipſis hominnm affectibus triumphandi. Verùm hâc de re plura Studioſus Lector inveniet in ROMANI HAY Aſtro inextincto, & in ALPHONSI de VARGAS Relatione *de Stratagematis & Sophiſmatis Jeſuitarum ad Monarchiam Orbis terrarum ſibi conficiendam...* Nos jam ad alia tranſimus, ſpe freti, fore, ut,

- - - - - - Pacatâ Numinis irâ
Sacrorum tandem redeat fortuna locorum.

* S. Auguſtinus relatus II. Q. 3. can. *Quisquis.*

§. XVI.

Methodus Studiorum tum humaniorum, cum Severiorum, prout ea deinceps in Scholis & Gymnaſiis Benedictinis per Germaniam tradenda Superiorum nutu præſcribuntur.

A. P. O. L.

CUm frequens, nec prorſùs infundata multorum perſtrepat querimonia, *Studioſam juventutem hac ætate in publicis per Germaniam Gymnaſiis non niſi res ſteriles, abſtractas & inanes diſcere, ac poſt inventas fruges glandibus adhuc paſci, & furfure ſaginari, ſicque juvenes à teneris primâ tincturâ corrumpi, ut deinde vel per totam vitam maneant imperiti, vel majori conatu dediſcenda illis ſint, quæ perperam didicerunt*; Ne porrò iſta calamitas ulteriùs ſerpat, noſtróſque in cancellos irrumpat, & magis invaleſcant querelæ ac declamationes, Viri quidam graves, & ſive dignitatem, ſive ſapientiam, ſive denique religionem & prudentiam ſpectaveris, ſummé commendabiles, jam dudum in votis habuerunt, ut tandem Methodus quædam ſeu Norma tum Humaniorum, cùm Severiorum ſtudiorum, quibus & prima juventus, & ipſi Religioſi in Scholis monaſterialibus tùm interioribus, cùm exterioribus *majori cum fructu* poſſent imbui, præſcriberetur. Hâc ratione factum iri, ut & ipſimet Artium liberalium Profeſſores, ac etiam ſolidiorum diſciplinarum cultores haud vulgare compendium inde faciant; illi quidem, quòd Idæam methodúmqe in promptu haberent, quam imitarentur, & diſcipulis ſuis imitandam proponerent, iſti verò quòd duces & hodegetas præſto reperirent, quos ſequerentur. Sapientiſſimis igitur iſtorum, quos veneramur, Virorum conſiliis votíſque gratificari & veliſicare cupiens, hoc qualecunque officii genus ipſis commodare animo conſtitui, ut quam pridem ad communem uſum vulgaveram ſtudiorum Methodum, hoc loco Sodalium uſibus magis coaptatam, iterùm reponerem. Tu *Lector*! ſine præjudicio lege, & cum judicio conſidera, ac pro favorabili tuæ æquitatis ratione,

Da veniam ſcripto, cujus non gloria nobis
Cauſa, ſed utilitas, officiúmque fuit.

SECTIO I.

Inſtituendæ juventutis norma.

Muneris inſtituendæ juventutis præſtantia.

1. MAgna enimverò & momentoſa res eſt *Inſtitutio Juventutis*, eáque inter præcipuas Abbatum curas meritò reponenda; *Nullum enim munus*, inquit Cicero (t), *Reipublicæ afferre majus meliúſve poſſumus, quàm ſi docemus atque erudimus juventutem, his præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrenanda & coërcenda ſit.* Quocirca ne res tanti momenti illotis, quod ajunt, manibus contingatur, & initiis faſtidioſè neglectis, aut turpitet ignoratis proficiendi rationibus intempeſtiva curioſitas næniis duntaxat & apinis intendat, libet hîc ea, quæ pro temporum ac tetum viciſſitudine in ſcholas invehenda, aut ntiliore methodo tradenda peritioribus viſa ſunt, ita proponere, nt non offendantur ſcientes, & inde proficiant neſcientes.

Quid in eo præcipuè obſervandum.

2. Ut ergo otdinatè & cum fructu res procedat, in ſtudiis illa præcipuè ſunt obſervanda, quæ hodiedùm manifeſtum habent uſum; Nam ut ſapienter Seneca: *Neceſſaria ignoramus, quia non neceſſaria diſcimus.* Hinc & *Walæus* in Oratione de officio veri ſtudioſi, *inane*, inquit, *eſt ſtudium ſupervacua diſcere, & magis utilia negligere.* Aliter autem tractari debent artes ab iis, qui eas ad uſum transferunt, alitet ab iis, qui alios iiſdem inſtruete contendunt. Hi cumprimis animum curáſque & ſtudia intendere debent in eos ſcriptotes, qui de ſcholis & ſtudiis ritè inſtituendis ſalutaria nobis conſilia moniáque præſcribunt, quales ſunt *Mabillonius, Rollinus, Claudius Fleury, Ludovicus Vives, Grotius, Naudæus, Clapmarius,* & alii ſimul editi (r), ex quibus quod è re ſua fuerit, petete poterunt Ludorum moderatores & ſtudioſi.

Ingeniorum ſelectus.

3. Quia verò non è quovis ligno fit Metcurius, ante omnia Ingeniorum delectus ſedulò erit inſtituendus; *Nec enim id effici poſſe confido*, inquit Cicero (s), *quod ne poſtulandum quidem eſt, ut omnes adoleſcentes ſe ad ſtudia convertant. Pauci utinam! quorum tamen in republica latè patere poterit induſtria.* Hinc & SS.mus Legislatot noſtet BENEDICTUS, à quo docendi munus & benedictionis nomen hæreditamus, nonniſi nobilis aut patricii generis filios ſuſcepit educandos.

Eorum cultura.

4. Facto ingeniorum ſelectu, excolenda probè ſunt illa: Nam uti terra etiam inhabilis culturâ perfici poteſt, ita etiam animi facultates: *Nihil quippe eſt feracius ingeniis, iis præſertim, quæ diſciplinis exculta ſunt* (t). Seminis verò inſtar ſpargenda ſunt præcepta, nec multis opus eſt, ſed efficacibus & ſolidis. Facilius intrant, ſed & hætent firmiùs. Sic ſemen quamvis ſit exiguum, cùm occupavit idoneum locum, vires ſuas explicat, & ex minimo in maximos auctus diffunditur. Idem facit docentis oratio, non latè patet, ſi aſpicias, in opere creſcit. pauca ſunt, quæ dicuntur: ſed ſi illa animns benè excepetit, convaleſcunt & exſurgunt. Eadem eſt, inquam, præceptorum conditio, quæ ſeminum; multum efficiunt, etſi anguſta ſnnt, modò, ut dixi, idonea mens rapiat illa, & in ſe trahat.

Exercitatio.

5. Exercitatio autem tectè ordinata præcipuum in his habetur ſubſidium. Quapropter à primo ſtatim ſcholarum ingreſſu exerceri debent pueri aſſiduè in Nominum & Verborum inflexionibus. Themata, quæ penſi diurni nomine præſcribuntur, ad Syntaxeos & Grammatices regulas maximè erunt accommodanda. Horum matetia ſit vel *Ethica*, vel *Hiſtorica. Ii verſus*, inquit Quintilianus (u), *qui ad imitationem ſcribendi proponentur, non otioſas velim ſententias habeant, ſed honeſtum aliquid monentes; Proſequitur hæc memoria in ſenectutem, & impreſſa animo rudi usque ad mores proficit.* Dicta etiam clarorum virorum ediſcere intet luſum licet, puta *Julii Cæſaris, Caroli V, Menagiana, Peroniana, Valeſiana, Poggiana*, & *Eraſmi* Philoſophorum apophtegmata. Utiles quoque hanc in rem erunt Vitæ excellentium Imperatorum CORNELII NEPOTIS; *Terentius Chriſtianus, & Ethnico-Hiſtoricus* JOANNIS BLASII, item PHOEDRI fabulæ, & ſimiles.

6. Tri-

(r) Amſtelodami apud Elzeverios 1645.
(s) Cicero de Divin. libr. 2. n. 5.
(t) Idem de Orat. n. 48. & Seneca ep. 38.
(u) Quintil. libr. 1. cap. 1.

Lingua vernacula.

6. Tricis Grammaticis non ultra quàm opus eſt, pueri ſatigentur; Nefas autem ſit vel quidquam docere, quod poſtmodùm dediſcere debeant. Cùm itaque plurimùm omninò interſit, Adoleſcentes plenam & perfectam *linguæ vernaculæ* habere notitiam, prima rei hujus continuò tradentur elementa, eúmque in finem ter minimùm in hebdomada author Germanicus elegantis ſtyli altâ voce prælegetur, ut pueri inſulſam ac tuſticam parentum dedocti dialectum, genuinam demùm pronuntiationem ſibi reddant familiarem. Ipſa enim linguæ vitia niſi primis eximuntur annis, inemendabili inpoſterùm pravitate durantur. *Non aſſueſcat ergò, nedum infans quidem eſt, ſermoni, qui dediſcendus ſit.* (x)

Orthographia.

7. *Orthographiæ Germanicæ* cura etiam præcipua eſt habenda; hujus verò Canones breviter excerpentur, vel ex *Gottſchedio*, vel ex *Auguſtino Dornbliiet*, aut ex alio quodam ptobato Grammatico ſeu Critico. In ea enim cùm plurima adhuc occurrant, quæ in controverſiam vocantut, non uni *Gottſchedio* arctè adeò credimus adhærendum, ut ab eo diſcedere teligioni ſibi ducere debeant Ludimagiſtri; ſed optima quæque ex ſanioribus Criticis & Orthographicis collecta in penum ſuam referre & diſcipulis tradere ſatagant, ut ita ad probum & purum ſenſim ſtylum ſeſe aſſuefaciant. Petenda igitut à profanis ſcriptoribus ſermonis elegantia, & ab iis verborum optima ſupellex mutuanda: ſunt illa quaſi pretioſa vaſa, quæ ab Ægyptiis furari ſine piaculo licet.

Claſſis media.

8. In *Claſſe media* docebuntur difficiliota, nempe Præcepta Grammatices ex probato Authore; tum Epiſtolæ elegantiores ex *Cicerone*, dein ex *Terentio* aliqua pro more explicabuntur. Phraſes ex variis defloratæ ſubinde dictabuntur ad calamum, ut in quotidianis exetcitationibus pueris teddantur familiares. Poſt Pentecoſten vertent bis quot hebdomadis Germanicè vel Scenam ex *Terentio*, vel Epiſtolam ex *Cicerone*, vel locum quendam inſignem ex ejusdem opuſculis philoſophicis, aut ex *Curtio* &c. Thematis Germanici loco imperabitur quandoque Epiſtola, vel Dialogus ſolœciſmis ſcatens, quem aptè teddant germanicè. Memoriæ etiam mandabunt Paradigmata Germanica Nominum, Verborum auxiliarium, maximè autem Anomalorum imperfecta, præterita, ſupina, & modos imperandi. Dictabuntur denique Formulæ ſalutandi, benè precandi, valedicendi &c. ex *Eraſmo* & aliis. In æſtate habebitur publicè dialogus ſtylo Terentiano, ſine apparatu ſcenico. Sempet autem jubebuntur loqui latinè.

Suprema.

9. In *ſuprema Claſſe* præter ea, quæ tradi ſolent, docebitur *Hiſtoria poëtica.* Drama ſcenicum omittetur, ejúſque loco Magiſter ſub anni finem ſubſtituet Exercitationem publicam, vel ex Hiſtoria poëtica *de Diis majorum minorúmve gentium*; vel *de Magiſtratibus Romanorum*, aut *de Sacrificiis & Ludis Veterum*, *de Militia Romana*, *de Geographia veteris Latii*, *Græciæ*, *Germaniæ &c.* Jubebuntur ſingulis hebdomadis bis aliquid ex Latino in patrium ſermonem vertere. Quam in rem ſeligi poterunt variæ deſcriptiones, puta hominis & mundi nniverſi ex Cicerone libr. 2. de Natura Deorum; Deſcriptio Sytacuſæ, quam habet idem in Verrinis; præcepta quædam Ethica ex libto de Officiis; Elogium *Craſſi* libr. 3. de Oratore; Dotes animæ humanæ ex Quæſt. Tuſculan. Deſctiptiones item Fluminum, Montium, Urbium ex *Curtio* & *Livio*; Præliorum & Obſidionis ex *Famiano Strada*. Iconoclaſtatum ex ejusdem libro de Bello Belgico. Naufragii ex epiſt. P. *Lana* S. J. Montis ignivomi ex eodem, & alia ejusmodi.

Schola humanitatis.

10. In *humanitatis Schola* docebitur, quantum fert ætas, in quo ſita ſit Styli ſoluti & ligati diverſitas; quomodo ſæpè *Cicero* in eadem Oratione pro diverſitate rerum diverſo etiam ſcribendi genere utatur. Apponatur *Julius Cæſar* Livio & Curtio. Conferantur epiſtolæ *Ciceronis* cum ejus opuſculis Ethicis ac Philoſophicis, hæc iterùm cum Oratoriis. Dictet Magiſter de eodem argumento Epiſtolam, Chriam, Narrationem hiſtoricam, oratoriam &c. Dicat eandem rem Puer, Adoleſcens, Senator, Cæſar; & videbunt diſcipuli non idem dici, dum idem dicunt. Eodem modo idem argumentum perſequetur Magiſter carmine elegiaco, epico, odâ; & apparebit Phraſeologiæ ac ſenſuum diverſitas.

Themata.

11. Singulis hebdomadis Magiſtet minimum bis dictabit diſcipulis themata latina & germanica ſuo ſtylo elaborata. Germanica erunt vel brevi-

uſculæ

(x) Quintil. lib. 1. cap. 1. & 2.

Digitized by Google

uſculæ quædam orationes ex *Livio*, *Curtio* &c. Vel affectus aliquis, aut amplificatio oratoria ex Cicerone. Locus quidam ejusdem inſignis eſt de *Oratore* ſeu *Bruto*; Epiſtolæ Germanicæ de quovis argumento, vel aliud quid hujusmodi. Magno hìc uſui erit Rhetorica Germanica *Gottſchedii*; item *Joan. Andr. Fabricii Philoſophiſche Red-Kunſt &c.*

Declamationes. 12. In Declamationibus hebdomadariis vel menſtruis ſufficiet, ſi ſemel recitent Poëma confectum à Magiſtro. Reliquo tempore ſeligantur loci inſignes ex *Virgilio*, quos memoriæ mandent, & declament. Poterit etiam horum loco recitari quandoque locus illuſtris ex Poëtis recentioribus v. g. Genethliacum ex *Jac. Balde*, Supplicium Cupidinis ex *Hoſchio*, Ecloga ex *Rapino*, Fabula ex *Huetio*; vel aliud ſeligi argumentum ex *Vanierio*, *Wallio*, *Ruæo* &c. Vel carmen aliquod didacticum ex iis, quæ nuper prodierunt Pariſiis. Nec vetat Orationem Germanicam Rhetori, Poëma ex *Tillio*, alióque Poëta Germanico Poëtæ recitandum ſubinde demandare. Elegantiſſima eſt Verſio artis poëticæ *Horatii*, quam edidit *Gottſchedius*; laudatur etiam *Virgilii* verſio Germanica *Ratisbonæ* nuper edita &c.

Rhetorica. 13. Provectioribus Rhetoribus præter Orationes ſelectas & Rhetoricas celebriores à noſtris editas commendabuntur etiam *Ciceronis* libri de Oratore, & alia ejusmodi opera, ex quibus non modò veram Oratoriæ Artis ideam, ſed ipſam etiam eloquentiam uberiùs hauriant. Jubebuntur etiam quandoque diſcipuli germanicè ſcribere allocutionem quandam Principis gratulatoriam, deprecatoriam; Elogium Viri literati, Affectum, Narrationem oratoriam &c. Docebuntur etiam methodum inveniendæ & diſponendæ Concionis. Actio ſcenica non habebitur niſi una ſub finem anni; Declamationes hebdomadariæ & menſtruæ fient more conſueto. Argumentum erit illuſtre, novum & dignum erudito conſeſſu.

Græca. 14. In Græcis ita inſtituantur adoleſcentes, ut humanioribus pedem non efferant, quin ſaltem Scripturam græcè intelligant, & explicare, cùm opus eſt, poſſint. Hunc in finem maximè conducet *Ilias in nuce*, præcepta ad Græcam linguam breviter & feliciter diſcendam complectens, edita à Cœnobitis S. Jacobi Ratisbonæ A. 1722. in 8. Omni anno haberi debet exercitatio græca publica, in qua Græcæ interpretationis in aliquo illuſtri argumento ſpecimen præbeant diſcipuli; puta *de Neceſſitate & Utilitate linguæ Græcæ ad omnes ſcientias, earúmque voces technicas ritè intelligendas*; de Erroribus in Græcis Authoribus interpretandis &c. de quibus *Rollin Tom. I. pag.* 174.

15. Cùm Hiſtoria ex pueris ſenes faciat, omnibúsque aliis ſcientiis lucem fœneretur maximam, hinc juvenes in Chronologicis, Geographicis, & Hiſtoricis quàm diligentiſſimè à teneris erunt exercendi. Primò autem ipſis tradetur *Methodus contracta hiſtoriæ*, depingens illius Naturam, Partes, Proprietates, ejúsque ſtudii Utilitates, Requiſita, Regulas, Modos, Praxin, quâ reapſe totius hiſtoriæ ſuis periodis decurrendæ veſtigia deſignentur. Huc maximè faciunt: *Anſelmi Deſingi* Schema triplex Ambergæ A. 1725. in fol. oblongo editum; *Auxilia hiſtorica; Compendium eruditionis*; & alia ejusdem opuſcula. *Edmundi Pock* Ettalenſis Tabellæ Hiſtoricæ, &c. Hiſtoria.

16. Eundem in finem Ludorum Moderatores tabulas æneas ſeu Iconiſmos & Mappas geographicas ac chronologicas cùm univerſales, tum etiam ſpeciales v. g. antiqui Latii & Græciæ, Urbis Romæ, Sacrificiorum, Triumphorum, Aciei, Terræ Sanctæ &c. in ſcholis, vel in ambitu aut abſide appendi curabunt, ut adeò Adoleſcentes Geographiam, Chronologiam & Hiſtoriam, quam per partes eundo addiſcunt, uno veluti aſpectu intueantur univerſam, ſicque ea, quæ in *Cicerone*, *Livio*, *Virgilio*, aliſque Scriptoribus hiſtoricis aut Geographicis occurrunt, feliciùs animo infigant. Tabulæ Geographicæ,

17. Adibunt interim ſtudiorum Moderatores theſauros eorum, quos ſuis locis laudant Scriptores methodici & Bibliographi; eóque ſuas curas dirigent, ut diſcipulis præſtantiores in quavis diſciplina authores, horúmque meliores & caſtigatiores editiones indicent, eo ferè ordine, quo in quavis materia legendi ſunt. Primum enim eruditionis cimelium eſt nôſſe bonos libros, & ſcire unde aliquid petendum ſit, cùm opus fuerit, eſt penè dimidium perfeciſſe. Fontes indicandi Tyronibus

18. Hac verò in re uſui maximo erunt Bibliographi & Ephemeridum literariarum Scriptores, tum etiam *Theophili Raynaudi* Erotemata de bonis Bibliographi.

nis & malis libris; *Verulamius* de augmento ſcientiarum, *Morhoſii* Polyhiſtor literarius; *Mabillonii* Tractatus de Studiis monaſticis; *Bailleti* judicia Sapientûm de libris, *Struvii*, item *Stollii*, *Olearii*, *Dupinii*, *Cavei*, *Oudini*, *Jöcheri*, & aliorum in rem literariam Commentarii; ſed maximè Sodalibus noſtris commendanda venit hæc Hiſtoria noſtra literaria: Tot enim Præceptoribus, tot exemplis nos inſtruxit antiquitas, ut poſſit videri nolla forte naſcendi ætas felicior, quàm noſtra, cui docendæ priores elaboravetunt.

SECTIO II.

Biennium Philoſophicum novâ methodo propoſitum pro Scholis exterioribus.

Philoſophiæ indoles, finis, & proprietates.

1. PHiloſophiæ vaſtum eſt regnum; notitiam quippè hominis, & rerum qoæ ſunt extra hunc poſitæ, complectitur. Intentio eſt efficere Philoſophum, ſeu ſapientem non ſolùm ſermone & linguâ, ſed etiam corde, moribus, vitæque habitu. Hoc ut conſequatur, vera Philoſophia ſtudet imbuere duas nobiliſſimas hominis facultates ſeu potentias, *Intellectum* & *Voluntatem*, hanc roborando virtutibus & vero felicitatis objecto propoſito; illum ſcientiis, artibus, variíſque ſalutaribus notitiis illuminando, ab ignorantia purgando, per certas regulas veri indagandi, agnoſcendi, dijudicandi &c.

Quid Logica,

2. *Intellectui humano* acuendo & perpoliendo, ex multis ſapientûm Virorum animadverſionibus natæ atque in Syſtema redactæ ſunt hæ artes & ſcientiæ: *Logica*, *Ontologia* & *Pſychologia*. LOGICA eſt ars cogitandi, finis agnitio veritatis, à qua cùm ſæpè aberremus, excogitatæ fuerunt regulæ nonnullæ, quibus Ideæ, Judicia & Ratiocinia noſtra contra omnes muniantur errores. ONTOLOGIA eſt ſcientia entis in communi, ſive notionum ſpiritibus ac corporibus communium, & axiomatum cum his ideis atque notionibus connexorum. PSYCHOLOGIA eſt ſcientia Animæ, cujus utpote nobiliſſimi, nobíſque intimi ſpiritûs, notitia ante cætera omnia acquirenda; eítque hæc ſcientia poſt *Logicam* & *Ontologiam* tertium medium ad perfectionem humanam.

Ontologia, Pſychologia,

Ethica.

3. *Voluntati rectificandæ* ſervit *Ethica*, quæ eſt ſcientia hominem ratione prœditum per media congrua ad finem ſuum perducens. Hæc ſi unios hominis perficiendæ voluntati leges dicat, vocatur *Monaſtica*; ſi Domûs vel Familiæ felicitati adipiſcendæ, *Herilis* & *Oeconomica*; ſi Civitati & multitudini, *Politica* nuncupatur.

Objecta extra nos poſita,

4. *Intellectu* & *Voluntate* ad ſuam felicitatem præparatis progrediendum ad objecta rerum extra nos poſitarum contemplanda, quatenus ad perfectionem atque felicitatem noſtram conferunt; Duo enim hi fines nunquam prætermittendi ſunt Philoſopho. Objecta verò extra nos ſunt *Deus* & *Mundus* ſeu ſpiritus infinitus, & corpora omnia, inter quæ verſamur, vivimus ac morimur. DEO cognoſcendo ſervit *Theologia*, Mundo *Coſmologia* & *Phyſiologia*.

Scientia de Deo.

5. *Scientiam de Deo* homini ratione prædito, cujus ipſe finis eſt, neceſſariam eſſe, dubitari nequit. Huic ſervit *Theologia naturalis*, quâ primum rerum omnium Principium; deinde providus rerum omnium Gubernator; ac demùm Religionis Cultúsque ſibi debiti Author lumine nobis congenito & naturali agnoſcitur. Unde prono alveo ſubſequitur ſublimior Scientia, quæ principiis revelatis innititur.

Coſmo- & Phyſiologia.

6. *Coſmologia* eſt Scientia Univerſitatis corporeæ, cœleſtis & terraqueæ, qualis à DEO nunc condita eſt, & à nobis aſpicitur. *Phyſiologia* verò eſt Notitia Corporum circa nos orientium & morientium, milléque modis ſenſus noſtros afficientium. De his igitur Scientiis in ſcholis & circulis per partes eundo deinceps tractandum erit, hoc quidem ordine.

BIENNII PHILOSOPHICI
Annus primus.

Menſe Novemb. HISTORIA PHILOSOPH.

1. Initium Philoſophiæ ducetur à brevi & ſuccincta Notitia hiſtorica de Philoſophia vetere medii ævi, & novâ. Peti illa poterit ex R. P. *Udalrico Hubndorff*, vel ex *Heineccii* Elementis Philo-

Philoſophiæ, aut ex *Chauvini* Lexico Philoſophico, vel certè ex *Jac. Bruckeri* Tabulis, aut ex ejus Hiſtoria Philoſophiæ, perſanatis tamen quibusdam audacioribus & heterodoxis ſententiis, ita monente D. Auguſtino l. 2. de Doctr. Chriſt. *Heterodoxi, ſi quæ fortè vera & fidei noſtræ accommoda dixerunt, non ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam tamquam injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vendicanda.*

Decembri, SUMMULÆ. 2. Tradentur *Summulæ* ſeu *Præcognita Logicæ*, paucísque docebuntur Diſcipuli *Logicam eſſe artem rectè cogitandi*. Ejus *Objectum* eſſe cogitationes humanas; *Subjectum* eſſe Intellectum; *Finem*, non Tricas & Sophiſmata, ſed inquiſitionem veri. Hæc, inquam, præmittentur, non diſputabuntur. Deinde tradentur *Definitiones Vocum*, Termini nempe ſingularis, univerſalis, communis, univoci, æquivoci, analogi, abſtracti, concreti, abſoluti, relativi, denominativi &c. Regulæ concretorum & variarum denominationum in tota deinceps Philoſophia neceſſariæ. Poſt hæc docebitur, quot modis voces ſupponantur in propoſitione pro tebus, quomodo amplientur, teſtringantur, alienentur &c.

Januario 3. His abſolntis tradetur ipſa *Logica*, quæ aliud non eſt, quàm perfecta numeríſque omnibus abſoluta Dialectica in quatuot partes diſtributa: Prima eſt *de Ideis*, ſeu *de ſimplici mentis perceptione*; Altera *de Judicio*; Tertia *de Ratiocinio*; Quarta *de Methodo*. Explicanda igitur primùm Natura & Diviſio *Ideæ* univerſalis & ſingularis, tum objecta & ſigna Idearum, ac ſpeciatim agendum *de Definitione* & *Diviſione*. Alterâ parte exponenda *judicii* natura & diviſio; Deinde propoſitionum leges, earúmque objectum; Tum etiam agetut de Veritate & Falſitate judicii, de Origine Vitiotum, quibus judicia noſtra labefactari ſolent; ac denique tractabitur *de Criterio Veritatis* & *arte judicondi* in tebus evidentibus, dubiis, phyſiologicis, & factis divinâ vel humanâ authoritate nixis &c.

& Februario, LOGICA. 4. Parte tertiâ Logices explicabitur accuratè Syllogiſmorum, Enthymematum, Ratiocinationum natura, diverſitas, vis, nexus, illatio, figuræ, modi, leges, argumentorum fontes, & fallacia Sophiſmatum. Denique Parte quartâ agetur *de Methodo in Scientiis diſcendis ac docendis*; item *de Arte Critica in dijudicandis Rebus, Libris, Perſonis &c.* Perutilis hæc tractatio *de Methodo* claudetur enarrandis aliorum peccatis contra Methodum. Rebúsque his pulcherrimis inhærebitur diutiùs; Hîc verò inſigne adminiculum ſuppeditabit R. P. *Udalrici Weis* Liber de Emendatione Intellectûs; Item R. P. *Auguſtini Ziegler* Philoſophia rationalis edita Salisburgi anno 1752. in 4. &c.

P. Ziegelbauer Hiſt. P. I.

Martio & Aprili, ONTOLOGIA. 5. Sequetur *Ontologia*, quæ eſt Scientia Entis ejúsque proprietatum, ſeu perfectionum comunium corporibus & ſpiritibus, adeóque univerſaliſſimatum & ſoli ferè menti notarum. Hîc tractabitur primò de Ente ejúsque variâ affectione & ideâ corporis ac ſpiritûs; ubi & diſquiſitio fiet: *In quo ſita ſit natura Hypoſtaſis ſeu ſubſtantiæ?* Deinde in altera parte agetur *de Cauſis Entium*, materiali, formali, efficiente, finali, ſpirituali, corporeâ, phyſicâ, morali &c. Stabilitâ exiſtentiâ & diviſione cauſarum oſtendetur contra *Carteſianos* dari veram vim agendi in cauſis creatis; nec tantummodò *Deum* illis præſentibus effectum producere. Examinabitur, *An ſubſtantia agat im̃ediatè; an idem ſeipſum, aut duo ſe poſſint mutuò producere* &c.

Majo & Junio, PSYCHOLOGIA. 6. In *Pſychologia* diſſeretur primò, de Exiſtentia, Natura & Proprietatibus animæ rationalis. Secundò de Origine & Operationibus ejusdem, quales ſunt *Intellectiones* & *Volitiones*. Attingenda hîc erit celebris hodie controverſia de explicando commercio mentis humanæ cum corpore: *An nimirùm id habeatur per influxum, vel actionem phyſicam mentis in corpus?* An per harmoniam præſtabilitam? *An per ſolum Deum excitantem in ſpiritu ideas ad præſentiam corporum? An alio modo?* Rejicietur autem Syſtema cauſæ occaſionalis ſpiritualium idearum. Operoſiùs verò agetur de immortalitate animæ, déque ipſius ſpiritualitate, libettate, & omnibus ad veram libertatem requiſitis.

Julio, DE ANIMA SENTIENTE. 7. Parte alterâ tractabitur *de Anima ſentiente*, nbi agetur 1. de Vi imaginativa in anima. 2. De Cerebro humano, ejus ſtructura & uſu. 3. De organo Oculi. 4. De Aure, Lingua, Naribus, Olfactu, Tactu: *ubi fiat hæc ſenſatio? An in glandula pineali?* &c. 5. An objecta moveant organa immediatè? An mediis ſpeciebus, & quid hæ ſint? Quid ſit ſenſus communis, Memoria? Quando fiant Senſationes? Quid juvet Memoriam, &

quid obſit? Demùm de Errore ſenſuum eorúmque adminiculis & remediis ſermo hîc habebitur prolixior.

Auguſto & Septembri, De anima crescente.

8. Parte tertiâ exponentur quæſtiones variæ *de anima creſcente ac vegetante*, *de homine & plantis &c.* v. g. An cor primò gignatur & vivat tamquam principium vitæ vigentis? An vivat ſanguis? Quomodo formetur Chylus? Qualiter Nutritio fiat? An plantæ, earúmque ſemina ſuam habeant animam? An propagentur per traducem, an verò per novæ animæ generationem? An vera ſit Recentiorum quorumdam ſententia de involucris? Quid ſentiendum de ſponte-naſcentibus? De generatione ex putri &c.

Theſes & Specimina.

9. *September* totus ferè conſumetur in recolendis Theſibus, & edendis publicis ſpeciminibus; ubi vitandæ omninò altercationes de levibus, Inanéſque conflictus & Gynomachiæ: Neque enim Philoſophis licet quæſitis umbratilibus & ludicris diſputationibus rixas ferere muliercularum ritu, quæ verboſæ & procaces, ſi propriis focis jurgia deſint, fores egreſſæ hoſtem quærunt & faciunt. In diſputando autem Philoſophis non tam auctores ſpectandos, quàm rationis momenta quærenda eſſe, monet Tullius *de Nat. Deor. libr.* 1.

BIENNII PHILOSOPHICI *Annus alter.*

Novembri, Physiologia.

10. Menſe Novembri inchoabitur *Phyſiologia generalis*; ubi breviſſimè tradetur, *Quid ſit*, *Quod ejus Objectum*, *Quis Finis*, *Quæ Media*? docebuntur diſcipuli, quinam in capiendis experimentis errores committi ſoleant, & qui poſſint caveri. Præmittentur in univerſam *Phyſiologiam* Axiomata, quibus omnibns intra dies aliquot expeditis, ad ipſam *Phyſiologiæ* partem primam progreſſus fiet; in qua examinabitur *Natura & conſtitutio Corporis naturalis.* Statuentur principia Corporis Materia & Forma. Expendentur Antiquorum & Recentiorum hac de re Syſtemata, &c.

Decembri, Affectiones Corporis.

11. Examinatâ Corporis naturâ, ejus diſpicientur *proprietates*, hoc eſt, *Affectiones omni & ſoli Corpori communes*: Quarum aliæ ſunt *Abſolutæ*, aliæ *Relativæ*. Abſolutæ ſunt: *Extenſio*, *Figura*, *Quantitas*, *Continuum*, *Diviſibilitas*, *Poroſitas*, *Elaſticitas*, *Gravitas*, *Mobilitas*, &c. Relativæ ſunt: *Locus*, *Vacuum*, *Tempus* &c. In temporis definitione & naturâ perquirendâ diutiùs inhærere conſultum non eſt. Utiliorem operam diſcipulis præſtabit Profeſſor, ſi notiones *Æræ*, *Cyclorum*, *Epactarum Anni Solaris & Lunaris*; *Calendarii Gregoriani*, &c. obiter ſaltem tradiderit.

Januario. Qualitates, & Cosmogeneia.

12. Inde progrediendum ad *Qualitates Corporis*, quarum nomine à Recentioribus intelligi ſolent *Affectiones illæ, quæ ſoli quidem Corpori, ſed non omni communes ſunt*. Quare examinanda hîc venit, *Natura Caloris*, *Frigoris*, *Fluiditatis*, *Odoris*, *Saporis*; Lucis item & Colorum Theoria; Radii directi, reflexi & refracti ex Optica. Claudetur verò Phyſiologia generalis brevi deſcriptione Machinæ mundanæ, ſeu *Coſmogeneiâ*; Ubi exponentur Syſtemata *Tychonis Brahe*, *Ptolomæi, & Copernici.* Addi etiam poterunt nonnulla de Sphæra & Globo. *Aſtrologia* Mathematicis relinquenda. Argumenta autem non adhibeantur alia, niſi quæ Phyſiologia ſuggerit.

Februario, De Elementis.

13. Phyſiologia particularis occupatur circa Corpora ſingillatim ſpectata, agítque primò *de Corporibus ſimpliciſſimis ſeu quatuor Elementis*; Quæri autem de his univerſim poterit, nùm quâ ratione ſuadeatur, eſſe tantùm quatuor Elementa? An ſint generabilia & corruptibilia? An in ſe invicem commeare poſſint & transmutari? Tum agendum *de Igne*; cujus natura & varia geneſis explicanda. Dein *de Aëre* & ejusdem proprietatibus, effectibus, Phænomenis &c. 3. *de Aqua*, ejus indole & affectionibus, *Frigore*, *Humiditate*, *Fluiditate &c.* Denique de *Terra*, ejúſque Siccitate, Gravitate, Opacitate &c. An terra pura ſeu Virginea ignem concipiat? An rarefieri poſſit vel comprimi? &c.

Martio, De Corporibus animalium.

14. Alterâ parte proſequetur Profeſſor ea, quæ pertinent ad *Animalium perfectorum* claſſem, puta ad *Aves*, *Piſces*, & *Quadrupedes*. Item ad *zoophita & inſecta.* Quod argumentum cùm ſit vaſtiſſimum, ea tantùm ſeligentur, quæ plus videbuntur habere utilitatis, aut jucunditatis, v. g. *Natura Gallinarum*, *Excluſio ovi*, *Viperarum Indoles*; *cur earum morſus ſit lethalis? Quis earum motus*? de oculis & ſanguine piſcium, de circuitione ſanguinis obſervatâ in Ranis &c. Similia occurrunt *de Avi-*

bus

bus & *Quadrupedibus*; ubi ſingulares quarumdam animantium proprietates comemorâſſe ſufficiat, intento digito in libros illos, unde uberior hujusmodi rerum notitia hauriri poſſit.

Aprili, De Corporibus mixtis.

15. Agetur deinde *de Corporibus mixtis im- & perfectis*, ubi explicandum primò, quid ſit *Mixtio?* Quid inter *perfectam & imperfectam* interſit? Quot modis fiat? Quæ ſit Materia & Forma Mixtorum? An & quomodo ſint Elementa in Mixtis? &c. His breviter abſolutis, ad Mixtorum imperfectorum genera progrediendum, ubi agetur *de Meteoris Terreis, Aqueis, Aëreis, Igneis.* Deinde tractabitur de *Mixtis perfectis,* puta de *Lapidibus & Gemmis*, de *Magnete*, *Vi magneticâ*, & *Viribus electricis.* De Natura & Origine *Metallorum ſeu Mineralium &c.* quantum ſcire Philoſopho convenit.

Majo, & Junio, Ethica.

16. Sequetur *Ethica* ſeu *Morum Philoſophia*, in qua agetur primò *de Fine & Felicitate hominis.* De *Bono & Malo* in univerſum; Tum tractabitur *de Regulis Morum*, unde actiones noſtræ bonitatem aut pravitatem deſumunt, ac primò quidem de prima Actionum humanarum Regula, ſeu *Lege æterna*; dein de recta Ratione & Conſcientia, de jure Naturæ cordibus hominum inſcripto, ex quo Actionum humanarum Bonitas vel Malitia ſolo lumine rationis dignoſcitur. Muniendi hîc adoleſcentes contra prava quædam hâc in re principia; quibus inſerviet Cl. P. *Anſelmi Deſingi* Larva Detracta, &c. Denique explicabitur Natura *Virtutis*, quomodo eam natura inchoet, doctrina & uſus perficiat; Quæ ſint Virtutes Cardinales ſeu Principes; Quæ Vitia eisdem oppoſita &c.

Julio & Augusto. Theologia.

17. Ethicam excipiet *Theologia Naturalis*; in qua primò demonſtrabitur *exiſtentia Dei* ex argumentis naturalibus; Quæ verò revelatione divina nobis innotuêre, relinquentur Theologis dogmaticis & ſpeculativis. Agetur autem de Attributis tum phyſicis, tum moralibus, ac præcipuè de providentia. Quæretur, *An poſſit dari ignorantia Dei invincibilis? An Atheus, ſi detur, vir honeſtus eſſe queat? &c.* Denique practica inſtituetur probatio Religionis, ut *Athei, Adiaphoriſtæ, Syncretiſtæ*, quibus plena eſt Europa, convincantur erroris, noſtríque diſcipuli maturè præmuniantur contra Acatholicorum principia, ſi eorum Univerſitates fortè aliquando accedant.

Scriptores Philoſophici.

18. Philoſophiam hac Methodo tractârunt *du Hamel* Profeſſor Burgundicus; *Pourchotius*, & nuper *Dagoumirius* Profeſſor Pariſinus, quatuor eam tomulis complexus eſt Methodo ſcholaſticâ. Fuſiùs ante illos eandem tradidit *P. Honoratus Fabri* methodo mathematicâ. Nuperrimè ad ſcholæ uſum eam accommodârunt *P. Zanchi* S. J. Viennæ, & *P. Fortunatus à Brixia* Ord. Minimorum S. Franc. de Paula, Vir ſanè doctus, cujus poſtremâ editione qui utitur, cæteris faciliùs carebit. Subſidia etiam peti poterunt ex *Eduardi Corſini*, & *Andreæ Gordonis* Operibus Philoſophicis. Utiliſſimum autem toto Philoſophiæ curſu erit Lexicon Philoſophicum *Chauvini*, qui ſingulorum Philoſophorum Vitam, Sententias, Syſtemata, Voces technicas & alia hujusmodi accuratè explicat. Præter generales hos & alios, ſingulis in Materiis utiliter adiri poterunt illi, quos uſus & Bibliographi ſuggerent, quósque alibi ſingillatim indicavimus.

SECTIO III.

De Scholis & Studiis monaſticis.

Decreta Pontificum de Studiis monaſticis.

1. QUantâ curâ & ſollicitudine à ſummis Pontificibus, Conciliis & Epiſcopis, immò etiam ab ipſis Imperatoribus circa ſcholas Monaſteriales ceu *bonarum mentium officinas* ritè adornandas & inſtituendas laboratum olim fuerit, teſtantur paſſim eorum Conſtitutiones, præſertim *Clementis V. Benedicti XII. Pauli V. Urbani VIII.* & aliorum, quibus ſpecialiter cavetur, ut Monachi, tùm in primitivis ſcientiis, & linguis orientalibus Hebraicis, Græcis & Chaldaicis, cùm in ſublimioribus diſciplinis ſedulò inſtruantur; Ita enim præclarè ſtatuit *Clemens V.* in Concilio Viennenſi, relatus Clementinarum Libro V. De Magiſtris Cap. *Inter Sollicitudines.* & Can. *Ne in agro.* de Statu Monachorum.

Monachi in primitivis ſcientiis inſtruendi.

2. Benedictus verò XII. in Benedictina Cap. VI. *Ut eadem*, inquit, *Religio in Divini cultûs obſequio floreat boneſtatis candore, fulgeat diſciplinâ regulari, præemineat ſapientiâ, ac ſcientiæ Divinæ pariter & humanæ (ſine quibus mortalium vita non regitur) fulgoribus rutilet... Conſtitutioni* Clementis *Papæ quinti prædeceſſoris noſtri, de Monachis in ſcientiis primitivis inſtruendis infra monaſteria, quibus degunt editæ, inhærentes, illam volumus & præcipimus firmiter obſervari; & nihilominus adjiciendo ſtatuimus & ordinamus, ut in quibuslibet Monaſteriis, Prioratibus, & aliis conventualibus & ſolennibus locis, quibus ad hoc ſuppetunt facultates, Ordinis ſeu Religionis hujusmodi Viri ſcientiis primitivis, videlicet Grammatica, Logica, & Philoſophia, ac deinde in Divini & humani jurium diſciplinis inſtruantur, proviſo attentiùs, ut ſeculares inſtruendi cum ipſis Monachis docendis in iisdem monaſteriis nullatenus admittantur &c.*

Ac etiam in Theologia & Jure Canonico.

3. Rursùs Cap. VII. *Quia expedire dignoſcitur, ut poſtquam præfati monachi in prædictis ſcientiis primitivis eruditi fuerint, ad ſacræ Theologiæ vel Canonum tranſeant facultates*;
„ſtatuimus & ordinamus, ut Eccle-
„ſiæ, Monaſteria, Prioratus, & alia
„loca hujusmodi ſingula... de quo-
„libet numero vicenario Monacho-
„rum *unum aptum* pro fructu majo-
„ris ſcientiæ acquirendo, ad gene-
„ralia ſeu ſolennia ſtudia mittere te-
„neantur, & cuilibet ipſorum mit-
„tendorum de infraſcripta penſione
„annuâ providere ... Eligantur
„verò ipſi Monachi mittendi prout
„in ſcientia Theologiæ vel Juris Ca-
„nonici ſeu magis in una quàm alia
„ipſarum aptiores poterunt inveniri.

Præſertim verò in Ss. literis.

4. Cùm autem ſalubria ejusmodi Decreta ſubinde neglecta ſterterent, ſacra Synodus Tridentina, ut Cœnobitas paulatim laboribus apoſtolicis more Majorum exantlandis aptaret, neceſſitatem ipſis Abbatibus eam impoſuit, ut Magiſtros & Profeſſores erudiendis junioribus in Cœnobiis alerent, atque *ne Cæleſtis ille ſacrorum librorum theſaurus, quem Spiritus Sanctus ſummâ liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat*, providè decrevit ſeſſ. v. de Reform. cap. 1. & ſeſſ. 23. Can. vi. & vii. *ut in monaſteriis quoque Monachorum* lectio S. Scripturæ *habeatur, quâ in re ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum in hoc*, ut Sedis Apoſtolicæ delegati, *eos ad id opportunis remediis compellant.*

5. Similiter Synodus Colonienſis de año 1536. & Auguſtana anni 1548. ſtatuerunt, ut intermiſſa ſacrarum Literarum Studia, atque etiam ea, per quæ ad ſacras Literas pervenitur, ſeriò deinceps in Monaſteriis reſtaurentur, & ut in quolibet Monaſterio Magiſter conſtituatur idoneus, qui adoleſcentes Monachos ſacrâ inſtituat doctrinâ, utque illi, qui majore propenſione ad Ss. Literarum ſtudia ferri videbuntur, *à ſordidioribus officiis eximantur &c.*

& linguis eruditis.

6. Quia verò ad intelligentiam Scripturarum maximè conducit peritia linguarum orientalium, & hoſtis humani generis harum ſcientiâ ſingulari dono Dei hominibus traditâ ad ipſius largitoris contumeliam, & fidei Catholicæ detrimentum nnnc quàm maximè abutitur, hinc *Paulus V.* Pontifex Max. *motu proprio*, conſtitutione perpetuò valiturâ año 1610. die 31. Julii ſub gravibus pœnis & cenſuris præcepit, *ut in cujuscunque Ordinis & Inſtituti Regularium ſtudiis lectiones Linguarum Hebraicæ, Græcæ & Chaldaicæ inſtituantur.*

Decreta Congr. de propag. Fide.

7. Sacra autem Congregatio de propaganda Fide, dolens opus ad animarum ſalutem neceſſarium negligi, cupiénsque Conciliorum & Pontificum Decreta executioni ſeriò demandari, iteratâ Conſtitutione de ſpeciali *Urbani VIII.* mandato A. 1623. die 16. Octobris publicatâ, Regularium & cujusvis inſtituti Societatum & Congregationum Generalibus, aliíſque Superioribus ſtrictiùs injunxit, *ut Linguarum, videlicet Hebraicæ, Græcæ literalis, & vulgaris Arabicæ, Chaldaicæ & Illyricæ ſtudia inſtituant, inſtitutáque conſervent, & ubi fieri poterit, ampliora efficiant*, alioquin, ſi mandatum hoc non impleverint, in ejúſque obſervatione non perſeveraverint, eo ipſo ſuſpenſionem àdivinis Sedi Apoſtolicæ reſervatam incurrant &c. (y)

Obligatio Abbatum.

8. In has aliáſque ejusmodi ſacras conſtitutiones digitum intendens doctiſſimus *P. Petrus Maria Forti*, in ſuo Tractatu Canonico *de Judice Conſervatore*, pluribus oſtendit iisdem *Abbates & Monachos* ſub lethali conſtringi. *Chopinus* verò in ſuo Monaſtico libr. 1. n. 8. pag. 58. *Ne monaſtico*, inquit, *otio ad fœda errorum transfugia abutantur cucullati adoleſcentes,*

Mona-

(y) Vide Conſtitutiones in Bullario Caſin. N. 291. 294. 295. & 383.

Monaſterii cujuſque Præfectus rem literariam provehere tenetur intra monaſticos parietes, ut ſacræ diſciplinæ nervum firmiſſimo hoc præſidio retineat, ſimul & juris beneficiique ſui Sacerdotiis dignos efficiat...

Studiorum informatio.

9. Quando igitur conſtat Abbates & Monachos tam graviter ad literas excolendas obligari, ipſúmque ſtudium ritè inſtitutum totius fermè diſciplinæ monaſticæ fundamentum eſſe dignoſcitur; ut porrò iſtud magis in cœnobiis noſtris provehatur, & ab interitu, ubi opus eſt, vindicetur, Societas noſtra Literaria Germano-Benedictina eò cumprimis curas & operas intendet, ut ſtudiorum methodus ad mentem ſummorum Pontificum reformetur (z), ac juxta Virorum ſapientûm vota & conſilia ſeries quædam utiliorum Artium & Scientiarum, quibus juniores Religioſi inpoſterum imbui debent, juſtiore modo concinnetur, & edatur, iiſdem deinde prælegenda, ut ita & Profeſſores, & Diſcipuli à faſtidioſo & penè perdito ſcribendi labore eximantur, & iſti ſolidiùs docere, hi jucundiùs diſcere valeant.

Series doctrinæ.

10. Hæc verò erit illius Operis œconomia. *Tomus primus* duos continebit Tractatus, quorum unus doctrinam Chriſtianam per modum Catechiſmi exponet cum hiſtoriâ novi & veteris Teſtamenti; Alter *Aſcetico-Theologicus* aget de Vita Monaſtica, ſeu *de Statu religioſo*; ambo ad uſum Novitiorum accomodati, ut tyrocinii tempore poſſint iis prælegi, atque adeò prævié de ſuſcipiendo ſtatu meliùs informari.

Tractatus de ſtudiis,

11. *Tomus alter* repræſentabit anreum *Joannis Mabillonii* Tractatum *de Studiis monaſticis*, velut præambulum ad Diſciplinas, Artes, & Scientias ſtatui Monaſtico maximè conſentaneas, ut ſicut in novitiatu voluntas inſtruitur ad bonum, moréſque juxta S. Regulæ præſcriptum formandos, ita intellectus deinde præparetur ad verum ſeu ad ſcientias eidem ſtatui conformes ſectandas & percolendas.

& primitivis ſcientiis,

12. *Tomo tertio* tradentur ſcientiæ primitivæ, ac cumprimis inſtitutiones linguarum orientalium Græcæ & Hebraicæ velut clavium S. Scripturæ. Deinde agetur *de Moderamine ingeniorum*, (a) *de arte Criticâ*, *de Hiſtoria literaria* præſertim *Benedictina*. Hæ enim Diſciplinæ ſibi deditos ad ſumma quæque & ſublimia ritè tractanda peragendáque adeò habiles reddunt & idoneos, ut non immeritò quis dixerit: *Nullam eſſe ad proficiendum in literis expeditiorem viam ac criticâ & hiſtoriâ literariâ.* Niſi enim his præſidiis inſtructus, ac quodam veluti doctrinæ ſucco in anteceſſum irrigatus quis fuerit, tantum abeſt, ut quidquam honeſtè ſit prolaturus, qnin facilè in ſolidioribus ſcientiis cæcutiet, aut palpitabit.

Philoſophia.

13. *Tomo quarto* exponetur *Philoſophia Eclectica* ad mentem & methodum celeberrimorum noſtræ ætatis Philoſophorum comparata, & in ſex partes, *Logicam* nempè, *Metaphyſicam* ſeu *Ontologiam*, *Pſychologiam*, *Ethicam*, *Phyſicam* & *Theologiam naturalem*, diſtributa; Cui interſerentur Elementa Geometrica, & variæ Exercitationes Philoſophicæ ad varia ejus partium capita accommodatæ, ut ſuprà Sect. II.

Theologia, ejusque principia.

14. *Tomus quintus* exhibebit Theologiam univerſalem quatuor partibus diſtinctam; in quarum primâ comparebunt *Introductoria in artem magnam differendi de Deo rebúsque divinis*, ubi præmittetur Em. Card. *Joſephi Mariæ Thomaſii* Specimen Commentarii *de Studiis Theologicis ritè inſtituendis.* (b) Tum agetur de locis Theologicis, nimirùm, de S. Scriptura, de Traditione, de Eccleſia, de SS. Patribus, de Hiſtoriæ cùm Eccleſiaſticæ, tum profanæ Scriptoribus, de Theologis ſcholaſticis, Juris utriuſque peritis, de Ratione naturali, & Philoſophis, eorúmque omnium in rebus Theologicis auctoritate &c. Accedet Appendix de propoſitionibus damnatis, earúmque cenſuris &c.

Tractatus de Deo &c.

15. Parte ſecundâ agetur de Deo Uno & Trino, ac præſertim de providentia Divina; De Incarnatione Verbi Divini, & de Veritate Religionis Chriſtianæ. Quibus ſubjicietur Appendix de Cultu & invocatione Sanctorum, de Veneratione S. Crucis, Sacrarum Reliquiarum, & Sanctarum Imaginum, & demum de gratia Chriſti, ſuppreſſis, quantum fieri pote-

(z) Non incuſent calami libertatem Scholaſtici: Sunt hæc Virorum illuſtrium deſideria Decretis Univerſitatum reformatoriis abunde declarata... *Vide ſuperius dicta p.* 138. *& ſeq.*

(a) Ut à præjudiciis primæ ſcholæ & vulgi opinionibus anteceptisque ideis identidem repurgentur, juxta illud Auguſtini contra Academicos lib. 2. cap. 3. *Nunc aliud nihil ago, quàm me ipſe purgo à vanis pernicioſisque opinionibus.*

(b) De quo vide dicta Part. II. hujus Hiſtoriæ pag. 114.

poterit, quæſtionibus ſpeculativis & inutilibus, quæ neque *ad mores*, neque *ad Fidem* conducunt, ſed mera ſunt philoſophica curioſorum hominum oblectamenta, & ingeniorum tormenta.

De Actibus humanis.

16. Pars tertia complectetur Tractatus de Actibus humanis & Conſcientia; de Legibus; de Peccatis; de Virtutibus Theologicis *Fide, Spe, & Charitate;* de Virtute Religionis; de Prudentia, Fortitudine, Temperantia & Juſtitia, ubi de Reſtitutione & aliis quæſtionibus in Theologia morali obviis, ſolertiùs agetur, ita quidem ut ab his exterminetur regnum opinionum, quod usque adeò invaluit, ut omnis ferè actio, quantumvis licentioſa, inter Moraliſtas ſuos inveniat Patronos, qua de re ſummoperè queritur FLEURY *Inſtit. Jur. Can. Part. 1. cap. 2. §. 10.*

De Sacramentis.

17. In quarta demùm Parte de Sacramentis in genere & in ſpecie amplior erit ſermo, omiſſis tamen Scholaſticorum cavillationibus, quarum tractatio ſæpè diſcordias parit, adeóque à monaſteriis removendæ. Adentur nihilominùs exercitationes quædam in utramque partem ventilatæ & ad variorum Theologiæ Tractatuum capita accomodatæ. Solertiùs autem tractabuntur *Polemica*, ad normam tamen *Theologiæ Dogmaticæ*, deſumptis nempe argumentis ex Scriptura, Conciliis & Patribus, ita ut Philoſophia reducatur ad ſtatum ancillarem & ſubalternum, atque amandatis ſubtilitatibus cerebrinis, refloreat tandem cuſtrix doctrinæ Orthodoxæ *Dogmatica.*

De jure naturæ, civili & canonico.

18. Cùm verò omnis ferè hæc Theologia conſtet vel jure naturæ, vel canonico & civili, *Tomo ſexto* agetur de ſingulis, ac primò quidem tractabitur de Jure Naturæ, tum de Jure publico Eccleſiaſtico, deinde ſubnectentur inſtitutiones Jurisprudentiæ Canonico-Civilis, quibus natura, origo, principia, differentiæ, contrarietates, loci argumentorum legales, axiomata, regulæ, termini, canonum citationes breviter exponentur. Ac denique ſubdentur Commentarii ad V. Libros Decretalium, & Delineatio quædam Pandectarum, variæque exercitationes in celebriores quasdam difficultates, præſertim de privilegiis Ordinis, de exemptione, immunitate, jure agendi contra Monaſteriorum invaſores &c.

Hiſtoria Eccleſiaſtica.

19. *Tomus ſeptimus* Geographiam, Chronologiam, & Hiſtoriam Eccleſiaſticam brevi ac clarâ methodo exaratam, & ad noſtra usque tempora perductam continebit; ubi ea omnia, quæ quovis ſeculo circa Doctrinam & Diſciplinam Eccleſiaſticam acciderunt, ita expendentur, ut ſingularis harum rerum, ſi non fuſa, ſaltem clara & ſufficiens notitia ſubminiſtretur. Ad calcem inſerentur quædam ſelectiores Diſſertationes circa materias & quæſtiones criticas ac maximè vexatas, ut Profeſſoribus occaſio detur ſimiles elucubrandi, & in fine anni publicæ diſputationi exponendi. . .

Authores Operis.

20. Hanc porrò Scientiarum maximè utilium Encyclopædiam ſibi elucubrandam ſuſceperunt doctiſſimi Cœnobitæ Divi Ettonis Monaſterii O.S.B. in Brisgoia, negotium curante & dirigente Cl. P. *Gallo Cartier* ejusdem Cœnobii Subpriore, necnon Ss. Theologiæ Profeſſore, ac S.Congregationis Indicis, noſtríque Senatûs Academici Conſultore, Viro de bonis literis optimè merito, cui præſtantiores quidam è noſtra Societate Theologi & Canoniſtæ ſuas ſuppeditabunt ſymbolas, ut is velut primarius operis architectus exinde meliora, ſolidioráque & ad propoſitum aptiora ſeligere, atque ſtylo ſuo expolire, & in ſeriem convenienti ordine referre valeat.

21. Spe autem lactamur fore, ut Viri Literati ac præſertim Sodales noſtri hanc perutilem & diu exoptatam Scientiarum Encyclopædiam eâ aviditate & animi contentione ſint excepturi, quâ nuper ſuſcipere dignati ſunt ejusdem doctiſſimi Viri Tractatum Theologicum de ſacra Scriptura, ac etiam Opus Biblicum, ad quod hæc ipſa Encyclopædia, ſive argumenti dignitas & præſtantia, ſive commodum & utilitas ſpectentur, omninò conſequitur, nec minùs illuſtre addit eruditionis ornamentum, quàm eximium ſufficit operæ & frugis compendium.

SECTIO

SECTIO IV.

Illuſtrium Adoleſcentûm Pædagogia.

1. QUandoquidem Illuſtris Juventutis inſtitutio à SS.^mo^ Patre ſuſcepta, ſit Familiæ Benedictinæ hæreditario veluti jure propria, hodiéque in pleriſque per Germaniam Monaſteriis floreant ejusmodi Nobilium Academiæ, ut iis quoque, quibus earum moderatio incumbit, noſtra commodemus officia, libet hîc loci ſubnectere brevem methodum hujus ſpeciatim informandæ juventutis, cum ſchemate Ordinis diurni & Lectionum.

Ordo diurnus, ante

2. Igitur ut ordinatè fiant omnia, æſtivo tempote ſurgendum eſt horâ quintâ, in hyeme medio ſextæ, niſi diſpenſatum fuerit. Mox fundentur preces ad Deum in Oratorio; quibus finitis inchoabitur ſtudium privatum. Inde comuntur juvenes, ſumunt jentaculum, & Miſſam audiunt. Tribus horis ſubſequentibus, habentur lectiones, & exercentur in artibus. *Horâ undecimâ* docentur linguæ, & ſuas habent alii repetitiones privatas usque ad prandium.

& poſt prandiũ.

3. Quadrante poſt primam exercebuntur in Muſica, Pictoria, Mechanicis, puta in Tornatura, aut ttitura vitri, vel luſu moderato pilæ, tudiculæ, & ſimilibus; aut in Geographia, Geometria, Tactica, Optica, & aliis, quæ ſenſu potiſſimùm abſolvuntur, hæcque mutatis vicibus & ſubjectis. Horâ ſecundâ erit ſaltationis, gladiatoriæ, & deſultotiæ exetcitium, aliquando etiam proponentur iis Mathematica, aut experimenta quædam Phyſica. Duabus horis ſubſequentibus habebuntur lectiones. A quinta usque ad cœnam erunt Repetitiones, privatáque ſtudia. Poſt cœnam indulgetur colloquium, ubi leguntur nova, aut recoluntur ea, quæ per diem acta fuêre. Medio nonæ ſervabitur *Recollectio*, & fiet præparatio ad craſtinum ſtudium, inde ſequentur preces, examen conſcientiæ, & quies nocturna.

Lectiones diebus Dominicis.

4. Lectiones diurnas, quod attinet, *diebus Dominicis & feſtivis*, horâ octavâ habebitur inſtructio Doctrinæ Chriſtianæ, deinde Miſſa, tum ſtudium privatum vel tepetitio. Ab undecima erit colloquium, dein prandium & recreatio usque ad ſecundam, quâ ſervabitur Sodalitas, Exhortatio &c. Horâ tertiâ Academicis exhibebuntur curioſi libri, Ichnographiæ, Antiquitates, Numiſmata, Icones Virorum illuſtrium, rara quædam & artificioſa, aut naturæ Dædalæ prodigia. Interdum erit Academia, Muſica, Pictura, aut ſimile exercitium; tum recreatio, luſus & ambulatio usque ad ſextam, quâ rurſus incipiet ſtudium, niſi diſpenſetur. Diebus feſtis à prandio poſt aliquam devotionem poterit inſtitui Academia, in qua varia edantur ſpecimina &c.

Diebus Lunæ, Mercurii & Veneris.

5. *Diebus* LUNÆ, MERCURII *&* VENERIS.

Pro Minoribus.

Horâ octavâ Lectio latina. IX. Exercitium componendi. X. Repetitio. XI. Calligraphia, Orthographia, aut lingua aliqua. Poſt prandium auſcultant aliorum Muſicam, vel ipſi in ea exercentur. Horâ ſecundâ præparatio ad Lectionem. III. Lectio in qua emendantur compoſita. IV. Reſpiratio. V. Repetitio. VI. Examen Nomenclaturæ & Phraſeologiæ &c.

Pro Majoribus.

Lectiones pro Majoribus.

6. *Horâ octavâ* Lectiones Hiſtotiæ Claſſis ſecundæ. Ubi *Novembri*, repetitur Univerſalis; *Decembri*, Eccleſiaſtica; *Martio*, Germanica Imperii; *Julio*, ſpecialis cujusque Patriæ aut Provinciæ, in qua eſt Collegium; *Auguſto*, Genealogia, Heraldica & Diplomatica, partim etiam repetitur Eccleſiaſtica & Germanica univerſalis. Intereà prima Claſſis equitat, vel alia habet exercitia.

IX. Moralis Philoſophia ſecundæ Claſſis, in qua, *Novembri*, Prolegomena Ethices, Politices, & Oeconomiæ repetuntur. *Januario*, Jus Naturæ & Gentium. *Majo*, Jus publicum. *Ultimo menſe*, repetuntur priora.

Philoſophiæ Claſſis.

X. Philoſophia primæ Claſſis. *Novembri*, Dialectica. *Januario*, Prolegomena, Diſtinctiones, Univerſalia, Prædicamenta, vel alia inferiùs proponenda. *Martio*, Hiſtoria philoſophica de Univerſo & Elementis. *Junio*, Animaſtica, Pnevmatica &c. *Septembri*, de Cœlis, Meteoris &c. Intereà Claſſis ſecunda equitat, vel alia habet exercitia.

Mathematica I. Claſſis.

7. Poſt meridiem *horâ tertiâ* Lectio Mathematica primæ Claſſis; ubi *Novembri*, Arithmetica. *Decembri*, Geometria. *Februario*, Mechanica, Statica, atque Arithmeticæ & Geometriæ continuatio. *Majo*, Optica, Tactica &c. *Julio*, Geographia, Aſtronomica Chronologiæ demonſtratio, & ſimilia.

Horâ quartâ, Stylus latinus criticè exaſciatus. Poterit verò alternis vicibus tractari aliud argumentum, & interdum hæc hora attribui Profeſſori alteri, qui indigebit.

Diebus Martis, Jovis & Sabbathi.

8. *Lectiones diebus* MARTIS, JOVIS *&* SABBATHI *habendæ*.

Pro Minoribus.

Horâ octavâ, Lectio brevior. IX. Arithmetica, Geometria. X. Geographia, Hiſtoria. XI. Linguæ. Poſt prandium *horâ ſecundâ*, Pictoria, Muſica &c. *Tertiâ*, ſpectant experimenta & exercitia Majorum. *Quartâ*, Recreatio. *Quintâ Sabbathi*, legitur Hiſtoria Biblica, Evangelium, Liber moralis ſeu de Doctrina Chriſtiana pro captu Juniorum.

Pro Majoribus.

Lectiones pro Majoribus.

9. *Horâ VIII.* Hiſtoria *primæ Claſſis* hoc ordine, *Novembri*, Prolegomena, & Hiſtoria Literaria. *Januario*, Syſtema chronologicum. *Martio*, Hiſtoria univerſalis. *Julio*, Antiquitates, Numi, Lithologia. *Auguſto*, Genealogia, Heraldica. *Septembri*, Repetitio Univerſalis..

Nonâ, Moralis *primæ Claſſis*, videlicet *Novembri*, Prolegomena, literaria de Scriptoribus ad Ethicam, tum ipſa Ethica. *Martio*, Politica & Oeconomica. *Julio & ſequentibus*, Juris publici Conſpectus, & Repetitio priorum, quò animis firmiùs inſigantur.

Eloquentia.

10. *Decimâ*, Eloquentia hoc ordine, *Novembri*, Copia rerum & verborum, iſtarúmque amplificatio. *Januario*, Loci, Argumentatio, &c. *Martio*, Artes captandi benevolentiam, exagitandi adverſarium, diſſimulandi debilitatem cauſæ, ciendi affectum; Reſumendi articulatim propoſitionem longam &c. *Junio*, Deductiones jurium, Epiſtolæ, Allocutiones &c.

Mathematica.

11. *Horâ ſecundâ*, Mathematica pro Claſſe ſecunda, videlicet, *Novembri*, Arithmetica, & Geometria. *Januario*, Perſpectiva. *Februario* Architectonica civilis, deinde à *Martio* Militaris. *Julio* Nivellatio, Tactica & aliæ artes.

Tertiâ, Philoſophia ſecundæ Claſſis præſertim experimenta. *Æſtate* Exercitia in campo, *Hyeme* Recreatio, & ſubinde operatio chymica vel artificialis.

Lectio ſacra.

12. Die Sabbathi, *horâ quintâ*, legitur ſacra Scriptura, vel hujus commentarius, aut Liber moralis, pro varia ætate varius; tum dicuntur Litaniæ, & reſumitur ſtudium privatum. Quæ porrò de converſatione civili & erudita, déque cæremoniali & curialibus; item de venatoria, de inſtrumentis bellicis, de Metallica, Botanica, Chimica, agricultura, foſſilibus, aurifodinis, &c. videbuntur cognitu neceſſaria, ſparſim ſuo tempore in conferentiis & congreſſibus monſtrabuntur.

Specimina publica.

13. Præter privata quædam ſpecimina, quæ in circulis per annum edenda præſcribuntur, alia ex variis diſciplinis publica edentur certis temporibus, videlicet I. Hebdomadâ, quæ præcedit Bacchanalia. II. Hebdomadâ ante Pentecoſten, ac demque per quatuordecim circiter dies ante ferias autumnales, ſed non continuos, quæ erunt velut examinis loco. Inde ſequetur aliqua Actio comica, & diſtributio præmiorum.

Inepti ad inferiora ſubſellia remittendi.

14. Quod ſi contingeret aliquos Adoleſcentes offerri Collegio ad aliquam Claſſem ſuperiorem, qui tamen ſubſidiis ad illam requiſitis necdum eſſent inſtructi, v. g. *Geometriâ*, *Geographiâ*, *Hiſtoriâ*, &c. Videntur ad illam Claſſem non admittendi, donec tempore ſufficiente quodammodo illa ſibi comparaverint ſubſidia. Secùs enim optatum non poſſent facere profectum, atque hoc deinde adſcriberetur Collegio, aut methodo docendi culpæ daretur, neque eſſet è re & utilitate ipſius juventutis.

Inſtructionis fructus.

15. Reliqua porrò ſuperiùs propoſita, quatenùs illuſtri juventuti congruunt, hîc quoque ſolerter erunt retexenda. Hanc autem ſemitam ſi ſedulò calcaverint Profeſſores Academici, brevi nauſeabunt proletarias & inanes aliorum inſtructiones, nihil minùs, quàm verum nobilitatis ſpiritum inſpirantes; Ipſi verò Ephæbi ab annis juvenilibus nobiliori, ut decet, modo inſtructi, & ſolidioribus principiis imbuti, longè utiliores Reipublicæ, aptioréſque gerendis muneribus evadent, ac etiam ſubinde inter Viros de Religione rectiùs cogitantes facilè eminebunt, numerúmque augebunt eorum, de quibus

CAPUT

CAPUT III.

VIRI ILLUSTRES,

Qui è Scholis & Magiſterio Benedictinorum prodierunt.

In Scholis Benedictinis non virtutis minùs quàm doctrinæ viguit ſtudium.

Magnam ſemper operam Majores noſtri dederunt, nt, quos juvenes ac adoleſcentes fidei ſuæ commiſſos ſuſceperunt moribus ac literis inſtituendos, ii in viros omni genere virtutis & ſcientiæ illuſtres evaderent. Nam veteres illæ noſtrorum Academiæ (c), eædem & rectè faciendi & benè dicendi ſcholæ erant: neque disjuncti (quod alicubi Cicero improbat) ſed iidem erant vivendi præceptores, atque diſcendi. Abſurdum namque eſt diſcidium illud quaſi linguæ atque cordis, ut alii nos ſapere, alii dicere doceant. Erat ergò, inquam, in ſcholis noſtris non minùs virtutis, quàm doctrinæ ſtudium, quô imbnti evaſerunt quàm plurimi Viri illuſtres, ſcholáſque Benedictinas per orbem celebres reddiderunt.

Ex iis præſtantiſſimi quique Viri prodierunt.

Quanta enim, quámqne incondita non eſt eorum multitudo, qui eximiam virtutis ac doctrinæ laudem conſecuti, ad ſedes Epiſcopales, ne quid de ſuprema Petri cathedra dicam, eminentiſſima Eccleſiæ culmina, evecti fuerunt? Quantus eorum eſt numerus, qui Cardinalitiâ donati purpurâ, in graviſſimis Chriſtianæ reipublicæ negotiis doctrinâ & conſilio eam adjuverunt? Quàm multi, qui Reges apud ac Imperatores (quorum etiam non pauci in ſcholis Benedictinis literarum ornatu atque præſidio inſtructi fuerunt) ſupremi Cancellarii munus, ut vocant, ſummâ cum authoritate adminiſtrârunt? Quàm mnlti, qui gentes ac populos teterrimâ idololatriæ caligine ac tenebris obſeſſos Chriſtianæ fidei ac doctrinæ luce colluſtrârunt? Quàm multi, qui eruditione ac pietate inſignes egregiis ſcriptis & rempublicam literariam locupletârunt, & cum ingenti utriusque fructu vel ſui temporis hæreticos refellere, vel pravas hominum cupiditates coërcere ac refrenare laborârunt? Quàm multi, qui nuntio rebus mundanis miſſo ſeceſſerunt in monaſteria, quæ vel meliorem in ſtatum reduxerunt ipſi, vel ſuarum odore virtutum impleverunt? Quàm multi, qui chriſtianis exculti moribus remanſerunt quidem in ſeculo, vitam tamen privatam ad antiquæ probitatis exemplar expreſſerunt.

Auberti Miræi hac de re teſtimonium.

Ne quis verò augendæ rei gratiâ hæc à me dici exiſtimet, non mihi, velut domeſtico, ſed extero, nec incelebri Scriptori *Auberto Miræo* (d) curioſo antiquitatum indagatori, fidem haberi volo. „ *Curam*, inquit, „ *juventutis informandæ Pontificibus* „ *haud ſatis pro dignitate tractantibus*, „ *ac ferè negligentibus*, *viri præ cæ-* „ *teris pietatis ſtudiis præſtantes*, *quos* „ Monachos *dicimus*, *& in ſtudium* „ *impulſi juvandi rempublicam ſæpè* „ *arripuerunt*: *divinum ſcilicet Nu-* „ *men promoveri eô labore procuratio-* „ *néque perſuaſi*, *in quo tantum mo-* „ *menti eſſe videbant*. Antiqua Bene- „ dictinorum præſertim monaſteria „ ſcholæ publicæ erant ad erudien- „ dam juventutem, à Viris ſanctiſſi- „ mis conſtitutæ. Unde haud levis „ publica utilitas extitit: ipſi magnis „ divitiis atque ingentibus creverunt, „ omnibns certatim pios eorum co- „ natus juvantibus, re, operâ, conſilio. „ *Ex iis monaſteriis, velut ex arce ſapi-* „ *entiæ, innumeri viri prodierunt, utri-* „ *usq; Philoſophiæ cognitione præſtantes* „ *divinæ atque humanæ*.„ Tantum *Miræus* (e). Nec deſunt exempla, quibus collatæ ab eo laudes in Benedictinas ſcholas egregiè confirmari poſſunt.

(c) Mabill. præfat. in Act. Sanct. O.S.B. Sec. III. §. IV. n. 42.
(d) Apud Conring. Diſſert. III, de Antiq. Academ. p. 512.
(e) Confer. Mabillon. Præf. I. in Sec. III. Bened. §. IV. N. 45.

ſunt. Cùm verò ea ſint innumera, modum obſervaturi pauca in medium afferemus.

Encomium Gelaſii II. P. M.

Si ex omni Romanorum Pontificum numero intuenti jam ſingulos unus ſit comemorandus, qui incredibili rerum omnium ſcientiâ, qui eximia in Superos religione, qui diuturno rerum uſu atque experientia, qui rebus prudentiſſimè geſtis excelluit, qui in mediis graviſſimarum perſecutionum procellis non jactatus, non abreptus æſtû, ſummâ ſemper ſapientiâ naviculam Petri rexit, qui animi manſuetudine ac demiſſione, qui vitæ ſanctimoniâ Catholico Orbi præluxit, quem Gelaſio II. anteferendum exiſtimemus? A teneris verò in ſchola Caſinenſi à ſapientiſſimis magiſtris in maximæ eruditionis & ſanctitatis virum excellenti operâ formatus fuit.

A puero in Schola Caſin. educatur.

Eruditionis enim & tum divinæ tum humanæ ſcientiæ magiſtros habuit Deſiderium Abbatem Caſinenſem, qui poſtea Victor III. Papa: Joannem Cajetanum avunculum ſuum; Albericum Diaconum S. R. E. Cardinalem: Conſtantinum Africanum, alióſq; Doctores Caſinenſis Cœnobii Monachos ejus temporis viros doctiſſimos, & ſingulari doctrinâ ac ſanctitate claros, qui & ipsũ ſanctiſſimè excoluerunt, & ab ipsâ infantiâ timere Deum docuerunt, & abſtinere ab omni peccato. Propter virtutis ac doctrinæ excellentiam primùm à Victore III. S. R. E. Subdiaconus & Cancellarius an. 1087. ordinatus, ab Urbano II. Diaconus Cardinalis ac Præſignator (Cancellarium dixeris) conſtitutus fuit. *Hunc igitur*, inquit Pandulphus auctor vitæ coævus, *Urbanus II. Papa literatiſſimus, & facundus, hunc igitur fratrem Johannem* (hoc nomen illi erat ante ſummum Pontificatum) *virum utiq; ſapientem ac providum ſentiens ordinavit, admovit, ſuúmque Cancellarium ex intima deliberatione conſtituit, ut per eloquentiam ſibi à Domino traditam antiqui lepôris & elegantiæ ſtylum in Sede Apoſtolica jam pene omnino deperditum Sancto dictante Spiritû, Johannes Dei gratiâ reformaret, & Leoninum curſum lucidâ velocitate reduceret.*

Fit Urbani II. Cancellarius.

Non magnis componere parva ſolemus, inquit Conſtantinus Cajetanus Pandulphum notis illuſtrans. Quantus igitur Gelaſius fuit, quem cum Magno Leone, eruditiſſimo Pontifice, contulit Pandulphus: cum Leone, inquam, quem Epiſcopi Græci in quinta Synodo Conſtantinopolitanâ appellant Illuminatorem & Columnam Eccleſiæ: in cujus libris majeſtas ſedet: qui ubique triumphos ſpirat. Et ſanè eloquentiſſimum eum oportet fuiſſe, qui barbarum Attilam ferocientémque tyrannum ſua dicendi majeſtate ac virtute compreſſit. Unde & ab inſigni ſanctitate, & à divinâ propè doctrina atque eloquentiâ Magnus eſt dictus. Quantus igitur Gelaſius, cui id onus demandatum, ut ad Leoninum ſtylum, Urbem & Orbem corrigeret? De eo Petrus Diaconus Caſinenſis Lib. de Vir. Illuſt. Monaſterii Caſinenſis cap. 46. *Gelaſius*, inquit, *Sedis Apoſtolicæ Pontifex, parvulus in Caſino ſub Deſiderio Abbate, B. Benedicto oblatus, & ab Alberico Philoſopho edoctus, ſcripſit in eodem cœnobio paſſionem S. Eraſmi, ſanctæque Anatholiæ: paſſionem quoque S. Cæſarii verſibus adornavit: factúſque dehinc S. R. E. Cardinalis, reſcripſit Regiſtrum Paſchalis Papæ II.* Et Ordericus Vitalis Eccleſ. Hiſt. lib. 2. in principio: *Anno*, inquit, *ab Incarnatione Domini MCXIIX. Indictione XI. defuncto Paſchali II. Papa Joannes Cajetanus, Romanorum Pontificum antiquus Cancellarius, & Magiſter in Gelaſium Papam electus eſt.* Paulóque poſt: *Gelaſius Papa eruditione literarum apprimè inſtructus fuit, & longâ exercitatione, utpote qui Præſulum Apocriſiarius ferè quadraginta annis extiterat, calluit.* Hæc Ordericus Vitalis eidem Gelaſio coætaneus, quem ſignanter *antiquum Cancellarium* vocavit. Tradunt enim, qui de rebus Pontificiis ſcripſere hiſtorias, ab uno Joanne Cajetano Cardinali Cancellario maximis Pontificibus Urbano II. & Paſchali II. (triginta nempe annorum ſpatio, quo ipſi Petri rexere Naviculam) univerſa ferè Sedis Apoſtolicæ, & Curiæ Romanæ dependiſſe negotia, ob ſingularem ejuſdem Viri in rebus agendis tractandíſque dexteritatem, prudentiam, ac ſanctitatem. Hinc propter tantæ virtutis ac doctrinæ excellentiam ab obitû Paſchalis II. tanquam Pontificiæ majeſtatis accerrimus ipſe ac fortiſſimus propugnator, abſens quidem atque invitus omnium Cardinalium conſenſione electus, ſed ſtatim ad Urbem accerſitus è Monaſterio Caſinenſi, ad quod paulò antè migraverat, præſens ac triſtis in Monaſterio SS. Sebaſtiani & Zotici cognomento Palladio, locô tutiſſimô, proptet Henricianorum

Eligitur in Pontificem.

rum

rum turbas, quæ tunc in Urbe graſſabantur, à quinquaginta & uno S. R. E. Cardinalibus, Epiſcopis nempe quinque, Presbyteris viginti & octo, Diaconis decem & octo, tertio vacantis Sedis die, nullâ interpoſitâ morâ, XVIII. kal. Februarii, an. Chriſti 1118. in Apoſtolica Petri Sede locatus, Gelaſii II. nomen ſuſcepit. Nec immeritò. Nam *Tyrius nobilis Scriptor* (verba ſunt eruditiſſimi Papyrii Maſſoni de noſtro Gelaſio) *elogium viri literati ei tribuit, quia plurimarum rerum cognitione, ſcientiáque inſtructus erat; ut ille olim Gelaſius I. inter doctiſſimos homines poſitus à Caſſiodoro Senatore.*

Leo IV. & Alexander II. in ſcholis Benedict. inſtituti.

Magna mihi eſſet memorandi facultas ac copia, ſi alios Romanos Pontifices, atque Eccleſiæ Antiſtites Maximos, qui ſuam in literarum ac virtutum ſtudiis inſtitutionem Benedictinis Magiſtris in acceptis ferunt, percenſere vellem numerando. Gelaſio tamen II. non poſſum non accenſere *Leonem IV.* & *Alexandrum II.* ſummâ virtute & doctrinâ illuſtres Chriſti in terris Vicarios. Et de *Leone* quidem ita loquitur Anaſtaſius Bibliothecarius. „Hic primùm à parentibus ob ſtudia literarum in monaſterium beati Martini confeſſoris „Chriſti, quod foris muros hujus „civitatis Romanæ juxtà eccleſiam „B. Petri Apoſtoli ſitum eſt, quouſque „ſacras literas penitus diſceret, ſponte conceſſit: ubi non ſolùm literas „didicit, verùm etiam in ſtudio ſanctæ converſationis, non quaſi puer, „ſicut tunc erat, ſed velut perfectus „Monachus manſit. Cujus etiam „piæ converſationis exemplo, ſub „eodem monachico degentes ritu, „omnipotenti Deo plus devotè ſerviebant, erántque cum illis quaſi „unus ex illis.„ Cujus rei famâ commotus Gregorius IV. eum ad Apoſtolicæ Sedis obſequium è monaſterio evocavit, & Subdiaconum ordinavit. Sergius verò Presbyterũ Cardinalem Sanctorum Quatuor Coronatorum inſtituit. Is demum poſt egregia virtutis prudentiæ ac doctrinæ edita exempla ex presbytero Pontifex creatus fuit. Quâ in dignitate de Vaticana Baſilica quàm optimè meritus eſt; quæ enim damna Saraceni eidem intulerant, impensè reparavit.

Gratitudo & humanitas Alexandri II. erga Lanfrancum præceptorem ſuum.

Alexandro autem II. nihilò ne B. Lanfranci diſciplina atque inſtitutio in Beccenſi contulit Academia? Enimverò plurimum. Unde Alexander, jam Romanus Pontifex, ubi præceptorem ſuum Cadomenſi cœnobio præfectum fuiſſe intellexit, quâ erat erga eum obſervantia & gratitudine, literis gratulatus eſt, ſimúlque monaſterium ſub patrocinio & tutela Sedis Apoſtolicæ admiſit. Nec erga Lanfrancum tantùm, ſed cæteros etiam Benedictinos bene affectus erat, quorum permultos tum ad Abbatiales, tum Epiſcopales infulas atque ad cardinalitiam purpuram provexit. Illud verò memoratû fors magis dignum (f), quòd cùm Lanfrancus ex Cadomenſi Abbate Archiepiſcopus Cantuarienſis Romam negotiorum causâ veniſſet, inſolito honore ab Alexandro ſuſceptus fuerit. Siquidem venienti Papa aſſurrexiſſe dicitur, tum pro ſuâ magnâ religione & eminenti ſcientiâ; tum quia dum eſſet in Normannia, venientes Romanæ Eccleſiæ miniſtros honorificè ſuſcipiebat; & quoſdam Papæ conſanguineos ſtudioſè docuerat. Fertur etiam Papa dixiſſe: *Non ideò aſſurrexi ei, quia Archiepiſcopus Cantuariæ eſt; ſed quia Becci ad ſcholam ejus fui, & ad pedes ei cum aliis auditor conſedi.* Itaque duo pallia illi dedit; unum quod de altari Romano more accepit: alterum verò in indicium videlicet ſui amoris, cum quô Miſſam celebrare ſolebat, Alexander ei Papa ſuâ manù porrexit.

Ex Lanfranci diſcipulis plures Epiſcopi & Archiep.

Præter Alexandrum verò plures alios diſcipulos Lanfrancus ſingulari ſcientiâ & doctrinâ eatenus imbuit, quò ad ſupremas Eccleſiæ dignitates evecti, univerſum orbem eccleſiaſticum ſuo ſplendore illuſtrarent. (g) Teſtes ſunt, qui in Beccenſi Academia pietati ac literis operam dedêre Archiepiſcopi, Anſelmus & Theobaldus Cantuarienſis; Guitmundus Averſanus & Guilielmus Rotomagenſis. Epiſcopi, Ivo Carnotenſis, Hernoſtus & Gundulphus Roffenſes; Fulco Beluacenſis, Richardus & Gaufridus Ebroicenſes, & Turoldus Bajocenſis: Abbates ex quàm pluribus Gilbertus Criſpinus Weſtmonaſterienſis, quem nonnulli ob ſingularem ac multiplicem ſcientiarum notitiam nuncupant *Univerſalem*; Paulus S.

(f) Vid. Luc. Acher. in B. Lanfranc. Opp. Præfat. ad Lect.
(g) Laun. de Schol. celebr. cap. 4. pag. 46.

Albani, Lanfrancus nepos S. Wandregiſili; Michaël & Vincentius Pratellenſes; Rogerius & Gauſridus Gemeticenſes, Joannes de Bouleia, & Joannes Ribaldus Ceraſpienſes; Bernardus & Robertus cognomento de monte S. Michaëlis in Periculo maris, ſive de Tumba; Robertus le Telier S. Ebrulfi, aliàs Uticenſis: unde quidquid in illis virtutis, quidquid gloriæ, quidquid laude digni eſt atque utilitatis, quidquid ex iisdem Eccleſiæ Catholicæ acceſſerit, Lanfranco velut Patri & Magiſtro referendum aſſerunt Scriptores univerſi.

Germaniæ Epiſcopi ex ſcholis Benedict.

S. Lambertus.

Jam verò quanti Germaniæ Præſules (dulcis enim patriæ recordatio) Magiſtros habuêre Benedictinos? S. Lambertus Leodienſis Epiſcopus (h) adhuc adoleſcens à nobiliſſimis parentibus S. Theodardo, Leodienſi etiam Epiſcopo, ac cœnobiorum Stabulenſis & Malmudarienſis Abbati, traditus fuit, ut divinis literis ac monaſticis diſciplinis imbueretur. Tantum vetò ſub eo magiſterio progreſſum fecit, ut à prædonibus necato magiſtro, Cleri ac populi ſuffragio ac Regis aſſensû in ejus locum fuerit ſubſtitutns.

S. Ludgerus.

S. Ludgerus Monaſterienſis Epiſcopus, Alcuino Eboraci operam dedit: ita enim ejus vita habet: *In Angliam pro Diaconii gradû directus incidit Eboroci in ſcholam Alcuini omniſcientiâ celeberrimi, apud quem quatuor años & ſex menſes manſit, totum cum eo novum & vetus teſtamentum perlegens: tantò deinceps gratior patri Gregorio, quanto erat & literarum ſcientiâ inſtructior, & librorum copiâ plenior, & monachorum regulis eruditior.* Sancti Hidulphus & Erardus, germani fratres, loco nobili Ratisbonæ in Boica nati, ille Archiepiſcopus Trevirenſis, hic Ratisbonenſis, fuerunt ambo, teſte Aventino, ſeculo ſeptimo, mille abhinc annis, in monaſterio S. Emmerammi bonis literis ac moribus imbuti. Cujus gloriæ ac voluptatis eſt San-Gallenſibus, diſcipulos aliquando San-Gallenſis

SS. Udalricus & Conradus.

ſcholæ fuiſſe Sanctos Udalricum & Conradum, illum Auguſtanum, hunc Conſtantienſem Epiſcopos? Prioris magiſter fuit Waningus, de quo Gerardus in vita S. Præſulis: *Accepto enim conſilio commendaverunt eum ad S. Galli monaſterium, quia ibi nobilium Dei ſervorum multitudo & religioſitas, diſcendi docendíque ſtudium tunc temporis habebatur. Commendatus verò cuidam religioſo viro, grammaticæ artis edocto, Wanning nuncupato, à quo bene procuratus quotidianam religionis atque lectionis doctrinam accepit, & intimis ſui cordis inſeruit.* Poſterioris à puero in San-Gallenſi monaſterio educati inſtructor erat B. Notingus, San-Gallenſis quoque Aſceta, vir vitæ ſanctimoniâ & probitate morum conſpicuus, ac ſubinde Conſtantienſis Epiſcopus.

B. Notingus.

Salomon Epiſcopus Conſtantienſis.

Non exiguo etiam San-Gallenſi ſcholæ ornamento fuit *Solomon* hujus nominis III. Epiſcopus pariter ad Rhenum. Is teſte Cruſio (i), illuſtri loco natus, Comes Turgoviæ, aut Baro à Ramſchwag, ad Eccleſiaſtica munera tenerâ ab ætate à parentibus deſtinatus, in cœnobio S. Galli (à quô non longè Gentilicium caſtrum aberat) diſciplinæ doctiſſimorum è Divi Benedicti Ordine virorum inſtituendus committitur. Magiſtrum hîc nactus Yſonem, plurium annorum alacri ſtudio ad omnem virtutis apicem non minùs, quàm ad exquiſitam in nullô non diſciplinarum genere ſapientiam eſt excultus. Tantum porrò ex ea inſtitutione profecit, ut conſcriptis compluribus exquiſitæ ſapientiæ libris ingenii ſui monimenta poſteris reliquerit; quæ tum Conſtantienſem, tum San-Gallenſem Bibliothecas glorioſa ſeu Antiſtitis, ſeu Diſcipuli, ac cœnobitæ ſui memoria ornavêre. Non diu latere poterat nobilitas præclara ſanguinis cum inſigni virtute atque ſapientia conjuncta. Evocatus igitur in Regiam Ludovici II. Germaniæ Regis, patrui Arnulphi Imperatoiis cùm in publicis tabularii muniis adeò operam ſuam, profundámque in rebus gerendis prudentiam probavit, ut quatuor dein Regibus, ad Henricum Aucupem usque, graviſſimis à conſiliis eſſet. Quibus honoribus cùm emineret, unicè tamen religioſiſſimorum cœnobitarum veteri conſuetudine delectabatur, adeò ut, cùm furtim noctû ad commune cum aſcetis Divinum officium obreperet, demum, etſi palatino adhuc Clerico, & Canonici opulenti dignitate effulgenti, præter Ordinis conſuetudinem ſingulari Abbatis permiſsû indultum ſit, ut in clauſtrum Divi Galli, quovis tempore, ſumpta ad cœnobii januam cucullâ ſubiret; præſertim cùm pol-

(h) Laun. de Schol. celebr. cap. 4. pag. 46.
(i) Annal. Suev. lib. 3. p. 2. c. 3. apud R. P. Joſeph. Pichler in Hiſtor. Imperat. Tract. 8. p.m. 47.

pollicitus eſſet, ſe primo, quò liceret, tempore nomen vitæ monaſticæ daturum. Id verò executus eſt agente Ruggero monacho, quem ſibi in ſanctioribus animi negotiis ducem delegerat. Huic aliquando capſam auream, Sanctorum reliquiis refertam, quam ab Arnulpho ex Caroli Auguſti cimeliis acceperat, Sancto Gallo offerre volenti, ſuadet Ruggerus, non aurum, ſed ſemetipſum Gallo ſuo tandem offerat, & Monachum, utì ſpoponderat, profiteretur. Regis igitur conſenſu impetrato, capſam ille ſuam collô ſuſpenſam gerens, tunicâ & cucullà indutus ad aram S. Galli, Bernardo Abbate annuente accedit, multisque lachrymis peccata defiens humanis rebus nuncium remittit, fitque S. Galli Monachus. Non multò pòſt in Regiam Abbatis permiſſu revocatus (adeò ægrè chariſſimi capitis abſentiam ſerebat Rex) in priſtinos reponitur honores, ac duodecim rexiſſe Abbatias dicitur. In his erat Campidunenſis, atque Elwangenſis, quibus & D. Galli (cùm Bernhardus, quòd favere Italicis tyrannis contra Arnulphom argueretur, abdicare ſe gubernatione juſſus eſſet) cœnobium ſuffragante cumprimis Rege, atque Hattone Moguntino Archiepiſcopo, anno 890. acceſſit. Felix hujus præfecturæ ſuæ auſpicium quantocyùs poſuit, dum ſuſpenſam antehac deceſſoris ſui odio litem, pro ſuo apud Regem atque Hattonem favore facilè evicit, & jura cœnobii ſui adversùs Ulricum Linzgoviæ Comitem in trium Comitatûum conventû feliciter recuperavit. Nec deſtituit porrò San-Gallenſes ſuos, etſi vix altero redeunte anno, ad Conſtantienſes Infulas translatus, Abbatis ſeſe titulo abdicârit, Arnulpho ob ingenii, conſiliíque præſtantiam ſemper chariſſimus; eundem gratiæ locum apud ſucceſſores tenuit, Ludovici filii, atque Conradi Cancellarius. Ne tamen & ſui virtuti æmuli deeſſent, atrocibus inimicitiis ab Erchangero, atque Bertholdo Sueviæ Comitibus petitus, Regis gratiâ non ad ultionem, ſed ad deprecandam hoſtibus veniã uſus eſt. Deſcribitus apud Cruſium Annal. Suev. cit. loc. *procerâ ſtaturâ, pulchrâ facie, optimis moribus, mitis, clemens, hoſpitalis in pauperes; ita porrò eloquens, ut ſæpe de ſuggeſtu ad populum concionaretur.* Adeò curæ Aulicæ, & urgentia pro Regni & Eccleſiæ incolumitate negotia, nihil de ſanctioribus curis in cœleſti illo animo detriverant. Deceſſit è vita anno 919.

Plures alii.

Quò tempore Notkerus, Leodicenſis Epiſcopus, in Sancto Gallo etiamnum Decani munus ſuſtinebat, inſigniores Germaniæ Antiſtites eò loci, teſte Ekkehardo, educati fuerunt. Atque ex hujus ipſius Notkeri ſchola plurimi religionis & doctrinæ dotibus illuſtres diſcipuli effulſerunt (k): in quibus Epiſcopi ſex, Guntherus Saltzburgenſis, Rothardus & Erluinus Cameracenſes, Haimo Virdunenſis, Hezilo Tullenſis, & Adelbodus Trajectenſis ad Rhenum. His adde Durandum, poſtea Leodicenſem Epiſcopum, qui Babembergenſem Eccleſiam pietate & artium liberalium diſciplinà illuſtravit. Adde item Olbertum, qui Aquisgranenſium mores depravatos *ad ſanctæ religionis* ſtatum reduxit, ut in Geſtis Leodienſium Epiſcoporum fuſiùs memoratur.

Bruno Colonienſis Archiepiſcopus.

Brunonis, Colonienſis Archiepiſcopi, ſtirpe nihil in orbe nobilius; natus eſt patre Henrico Aucupe, Germaniæ Rege; fratrem habuit Ottonem Magnum, Imperatorem, ſororem Hadwidem, quæ fuit Hugonis Capeti Regis mater, nepotem Ottonem II. Auguſtum. *Annos circiter quatuor habens liberalibus literarum ſtudiis imbuendus Baldrico venerabili Epiſcopo, qui adhuc ſupereſt, Trajectum miſſus eſt,* inquit *Rothgerus*, qui vitam Brunonis ſcripſit, jubente *Fulcmaro* ſucceſſore. *Baldricus* autem, Brunonis præceptor, minimè eſt Epiſcopus Trajecti ad Moſam, qui obiit anno 958. aut 959. proindéque diu ante Brunonem; ſed Ultrajectinæ Eccleſiæ, in qua (l) Regulæ Benedictinæ obſervatio à S. Willibrordo inſtituta vigebat, Præſul cognominis, qui poſt annum 970. mortalitatem explevit; nam Brunonis præceptor adhuc ſuperſtes erat, inquit Rothgerus, quando Brunonis demortui vitam ſcripſit, ſucceſſoris ipſius juſſu. Tantos in ſtudio progreſſus fecit, *ut nullum penitus fuerit ſtudiorum liberalium genus, in omni græco vel latino eloquio, quod ingenii ſui vivacitatem aufugeret*, inquit laudatus ſcriptor. Henrico Imperatore ejus parente mortuo,

(k) Mabill. Præfat. in Sec. V. O. S. B. § 11. n. 31.
(l) Vid. Gall. Chr. Tom. III. p. 850.

tuo, ab Ottone fratre jam Rege in aulam vocatur. Ibi nec fractus illecebris, nec victus ab objectis, nec raptus exemplis, ſe totum pietati & ſtudio literarum dedit. Inſtitutores habuit Iſraëlem Scotigenam Epiſcopum, & famoſiſſimum Ratherium, monachum Laubienſem, ac Veronenſem quondam Epiſcopum; ſub cujus diſciplina multùm profeciſſe teſtatur (m) Fulcuinus, qui Laubienſium Abbatum Geſta conſcripſit: *Advocatur Ratherius, & habetur inter palatinos Philoſophos primus. Quid multa? non deſtitit, donec regiam illam & mirificam* (Brunonis) *indolem in omnibus diſciplinis perſpicaciſſimam redderet & perfectam.* Tantum ſub hoc magiſtrò ardoris concepit Brùno, ut, quocunque circumagebantur tabernacula & caſtra regalia, Bibliothecam ſuam ſicut *arcam benedictam circumduceret.* Uſui verò ipſi fuit in libris conſcribendis. Sunt enim qui Brunoni huic *Commentarium in Pentateuchum* tribuant, quales habentur editi ab aliis ſub nomine Brunonis Herbipolenſis, ab aliis verò ſub nomine Brunonis Aſtenſis. Sixtus verò Senenſis (n) teſtatur in Bibliotheca Bononienſi Prædicatorum exſtare Mſ.tum hujus Brunonis *Coñentarium in quatuor Evangelia*, quo teſtatur, ſe illa poſt Pentateuchum Moyſis, ut nova veteribus jungeret, illuſtrâſſe. Ne autem Brunoni vitio vertatur, quòd Ducatũ Lotharingiæ unà cum Epiſcopatu habuerit, Chronographus Magdeburgenſis ad añum CMLIII. occurrit. *Eodem anno Wicfredus Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus obiit, cui Bruno frater Regis, vir glorioſus, in epiſcopatu ſuccedens, totius Lotharienſis regni ducatum, & regimen cum epiſcopatu ſuſcepit. Ita cum magna religione uſus eſt officio Sacerdotis, & exiſtente neceſſitate functus eſt virtute magnanimi Ducis. Nemo autem ſuper hac re illum culpabilem dicat, cùm Samuelem Sanctum & alios plures Sacerdotes pariter legamus & Judices.* Hæc nonnihil diductiùs çoñemoramus; quoniam ex tam præclaro, tum ſacro, tum politico Brunonis regimine, ejus in ſcholis Benedictinis inſtitutio maximè perviderі poteſt.

Everaclus Epiſc. Leodienſis.

Ejusdem *Ratherii*, à quo Brunonem inſtitutum diximus, velut omni ſcientiarum genere perpoliti Magiſtri, diſciplinam atque inſtitutionem ſummoperè expetiit Everaclus, non adoleſcens aut juvenis etiamnum, ſed, quod meritò mireris, jam illuſtriſſimæ Eccleſiæ Antiſtes, ac Epiſcopus Leodienſis. Ejus verba in epiſtola (o) ad Ratherium hæc ſunt: „Quis eſt vobis aut ſapientiâ, aut probitate, aut optimarum artium ſtudio, aut innocentiâ, aut ullô laudis genere præſtantior? Patientia ſi memoratur, ſi fas eſt dicere, fide ſalvâ, ne Deum offendam, tu es ipſa &c. Non modò non rapuiſti, ſed nec quidem appetiiſti aliena, largitus es propria, aliorum condolens miſeriis, non felicitatibus invidens alienis. Omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceres. Nativa vobis ſupplex tendit manus patria; &, ut redeatis, invitat. Omnes, quotquot ſunt Ordinis Clericalis, ſeu militaris, mente, voluntate, ſtudio, geſtu, voce, ut veniatis, clamant, vos videre deſiderant; ſervitio vobis impendendo, nec numerum, nec modum præfigimus ullum. Omnia noſtra erunt in manu veſtra ſecundùm quod animo veſtru inſederit, ô dilecte Ratheri! Cuncta prævidete, diſponite, conſtituite, & ut libuerit in omnibus agite, *ſub veſtro pollice docto & artifice manum ferulæ non erubeſcam ſubducere* &c.

Burchardus Wormatienſis Epiſc.

Burchardum etiam Wormatienſem Epiſcopum, expetiiſſe Magiſtrum Benedictinum, in libello de Geſtis Abbatum Gemblacenſium non ſine encomio his verbis refertur; „Eâ tempeſtate Burchardus quidam in Wormacenſi civitate datus erat Epiſcopus, vir cùm epiſcopali honore non indignus, tum pro juvenilis ætatis fervore literarum ſtudiis opportunè intentus. Is Baldrico juniori Tungrenſium Epiſcopo fiducialiter mandat (ejus nempe contubernalis & amicus in palatio Regis fuerat) ut ſibi aliquem literali ſcientiâ præditum dirigat, cujus ope & doctrinâ ipſe in eruditione Scripturarum proficere valeat. Quis tanto viro mitti dignus eſſet, diligenter quæritur, & tandem ad hoc nullus Olberto, Gemblacenſi monacho, magis idoneus invenitur, & bona omnium de eo æſtimatione ad urbem Vangionum dirigitur: honorificè ab Epiſcopo ſuſceptus magnam cum eo familiaritatis gratiam eſt

„ ad-

(m) Geſt. Abb. Laub. Tom. VI. Spicilegii pag. 565.
(n) Bibl. San. lib. 4. pag. 270.
(o) Everacli epiſtolam invenies Tom. I. Geſt. Pontif. Leod. in Everaclo.

„ adeptus. Epiſcopus nobilis & po-
„ tens non dedignatur, ſe ſubmitte-
„ re ad formam diſcipuli: Monachus
„ humilis & peregrinus non timet,
„ tanto viro operam exhibere magi-
„ ſtri: & reverà neceſſarium illi erat,
„ ut politus eſſet ad unguem multi-
„ plicis doctrinæ artificio, cujus laus
„ & æſtimatio pendebat à tam ſapien-
„ tis diſcipuli ſubtili judicio. Quan-
„ tum autem vir tantæ auctoritatis ex
„ Olberti doctrina profecerit, ex acti-
„ bus ejus æſtimandum erit; de quo
„ ſatis conſtabit, quòd illâ ætate in
„ Scripturarum eruditione unicè cla-
„ ruerit, quòd vel in hoc ſatis pro-
„ bari poterit, quòd opus ſanctæ Ec-
„ cleſiæ nimis utile elaboravit, dum
„ Olberto dictante & magiſtrante
„ magnum illud canonum volumen
„ centoniſavit, & quaſi collectis flori-
„ bus omniformis generis de prato
„ ſcripturarum coronam pretioſio-
„ rem anro & topaſio in edito Eccle-

Gratitudo diſcipuli erga Magiſtrû.

„ ſiæ collocavit. Epiſcopus utì vo-
„ tis ſuis ſatisfactum eſſe ſenſit, ma-
„ giſtro optionem obtulit, utrùm mal-
„ let ſecum in honore & amicitia re-
„ manere, an ad ſuos repatriare. Ille
„ elegit repatriare, quia placuit Deo,
„ ita pro nobis diſpenſare. Ergò cum
„ gratiarum actione Epiſcopo Baldri-
„ co remittitur, eminentia ſtudii &
„ religionis ejus prædicatur, & ne
„ vice laboris ſui fruſtretur, affectuo-
„ ſiſſimè ei commendavit. Cùm er-
„ gò locus Gemblacenſis vacaret pa-
„ ſtore, Baldricus Epiſcopus ſollici-
„ tâ cum ſuis agebat deliberatione,
„ quis dignus eſſet hujus paſtoralita-
„ tis curam ſuſcipere: ad ſummum
„ placuit omnium ſententiæ, Olberto
„ geminâ ſcientiâ adornato hunc lo-
„ cum præ omnibus competere. Igitur
„ ab Epiſcopo cum Ingobrando Ab-
„ bate ſuo accerſitus, Dei & omnium
„ judicio ad regimen Eccleſiæ eſt ele-
„ ctus, & per manus Ingobrandi Ab-
„ batis, & Godeſcalci Archidiaconi
„ illuc eſt deſtinatus.

B. Adelberti Archiepiſc. Magdeburgenſis illuſtres diſcipuli Epiſcopi.

Quid jam dicam de B. Adelberto Magdeburgenſi Archipræſule, qui ex Trevirenſi S. Maximini Monaſterio eductus, literarum ſtudia in ſua Eccleſia per noſtros excitavit? *Hic*, inquiunt ejusdem Eccleſiæ (p) annales, *hic inſtructiſſimus omnium liberalium artium ſcientiâ, perfectus diſcretione, manſuetudine, innocentiâ, in diebus ſui ſacerdotii ſolerter commiſſo invigilabat gregi.* Et poſt pauca: *Nutrivit ſanè filios plures non ſecundùm inanem ſeculi faſtum, nobiles, quódque in his Deo magis placuit, vitâ & moribus inſignes, intérque omnes Canonicæ profeſſionis ſectatores perfectioris teſtimonii cæleſtis aulæ milites.* Tum proſequitur Chronographus: *Germinavit igitur Magdeburgenſis Eccleſia velut hortus deliciarum folia virtutum & poma ferens bonorum operum. Quem dum perflaret auſter leni ſpiramine, cœperunt longè latéque ejus aromata profluere, quia ex his multi diverſis in locis ſunt promoti, ſicut ipſorum numero Giſelarius & Waltradus ejusdem ſedis pontificio poſteà meruerunt ſublimari. Inter quos & regiæ ſtirpis Wogietetb, ſed ab ipſo Archiepiſcopo æquivoco nomine dictus Adelbertus emicuit, qui poſteà Pragenſis Epiſcopus glorioſo martyrio coronari meruit, cujus conſodalis ſanctus Bruno, qui & Bonifacius nobilitate & meritis illi per omnia ſimillimus dum paſſionem & actus ipſius ſcribendo miratus eſt, ipſe nihilominus Archiepiſcopus gentium pari agonis triumpho ſubſequenter in confinio Ruſſiæ & Lituæ regionum martyriſatus eſt, ſicut indicat liber geſtorum ejus. Horum ergò patronus & Deo dignus Epiſcopus Adelbertus, defuncto Boſone, Merſeburgenſi Epiſcopo, ordinavit pro eo præfatum Giſilarium ſecundum, Volcoldum quoque ſecundum Miſnenſi, Fridericum ſecundum Cizenſi, Volcmarum tertium Braudeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopos.*

Hæc Chronographus Magdeburgenſis, quem verò *Wogietetb* nominat, rectiùs *Woytiechum* vocâſſet. Erat is illuſtriſſima (q) proles Slavonici Vitkovæi Roſenſis Comitis de Lybiez Urſinæ Gentis, qui in matrimonio habebat Strzezyslavam, Wratislai Boëmiæ Ducis filiam, & S. Wenceslai ſororem, tam à dotibus corporis, quàm virtutibus illuſtrem. Cùm ex ephebis exceſſiſſet, *Woytiechum*, inquit Dubravius, *egregiâ indole juvenem, quem pater in aulam Ottonis mittere deſtinaverat, mutatâ ſententiâ ad Adalbertum, ſanctitatis famâ ubique notum Antiſtitem, Magdeburgum miſit; ut ibi eisdem inſtitutis & præceptis, in eodem, quo Dithmarus Pragenſis primus Epiſcopus cœnobio edoctus erat, imbueretur.* Florebat eo tempore Magdeburgi Othricus, Corbeiæ novæ monachus,

(p) Chron. Magdeburg. pag. 274. editum à Meibom. inter Script Rer. Germ. Tom. II.
(q) Bolelucky in Roſa Bohemiæ, ſeu vita S. Adelberti cap. IV. pag. 89. & ſeq.

adoleſcentes honeſtiſſimis ſcientiarum omnium diſciplinis inſtructi promovebantur ad inſulas Pontificales: quales fuerunt Adalbero Remorum, & Octardus Cameracenſium Epiſcopi ſeculo decimo, *qui in ſcholis Gorzienſis monaſterii pariter condiſcipuli extiterunt*, referente Balderico in Cbronici Cameracenſis libro primo, capite primo ſupra centeſimum, & Ekkehardus junior capite ſexto de caſibus Monaſterii S. Galli: *Erant*, inquit, *diſciplinæ loci, ut ſemper, & tunc ſeveræ, non modò in clauſtro, ſed & in ſcholis externis. Unde etiam præter Clericos, qui apud nos ſæpè nutriti ſunt, clariſſimos eccleſiis variis multoties dedimus & Epiſcopos.* Nempe ut ab Henrico Meibomio, & Joachimo Vadiano, Adverſariis noſtris teſtimonium repetam, „atque hoc loco, in„quit prior, nobis in mentem veniat, „quam ob rem olim tanto numero, „tantiſque ſumptibus & impenſis paſ„ſim extructa & locupletata ſint cœ„nobia: nempe ut in illis juventus „ad ſuſcipiendam vel Eccleſiæ, vel „Reipublicæ gubernationem, piè fi„deliterque erudiri & inſtitui poſſet: „quod etiam factum eſſe mediæ æta„tis hiſtoriæ perſpicuè indicant. De „Conrado & Henrico, Epiſcopis „Lubecenſibus, ex noſtratibus cœ„nobiis ad id honoris & oneris cul„men evocatis, atque hoc propter „eruditionem doctrinæ cnm pietate „conjunctam, nibil dico, ne priùs „dicta faſtidioſè repetam: unum ad„jicio, Corbeiam, Imperiale propè „Hoxariam in Weſtphalia cœno„bium, dediſſe olim Epiſcopatui, „Bremenſi Antiſtites quinque, An„ſcbarium, Rembertum, Adelga„rium, Hogerum, & Winnonem: „Hildeſienſi Alfridum & Walber„tum: Halberſtatenſi Evilpnm: Mo„naſterienſi Sigfridum: Pragenſi Thia„dagum: Oſnabrugenſi Marquar„dum: Spirenſi Arnolfum: Mindenſi „Wilbrandum; Paderbornenſi Bern„bardum: Verdenſi Btunonem &c.„ Joachimus verò Vadiamus, „in Præ„ſule, inquit, duæ res potiſſimùm „ſpectantur, pietas & eruditio. Pie„tatem à vitæ innocentia & divini „cultûs amore metiebantur: erudi„tionem à judicio, & à doctrinæ „præſtantia, quamquia panllò rario„tem habebant illa ſecula, perſæpè „accidit, ut & Monachi doctrinæ „famâ commendati, & quòd omnis „ſtudiorum facultas eo tempore præ„cipuè in monaſteriis regnabat, in „Epiſcopos electi, & ſummis ſedi„bus præfecti fuerint.„ Hæc ille; nec abs vero: præter enim allata hucusque in medium exempla, innumeta alia, quibus Vadiani verba confirmari poſſunt, abundè ſuppeditant.

ex Schola Gorzienſi.

San-Gallenſi.

Corbeienſi.

S. Benno Miſnenſis Epiſc.

Teſtis eſt S. Benno, natione Saxo, ex illuſtri & antiqua ſtirpe Comitum de Wollenberg: Hic ab infantia penè inter ſacras Literas, in Cœnobio S. Michaelis Arcbangeli in Hildesheim (t) inſtitutus & educatus, ſub monacbali ſchemate Chriſto militavit ſanctiſſimè, quoad demùm ad Epiſcopatum Miſnenſem aſſumptus fuit. Teſtis eſt Dithmarus Merſeburgenſis, in Miſnia etiam Epiſcopus, ac celebris Hiſtoricus (u). Qui domi ſuæ nobiliſſimus cùm in Monaſterio S. Joannis Magdeburgi literis inſtitutus fuiſſet, ſub Riddago Abbate monachus factus eſt, mox Præpoſitus Walbicenſis, atque hinc, procurante Henrico II. Imperatore, Wigberto in Epiſcopatu Merſeburgenſi anno Domini MXVIII. ſucceſſit. Cùm autem huic Eccleſiæ decem annos ſanctiſſimè præfuiſſet, nuntio imminentis diei ſupremæ divinitùs accepto, ex hac vita, eadem die, quâ in lucem editus eſt, exceſſit. Teſtis eſt S. Heribertus, Colonienſis Archipræſul, vir generis nobilitate, rebus præclarè geſtis, ac patratis tam in vita quàm poſt obitum miraculis æternâ memoriâ dignus (x). Is in flore ætatis, diffuſa ubique Gorzienſis Abbatiæ famâ, illò ſe contulit, ubi tantos tum in pietate, tum ſacris Literis progreſſus fecit, ut ejus doctrinæ, prudentiæ, ac virtutum famâ commotus Otto III. Imperator, tantum virum ad ſe acceſſitum *ſuo lateri* ſociandum judicârit, aulæ Cancellarium conſtituerit, & mortuo Evergeto ad Colonienſem evexerit Archipræſulatum.

Dithmarus Merſeburg. Epiſc.

S. Heribertus Archiep. Colonienſis.

Henricus Archipræſul Trevir.

Nec eruditione, nec doctrinâ inferior fuit Henricus Trevirenſis Archipræſul, *magni meriti & ſummæ probitatis Vir*, ut eum vocat Chronographus Magdeburgenſis, Ottonis Magni propinquus, teſte Frodoardo, atque adeò *illuſtri Francorum & Suevorum ſtemmate clarus*, ut in Actis S. Wolf-

(t) Paul. Lang in Chron. an. 1331.
(u) Reiner. Reinecc. in vita Chronico præmiſſa.
(x) Gall. Chriſt. Tom. III. pag. 651.

S. Wolfgangus. Ratisbon. Epiſcop.

S. Wolfgangi Epiſcopi Ratisponenſis, ab Ottone Trevirorum deſignatus Antiſtes. Primas pietatis & literarum inſtitutiones in Augienſi prope Conſtantiam Monaſterio hauſit, unà cum Wolfgango, quem poſtea Witziburgum traxit. Henrici enim erat frater Poppo loci Epiſcopus, & Stephanum quendam doctum virum ex Italia doctrinæ causâ accitum, ſcholæ præſecerat, qui omnes illic literis operam dare volentes accuratè erudiret, uti ex Actis S. Wolfgangi à Mabillonio editis diſcimus. Henricus verò Archiepiſcopus factus, Wolſgangum ſacerdotiis ac dignitatibus Eccleſiaſticis præ cæteris ornare voluit, ut per omnem diœceſim ipſius ſecundum locum obtineret. Negavit ille: ſed tandem *in hoc ceſſit, ut pateretur ſcholaſticos pueros & adoleſcentes ſuæ curæ commendari*, nullâ ſpe lucri (y) Henrico autem mortuo Wolſgangus in Einſidlenſe Monaſterium ſe recepit ſub Religioſo Abbate Gregorio: tum eòdem annuente *in Pannoniæ fines prædicandi cauſa proficiſcitur*. Revocatus à Pilgrino, Patavienſi Epiſcopo, ſedi Ratisponenſi imponitur. Adeptus tantum miniſterium, noluit inane Epiſcopi habere nomen, ſed die noctúque illud excoluit, munus ſuum accuratè obeundo: *nec propter Epiſcopatus faſtigium habitum monaſticum mutare voluit*. Sancti Emmerammi monaſterium virorum, aliáque duo puellarum, ſuperius & inferius, ad meliorem frugem revocavit: tertium ſancti Pauli ſuis impenſis erexit. Deinde etiam *accinxit ſe ad canonicæ vitæ inſtituta reformanda*, effecítque, ut Canonici Eccleſiæ ſuæ *ſimul in refectorio ederent, & extra clauſtrum borit incongruit ne exirent, neque ſilentii diſciplinam negligerent.*

Dagino Archiep. Magdeburg. diſcipulus S. Wolfgangi.

Plures habuit illuſtres diſcipulos, inter quos Dagino eſt, tertius Archiepiſcopus Magdeburgenſis. „Hic beati illius
„Wolſgangi, inquit citatus Chro-
„nographus, verè actû & habi-
„tû monachi, & Confeſſoris Chriſti,
„& Ratisbonenſis Epiſcopi diſcipu-
„lus, ab eô more filii in omni ſanctæ
„converſationis inſtitutione, à puero
„fuit enutritus, boníſque ejus omni-
„bus prælatus, quem etiam per ſe
„gratiæ Ottonis tertii, Imperatoris,
„ac Henrici Bavarorum Ducis fami-
„liariùs adjunxit, quia ſibi defuncto
„hunc ſicut dignum illorum auxilio
„ſubſtituendum curavit. Qui dum
„beatæ vitæ terminum, imino præ-
„mium ſibi adeſſe præſentiret, illum
„verè dilectum alumnum advocavit,
„& os ejus ori ſuo ſuppoſitum aſtrin-
„gere mandavit, ut à Deo inſpiratio-
„nem ſpiritualium ejus chariſmatum
„acciperet, unde temperamentum
„dilectionis geminæ ipſiúsque bene-
„volentiæ contra noxium juventutis
„ardorem perciperet, tunc etiam præ-
„ſago illi indicio ſuggeſſit, quia, ſi
„deſtinata ei à ſe ſuâ ſede ſortè pri-
„vandus eſſet, poſt decurſionem de-
„cem annorum pro certo glotioſiùs
„ſublimandus foret. Vaticinio re-
„ſpondit eventus. Dagino in Epi-
„ſcopum Ratisbonenſem electus,
„hoc honore ab Imperatore privatus
„poſt decennium ad archipræſulatum
„Magdeburgenſem promotus fuit. Ut
„autem quædam de moribus ejus bre-
„viter dicamus, fuit cum Evangelico
„Simeone homo juſtus & timotatus,
„& largè ſua diſpergens dedit paupe-
„ribus in charitate radicatus, niti-
„da caſtitate emicans creverat pie-
„tate ac manſuetudine dilatatus, pru-
„dentiâ & ſtabilitate roboratus exti-
„terat, ſéque habitû canonicum in
„omni verò converſatione ſuâ verè
„monachum cunctis oſtenderat.
„Quoscunque in Deo proficientes vi-
„debat, laudabat, & exhottans ad
„meliora provocabat, delinquentes
„verò ſpe correctionis aſperè increpa-
„bat. Divino verò ſervitio inſatia-
„biliter intentus vacabat, & niſi gra-
„vi infirmitate præpeditus cum quo-
„tidiana pſalterii expletione vivum
„Domiuo holocauſtum quotidie pet
„miſſarum celebrationem immola-
„bat. Quod donec titè complêſſet,
„vultus & animi ſeveritate ſollicitu-
„dinem adhuc ſuam oſtendebat. Po-
„ſtea verò bona conſcientia, & inhabi-
„tante in ſe ſpiritû Dei lætificante
„omnibus hilaris & affabilis aggau-
„debat, cum quibusdam etiam per-
„ſæpe Kyrie Eleiſon, miſericordiam
„Chriſti invitans, concinebat. In
„vigiliis autem ſupta modum labo-
„rare ſtudebat, qui, cùm ob laſſitu-
„dinem jejunare non poſſet, eleemo-
„ſynarum largitate redimebat, ſed
„tamen ob dolores dentium modicus
„eſus ſibi cum mediocri potû ad ſa-
„tietatem ſufficiebat. Nobiles ge-
„nere & moribus diligebat, nec ta-
„men pauperes deſpiciebat, curam
„ipſorum habebat. Denique poſt

„Vi-

(y) Mabill. Præfat. in Sec. V. §. 11. n. 16.

„vitam ſanctiſſimè tranſactam anno „Dominicæ Incarnationis 1012. de- „ceſſit. „

Richardus Ep. Virdunenſis. Richardus Epiſcopus Virdunenſis fuit B. Richardi Abbatis Monaſterii S. Vitoni in ſacro baptiſmate filius, & poſtea diſcipulus, ab eo bonos mores & ſacras literas edoctus. Cùm magiſter ejus Deo naturæque conceſſiſſet, ejus morti adſuit, corpus lavit, illúdque honorificè ſepelivit anno Dòmini milleſimo quadrageſimo ſexto.

In Gallia Benedictinorum diſcipuli Archiepiſcopi Remenſes. Atque hæc pauca de aliquibus duntaxat Germaniæ Epiſcopis, qui plerique Seculo x. & xi. Eccleſiis ſuis præfuerunt. In Gallia inter Remigii Antiſſiodorenſis & Hucbaldi Elnonenſis monachorum diſcipulos duo præ cæteris Archiepiſcopi Remenſes eminuère.

Fulco. Cùm enim Fulco Archipræſul, qui à teneris in monaſterio Sithienſi, ſeu S. Bertini educatus fuerat, Remenſes Scholas temporis diuturnitate, ſeu miſeria, vel rerum vicibus propemodùm collapſas reſtituere vellet, Remos Remigium evocavit, uti Flodoardus tradit in lib. iv. Hiſt. Rom. cap. ix. *Præfatus Præſul honorabilis Fulco ſollicitus circa Dei cultum & ordinem eccleſiaſticū, amore quoq; ſapientiæ fervens duas ſcholas Remis, Canonicorum ſcilicet loci, atque ruralium Clericorum jam pene dilapſas reſtituit, & evocato Remigio Antiſſiodorenſi magiſtro liberalium artium ſtudiis adoleſcentes Clericos exerceri fecit, ipſéque cum eis lectioni ac meditationi operam dedit. Sed & Hucbaldum S. Amandi monachum, virum quoque diſciplinis ſophicis nobiliter eruditum accerſivit, & Eccleſiam Remenſem præclaris illuſtravit doctrinis.* Sic Fulco, inquit Launoius (z), duas Scholas aliis non reſtituit modò, ſed & ſibi ipſi reſtituit: quippe qui non minùs quàm cæteri ſub illis Profeſſoribus mereri voluerit. O non minùs illuſtre, quàm ſingulare Præſulis exemplum, quem dignitas ab acquirenda in ſcholis ipſis ſcientiâ non retardavit.

Seulfus. Inter alios Remigii diſcipulos Seulfus Archiepiſcopus, qui Heriveo ſucceſſit, magnoperè excelluit, ut idem auctor teſtatur (a): *Succeſſit huic Præſuli Seulfus, qui tunc urbis hujus miniſterio fungebatur Archidiaconatûs, vir tam eccleſiaſticis, quàm ſecularibus diſciplinis ſufficienter inſtructus, quique apud Remigium Antiſſiodorenſem magiſtrum in liberalibus ſtudiuin dederat artibus.*

Fulbertus Carnotenſis. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, cùm ante epiſcopales infulas Remis à Gerberto, ſcholari Abbate, poſtea Sylveſtro II. doctus fuiſſet, reverſus Carnutas, ſcholas ibidem tenuit, quæ ipſum maximè celebrem reddiderunt. Teſtis eâ de re inprimis Adelmannus (b) ejus diſcipulus in Rhythmo alphabetico, quem de ſui temporis Viris Illuſtribus compoſuit, de magiſtro ſuo ita canens:

Carnotena decus urbis, memorande Antiſtes,
Te primum, pater Fulberte, dum te conor dicere,
Fugit ſermo, cor liqueſcit, recrudeſcunt lacrymæ.
Deploranda ſingillatim multa quidem memini,
Utpote conviéter ſenis hærens ſæpe lateri,
Ore bibens auris fontem aurei melliflui.
Eheu! quantâ dignitate moralis induſtria,
Quantâ rerum gravitate, verborum dulcedine
Explicabat altieris arcana ſcientiæ!
Floruère, te fovente, Galliarum ſtudia,
Tu divina, tu humana excolebas ſtudia,
Nunquam paſſus obſcurari virtutem deſidia.
Gurges altus in minores ſolvitur ut alveos,
Utque magnus ex ſe multos fundit ignis radios,
Sic inſignes propagâſti per diverſa plurimos.

Præter Fulbertum Carnotenſem Gerbertus in diſcipulis ſuis numeravit Leothericum, Senonum Archiepiſcopum, Brunonem Lingonenſem, & Gerardum Cameracenſem Antiſtites.

Quis jam omnes Gallicanæ Eccleſiæ Præſules in digitos mittat, qui, ſeu doctrinam ac pietatem, ſeu dignitatis ſpectes faſtigium, illuſtriſſimi è ſchola B. Lanfranci prodierunt? Docebat is, antequam Cantuariæ Archiepiſcopalem Sedem conſcenderat, in ſchola Beccenſi literas cùm profanas tum ſacras incredibili diſcipulorum frequentia, quorum non paucos jam ſuprà commemoravimus, quóſque inter non poſtremo loco repetendus venit *Magnus Ivo* Carnotenſis Epiſcopus. Ivo Carnotenſis. At ne aliquibus dubitatio nis nonnibil ſuboriatur, ipſiſſima Roberti de Monte (c) verba jam primùm evulgare delectat: *Mortuus eſt hoc anno*, inquit, *vir religioſus & magnæ literaturæ, Ivo Carnotenſis Epiſcopus. Hic dum eſſet juvenis, audivit magiſtrum Lanfrancum, Priorem Becci, de ſecularibus & divinis literis tractantem in illa famoſa ſchola, quam Becci tenuit, in qua multi & nobilitate ſeculari & honeſtate morum conve-* ne-

(z) De Schol. celebr. cap. 21. pag. 28.
(a) Ibid. cap. 18.
(b) Edidit Mabill. Analect. Tom. I. pag. 420. nov. edit. p. 382.
(c) Apud Acher. in not. & obſerv. ad vit. B. Lanfranci pag. 38.

nerunt viri præditi, & qui poſtea ſummum apicem eccleſiaſticæ dignitatis & religionis attigerunt. Poſtea verò idem Ivo præfuit & profuit Conventui Canonicorum Regularium S. Quintini Beluacenſis. Ad ultimum Epiſcopus factus rexit Eccleſiam Carnotenſem viriliter & religiosè ferè per annos XXIII. Hucusque Robertus in Chronico MS. ad an. MCXVII.

Chryſoſtomus à S. Geminiano.

Apud Italos in Monte Caſino (d) Seculo XVI. (ut ſuperiora tempora non attingam) *Chryſoſtomus à S. Geminiano*, excellens rerum divinarum cognitione, vitæ ſanctimoniâ percelebris, Latini præſertim, Græci ac Hebraici ſermonis peritiâ inſignis cùm haberetur, magnâ apud Paulum III. Pontificem Maximum floruit gratiâ. Hujus verò juſſû inter cæteros Congregationis Caſinenſis Abbates Concilio Tridentino primùm interfuit, tum ad formandam, denuóque inſtituendam Congreg. Melitenſem ſe accinxit; quâ provinciâ adeò egregiè eſt perſunctus, ut Congregationis ejusdem Pater ac Reformator, hodiéque à Monachis Melitenſibus nuncupetur, illúdque ipſum in cauſa fuerit, cur Raguſini Proceres in Archiepiſcopum à ſummo Pontifice eum poſtularent, & obtinerent. Plures verò Nobiles Raguſini ſcientiis, Græcáque linguâ ab eo fuerunt inſtituti, & cucullo monaſtico donati, qui omnes viri admodùm inſignes evaſerunt, omnésque variis in locis Epiſcopi creati ſunt. Præ cæteris BASILIUS GRADI doctrina & eruditione ita inclaruit, ut, cùm Gregorius XIII. Pontifex Maximus egregium *Joannis Baptiſtæ Folengii* Monachi Benedictini è Congregatione Caſinenſi, Opus in Pſalmos, quod hæretici labefactaverant variis aſperſis erroribus, in priſtinum candorem per Monachos ejusdem Congregationis reſtitutum vellet, *Baſilius* unà cum aliis Monachis ad id deſignatis hanc provinciam ſedulò glorioſéque obiverit, ac deinde ab eodem Pontifice Stagnenſis Epiſcopus in Dalmatia anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quinto fuerit creatus.

Plures Epiſcopi ex ejus ſcholâ,

inter quos Baſilius Gradi,

At enim non caput hoc tantùm expleam, ſed libros impleam, ſi univerſos Eccleſiæ Præſules atque Epiſcopos, qui in Gallia, Germania, Anglia, Hiſpania, Italia, cæteríſque regnis ac provinciis maximo numero è ſcholis prodierunt Benedictinis, ſingillatim recenſere velim; maximè cùm ab eis recenſendis abſtinendum ſit, ne numerum augere volens ipſum reddam minutiorem.

Reges & Principes Benedictinorum alumni.

Age igitur, à ſacra ad civilem rempublicam convertamus orationem; neque enim ſatis eſt ad laudem ſcholarum Benedictinarum, Eccleſiæ Antiſtites, Purpuratos Patres, atque Pontifices Maximos bonis artibus fuiſſe in iisdem inſtitutos, ſed hoc etiam ad cumulum laudis accedat oportet, Principes, Reges, ac Imperatores Auguſtiſſimos earum fuiſſe alumnos. *Pipinus* (f) Rex Galliæ, filium *Carolum* circa annum 752. *Autperto*, nobili Franco, literarum tam divinarum quàm humanarum peritiſſimo in diſciplinam dedit. At cùm is curiæ pertæſus, rebus mundanis valere juſſis, in monaſterio S. Vincentii ad Vulturum in Italia habitum induiſſet Benedictinum, *Carolus* aliis cœpit uti præceptoribus. Et quidem, teſte Eginhardo (g), in diſcenda Grammatica Petrum Piſanum Diaconum jam ſeniorem audivit; in nobilioribus diſciplinis, Rhetorica, Dialectica, Aſtronomia Albinum, Eboracenſis in Anglia Monaſterii alumnum, cognomento Alcuinum, item Diaconum, virum undequaque doctiſſimum habuit præceptorem; apud quem etiam arcanâ ſacrarum literarum, divinarúmque rerum ſcientiâ (quod in tanto Rege tot negotiorum mole vix non oppreſſo obſtupeſcas) inſtitutus eſt, ut author vitæ Alcuini his verbis (h) teſtatur: *Ipſe Pater Alcuinus Carolum multâ erudiens curâ artibus liberalibus, ſcripturíſque divinis, adeò ut ſapientiſſimus omnium Francorum efficeretur Regum, qui fuerunt ab adventu Chriſti.* Quare Carolus Alcuinum non immeritò *cariſſimum in Chriſto præceptorem* appellat in fragmento (i) epiſtolæ, relato in ipſius Alcuini epiſtola ſexta, quidquid in contrarium dicat Baronius. Huc referenda videtur epiſtola 23. in qua Carolum laudat, quòd ex diverſis mundi partibus amatores ſapi-

Carolus Magnus, Ambroſii Autperti,

& Alcuini diſcipulus.

(d) Armell. Bibl. Caſ. part. 1. p. 117.
(e) Ibid pag. 73.
(f) Nat. Alex. Hiſt. Eccl. Sec. VIII. c. 3. art. 14. & Jo. Bapt. Mar. in annot. ad Pet. Diac. c. 13. de Vir. Ill. Caſ. p. mihi 26.
(g) Cap. 22.
(h) Sec. IV. Benedictin. pag. 156.
(i) Mabill. Annal. tom. 2. pag. 258.

ſapientiæ convocare ſtuduerit: *inter quos*, inquit, *me etiam infimum, ejuſdem ſanctæ ſapientiæ vernaculum de ultimis Britanniæ finibus adſcribere curâſtis.* Simul verò ac in Franciam Alcuinus acceſſit, Carolus eum patris locô habuit, coluit, ac ingentibus ſanè accumulavit gratiis.

Ludovicus Pius ejuſdem Alcuini alumnus.

Cùm ipſe verò, non puer etiamnum, ſed adultus, non privatus adhuc, ſed jam Rex factus victor hoſtium & triumphator, Alcuini eſſe diſcipulus haud renuerit, quis Ludovicum filium non ab eodem Alcuino literis inſtitutum credat? Sed ut ille fors alios habuerit præceptores, Alcuinus certè Caroli filias *Giſlam* & *Rathradam*, ſi Bulæo in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis (k) credimus, liberalibus artibus, imò nonnullis etiam ſacræ Scripturæ tractatibus informavit: Itaque illæ, inquit, poſtquam Alcuinus Turonos receſſit, ab eo Commentaria in Joannis Evaogelium ſibi Pariſios mitti poſtulârunt, ac ne cauſaretur abſentiam, aut itineris longitudinem, B. Hieronymi exemplo uſæ, qui in Betbleem degens Matronis Romanis & ſacris Virginibus ſua ſcripta dirigebat, ac proinde è loco longiùs diſtante ab urbe Româ, quàm Turonica civitas diſtet à Pariſiaca, impetrârunt, quod petebant: initio verò epiſtolæ eum vocant *Venerandum Magiſtrum.* At enim inter Caroli M. filias, quatum minimùm novem ex variis cùm uxoribus tum concubinis ſuſcepit, nullas ego invenio, quæ *Giſla* & *Rathrada* vocatæ monaſticum ſuſceperint habitum. Earum nomina fuerunt, *Rotrudis*, *Adelhais*, *Bertha*, altera *Adelhais*, *Hildegardis*, *Theodelinda*, *Hiltrudis*, *Rothildis*, & *Adeltrudis.* Longè alio deinde, quàm ſacrarum literarum amore Caroli filiæ arſerunt. *Giſla* verò vocata fuit Caroli ſoror, quæ ab Adalgiſo, Deſiderii Longobardorum Regis filio in conjugem expetita, cœleſtis ſponſi nnptias terrenis antehabuit, atque in Calenſi Parthenone, haud procul Pariſiis diſſito, veſtem induit Benedictinam. Atque hanc fuiſſe, pronum eſt credere, quæ cum Rathrada ſodale, paris, aut certè quidem nobiliſſimæ proſapiæ Moniali literas ad Alcuinum dedit. Vitam cum morte *Giſla* commutavit anno 804. in opinione magnæ virtutis ac ſanctitatis.

Giſla & Rathrada Diſcipulæ Alcuini.

Pippinus Caroli M. pater, item

Caroli M. parens erat *Pippinus*, qui noſtrorum etiam ſcholas in utroque monaſterio SS. Dionyſii & Germani (l) trivit. In horum ultimo præceptorem habuit Robertum tunc temporis Priorem, poſtea verò Abbatem. Nepotes Carolus ex Ludovico filio plures babuit, quorum duo certè quidē (ſi non etiam tertius) Lotharius & Carolus, Roman. Imperatores, monachis noſtris uſi ſunt magiſtris. Et Lotharii quidē Pædagogus à patre Ludovico Pio *Wala* Corbeiæ veteris Abbas, S. Adelhardi frater, doctrina & vitæ ſanctimonia celebris conſtitut' fuit, quem ſubinde etiam in totius imperii conſiliarium delegit. Præterea Ludovicus Pius Abbati *Eginhardo*, qui priùs Carolo M. à ſecretis fuerat, erudiendum tradidit, ut tum de aliis, tum de moribus lapſis corrigendis illum ſedulò commoneret. *Carolus* autem *Calvus* in monaſterio D. Dionyſii educatus, & literis imbutus, ob ídque optimè affectus in locum ſanctum, filios etiam ſuos *Lotharium*, *Pippinum*, & *Drogonem*, noſtris erudiendos commiſit. Et Lotharius quidem magiſtrum nactus eſt *Hericum*, S. Germani Antiſſiodorenſem monachum, qui literas eô loci docens in epiſtola ad Carolum Auguſtum, vitæ metricæ S. Germani præfixa, in diſcipuli ſui laudes his verbis excurrit: „Quorſum iſta protulerim, illud in cauſa eſt, divæ memoriæ *Lotharium*, tuæ filium majeſtatis, annis puerum, mente philoſophum (ingenuè confiteor) animi indole & ſolertiæ opibus, ut tibi uni concedam, præ cæteris ſui ævi mortalibus extitiſſe pretioſum. Is quòd tua diſpoſitione & Deo devotus & beato Germaoo ad educandum fuerat commendatus, tantum devotionis in Sanctum, tantum ardoris in locum conceperat, ut vitam illius mors livida nobis meritò invidiſſe putetur. Cúmque eſſet divini puer ingenii, atque erga rerum notitiam ſummè ſtudioſus, contigit eum in nna dierum libri cujuſdam abdita perſcrutantem geminas epiſtolas offendiſſe. In altera earum ſanctiſſimus Aunarius, ſextus poſt Beatum Germanum Antiſſiodori Epiſcopns, Stephanum Africanum Presbyterum, ut vitam ejuſdem ſanctiſſimi patris noſtri Germani metricâ ratione digereret, precibus ambiebat. In altera idem Stephanus præfato ſe pari-

„turum

Lotharius, & Carolus Calvus in ſcholis Benedict. educati.

Filios Benedictinis inſtituendos committit Carolus Calvus.

E quibus Lotharius à Magiſtro laudatur ob ingenii præſtantiam,

(k) Tom. 1. pag. 105.
(l) Bouillart Hiſt. Monaſt. S. Germ. lib. 2. p. 22.

„ turum pontifici ſignificabat. - - - His ſollicitâ lectione decurſis, tandémque relatu aſſiſtentium hujusmodi opus penes nos nunquam & nusquam paruiſſe comperiens, multâ animoſitate correptus, quod tantum opus fruſtra hominum notitiæ deperiiſſet, per dies aliquot internis animi angoribus carpebatur. Tandémque me, qui tum recens ſcholis emerſeram, evocato, dolorem aperit inteſtinum, útque ei, ſi quâ poſſem ratione, mederer, importuniùs conteſtatur; ſcilicet ut, quod elaboratum quondam in præfatis epiſtolis legebat, iterarem, actúsque Germani præſtantiſſimos à proſa in metrum deſideriis illius ſatisfacturus transfunderem. Expavi, fateor, negotium, & ſupra vires eſſe reputans, quod imponebatur, quoad potui, colla ſubdnxi. Objectu tandem regularis Capituli adductus, quod etiam impoſſibilia præcepta Abbatis minimè refugienda præſcribit, ſuſcepi quidem, ut par erat, imperium; quamquàm nulla virium conſcientia, verùm ut inſtitutio præmonet regularis, de caritate confidens, & de adjutorio Dei obediens. Vix primas Operis partes attigeram, & heu! miſera humanæ conditio ſortis! Abbas ille meus propediem futurus in Orbe terrarum mirabilis, teneros excedens artus, intempeſtivâ ſeculum morte deſeruit. Hic caſus tam lugubris, tam acerbus, omnia mihi ſtudia, omnes curas excuſſerat; niſi probabilis illa ſententia animo ſubveniſſet, dolorem tempore minui: quodque diuturnitas allatura eſſet, quæ maximos luctus vetuſtate tollit, id nos anteferre conſilio, prudentiáque debere. Hac cogitatione animum impuli, ut vivo morigeratus fueram, etiam mortuo obſequi, ínque defuncti gratiam cœpto operi perfectionis pertinaciam admovere.„ Hæc *Hericus* in epiſtola ad *Carolum Calvum* de Lothario ejus filio, ſuo diſcipulo, cujus duo natu minores fratres, *Pippinus* & *Drogo*, à MILONE, Elnonenſi presbytero ac monacho, doctrinam hauſerunt. Præfuit is Elnonenſibus ſcholis magnâ nominis ſui celebritate. A Sigeberto *ſcientia literarum clarus* prædicatur. Scripſit cùm proſa oratione tum metro haud lectu indigna, ſuo loco à nobis comemoranda. Diſcipulos plures è prima habuit nobilitate; inter quos juventutis principes erant *Pippinus* & *Drogo*, Caroli Calvi filii, ſed qui in flore ætatis deceſſerunt. Ambo in Monaſterio Elnonenſi ntì literis eruditi, ita tumulo illati fuerunt, appoſito à Milone præceptore hoc epitaphio:

Lotharii mors.

Pippinus & Drogo Milonis Diſcipuli,

in flore ætatis denati,

Quisque videns noſtras ſolerti corde figuras
Perſpice, quàm ſubitò defluat orbis honos.
Rege ſati fuimus, nomen qui nomine duxit
De magni magnus, de Karoli Karolus.
Nec licuit totum vita complectier annum,
Sed rapuit noſtras debita mors animas.
Si genitor noſtram dignaris viſere tumbam,
Rex noſtros obitus, ne doleas, petimus.
Terris ſublati, placidâ regione locati,
Cum Sanctis requie perpetuâ fruimur.
Vos noſtri memores felices eſte parentes,
Hoc Pippinus ego poſco, ſimúlque Drogo.

hoc epitaphio ornantur.

Opinione verò ſuâ multum deceptus fuit *Godefridus Henſchenius* (m), qui *Drogonem* & *Pippinum* adhuc infantes, nedum anniculos in Monaſterio Elnonenſi obiiſſe exiſtimat; *non fuerunt*, inquit, *eo miſſi diſciplinæ cauſa, cujus nedum capaces erant, ſed educationis.* Miror, fieri potuiſſe, ut vir tantæ prudentiæ, quantæ *Henſchenius* fuit, in tam abſurdam inciderit ſententiam. Nempe illud ipſum decepit: *Non licuit totum vitæ complectier annum.* quod tamen, ut doctiſſimus *Joſephus Pichler* (n) S. J. ait, *non ſic accipi poteſt, quaſi nondum expleto, à quo nati erant, anno deceſſiſſent*; nondum enim anniculi, utique non præceptori viro docto, ſed nutriculæ committendi erant; Annus itaque hîc idem ac ævum ſonat, nempe quòd celeri fato rapti commune, quod natura hominibus vulgò largitur, vitæ ævum complecti non potuerunt.

Henſchenius caſtigatur.

Sub *Arnulpho* Imperatore *S. Adelbertus* Abbas Elvacenſis in Suevia erat, ordine duodecimus. Quàm autem tum charus fuerit Arnulpho Cæſari; *argumento illud erit*, inquit Voſſius (o), *quòd ex anonymi cujusdam ſchedis à Pantaleone proditum eſt*, à Cæſare eo de rebus maximi ponderis conſuli ſolere: atque hujus potiſſimùm fidei, atque induſtriæ educationem filii ſui *Ludovici* crediddiſſe. Hoc autem immatura morte ſublato, *Conradus I.* ſucceſſit, cujus bellicam fortitudinem, pacis artes, ac ſingularem in adminiſtrando Germaniæ regno prudentiam alii dignis concelebrent laudibus, nobis

Ludovicus Arnulphi filius, Adelberti diſcipulus.

Conradus I. Græcè doctus à Bavone San-Gall.

(m) d. 16. Junii tom. 3. pag. 35. in notis.
(n) in Hiſtor. V. Carolorum pag. 132. edit. in fol.
(o) de Hiſt. Lat. l. 2. c. 39. pag. 337.

bis ejusdem amor ac ſtudium, quo in literas non Latinas tantùm, ſed quod oppidò mireris, *Græcas* etiam ferebatur, admirationi, ne dicam, ſtupori eſt. Witekindi graviſſimi juxtà ac antiquiſſimi Scriptoris fide nixus id dico. Is enim Libro III. *De rebus Saxonum geſtis* memoriæ prodit, Conradum non adoleſcentem, aut juvenem, ſed Germaniæ Regem Bavoni San-Gallenſi Monaſterii Abbati in addiſcendis literis Græcis operam dediſſe.

Robertus Hugonis Regis filius, Gerberti diſcipulus.

Quo tempore *Gerbertus*, ex Monacho Aureliacenſi Abbas, tum Pontifex Remenſis, dein Ravennas, poſtremò Romanus, Remis ſub *Adalberone* Archiepiſcopo ſcholas regebat, *Robertum*, Hugonis Regis filium ad omnem humanitatem ac doctrinæ elegantiam informavit. De quo regio diſcipulo hæc tradit Helgaudus Floriacenſis Monachus: *Robertus à patre ſcholæ Remenſi traditus domino Gerberto ad erudiendum eſt datus, qui eum ſufficienter liberalibus inſtruxit diſciplinis.* Idem notat Chronicon incerti Authoris ab anno Chriſti DCLXXXVIII. ad annum MXV. deſinens. *In locum ejus* (Arnulphi) *conſecrari fecit* (Rex Galliæ) *dominum Gerbertum Monachum Philoſophum, qui Gerbertus magiſter fuit Roberti Regis, filii iſtius Hugonis, & domini Leoterici Archiepiſcopi* (Senonenſis) *Succeſſoris Sevini.* Verùm præſtat audire fragmentum Hiſtoriæ Francicæ à Ludovico Pio ad Robertum usque Regem; ubi & hujus Regis inſtitutio, & eccleſiaſticæ Gerberti dignitates deſcribuntur: *Robertus fuit vir manſuetus, & non mediocriter literatus ac religioſus. Habuit enim præceptorem Gerbertum ſapientem, qui poſteà ab eodem Rege Remenſium meruit Pontificatum, indéque merito ſcientiæ & ſapientiæ ſuæ ab Ottone Transrhenenſi aſſumptus, Ravennatium ſortitus eſt præſulatum.* Ecce tibi! quem habuit principem è Gallis diſcipulum, & quos Eccleſiæ honores obtinuit.

Ejus virtutes,

Quoniam verò ad Benedictinæ inſtitutionis decus attinet hujus Regis non minùs præclara virtus, quàm inſignis eruditio, hîc de utraque in medium quædam allaturi ſumus (p). Atque ut de virtutis ſtudio primùm loquamur, fuit ROBERTUS *Catholicæ fidei acerrimus vindex*, cujus integritatem cùm *Liſojus* & *Stephanus* novi

Fidei Catholicæ ſtudium.

Manichæi depravâſſent, eos cum pravitatis hæreticæ conſciis Aurelianis igne damnavit. *Chriſtianæ manſuetudinis & caritatis eximia dedit exempla.* Duodecim viros conjurationis in ſacram ſuam perſonam convictos triduo ante Paſcha, juſſit ipſa die ſacroſanctæ Dominicæ Reſurrectionis Communione Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti donari, & regalibus epulis recreari. Sequenti die quæſtione habita, capite damnati ſunt. At ipſos abſolvit Rex manſuetiſſimus, dicens: *Non debere damnari, qui fuerant præmuniti cibo potúque cæleſti.* Nusquam absque pauperibus erat Chriſtianiſſimus *Robertus.* Duodecim pauperes domeſticos habebat, qui ipſum, quocunque iret, aſellis vecti præcedebant. Hoc ſancti Regis ſatellitium. Mille in regiis urbibus & caſtris, ſcilicet Pariſiis, Sylvanectis, Aurelianis, Divione, Autiſiodoro, Avalone, Meleduno, Stampis alebat. Quadrageſimali tempeſtate ducentis quotidie panem, piſces, ac vinum ſubminiſtrari curabat. In cœna Domini trecentis propriâ manu panem, legumina, piſces, ac denarios flexis genibus, hora tertia viritim diſtribuebat. Selectis centum pauperibus Clericis uberiorem hora ſexta erogabat eleemoſynam. Cùm à menſa ſurrexiſſet, poſitis regalibus veſtimentis, cilicio indutus, pauperum pedes pietate & humilitate admirabili abluebat. Sacras Ædes & Monaſteria ingenti numero à fundamentis erexit, de quibus legendus *Helgaldus* in ejus Vita. In Dei laudibus erat aſſiduus. Ex *Conſtantia* Uxore quatuor filios ſuſcepit ROBERTUS, *Hugonem*, *Henricum*, *Odonem*, & *Robertum*, nec non & filiam, nomine *Adelaidem*. Hugo, quem in regni conſortium adſciverat, quíque ſpes tantas de ſe excitabat, ut jam *Magnus* appellaretur, obiit anno MXXV. & Compendii ad ſancti Cornelii ſepultus eſt. Regem ac Reginam graviſſimo ob ejus mortem mœrore confectos conſolatus eſt his verbis Sanctus noſter *Willelmus* Abbas S. Benigni, referente Glabro Rodulpho in ejus Vita: *Non infelices vos putare debetis, quòd talem amiſiſtis: Quin potiùs felices valdè, quia talem habere meruiſtis. Ego ex ullo hominum gradu non tam pauciſſimos ſalvos futuros æſtimo, ſicut & Regum.* Qui cùm attoniti reſponderent: *Cur hoc dicis Pater?* reſpon-

Manſuetudo.

Beneficentia in pauperes,

præſertim in Clericos,

& in ſacras Ædes.

Ejus progenies,

Mœſtum ex obitu filii conſolatur Abbas Willelmus,

(p) Ex Nat. Alex. Hiſt. Eccleſ. Sec. XI. tom. vi. pag. 624.

reſpondit: *Non audiſtis, ſacer Canon quomodo refert, vix tres de triginta Regibus bonos extitiſſe? Idcircò ceſſate quæſo hunc juvenem flere mortuum: ſed potiùs congratulamini ei, ſicuti requieti datum, & à malis liberatum.*

Roberti doctrina & eruditio.

Non minor *Roberti* Regis doctrina atque eruditio, quàm pietas fuit, de qua (q) Trithemius in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum audiendus eſt. „*Rupertus* (idem Germanis, quod Gallis *Robertus*) Rex Franciæ nobilis, fortis, juſtus, doctus, & religioſus inter Eccleſiaſticos Scriptores locum meritò recipit; quippe qui Cantus & Reſponſoria dulci & regulari modulamine ad honorem Eccleſiæ Catholicæ compoſuit. In literis humanitatis, præſertim in muſica doctiſſimus fuit; tantæ autem religionis, ut horas canonicas in eccleſia decantaret cum Clericis, foris apud ſe legeret cum ſuis; tantæ pietatis & miſerationis extitit in pauperes, ut ſuis ſe aliquando veſtimentis ſpolians eorum nuditates multis vicibus operiret; de ejus manibus liber nunquam recedebat, adeò ut pro tribunali ſedens inter judiciorum & cauſarum ſtrepitus in ſinu apertum haberet Pſalterium. Unde & poſt mortem miraculis coruſcâſſe legitur. Ejus eſt illa vulgata Sequentia, quæ cantatur diebus Pentecoſtes de ſancto Spiritu: *Veni ſancte Spiritus*, Reſponſorium de Sancto Petro, *Cornelius Centurio*: De Nativitate Domini, *Judæo & Jeruſalem*: & illud Alleluja, *Eripe me de inimicis*, & alia multa, quæ neſcio. Reſponſorium *Cornelius Centurio*, Romæ Summo Pontifice Miſſam celebrante, ſancto Petro in altari Offertorii tempore cum magna devotione obtulit; accurrentes autem miniſtri altaris arbitrati ſunt, magni pondus auri obtuliſſe divitem Regem; ſed ſchedulam reperientes ſcriptam & notatam admirabantur, ingenium & devotionem principis collaudantes. Hinc Papa decrevit ob memoriam ſanctiſſimi Regis, rogantibus Clericis, ut hoc Reſponſorium in honorem ſancti Petri deinceps cantaretur.„ Hæc quamquàm paullò longiora, reipsâ tamen brevia ſunt, ſi ad tanti Principis gloriam transferantur.

Ipſius ingenii partus.

Vocatur Muſardus,

Cæterùm Rex *Robertus*, quòd nimis addictus eſſet literis, à nonnullis *Muſarum Sacerdos*, ſeu *Muſardus* dicebatur: *vox enim iſta noſtra*, inquit Bulæus (r), *Gallo-Romano* MUSER, *quâ otium ſignificamus, procul dubio à Muſis deducta eſt*; qui enim ſe Muſis applicant, otium & ſeceſſum quærunt, neque negotiis ſe implicant: itaque ille innuens, difficile eſſe omnibus placere, reſpondet Adalberoni in carmine, quòd ſi quis Muſas amplectatur, ſtatim ab ineptis & indoctis *Muſardus* vocetur:

à Muſarum cultu.

Si Muſas celebres, clamant MUSARDE SACERDOS!

Piiſſimè moritur.

Obiit ſanctitate & miraculis clarus *Robertus* anno Chriſti milleſimo trigeſimo primo. In ejus funere à ſubditis acclamatum eſt: *Roberto Imperante & Regente ſecuri viximus, neminem timuimus. Patri Pio, Patri Senatûs, Patri omnium bonorum, felix anima & ſalus, felix ad ſuperna aſcenſus, felix cum Chriſto Rege Regum per ſecula cohabitatio.* Hoc ipſum eloglo exornat Helgaldus. *Ei indeſinenter adhæſit Eccleſiaſticus, & ſibi ſemper amabilis Monoſticus Ordo - - - Sermocinans quis cum eo, non eſt lætificotus gaudio magno? Pacem quis deſiderans, in ejus conſpectu non abhorruit iram? Vultûs ſui præſentiam aſpiciens, quis non eſt oblitus dolos? Orationibus ejus quis Monachorum non habuit requiem, & non eſt amatus, dilectus, & veneratus? Ejus ſanctiſſimâ admonitione quis Clericorum non fuit amator caſtimoniæ? Ipſius amicabilia verba, quibus non fuerunt medicamina? Aſpectus ejus? quibus non profuit inſipientibus ut virga? Oculos ejus humiles quis aſpiciens, non eſt meditatus cæleſtia? Pauper & eſuriens quis non ſatiatus ab ejus receſſit menſa? Viduæ & pouperes ad exemplum bonæ Dorcadis non ob eo datas oſtenderunt veſtes? Omnis miſerorum multitudo non eum patrem & nutritium inclamavit? Non fuit ei ſimilis poſt ſanctum Dovid de cunctis Regibus terræ in ſanctis virtutibus, humilitate, miſericordia, pietate, & charitate: quia ſemper adhæſit Domino, & non receſſit à mandatis ejus corde perfecto.* Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus epiſtola 87. *Robertum* Regem *ſanctum Patrem*; eundem Willelmus, Aquitaniæ Dux, in Charta pro cœnobio Burgulienſi *Theoſophum* appellat.

Ejus encomium.

Ludovicus VI. piè à Benedictinis inſtituitur.

Pronepos Roberti erat Ludovicus VI. cognomento Craſſus, qui non à conficta quadam Xenophontis diſciplina, ſed à ſanctiſſimis Sodalium noſtro-

ro-

(q) vid. etiam ejusdem Annales Hirſ. an. 995.
(r) Hiſt. Univ. Pariſ. Tom. I. pag. 351.

by Google

rorum præceptis ad officium diligentis & moderati imperii in ſchola Monaſterii S. Dionyſii propè Pariſios à teneris annis ita excultus fuit, ut nomen illud Chriſtianiſſimi, quod à majoribus hæreditarium acceperat, per ſe ſuáque virtute, pietate, ac religione partum poſſederit. Ejus vitam Sugerius Abbas S. Dionyſii celeberrimus literis mandavit. Ego piiſſimum illius duntaxat ex hac vita diſceſſum deſcribam, ut quæ vitæ chriſtianæ principia & documenta à noſtris hauſerit, ob oculos conſtituatur. Cùm bellicâ expeditione adversùs Theobaldum, Campaniæ Comitem, & Dynaſtam Sancti Brictionis ad Ligerim perfunctus eſſet, in Caſtro montis Treherii gravi dyſenteria correptus eſt. Quem morbum ſibi lethalem fore præſentiens, *animæ ſuæ frequentatæ confeſſionis & orationum devotione providebat: hoc unum toto animi affectu præoccupans, apud ſanctos Martyres protectores ſuos Dionyſium Sociósque ejus, ſe quomodocunque deferri, & ante ſacratiſſima eorum corpora Regni & coronæ depoſitione, coronam pro corona, pro Regalibus Inſignibus & Imperialibus ornamentis humilem B. Benedicti habitum comutando, Monaſticum Ordinem profiteri*, inquit Sugerius Abbas in ejus vita, qui & ſubdit: *Videant, qui monaſticæ paupertati derogant, quomodo non ſolùm Archiepiſcopi, ſed & ipſi Reges, tranſitoriæ vitæ æternam præferentes, ad ſingularem Monaſtici Ordinis tutelam ſecuriſſimè confugiunt.* Ingraveſcente morbo, ſacerdotibus convocatis, exhomologeſin coram facere, & Dominici Corporis & Sanguinis Viaticum ſuſcipere decrevit. Quod cùm deferretur, præter omnium exſpectationem è lecto ſurgens, ſumptis veſtimentis, camerâ *obviam Corpori Domini noſtri Jeſu exit, devotiſſimus aſſiſtit. Ubi videntibus cunctis tam Clericis quàm Laicis, Regem exuens, regnum deponit, peccando regnum adminiſtrâſſe confitetur, filium ſuum Ludovicum cum annulo inveſtit; Eccleſiem Dei, pauperes & orphanos tueri, jus ſuum unicuiq; cuſtodire, neminem in Curia ſua capere, ſi non præſentialiter ibidem delinquat, fide obligat. Ubi etiam aurum & argentum & vâſa concupiſcibilia, & pallia, & palliatas culcitras, & omne mobile, quod poſſidebat, & quo ei ſerviebatur, Eccleſiis & pauperibus & egenis & pro amore Dei diſtribuens, nec chlamydibus, nec regiis indumentis usque ad camiſiam pepercit.* Pretioſiſſima verò Capellæ ſuæ ornamenta, Sandionyſianæ Eccleſiæ offerenda, tradidit Sugerio. Tum flexis ante ſacratiſſimum Corpus & Sanguinem Domini Noſtri Jeſu Chriſti genibus, hanc Fidei Catholicæ Profeſſionem edidit: *Ego peccator Ludovicus confiteor unum & verum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; unam ex ſancta Trinitate perſonam, videlicet unigenitum & conſubſtantialem, & coæternum Dei Patris Filium; de ſacratiſſima MARIA Virgine incarnatum, paſſum, mortuum, & ſepultum, tertiâ die reſurrexiſſe, cælos aſcendiſſe, ad dexteram Patris conſedere, vivos & mortuos extremo & magno judicio judicare.* Hanc autem „Sacratiſſimi Corporis ejus Evchariſtiam illud idem credimus corpus, quod aſſumptum eſt de Virgine, quod Diſcipulis ad confœderandum & uniendum & in ſe commanendum tradidit. Hunc ſacratiſſimum Sanguinem, illum eundem, qui de latere ejus in Cruce pendentis defluxit, & firmiſſimè credimus, & ore & corde confitemur: hócque ſecuriſſimo Viatico deceſſum noſtrum muniri, & contra omnem aëream poteſtatem certiſſima protectione defendi peroptamus.„ Cùm autem, inquit *Sugerius*, facta primùm peccatorum confeſſione devotiſſimè Corpori & Sanguini Jeſu Chriſti communicâſſet, tanquam illicò convaleſcere incipiens, ad cameram rediit, omníque ſecularis ſuperbiæ pompa rejecta, ſola linea culcitra decubuit. Paululùm ex infirmitate reſpitans ad S. Dionyſium gratias Deo & ſanctis Martyribus acturus deſcendit. Morbo autem redeunte Pariſiis è vita migravit, repetitâ in procinctu obitûs confeſſione, & percepto Dominici Corporis Viatico. Cúmque ſe deferri ad Sandionyſianam Ædem juberet, votum perſoluturum, morbi anguſtiis interceptus, pium propoſitum implere non potuit. Præcipiens ergò tapetem terræ, & tapeti cineres in modum crucis imponi, ibi à ſuis extenſus, religiosè obiit kalendis Auguſti, anno Chriſti MCXXXVII. Regum XXX, ætatis penè LX. Ejus corpus in Sandionyſianam Baſilicam illatum. Vitam ejus ſcripſit Sugerius Abbas.

In caſtris morbo corripitur.

Summa ejus in S. viaticum reverentia.

Profeſſio Fidei Catholicæ.

Moritur A. 1137.

Philippus de Salianis ſecularis quondam Abbas Cœnobii S. Petri extra muros Meliduni, tum monachus, fuit *Franciſci I.* Galliarū Regis præceptor, illius, inquam, Franciſci, quem uti nemo Regum Galliæ doctrina, & eruditione antecelluit, ita nullius majora,

Franciſci I. præceptor Benedictinus.

magíſque præclara in rem literariam merita extiterunt.

Hæc ſunt in Gallia Benedictinæ inſtitutionis clariſſima, veréque regia ſydera, quibus nunc Anglia aliud primæque magnitudinis aſtrum additura eſt.

Ælfredus M. Angliæ Rex diſciplinæ Benedictinæ alumnus.

Ælfredus ſeu *Alfredus*, Angliæ Rex, à rebus præclarè geſtis *Magnus* cognominatus Oxonienſem in Anglia Academiam Seculo IX. fundavit, in qua Procerum ac Magnatum liberos à primis Benedictinis quatuor Profeſſoribus, Aſſero, Phlegemundo, S. Grimbaldo, Joanne Altſaxone bonis literis imbuendos præcipuè curavit. Quin & ipſe iis Magiſtris operam dedit, tametſi jam ætate provectior regni gubernacula moderaretur. Ea verò felicitate in ſcientiarum diſciplinis, quarum ab anno undecimo planè rudis ac neſciens erat, progreſſus eſt, ut Grammaticus, Philoſophus, Rhetor, Hiſtoricus, Muſicus & Poëta non ignobilis haberetur. Juvat Operum, quæ Rex hic ſapientiſſimus, indies octo horas legendo, ſcribendo, dictitando, & orando tranſigens, indefeſſo labore elucubravit (s), Catalogum hîc attexere, ut ex eo dignoſci poſſit, quænam potiſſimùm literarum ſtudia extiterint, quibus in ſcholis Benedictinis tanto cum totius Regni emolumento ac felicitate inſtitutus fuit.

Operum, quæ compoſuit, Catalogus.

Paraphraſis Saxonica in Hiſt. Eccl. Ven. Bedæ.

Ælfredi Regis *Paraphraſis Saxonica Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Venerabilis Bedæ*, quam cum Bedæ Hiſtoria edendam curavit *Abrahamus Whelocus* Cantabrigiæ 1644. in folio. Ejus autem MS. exemplar extat in Bibliotheca Cottoniana, ſub effigie Othonis, litera B. Codice XI. cui etiam Appendix additur.

Leges quàm plurimæ.

Leges quamplurimæ, quarum pars longè maxima ad Eccleſiam ſpectat, quas etiam Latinè & Saxonicè edendas curavit idem Abrahamus Whelocus loco citato, in Appendice pag. 15. Extant autem in Codice MS. Bibliothecæ Collegii S. Benedicti Cantabrigiæ 269. num. 3. *Leges Alvredi Regis Saxonicè.* Et in Bibliotheca Cottoniana ſub effigie Othonis, Litera B. Codice XI. num. 10. *Regis Ælfredi leges & Regis Inæ leges*, & aliæ in unum corpus collectæ *Saxonicè*.

Verſio Hiſtoriæ Pauli Oroſii.

Pauli Oroſii Hiſtoriam, ſive *Hormeſtam* in Saxonicam linguam tranſtulit, cujus verſionis præfatio habetur apud D. Henricum Spelmannum in Appendice ad vitam Regis Ælfridi pag. 205. Ipſa verò tranſlatio Saxonica habetur MS. ex interpretatione Regis Alfredi in Bibliotheca Cottoniana ſub effigie Tiberii, Litera B. Codice I. num. 1. *Saxonicè*. Item inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ num. 5127. in MSS. Franciſci Junii Codd. 15. *Oroſii verſio Saxonicæ*, quam ex MS. Cottoniano deſcripſit manu propriâ Franciſcus Junius. Poſtmodùm hoc Apographum collatum fuit cum Codice MS. è Bibliotheca Lauderdalianaı petito, qui olim fuit Joannis Deè MD peculium, continétq; p. 102. in folio chartaceo.

Pſalterium Davidis ſaltem ex parte Saxonicè convertit, cujus verſio prodiit unà cum textu Latino, à Johanne Spelmanno Henrici filio, edita Londini anno 1640. in 4.

Item Pſalterii,

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ num. 2079. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera C. 3. Codice XI. *Boëtius de Conſolatione Philoſophiæ* Saxonicè verſus per Ælfredum Regem. Item ibidem num. 5124. in MSS. Codicibus Franciſci Junii Codice 12. *Boëtius de Conſolatione Philoſophiæ* ab Alfredo Rege tranſlatus in linguam Saxonicam cum Notis & emendationibus Franc. Junii, omnia manu Junii propriâ conſcripta.

& Boëtii.

Ælfredi Regis Parabolæ Saxonicè inter MSS. Codd. Bibliothecæ Bodleianæ, Claſſe v. in MSS. Codicibus n. 1605. Kenelini Digbræi Codice 4.

Ejusdem parabolæ.

Inter MSS. Codices ejusdem Bibliothecæ Bodleianæ num. 5181. Codice 70. Franciſci Junii, *Flores ex divi Auguſtini Soliloquiorum libro collecti & Saxonicè redditi ab Alvredo, Rege Anglorum.* Deſcripſit Junius ex Codice MS. in Bibliotheca Cottoniana, ſub effigie Vitellii litera A. Cod. 15. continétque p. 48.

Flores ex S. Aug. Soliloquiis.

Ibidem num. 4113. Bibliothecæ Bodleianæ in Hyperoo Bodleiano Cod. 88. *Gregorii Magni liber de cura paſtorali ab Alvredo Rege in linguam Saxonicam verſus*, in fol. ibid num. 5165. in Codicibus MSS. Franciſci Junii Codice 53. n. 1. *Natale S. Gregorii Papæ ex parte ſecunda Homiliarum Saxonicarum* Bibliothecæ Cottonianæ num. 2. *Gregorii Paſtorale Saxonicè Alfredo interprete*, collatum cum Codice Bibl. Cottonianæ, & altero exemplari. Hi duo tractatus

Paſtoralis S. Gregorii verſio.

ſunt

(s) Catalogum Operum *Ælfredi* Regis ex Catalogis Mſſ. Codd. Anglicarum Bibliothecarum an. 1698. impreſſis concinnavit Caſim. Oudin. Tom. 2. de S. E. quem cum aliis duobus Tomis in multis Benedictinis per Germaniam Bibliothecis fruſtra quæſiveris. Unde in gratiam Sodalium noſtrorum exſcribere me non pigeat.

ſunt ſcripti manû *Franciſci Junii.* Item inrer MSS. Codices Univerſitatis Cantabrigienſis, extat in Bibliotheca Collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ n. 257. *Gregorii Paſtorale ab Alvredo Rege* è *Latino in Saxonicum converſum.* Ibidem num. 2433. Codice 253. Bibliothecæ publicæ, *Paſtorale Gregorii ex verſione Alvredi in Saxonicam linguam.* Denique ejusdem exemplar vetuſtiſſimum, & quod olim erat codex Plegmundi Archiepiſcopi, qui an. 890. floruit, cujus caracter elegans, perpulcher & vetuſtiſſimus, habetur in Bibl. Cottoniana ſub Tiberio, Litera B. Codice II. num. 1. Alius item Codex ibidem ſub Othone B. 2. n. 1. Denique non interierunt penitus, ut Cavus arbitratus eſt, *Dialogorum S. Gregorii Libri IV. ab eo Saxonicè verſi*, ſed extant Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti Codice 270. ubi hæc nota adjungitur: *Werefrethus Epiſcopus Wigormenſis juſſu Alvredi Regis libros Dialogorum B. Gregorii de Latinitate in Saxonicam linguam tranſtulit.* Rogerus Hoveden ita inquit, imò & Ingulſus autor citatus.

Ejusdem Teſtamentum.

Ejusdem Taſtamentum extat apud Aſſerium Menevenſem in Vita illius p. 22. Et inter MSS. Codices Hiberniæ num. 424. in Codicibus MSS. Collegii Sanctiſſ. Trinitatis Dublinenſis literâ E. Cod. 284. qui Excerptorum diverſorum eſt, num. 39. *Alfredi Regis Teſtamentum* extat pag. 685. ad. 689.

Studio etiam virtutum excellit.

Neque literarum duntaxat, ſed & virtutum ſtudia excolere à Benedictinis Magiſtris doctus eſt Ælfredus. Tempus omne ſuum ita dividebat, ut ex horis viginti quatuor, quibus dies naturalis conſtat, octo in oratione, lectione, & ſcriptione, octo in curâ corporis neceſſaria, octo in expediendis regni negotiis conſumeret. *Miſſam quotidie audire, Pſalmos quosdam & orationes, & horas diurnas & nocturnas celebrare, & eccleſias nocturno tempore orandi cauſa clam à ſuis adire ſolebat, & frequentabat*, inquit Aſſerus.

Distributio temporis, & redituum.

Reditus ſuos æquâ lance in tres partes dividebat. Primam rurſus in tres partes partiebatur, unam Aulæ ſuæ miniſtris; artificibus, quos ex omni gente collectos ad reſtaurationem urbium dirutarum, novorúmque conſtructiones ædificiorum habebat, alteram; tertiam advenis erogabat. Secundam partem reditûum, qui in ærarium ſuum inferebantur, quatuor in partes dividi juſſit. Primam pauperibus indigenis, alteram monaſteriis, quæ ipſe condiderat, tertiam Academiæ Oxonienſis magiſtris, & ſcholaſticis, quos ita ſovit, ut ad finiendam, quæ inter illos orta erat, controverſiam de ſtudiorum diſciplina, majeſtatem ſuam demiſerit, Oxoniámque ſe contulerit; Quartam Eccleſiis & Monaſteriis attribuit. *Semper ſinu geſtabat libellum, in quo diurni curſus Pſalmi continebantur, ut ſi quando vacaret, arriperet, & vigilanti oculo percurreret* (t) (inquit Willelmus Malmesburienſis) *quod nunc rarò invenitur in terris, illam maximam Regis credidit dignitatem, nullam in Eccleſiis Chriſti habere poteſtatem. Illa*, inquit, *regnantis dignitas, ſi ſe in Regno Chriſti, quæ eſt Eccleſia, non regem, ſed civem cognoſcat, ſi non in ſacerdotes legibus dominetur, ſed Chriſti legibus, quas promulgaverunt Sacerdotes, humiliter ſubjiciatur.* O ſtuporem (u) omnium ætatum *Alfredum!* cujus dum religionem intuemur, nunquam exiiſſe videatur monaſterio: dum bella & miliriam, nullibi verſatus fuiſſe niſi in caſtris (52. enim dimicâſſe fertur præliis) dum ſcripta ejus & lucubrationes, vitam tranſegiſſe in Academia: & dum regni populíque ſui adminiſtrationem, nihilo unquam ſtuduiſſe, niſi in ſoro & Senatu juſtitiæ promovendæ, legibúsque bonis faciendis. O Regem verè inclytum! ô diſcipulum in ſcholis Benedictinis ſanctè inſtitutum! qui vel ſolus earum gloriam atque exiſtimationem ſuſtinere poteſt.

Memorabile ejus effatum.

Jam verò complures alios, eósque potentiſſimos Principes, Reges atq; Reginas ex Anglia proſerre liceret, qui noſtrorum præceptionibus ſapientiſſimè inſtituti fuerunt. Sed ut nimiam prolixitatem vitemus, lectorem ad ea referimus, quæ Cl. V. *Edwardus Maihew* Monachus Weſtmonaſterienſis in *Trophæis Anglicanæ Congregationis Ord. S. B.* Remis apud *Nicolaum Conſtant* A. 1625. editis fuſiùs recenſuit, ſpeciatim *Tabulis primâ, ſecundâ, & tertiâ*, ubi etiam ſingularia proſert de Regibus Anglorum Monachis, videlicet de *S. Sigeberto*, de *S. Sebbo* aliàs *Sebbâ*, de *B. Ethelredo* Merciorum Rege, de *Coenredo*,

Reges & Reginæ eorumq; liberi in Anglia Benedictini.

(t) Ita refert Ailredus Abbas Rievallis apud Alexandr. [inquit Nat. Hiſt. Eccl. Sec. IX, & X. cap. 9. art. 3. pag. 206.

(u) Spelmanni de eo elogium in dedic. Con. Angl. ad Carol. Reg.

de *Offa*, de *Ina*, de *S. Ceoluwlfo* Northumbrorum Rege, de *Egberto*, de *Kinegilſo* & *Entwino* ſeu *Kentwino*, aliíſque. Tum etiam Anglorum Reginas Sanctimoniales *Ethelburgam*, *Hæreswidam*, *Keneburgam*, *Bathildem*, *Ermenburgam*, *Etheldredam*, *Sexburgam*, *Ermenildam*, *Eanfledam*, *Ermenburgam Northumbrorum*, *Kineburgam*, *Edburgam*, & *Evam* Merciorum Reginas, *Cuthburgam*, *Ethelburgam*, *Wereburgam*, *Rictritham*, *Ædilthidem*, *Æthelſwitham*, *Eaditham*, *Oſytham*, *Ælfritham*, *Eleonoram*, & plures alias Regum filias, ac etiam filios monaſtices conſecraneos commemorat. Ex quibus omnibus concludit, quod ſæpiùs obſervavimus, *Benedictinos Monachos olim fuiſſe optimos Regum inſtitutores, eorumdémque in rebus ad animam pertinentibus peritiſſimos & feliciſſimos Duces.*

In Germania quoqne aliíſque vicinis proviociis tot tantósq; Viros ex Regio aut Ducali ſanguine natos doctrinâ & pietate imbuerunt noſtri, ut eorum nominibus recenſendis ilias haud ſufficeret. Paucos è pluribus exempli causâ referre libet. *Eckerardus* Palatinus aliàs *Minor* Eckerardi Senioris Decani in Sancto - Gallo ex ſorore nepos, cùm divinas & humanas ſcientias calleret, San - Gallenſi primùm Gymnaſio præfectus, tum ex monaſterio per vim quodammodo extractus fuit, ut Duellii *Hadwigam*, Burckardi Suevorum Ducis relictam, politiores literas doceret. Hujus inſtitutionis hiſtoriam Eckkehardus junior (x) Libro de Caſibus S. Galli his verbis in literas retulit:

Inſtitutio Hadwigæ Sueviæ Ducis.

„ Hadawiga Heinrici Ducis filia, Sue-
„ vorum poſt Burkhardum virum Dux
„ vidua, cùm Duellio habitaret, fe-
„ mina admodùm quidem pulchra,
„ nimiæ ſeveritatis cùm eſſet ſuis, lon-
„ gè latéque terris erat terribilis. Hæc
„ quondam parvula Conſtantino Græ-
„ co Regi cùm eſſet deſponſata, per
„ evouchos ejus ad hoc miſſos literis
„ Græcis apprimè eſt erudita. Sed
„ cùm imaginem virginis pictor evnu-
„ chus Domino mittendam nti ſimil-
„ limè depingeret, ſollicitè eam in-
„ ſpiceret, ipſa nuptias exoſa os diva-
„ ricabat & oculos. Sícque Græco
„ pervicaciter repudiato literis poſt
„ Latinis ſtudentem Burkhart illam
„ Dux multipliciter dotatam duxit...
„ Hæc S. Gallum vidua orandi ali-
„ quando petiverat cauſa, quam Bur-
„ ckardus Abbas feſtivè ſuſceptam,
„ utique neptim, donis cùm proſequi
„ pararet, ipſa ſe alia dona nolle ait,
„ quàm Ekkehardum ſibi Doctorem,
„ ſi Duellium ad tempus concederet.
„ Nam cùm Portanarius eſſet, de vo-
„ luntate ipſius ipſa cum eo pridie
„ ſecreta condixerat. Quod cùm Ab-
„ bas ingratè quidem concederet, &
„ avunculus diſſuaderet, ipſe tamen
„ nihilominùs, quæ petitus eſt face-
„ re, pertenderat. Duellium die con-
„ dicto cùm ægrè exſpectatus veniret,
„ ultra quàm ipſe vellet, ſuſceptum
„ in conclave ſuo proximum, ſuum
„ (nt ipſe ait) manu duxit magiſtrum.
„ Ibi nocte & die cum familiari aliqua
„ intrare ſolebat ad legendum pediſ-
„ ſequa, foribus tamen ſemper aper-
„ tis, ut ſi quis etiam auſus quid eſ-
„ ſet, nihil quod diceret, ſiniſtrum
„ haberet. Sic quoque crebrò ambos
„ miniſtri & milites, Principes etiam
„ terræ lectioni aut conſiliis invene-
„ runt agentes... Fuit ut cùm quâ-
„ dam vice Ekkebardus ex monaſte-
„ rio S. Galli Duellium pergeret, Bur-
„ kardum puerum poſt Abbatem in
„ comitatu haberet. Iter autem fecit
„ per Augienſe Monaſterium. Ru-
„ odmannus Abbas benignè exce-
„ ptum, ne ſerus feminæ ſeveræ ad-
„ veniret, equo decoro donat, & ab-
„ eunti in aurem, Fortunate, ait, qui
„ tam pulchram diſcipulam docere
„ habes grammaticam. Ad quod ille
„ quaſi caro aſſensû ſubridens, talia
„ in aurem adverſario reddit amico;
„ ſicut & tu, Sancte Domini, Kote-
„ lindam monialem pulchram diſci-
„ pulam curam docuiſti quidem dia-
„ lecticam: dictóque citiùs cùm ille
„ neſcio quid reſibilare vellet, ab eo
„ divertens equo aſcenſo indignanter
„ abivit. Ad veſperam Duellium per-
„ venit. Altera deinde die cùm di-
„ luculo, ut ibi ſolebant, ſilentium
„ regulæ, cujus & ipſa exactrix erat
„ ſollicita, de more perſolviſſet, (nam
„ jam monaſterium, in monte ſtatu-
„ ere cœperat) Magiſtrum lecturæ
„ adiit, & cùm conſediſſet, ad quid
„ puer ille venerit, ipſo aſtante inter
„ cætera quæſivit. Propter Græciſ-
„ mum ille ait, Domina mi, nt ab
„ ore veſtro aliquid raperet, aliàs ſci-
„ olum vobis attuli. Puer autem ipſe
„ pulcher aſpectn, metro cùm eſſet
„ paratiſſimus, ſic intulit:

Burchardus puer ab ea Græcam linguam addiſcit.

Eſſe velim Græcus, cùm ſim vix Domna Latinus.

„ In

(x) Cap. 10. pag. mihi 81. & 84.

„In quo illa, ſicut novarũ rerum cu„pida, adeò eſt delectata, ut ad ſe tra„ctum oſculata ſcabello pedum pro„ximiùs locaret. à quo or repentinos „ſibi adbuc verſus faceret, curioſa „exegerat; Puer verò Magiſtros am„bos intuitus; quaſi talis oſculi in„ſuetus, bæc intulit:

Non poſſum prorſus dignos componere verſus,
Nam nimis expavi, Duce me libante ſuavi.

„Illa verò extra ſolitam ſeveritatem „in cachinnos verſa, tandem puerum „coram ſe ſtatuit, & eum antipho„nam *Maria & flumina*, quam ipſa in „Græcum transtulit, canere docuit, „ita: Θαλάσσαι καὶ ποταμοὶ ἐυλογῆτε τὸν „κύριον, ὑμνεῖτε πῆγαι τὸν κύριον, ἀλληλούϊα, „crebróque illum poſtea, cùm va„câſſet, ad ſe vocatum repentinis ab „eo verſibus exactis græciſare docuit, „& unicè dilexit: tandem quoq; abe„nntem Horatio & quibnsdam aliis, „quos hodie armarium noſtrum ha„bet, donavit libris. At Ekkehar„dus Minor ille interea cum puero „ad alios, ut ſolebat, quosdam Du„cis Capellanos, quos illa nullo mo„do in curte ſua ocia tenere eſt paſſa, „erudlendos ſeceſſerat.„ Demum adeò ibi inclaruit, ut in Magni Ottonis aulam accitus, Ottonis Junioris pædagogiam deinde gereret; quâ quidem in provincia annos mulros cùm expendiſſet, & plurimi apud Imperatores & apud Proceres fieret, mortem tandem obiit Moguntiæ, S. Albani præpoſituram nactus, ut Jodocus Mezlerus auror eſt de Vir. Illuſtr, San-Gallenſ. lib. 1. cap. 34.

Ekkehardus fit inſtructor Ottonis Imp.

Notker9 Imperatorum Pædagogus.

Nec ſilentio prætermittendus eſt Notkerus, ex San-Gallenſi Præpoſito Leodicenſis Epiſcopus. Erat is Ottonis II. Præceptor chariſſimus, deinde ferè ſemper à conſiliis. Eo mortuo (y) ſuffectus eſt Otto III. anno vitæ undecimo, & dnm regno matureſceret, Notkerus pueritiæ præceptor à Germaniæ Principibus delectus eſt. Poſtea in magiſterio ſucceſſit Gerbertus, de qno Tritbemius in Hirſaogiæ Chronico ad annum DCCCCXVII. „Claruit his tempo„ribus Gerbertus monachus Ordi„nis noſtri, cœnobii Floriacenſis, „vir in Mathematica, Aſtronomia, „Philoſophia, Arithmetica, cæte„rarúmque penè omnium ſcientia„rum doctrinâ eruditiſſimus, qui mul„tos diſcipulos nobiliſſimos reliquit, „inter quos etiam fertur Otto Impe„rator fuiſſe non ultimus. Hic pro„pter incomparabilem ſcientiam ſuam „primò fuit Archiepiſcopus Remen„ſis in Gallia per Hugonem Regem „Franciæ conſtitutus, deinde pulſus, „per Ottonem Imperatorem conſti„tuitur Archiepiſcopos Ravennaten„ſis, ac poſtremò fit ſummus Ponti„fex in urbe Româ, & Sylveſter II. „dictus eſt.„ Quæ de Ottone refert Trithemius, hæc præſtat Antor anonymus, qui Bedæ Gentis Anglorum eccleſiaſticam proſequutus eſt hiſtoriam: Sic enim ſcribit in Libri II. Capite XIV. „Gerbertus Galliam „(ex Hiſpania) repatrians publicas „ſcbolas profeſſus arcem magiſterii at„tigit. Habuit diſcipulos prædicandæ „indolis, & proſapiæ nobilis; Rober„tum filium Hugonis Capeti, Ottonem „filium Imperatoris. Robertus poſtea „Rex Franciæ magiſtro vicem reddi„dit, & eum Archiepiſcopum Remen„ſem fecit. Otto poſt patrem Impe„rator Italiæ, Gerbertum Archiepi„ſcopum Ravennatem & mox Papam „Romanum creavit.„ Huc etiam ſpectat Ottonis ad Gerbertum epiſtola inter Gerbertinas CLIII. in qua eum ad ſe in aritbmeticis erudiendum invitat, atque ad ſtudium correctionis impendendum.

Cui in Magiſterio ſuccedit Gerbertus.

Ottonis ad Gerbertum epiſtola.

Epiſtolæ inſcriptio hæc eſt: *Gerberto peritiſſimo atque tribus Philoſophiæ partibus laureato.* Tum in hæc verba auſpicatur Otto Imperator. „Eò „quòd amantiſſimæ veſtræ dilectionis, „omnibus venerandam nobis adjun„gi volumus excellentiam, & tanti „patroni ſempiternam nobiſcum ſta„bilitatem adopramus, quia veſtræ „doctrinæ diſciplinata proceritas no„ſtræ ſimplicitati ſemper fuit haud „faſtidiens autoritas. Attamen ut „omni ambage dimotâ ad vos nndæ „veritatis fruamur loqoelâ, judica„vimus & firmum diſpoſuimus, ut „hoc manifeſtet vobis hæc noſtræ vo„luntatis epiſtola, quod in hac re „ſumma noſtræ adoptlonis, & ſingu„laris eſt petitionis, qoatenus nobis „Indoctis & malè diſciplinatis veſtra „ſolers providentia in ſcriptis, nec „non & dictis non prærer ſolitum ad„hibeat ſtudium correctionis, & in „republica conſilium ſummæ fideli„tatis. Hujus ergò veſtræ volunta„tis in non neganda inſinuatione, „volumus vos Saxonicam ruſticita„tem abhorrere, ſed Græciſcam no„ſtram

(y) Gall. Chr. Tom. III. pag. 847.

„ ſtram ſubtilitatem ad id ſtudii magis vos provocare, quoniam ſi eſt, qui ſuſcitet illam, apud nos invenietur Græcorum induſtriæ aliqua ſcintilla, cujus rei gratia, huic noſtro igniculo veſtræ ſcientiæ flamma abundanter appoſita, humili prece depoſcimus, ut Græcorum vivax ingenium Domino adjutore ſuſcitetis, & nos Arithmeticæ librum edoceatis, ut pleniter ejus inſtructi documentis aliquid priorum intelligamus ſubtilitatis. Quid autem de hac re vobis agendum placeat, quídve diſpliceat, veſtra paternitas literis nobis nuntiare non differat. Valete. Verſus nunquam compoſui, nunc in ſtudio habui, dum in uſu habuero, & in eis viguero, quot habet viros Gallia, tot vobis mittam carmina. „

Reſpondet Gerbertus.

Ad has literas Gerbertus ſequentem in modum reſpondit: *Domino & Glorioſo Othoni ſemper Auguſto Gerbertus gratiâ Domini Remorum Epiſcopus, quicquid tanto Imperatore dignum.* „ Supereminenti benevolentiæ veſtræ, quâ in ſempiternum digni veſtro judicamur obſequio, fortaſſe votis, ſed reſpondere non valemus meritis. Si quo enim tenuis ſcientiæ igniculo accendimur, totum hoc gloria veſtra peperit, patris virtus aluit, avi magnificentia comparavit. Theſauros ergò veſtris non inferimus proprios, ſed reſignamus acceptos, quos partim aſſecutos, partim vos quàm proximè aſſecuturos indicio eſt, honeſta & utilitate ac veſtrâ majeſtate digna petitio. Niſi enim firmum teneretis ac fixum, vim numerorum & in ſe omnium rerum continere primordia, & ex ſeſe profundere, non eorum plenam perfectámque notitiam tanto feſtinaretis ſtudio: & niſi moralis Philoſophiæ gravitatem amplecteremini, non ita verbis veſtris cuſtos omnium virtutum impreſſa eſſet humilitas; non tamen animi benè conſcii tanta eſt ſubtilitas, cujus ut ita dicam oratoriam facultatem, & à ſe & à Græcorum fonte profluentem oratoriè docuiſtis: Ubi neſcio quid divinum exprimitur, cùm homo genere Græcus, imperio Romanus, quaſi hæreditario jure theſauros ſibi Græcæ ac Romanæ repetit ſapientiæ. Paremus ergò, Cæſar, Imperialibus edictis, tum in hoc, tum in omnibus quæcunque divina majeſtas veſtra decreverit. Non enim deeſſe poſſumus obſequio, qui nihil inter humanas res dulcius aſpicimus veſtro imperio. „ Hæc Gerbertus, qui in alia ad eundem Ottonem epiſtolâ, quæ eſt in ordine ſecundo XXIII. *tribus ſeculi ætatibus, ſcilicet vobis*, inquit, *patri & avo* fidem puriſſimam ſe exhibuiſſe teſtatur. Otto autem Imperator benè ac piè regnandi ſcientiam à Gerberto edoctus, Magiſtrum omnibus gloriæ cumulavit ornamentis, præcipuámque dedit operam, ut ſummo in Romana Eccleſia Sacerdotio inauguraretur.

Henricus Bavariæ Dux liberos ſuos inſtituendos S. Wolfgango committit.

Ottoni III. ſanguine conjunctus erat *Henricus Hezilo*, Bavariæ Dux, filius *Henrici Rixoſi* fratris Ottonis Magni. Is quatuor ſuas proles *S. Wolfgango* Ratisbonenſium Epiſcopo commendavit, qui virtute & literis præclarè inſtitutis cuique ſortem non vanus augur prædixit. Quatuor, ut dicebam, erant, *Brigitta, Henricus, Bruno*, & *Giſila*. Henricum Wolfgangus Regem, Giſilam Reginam, Brunonem Epiſcopum, Brigittam Abbatiſſam appellare ſolitus, veluti per jocum, oracula dixit. Primus enim & Rex de Duce Boico, & Imperator; Altera Hungarorum Regina, Tertius Auguſtæ Vindeliciæ Præſul; Quarta Virginum Antiſtes evaſit. *Felix in tantis Diſcipulis Magiſter!* Certè ejus magiſterio & virtutem & fortunam ſuam debuerunt. *Da hujusmodi Doctores*, ait quidam, *& ſanctos habebis Imperatores*. Pulchrè Raderus: (z)

Felix in Diſcipulis Magiſter.

Henrici pietas, quâ creverit arte requiris?
Wolfangum huic cœli Rex dedit artificem.
Integra, ſi neſcis, quid profit vita Magiſtri,
Inclyta Divini Cæſaris acta lege.
Sic populos, ſic ille duces, ſic imbuit ipſam
Ætatem, quæ ſpes poſteritatis erat.
O ſator Imperii! Wolfgangos mitte trecentos,
Si vis Henrico ſurgere mille pares.

Henrici II. Imp. pia inſtitutio.

Ut verò de Henrico ſingularia quædam memoriæ prodamus. (a) Abudiaci (pagus & caſtrum eſt ſupra Ratisponam) natus, & ſacro fonte à Divo *Wolfgango* Ratisponenſi luſtratus, eundémque poſt Bernwardum Hildesheimenſem, & Burcardum Wormatienſem Epiſcopos, viros Ordinis noſtri egregios, præceptorem habuit. Qualis magiſter, talis alumnus. Cum doctrinâ mores optimos, pietatem, ſanctitatémque intimo corde imbibit, cui ſpes maximas, ad quas augurio *Wolf-*

(z) In Bav. Sanct. pag. 93.
(a) vid. Mezger in Hiſt. Salisburg. lib. 3. c. 23. pag. 300.

S. Wolf-gangi è cœlo præſagium de imperiali dignitate.

Wolfgangi auctorabatur, longè poſtgè habuit. Poſt capeſſitos Bojariæ faſces idem *Wolfgangus*, jam inter ſydera receptus, majoris dignitatis præſagium è cœlo dedit: dum oranti ad ſuum tumulum ſcriptas in vicino pariete voces objecit: *Poſt ſex*. Obſcurum oraculum pro ſua animi demiſſione longè aliter, quàm erat, interpretatus Henricus, intra ſexendium mortem exſpectabat, præparabátque piâ peccatorum exomologeſi, eleemoſynis, precibus quàm ſanctiſſimè. Lapſis ſex diebus totidem menſes computavit: illíſque adhuc innoxius ad ſex annos exſpectationem prorogavit. Cùm hi tandem tranſiiſſent, oraculi ſe eventus aperuit. Pro lethali fato, imperialis honor, mortuo Ottone III. Henrico à Proceribus Imperii delatus, monuit, quas pro tumulo parârat virtutes, ſolio & communi orbis bono impendere. Auguſtalem coronam Benedictus VIII. Romæ anno 1014. impoſuit. Qui dum Henrico pomum aureum, ſubditi Orbis ſymbolum, porrigeret, manus Cæſar retraxiſſe primùm viſus: admiſſum deinde mox Odiloni, Cluniacenſi Abbati, ejúſque Congregationi dono miſit, doctis ſcilicet cum mundi pilâ ludere, quam abjeciſſent. Tanti faciebat Henricus orbis ludum, in Divi Wolfgangi, ſapientiſſimi Magiſtri, ludo inſtitutus.

Burchardus Conradi Salici Imp. Inſtitutor.

S. Henrico è vivis ſublato in Imperio ſucceſſit *Conradus Salicus*, cujus à teneris uti *inſtitutor* fuit *Burchardus* noſter (b) Wormatienſis Epiſcopus, ita imperantis quoque erat aliquamdiu Cancellarius. Quò etiam munere ob conſummatam prudentiam, rerum uſum, doctrinam, & integritatem apud hunc ipſum Imperatorem functus eſt *Wibaldus* Abbas Stabulenſis & Corbeienſis, cui etiam Auguſtus curam *Henrici*, cognomento *Nigri*, primogeniti ſui demandavit. Sic enim (c) Conradus ad Wibaldum ſcripſit ex Palæſtina, quò ad ſacram expeditionem profectus fuerat: *Conradus Dei gratia Romanorum Rex Wibaldo Venerabili Corbeienſi Abbati gratiam ſuam & omne bonum*. Ut pro-„ ceſſus itineris noſtri ad proſperita-„ tem totius Eccleſiæ & honorem „ regni noſtri tendat, ſuffragio ora-„ tionum tuarum plurimùm adjuvari „ ſperamus & petimus. De ſtatu ig-„ tur incolumitatis noſtræ, in quo „ adhuc fuimus, dilectioni tuæ ſigni-„ ficamus. Sani, Deo gratias, & in-„ tegri ſumus. Per Hungariam de-„ ſcendentes in Græciam usque per-„ venimus, ubi à Rege Græcorum „ nobis honorificè ſervitur. *Præterea* „ *fidelitati tuæ dilectum filium noſtrum* „ *attentiùs commendamus*, *rogantes* „ *quatenus pueritiam ejus gubernare* „ *& regere tua non deſinat prudentia.*

Wibaldus Henrici Nigri informator.

Wibaldus igitur Abbas unus potiſſimùm electus eſt, cujus innocentiſſimis moribus, & ſanctiſſimæ diſciplinæ, futuri aliquando Romanorum Imperatoris prudentiâ, fortitudine, pietate, & clementiâ inſignis prima rudimenta commendarentur. Henricus verò adoleſcens cùm præceptis & conſiliis ejus obtemperâſſet, omnis ævi præſtantiſſimum ſe Imperatorem præbuit. Manus cum hoſte conſerturus, majorem ſpem ac fiduciam in oratione quàm armis poſuit. *Petrum* Pannoniæ Regem, ſolio à ſuis deturbatum, in illud reſtituit, debellatis non ſine ope divina perduellibus. Triumphantis in morem propterea à Proceribus Imperii Ratisbonæ exceptus, illud coronati Vatis ingeminabat: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*: tum plebeia veſte indutus, omnes ejusdem civitatis eccleſias gratias Deo perſoluturus obivit. Confluxerant eò mimi & hiſtriones magno numero, ut ſpectatores auro emungerent. Quid Imperator? ad unum omnes, nec prandio donatos, urbe expelli jubet, memorabili hâc prolatâ ſententiâ: *Multò decentius eſſe*, *ut nummi in pauperes quàm nugatores à Principe effundantur.*

An Gregorius VII. præceptor Henrici IV. Imp. fuerit.

Utinam verò Henrici filius, Henricus IV. parem juventutis ſuæ moderatorem nactus fuiſſet; ſed egregiæ illius indolis, quæ in ipſo elucebat, materia in manum *Adelberti* Bremenſis Archiepiſcopi, longè diſſimilis artificis, devenit: ab hoc in ſtatuam, quæ non omnibus, ut Phidiæ, placuit, efformata eſt. Anile verò commentum ſapit, quæ *Theodorus Engelhuſius*, Canonicus Hildesheimenſis, qui Vitas Imperatorum ex Domo Brunſwicenſi oriundorum conſcripſit, memoriæ prodidit. In Vita (d) namque laudati Imperatoris Henrici III, nar-

Engelhuſii commentum.

(b) Gall. Chriſt. tom. 5. pag. 668.
(c) ep. xxxi. inter Wibaldianas apud Martene Collect. ampl. Tom. 2. pag. 212.
(d) Mabillon. in obſerv. præv. ad vitam S. Greg. VII. Sec. VI. Bened. Part. II. Extat etiam Scriptor. rer. Ital. Tom. III. pag. 314.

narrat, *Hildebrandum*, Monachum Cluniacenſem, poſteà S. R. E. Cardinalem ac Summum Pontificem, qui tunc Henrici filii ejus pædagogus fuerit, viſum fuiſſe in ſomniis ipſi Imperatori cum ſuo ipſius filio ad menſam aſſidere, cornua habentem usque ad cœlum ſublimia, quibus eundem Henricum filium in lutum dejiciebat; quam viſionem cùm Auguſta de Henrico filio per Hildebrandum ex Imperiali ſede exturbando interpretata fuiſſet, Imperator eundem *Hildebrandum* in vincula conjeciſſe ſame enecandum narratur, quem poſteà tamen, uxoris interceſſione, liberum abire permiſit, ne temerè ſomniis fidem adhibendo innocuum perire juberet. Sed hæc incerta, ac ſabellis propiora ſunt, quibus nec ipſi prudentiores Acatholici fidem adhibent.

verisimilior Meibomii ſententia.

Sub ævo, inquit Henricus Meibomius (e) & ipſe Acatholicus, ſed magni nominis Hiſtoricus, *ſub ævo Carolorum, Ottonum, & Henricorum, Regum, Ducúmque liberi, tenelli adhuc, in Canonicorum aut Monachorum collegia amandabantur, ut apud religioſos homines, procul à ſtrepitu offendiculíſque aulicis, à tenero ungui ad exercitia pietatis, honeſtarúmque ac liberalium artium & linguarum cognitionem aſſuefierent.* Omiſſis igitur ſabulis, ac recentiorum Scriptorum commentis certiora & nemini in dubium vocata memoremus.

Carolus IV. Imp. Petri Rogerii Abbatis diſcipulus,

Carolus IV. Romanorum Imperator (f), cùm in flore ætatis à patre *Joanne Cæco*, Bohemiæ Rege ad *Carolum Pulchrum* Francorum Regem transmiſſus fuiſſet, ſub præſtantiſſimis Magiſtris ad ſcientias Principe dignas, & cumprimis pietatem ac religionem educatus fuit. Quos inter primas tenuit Petrus Rogerius, Abbas Fiſcanenſis, vir tantis dotibus præſulgens, ut dein inter Purpuratos Eccleſiæ Principes, ac demùm ſub Clementis VI. nomine in Apoſtolicæ Sedis faſtigium evectus ſit.

præcipuè divinis literis ab eo inſtituitur.

Præcipuè autem, teſte Altmullio Chron. lib. 4. in reconditis ſacræ paginæ myſteriis Regium diſcipulum educavit. Unde Carolum tanto ſtudio pietatem eſſe complexum, *ut primus Cæſarum nonnulla Evangelia etiam ſcripto interpretatus ſit*, affirmat Dubravius lib. 22. cap. 1. Et fuſiùs è veteribus, quibus abundabat, inſtrumentis Balbinus lib. 4. part. 2. Tit. 35. pag. 65. *In illa celebri Galliæ Regis aulâ intimâ amicitiâ complecti cœpit Petrum Abbatem Fiſcanenſem virum ætate ſuâ diſertiſſimum, quem cùm etiam adoleſcens audiret, inflammari ſe incredibiliter ad Dei amorem ſentiebat; hic Carolum pro filio ſuſceptum ſacrarum literarum veteris & novi Teſtamenti quæſtionibus totum occupabat, & difficillimis locis explicatis, admiratione & ſtupore defixum, interioribus illis & divinis arcanis tam procul admovit, ut etiam in ætate virili & ſenecta Carolus totum ſe in ea abderet, in his elaboraret, & commentaretur plurima. Extant in MS. codicibus Bibliothecarum Caroli Commentarii in Evangelia, ex quibus quosdam Tractatus Evangelicos in vita Caroli IV. legimus editos à Frehero; at in MS. ut dixi, plura & lectiora habemus.*

Carolus IV. ſcribit ipſe geſta ſua.

Præter hæc *Carolus* (g) vitam geſtáque ſua, non ad oſtentationem, ut *C. Julius Cæſar*, ſed ad inſtitutionem filiorum graviſſimo commentario eſt complexus. Certè ſi in ejus procemio philoſophantem legas, loquentem in Eccleſiaſte ſuo Salomonem exiſtimes. *Cùm regnabitis poſt me*, alloquitur filios ſuos, *mementote, quòd & ego rexi ante vos, & in pulverem redactus ſum & in lutum vermium. Similiter vos cadetis tranſeuntes ut umbra, & velut flos agri. Quid valet nobilitás generis aut rerum affluentia? niſi adſit pura conſcientia cum fide recta & ſpe ſanctæ reſurrectionis?*

Sublimis ejus Philoſophia.

Quàm ſublimis deinde in eodem procemio Caroli Philoſophia? *Sicut facies, quæ videtur in ſpeculo, vana & nihil eſt, ita peccatorum vita nihil eſt. Unde aquilaris* (Joannes) *in Evangelio ait: & ſine ipſo factum eſt nihil. Quomodo autem factum eſt nihil peccatorum opus, cùm ipſe* (qui peccat) *fecerit? Peccatum quidem fecit, ſed non opus. Opus denominatur ab optatione, & peccator ſemper optat delicias, & inquinatur per eas: fraudatur verò in deſiderio ſuo, quia corruptibilia deſiderat, quæ ad nihilum rediguntur. Et ſic ſepelitur vita ſua cum ipſo; quia, cùm carnalia corrumpuntur, deſideria ſua finiuntur.* O eximiam atque omni laude celebrandam philoſophiam! Felix Bohemiæ Regnum! in quo Rex philoſophatus fuit, & regnavit Philoſophus. Meritò itaque Carolum Clemens VI. Pontifex in Sermone augurali ad Legatos

D. Ca-

(e) In Dedic. Vindiciarum Billing. ad Rudolph. Princ. Anhalt.
(f) R. P. Joſeph. Pichler S. J. in Hiſt. Quinque Carol. lib. IV. Part. I. cap. 1. n. 61. & Part. 3. cap. 2. n. 441.
(g) Loc. cit. n. 65. 66. 67.

D. Caroli Regis Rom. electi eum *Salomoni parem* deprædicat, ut ex MS. allegat Gamanſius apud Balbinum Miſcell. Hiſt. Dec. 1. Lib. 7. in Notis ad cap. 2.

Caroli & Petri Rogerii mutuum vaticinium.

Non prætereundum hîc vaticinium (etſi ſeriùs accidit) quod de Petro Magiſtro quondam ſuo Carolus, & de Carolo diſcipulo ſuo Petrus edidit, utrumque eventu ipſo confirmatum. Deſcripſit id in *Comment. de vita ſua* Regius Hiſtoricus Carolus apud Freherum *Script. Bohem. pag.* 105. Verſabatur Avenione apud Pontificem Carolus, cùm Petrus, tunc Cardinalis, *receperat me*, inquit, *in domum ſuam, me Marchionem Moraviæ exiſtentem pro eo tempore, quo ſteti apud Papam Benedictum; dixítque unâ horâ mecum exiſtens in domo ſua: Tu eris Rex Romanorum. Cui reſpondi: Tu eris ante Papa. Quod utrumque ſecutum eſt.* Fuit autem Petrus, ut diximus, Clemeos VI. Pontifex. Atque in hunc modum non diſcipulus minùs Magiſtro, quàm Magiſter diſcipulo ſummo fuit honori.

Joachimus Marchio Brandeburg. Trithemii diſcipulus.

Quid jam minores libeat Principes ac Duces perſequi, cùm potentiſſimi Reges atque Imperatures paginam faciant utramque? *Joachimum* tamen Marchionem & Electorem Brandeburgicum ſilentio præterire nefas duco. Erat is ex Joannis Trithemii Abbatis Spanheimeoſis diſcipulis, quorum plerique Principes, Doctores, Magiſtri, Nobiles, Viri clariſſimi fuerunt, facilè præcipuus (h). Incredibili verò amore Trithemium complexus, modò Præceprorem ſuum amantiſſimum, & celebratiſſimum, modò *Germaniæ decus, totiúsque arcam ſapientiæ ſalutavit.* Tanta etiam familiaritas ac conſuetudo ipſi ſemper cum Tritbemio fuit, ut non manu propriâ duntaxat frequentes ad eum literas exarârit, ſed Berolinum usque magnis itineribus ad ſe traxerit, multo tempore ab ejus inſtitutione ſuſpenſus detinuerit, præclaríſque ornatum beneficiis à ſe dimiſerit. Quin tanto ſæpè Elector hic doctrinæ cumprimis ſacræ amantiſſimus, Trithemii deſiderio flagrare cœpit, ut ad ejus Dominum, ut vocant, Territorialem, Electorem Palatinum, ac poſteà Epiſcopum Herbipolenſem literas dederit, quibus officiosè ab eis petiit, ut huic amico ac præceptori ſuo poteſtatem facerent, quò ei Berolinum proficiſci, ſecúmque aliquammultis hebdomadibus commorari liceat. Præſertim poſtquàm Monachi Abbatis ſui itioerum pertæſi eum accuſârunt, quòd in curiis Principum degens monaſterii ſui rem familiarem negligeret. Quæ tamen accuſatio ſatis iniqua fuit; neque enim Trithemius vitâ oblectatus aulicâ in viam ſe dedit, ſed qui Principes ejus tum inſtitutione in literis, tum conſilio ac operâ publicis in negotiis uti volebant, eum quà precibus, quà mandatis è monaſterio abſtraxerunt. Neque is id genus itinera facilè obivit, niſi vel apparatu pro conſcribenda Germaniæ hiſtoria, quam animo conceperat, onuſtus, vel donis ac muneribus à rei literariæ Mæcenatibus in monaſterii ſui emolumentum cumulatus domum referre pedem poſſet. At enim quanto & Sereniſſimus Diſcipulus, & Illuſtriſſimus Præceptor mutuo exarſerint amore, utriusque epiſtolæ teſtatum facient.

Literæ Electoris ad Trithemium.

Joachim, Dei gratiâ Marchio Brandeburgenſis, Princeps Elector, Joanni Trithemio, Abbati Spanheimenſi, Præceptori ſalutem. anno 1505.

„ Reverende Pater, præceptorum „ celebratiſſime! Sumus de proximo „ iter arrepturi ad ſacram Regis Romanorum Majeſtatem, affectantes in „ eodem itinere coram cum P. T. (prout jam dudum deſiderio nobis fuiſti) „ & convenire & interloqui, & de multis, quæ noſtro inſunt animo, conferre tecum. Idcircò P. T. obteſtamur, rogamúsque, ut poſthabitis „ quibuslibet aliis occupationibus ſuis, „ ſe ſe in oppidum *Bun* cis Rhenum in „ *perſona* propria conſtituat, ad primum diem menſis Julii proximè futuri, quo & nos ipſo eodem termino „ (divina clementia favente) conſtituemur. Faciet in ea re nobis P. T. „ ſingularem complacentiam, erga eandem favorosè & omni gratiâ remerendam. Valeat P. T. per ævum. Datæ è Colonia noſtra juxta Sprevum, „ undecimo die menſis Junii. Anno „ Domini milleſimo D. quinto.

Ad Sereniſſimum Principem Joachim, Marchionem Brandeburgenſem, Electorem Imperii Romani, Joannis Trithemii Abbatis Spanheimenſis, epiſtola reſponſoria anno 1505.

Reſponſorias ſcribit Trithemius.

„ Veniam ad tuam Celſitudinem, „ Sereniſſime Princeps, in die & loco „ mihi conſtitutis à te quàm libentiſſimè,

(h) Vid. Jo. Petr. Ludevvig. de Script. Herbipol. in Præf. §. 14.

„ mè, tametſi propter varias corporis
„ mei ægritudines vix pedem movere
„ quoquam poſſe videar. Nihil enim
„ gratius mihi, nihil dulcius hoc tem-
„ pore contingere potuiſſet, quàm ſa-
„ pientiſſimum eruditiſſimúmque adi-
„ re te Principem, *tecum verſari, lo-*
„ *qui, diſſerere, non quidem de parvis*
„ *rebus ac minutis, neque vulgaribus,*
„ *ſed de arduis ac maximis, & tuo in-*
„ *genio fœcundiſſimo dignis, quæ tri-*
„ *plicem noſtram non obhorreant philo-*
„ *ſophiam. Quoties enim cunque noſt-*
„ *rarum inter nos diſputationum, quas*
„ *ante biennium Francfurdiæ in mul-*
„ *tam conſuevimus deducere noctem, in*
„ *mentem recordatio venerit*, toties
„ me tuis intereſſe ſermonibus puto,
„ & magni aliquid audire abs te, quo
„ mens mea peramplius in amorem
„ cœleſtis philoſophiæ noſtræ accen-
„ datur. Unde mox, ut ex dicta Sereni-
„ tatis Tuæ epiſtola ad Rheni partem
„ te intellexi venturum, omnis à me
„ corporis moleſtia receſſit, & propter
„ mentis tripudium imbecilla corpu-
„ ſculi membra diu amiſſam virtutem
„ recuperant, & venire ad majeſta-
„ tem tuam omnia oſſa mea quanto-
„ cyùs feſtinant. Interea, Sereniſſi-
„ me Princeps, Trithemium tuum
„ (ut ſoles) benigno favore proſeque-
„ re, quoniam qui ſemetipſum tibi
„ ſpontanea voluntate in ſervum tra-
„ didit, nibil eorum, quæ poteſt, no-
„ vit, habet, & intelligit, quod im-
„ perio tuo non ſubmiſit. Jure igitur
„ Trithemio tuo ſavorabilem te pa-
„ tronum deinceps exhibere debebis,
„ à quo ipſum recepiſti totum, quod
„ erat ſuum, imò quod erat ipſe ſibi.
„ Scio, quòd me ſupra meritum di-
„ gnaris, ob quod *Excellentiæ Sere-*
„ *nitatis Tuæ* penè oblitus amatorium
„ furorem cohibere vix potui. Sed
„ parce mihi, *Clariſſime Princeps*, quo-
„ niam audentior fui, quàm meam
„ decuit parvitatem. Tuam bene
„ valere Celſitudinem opto. Ex Neo-
„ meti, viceſima die menſis Junii an-
„ no Chriſtianorum M. D. V.

Per integrum aliquando novem-
meſtre Trithemius apud Electorem
Joachimum commoratus fuit, velu-
ti ex ipſius epiſtola ad Rogerium Si-
cambrum pag. 564. diſcimus: „ *No-*
„ *vem menſibus*, quibus cum Sereniſ-
„ ſimo Principe Joachim Electore in
„ Marchia Brandeburgenſium manſe-
„ ram, quod te non latet, minimè
„ fui otioſus, ſed quædam ad ejus
„ imperium lucubravi opuſcula. Quo-
„ rum aliqua complevi, reliqua imper-
„ fecta dimiſi. „

Joachim, Dei gratia Marchio Brandeburgenſis, Princeps Elector, Reverendo Patri Johan. Trithemio Abbati ſalutem. An. 1506.

„ Ingens noſtri amor & benevolen- Aliæ lite-
„ tia erga te, Pater eruditiſſime, ſimul ræ Ele-
„ & recens memoria eorum, quæ no- ctioris,
„ bis piæ eruditionis nuper exhibuiſti
„ documenta, nos vehementer im-
„ pellunt, urgent, commovéntque,
„ *ut crebrò tibi ſcribamus*, ſignifican-
„ tes imprimis præſenti noſtro chi-
„ rographo ſelicem & incolumem ſta-
„ tum noſtrum, uxoris quoque, filii
„ & fratris atque ſororis. Tuæ au-
„ tem Paternitati maximè condole-
„ mus propter æmulorum invidiam
„ adverſa tibi ſuſcitantium, ſicut ex
„ literis tuis ultimis intelleximus, &
„ nuncii noſtri accepimus relatione.
„ Confidimus tamen, quod & *ſapien-*
„ *tiæ tuæ* conſilio, & divino pariter
„ auxilio cuncta humanæ pravitatis
„ machinamenta facilè ſuperabis. Ni-
„ mis amara cognovimus relatione,
„ doctiſſimum quondam præceptorem
„ tuum *Libanium* ſarcinam depoſuiſſe Libanium
„ carnis, & ſpiritum reddidiſſe altiſſi- laudat,
„ mo, qui creavit illum, de cujus
„ morte (ſi tamen mortuus eſt, adhuc
„ enim ſperamus viventem) non mi-
„ nùs dolemus, quàm ſi quiſpiam ex
„ amicis noſtris deceſſiſſet chariſſimis.
„ Præclaram eruditionem ejus, inæ-
„ ſtimabilem ſcientiam omnium ferè
„ ſcripturarum, & ſingularem inge-
„ nii ſubtilitatem in eo ſemper dilexi-
„ mus, & mirati ſumus. Rogamus
„ autem Paternitatem Tuam, qua-
„ tenus ſi mortuum inveneris, omnem
„ pro *libris* ab eo relictis diligentiam
„ impendas, ne in manus deveniant
„ exterorum, illi maximè, quos *utiles*
„ *nobis* intellexeris. Libenter enim
„ ſolvemus, quicquid decreveris ſol-
„ vendum. Cæterùm amantiſſime
„ Præceptor, te iterum atque iterum
„ *quàm inſtantiſſimè obſecramus, ut re-* Trithe-
„ *dire ad nos circa feſtum poſchotis, aut* mium vo-
„ *pentecoſtes non pigriteris.* Eſt enim, cat præ-
„ quod nôſti, *tua opera in multis ne-* ceptorem
„ *ceſſaria, quâ ſine detrimentum rerum* amantiſſi-
„ *noſtrarum diu carere non valemus.* mum.
„ Tuum ſuper his conſilium nobis
„ per hunc nuntium noſtrum, quem
„ propterea miſimus ad te, reſcribito.
„ Quodſi petitionibus noſtris conſen-

„ ſeris

„ feris (uti plenam de te confidenti-
„ am gerimus) ſignifica tempus, &
„ *eundem tabellarium* ad diem deſti-
„ natum cum ſumptibus pro via ne-
„ ceſſariis remittemus ad te, nec *irre-*
„ *muneratus recedes à nobis.* Nec te
„ lateat amator unice, novum præ-
„ ceptorem, quem perſuadente te ac-
„ cepi, per omnia bene agere, éſtque
„ mihi ſpes non parva de majore cum
„ tempore profectû. Signavimus au-
„ tem in ſchedula his introcluſa quæ-
„ dam *volumina*, quorum copiam
„ non habemus, rogantes, ut quam-
„ primùm poteris, eorum nos lectio-
„ ne reficias. Scire etiam te volumus,
„ quòd ſoror noſtra domina *Urſula*
„ contractum cum Duce Megapolita-
„ no matrimonium in hoc carniſpri-
„ vio ſolemni celebratione nuptiarum
„ hic in *Urſulo* conſummabit. Ite-
„ rum te rogamus, ut in præmiſſis
„ omnibus te nobis talem exhibeas,
„ qualem in te confidentiam habemus,
„ & ſemper habebis nos tibi gratiſi-
„ caturos in omnibus. Vale noſtri me-
„ mor & amans, & maneat inter nos
„ amicitia dudum contracta inviola-
„ bilis. Iterum vale ſempérque valeto.
„ Ex oppido noſtro Tangermunda cir-
ca Albim Anno Dominicæ Nativitatis
MDVI. die verò S. Burchardi. Et
manu noſtra propria.

Illuſtriſſimo Principi & Domino D. Joachim Brandeburgenſium Marchioni &c. Joannes Trithemius, Abbas S. Jacobi in ſuburbio civitatis Herbipolenſis, quondam verò Spanheimenſis, felicitatem.

Reſpondet Trithemius

„ Incolumitati tuæ tuorúmque,
„ Sereniſſime, Pientiſſiméque Prin-
„ ceps, jure vehementer congaudeo,
„ & pluſquàm vel præſens dicere, vel
„ ſcribere abſens poſſim, proſperis
„ rerum tuarum ſucceſſibus lætatus
„ ſum. Compaſſioni verò Excellen-
„ tiæ tuæ ſuper *incommodis meis* gratias
„ ago, habeóque immortales, ſed &
„ referam, ſiqua opportunitate pote-
„ ro unquam. Spero autem, quòd
„ *invidiam æmulorum conſilio tandem*
„ *ſapientis* evaſerim, auxiliante Deo.
„ Notum itaque tuæ Serenitati faci-
„ mus, *Invictiſſime Princeps*, quòd
„ recedens à tua Celſitudine ad *Span-*
„ *heim* non fui reverſus, quoniam etſi
„ Dux Cynonotorum meum videre
„ tur optare reditum ad monaſterium,
„ tamen quædam ſeſe interpoſuerunt
„ ex parte infidelium monachorum
„ meorum machinamenta, quibus in
„ tantam fui provocatus acediam,
„ quòd firma penes me concluſione
„ ſtatui, ad Spanheim deinceps mi-
„ nimè revertendum. Manſi ergo
„ non ſine conſilio foris apud *Sere-*
„ *niſſimum Principem meum Philippum,*
„ *Comitem Palatinum, Bavariæ Du-*
„ *cem, ac Principem Electorem*, Bu-
„ daris menſibus quatuor, quouſque
„ tandem Reverendiſſimus Præſul
„ Herbipolenſis ad Abbatiam ſancti
„ Jacobi, quondam Scotorum in Sub-
„ urbio, vocari me fecit, elegit, ac
„ confirmavit, ad cujus poſſeſſionem
„ intravi quinta decima die menſis
„ Octobris anni præſentis. *Locus* qui-
„ dem *parvus, pauper, & modicus eſt,*
„ ſed propoſito & ſtudiis meis multum
„ conveniens, ubi & mihi & literis ad
„ placitum potero ſemper eſſe inten-
„ tus. Abbatiam itaque *Spanheimen-*
„ *ſem* inutilibus plenam occupationi-
„ bus unà cum ingratiſſimis monachis
„ amore pacis & quietis dimiſi, poſtea-
„ quam illi præfueram in añum quar-
„ tum atq; vigeſimum. Quod quidem
„ factum non ſolum me non pœni-
„ tuit, ſed uſque adeò delectat, ut
„ neq; etiam cum omnimoda pace il-
„ lic me vellem remanſiſſe. Ad illud
„ verò, quod tua Celſitudo meum ad
„ ſe in Marchiam denuò petit regreſ-
„ ſum ad feſtum dominicæ reſurre-
„ ctionis vel pentecoſtes, nihil certi
„ reſcribere poſſum, propterea quòd
„ reſignata priore Abbatia & iſta ſuſ-
„ cepta jam me *alterius dominio Prin-*
„ *cipis* ſubjeci. Ego enim, quantum
„ in me eſt, facilè potero perſuaderi,
„ ſúmque & promptus & voluntarius
„ juſtis deſideriis majeſtatis tuæ in
„ omnibus pro viribus obedire; ſed
„ duo ſunt hac vice, quæ mihi prom-
„ titudinem animi videntur impedire.
„ Primum quòd in hac *novellus* Ab-
„ batia tam citò támque remotè abi-
„ re, ac foris *diu remanere* ſine Prin-
„ cipis mei Reverendiſſimi conſenſu
„ nullatenus poſſum: & conſenſus,
„ quẽ prior dedit Palatinus, nihil hodie
„ ſuffragetur, quoniam mutato Prin-
„ cipe neceſſe eſt & privilegiũ mutari.
„ Aliud quod obſtare videtur, quam-
„ vis non magni facio, me tamen ali-
„ quantulum contriſtavit, quòd ex
„ Ordine meo patres quidam in me
„ ſcandalizantur, *quod curias ſequor*
„ *Principum, neſcio quæ frivola &*
„ *conficta garrientes, quaſi pro rebus*

Se ad Herbipolenſem Abbatiam vocatum inſinuat.

Et cauſas ſuæ ab ejus acceſſu remoræ prætexit.

„*quibusdam prophanis docendis, & non*
„*pro Chriſtianæ religionis honore divi-*
„*narúmque ſcripturarum tradenda in-*
„*telligentia ad tuam Celſitudinem fue-*
„*rim antea profectus.* Credula in
„vitium turba ſuo contra innocen-
„tiam more bacchatur, & quoniam
„naturalium rerum non habet inco-
„gnitione principia, quicquid non
„intelligit, malis operationibus ad-
„ſcribit. Nemo capit ignarus, eſſe
„poſſibile, quod miratur, & vim na-
„turæ metitur unusquisque pro ſui
„capacitate intellectûs, ac inde ut
„cæcus omninò decipitur. Sed
„nihil eorum *cavillationes* advertit
„conſcia mens recti, deridens potiùs
„imperitorum ignaviam, qui bonum
„deſpiciunt, quod ex ignavia nun-
„quam didicerunt. Tua tamen Se-
„renitas Domino meo Reverendiſſi-
„mo ſcribat Epiſcopo, & ſi, ut ve-
„niam, conſenſerit ille, ſatis utri-
„que fuerit conſultum. Quamquàm
„mihi videatur conſultius, ſalva tuæ
„Celſitudinis voluntate multis reſpe-
„ctibus, quòd meus ad Marchiam
„introitus usque in annum milleſi-
„mum quingenteſimum differatur
„octavum, ne ſi tam citò abiero, rur-
„ſus aliquid in me lingua æmulorum
„maledica levitatis exſpuat. Om-
„nipotens Deus principatum tuum
„in omni bonitate confirmare ac fa-
„cere glorioſum dignetur, præbens
„tibi omne deſiderium cordis tui,
„quod ſine dubio facturus eſt, ſi cor-
„de perfecto in mandatis ejus cum
„ſancto David innocenter ambulave-
„ris ut cœpiſti. Quod nuntius tuæ
„Serenitatis tardiùs revertitur, cauſa
„eſt, quia opinione deceptus in
„Spanheim me requiſivit. Altiſſimus
„Majeſtatem Tuam conſervet inco-
„lumem, cui me humillimè com-
„mendo. Ex monaſterio meo præ-
„ſcripto Herbipoli 25. die menſis
„Novembris, Anno Chriſti MDVI.

æmulorum Cavillationes ſpernit.

Joachim Dei gratia Marchio Brandeburgenſis, Princeps Elector, Joan. Trithem. Abbati S. Jacobi Herbipolenſ. ſalutem.

Trithemio gratulatur Princeps Joachim.

„Reverende Pater, amantiſſimé-
„que *Præceptor*, gratioſo tibi con-
„gratulamur affectu de nova, quam
„nuper accepiſti, Abbatia, in qua,
„uti ſperamus, quietem habebis ma-
„jorem, quàm in Spanheim te ha-
„buiſſe conſtat, Deo cunctipotenti
„devotè humilitérque ſupplicantes,
„ut Paternitatem Tuam in eadem pro
„ſua ſanctiſſima voluntate, non ſe-
„cùs, quàm tibi ex animo favemus,
„ſanum felicémque diu conſervet ac
„incolumem. Scire vehementer cu-
„pimus, quid factum ſit de præcepto-
„re tuo *Libanio*, utrùm adhuc vi-
„vat, aut rebus exceſſerit humanis.
„Quod ſi mortuus, Paternitatem
„Tuam attentè rogamus, ut pro lib-
„rorum ejus acquiſitione non dor-
„miat. Scis enim, quàm nobis ſint
„utiles & neceſſarii. In ultimis tuis
„ad nos literis promiſiſti, te quanto
„poſſes citiùs perfecturum ea, quæ
„poſtulavimus edenda per te, roga-
„mus, ut more tuo diligentiam ad-
„hibens, móxque ut conſignata per-
„feceris, *conducto fideli nuncio* pro
„noſtro ſalario nobis mittere quanto-
„cyùs non pigriteris. Mittimus tibi
„*ô decus noſtrum*! tonnam unam ſal-
„ſatorum luciorum, & duas hale-
„cium, quæ ut grato ſuſcipias ani-
„mo, non pro munere, ſed pro no-
„ſtri memoriâ, rogamus. *Sturionis*
„autem & *eſocis* copiam hac vice ha-
„bere nequivimus, aliàs etiam tibi
„libentiſſimè ea miſiſſemus. Quid-
„quid enim boni Paternitati tuæ im-
„pendere poterimus, ſingulari favo-
„re parati ſumus, quod ut faciamus,
„tua fidelitas, diligentia, & muni-
„ficentia nobis exhibitæ copioſè pro-
„merentur. Nam meritò ingratitu-
„dinis argueremur vitio, ſi tuorum
„erga nos benefactorum oblivisci vi-
„deremur. Ferventiſſimo autem de-
„ſiderio tuum ad nos reditum circa
„feſtum Pentecoſtes, aut ſi fieri poſ-
„ſet, citiùs exſpectamus, quod ut
„ſine tuo fiat incommodo, diligen-
„ter curabimus. Habemus enim
„multa cum Tua Paternitate confe-
„renda, quæ literis commendare non
„poſſumus. *Ut autem pro hoc ipſo*
„*negotio ad Dominum tuum Epiſco-*
„*pum noſtrúmque amicum habeas*
„*acceſſum, cùm ſine illius conſenſu*
„*venire nequeos, tibi noſtras ad illum*
„*literas mittimus, in quibus, ut no-*
„*bis pro tuo ad nos reditu conſentiat,*
„*diligentiùs oramus, nullatenus dubi-*
„*tantes, quin Tua Paternitas pro im-*
„*petratione hujus negotii diligentiſſimè*
„*nobis apud eundem amicum noſtrum*
„*cooperabitur.* Quidquid impetrave-
„ris, tandem nobis per nuntium ex-

Libanii ſupellectilem literariam ei commendat.

Trithemii reditum exoptat.

„pen-

„ penſis noſtris conducendum reſcribere velis, & habebis nos tibi ad „ votum gratificaturos in omnibus. „ Valere Tuam Paternitatem quàm feliciſſimè optamus. Ex Urſuio no„ ſtro in die S. Anthonii Abbatis ma„ nu noſtra propria. Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo quin„ genteſimo ſeptimo.

Sereniſſimo Principi D. Joachim Brandeburgenſium Marchioni, Stetinenſium, Pomeranorúmque Duci, Rugenſium & Caſſubiæ Principi &c. Joan. Trith. Abbas S. Jacobi Herbipolenſis æternam optans felicitatem.

Trithemius refert Principi grates.

„ Quid Majeſtati Tuæ retribuam, Sapientiſſime Princeps, aut in quo tuis rependere vicem beneficiis potero unquam? Ecce quantis me jam hominem humilem, & abjectum honorâſti muneribns? Primò apud Francfurdiam *aureo poculo* ſatis pretioſo atque pulcherrimo. Secundò cùm in Marchia Tua Brandeburgenſium apud Te eſſem conſtitutus, *muneribus* me decorâſti quàm pluribus in *Auro*, *Argento*, & *Lapidibus* pretioſis, quorum pretium magni ſatis erat valoris. Nunc verò peramplius paupertati volens conſulere meæ, tria mihi vaſa piſcibus repleta ſalſatis miſiſti, quorum uſus per hanc *quadrageſimam &* mihi & fratribus meis non parùm utilis fuit & opportunus. Quid enim Sacratiſſimæ Majeſtati Tuæ pro his omnibus rependam, ô Nobiliſſime Princeps! niſi totum id, quod ſum, poſſum, & valeo, Tuo famulatui quàm libens impendo. Referre namque gratias Tuæ Celſitudini valeo minimè, habeo & ago quantas poſſum immortales, offerens me ad *Tuæ Serenitatis* obſequia omni tempore pro viribus ex animo paratum. De meo ad te reditu, *Clementiſſime Princeps*! in Marchiam, literas Tuas Domino meo Præſuli Herbipolenſi Reverendiſſimo præſentavi, quas cùm legiſſet, etiam mihi tradidit legendas. Libens quidem Tuis deſideriis præberet aſſenſum, niſi formidaret abſentiam meam tanto tempore & mihi & monaſterio meo eſſe nocivam, propterea vel maximè, quòd ego in Abbatia adhnc ſum novellus, *& Scotorum temeritas nobis comminatur inſidias.* Ut autem Tua Serenitas ejus erga te ani„ mum cognoſcat amicum, tandem „ concluſit, ſicuti ex literis Suæ Reverendiſſimæ Paternitatis, quas mitto, clarè intelliges, ut Tuæ perficiam Celſitudini, quæcunque ſcribenda fuerint, qnibus tandem conſummatis, ad Tuam me Serenitatem conferre poſſum, *uno menſe, vel duobus in Marchia Tua manſurus.* Summè Tuis cupio in omnibus obedire mandatis, quantum cum Deo poſſum, & Tuæ præ cunctis Principibus ſervire Majeſtati. Sed quia homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, neceſſarium mihi eſt, imperio ſubſervire majoris. Hoc autem & rogo & conſulo, ut Tua Serenitas usque in annum proximè futurum patientiam habere dignetur: Interea quod juſſeris, hîc ſcribam, cùm venero conſummatum mecum perferendum. Confido enim absque ulla hæſitatione, quòd tempore conſtituto ad paſchatis feſtum anni ſequentis, Dominus meus Reverendiſſimus Præſul memoratus, ut veniam ad Tuam Magnificentiam, mihi juxta pollicitationem Suam non negabit. Nihil hac vice mittere potui, quoniam ea, quæ ſcripſi, necdum ſatis emendavi, quæ tamen omnia mecum afferre curabo, dabóque pro viribus operam, ne fruſtra videar à Tua Celſitudine honoratus, neve tua de me confidentia fructû privetur optato. Græcè modum ſcribendi, quem præſens dederam, iterum miſi, quoniam priorem ultimis literis Celſitudo Tua ſignavit amiſſum, Deus omnipotens Tuam Serenitatem conſervet incolumem. Ex Herbipoli 9. die menſis Aprilis anno Chriſtianorum 1507.„

Suum ad eum reditum excuſat,

& in ſequentem annum prorogat.

Quòd ſi igitur ad laudem, famam, atque gloriam Abbatis Trithemii magna acceſſio facta eſt, inter diſcipulos S. R. I. Principem Electorem numerâſſe, certè eidem non minori fuit ſolatio, egregium par habuiſſe fidelium diſcipulorum, qui abſentis ipſius exiſtimationem atque authoritatem intrepido animo defendendam ſuſceperunt. Alteri nomen erat Joanni Centuriano, alteri Joanni Godefridi. Habuit Trithemius Priorem ſui Monaſterii Spanheimenſis Nicolaum de Reinig, qui quod Judas erat in Apoſtolico Collegio, hoc ipſe in Conventu erat Spanheimenſi, nempe turbator fratrum. Judas avaritiâ accenſus in cauſa erat, ut Apoſtoli murmurarent, Nicolaus ambitione inflammatus monachos ad murmur contra Abbatem ſuum concitabat.

Trithemio fuit ſolatio par diſcipulorum habuiſſe fidelium,

Judas

Judas fur erat, & loculos habebat: Nicolaus abbatialem dignitatem Trithemio ſuffurari anhelabat. Præcipuè verò tunc temporis, quo Abbas Trithemius apud Joachimum Electorem Brandeburgicum in Marchia agebat, omnes intendit nervos, ut diſſeminatis falſiſſimis rumoribus Trithemius malè imò peſſimè apud alios audiret. Quibus ſermonibus calumniæ plenis Centurianus & Godefridi, ambo Clerici & Parochi ſeculares vehementer, ut fideles, grati, veréque ſui Præceptoris amantes diſcipuli ſolent, commoti fuerunt. Quàm ſtrenuè verò partes Trithemii, amantiſſimi ſui Magiſtri, tuendas ſuſceperint, ex utriusque ad eundem ſcripta epiſtola, ut ea, quæ oculis cerni ſolent, perſpicere licet.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri Joanni Trithemio Abbati Herbip. doctiſſ. præceptori ſuo Joannes Centurianus de Cluſardia paſtor eccleſiæ in Tritenheim ſalutem.

Epiſtola Joannis Centuriani.

„ Dici poteſt minimè, nec facilè quidem crederet quisquam, præceptorum omnium doctiſſime, quantâ fuerim lætitiâ & exultatione perfuſus, quando magiſter Jacobus Trithemius tuæ paternitatis reverendiſſimæ frater literas nobis attulit tuas, quibus te non ſolùm vivere, ſed & feliciter vivere intelleximus. Ago quàm humillimè poſſum Deo gratias omnipotenti, cujus miſericordia te cunctis fecit æmulis tuis fortiorem, ut qui te lædendum putabant, graviter ſemetipſos & læſerint & confuderint, æternóque dignos ſeſe conſtituerint opprobrio. Nomen tuum celebre famámque ſanctiſſimæ opinionis in toto Chriſtianorum orbe perfidiſſimi nebulones ſe poſſe arbitrabantur extinguere, ſed confido in illum, qui novit univerſa, quoniam non ſolùm nihil tibi nocebit invidorum injuſta perſecutio, ſed propter eam translatus ad Franciam, clarior multo in brevi quàm fueris anteà. Omnium malorum quæ perpeſſus fuiſti majorem occaſionem nemo dedit, quàm monachi tui, ſimul & duo illi Abbates perfidiſſimi Moguntinus & Rincauienſis, qui ut veridica relatione audivi, Cancellarium & miniſteriales Ducis Joannis in odium tuum provocaverunt. Monachi enim tui te in Marchia exiſtente ſine intermiſſione hinc inde currebant ad Mogunciam & ad ipſum Ducem in Fortiburgio juxta Moſellam continuè reſidentem, & quoscunque potuerunt, adversùm te provocare conabantur. Credidit facilè invidorum delationibus Cancellarius Ducis indoctus, tibi anteà non benè favorabilis, utpote qui tuam eruditionem & ſapientiam diu habuit ſuſpectam, ſemper metuens (ut publicè jam fertur) ne ſibi in conſiliarium te Dux ipſe aſſumeret. Volens ergò ducis prævenire conſilium, omne quod fingebatur de te malum, credulo nimis illi perſuaſit. Sed omnipotentis Dei juſtitia omnia ſucceſſivè deducet in lucem, & certè jam actu palàm fieri cœpit, quàm iniquiſſimè tecum ſit actum. Temeraria multa in te fulminabant æmuli tui, cùm in Marchia eſſes conſtitutus, ſanctitatis tuæ ſplendidiſſimam famam denigrare cupientes, & quædam horrenda in vulgo ſparſerunt mendacia, pro quibus nunc in conſpectu omnium hominum confundantur. Quamvis enim omnes te ſciremus eſſe cum Principe Sereniſſimo Joachim in Marchia, nihilominus quidam ſacratiſſimi nominis tui peſtilentes & invidioſiores dicebant: ubi putatis eſſe Trithemium Abbatem? Cum Marchione Brandeburgenſi? Non eſt, inquiunt, cum illo, ſed deſperatus abiit Romam, deinceps nunquam reverſurus. Alii dicere audebant, quoniam nimia deſolatione animi tactus proprio ſe laqueo ſuſpendit. Rurſus alii perpetuis mancipatum vinculis confiugunt. Multi quoque hoſtium tuorum dictis fidem adhibentes te periiſſe credebant, dicentes: Hei lumen illud ſplendidum, quod illuminare totum orbem ſua eruditione conſuevit, quomodo tenebrarum eſt caligine obfuſcatum? Quis Abbatem Trithemium in toto penè orbe Chriſtiano fama eruditionis & ſanctitatis glorioſum in tantam animi dejectionem crediſiſſet venturum, ut patriam & amicos tam inconſultè desereret? Ego autem qui doctrinam tuam, prudentiam quoque, & vitæ ſanctimoniam peroptimè noveram, his impiorum blaſphemiis & maledictis ſemper pro viribus reſtiti, & quàm temerariam ſanctiſſimo nomini tuo feciſſent injuriam, multis palàm argumentis demonſtravi. Biennio enim ſub tuo magiſterio pro diſcendis Græcis Hebraicísque literis ſalutaríque ſcientia ſcripturarum haurienda in tuo monaſterio converſatus nihil unquam videre potui, nihil audire de te, quàm ſanctum, integrum, & religioſum:

Calumniæ adornantur in Trithemium.

Revincuntur.

ſed

ſed in tanta te vidimus puritate converſantem omni tempore, ut ſatis miraremur. Cæteris dormientibus tu in ſancto ſcripturarum ſtudio vigilabas, ſemper aut legens, aut ſcribens aliquid pro comuni utilitate multorum. Nemo te unquam reperit otioſum, nemo comeſſationibus aut potationibus vacantem audivit: nemo riſu aut levitate aliqua vidit diſſolutum, cum mulieribus loquentem aut converſantem, unde mali poſſet oriri ſuſpicio, nemo te unquam invenit. O mi dulciſſime præceptor Trithemi, gratioſe pater, quoties ad memoriam reduco ſanctiſſimum docendi modum, quo me ſimul & fratrem tuum magiſtrum Jacobum Trithemium docere & exhortari ad ſcientiam divinarum Scripturarum conſueviſti, lacrymas præ mœrore nequeo continete. Tam enim profunda, tam myſtica, támque ardentia de Scripturis ſanctis verba nobis eructare ſolebas, ut ferrea pectora in Dei commovere amorem potuiſſent. Unde non ſatis poſſum admirari, quo tandem Dei judicio permittente tam indigna de te confingere potuerint æmuli, cùm nulli unquam fueris moleſtus, neminem læſeris, neminem injurioſè offenderis, ſed cunctis te potiùs pium oſtenderis atque munificum, omne ſolatium tuum ſine cujusquam injuria requirens ſemper in ſolo ſtudio ſcripturarum. Sed firma confidentia exiſtimo, quòd omnipotens alibi te provida voluerit diſpoſitione locari, ut de medio nationis pravæ tandem ereptus, reliquum vitæ tuæ, cum pace & tranquillitate ſancto perſeveres in ſtudio ad multorum utilitatem communem. Nunquam fuerunt tua prælatione digni monachi Spanhemenſes, ſed neque Dux ipſe Joannes talem in ſuo dominio virum, ut tu es optime Trithemi, habere merebatur. Oportuit ergò te per tribulationem exire de medio pravorum, quemadmodùm olim filii ſanctorum exituri de terra Myzrahim, priùs in luto & latere multipliciter ab Ægyptiis fuerant afflicti. Apoſtoli quoque Domini virgis cæſi à Judæis, in carcerémque pro nomine Jeſu poſiti, & multiplices contumelias paſſi ſunt, & poſteà ad ſalutem transmigrârunt. Quorum exemplo & tu quidem à tuis monachis injuriam & contumeliam paſſus es, ne alibi transferendus Dei voluntate improbos ſine cauſa reliquiſſe videaris. Conabantur monachi Spanhemenſes, pravorum conſilio & aſſiſtentia confortati, veneno malitiæ pleni, ſanctum nomen tuum deducere in contumeliam & opprobrium, ſed minimè valuerunt, quoniam vindicante in eis juſtitia Dei, omnes jam exterriti & confuſi ſunt, cadentes in foveam quam fecerunt. Tu autem eruditiſſime præceptor in æſtimatione omnium bonorum virorum permanes glorioſus, & nomen tuum de die in diem amplius celebratur. Vale Pater reverendiſſime, méque diſcipulum tuum habeas commendatum. Datæ ex Trittenheim 18. die menſis Aprilis, quæ fuit dominica poſt feſtum paſchatis altera, anno incarnationis dominicæ 1507.

Reverendiſſimo Patri D. Joanni Trit. Abbati Monaſterii S. Jacobi Herbipolenſi, præceptori ſuo dulciſſ. Joannes Godefridi paſtor inutilis eccleſiæ in Mandal prope Creutzenach ſalutem.

„ Amantiſſime præceptor, literis tuis dulciſſimis ſimul & nimium amaris adeò compunctus fui, ut lacrymas cohibere nullatenus poſſem. Legi enim illas & relegi præ cordis amaritudine flentibus indeſinenter ocellis, & in tantum de tua reſignatione turbatus, ut parentum & amicorum omnium acerbitas mortis adeò contriſtare me nunquam potuiſſet. Nec enim ſolus ego jam de perpetua abſentia tua contriſtatus ſum, ſed omnes in circuitu ſacerdotes, magiſtri & docti viri, tuum amariſſimè lamentantur receſſum. Nam quibuscunque oſtendi literas tuas (oſtendi autem multis) mox ut eas legere cœpiſſent, præ lacrymis interrumpere lectionem cogebantur. Una jam voce omnium dicitur; Heu! quod vir tantus, tam doctus, tam expertus, & in omni terra celebratus, cui ſimilem non habet Germania ſapientiâ & religione præſtantem, propter monachorum invidiam cœnobium ſuum ſimul & patriam deſerere compulſus, ad exteras ſe transtulit nationes. Iniquiſſimus ille Cancellarius Ducis Joannis, per quos neſcio æmulos niſi monachos & ſubditos tuos injuſtè tibi factus detractor & inimicus, ad inſtantiam Abbatis S. Jacobi Moguntini & fratrum tuorum, pientiſſimum Principem tibi reddidit offenſum. Quod ei nuper in faciem tui amore improperare non erubui coram multis, tempore quo in Spanheim tuus eligebatur ſucceſſor.

Epiſtola Joannis Godefridi.

Qui cum furore reſpondens dixit: Quis Abbatem tuum Trithemium, quem tantoperè commendas, fugavit? aut quis eum læſit, contriſtavit vel oſtendit? Quare non manſit in ſuo monaſterio, vel quare non eſt reverſus, cùm nemo ſit, qui prohibuerit eum? Quare non recognovit Ducem Joannem ſuum æquè eſſe Dominum & monaſterii protectorem, ſicut Palatinum ſuum, quem ſemper omnibus prætulit? Alia quoque multa inutilia beſtia illa loquebatur, quibus invidiam ſuam contra te optimum virum publicè declaravit. Erat autem dies nona menſis Decembris, quando celebrabatur electio, & monaſterium repletum equitibus, ita quod Patres Ordinis cum monachis vix locum ad eligendum poterant habere opportunum. O dulciſſime præceptor, quàm amarum erat cordi meo ſpectaculum, videre in locum tui, patris mei amantiſſimi optimíque & integerrimi viri, alium ſublimari, eúmque indignum, indoctum, & inexpertum, ac talem, qui te ut Judas tradidit, & ſub ſpecie humilitatis tibi in occulto ſemper contrarius fuit. Electioni ut teſtis interſui, omnia quæ dicebantur agebantúrque audivi & vidi, téque revocanti in memoriam omnia contremuerunt interiora, & inter canticum lætitiæ ſine intermiſſione lacrymas fundebant ocelli. Non exiſtimes doctiſſime præceptor, neque ſuſpiceris, quod hæc ſcribam vanitatis ſtudio ſeu intentione adulandi, cùm non ſolus ego, ſed tota vicinitas tam laicorum quàm ſacerdotum tuo diſceſſu graviſſimo ſit affecta mentis & corporis mœrore.

Laudes Trithemii.

Nec immeritò. *Eras enim totius patriæ decus, lumen Chriſtianorum, clauſtralium & religioſorum doctor, & ſpeculum, ruralium ſacerdotum defenſor, inſtitutor & advocatus, pater quoque pauperum, & medicus infirmorum.* Omnes tua prudentia & eruditione utebantur pro neceſſitate ad libitum, nec erat aliqua hæſitatio, quæ tuo conſilio non tolleretur. Fuiſti enim omnibus ad te confugientibus reſolutiſſimus conſolator, & quicquid à te poſtulari potuit, pauperi ſicut diviti ſine invidia patebat. O quoties ego tribulatus nunc à patronis, nunc verò à ruſticis, ad tuam ſapientiam ſicut ad oraculum confugi, petivi conſilium, auxilium imploravi, & ſemper tuo munimine ſeptus victor in omnibus evaſi. Nunquam à te ſine conſolatione diſceſſi, & quale mihi tradiſti conſilium, ejus mihi utilem ſemper & honeſtum recepi effectum. Quicquid tua fuerat ſententia dictum, à doctis ſimiliter & indoctis ſemper & ubique firmum & ſtabile habebatur. O quis me miſerum & infelicem nunc in tribulationibus meis conſolabitur? quis inſcium docebit, aut dubitantem ad veritatem quis informabit? Tu mihi & omnibus confugientibus ad te veræ ſapientiæ fons & arca teſtamenti inexhauribilis eſſe ſolebas, cùm nobis, in quibuscunque hæſitare potuimus, lucidam, & ſacris confirmatam ſcripturis veritatem placidè aperire conſueviſti. Denique tuo magiſterio docente, quicquid in ſacris ſapio ſcripturis, me fateor adeptum, & ſi Romanè ſcribo, non meum eſt, ſed tuæ inſtitutionis officium. Unde non ſolùm dicendi genus tuum, ſed etiam tuum ſcribendi characterem pro viribus imitari ſemper curabo, non minùs amore tui, quàm condiſcipulorum meorum, quos inſtituiſti, Jacobi videlicet Trithemii fratris tui, Joannis Centuriani, Nicolai Baſelli monachi, Adæ Pantomorani, aliorúmque hoc ipſum facientium provocatus exemplo. Utinam te veraciter poſſem imitari non ſolum eruditione, ſed moribus quoque & vitæ merito, nihil optabilius in terra poſſet obtingere unquam. Feci enim, quod fidelem decebat diſcipulum, te cordi meo affixi magiſtrum, ut ex eo tui memoria nunquam recedat, & os meum laudes omni tempore efferat cum favore Trithemianas. Usque adeò enim tui ſemper ſum memor non ſolùm inter amicos, ſed inter æmulos quoque, *ut vulgò nomen mihi Trithemianum* imponatur, quod eſt mihi omni dulcedine dolcius, & omni honore honorabilius. Non enim erubeſco nomen doctiſſimi innocentiſſimíque præceptoris mei, ſed ipſum magnificabo laudibúsque celebrabo, quamdiu *ſpiritus hos reget artus.* Pereat, qui Trithemio non benè favet, loquitur, & optat. Dicunt mihi aliquando æmuli tui, præceptor amantiſſime, quoties tuum fero ad aſtra nomen: *ubi nunc eſt ille* TRITHEMIUS *tuus clariſſimus Abbas, quem Principes orbis, Eccleſiarúmque Pontifices, docti quoque & indocti omnes, mirari, literis & muneribus honorare, multúmque venerari ſolebant? Quis Princeps aut Pontifex nunc out venit, aut nuncios mittit ad eum? Ubi nunc ſunt viri doctiſſimi, qui ex omni natione, quæ in Eu-*

ropa

ropa eſt, confluere ad eum in Spanheim ſolebant? Eſtne ipſe tam honoratus & glorioſus coram Epiſcopis atque Principibus, ſicut antea fuit? Quibus ego quod verum eſt, ſoleo reſpondere: Erratis ſatui, erratis. Non enim locus Trithemium, ſed ipſe potiùs Trithemius locum Spanhemenſem ſua eruditione fecit inſignem. Quid erat Spanheim antequàm Trithemius eſſet in eo? Aut quis nomen ejus procul audivit? Certè nihil erat, & nomen ejus obſcurum in tenebris abjectum latitans & incognitum. Trithemius meus ſua eruditione & lucubrationibus nomen illuſtravit Spanhemenſe, fecítque in toto mundo cum ingenti gloria inclytum, quod anteà penitus fuit incognitum. Ipſum Principes, Epiſcopi, Nobiléſque, & Viri docti venerantur, non locum, ipſum videte & alloqui, non monaſterium curabant. Et ecce Trithemius meus locum deſeruit, quem fecerat inſignem, adhuc vivit, alibi cum gloria translatus eſt. Quò nunc Principes currunt? Quò ſuos jam nuncios mittunt? ad Spanheim vel ad Trithemium? Certè nemo jam deinceps venit ad Spanheim doctus, nullus Principum vel Epiſcoporum ampliùs nuncios mittit ſuos, ſcientes in Spanheim non eſſe Abbatem Trithemium. Quare manifeſtum eſt, & nulla indiget probatione, quia non locum ſed hominem Principes venerantur, quem nunc ad Herbipolim audientes translatum, ad ipſum ſuos mittunt nuncios, ut priùs facere conſueverunt. Nulla eis de monaſterio Spanheimenſi cura eſt, quoniam ſicut dixi, non locum, ſed Trithemium inquirunt. Scio autem veridica relatione informatus, quòd major & glorioſior eſt ſama Trithemii hodie apud Principes, quàm anteà fuerit unquam. Nam ſicut veritas ait: Non eſt Propheta acceptus in patria ſua; ſic Trithemius majorem gloriam in terra conſequitur aliena, quàm habuit in propria. O quàm tetra nunc facies monſtri Spanhemenſe videre cœnobium, ubi Trithemio abſente omnia penè cernuntur collapſa. Regularis obſervantia cecidit, morúmque integritas corrupta eſt, & in ſolo habitu monachorum nomen clauſtralis diſciplinæ remanſit. Scio mi præceptor, quòd Dux Joannes valde jam dolet de tua reſignatione, & multi cum illo, optaréntque omnes (præter Cancellarium) quòd manſiſſes in Spanheim: quia nunc primùm recognoſcunt, quàm utilem amiſête Prælatum, & quàm infideliter monachi tecum egerunt. Unde nemo illis favet, nemo illis compatitur, nemo in neceſſitate conſtitutis ſuccurrit, ſed contemnuntur fermè ab omnibus, & publicè dicunt de eis, quòd eſſent incendio digni monachi Spanhemenſes, qui optimum & inſignem virum tanta infidelitate circumvenire, & ſupplantare non timuerunt. Abbas ipſe tuus ſucceſſor, ſocius Judæ traditoris, homo inexpertus, piger & ſatuus, nulli placet vicinorum, ab Officialibus Principum contemnitur, & deſpectui ab omnibus habetur. Cui frequenter dicere ſoleo: En ſanguis Trithemii mei exquiritur; & ſicut illi feciſtis non merenti, ita vobis veſtro demerito fit. Non putâſſet Dux ipſe Joannes, nec ſicut audivi, crediſſet, quòd illud factum in captione ſamiliarium tuorum, tibi ad injuriam deputare debuiſſes, & adeò recepiſſe ad mentem, ut abbatiam propterea dimitteres tuam. Nam ſi hoc ſciviſſet, nunquam ut fieret comiſiſſet. Ego autem ſciens quæ mihi ſcripſiſti, talia dicentibus ſoleo reſpondere illud Virgilianum: *Tardè venêre bubulci.* Laqueus impiorum contritus eſt, & innocens Trithemius meus Deo ſalvante liberatus eſt. Hæc tibi reverendiſſime Præceptor, ex ſinceritate cordis mei reſcribere volui, quæ ut animo intelligas gratioſo, etiam atque etiam rogo. Tuus enim ſum, quicquid ſum, idcircò ſcribo confidenter, quidquid venerit in buccam. Magiſter Conradus Antonianus Agrippinas non ſine lacrymis tuas perlegit literas, te ut ſcis, multum diligit, omníque proſequitur honore, téque ſalutat. Vale Præceptor optime, ſæpiúsque ad me ſcribere memento, quia epiſtolæ tuæ ſuper aurum mihi pretioſæ ſunt & charæ. Iterùm vale. Ex ædibus meis in villa Mandal, quarta menſis Maji. Anno dominicæ nativitatis 1507.

Locanon illuſtrant homines.

Jam verò ex utraque hac epiſtola cui non ſit perſpicuum, quanta ambotum *Joannis Centuriani* & *Joannis Gotfridi* erga Trithemium, magiſtrum ſuum fuerit amor, quanta fidelitas, quantúmque in tuenda ejusdem ſama ſtudium & obſequium? Felicem præceptorem! qui non illuſtriſſimos tantùm & celeberrimos, ſed fideliſſimos etiam habuit diſcipulos.

Cardinalis Montii præceptor Benedictinus

Trithemii ferè ſynchronus fuit *Honoratus Faſitellus* (i) qui cùm in Monte Caſino non regularis vitæ tantùm obſervantia, omniúmque virtutum ſtudio conſpicuus haberetur, ſed bonis etiam artibus variáque doctrinâ, ac eruditione excelleret, à Julio III. Pont. Max. Innocentio Montio, quem idem Pontifex in fratris filium adoptaverat, Præceptor datus anno 1551. die 10. Januarii ab eodem Chriſti Vicario Epiſcopus Inſulanus in Calabria creatus fuit. *Felix Rama*, Monaſterii S. Pauli de Urbe Alumnus, cùm Catanam ob inſignem doctrinæ præſtantiam accerſitus eſſet, Theologiam ad mentem Divi Anſelmi aliquot annos docuit, ſacróſque canones eſt interpretatus, ubi inter cæteros Nicolaum Mariam Tedeſchi Epiſcopum Liparitanum, mox Archiepiſcopum Apamenſem Sac. Rit. Cong. à Secretis &c. diſcipulum habuit.

Ité Ducis Mutinæ.

Vitalis Terra Rubra (k) nobilis Parmenſis in cœnobio S. Joannis Evangeliſtæ Profeſſus, atq; in Academia Bononienſi celeberrimus Philoſophiæ Profeſſor, cùm Cardinalis Eſtenſis Raynaldo fratris ſui filio, qui primùm S. R. E. Cardinalis fuit, & poſtea dimiſſo rubro Galero Mutinæ Dux eſt factus, egregium præceptorem optaret, omnium digniſſimus eo magiſterio eſt viſus. Qui certè Principem illum in utraque Philoſophia Naturali & Morali ita diligenter inſtituit, ut ſubinde omnes optimi ac ſapientiſſimi Ducis numeros impleverit. Quid virtutis, quid doctrinæ, quid ſapientiæ Carolum Joſephum Leopoldum, Caroli V. Lotharingiæ Ducis, invictiſſimi illius Herois, atque Turcarum Expugnatoris filium, ac

Electoris ac Archiepiſc. Trevirenſis.

ſubinde S. R. I. Electorem, atque Archiepiſcopum Trevirenſem, ex inſtitutione ac diſciplina Eminentiſſimi Cardinalis d' Aguirre hauſiſſe credendum eſt? In hujus enim ſapientiſſimi Magiſtri ſinû ac complexû eum Romæ educari atque inſtitui voluit Sereniſſimus Genitor. Benevenutus Parthenonis ſanctæ Felicitatis in urbe Florentina Præpoſitus ſeu Prior, Ferdinandi Magni Hetruriæ Ducis inſtitutor & præceptor fuit, quem Joannes Mabillonius à ſingulari doctrina & humanitate dilaudavit.

Cardinalis Paſſionei.

Quid nunc *Dominicum Paſſioneum*, Eminentiſſimum S. R. E. Cardinalem commemorem, apud quem ſemper doctrinæ, quàm ætatis curſus fuit velocior? Cùm in flore juventutis incredibili fulgeret rerum diſciplinarúmque notitia, Græcis Latiníſque literis apprimè eſſet eruditus, ex Italia tamen in Galliam Pariſios ſe contulit, ut ſub Mabillonii diſciplinâ ſcientias omnes recoqueret, in hiſtoria & antiquitate eccleſiaſtica, ſacra Critica, lectione SS. Patrum &c. majores faceret progreſſus. Quòd ſi nunc Mabillonius oculis illis, quos ipſi vitam cum morte commutanti Paſſioneus clauſit, uteretur, quantâ animi cum voluptate illos per Cæſaream ac Pontificiam aulam circumferret, ubi diſciplinæ ſuæ Alumnus vel graviſſimas obivit legationes, vel præcipuæ dignitatis officia non ſine maximæ doctrinæ ac prudentiæ laude hodiedũ adminiſtrat? Magnam etiam ſapientiæ ac virtutis famã de eo viro circumferri neceſſe eſt, cujus diſciplinæ potentiſſimus quiſpiam Rex aut Imperator filium ſuum commiſſurus ſit.

Jo. Bapt. Miro multorũ Inſignium diſcipulorum magiſter.

Erat is noſtrâ ætate *Joannes Baptiſta de Mira* Monachus è Congregatione Caſinenſi, frater *Vincentii de Miro*, Viri prudentiâ, integritate, ac primariis in Neapolitano Regno, & Mediolanenſi Ducatû dignitatibus, tam ſub Philippo V. Rege Borbonio, quàm ſub Carolo VI. Auſtriaco Cæſare celeberrimi. Qui omni ſcientiarum genere ornatiſſimus paucis abhinc añis floruit. Romam accerſitus in D. Anſelmi Collegio ſacros Canones eruditiſſimè explicavit, eodémque tempore diſcipulos in Græcis literis apprimè inſtruxit, ut hujusce præclariſſimæ linguæ ſtudia, quæ olim in Caſinenſi Congregatione floruerant, poſtliminiò revocâſſe videtur; inter quos inſignis eſt Cœleſtinus Pezzancheri S. Sixti Placentiæ primùm, deinde ſub nomine D. *Placidi* Ciſtercienſis Monachus, noviſſimæ Reformationis Trappenſis, nec ita multò pòſt Caſæmarii Abbas, demúmque Epiſcopus Himerienſis; mox Tiburtinus à SS. D. N. Benedicto XIII. creatus. Obiit *Mira* relictis poſt ſe multis aliis doctiſſimis & præſtantiſſimis diſcipulis an. 1731. de quo illud peculiare; & perquàm honorificum, in Epiſtola Encyclicâ, quæ de obitu cujusque Monachi ad ſingula monaſteria Caſinenſis Congregationis mitti ſolet, diſertè narratur, eum ſcilicet ab Auguſtiſſimo Rom. Imper. Carolo VI. præ-

Futurus etiam Leopoldi Archiducis præceptor.

(i) Armell. Bibl. Caſ. part. 1. pag. 231.
(k) Idem l. c. part. 2.

præceptorem Leopoldi Archiducis Auſtriæ Filii ſui delectum & deſignatum fuiſſe; qnod tamen ob immaturam nimíſque acerbam ejuſdem Archiducis mortem, tanto Chriſtiani Orbis detrimento, optabili effectû caruit: Miro etenim Magiſtro doctiſſimum non minùs, quàm potentiſſimum Principem, ut olim M. Aurelium, Flavium Juſtinianum, Carolum M. alióſque ſimiles Romanum Imperium ſe obtinere gloriari meritò potuiſſet.

Quòd ſi itaque, ut ait Orator, *non quidquam ex rebus humanis … præclarius, aut præſtantius, quàm de Republica bene mereri*, quantus hinc Benedictinæ Familiæ laudibus cumulus accedit, quòd ex ejus publicis privatíſque ſcholis, tanquam ex equo Trojano, tot Viri Illuſtres ac Patres Patriæ fuerint progreſſi, ſubjecti verò ad obediendum Deo & Imperatori informati? hujus tantæ laudis portionem aliquam ad Benedictinos, ceu Magiſtros ac Præceptores redundare, nemo eſt tam hebes, támque à communi ſenſû derelictus, qui non intelligat.

CAPUT IV.

MÆCENATES REI LITERARIÆ BENEDICTINÆ

cùm exteri, tum domeſtici.

IN Hiſtoria Literaria necquidquam ingrato ſilentio prætermittendi ſunt, quorum liberalitati ac ſingulari benevolentiæ in acceptis reſerri debet, quòd literarum ſtudia non floreant modò, ſed Muſæ etiam, earúmque Antiſtites inſigni quodam affectû foveantur. Divæ námque hæ ſorores, niſi Mæcenatum in complexu habeantur, frigent, torpent, exſpirant. *Labat certè* (cum Clariſſimo Montfauconio noſtro loqoor) *ſtudioſorum animus, cùm è primoribus nemo opem afferre paratus adeſt. Etenim, ut ait quidam:*

Actum eſt de Muſis & literis, niſi à Mæcenatibus foveantur.

Idcirco virtus medio jacet obruta cœno.

Eſt utique literatorum genus vulgò timidum, rebus gerendis non aptum: rei familiari vel curandæ vel augendæ impares ut plurimùm ſunt viri quique artium & diſciplinarum peritiâ inſignes: (artes cum aliis diſciplinis copulamus ; Eſt enim, ut ait ille (1) *artium ſtudiorúmque quaſi finitima vicinitas.*) Hos igitur ſovere, ac ſingulari quadam complecti benevolentia in magna eſt laude ponendum. Neque tamen, ut quis hac in re palmam obtineat, magno ei conatû erit opus; non multos enim in eodem currentes ſtadio offendet. Fuerunt tamen omnibus ferè ætatibus & ſeculis viri quidam præcipui, ac ſummâ conſpicui dignitate, qui rem literariam Benedictinam, quibuscunque rebus potuerunt, & conſervare & augere ſtuduerunt.

Rei literariæ Bened. Mæcenates.

Primo loco collocandus haud immeritò videtur Sanctus noſter *Gregorius Magnus*, qui addiſcentium literas Patronus vulgò habetur. Venerabilis *Guiberti* noſtri Abbatis Novigentini mater, non illuſtri tantùm loco nata, ſed & integritate vitæ conſpicua, filium literarum ſtudiis ipſo B. Gregorii ſeſto die addixit, eâ potiſſimùm causâ, quòd S. Pontificem pro literas addiſcentium baberi Patrono non neſciret: qua de re ipſe Guibertus ita ad Deum loquitur: „Magnis itaque curis illa tua verè „vidua me nutrivit. Tandem ſcho„læ me traditora diem B. Gregorii „feſtivitatis elegit. Audierat præſa„tum tuum ſamulum, mirabili ſuper„eminuiſſe ſenſu, infinitâ floruiſſe „ſapientia; & ideò multa eleemoſy„narum congerie Confeſſoris tui in„ſtabat ſæpiùs ſollicitare ſuffragia, ut „cui præbueras intellectum, intelle„ctualitatis mihi conſequendæ impe„traret affectum.„ Ita Vener. Guibertus vitæ ſuæ Libro I. cap. IV. Venerabilis Thomas à Kempis ſermone VIII. ad Novitios memoriæ prodidit de Sacerdote, *qui ſpeciali affectû di-*

Gregorius Magnus addiſcentiû literas patronus.

(1) Cicero in Brutum.

lexit S. Gregorium Papam, quio in ejus feſto ſcholas ad diſcendum Alphabetum cum aliis pueris primùm intravit. Quæ pia conſuetudo etiamnum multis in locis non inferioris modò, ſed ſuperioris etiam Germaniæ obſervatur, ubi S. Gregorius habetur Patronus addiſcentium literas. Ea religio ex mente Cl. V. Joannis Bollandi videtur inoleviſſe, quia S. Gregorius Anglos pueros venales redimere, literíſque imbuendos tradere ſolitus erat: & forſan ea pietas ab Anglis ad inferioris primùm, tum ſuperioris Germaniæ cives emanavit, qui ab illis Apoſtolicis viris, Familiæ Benedictinæ alumnis, fuerunt non in fide modò ac pietate inſtructi, ſed literis etiam exculti. V. C. Antonius Dandinus Alteferra JureconſultusTolosanus longè celeberrimus ſcribit: *Gregorium ſtudiorum meorum ſemper Magiſtrum & Pontificem colui.*

Suos in Studiis ſecundaneos promovet.

Huic ſanctiſſimo juxtà ac doctiſſimo Pontifici *Maximianus*, *Auguſtinus*, *Marinianus*, *Claudius*, aliíque Benedictini in ſacrarum literarum expoſitione nonnihil adjumenti attulerant, quos ille propterea variis & beneficiis & honoribus cumulavit. *Maximianum* Epiſcopum Syracuſanum creavit, Sedisque Romanæ Vicarium in Sicilia inſtituit. *Auguſtinum* ad verbi divini prædicationem in Angliam miſſum Britanniæ Primatem eſſe juſſit. *Marinianus* infulas Ravēnatenſes ejus favore obtinuit. *Claudium* Abbatem quo amoris affectû complexus fuerit, ex epiſtola intelligimus, quâ eundem Mariniano mox dicto Archiepiſcopo impensè demandavit. His verò verbis ſcripta fuit:

„Qnod communem filium Claudium Abbatem latorem præſentium longa apud nos hactenus mora retinuit, res illa facit, quòd magnum nobis, ſicut nôſtis, erat in verbo Dei ſolatium: quem etiam hîc adhuc volueramus diutiùs retinere, ſi & ipſe non feſtinâſſet ad ſuum monaſterium, & nos Congregationi fratrum ejus præſentiam eſſe omninò neceſſariam ſciremus. Et ideò quia illum, ſicut petiit, & exigebat utilitas, relaxandum eſſe proſpeximus, commendantes eum, hortamur, nt Sanctitas Veſtra ſacerdotali eum affectione ſuſcipiat, paternam illi monaſteriíſque ipſius caritatem faciat, ſicut decet, impendat: benignitatis ſuæ eum conſolatione refoveat, in ejus ſe tuitionem inſtanter accomodet, & præſidii ſui beneficio liberum ab omni inquietudine redditum, quieti & utilitatibus fratrum vacare permittat, atque peculiariter, ſicut à nobis eum ſcit diligi, diligat, quatenus & caritatis veſtræ affectum, quem olim expertus eſt, in ſe multipliciùs recognoſcat, & nos in vobis inveniſſe ſe gaudeat: „ Quæ ultima verba: *nos in vobis inveniſſe ſe gaudeat*, indicio ſunt clariſſimo, quòd Gregorius *Claudium*, ceu Mæcenas clientem, in ſinu ac complexu ſuo habuerit.

Romani Pontifices literas fovent Benedictinas.

Alios poſt Gregorium M. Maximos Pontifices ſi quis roget, quid egerint, ſpectâríntque in re literaria Benedictina promovendā, profectò intelliget, hanc eo apud ipſos fuiſſe loco, quô majore eſſe non potuit. Ut enim ingenia, ſcientiarúmq; omniū diſciplinas apud noſtros foverent, viris doctis ac literatis Vaticanæ Bibliothecæ præfecturas, Epiſcopales Infulas, Cardinalitias Purpuras, Legationes ad ſumos Principes, Reges, ac Imperatores, graviſſima belli pacíſque negotia, aliáſque uti maximi momenti, ita eminentiſſimæ dignitatis provincias adminiſtrandas quàm ſæpiſſimè detulerunt. Hoccine non erat rem literariam promovere Benedictinam? Nemo tam ignavus, tantæque deſidiæ eſt, qui his ſtimulis ac calcaribus ad literarum ſtadium alacri animo decurrendum ſe excitari non patiatur.

Sergius I.

Quid porro de *Sergio I. Gregorio VII. Clemente VI. Urbano V.* ſingillatim dicam? Et quidem (m) *S. Sergius* Pontifex Romanus cùm Divi Aldhelmi Malmesburienſis Abbatis ſingularem eruditionem ac doctrinam, qui eam exploratam habebant, commendari audiviſſet, illum Romam accerſivit, & venientem ad ſe ſummo cum honore & humanitate accepit, ac abeuntem munificentiâ quâdam dimiſit. *Gregorius VII.* ſi Cæſari Egaſſio Bulæo (n) laudibus mactandus videtur, quòd Pariſienſis Univerſitatis Academicos, alióſque viros doctos ſingulari amote complexus fuerit, illorúmque ad Beneficia eccleſiaſtica promovendorum apud Pontificem, Epiſcopos, Reges ſemper

Gregorius VII.

ſuaſor

(m) Leland. de Script. Angl. cap. 71. p. 99.
(n) Hiſt. Univ. Pariſ. ad an. 1073.

ſuaſor & auctor extiterit; quidni ego illum præconiis efferam, quòd Ordinis ſui Sodales doctrina & eruditione eximios præ cæteris majori complexus benevolentia vel Epiſcopali infulâ vel Cardinalitiâ purpurâ condecoravit. Eodem in viros doctos, maximè Benedictinos, propenſo animo

Clemens VI.

ferebatur *Clemens VI.* ante promotionem *Petrus Rogerius* dictus, natione Anglus, patriâ Lemovix, in territorio Caſtelli Malimontii natus ex nobili genere. Fratrem habuit Guillelmum Rogerium, Comitem Belliſortis, qui fuit pater Gregorii XI. Pontificis. Apud Arvernos Monaſterio Caſæ Dei Ordinis Benedictini nomen dedit Petrus Rogerius, antequam pubertatis annos exceſſiſſet. Dehinc Lutetiam miſſus, in Philoſophicis Theologicíſque diſciplinis excelluit, ac Lauream Doctoralem in Academia promeritus Theologiam ſumma cum laude docuit. Adhæc Proviſor factus domûs magiſtrorum & ſcholarium de Sorbona ante Palatium de Thermis Pariſiis ſita, ut legitur in veteri inſtrumento illius anni edito in Tomo IV. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis pag. 230. Antequam Em. Cardinalis Armandus Joannes Richelius longam juventutem redderet huic domui, iſtius Papæ imago viſebatur in vitrea feneſtra Eccleſiæ ejusdem domûs cum hac inſcriptione:

ante Pontificatum Proviſor Sorbonnæ,

Clemens Papa VI. Proviſor Hujus Domûs. Hæc imago depoſita tempore novæ ædificationis aliquamdiu ſervata eſt illæſa, poſtea neglecta, poſtremò confracta. Manet tantùm memoria, inquit Balluzius in Not. ad vitam col. 836. Subinde Abbas Fiſcanenſis primùm fuit, deinde Atrebatenſis Epiſcopus, hinc Senonenſis Archipræſul, tum Rotomagenſis, poſtea à Benedicto XI. ſeu XII. creatus Cardinalis XV. kalend. Januarii anni MCCCXXXVII. tituli SS. Nerei & Achillei, poſtremò electus eſt Pontifex Maximus in Conclavi apud Fratres Prædicatores Avenionenſes die 7. Maji an. MCCCXLIII. & die ſacrâ Pentecoſtes, quæ fuit XVI. ejusdem menſis, coronatus eſt,

erat literatiſſimus Pontifex.

& appellatus Clemens VI. Hunc Petrarcha *literatiſſimum* Pontificem appellat, tam felicis, & invictæ memoriæ, ut, quod ſemel legiſſet, oblivisci nullatenus poſſet, *& quod mirabilius eſt*, inquit, *hæc memoria quodam capitis ictu, cujus ingens ſupremo vertice cicatrix remanſerat, ei provenerat.* Cùm juvenis adhuc Theologiæ Pariſiis ſtuderet, ad monaſterium aliquando redux, atque in itinere delapſus in latrones, rebus omnibus exutus fuit, vix induſio relicto. Quare ad proximum Familiæ Benedictinæ cœnobium ſe conferre compulſus, à loci Priore, *Stephano Adelbrando* humaniter exceptus, novâque veſte donatus fuit. Alterâ die in diſceſſu ex hoſpite ſuo quæſivit: quandónam exiſtimas me gratiam tibi referre poſſe? Prior juvenem bono eſſe animo, ac tum acceptum ſibi beneficiū perſolvere juſſit, quamprimùm ad ſum̃um Pontificatum evectus foret. Conditione cum riſu accepta utrinque diſceſſum fuit. Cùm poſtea igitur *Petrus* (quo nomine id temporis vocabatur) ad Pontificiam dignitatem evectus eſſet, nihil prius habuit, quàm ut Adelbrandum ad ſe accerſiri juberet. Quem præſentem ita allocutus eſt: *Quandoquidem non ex vano hoc honoris faſtigium mihi prædixiſti, gratitudinis leges à me repoſcunt, ut beneficii memor, quod mihi olim præſtitiſti, gratum me tibi præſtem.* Quibus dictis, primum ſuos inter Cubicularios conſtituit, ac brevì pòſt Archiepiſcopum Toloſanum renuntiavit. Anno etiam primo Pontificatûs ſui, Univerſitatis Pariſienſis, nutricis ſuæ, non immemor privilegium indulſit, redituum ex beneficiis percipiendorum, etiam dum Pariſiis Doctores & Profeſſores reſiderent.

Ejus gratitudo.

Literatos fovet.

Erat Clemens V. ſuo in Pontificatu inſignis literatorū fautor, ac cùm negotiis ſummis & operoſis & quotidianis præpeditus eſſet, quò minùs evolvendis literis operam daret, negotium viris doctis ac eruditis dedit, ut ex præſtantiſſimis quibusque voluminibus optima quæque ſeligerent, quæ ab ipſo compendiariâ lectione percurri poſſent. Et ſi divini vir ingenii Plato Ariſtotelem nuncupavit Agnoſtem; hoc eſt, perpetuum ſtudioſiſſimúmque lectorem, id nominis certè Clemens jam ante aditum Pontificatum ſummo jure promeritus fuit: quidquid enim temporis comparcere potuit, ad lectionem conferebat, rationem afferens ex Cicerone pro Archia: *An tu exiſtimas aut ſuppetere nobis poſſe, quod quotidie dicamus, in tantâ varietate rerum, niſi animos noſtros doctrinâ excolamus?* Nec minori voluptate de liberalium artium diſci-

plinis

plinis, ac ſcientiis tum humanis tum divinis ſermonem cum viris doctis inſtituere ſolitus erat. Unde factum, ut ad tanti literarum Mæcenatis aulam, velut ad arcem Palladiam nobiliſſimi ingenii homines undique ſe conferrent. Cùm verò Clemens VI. familiare ſibi haberet Cæſareanum illud verbum: *Non decere, quempiam de præſentia Principis non contentum abire*; maximè cavit, ne viros literatos minùs contentos à ſe dimitteret; quorum multos ſummis honoribus ac fortunis auxit, è quibus tantùm tres noſtri Ordinis refero, *Hugonem Rogerii*, *Guilielmum de Agrifolio*, *Ægidium Rigaudum*, quos Cardinalitiâ Purpurâ donavit. Illud etiam Clementi præcipuæ laudi dandum, quòd non in poſtremis curis habuerit, ut *Benedicti XII.* Prædeceſſoris ſui conſtitutio de inſtauratione ſtudii literarum in Monaſteriis Ordinis noſtri haud ſegniter obſervaretur. Exiſtimabat ſiquidem ſapientiſſimus hic Pontifex, ſe in Benedictinam Familiam, cujus olim alumnus erat, illuſtrius haud conferre poſſe beneficium, atque ſi doctrinæ ac ſapientiæ fontes, unde omnia bona in ſacrum Ordinem profluxère, monachorum quorundam deſidiâ ac otio propè jam exarentes ac occluſos denuò aperiret.

maximè Benedictinos.

Gregorius XI.

Clementis VI. ex fratre nepos erat *Gregorius XI.* qui ex Avenione curiam denuò Romam traduxit. Priùs verò quàm id feciſſet, teſtamentum (o) condidit, in quo non locum modò ſepulturæ ſuæ in monaſterio Caſæ Dei Ord. S. B. Claromontenſis diœceſis elegit, ſed ampliſſimum etiam Legatum reliquit pro excitando novo Collegio triginta Benedictinorum in dicto Monaſterio, è quibus ſex aſſiduò literas ſacras, atque Jus Canonicum in Univerſitate Pariſienſi edoceri voluit. Tanti Pontificis ac Mæcenatis verba digna omnino ſunt, quæ hìc in medium afferantur. *Verùm ex ſpeciali devotione*, inquit Gregorius, *quam hactenus habuimus & habemus ad dictum monaſterium Caſæ Dei, volumus, & ordinamus, quòd in dicto monaſterio conſtruatur, & ædificetur una ſolemnis Capella, contigua principali Eccleſiæ dicti Monoſterii, & per quam ſine medio aditus habeatur ad dictum monaſterium, ſeu eccleſia, in qua erigantur duo vel tria altoria cum choro competenti, in qua Collegium pro ſalute animæ noſtræ, & parentum, & benefactorum noſtrorum, triginta Monachorum nigrorum Ordinis S. Benedicti, quòd* GREGORIANUM COLLEGIUM *perpetuò nuncupetur, inſtituatur, ſicut nos ex nunc, ut ex tunc inſtituimus ſub modo, forma & conditione infra ſcriptis. . . . In quo quidem Collegio volumus, & ordinamus, ac ſtatuimus, quòd unus ex ipſis triginta Monachis ſit Prior Clauſtrolis, & alius Sacriſta: & quòd ſex Monachi ex illis dicti Collegii, qui inter eos dociles & aptiores reperiuntur, ſicut in ſtudio Pariſienſi continuè ſtudentes. Quatuor videlicet ex eis in ſacra pagina, & duo in Jure Canonico, vel omnes ſex in ſacra pagina ad ordinationem Exequutorum noſtrorum, vel duorum ex ipſis: & quòd creatio, inſtitutio, & deſtitutio dictorum triginta Monachorum ad Abbatem, qui nunc eſt, & qui pro tempore fuerit, pertineat pleno jure, ſimilibus modo & formâ, ac prout ad ipſum Abbabtem pertinet de aliis ſuis & dicti monaſterii monachis, ſalvo, quod volumus, ſtatuimus, & ordinamus, quòd viginti ex eis ſint de Lemovicinio, & reſidui decem de Alvernia, vel aliunde juxtà ordinationem & arbitrium dicti Abbatis, qui eſt, & pro tempore fuerit, providere habeat in victu & veſtitu, & aliis neceſſariis, prout facit, & facere tenetur reliquis Monachis Clauſtralibus & penſionem prædictis ſex ſtudentibus aſſignare juxta conſtitutionem felicis recordationis Domini Benedicti XII. prædeceſſoris noſtri &c.* Hoc Gregorii XI. teſtamentum etſi nunquam fortè, ut fieri amat, executioni fuerit mandatum, ejus tamen, velut rei literariæ Benedictinæ ſummi Mæcenatis laudanda eſt ſuprema voluntas.

fundat Collegiũ pro ſtudioſis Benedictinis.

quod GREGORIANUM vult appellari.

Maximo huic Pontifici in deliciis etiam erat *Thomas de Brynton*, Decretorum Doctor, & Eccleſiæ Norwicenſis Monachus. Is cùm perluſtratis Angliæ Gymnaſiis Romam adveniret, non vulgaris eruditionis famâ Papæ gratiam nactus, ſummus ab ipſo Romanæ Sedis Pœnitentiarius renuntiatus fuit. Epiſcopus Roffenſis ab eodem Pontifice Max. creatus fuit anno 1373. d. 31. Jan. Poſteà Richardo II. Regi à Confeſſionibus admotus diem ſupremum obüt anno 1389.

Thomas de Brynton.

Urbanum V. ex Abbate S. Victoris apud Maſſiliam Pontificem Maximum *Petrarcha* (p) virum eſſe dignum ſcribit, qui omnium laudibus ornetur,

Urbanus V. literatos maximè Bene-

cò

(o) Extat in Acher. Spicileg. Tom. VI. vet. edit. et novæ Tom. III. pag. 738. vid. etiam Bulæus Hiſt. Univerſ. Pariſ. Tom. IV. pag. 984.
(p) Epiſt. 1. Lib. 7. Rerum Senilium.

dictinos favoribus proſequitur.

eò quòd *Academias, Collegia, ac Viros literatos ſuo patrocinio foverit*: è quibus complures erant Benedictini, quos ſummis beneficiis, atque dignitatum ornamentis cumulavit. Nempe quò quisque virtute ac doctrina illuſtrior eſt, eò majorem dignitatem ſapientiæ habet doctoribus. Erat autem Urbanus ſummâ virtute, atque eloquentium juris eccleſiaſtici peritiſſimus,

Academias vel erigit, vel auget privilegiis.

Academias Viennæ in Auſtria, Cracoviæ in Polonia erexit, rogantibus Principibus; Toloſanam in Gallia, Bononienſem in Italia multis privilegiis auxit. Et quidem de Bononienſi gratulatur ipſi Franciſcus Petrarcha (q) Italorum id temporis doctiſſimus: *Audiebam præterea ſingularem illam tuam curam, paternámque ſollicitudinem circa Bononienſe ſtudium, quanta nulli unquam Pontificum fuiſſet, aut Principum, quibus quantíſque privilegiis, quâ magnificentiâ, quâ pietate illud longis ac jugibus bellorum turbinibus quaſſatum, ſtratúmque erigis, & antiquam illi non modò reſtituis, ſed ſiqua fors faverit, amplificas etiam dignitatem. Et hoc quoque te dignum, tibíque debitum cenſebam. Nam quis alius ſtudiorum omnium, ſed præſertim Juris matrem, ac nutricem urbem adjuvet, ac reformet, quàm is utriusque Juris peritiſſimus, alterius autem & Conditor, & Interpres unicus haberetur? Aut quis alius, quàm tu huic literarum ruinæ ſubjicere oculos aut vellet, aut poſſet?*

Toloſæ Theologiæ & in Peſſulano Monte Medicinæ ſtudium inſtituit,

Toloſæ ſi non omnium primus, ut aliqui perhibent, Theologiam doceri inſtituit, certè quidem eam Facultatem permultis ornavit privilegiis, ut probat Baluzius in Not. ad vitam col. 1059. Quo etiam teſte in Monte Peſſulano, ubi ſpecialiter ſolet vigere ſcientia medicinæ (r), *inſtituit unum Collegium* duodecim ſcholarium, qui ſtuderent in dicta Facultate, & in ipſa haberent reſidere; pro quorum ſufficienti ſuſtentatione reditus certos acquiſivit & ordinavit. Papyrius Maſſonus in ejusdem Urbani vita teſtatur, in eadem urbe adhuc extare Collegium ingens, juſſu ejusdem conditum in gratiam eorum, qui medicinæ operam daturi eſſent, ſi modò *Gabalos*, id eſt, Mimatenſis diœceſis eſſe conſtaret.

præcipuus Studentium Patronus.

Quid multis? *Mille Studentûm*, inquit Petrarcha, *inter quos permulti erant è Benedictina Familia, in variis Collegiis Mæcenas fuiſſe munificentiſſimus dignoſcitur.* Qua de re ſic habetur (s) apud continuatorem Martini Poloni. „Viros Literatos valde dilexit, multósque ipſorum promeruit, & exaltavit, & ut daret „ cæteris addiſcendi materiam, & „ opportunitatem, quamdiu vixit in „ Papatu, ſuis expenſis tenuit in diverſis ſtudiis mille ſtudentes, ex „ quibus cum aliqui jam erant provecti, aut aliàs deficiebant, illorum loco alios continuò ſubrogavit. Libros neceſſarios tam eis, „ quàm aliis pluribus, quos ſcivit „ ſtudio eſſe intentos, ipsísque indigerent, etiam miniſtravit. „

Bonifacius IX. in Abbates S. Martini Coloniæ beneficus.

Bonifacii IX. Pont. Max. nomen ac memoria Abbatibus S. Martini Majoris apud Coloniam Agrippinam ſummæ, nec immeritò, eſt venerationi. Ab ipſo namque *Judices Almæ Univerſitatis Colonienſis, in Germania primariæ, Juriúmque ejus ac Privilegiorum Conſervatores Apoſtolici* pro perpetuis temporibus fuerunt conſtituti. Quâ eximia, multísque invidenda dignitate primus inter antiquiſſimi hujus Monaſterii Abbates ornatus fuit *Theodericus* (erat ordine XXXI.) de quo domeſticus Poëta (t) ita canit:

— THEODORICUS DE CORNU *nobilis ortu,*
Nobilior meritis, ſummos excepit honores;
Scandit & auricomæ ſacraria celſa Minervæ,
Erecti ſtudii PRIMAS, *ſacríque Lycæi*
Protector, Judéxque à ſumma ſede ſtatutus.

Pontifices in doctos Congreg. S. Mauri viros propenſi.

Ut verò ad noſtram ac paulò ſuperiorem ætatem propiùs accedamus, quô benevolentiæ affectu Summi Pontifices viros Religioſos Congregationis S. Mauri à literarum maximè ſacrarum ſtudiis inclytos non complexi fuerunt? Præprimis verò *Alexander VIII. Innocentius XII. Clemens XI.* eorum ſtudiis mirificè favebant.

Alexander VIII.

Et *Alexander* quidem de rebus literariis à Mabillonio aſſiduè per epiſtolas erudiri voluit, atque ut ejus modeſtiæ, quà id certè muneris refugiſſet, aliquâ ratione conſuleret, præcipuum curiæ ſuæ adminiſtrum, qui ſuas hac in re vices ageret, delegit.

Innocentius XII.

Innocentius XII. non ſolùm literis Apoſtolicis monaſtica ſtudia Congregationis S. Mauri plus ſimplici vice collaudavit, ſed toti etiam

Ec-

(q) Epiſt. 1. Lib. 7. Rerum Senilium.
(r) *Inſtituit Collegium.* Bulla fundationis extat apud Gariellum in ſerie Præſulum Magalonenſium part. 2. pag. 86. data Viterbii kal. Octobr. an. VII.
(s) cit. à Bulæo in Hiſt. Univ. Pariſ. tom. IV. pag. 381.
(t) R. P. Oliverius Legipont in Faſtis Mſ. Abbatiæ S. Martini Maj.

Clemens XI.

Eccleſiæ ſaluberrima declaravit. Idipſum teſtatum fecit *Clemens XI.* ſponte ultrò currentibus addens ſtimulos, *ut in egregio hoc inſtituto ſtrenuè diligentérque pergerent, pro certo habentes, quidquid in honorem commodúmque eorum à Pontificia dignitate poſſet proficiſci, id nullo eis unquam tempore defuturum.* Ille Acta Sanctorum Ordinis noſtri literis in forma Brevis Apoſtolici approbare; ille SS. Patrum editiones aliis id genus literis commendare; Ille Annales Benedictinos novâ epiſtolâ gratulari; ille denique ſacra ſubmittere munuſcula dignatus eſt, iis potiſſimum viris eruditis, arbitratu Præpoſiti Generalis Congregationis S. Mauri diſtribuenda, qui in ejuſmodi adornandis incumberent, ut ipſis argumento eſſent, quâ eos Summi Pontifices complecterentur charitate. Præ cæteris verò diſtinxerunt *Joannem Mabillonium*, virum unum omnium totius Congregationis S. Mauri doctiſſimum, quem Innocentius XI. Iñocentius XII. Clemens XI. aureis Numiſmatis honorârunt. Quis tantis, támque ſanctiſſimis literarum Mæcenatibus non totâ animi contentione ſtudiis navaret operam?

Romani Pontifices Italorum Benedictin. Mæcenates Paulus III. Iſidori Clarii.

A Gallis verò Benedictinis Itali orationem ad ſe convertunt. Paulus III. *Iſidorum Clarium*, clariſſimum virtutis ac doctrinæ lumen, Latinè, Græcè, ac Hebraicè (u) ita doctum, ut Romanæ aulæ admirationi eſſet, ad Concilium Tridentinum, tanquam Abbatem & Theologum ablegavit, utpote cujus ſummam rerum divinarum ſcientiam habebat perſpectam; paulò pòſt verò Fulginei Epiſcopum creavit; quâ in dignitate *Iſidorus Clarius* ut lucerna ſupra candelabrum poſita, populo ſibi commiſſo, totíque Eccleſiæ doctrina ac ſanctitate præluxit.

Pius V. Martinengi.

S. Pius V. piiſſimus juxtà ac doctiſſimus Pontifex viros ſui ſimiles, qui nempe cum ſingulari pietate parem conjungerent doctrinam, unicè amabat. E noſtris *Titum Proſperum Martinengum* (x) literis Græcis ac Latinis eruditiſſimum, alterúmque ſed ſacratiorem Pindarum in amoribus habuit. Jámque *Martinengum* ad dignitates ejus meritis pares promovere deſtinârat: at cùm vix id *Proſper* præſenſit, illicò, ut erat verè humilis corde, omníſque fugitans honoris, valetudinem cauſatus ob aëris inſalubritatem in patriam rediit. Quâ animi demiſſione, dignitatúmque fuga, majorem ſibi apud Pontificem conciliavit æſtimationem.

Clemens VIII. Victorini Manſo,

Clemens VIII. cùm *Victorinum Manſo* S. Severini in urbe Neapolitana Abbatem (y) ceu Virum doctiſſimum, ſum̃um Theologum, & Philoſophum celeberrimum paſſim laudibus efferri audiret, eum Stabienſium primò, tum Arianenſium Epiſcopum renuntiavit. Paulus verò V. egregiis ejus dotibus, multiplici literatura, ac religioſiſſimis moribus captus, inter Aſſiſtentes Epiſcopos perhonorificè cooptavit. Fertúrque prælaudatus *Clemens*, dum *Victorinus* Epiſcopatus examen ſubiret, admiratus ejus ſapientiſſimas reſponſiones, & reconditam doctrinam, ad circumſtantes converſos dixiſſe: *Iſte magis docet, quàm reſpondet*; tum ſubjunxiſſe: *Cathedræ quidem à ſe ſatis conſultum, Antiſtiti verò non item.* Quæ cauſa fuit eidem Pontifici, *Victorinum* ad Arianenſem Epiſcopatum libentiùs transferendi.

& Hieronymi Ruſcelli.

Hieronymus Ruſcelli (z) complurium in eadem ſacra Congregatione Monaſteriorum ſucceſſivè Abbas, ac deinde Generalis Præſes, virtute ac doctrinâ ſua Maximos Pontifices in ſui amorem & exiſtimationem ita attraxit, ut eum veluti certatim cumulandum honoribus ſuſceperint. Clemens VIII. in conſcientiæ ſuæ arbitrum ac moderatorem delegit, quem tamen honoris gradum vir modeſtiſſimus, impetratâ veniâ, deprecatus eſt.

Paulus V. &c. Conſtantini Cajetani.

Paulo V. Gregorio XV. Urbano VIII. & Innocentio X. Sum̃is Pontificibus ob Eccleſiaſticarum rerum eruditionem valdè acceptus fuit *Conſtantinus Cajetanus*; nam à Paulo V. titulo Abbatis S. Baronti Piſtorienſis Diœceſis Abbatiæ Florentinæ adnexi, inſignitus, à Gregorio XV. reditibus Prioratûs S. Mariæ de Latina in Sicilia (qui tamen Congregationis Caſinenſis minimè eſt) donatus fuit, ut ex Roccho Pyrrho de Abbatiis Siciliæ refert Antonius Mongitor, nominibúſque *Familiaris & continui Commenſalis ſui* decoratus eſt; ut liquet ex Bulla erectionis Collegii Gregoriani data an. 1625. die 18. Maji, quæ legitur in Bullario Caſinenſi Cornelii Margarini Tom. 1. pag. 300. & ſeqq. Ipſe Con-

(u) Armell. part. 2. pag. 49.
(x) Idem l. c. pag. 159.
(y) ibid. Lit. V. pag. 9.
(z) ibid. part. 1. pag. 220.

Conſtantinus in impreſſis libtis, & iisdem Pontificibus dicatis, ſeipſum S. D. N. & Apoſtolicæ Sedi *à ſacris & ſecretis Literarum monumentis* appellat, quæ cauſa fuit, ut à nonnullis Scriptotibus *Hiſtoriographus Romani Pontificis nuncuparetur.*

Paulus V. ut literatum ſtudia ad majorem florem in Congregatione Caſinenſi proveheret, ejus juſſu & authoritate pro religioſa Juventute Gymnaſium Peruſii excitatum fuit.

& Jacobi Graffii.

Jacobum verò *Graffium* (a), Neapoli in S. Severino Monaſtici Inſtituti aſſeclam, Virum quidem non minùs vitæ ſanctimoniâ, quàm morali ſcientiâ ſatis ubique celebrem, Juris etiam utriusque Doctorem inſignem, & Neapolitanæ Urbis, ac Diœceſeos non ſolùm librotum Cenſorem, ſed etiam (quod in regulari viro ibidem hactenus inuſitatum) Majorem Pœoitentiarium idem Paulus V. Pont. Max. ob doctrinæ ac virtutis præſtantiam, plurimi fecit, Abbatiſque titulo, cùm regimen conſtanter recuſaret, motu proprio honeſtavit. *Graffius* enim rerum omnium caducarum abjectis curis, nihil antiquius habuit, quàm ſacræ doctrinæ ſtudiis, veræque pietatis cultui, quamdiu vixit, vacare, quoad tandem non ſine ſanctitatis opinione mortalis vitæ curſum Neapoli feliciter anno æræ vulgaris 1620. abſolvit.

Urbanus VIII. Angeli Grylli.

Urbano VIII. valdè familiaris & in paucis charus erat *Angelus Gryllus*, Congregationis Caſinenſis Præſes (b) Generalis, qui cùm omnium bonarum artium diſciplinis emioeret, inprimis tamen oratoriâ ac poëticâ facultate adeò excelluit, ut celeberrimum quemque ſui ævi, vel vicerit, vel æquaverit. Unde Urbanus, & ipſe ſummus Poëta, ejus adeò conſuetudine delectabatur, ut integras ſæpè horas in penetralibus cum illo colloquens, jucundiſſimè traduceret, fertúrque Pontifex de Angelo ad emimentiora promovendo ſeriò cogitâſſe: illud ſanè conſtat, Angelum Epiſcopatum Alerienſem in Inſula Corſica, & Albiganenſem in Liguria, Cardinalis Pincellii conterranei ſui operâ ſibi oblatos, invictâ conſtantiâ recuſâſſe, tum quia monaſticæ religionis, quam amplexus ſemel fuerat, amantiſſimus, eam dignitatibus omnibus anteferebat, tum quia ſui ipſius contemptor, tanti muneris oneri pares ſibi vires adeſſe minimè reputabat.

Clem. IX. Angeli de Nuce.

Angelus de Nuce (c) doctiſſimus Abbas Caſinenſis novam Chronici Caſinenſis editionem, Notis eruditiſſimis, imò potiùs Comentariis illuſtratam prælo paraverat, quam cùm ſubinde *Clementi IX.* Pont. Max. dedicâſſet, magnam ab eo inüt gratiam. Is enim Angelum à Franciſco Cardinali Barberino Romam jam accerſitum, ſuúmque Theologum delectum, Epiſcopum Examinatorem extra numerum, & Sacri Indicis Conſultorem illicò renuntiavit, móxque Callienſem Epiſcopatum eidem obtulit; quem cùm ille renuiſſet; paulò pòſt à *Clemente X.* ejus ſucceſſore Archiepiſcopus Roſſanenſis in citeriori Calabria creatus fuit, quin imò, ut Creſcimbenius in ejus vita narrat, cogitaverat Clemens IX. de Angelo ad majores Eccleſiæ dignitates elevando, niſi ejusdem Pontificis mors paulò pòſt inſequuta deſtinatos honores Angelo invidiſſet.

Clem. X. Iſimbardi.

Auguſtinum Iſimbardi (d) non tam avitis Majorum ceris conſpicuum, quàm omnibus doctrinæ ac virtutum ornamentis præditum Abbatem Clemens X. Pont. Max. Cremonenſi Eccleſiæ præfecit, quo in munere optimi Paſtoris partes explevit omnes.

Innoc. XI. Sfondrati, Aguirrei, & Vecchii.

Innocentius XI. ſumam *Cæleſtini Sfondrati*, atque *Joſephi Aguirrei* doctrinam & eruditionem Cardinalitiâ purpurâ exornavit, niſi hæc potiùs ab illis exornata fuit. Is ipſe Pontifex *Petrum Vecchium* (e) Abbatem S. Juſtinæ Patavinæ religioſis virtutibus æquè ac nobilioribus ſcientiis ornatum, Eccleſiaſten inter paucos diſertum, atque editis multis præſtantibus operibus inſignem Scriptorem Epiſcopum Æmonienſem in Iſtria deſigoavit; Alexander verò VIII. Epiſcopum Andriæ in Apulia creavit, ac deinde Innocentius XII. ad Melphictenſem cathedram in eadem Apulia tranſtulit.

Clem. XI. Alphonſi Maricondæ.

In Alphonſo Mariconda (f) Neapoli ad S. Severinum Cœnobitâ, ea fuit ingenii excellentiâ, ea non vulgaris doctrinæ præſtantia, ea tam in Scholaſticis & Dogmaticis, quàm in amœnioribus literis; itémque in profana & eccleſiaſtica eruditione, Græcáque

(a) Armell. part. 2. pag. 4.
(b) ibid. part. 1. pag. 31.
(c) Armell. l. c. pag. 57.
(d) l. c. pag. 62.
(e) l. c. part. 2. p. 238.
(f) ibid. part. 1. pag. 10. & fuſiùs part. 2. p. 54. p. 135. 145.

càque lingua peritia, ut non modò in præcipuis ſuæ Congregationis Monaſteriis haſce diſciplinas tradiderit, ſed in publica etiam Univerſitate Neapolitana primariam ſacræ Theologiæ Cathedram conſeqnutus, plures annos ibidem docuerit. Tantæ verò eruditionis ac doctrinæ virum *Clemens XI.* Pont. Max. dignum cenſuit, quem ad Regium Epiſcopatum Triventinum in Samnio aſſumeret. Id quod factum eſt anno 1717. die 12. Julii, conſecratus autem die 18. ejusdem menſis Romæ à Cardinali *Paulutio* ejusdem Sanctiſſimi à Secretis Statûs.

Pontifices Cardinalis Quirini Mæcenates.

Nec *Maricondæ* diſcipulo, Hebraicis, Græcis ac Latinis literis excultiſſimo, *Angelo Mariæ Quirino*, ſua honoris inſignia apud Summos Pontifices Clementem XI. & XII. Innocentium XIII. Benedictum XIII. & XIV. defuerunt, quorum primus ejus *Diſſertatione de Monaſtica Hiſtoria conſcribenda*, *Oratione de Moſaicæ Hiſtoriæ præſtantia* aliísque eruditis laboribus delectatus, Sacræ Inquiſitionis Qualificatorem, Sacrorúmque Rituum & Indicis Conſultorem renuntiavit. Quâ dignitate, ceu face quadam accenſus (g) *Græcæ Eccleſiæ Officiorum* editionem inter cætera ſuſcepit, à *Quadrageſimali* exorſus, breyíque volumen emiſit, eo favore à Theologis, examini eorundem librorum à *Clemente XI.* delectis, exceptum, quem unius ex ipſis (& quidem in eo Cœto primas ferentis ob eximiam, quâ pollebat, Orientalium linguarum peritiam) ſuffragium publica auctoritate ei volumini appoſitum teſtatur.

Corcyræ Epiſcopus præficitur.

Is ipſe favor in cauſa fuit, ut ab *Innocentio XIII.* Corcyrenſi Epiſcopatu, adnitente præſertim Cardinale *Ptolomæo*, cujus doctrina in ea Congregatione eminebat, donaretur; eum autem adminiſtrans præter eruditiſſimum librum de *Primordiis Corcyræ* conſcriptum, *Enchiridium Græcorum* confecit, quo hiſce S. R. E. dogmata proponuntur, quémque in lucem prodire fecit Beneventi, dum ad eam Urbem Benedictus XIII. divertiſſet, ſanctiorem ibidem hebdomadem acturus. Omnes, quotquot in eo aderant comitatu, teſtes fuerunt, quàm benevolo animo, quàm egregia humanitate hoc Opus, ejúsque Auctorem Pontifex verè optimus complecteretur; & ii pariter norant, quàm benignè paulò antè Romæ excepiſſet, etſi nulla Ei priùs neceſſitudine compertum, etſi è Corcyrâ inſula, in quam deportatus quibusdam videbatur, egreſſum, etſi, dum Romæ ſubſtitit, nemo prorſus curam cepiſſet, ut Ipſi qualiscunque aditus ad ſanctos Pedes pateret. Statim verò ac Benevento Romam *Quirinus* reverſus eſt, incredibilis erga illum Pontificiæ benignitatis largitas tunc maximè emicuit; nam binos tantùm poſt menſes Brixianis Infulis ipſum ornavit, & poſt quatuor alios, inter Cardinales cooptavit.

Brixianis infulis,

Quirinus, ut ſe tanti beneficii æternum memorem gratúmque præberet, *Benedicto XIII.* ad Superos ex hac mortali vita evocato Statuam ex marmore ad ejus tumulum ponendam curavit; ejus verò Nepoti *Dominico Cardinali Urſino* in perenne gratitudinis ſui monumentum Collectionem Epiſtolarum Reginaldi Poli S. R. E. Cardinalis eruditiſſimis Diatribis & Notis illuſtratam nuncupavit. *Clemens XII.* cùm probè ſciret, *Quirinum* omnium elegantiſſimarum artium ſcientia eſſe præditum, neminéque peritiâ linguarum præcipuè Græcæ & Hebraicæ haberi inferiorem, eum ampliſſimo S. R. E. Bibliothecarii munere condecoravit;

& Bibliothecarii Apoſtolici munere decoratur.

quod ille hactenus tanta cum laude adminiſtravit, ut cum majori ante ipſum nemo alius. Quid verò de *Benedicto XIV.* dicam, qui hodie Eccleſiæ in terris ſummo cum imperio præeſt, ac ſapientiſſimè præſidet? Siquidem vel à primo ſuſcepti Pontificatûs die, imò eo ipſo temporis articulo, quô delatam ipſi ſupremam dignitatem ſuffragia Patrum conſueto ritu publicárunt, *Quirino*, qui ad latus ipſius aſſideret, ſtatim honorificentiſſimis verbis animum ſuum aperuit, quòd ſcilicet ipſum Sanctæ Sedis ſervitio utilem futurum arbitraretur;

Alii honores eidem à S. P. N. Benedicto XIV. delati.

móxque poſtera nimirum die ſacri Cardinalium Cœtus librorum examini delecti Præfectum renuntiavit. Quod tamen honorificum munus *Quirinus* deprecatus eſt, Pontifici ſignificans haud ita gratum animo ſuo futurum, aliorum libris ſeu proſcribendis, ſeu expurgandis tempus conſumere, ac literario otio fruentem libros componere nec proſcribendos, nec expurgandos. Pari modeſtia Patavinum Epiſcopatum præ Brixiano longè opulentiorem à *Benedicto XIV.* ſibi oblatum recuſavit. Taceo alios favores ac gratias, quibus ab hoc ſapientiſſimo, & ſui ſimi-

(g) Vid. Em. Card. Epiſtol. Latin. Dec. 3. ep. 4. pag. 3.

ſimilium, id eſt, doctiſſimorum Cardinalium amantiſſimo Pontifice cumulatus eſt. Sed ſilentio involvese nequeo illuſtria laudum præconia, quibus viciſſim Eminentiſſimus noſter conteſtandi animi gratiâ ſuum Evergetam hinc inde cumulat; Ita enim in epiſtola ad Celſiſſ. Principem *Zaluſchi* ſupremum Regni Poloniæ Referendarium & Cracovienſem Epiſcopum die 12. Martii anno 1749. datâ reſcribit : *Vix ſuppetunt nobis vires ad verba utcumque invenienda, quibus diligentiam adamantinam, notitiam antiquitatum Chriſtianarum vaſtiſſimam, Theologiæ Scholaſticæ, ac Liturgicæ peritiam inuſitatam, quam* Summus Pontifex *in hoc opere elaborando poſuit, jure ſuo meritóque prædicemus. Proſpicimus jam auream ætatem, quam ſummus hic, maximúſque rei literariæ, & eruditionis pulcherrimæ Stator & Fautor, orbi erudito eſt infuſurus, atque largiſſimè cum omnibus bonis communicaturus.* Et rurſus in eâdem epiſt. paucis interjectis: *Verumtamen*, inquit, *nòn orbi tantùm erudito, ſed Chriſtiano Univerſo auream illam ætatem per* BENEDICTUM XIV. *infuſum iri animo meo auguratus jam ſæpiùs ſum, nec augurari unquam deſiſtam, quòd iis excellentiſſimis dotibus Sanctitatem ſuam omninò præditam eſſe conſpiciam, quibus facilè ſublimes terræ Poteſtates adducat, ut ſuſcepto à ſe ipſa conſilio Chriſtianarum omnium Eccleſiarum pacem conciliandi obſecundent. . .* Tùm adductis Cardinalis *Valerii* verbis, quibus nobilem Polonum ad videndam Usbem Romam invitabat, *quòd in ea Pontifice* PIO V. *Eccleſiaſtica diſciplina in priſtinum candorem videretur reſtituta &c.* ſubdit : *Pari hæc ipſa verba ratione* BENEDICTO XIV. *aptari poſſe profiteor, ex hujus ſcilicet pectore immenſis Eccleſiaſtici juris theſauris referto, ceu ex perenni fonte jugiter promanant ſaluberrima ſacræ diſciplinæ ſeu ſervandæ, ſeu reparandæ inſtituta.* Haud minora ſunt elogia, quibus eundem Pontificem variis in epiſtolis mactat Eminentiſſimus Cardinalis, iliadem verò complexus videtur in eâ, quam ad Sanctiſſimum die 23. Aprilis A. 1749. dedit, Ubi : *Habemus*, inquit, *Pontificem Maximum, ſummâ Virtute, integrâ famâ, ſingulari ſapientiâ, moderatione animi, & rerum agendarum prudentiâ, quæ ſummoperè deceat Chriſti domûs diſpenſatorem, præſtantiſſimum. . .* Similia ſepetit in epiſtola, quam *ad Moravo-Auſtriacam Incognitorum Literariorum Societatem* eodem anno direxit. Jam verò quid Pontifici Maximo seddi poteſt majus, *quàm gloria, laus & æternitas? Famæ*, inquit Tacitus, *boni omnes indulgent, & in magnis Viris ſola animum mentémque perurit gloria*, ita quidem ut, Platonis effato, *cupidinem gloriæ & Nominis curam velut ultimam tunicam anima ſoleat deponere.*

Quirinus Benedictum XIV. egregiis mactat elogiis.

Atqui hactenus commemorata, ſatis, meâ quidem opinione, oſtendunt, quàm illuſtri in monimento apud Nos poſita ſint ſummorum Pontificum in sem literariam Benedictinam, ejúſque Cultores merita; nihil verò in amplificanda intes noſtros literarum gloriâ potentiſſimi Principes, Reges, ac Imperatores ſummis conceſſiſſe Pontificibus videntur. Enim verò eruditione ac doctrina conſpicuos Benedictinos conſiliis intimis adhibuerunt, ſupremos Archicancellarios creârunt, legatos miſerunt, ad dignitates eccleſiaſticas, eáſque ſupremas psovexerunt, ut his veluti laboris ac induſtriæ præmiis aliorum acueretur ſolertia, qui ſe juventuti inſtituendæ idoneos sedderent, eámque edocerent, quem honorem ſupremo Numini, quam regiæ majeſtati obedientiam, quem cultum patriæ ac parentibus, quam magiſtratibus reverentiam deferre tenerentur.

Seculi Principes gratioſi erga literatos Benedictinos.

CAROLO MAGNO literarum ſtudia, ut doctiſſimus ille Abbas *Lupus Servatus* epiſt. 1. ait, tantum deferre debent, ut æternam ei parent in Osdine Benedictino memoriam, utpote ab eo revocari cœpta, honorata, & maximi habita. Quàm gratioſus fuerit Mæcenas, quámque eximiâ benevolentia complexus fuerit ſanctum *Sturmionem*, primum Abbatem Fuldenſem, qui literarum ſtudia in Buchonia primus plantavit, ex Caſpare Bruſchio referre liceat. „*Stormio*, „vel *Sturmius*, ex Norica regione „nobilibus ortus parentibus, Germa„niam à literis & pietate alienam, „variíſq; & bellis & ſeditionibus tus„batam videns: cæterùm indolem Ges„manorum præclaram, ſiquem na„cta eſſet magiſtrum ejus ducendæ „formandæque callidum, ſcholas ali„quot morum & pietatis conſtituere „meditabatur. Ingreſſus igitur, fa-

Carolus M.

Narratio Bruſchii de Sturmino Fuldenſi

„vente Carolo Magno, vaſtas ſolitudines, advertit neminem vicinorum moleſtè laturum, ſi quos pietatis uſui campos neceſſarios occuparet, veniénsque ad Fuldam fluvium celebrem, Hersveldenſe monaſterium inchoavit anno ſalutis chriſtianæ ſeptingenteſimo triceſimo ſexto, quo anno Beda nobilis vita functus eſt. Unde octavo migrans anno ad ſuperiorem Fuldæ fluminis partem, Fuldenſe conſtituit monaſterium, ídque tam felicibus auſpiciis, tam proſperè piéque rebus cadentibus, ut ab Imperatore Carolo quatuor circumjacentis ſoli milliaria facilè impetraverit. Habuit pius præcetor quadringentos tum monaſticæ diſciplinæ diſcipulos prætet juniotes, & eos, qui vilioribus officiis, excolendæ videlicet terræ, plantandis arboribus, pulſandis campanis, & id genus aliis deputati erant. Nam ſuperiores illi deſcribendis utriusque linguæ auctoribus, omnium diſciplinarum, & profeſſionum monumentis occupati, tantæ Bibliothecæ, quæ paulò pòſt Philadelphiæ illi reſponſura erat, fundamenta jecerunt. Imperatot igitur Carolus volens & literis conſnltum, & pietati, ne tot tantáque ingenia non (ut par erat) alerentur, dedit Eccleſiæ Fuldenſi civitatem Hammelburgenſem; adjuvantéque Bonifacio, Archiepiſcopo Moguntino, tria milliaria ſoli ulteriùs impetravit, ut ſeptem jam milliaribus ditio Fuldenſis pateret; unde ut non modò unius monaſterii Fuldenſis fratribus, verùm etiam in vicinis cœnobiis Holtzkirchen & Sonhofen ejusdem ſtudii diſcipulis, Carolo, ut fundarentur, permittente, eſſet alimonia, adjecit Pipinus civitatem Ombſtat.„ Hæc *Bruſchius*; quæ in *Caroli* tamen Majores potiùs, quàm in ipſum *Carolum* conveniunt, ut ex temporum ſnpputatione liquidò demonſtrari poteſt. *[margin: corrigitur.]* Quî enim fieri potuit, ut S. Sturmio anno 736. vaſtas Buchoniæ ſylvas ingreſſus ſit, ſavente *Carolo Magno*, cùm is primùm anno 742. in vitales auras elatus fuerit. Nolo plura: etſi igitur literarum ſtudia, auſpice Carolo M. Fuldæ non fuerint inchoata, certè quidem ipſo auctore reparata (h) dicuntut. *[margin: Carolo M. auſpice ſtudia Fuldæ inſtaurata.]* Cùm enim S. *Sturmione* è vivis ad Snperos tranſlato, doctrinarum ſtudiis excolendis, non Fuldæ modò, ſed aliis etiam in monaſteriis minor, quàm par erat, opera impendi cœpiſſet, iísque ſimplicitas religioſa, quæ in cantû ſeu divina pſalmodia principatum tenebat, præſerretur, Carolus ut ad liberalium artium inſtaurationem Ordinis Rectoribus animos adderet, epiſtolas uno exemplo ad Abbates exaravit. Inſtar omnium una eſſe debet editio ejus, qnæ Baugulfo, Abbati Fuldenſi, totíque ejus Congregationi inſctipta eſt, à nobis alio commodiore loco referenda. Ab hoc itaque tempore literarum ſtudia in monaſteriis Benedictinis refloteſcete cœperunt, ob ídque inſtitutæ in cœnobiis duplices ſcholæ, unæ interiores pro monachis, alteræ exteriores pro ſecularibus, ne ex eotum conſortio & affrictu monachi profanos mores contraherent.

Quid jam commemorem, quanto in honore ac pretio doctos Ordinis noſtri viros habuerit. *[margin: Idem in honore habet Ordinis noſtri doctos viros, Alcuinum,]* ALCUINUM Diaconum, qui à parvo puero Eboraci in monaſterio, primariæ Eccleſiæ adjuncto educatus fuerat, ex Anglia maximis promiſſis ac precibus evocavit, ut ei in Rhetoricæ, Dialecticæ, ac Matheſeos diſciplinis operam daret. In Præceptorem vetò tantas gratias, quantæ potuetunt eſſe maximæ, contulit. Minerval erant Abbatia primùm Ferrarienſis, & S. Lupi ad Trecas, dein S. Martini Turonenſis, quibus etiam Cella S. Judoci acceſſit. Nec *Alcuinum* tantùm, ſed ejusdem etiam diſcipulos beneficiis tanto Rege ac Imperatore dignis cumulavit. Inter eos fuit ANGILBERTUS, *[margin: Angilbertum,]* quem Alcuinus ob ingenii præſtantiam ſamiliaribus in epiſtolis ac colloquiis *Homerum* compellare conſueverat. Hunc Carolus in aulam adſcivit, ſupremi Cancellarii munere exornavit, ac demum Berthæ, dilectiſſimæ filiæ connubio dignum habuit. Donec rerum humanarum tædio affectus in Centulenſe Monaſterium ſeceſſit, ubi ob rara virtutum decora in Antiſtitem electus fuit. Porrò cùm jam eſſet Abbas *Angilbertus*, à Carolo Romam legatus miſſus eſt ad leonem Papam tertium, nt populum Romanum ad fidem Caroli & ſubjectionem per ſacramenta firmaret, teſte Aimoino lib. 4. de geſtis Francot. cap. 86.

ADELHARDUS *[margin: Adelhardum,]* Catoli M. agnatus, & Patruelis, ſapientiâ, religione, & editis libtis clariſſimus, Pippini in gu-

(h) Schannat Hiſt. Fuld. part. 1. cap. 6.

gubernanda Italia adjutor, primus in aula Imperatoris conſiliarius, & primus ex Ordine Divi Benedicti ad regni adminiſtrationem à Carolo vocatus. De quo *Gerardus* Monachus in vita, miſſum in Italiam teſtatur, *ut Pippino juniori ad regendum magiſtraret, & ad ſtateram juſtitiæ regnum Italicum informaret.* Et Paſchaſius Radbertus in vita ejusdem, miſſum in Italiam à Carolo Adelhardum, *ut regnum Italiæ, quæ ſibi commiſſa fuerat, & ejus Regem Pippinum, juniorem ad ſtatum Reip. & Religionis utiliter, juſtè, atque diſcretè honeſtiùs informaret. Ubi tantam promeruit laudem, ut quibusdam non homo, ſed præ virtutis amore Angelus prædicaretur.* Et Hincmarus epiſtola de recta novi, ac juvenis Regis inſtitutione cap. 12. *Adalardum ſenem & ſapientem Domini Caroli Imperatoris carne propinquum, & Monaſterii Corbeiæ Abbatem* INTER PRIMOS CONSILIARIOS PRIMUM, *in adoleſcentia mea vidi; cujus libellum de ordine Palatii legi & ſcripſi.* Pluribus aliis graviſſimis negotiis & legationibus adhibitus eſt, & cumprimis anno 823. à *Ludovico Pio* Caroli ſucceſſore in diſcutienda calumnia Paſchali Papæ impacta. *Tantus honos*, inquit V. C. Joſephus Pichler S. J. *in Auguſta Quinque Carolorum Hiſtoria* (i) ſtylo pragmatico egregiè ſcripta, *tantus honos apud Carolum literis, ac ſapientiæ fuit, cumprimis cum inſigni religione conjunctis; nec unquam meliùs gubernari regna arbitrabatur, quàm ubi aut Reges philoſopharentur, aut à viris in utraque Philoſophia præſtantibus regerentur.*

Quid? quòd Carolus M. doctrinam atque eruditionem in hoſtibus, aut certè quidem ejus partibus minùs addictis ſuſpexerit, laudaverit, atque honoraverit. Inter Longobardos unà cum capto Deſiderio Rege

Paulum Diaconū.

abductos in Galliam erat etiam PAULUS DIACONUS (k) Aquileienſis, qui *Deſiderio* ab arcanis epiſtolis fuerat. Prudentia atque præcellens eruditio charum præprimis, atque familiarem etiam Carolo fecerat. Res ea invidiam, atque periculum conflavit, quod verbis Leonis Oſtienſis Chron. lib. 1. cap. 17. referre libuit: *Accuſatus eſt ab invidis apud Regem, quòd ex affectu Deſiderii illi pararet inſidias. Quem cùm Rex comprehenſum adduci ad ſe juſſiſſet, interrogat, an vera ſint, quæ de illo dicerentur. Tum ille conſtanter ſe Domini ſui eſſe fideliſſimum* (Deſiderium innuebat) *aſſeveravit, & in eadem fide, quoad viveret, perſeveraturum. His auditis Rex, irâ ſuccenſus, juſſit incunctanter manus abſcindi. Sed continuò mutatâ ſententiâ, memor illius ſagacitatis, atque prudentiæ, ſuſpiránsque: & ſi* (inquit) *manus abſcindimus, ubi tam elegantem ſcriptorem reperire poterimus? atque ad proceres converſus, quidnam de tali viro agendum eſſet, percontabatur. Illi eruendos oculos monebant, ne ullas adversùs Regem literas ſcriberet. Et ubinam* (ait ille) *vel quando talem reperiemus hiſtoricum?* Hic ergo in literatos amor Regis, oculos, atque manum Paulo ſervavit; qui ſolùm in Diomedis inſulam (hodie *Tremiti*) relegatus, inde clàm ad Adelpergam Deſiderii filiam Beneventum trajecit, ubi Eutropii hiſtoriam multis locis auxit, & duobus libris proſecutus eſt, à Juliano Apoſtata usque ad Juſtinianum I. Demùm in Caſinenſe cœnobiũ seceſſit, cui adſcriptus multa tum proſâ tum verſibus ſcripſit. *Carolus* verò, cùm exulem ſuum cœnobitam intellexiſſet, amiciſſimâ, cujus partem aſſeremus, epiſtolâ gratulatus eſt:

ad quem exarat carmina quædam,

Hinc celer egrediens facili mea charta volatu,
Per ſylvas, colles, valles quoque, prapete curſu
Alma Deo chari Benedicti tecta require;
Eſt nam certa quies feſſis venientibus illuc.
Hic olus hoſpitibus, piſcis, hic panis abundat,
Letus amor, cultus Chriſti, ſimul omnibus horis,
Pax pia, mens humilis, pulchra & concordia fratrum.
Dic Patri & ſocius cunctis, ſalvete, valete.
Colla mei Pauli gaudendo amplecte benignè
Dicito multoties: ſalve, Pater optime, ſalve &c.

Præter hanc epiſtolam extat inter carmina (l) Alcuini unum Caroli M. nomine ſcriptum ad ipſum Paulum, quod hîc integrum exhibere non pigebit.

Parvula Rex Carolus ſemori carmina Paulo
Dilecto Fratri mittit honore pio.
Qua rapuit calamus ſubito dictantis amore,
Demandans charta, fer mea verba citò.
Ad faciem Pauli venerandam perge per Urbes,
Per montes, ſylvas, flumina, luſtra, pete
Caſinum montem, Benedicti nomine clarum,
Paſteris magni, precipuique Patris.
Illic quære meum mox per ſacra culmina Paulum,
Ille habitat medio ſub grege, credo, Dei.
Inven-

(i) in vit. Carol. M. part. 1. cap. 2. Corollar. 44. pag. 9. edit. in fol. Viennæ an. 1735.
(k) l. c. Corollar. 11. pag. 8.
(l) cap. 186.

Inventúmque ſenem devotâ mente ſaluta,
Et dic: Rex Carolus mandat aveta tibi.
Gaudia dícque precor noſtra ſibi magna ſalutis
Gratificam Chriſti permiſerantis opem.
Atque pium patrem rogito tunc ſemper ubique,
Pro nobis ſacras ut ferat ille preces.
Nec non nos fratrum precibus commendet honeſtis,
Sum votis quorum certus adeſſe Deum.
Quapropter - - ei per me mandare ſalutem
Perpetua pacis omnibus his placuit.
Ecce valete ſimul cuncti juvenéſque ſenéſque,
Gratia vos Chriſti protegat atque regat.

Illuſtre profectò Auguſtiſſimi Imperatoris erga Paulum amoris ac familiaritatis argumentum, quem appellare *dilectum fratrem* haud dedignatur. Tantam verò támque inſoliti honoris appellationem humili monacho doctrina & eruditio potiſſimùm comparârunt. Quòd verò *Paulus Diaconus* vitæ Caroli fuerit inſidiatus, & hic manus illi amputari juſſerit, fabula eſt, quam Leo Marſicanus ex Anonymo Salernitano depromſit, ut Jo. Mabillonius, & poſt eum Lud. Ant. Muratorius (m) advertunt. Eidem Auguſto (n) in deliciis erat ROBERTUS, Prior Monaſterii S. Germani à Pratis, non eâ tantùm causâ, quòd Pipinum Regem, Caroli patrem, literis informârit, ſed quòd earum cultum apud monachos ſuos hand ſegniter promoveret: unde ab obitu *Wibadi* Abbatis *Robertum* monaſterio præfecit.

Eidem Auguſto in deliciis Robertus S. Germani Prior.

Ludovici Pii in lit. Benedictinos munificentia.

LUDOVICUS *Pius* Imp. non ampliſſima tantùm Caroli Patris regna, ſed regiam ejusdem etiam in literatos Benedictinos beneficentiam hæreditâſſe videtur. Teſtem habemus *Eginhardum*, (o) virum multiplici eruditione ac doctrinâ, ob quam Carolo M. inprimis erat acceptus, & ab eo arcanis primùm epiſtolis adhibitus, dein tabulario aulico præfectus, ſeu Cancellarii aulici munere ornatus. Præter vitam Caroli M. & epiſtolas, plura alia ingenii monimenta reliquit, quæ recenſet Labbeus in *Diſſert. de Script. Eccleſ.* Mortuâ *Emmâ* conjuge, cœnobio Fontanellenſi, dein Gandenſi, ac demùm Selingſtadienſi, à *Ludovico Pio*, traduce in filium paterna erga doctos viros beneficentiâ præeſſe juſſus, anno 843. depontana in ætate obiit.

Carolus Calvus in Muſas Benedictinas optimè affectus.

CAROLUS *Calvus* Magni nepos, ac *Ludovici Pii* filius in monaſterio S. Dionyſii educatus, & literis imbutus fuit. Unde propenſiſſimâ erat voluntate non in ipſum modò locum ſanctum, ſed cætera etiam Benedictinæ Familiæ monaſteria. Filios ſuos *Pippinum* & *Drogonem* Milloni Monacho Elnonenſi, Lotharium Herico Autiſiodorenſi Cœnobitæ in diſciplinam tradidit. Ejus in literas ac literatos ſtudium miris effert laudibus idem Hericus, vir ſui temporis doctiſſimus, in præfatione ad libros metricos de vita S. Germani Epiſcopi, Patroni ſui, quos inſtinctu Lotharii Abbatis, Caroli filii, olim ſcribere aggreſſus erat, ſed poſt ejus mortem *im̃ortalibus ſceptris prædeſtinato, Regúmque omnium præcellentiſſimo Carolo, perpetuo triumphatori ac ſemper auguſto* nuncupavit. Præclara ſunt, quæ de eo ſcribit (p) Hericus. *Multa ſunt*, inquit, *tuæ monumenta clementiæ, multa ſymbola pietatis. Illud vel maximè tibi æternam parat memoriam, quòd famatiſſimi avi tui Caroli ſtudium erga immortales diſciplinas non modò ex æquo repræſentas, verùm etiam incomparabili favore tranſcendis; dum quòd ille ſopitis eduxit itineribus, tu fomento multiplici tum beneficiorum, tum auctoritatis, usquequaque provehis.* Deinde laudibus eum proſequitur, quòd ubicunq; terrarum florerent artium magiſtri, hos ad publicam eruditionem comiter attrahat, liberaliter conducat. E Græcia viros doctos emigrare, Hibernos dulcem patriam cum Gallia commutare, ut Salomoni ſapientiſſimo famulentur. Atque hunc literarum ardorem & amorem nec bellorum tempore in ejus reſtingui animo, *ita ut meritò vocitetur ſchola palatium, cujus apex non minùs ſcholaribus, quàm militaribus conſueſcit diſciplinis.* Quæ fuſiùs in epiſtola *Herici* apud Andream du Cheſne de Script. Franc. tom. II. pag. 470. leguntur.

Herici ea de re teſtimonium.

Ludovicus Germaniæ Rex literatos Benedictinos beneficiis ornat, cumprimis Rabanum Maurum.

Caroli Calvi ex patre frater erat LUDOVICUS Germaniæ Rex, qui ſi quiſpiam Regum ac Principum Mæcenatis laudem erga literatos cõmeritus eſt Benedictinos, ea profectò fruſtrari non debet. Ejus ævo Abbatiam Fuldenſem moderabatur *Rabanus Maurus*, quem expulſum atque ejectum è monaſterio fuiſſe anno DCCCXLII. docet nos Author Chronici Hildosheimenſis, & aliunde illum eo anno reliquiſſe regimen Monaſterii Fuldenſis probat Stephanus Baluzius certiſſimis argumentis in Notis ad Epi-

ſtolam

(m) Jac. Bouillart in Hiſt. Monaſt. S. Germani à Pratis.
(n) In Hiſt. Ital. Part. IV. ad an. 782.
(o) R. P. Pichler l. c. Corollar. 47. pag. 9.
(p) in præfat. ſeu epiſt. nuncupat. vitæ S. Germani.

ſtolam XL. Servati Lupi Abbatis Ferrarienſis. Cauſas, ob quas pulſus ſit, non dicam ego, ſed vetus codex MS. à Nicolao Serario allegatus in libro quarto rerum Moguntiacarum pag. 643. *Rabanus anno 842. Fuldenſi pulſus eſt Abbatia, fratribus monachis cauſantibus ipſum ſtudioſum, nimis intentum ſcripturis, temporalia negligere.* Hanc monachorum, inquit Baluzius, ſtultitiam & improbitatem acriter exagitat Trithemius in Libro de Scriptor. Eccleſiaſt. illam deſcendere faciens ex impulſu diaboli: Hæc ſunt ejus verba loquentis de Rabano: *Tandem offenſus improbitate monachorum ſuorum, qui eum dicebant nimiùm ſcripturis intentum temporalia negligere, agente id in eis diabolo, diſplicentiam contra eum acceperunt, ſcandalizati in eo, quo maximè debuerant ædificari. Dans igitur locum iræ, nec cum ingratis ovibus diutiùs manere conſentiens, monaſterium & ejus habitatores deſeruit.* Hæc Trithemius. Quæ quàm pervulgata ſunt, tam longè à vero recedunt, jure ac merito explodenda. Nónne ipſe *Trithemius* in vita B. Rabani Mauri Fuldenſes Monachos à ſtudio literarum, maximè divinarum diſertis verbis, ne dicam diffusâ oratione, majorem in modum comendat: *Fervor,* inquiens, *eo tempore incredibilis fuit Monachorum erga ſanctarum ſtudium ſcripturarum, qui per S. Rabanum Fuldæ cœpit, & brevì per omnia penè cœnobia Germaniæ & Galliæ coaluit.* Et credat quispiam, B. Rabanum ab hiſce Aſcetis, tanto literarum cumprimis ſacrarum amore flagrantibus, ob nimium earum ſtudium abbatiali dignitate fuiſſe dejectum, ut nihil dicam, quòd hoc in eorum poteſtate minimè fuerit poſitum. Nugæ! Res ſic ſe habuit. (q) Bello inter *Lotharium* Imperatorem & fratres ejus *Ludovicum* Germaniæ & *Carolum* Galliæ Reges exorto, Rabanus in partes Lotharii tranſiit. Cùm verò Lotharius gemino atroci prælio victus fuiſſet, Francia omnis cis Rhenum in Ludovici poteſtatem conceſſit. Quu nuntio perculſus *Rabanus*, ad Lotharium ultrà Rhenum anno 841. ſe contulit; ubi verò certior eſt redditus, nihil periculi à Ludovico ſibi inſtare, Fuldam quidem reverſus eſt, ſed Abbatialis regiminis pertæſus eo ſe abdicavit, quò divinarum literarum ſtudio liberiùs vacare poſſet. Monachi, bonâ ipſius veniâ, *Hattonem* rei literariæ ſtudioſiſſimum ſibi præfecerunt; quod nunquam facturi fuiſſent, ſi literas exoſi *Rabanum* eâ causâ monaſterio priùs expuliſſent. Erat enim *Hatto* in omni diſciplinarum genere eruditus, ita ut eum *Humbertus* Wirceburgenſis Epiſcopus ob ſacrarum literarum Patrúmqne Eccleſiæ peritiam charum habuerit, atque in dubiis conſuluerit. *Rabanus* verò in montem S. Petri extra monaſterii pomœria ſitum ſeceſſit, ut ibi laxiore otio divinæ philoſophiæ operam daret. Gratiam Ludovici Regis Germaniæ, qua plurimùm apud eum anteà valebat, facilè recuperavit. Ejus potiſſimùm favore factum eſt, ut ad Archiepiſcopi Moguntini dignitatem fuerit evectus.

de quo Trithemii aſſertum corrigitur,

& vera ipſius à Fulda ſeceſsûs cauſa exponitur.

Hatto ejus ſucceſſor rei literariæ cultor præcipuus.

Rabanus Ludovici favore fit Archiepiſcopus.

Idem optimus Princeps, ac verè Regius Mæcenas *Rudolfo* Fuldenſi Scholaſtico donavit colonos omnes, qui Imperatorum ſeu Regum Francorum obſequiis & miniſteriis olim addicti, per monaſterii fundos ſparſim degebant, hâc lege, ut jus & cenſum, quem eatenus fiſco Regali intulerant, cuncta Scholaſticorum Ordini cederent. Sed en ipſas Donationis Tabulas.

Rudolfus Fuldenſis Scholaſticus ab eodem Rege inſignibus beneficiis cumulatur.

„ In Nomine Sanctæ & Individuæ „ Trinitatis. HLudovicus divina favente gratia Rex, Lutolfo, Criſtano, & Heſſoni Comitibus, cæteríſque ſuis Fidelibus gratiam.

„ Notum ſit vobis cunctíſque Chriſti Fidelibus tam futuris, quàm præſentibus, quia Nos pro æternæ mercedis augmento conceſſimus cuidam fideli Clerico, Oratori, & Confeſſori noſtro, Rudolfo videlicet Monacho, qui præeſt ſcholaribus in „ Monaſterio ſancti Booifacii Fuldæ, „ colonos, qui agros præfati monaſterii colunt, & ad regiam curiam „ cenſum perſolvere debent, ut omnem juſtitiam, quæ nobis legitimè „ ab eis debetur, & univerſa debita „ ad partes noſtras pertinentia ad miniſterium memorati Fratris Rudolfi „ perſolvant: Propterea hos apices „ Serenitatis noſtræ conſcribi juſſimus, quos etiam noſtrâ regali perceptione confirmavimus, per quos „ decernimus atque jubemus, ut neo „ vos, nec ullus Legatus noſter, ſeu „ Comes vel Advocatus quisquam in „ Regno noſtro colonos præfati Rudolfi vel ſucceſſorum ejus Scholaſticorum

Tabulæ donationum.

(q) Vid. Eckart. Rer. Franc. lib. 29. pag. 357. & 358.

Y y

„ ſticorum ſanctæ Fuldenſis Eccleſiæ ſollicitet aut inquietet, aut aliquod debitum ad nos pertinens exigat, aut ad judicia publica eos ire compellat. Nullus igitur, ut præfati ſumus, judex publicus, aut aliquis judiciariæ poteſtatis eosdem colonos noſtros fideli Clerico conceſſos conturbare aut conſtringere audeat vel præſumat; ſed liceat illi & ſucceſſoribus ſuis colonos ſuos qnieto ordine poſſidere, ſive absque ullo ptoprietatis jure terram eorum tantùm poſſidentes ſint, ſeu propriæ hæreditatis agros Deo & Sanctis ejus traditos uſufructuario, ut fieri moris eſt, in beneficio tenentes ſint. Teneat igitur ex noſtræ auctoritatis præcepto idem Rudolfus, cæteríque Scholaſtici ſanctæ Fuldenſis Eccleſiæ omnem utilitatem, quæ nobis debebatur à colonis præfatæ Eccleſiæ, quatenus eò meliùs delectet eos omni tempore pro nobis & conjuge noſtra ac ptole Domini miſericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas noſtræ conceſſionis & donationis firmior habeatur, & per futura tempora vetiùs credatur, diligentiúsque conſervetur, de annulo noſtro hanc conſcriptionem juſſimus ſigillari. Signum Domini HLudovici Regis. Ego *Conradus* Notarius recognovi. *Dat. VI. kal. Feb. Indict. XII. Actum Fuldæ monaſterio.*

ab aliis Imperatoribus confirmatæ.

Hoc inſigne honoris ac Regiæ liberalitatis inſtrumentũ, quô Rndolfus, ejúsque Collegæ, Fuldenſis Scholæ Magiſtri & Præceptores, ad literatum ſtudia proſequenda validè incitati ſunt, confirmârunt poſtmodùm (r) Imperatores *Otto I.* anno DCCCCXL. tum & Henricus II. anno MXII. quin & ipſe Henricus IV. ſuum qnoque in Fuldenſem Academiam propenſionis animum teſtatus eſt, dum anno MLXXVIII. petiit ad ſe dirigi ex Lobienſibus Monachis aliquem *religioſum*, *prudentem*, *& literis* apprimè *eruditum*, quem in *Fuldenſi Monaſterio conſtitueret Scholaſticum*: Huic autem muneri aptiot tunc nnllus viſus fuerat, quàm Theodericus, ſed qui ob adeptam mox Andagenſem Abbatiam illud non adiit.

Conradi I. Germ. Regis in bonas literas ſtudium.

CONRADI I. Germaniæ Regis ſtudium, qno in bonas literas, maximè Græcas ferebatur, quibúsque à Bovone Abbate S. Galli ſe inſtitnl curaverat, capite præcedenti ex idoneo Authore *Witekindo*, celebravimus.

Hîc verò tacere non poſſumus, quo amore ac benevolentia Monachos San-Gallenſes, quorum fieri frater conſcriptus voluit, complexus fuerit. Non mihi, ſed *Ekkehardo Decano* in vita S. Notkeri cap. xv. fidem haberi volo. Sic verò hiſtoriam texit:

San-Gallenſe Monaſterium accedit,

„ Eo tempore *Cuonradus* tunc Romanorum Rex Natale Domini Conſtantiæ egit. Ipſa die poſt menſam cùm Epiſcopus ei proceſſiones veſpertinas tridui illius apud S. Gallum laudaret, Rex ait; *ô utinam ibi eſſemus: & quare illuc anime mi! matutini non ibimus?* Parantur continuò naves, quibus mane conſcenſis cum Epiſcopis & cætero comitatu Rex litus noſtrum attigit meridianus, & Sanct. Gallo appropians novis laudibus dictatis in loco glorioſè ſuſceptus eſt, tribúsque noctibus cum omni hilaritate loco immoratus quarto die abſceſſit. Longum eſt dicere, quibus jocunditatibus dies exegerit, & noctes, admirans ſenes cum junioribus, qualiter ſicut Angeli in choro in omnibus geſtis & diſciplinis incederent, & maximè in proceſſione infantum, quibus poma in medio eccleſiæ pavimento anteſterni jubens cum nec unum parviſſimorum moveri, nec ad ea attendere vidiſſet, obſtupuit tantum tigorem teligionis. Refectorium verò frattum hora menſæ cum duobus Epiſcopis intrans in die Innocentûm plura ſibi aſſurgentibus læta locutus: *Nobiſcum*, ait, *velitis nolitis*, *partiri habebitis.* Decanum autem, qui menſam Abbatis ſui causâ cedere parabat, amplexatum retinens aſſedit, & ei appoſita ad ſe ſumens omnes circumſpectans & arridens; *his*, inquit, *in nomine Domini interim cum gratiarum actione participemur.* Miſit quantocyus ad *Salomonem* Epiſcopum, & Abbatem, ne ſibi ſuperveniret, ſed uterque pro altero menſas teneret. Propoſito dein cum nihil ſibi niſi qnod fratribus paratum eſſet, juberet apponi: *ô Rex*, inquit, *noſtra infortunia quod ſuperventurum diem non exſpectabas: cras enim panem & fabas nudas forſitan habebimus, ſed hodie non ſic. Enimverò* ait ille, *& cras Deus nobis miſereri poterit.* Infantulis dein per ordinem lectitantibus & analogio deſcendentibus aureos in ora ad ſe levatis miſit, quorum unus puſillior cum clami-

Tricliniũ fratrum intrat.

Menſæ aſſidet,

„ tans

(r) Schannat Hiſt. Fuld. part. I. cap. 6. pag. 56.

„ tans aurum expueret; *iſte*, inquit,
„ *ſi vixerit*, *bonus quandoque Mona-*
„ *chus erit*. Surgens tandem à menſa
„ hilariter fratribus multa locutus
„ optimæ ſpei eſſe monebat, quo-
„ niam ſi adviveret, tales convivas
„ lætificaret, rediénſque ad ſuos *Sa-*
„ *lomoni* Abbati noſtro & Epiſcopo
„ gloriatus ajens ſe nunquam lætius
„ convivatum. At Rex veſperum &
„ noctem cum egiſſet, diluculo con-
„ venrum petens fratrum omnium vo-
fit frater „ tis faventibus fit *frater conſcriptus*.
conſcri- „ Ingreſſus verò baſilicam S. Galli
ptus, „ pretioſis veſtivit altaria palliis. Ora-
„ torium Beati Othmari intrans, ſé-
„ que reum quaſi ipſe interfuerit af-
„ flictioni ejus, quæ illata quondam
„ ei fuerat, ejus aram adiit, palliis
„ quoque auro & argento ſanctum
„ placavit. Nam parentes ejus erant,
„ qui eum vexaverant. Facta ora-
„ tione Rex converſus ad Salomo-
„ nem, eo, inquit, pacto, ut fratres
„ noſtri conſcripti pro convivio no-
„ ſtro heſterno habundantius à Ka-
„ rolo ſtatutam hebdomadam Nata-
„ lis Domini hujus etiam in memo-
„ riam mei debeant convivari, & ſub-
„ ridens, *nam & ego hodie frater*
„ *conſcriptus volo prandere cum fra-*
„ *tribus, & fabas noſtras de meo pipe-*
„ *rare*. Aguntur celeres Regi miſſæ à
„ fratribus ſuper id ipſum altare; præ-
„ maturatur prandium, impletur refe-
„ ctorium, vix unam lector recitave-
„ rat periodum: *charitas, quæ nun-*
„ *quam agit perperam*, licenter tunc
jucundè „ amovit diſciplinam. Numquam tale
cum fra- „ per ſe tripudium Galli habuit refe-
tribus ge- „ ctorium, jocundè & humiliter cum
nio in- „ fratribus Rex convivatus gaviores
dulget. „ quosdam fratrum ſpectat inter ſtre-
„ pitum, ridet quorundam vultus
„ contractos propter rerum talium in-
„ ſolentiam, tamen repreſſit unus-
„ quisque ſe diſſimulans & ſuſtinens
„ propter regiæ Majeſtatis præſen-
„ tiam. Finito convivio Rex diſcedit
„ veſpertinus, fratrum ſuorum lacri-
„ moſis laudibus proſecutus, quibus
„ ſi vivere liceret benefacturum pro-
„ miſerat. Valedicens ergò fratribus
„ abiit, & comendans ſe orationibus
„ eorum venit cum Epiſcopo Con-
„ ſtantiam.„ Hactenus Ekkehardus.

Ottonis M. in eru- ditos Be- nedicti- OTTONE MAGNO, etſi ipſe illitera-
tus eſſet, non alius tamen aut in literas
aut in literatos Benedictinos fuit pro-
penſior. Cùm Annonem (s) S. Maxi-
mini apud Treviros monachum ſpe-
ctatæ virtutis ac doctrinæ virum eſſe
intellexiſſet, in Saxoniam evocatum,
Monaſterii Bergenſis propè Magde-
burgum primum Abbatem conſtituit,
ac regiæ ſtirpis procerum filios literis
ac pietate inſtruendos eidem tradidit.
Quo munere cùm præclarè functus
fuiſſet, poſt quatuordecim præfectu-
ræ annos Epiſcopatui Wormatienſi
præfecit. Ottwinum verò, Annonis
in Abbatia & Scholæ Præfectura ſuc-
ceſſorem, *doctum & zelo religionis
fervidum*, ut Trithemius eum vocat
in Chron. Hirſaug. poſt annos circi-
ter novem Hildesheimenſem conſti-
tuit Epiſcopum. — nos propenſio.

OTTONI III. à literarū cognitione
& beneficentia erga eruditos Benedi-
ctinos illuſtre fuit nomen. *Gerbertum*
præceptorem ſuum ad Romanum
Pontificatum, ſupremam in Orbe Ca-
tholico dignitatem evexit, quam per-
petuum gratitudinis ſuæ monumen-
tum extare voluit non ingrati diſci-
puli. *Witegovum*, Augienſem mo-
nachum, cùm inter Divitis Augiæ il-
luſtres viros eruditione ac doctrina
cæteris emineret, in deliciis habere
cœpit Otto, cujus voluntate hujus
nobiliſſimi Aſceterii Abbas creatus
fuit. Hac verò auctum dignitate Cæ-
ſar tanquam collateronem ſuum do-
mi foriſque adhibuit. Cauſam ejusce
familiaritatis neceſſitudinisque *Bur-
cardus*, Poëta coævus (t), non aliam
refert fuiſſe, quàm raram in *Witegovo*
ſapientiæ & morum ſuavitatem, lin-
guæque facundiam; quas ob virtutes
aſſerit eundem *Othonis os & manum*
fuiſſe vulgò vocitatum, quòd nempe
ſecundus à Cæſare ob regni aulæque
adminiſtrationem illi commiſſam ha-
beretur; ſed præſtat ipſum hac ſuper
re Poëtam audire canentem:

Otto- nis III. Benefi- centia in Gerber- tum, & Witego- vum Au- gienſem.

Nam cùm doctiloquum ſapientia conderet ipſum,
Dicitur Os Regis, *populorum lingua ſalubris,*
Inter Catholicas primas rutilando columnas.
Regum rectores, comitum docet atque cohortes,
Rege jubente ſuis parent ſimul omnia dictis,
Contra velle ſuum ſe vertit nemo retrorſum.
Eſſe Manum Regis *nam plebs hunc prædicat omnis.*

HENRICI ex Abbate S. Ægidii in
urbe Brunſuici Lubecenſis Epiſcopi
Mæcenas erat *Fridericus* I. Imperator,
qui tametſi Martiæ indolis eſſet Prin-
ceps, magnáque gereret bella, in vi-
ro tamen morum ſanctimoniam atque
doctri-

Friderì- cus I. Henrici Abbatis S. Ægidii Mæcenas.

(s) Henr. Meibom Rer. Germ. Tom. 2. pag. 262.
(t) Apud Joan. Egon. Lib. de Vir. Ill. Aug. Div. part. 2. c. 13.

doctrinæ copiam venerabatur (u). Quo tempore urbem Lubecam obſidione cinxerat, ſuæ in eum benevolentiæ clariſſimum dedit indicium. Cives cum militaribus quum urgerentur obſidione dura, nec ſpes ſupereſſet ab Henrico Leone (jam rebus deſtituto) obſidionem poſſe diſſolvi, inito conſilio Epiſcopum loci *Henricum*, magnæ facundiæ ac doctrinæ Præſulem, adierunt orantes, ut legationem ſubire non gravaretur ad Cæſarem his verbis: „ *Fidem, Cæſar invicte, quam* „ *debemus Principi noſtro, ad ſanguinem uſque ſervare juſtum arbitramur*: ſacramenta, ut vitam, in pretio ducimus: vinci poſſumus, flecti à fide non poſſumus. Si permittis, legationem mittimus ad eum, cui obſtringimur: ejus cognita voluntate, tibi reſpondemus. Interea ſi vel quod precamur rejicis, aut mutata ſententia, quum pendeat legatio, quicquam fuerit à tuis (quos in arma ducis) attentatum, quod viros decet fortes, fidei vitam impendimus. „ Ille non gravatus munus legationis ſubiit: & mandata Imperatori adeò ſuaviter peregit, ut *Fridericus* libens cederet poſtulatis, permittens legationem ad *Henricum Leonem*, qui tum ſe Stadis continebat. Tanta denique affectione motus eſt in Epiſcopum Cæſar, ut illum pro vitæ ſanctimonia (*quam per famam acceperat*) próque ſingulari eloquentia diligeret plurimùm. Et quoniam malis tum ille febribus vexabatur, ſuum illi Phyſicum Cæſar permiſit, ut ejus operâ curaretur.

Lotharius II. rei literariæ Benedictin. fautor,

LOTHARIUS II. velut alter Scipio Africanus *tam elegans liberalium ſtudiorum, omníſque doctrinæ & admirator & fautor fuit, ut præcellentes ingenio viros domi militiæque ſecum habuerit.* Eminuit inter illos WIBALDUS, Abbas Stabulenſis, quem Auguſtus non ad intimas modò de rebus graviſſimis conſultationes adhibuit, ſed Cancellarium etiam Romani Imperii conſtituit. Idem Imperator, cùm non exiguæ doctrinæ, prudentiæ, ac conſilii vim in Petro Diacono (x) Caſinenſi vigere animadverteret, eum *Logothetam*, à Secretis, Exceptorem, Auditorem, Cartularium, ac Capellanum Romani Imperii conſtituit.

Wibaldus S. R. I. cancellarium conſtituit.

Carolus IV. literatorum Patronus, maximè

Inter CAROLI IV. non infimæ gloriæ monumenta illud etiam apud poſteros eſt memorabile, quod cùm eſſet Romanorum Imperatorum literatiſſimus, bonarum literarum cultores ampliſſimis præmiis ſemper foverit, atque ad dignitates præcipuas Cæſareâ clementiâ evexerit. Claruit ejus temporibus in Germania virtutis ac doctrinæ fama Lambertus à Buren, Wilhelmi Equitis aurati filius, in Monaſterio Gengenbacenſi à teneris educatus, deinde Monachus Neovillarenſis, poſtremò in Abbatem Gengenbacenſem poſtulatus. Quo in munere tantam apud omnes ſuâ tum eruditione, tum cæteris dotibus exiſtimationem comparavit, ut eum Carolus IV. Imperator ſuum Cancellarium elegerit, eíque res Imperii graviſſimas adminiſtrandas commiſerit. Inde promovente Carolo, Epiſcopus Brixienſis, tum Spirenſis ab Urbano V. Pontifice declaratur anno 1364. ad novem annos, deinde Argentinenſis anno 1373. ac tandem Bambergenſis, cui Eccleſiæ cùm annis 23. laudabiliter præfuiſſet, obiit in ſua civitate 15. Julii anno 1398. ibidémque ſepultus eſt. Hæc de Lamberto breviter pro ſuo inſtituto Dionyſius Sammarthanus Gall. Chr. tom. 5. pag. 871. At enim Lambertum, ætatis ſuæ decus ac ornamentum, non nihil diffuſiùs, non meis quidem, ſed Georgii Crugerii S. J. docti Presbyteri, qui celebre, at in Germaniæ Bibliothecis infrequens opus, *Sacras Memorias Regni Bohemiæ*, ſeculo ſuperiore vulgavit, deſcribere juvat verbis.

Lamberti Abbatis Gengenbacenſis,

A. D. 1398. Gengenbaci in Cœnobio Benedictino deceſſit Lambertus, Nobilis à Buren, Alſata, Guielmi aurati Equitis filius. Quid inde ad ſacros, & quidem Bohemos, inquies? longè plurimùm reſpondent hiſtorici. Nam inſinuatus Lambertus literis profanis, ac deinde etiam divinis, ita excoluit ingenium ſuum, ut parem eruditione inter Monachos, Neovillenſis & ipſe Monachus, tota Germania vix haberet. Quæ cauſa fuit, ut à Gengenbacenſibus, præ interis, exterus licèt, Abbatiæ admoveretur. Sed honor, qui hanc portam aperuerat, intra Gengenbacum non diu Lambertum pauculis præeſſe ſivit. Ergo ab A. D. 1360. ad 98.

Cujus vitæ ſynopſis exhibetur.

hoc

(u) Cranz Wandal. lib. 6. c. 15. p. 136.
(x) *Velleius Paterculus.*
(x) *Chron. Caſin. l. 4. c. 116.*

hoc eſt AA. XXXVIII. hunc eundem per cathedrales Imperii Eccleſias, Epiſcopum ſplendidiſſimè citcumduxit. Vixit breviſſimè Brixiæ, Atgentorati AA. IV. Spiræ IX. Bambergæ ultimò XXIII. In indipiſcendis tot infulis, majorémne ſavorem Carolus IV. Romanus Imperator, an potiùs Urbanus V. Gregorius IX. & denique Urbanus VI. Romani Pontifices exhibuerint; variant illi ipſi coævi Scriptores, qui Lambertum nihilominus hotum omnium Patronorum *Delicias & Amores* unanimiter compellant. Sed Alſatæ hominis totuplex pedum paſtorale quid memoriæ in Bohemia habere potuit? non parùm omninò, quia Wiſſehradi in exempta Regia S. Petri Collegiata Eccleſia, AA. XIX. quandoque ſuit, ſeptennio circiter Infulatus Præpoſitus, adeóque & *Regni Bohemiæ Cancellarius, & Princeps.* Vin' apud nos alterum memoriæ debitum? Caroli IV. noſtri non tam Regis, quàm potiùs *Patris Patriæ*, Vice Moguntini Archiepiſcopi quoad Romani Imperii negotia, etiam Brixienſis, Spirenſis, ac Argentinenſis Epiſcopus, ſimul quoque extitit Cancellarius, ac intimus Conſiliarius. Eam officii ſublimitatem excellens ſcilicet eruditio, cum ſumma ſapientia conjuncta, Lamberto conciliavit. Cæterùm & virtute, quam in Monaſterio Benedictino addidicerat, præſtitit quoad vixit plurimùm. Documentum certò demiſſionis paulò ante mortem edidit planè eximium, cùm Bambergenſis Epiſcopatûs throno ſuâ ſponte deſcendit, atque ad Gengenbacenſes ſuos Monachos tediit, ut tutiùs extra Infulam, rationibus tot paſtoratûum compoſitis, moreretur. Et ſavit poſt exantlatos tot pro Imperio & Eccleſia labotes, Viro piiſſimo intra ſenos ſortaſſe menſes quietem. Exinde à 12. Martii atque A. D. 1398. jacet in magnifica eccleſia, vicinus aræ principi à ſera etiam poſteritate, textû indice hodiéque in marmore noſcendus. *Hæc doctiſſ. Crugerius XII. Martii 4. Idus ejusdem p. 76.*

Regni Bohemiæ Cancellarius efficitur.

Reſignat Epiſcop. Bamberg.

Maximilianus I. doctos Abbates honoribus auget.

Apud *Maximilianum I.* eruditio & doctrina magoam conciliavit gratiam tribus Otdinis noſtri literatis Abbatibus, *Conrado Maurulo*, *Benedicto Furtenbachio*, & *Joonni Trithemio.* Ptimus erat Abbas ad SS. Udalricum & Afram Auguſtæ Vindelicorum. Cùm verò vir (y) eſſet ſapientiâ & eloquentia inſignis, orator & concionator eximius, à Maximiliano literatorum ſummo Mæcenate, tanti haberi cœpit, ut illum inter conſiliarios ſuos adlegerit. Ab hoc Auguſtiſſimo Muſarum Evergete multa inſignia *Conradus* impetravit privilegia. Dejecto veteri choro Eccleſiæ Udalricanæ novum ex imis ſundamentis ope Divi Maximiliani & Chriſti fidelium erexit, cujus primum lapidem poſuit ipſe Imperator in præſentia plurimorum Principum, his inciſis verbis: *JESU Chriſto Socrum. D. Maximilionus Roman. Cæſar Auguſtus od III. Idus Julias è fundamentis lapidem hunc primum poſuit anno MD.*

videlicet, Conradum S. Udalrici,

Alter erat Abbas in Faucenſi Monaſterio, cujus hoſpitio *Maximilianus* non modò cùm eſſet adhuc Burgundionum Dux, atque in Regem Romanorum electus, ſed Imperator etiam conſecratus, ultra quartam anni partem uſus fuit. Quo tempore virum magnis gratiis & favoribus complexus per alios viros doctos, quos ſecum in comitatu habebat, in variis ſcientiis atque artibus magis erudiri curavit.

Benedictum Furtenbach Faucenſem, &c.

Quid verò de *Joanne Trithemio* dicam? MAXIMILIANUS I. non modò Trithemiana conſuetudine impenſè delectabatur, ut liquet ex Spanhemenſi Chronico, ſed magnoperè etiam optabat eum in ſuam familiam adſciſcere, ut hâc ratione commodiùs in Reip. bonum, tum conſiliis comunicandis, tum conſcribendis hiſtoriis, opem qualem qualẽ unà ſecum conferret. Etſi ille monaſtici ſui inſtituti tenaciſſimus etiam tunc, cùm Spanhemenſis Cœnobii Præfecturâ ob æmulorum quorundam invidiam ceſſit, multis quantumvis maximis ſtipendiis, ſiveà Cæſare, ſive ab aliis cùm ſecularibus tum eccleſiaſticis Principibus crebrò propoſitis, nunquam adduci potuerit, ut monaſterium cum aula commutaret: imò ſimul atque ſapientiſſimus Wirceburgenſium Præſul ei cœnobioli pauperculi S. Jacobi Majoris, quod dicebatur Scotorum, Abbatiam, quæ eſt in Herbipolenſi ſuburbio, gubernandam obtulit, libenter ſuſcepit, & in ea reliquum vitæ curſum cum ingenti animi volupta-

Præcipuè in deliciis habet Trithemium.

Yy 3

(y) Bruſch. in Moneſt. Germ. Chronol. p. 140. ſed uti ſæpe aliàs in Chronologiæ leges, ita & hic peccat, corrigendus ex Hiſtoria Baſilicæ San-Udalricianæ.

luptate, & conſolatione peregit, uti multis ipſe literis inde ad varios ſcriptis teſtatus eſt.

Alii Principes, qui Trithemium in amoribus habuerunt.

Cùm verò Spanhemenſis adhuc eſſet Abbas, Philippus, Comes Palatinus, Bavariæ Dux, & Princeps Elector, creberrimè apud Budoras ejus colloquio in multos dies fruebatur, nonnunquam etiam cum liberis cœnobium Spanhemenſe & Bibliothecam interviſit. Joachim quoque Marchio Brandeburgicus, Princeps item Elector, quoties Comitiorum causâ Coloniam, Francoſurtum, vel ad alias viciniores urbes à Cæſare evocatus eſt, Trithemium à latere ſuo diſcedere noluit, ac tandem etiam in Marchiam longis itineribus traxit, & in nonum usque menſem, ab ejus inſtitutione ſuſpenſus detinuit. Quanta autem in exiſtimatione apud eundem, abſens licet, fuerit, variis muneribus miſſis, epiſtolíſque ſcriptis ſæpe teſtatus eſt, quarum unam alterámve paucis noſtrûm fortaſſe lectam in medium afferre, à loco non alienum videtur.

Joachimi Electoris epiſtola ad Trithemium.

Joachim Dei Gratiâ Marchio Brandeburgenſium, Princeps Elector &c. Joanni Trithemio Abbati S. Jacobi in ſuburbio Herbipolenſi ſalutem dicit plurimam cum precatione totius fortunæ & proſperitatis.

„ Reverende in Chriſto Abbas, mi pater amantiſſime. Accepi literas paternitatis tuæ jucundiſſimas, ſimul & nuncium, quem miſiſti, quô referente ſanum te & incolumem, ſtatúmque tuum ſatis quietum & fortunatum cognovi, ſuper quo tibi ex affectu congratulor, & Deo gratias ago debitas immortali. Agit mihi tua paternitas de munificentiâ & beneficiis in eam factis gratias maximas, quæ mihi minimè debentur, proinde quòd parva & vilia ſunt omnia, quæ tibi contuli, munera;. quin imò nec munera quidem appellari merentur, & ob id nullis indigent gratiarum actionibus, quod etiamſi fuiſſent alicujus æſtimationis aut pretii, non tamen ſunt *talia & tanta, qualia & quanta meruiſti recipere à me, téque maximè decebant.* Volui enim per ea ſolùm animi in te mei affectum & benevolentiam oſtendere, quem ut potiùs penſiculare velis, quàm ipſa viliſſima dona, te etiam atque etiam rogo. Libanium præceptorem tuum ſanum & incolumem gaudeo, quem ſi ullo modo fieri poſſet, videre & alloqui cuperem. Accepi & literas amici noſtri Domini Herbipolenſis de tuo ad me in Marchiam reditu in futurum annum promiſſo, quod me non parùm contriſtat propter rerum mearum diſpoſitionem, cauſarúmque proprietatem, quibus diuturna tui abſentia nocumentum afferre poteſt, quia tuus ad me reditus non ſolùm utilis mihi, ſed & valde neceſſarius eſt. Verùm ex quo fieri aliter non poteſt, cogor eſſe contentus, & promiſſum tempus expectare anhelus. Rogo tamen, ne paternitas tua ſuum ad me reditum ultra tempus promiſſum differat, quia novit peroptimè, *quàm mihi ſit neceſſarius denuò tuus adventus.*

Adventū ejus in Marchiā urget.

Reſcripſi autem amico meo Domino Præſuli Herbipolenſi, rogans eundem, ne reditum tuum ultra tempus retardet promiſſum; tu illi meo nomine præſentare literas meas non graveris. Literas quoque ad *Principem tuum Palatinum* dedi, in quibus ut tibi cooperetur pro libris tibi neceſſariis rogavi. Ut autem te lateat minimè, quibus à te lucubrationibus cupiam oblectari, ad ſchedulam te remitto ex *Tangrimunda* priori anno transmiſſam, in qua tibi ſignaveram certarum nomina rerum, de quibus opto ex tua officina luculentos habere tractatus. Quidquid tua paternitas mihi *ad veram ſapientiam beatéque vivendum judicaverit conducibile*, meas compenſabo delicias. Ago paternitati tuæ gratias infinitas *pro modo illo pulcherrimo & exquiſitiſſimo Græcè ſcribendi, quem mihi denuo miſiſti, quo in ſecretis meis non vellem carere pro multa pecunia.*

Amicitiæ certum eſſe eum jubet.

Non diffidat paternitas tua de mea perſona, quòd cœptam inter nos fidem & charitatem deſerturus ſim unquam, quia non ſum arundo, neque tuorum in me benefactorum unquam potero oblíviſci. Satis enim tibi patulus eſt animus erga te meus ſincerus, tectus, & amantiſſimus tui, quem nunquam reperies immutatum.

Muneribus cumulat Trithemium.

Mitto etiam tibi, præceptor eruditiſſime, *cyphum unum argenteum intus & foris deauratum*, non pro munere, ſed in ſignum amoris in te mei, ac ſtabilis inter nos amicitiæ dudum contractæ, & usque ad mortem permanſuræ, quem ut læto ſuſcipias animo precor, eóque ſæpiùs in mei utaris memoriam. Scire cupio de literis meis, an pervenerint *ad manus Libanii*, nec ne. Paleſti-

leſtinus, de quo interrogâſti, adhuc eſt cum Rege noſtro Maximiliano, & neſcimus, quando venturus ſit. Agat paternitas tua in his, quæ mihi noviſti utilia, diligentiam, & habebis me tibi gratificaturum, quoad vixero, in omnibus. Vale *Germaniæ decus, totiúsque arca ſapientiæ*, mei memor ad Deum & amans, qui te vehementer amamus. Ex Berlin manu propria viceſima nona die menſis Maji anno Chriſtianorum 1507.

Sereniſſimo Invictiſſimóque Principi & Domino D. Joachim Brandeburgenſium Marchioni, Stetinenſium Pomeranorúmque Duci, Sacri Imperii Archi-Camerario, Principi Electori Joannes Trithemius Abbas S. Jacobi Herbipolenſis ſalutem.

Literæ Trithemii ad Marchionem Brandeburgicũ.

„ Sereniſſime Princeps, tuæ imprimis Excellentiæ notum facio, me Serenitatis Tuæ humillimum oratorem, Deo miſerante Opt. Max. ſacrum & incolumem, meóque more valentem, ac nihil magis optantem, quàm ut omnia circa ſtatum T. S. uxoris quoque, filii, ac fratris proſpero gerantur ſucceſſu. *Librum*, pro quo in menſe Majo Tua Serenitas ad me literas dedit, juxta votum Scriptori meo dedi reſcribendum, quem menſe perfectum Septembri, quanta mihi fuit poſſibile venuſtate ac pulchritudine feci operimentis ligari, deforiſque more tuo in ſuperficie deaurari per totum. Volui autem quantocyùs ipſum librum tuæ deſtinare Majeſtati, nec differrem vel pauculos dies, niſi tabellarium, quem eram miſſurus, febres detinerent quartanæ, qui mox ut convaluerit, librum Tuæ Celſitudini portabit. Cætera verò, quæ Tua Serenitas mihi lucubranda commiſit, partim jam edidi, partim adhuc perficienda in manibus verſantur uſque diem. Curabo enim pro viribus, ut tuis in me beneficiis memor & gratus inveniar, quibus etſi referre gratias nequeo, habeo tamen, & agere minimè ceſſabo. Quod verò deſideratum volumen cum latore præſentium literarum Serenitati Tuæ non miſerim, factum ratione arbitreris oportet. Eſt enim juvenis & pauper ſcholaris, aliquamdiu famulus meus exiſtens, qui meâ cohortatione ſtudium repetiturus, quod intermiſerat, Francofordianum illud Serenitatis Tuæ Gymnaſium adibit, cui has quidem tradidi literas: librum verò committere periculorum metû non audebam. Spero tamen, quòd brevì convaleſcente tabellario meo, gratiam lætior tuam aditurus ſit. *Scyphum argenteum intus & foris deauratum, quem mihi clementia tua per eundem tabellarium deſtinavit, cum maxima animi gratitudine fateor ſuſcepiſſe*, pro quo gratias ago, quantas poſſum & habeo immortales. Erit enim mihi Serenitatis Tuæ memorabile magnum, & ſignum benevolentiæ tuæ in me manifeſtum. Complevi, Domino adjuvante, *Polygraphiæ meæ Opus in ſex partes*, ſive libros diſtinctum, quod Tuæ Majeſtati conſtet eſſe dicatum. Operam dabo, ut ſacris conſpectibus tuis quantocyus exhibeatur. Omnipotens Deus celſitudinem tuam, ô Princeps inclyte, diu conſervet incolumem, perpetuóque felicem, cui me humili ſupplicatione commendo. Ex Herbipoli decima ſexta die menſis Octobris an. Chriſtianorum 1507.

Gratias agit pro transmiſſo dono.

Elector Brandeburgicus Joachimus I., inquit Illuſtr. Ludewigus (z), cum Joanne Trithemio perquàm familiariter uſus eſt, & ad eum inſtituto literarum commercio, non ſolùm frequentes dedit literas, ſed Berolinum etiam ad ſe evocavit, tempore ſat longo ſecum retinuit, doníque demum non exigui momenti cumulatum ægrè à ſe dimiſit. Quin ſereniſſimus hic Princeps tanto nonnunquam Trithemii ſui flagrare cœpit deſiderio, ut quò illius potiretur præſentia, ad Dominum ipſius Territorialem, Electorem Palatinum, ac ſubinde Epiſcopum Herbipolenſem literas dederit, quibus humaniſſimè eos rogavit, ut Trithemio poteſtatem facerent, iter Berolinum inſtituendi, ſecúmque aliquamdiu permanendi. Maximè cùm Monachi Spanheimenſes Abbatis ſui frequentia itinera ægrè ferentes, illum accuſârunt, quòd neglectis monaſterii negotiis in aulis Principum moras necteret. Quod eò minùs facere debuiſſent, quò magis doctiſſimus eorum Abbas à viris Principibus æſtimatus in conſilium de rebus ac negotiis publicis adhibitus fuit; in quo dando cùm pro ſua prudentia haud facilè offenderet, magnam ab iisdem inivit gratiam, quæ uti-

Magna inter utrumque familiaritas.

(z) Prooem. ad Script. Wirzeburg. §. XIV.

utique è re etiam monaſterii futura erat. Acceſſit, quòd Trithemius in ſuis itineribus magnam Hiſtoriæ Germanicæ, de qua optimè meritus eſt, cognitionem fuerit conſecutus. Sed hæc nauci faciebant Monachi à literarum ſtudiis averſi.

Leopoldus Imp. Mæcenas Ottonis de la Bourde Banthenſis,

Non alio etiam fine *Leopoldi I.* omnis ævi ac memoriæ clariſſimi Imperatoris colligere gratiam ſtudebat *Otto de la Bourde*, Banthenſis in Francia Orientali Monaſterii doctiſſimus Abbas, quàm ut ſacri Ordinis commoda, quibuscunque rebus poſſet, promotum iret. Cùm enim ob ſingularem quà doctrinam, quà prudentiam Glorioſiſſimo huic Cæſari ab intimis eſſe conſiliis promeritus fuiſſet, multigeno ſudore & magno pariter animo viam Noſtris ſtravit, recuperandi denuò in Hungaria omnia perdita hactenus, ademptáque Monaſteria: ſed inſtitutus ad eum finem per variarum Congregationum deputatos congreſſus, ob varias, quas hîc diſcutere nolim, (a) reflexiones irritus evanuit. Unde præmiante cuncta Deo pro glorioſi ſudoris præmio per altiſſimè fatum Auguſtum *Leopoldum* retulit Gurzenſis Epiſcopatûs infulam, quam Erneſtus, Celſiſſimus Salisburgenſium Metropolita eidem impertitus eſt.

& Mathæi Ferdinandi à Bilemberg Pragenſis Archiep.

Nobilior adhuc inſula erat, quâ alium Ordinis noſtri literatum Abbatem idem potentiſſimus Cæſar exornavit (b). Fuit is *Mathæus Ferdinandus à Bilemberg* ex Brevnovienſis Monaſterii aſceta Abbas primùm S. Nicolai vetero-Pragæ, tum etiam S. Joannis ſub Rupe. Cùm monaſterii eccleſiam à fundamentis extructurus eſſet, primum templi fundamentalem lapidem pro illo conſtruendo *Leopoldus* in Regni Bohemiæ procerum præſentiâ clementiſſimè poſuit. Ipſe verò *Mathæus Ferdinandus* Auguſtiſſimo Cæſari vitam Divi *Ivani*, cujus ſacra lipſana in hac eccleſia habentur recondita, à ſe cùm vincto tum ſoluto conſcriptam ſermone in grati animi mnemoſynon exhibuit, quæ ob non vulgarem ſui elegantiam eidem Auguſtiſſimo Monarchæ, omnis politioris literaturæ acerrimo judici, majorem in modum probata & accepta fuit. Sæpiùs factum, ut quando Cæſar graviſſimas Imperii curas literati otii deliciis allevare vellet, *Mathæum* Abbatem in ſermonem adhiberet. Eleganti verò, atque amœno viri ingenio delectatus, eundem primùm ad Conſiliarii intimi, tum Epiſcopi Reginæ Hradecenſis, ac denique Archiepiſcopi Pragenſis dignitatem clementiſſimè evexit. Sic Mathæus Ferdinandus Archiepiſcopali Infulâ, Leopoldus verò inſignis in viros literatos beneficentiæ laude conſpicuus glorioſè effulſit.

Caroli VI. in Marquardum Hergott,

CAROLI VI. Leopoldi Filii Cæſaream munificentiam præ cæteris experti fuerunt Viri Clariſſimi *Marquardus Hergottus*, & *Bernardus Montfauconius*; quorum prior illuſtri Opere *de Genealogia Diplomatica Auguſtæ Gentis Habsburgicæ* Auguſtiſſimi Imperatoris animum ita ſibi devinxit, ut non modò aureo gemmíſque pretioſis radiante numiſmate donatus, ſed ad munus etiam *Cæſarei Hiſtoriographi* aſſumptus, atque ad *Conſiliarii* dignitatem evectus fuerit.

Bernard. Montfaucon,

Poſterioris verò celebre Opus de Antiquitatibus Auguſti oculos ita rapuit, ut Authori ſignificari juſſerit, ejus continuationem ſibi rem fore pergratam, atque ut ad laborem ſtrenuè proſequendum ſtimulos adderet, pretioſum ex auro Numiſma per Gentilotum, Cæſareæ Bibliothecæ Præfectum, in Galliam transmiſerit.

& Godefrid. Beſſel munificentia,

Quo clementiſſimo affectu hic ipſe Auguſtiſſimus Imperator *Godefridi Beſelii*, Abbatis Gottwicenſis, Prodromum Chronici Gottwicenſis, Opus inſigne, atque omnibus laudatum, ſuſceperit, non eſt, ut multis declarem, cùm ipſe Ampliſſimus Præſul pro magna ſua facundia, id abundè præſtiterit.

Reges Hiſpaniæ Mæcenates.

Auſtriaci Reges in Hiſpania & Belgii Principes, Carolus I. & II. Philippus II. III. & IV. ut ſcientiam ac virtutem noſtrorum non dubiis unquam præmiis remunerarentur, plures eorum ad dignitatum eccleſiaſticarum faſtigia extulerunt. Multus ſorem, ſi omnes enumerare inſtituerem. Tres quatuor in exemplum adduxiſſe ſufficiat. *Antonius Perezius* ingenii ac doctrinæ laude per omnem Hiſpaniam nulli ſecundus, Archiepiſcopus Tarraconenſis renuntiari meruit. *Prudentius de Sandoval*, Regius Hiſtoriographus, Epiſcopus factus eſt Tudenſis. *Bernardus de Ontiveros* poſt Theologicos in celeberrimis Hiſpaniæ Univerſitatibus exantlatos labores Calagurritanâ mitrâ condecoratus eſt. *Joſephus de la Zerda* collecta in Univerſitate Salmanticenſi præſtantiſſimæ in

rebus

(a) ita Pelix Egger Ideæ Ord. Hier. Ben. lib. 2. part. 2. pag. 284.
(b) vid. Epit. Hiſtor. Monaſterii Brevnov. pag. 117.

rebus Theoſophicis doctrinæ famâ ad Almerienſem primùm, tum Pacenſem tiaram promotus eſt. Plures alios recenſebunt, qui Annales Benedictinos ad hæc usque tempora continuaturi ſunt. Tum verò ampliùs conſtabit, quòd Auſtriaci in Hiſpania Reges Benedictinæ doctrinæ ac eruditionis magni extiterint exornatores, ac Mæcenates.

Ælfredus Rex Weſt-Saxonum literarum expers & negligens

Debuiſſem forſan *Ælfredi* ſeu *Alfredi*, Weſt-Saxonum in Anglia Regis, dein devictis Danis inſulæ totius Monarchæ, pridem meminiſſe (c). Huic non alia inſtitutio fuit, quàm ex diſciplina Saxonicæ nobilitatis, venari, feras perſequi, aliáſque id genus delectationes ex agris quæſitas: cæterùm literas penitus negligere & ignorare. Hanc patriæ atque ſeculi ſui infelicitatem deplorabat juvenis Princeps, cui ſanctus noſter Neotus Abbas, teſte Spelmanno, hæc deſideria injecerat. Erat is (d) regio ſatus ſanguine, cognatus Alfredi, monachum in Glaſtonienſi monaſterio primùm profeſſus. Cùm verò ob virtutis, eruditionis, ac natalium ſplendorem cunctos ad ſui venerationem pertraheret, in ſolitarium Cornubiæ locum ſeceſſit, ubi monaſterio à ſe ædificato præfuit, ac mortuus ex ſuo nomen dedit. Hìc ab Ælfredo ſæpiùs viſitatus fuit, cui Neotus id prudentiſſimi conſilii dedit, ut ſi corruptos ſubditorum mores, qui Numinis iram in Angliam provocâſſent, in ſuo reformare regno vellet, ſimul de inſtauratione literarum curam ſuſciperet: certus enim eſſet, ex earum reſtitutione mores formari, ſi non ſtatim meliores, ſaltem cultiores, quæ res magnum comparandæ virtuti adjumentum afferret: contra ex literarum neglectu indocilem plerumque ferociam, & indomitam cervicoſitatem oriri, quæ vix ullis monitis & adhortationibus ad virtutem flecti poſſet. His ſaluberrimis conſiliis *Alfredus* aures dedit, toto pectore ad reſtituenda in regno ſuo virtutis ac doctrinæ ſtudia incumbens, ob id Magni cognomen jure optimo conſecutus. Antequam regni habenas moderaretur, eousque literarum ſtudia in Anglia obſoleverant, *ut nec ſacerdotes ipſi Latinum callerent idioma, & rectè docendi, & benè vivendi prorsùs expertes.* Rex ipſe omnis eruditionis expers, & ignarus, ubi thronum conſcendit, *S. Neoti* verò monitis excitatus non erubuit jam ætate provectior literas diſcere, ut alios ad eas condiſcendas exemplo ſuo excitaret. Hinc præter *Aſſerum* & *Phlegemundum* indigenas Benedictinos, ſacríſque ac profanis literis non mediocriter inſtructos, alios è Galliæ noſtris monaſteriis eruditione ac doctrinâ eximios Religioſos ad populares ſuos erudiendos accerſivit, *S. Grimbaldum* ſcilicet, Sithienſem, & *Johannem Alt-Saxonem* monachos, per quos Oxonienſem fundavit Academiam, ex qua fons doctrinæ ac virtutis in omnes regni ſui provincias derivaretur. Sub Rege igitur *Alfredo*, velut novo Angliæ Apolline, opera & ſtudio Benedictinorum, ſpiritum & ſanguinem, atque patriam receperunt ſtudia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat. At enim quanta, quámque inſignis ejus benevolentia erga primos hoſce Oxonienſis Academiæ Profeſſores? *Phlegemundum* ad ampliſſimum Archipræſulis Cantuarienſis gradum produxit. *Grimbaldum* in Wintoniæ, *Johannem* autem in Æthelingiæ monaſteriis Abbates conſtituit. *Aſſerio* duo monaſteria in Saxonia tradidit, *Amgresbyri* ſcilicet ac *Banuville*, eúmque demùm Schireburnenſi Eccleſiæ præfecit. *O fortunatum juxtà ac cordatum Principem!* exclamat hìc Joannes (e) Lelandus, *qui potuit & voluit hujusmodi ſortis hominem evangelico operi præficere! ô fortunatiorem Pontificem, cui contigit ſub tam pio Principe ſancto fungi officio!* Quid multis moror? erat elegans Epiſcopus, digniſſimus, qui elegantem Regem patronum haberet. Ecce tibi, Lector, pulchrum virtutis certamen! nam quantò magìs patronus dignitates & fortunas cumulavit, tantò magìs *Aſſerius* laborabat ejus opinioni & exſpectationi ſatisfacere. Longum hìc eſſet ſingula aperire. Illud certè apponam, quod & *Altfrido* ſummè placuit, & à noſtro non eſt alienum inſtituto. Interpretatus enim eſt librum *Boëtii de Conſolatione Philoſophiæ*, aut ut veriùs loquar, lucidis comentariolis illuſtravit: quo opere magnam gratiam meruit à Principe ad ſimilia animato. cùm non deſint, qui ſcribant *Altfridum* eundem Boëtii librum in Saxonicum ſermonem poſteà transtuliſſe. Ferreus ille qui-

Margin notes:

de iis inſtaurandis monetur.

Conſilio obtemperat.

lite ras diſcit.

Erga Præceptores ſuos gratiſſimus.

Phlegemundū, Grimbaldum, Johannem, Aſſerium beneficiis cumulat.

Altfridus Boëtii interpres.

(c) Mabill. Annal. tom. 3. l. 37.
(d) ibid. lib. 38. pag. 241.
(e) cap. 115.

quidem atqoe adeò vitâ indignus, qui hanc amicitiam in tam claro heroe undecunque ſanctiſſimam non laudet, non extollat, non ex animo amet? Sed unde obſecro profecta eſt? Certè à re nulla alia, quàm ab ipſo doctrinæ fonte, qui in Principe uberrimè ſcaturiebat. Næ ille igitur rectè ſapiebat, qui ſcripſit: *Felicem rempublicam fore, ubi Princeps doctus eſſet, aut doctrinæ ſolidè faveret.* Neque hoc interim omittendum, quòd *Aſſerius* patroni ſui memoriam, famam, gloriam modis omnibus cùm longiſſimam tum clariſſimam efficere ſtudens, ejus vitam, atque adeò facta illuſtria omnia libro Annalium victuro pro rei majeſtate tanquam rarus Apelles depinxerit, ac demùm tabulas vel medio foro ſpectandas produxerit. Felicem Mæcenatem, qui gratum usque adeò habuit clientem.

Felix reſpub. ubi Princeps doctus.

Singulari etiam, ſi non majori affectu literas literatóſque proſecutus eſt *Guillielmus Conquæſtor*, Anglorum Rex, & Normannorum Dux, qui licèt à tenera ætate in bellis enutritus fuiſſet, non in literis verſatus, literatorum tamen præcipuam curam habnit, eorúmque quàm plurimos ad dignitates eccleſiaſticas, cùm potuit, promovit: ſic enim ille apud Authorem, qui ejus morti interfuit, ut refert Baronius, ad Sacerdotes, qui tum aderant: *Theſauros meos jubeo dari Eccleſiæ & pauperibus, ut quæ congeſta ſunt ex facinoribus, diſpergantur in Sanctis Sanctorum uſibus. Debetis enim recolere, quàm dulciter vos amavi, & quàm fortiter contra omnes æmulos defenſavi Eccleſiam Dei, Matrem ſcilicet meam nunquam violavi, ſed ubique, ut ratio exegit, deſideranter honoravi. Eccleſiaſticas dignitates non venumdedi. Simoniam deteſtatus ſemper refutavi. In electione perſonarum vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam inveſtigavi, & quantum in me fuit, omnium digniſſimo eccleſiæ regimen commendavi. Hoc nimirùm probari poteſt veraciter in* LANFRANCO, *Cantuarienſium Archipræſule, hoc in* ANSELMO, *Beccenſium Abbate, hoc in* GILBERTO *Fontanellenſi, &* DURANDO *Troarnienſi*, Monachis Benedictinis, *& in aliis multis Regni mei Doctoribus, quorum celebris laus perſonat in ultimis, ut credo, terræ finibus. Tales ſocios ad colloquium elegi, in horum contubernio veritatem & ſapientiam, ideóque ſemper gaudens optabam eorum conſiliis perfrui.*

Guillelmus Angliæ Rex literarum ac literatorum Mæcenas.

Lanfrancum & alios ad dignitates evehit.

Reverà tanti Principis, tantíque Regis erga literatos amor ita ſtudioſorum animos accendit ad ſtudia literarum, ut nullo unquam tempore tot reperiantur Normanni in eas incubuiſſe, quàm ætate Guillelmi. Præter cæteros enim, quos fama obſcura recondit, floruerunt è noſtris (f) *Lanfrancus, Anſelmus, Paulus* Lanfranci Conſanguineus, Abbas Cadomenſis, deinde San-Albanenſis, *Guitmundus* S. Leufredi Monachus, deinde Epiſcopus Averſanus, & Cardinalis *Goisbertus* Medicus Carnotenſis, & Monachus Uticenſis, & plures alii, qoos paſſim commemorat Ordericus Vitalis.

Sub tanto Mæcenate non deerant Marones.

Magno etiam in pretio ac amore Benedictinos habuit literatos *Henricus I.* Rex Angliæ. (g) Chariſſimus ei erat *Franco* Affligemienſis in Brabantia Abbas, qui duodecim libros de gratia Dei, illuſtre opus, compoſuit. Quo tempore (anno 1123.) in Angliam trajecit, magno non tantùm in honore habitus, ſed multis etiam muneribus ab *Henrico* Rege, alíiſque regni Principibus cumulatus fuit; cujus beneficii memor eidem Regi ſtatuam ad portam monaſterii, quæ Regis dicitur, erigi curavit.

Henricus I. Angliæ Rex in Franconem munificus.

Guillielmo autem, *Henrico* & *Ælfredo*, Sereniſſimis Regibus, alii illuſtriſſimi Angliæ Duces, de re literaria Benedictina, quàm optimè etiam meriti hîc commodùm adjungi poſſunt; ita tamen, ut quæ de *Ethelwulfo*, ſeu *Adulpho*, Angliæ pariter Rege, memoriæ occurrunt, paucis præmittam. *Egberto* Regi Angliæ duo erant filii. Majoris natu hæreditati cùm pater proſpexiſſet, intenſiùs diſquirebat, cui filium juniorem *Ethelwolphum* in literis accuratè erudiendum committeret. diſquirenti *Suithunus* monachus, celebri ſamâ cognitus, functione vel digoiſſimus judicatus eſt. Guillelmus Malmesburienſis in Egberto hujus facti ſic meminit de *Suithuno* loquens: „Quocirca eum eatenus excoluit, ut & multa negotiorum „ ejus conſilio tranſigeret, & filium „ *Adulphum* ejus magiſterio locaret; „ quo pacto futuræ prælusit felicitati adoleſcentis fortuna, ut à ſuo „ ſanctiſſimo Pædagogo addiſceret, „ qualiter non rudis olim ad gubernandam rempublicam procederet.„ Puer Ventam Sincenorum (*Wincheſter*) imperio patris deductus ſpecimen

Egbertus Angliæ Rex ſuos filios Benedictinis erudiendos tradit.

(f) Bulæus in Hiſt. Univerſ. Pariſ. Tom. 1. pag. 479.
(g) Annal. Ben. tom. VI. pag. 104.

men conſpicuum de ſe exhibuit, & literas tanquam ex torrente vivo, ore pleno exhauſit; & regno patris nec exſpectato, nec optato ſubinde potitus fuit. Etſi enim ſacris initiatus ſe Subdiaconum æterno Deo conſecrâſſet, ab obitu tamen patris & fratris conſenſu publico in Regem electus fuit. Guillelmus Malmesburienſis electioni huic ſic applaudit: „Eſt „ enim Platonis vetus & laudata ſententia, *tunc fore beatam rempublicam, ſi vel Philoſophi regnarent, vel Reges philoſopharentur.* Veritas „ dicti prodiit in effectum, per iſtum „ *Atulphum*, cùm patre defuncto, „ quia alter legitimus hæres non extaret, ex gradu Subdiaconi Wintonienſis in Regem translatus eſt, „ concedente Leone, illius nominis „ tertio Pontifice Romano. „ Hæc ille. *Ethelwolphus* verò, ſeu *Adulfus*, informationis non immemor, *Suithuno* Præceptori, cùm Helonſtanus Wintonienſis Epiſcopus diem obiiſſet, epiſcopalem dignitatem adjudicavit. Tantæ gratitudinis ac beneficentiæ erat regius hic diſcipulus. Nunc à Regibus ad Duces.

Angliæ Duces rei literariæ Benedictinæ Fautores.

Primus eſt *Hunfridus* (h) Dux Gloceſtriæ, cujus laudes celebrant Petrus de Monte, Protonotarius Apoſtolicus, & Lelandus Anglus. Prior in Præfatione Operis, *de Vitiorum inter ſe differentia & comparatione*, quod *Hunfrido* inſcripſit, quem eximiis virtutibus, præſertim artium, liberaliúmque ſcientiarum peritiâ ornatum fuiſſe teſtatur, affirmans inter cætera, Principem illum eo conatu, eo ingenio, ac ſtudio literis incumbere aſſuetum, ut nihil illi ſine librorum lectione jucundum, nihil gratum videretur. Diſertioribus adhuc verbis is ipſe Protonotarius *Hunfridi* Principis erga literas amorem collaudat in Epiſtola ad Ambroſium Florentinum, Præpoſitum Generalem conſcripta, tradens ſe, quas ab ipſo Ambroſio Londini, ubi Romanæ Curiæ negotia gerebat, acceperat, literas legendas præbuiſſe *Hunfrido, qui* (inquit) *hac ſingulari laude & gloria cæteros noſtræ ætatis Principes antecellit, qui tantam literarum ſtudiis curam, diligentiámque adhibuit, adhibétque quotidie, ut de omni diſciplinarum genere (ſi quid in me eſt ingenii, ſi quid judicii) doctè, diſertè, copioſè, ac memoriter loqui, ac diſputare poſſe mihi videatur.* Hæc de *Hunfrido* Petrus de Monte. Lelandus verò *nobilitatis omnis & eruditionis phœnicem ſuo tempore unicum* vocat. Solebat hic Princeps eò non rarò divertere, ubi viros inſigni præditos doctrinâ commorari ſciebat. Quâ laude cùm Monachi S. Albani celebres haberentur, frequens apud illos erat, ſuáque ſponte currentes ſtimulis quibusdam virtutis ac doctrinæ ad incrementa excitabat magna. Volupe eſt illis quidem tam benè erga politas artes adfectis, hujusmodi calcar perpeti. Sic inter Hunfridum & S. Albani monachos inſignis orta eſt amicitia & familiaritas. Præcipuè *Hunfridus* Abbatem *Johannem Wethamſtedum*, vulgò *Frumentarium*, reconditis ornatum literis, in deliciis ac amoribus habuit. In ejus gratiam cœnobii Bibliothecam, coemtis variis, iísque ſelectiſſimis libris liberaliter auxit & ornavit. Abbas verò ut publico monumento gratitudinem erga Patronum teſtaretur, librum de *Viris Illuſtribus*, à ſe elaboratâ quâdam concinnatum diligentiâ, ejus nomini ac honoribus inſcripſit. A Duce verò, qui apud S. Albanum ſepultus fuit, veſtimentorum ſyntheſin, pretii ter mille marcarum, & Pembrokii dominium obtinuit.

Hunfridi Gloceſtriæ Ducis cura de ſtudiis.

S. Albani cœnobitas ad ea ſtimulat.

Johannem Frumentarium præ cæteris in deliciis habuit.

Alter Mæcenas erat Eduardus Stafford Buckingamiæ Dux, qui Collegium Cantabrigienſe pro Monachis ſtudioſis ſplendidiùs ædificavit. Unde vocatum eſt aliquanto tempore Buckingamicum, donec ipſo Duce, juſſu Regis Henrici VIII. ſecuri percuſſo deſiit illa appellatio. Manſit tamen in Monachorum poſſeſſione, donec ab eodem Rege omnia Monaſteria Religioſorum fuêre ſuppreſſa.

Eduardus Stafford Collegii Cantabrigienſis reſtaurator.

Feliciora habuit fata ſub Rege Eduardo *Joannes Gifford*, Baro de *Brimfeld*, illuſtriſſimæ inter Anglos proſapiæ, qui Oxonienſe Collegium pro Alumnis Benedictinis fundavit. Idem ipſis fuit,

Joannes Gifford fundat Collegium Oxonienſe.

Quod Flacco, Varióque fuit, ſumóq; Maroni,
Mæcenas atavis Regibus ortus eques.

Cùm enim *Benedictus Papa XII.* urgeret, ut Monachi literarum ſtudia, quæ plerisque in Monaſteriis magno diſciplinæ regularis detrimento remiſſiùs colebantur, novo animi ardore reſumerent, Congregationis Anglicanæ Præſidentes ſapienti conſilio ſtatuerunt, duo inſignia totius Communitatis, ſeu Congregationis Collegia excitare,

(h) vid. Em. Card. Quirini Epiſt. Dec. 1. n. 10. p. 7. & Leland c. 530. p. 437.

citare, ad quæ omnia Monaſteria monachos ſtudiorum causâ mittere tenerentur. Alterum Oxonii, alterum Cantabrigiæ excitandum erat. Quæ res cùm ad aures illuſtriſſimi Giffordi perveniſſet, viſus eſt ſibi rem etiam Deo pergratam ſacturus, ſibi quò Collegium Oxonii citiùs conſtrueretur, illud de bonis ſuis fundaret. Cujus ſundationis acta habemus ſequentia. (i)

Tabulæ fundationis.

Charta Joannis Gifford de Brimesfeld Fundatoris Collegii, ſive Aulæ Gloceſtrienſis.

„ Sciant præſentes & futuri, quòd
„ ego *Joannes Gifford*, Dominus de
„ *Brimesfeld*, pro ſalute animæ meæ,
„ & animarum Mathildæ Longeſpeæ
„ quondam conſortis meæ, & ante-
„ ceſſorum, & hæredum meorum,
„ dedi, conceſſi, & hac præſenti char-
„ ta mea firmavi, Deo, & Beatæ Ma-
„ riæ, & eccleſiæ Beatorum Joannis
„ Apoſtoli & Evangeliſtæ, & Bene-
„ dicti Abbatis & Confeſſoris Oxonii,
„ & Ptiori & Comunitati Monacho-
„ rum ejusdem Ordinis, provinciæ
„ Cantuariæ, ibidem causâ ſtudii
„ transmiſſorum ſeu transmittendo-
„ rum ſub ſorma debito modo provi-
„ sâ, & ſtatutâ per Generale Capitu-
„ lum Ordinis, & Provinciæ prædi-
„ ctæ, omnes terras, & tenementa
„ cum ſingulis ſuis pertinentiis, quæ
„ habui in vico de Stockwellſtrete in
„ ſuburbio Oxonii; videlicet omnes
„ terras, & tenementa, quæ habui
„ ex dono & *Feoffamento* (k) ſratris
„ Willielmi de Havvil, tunc Ptio-
„ ris ſanctæ domûs Hoſpitalis ſancti
„ Joannis Jeruſalem in Anglia, &
„ aſſenſu & voluntate omnium Frat-
„ rum totius Capituli ſui, & om-
„ nes terras, & tenementa, quæ
„ habni ex dono & Feoffamento Jo-
„ annis de Hangenport burgeſii Oxo-
„ nienſis, & totum illud tenementum,
„ quod habni ex dono & Feoffa-
„ mento Joannis Warſon & Ydoneæ
„ uxoris ſuæ; & totum illud tenemen-
„ tum, quod habui ex dono & Fe-
„ offamento Stephani de Cove, &
„ Aliciæ uxoris ſuæ: ad fundationem
„ & intentionem perpetuæ ſuſtenta-
„ tionis Prioratûs & communitatis
„ Ordinis prædicti ibidem in liberam,
„ puram, & perpetuam eleemoſy-
„ nam, & quietam, habenda & te-
„ nenda prædictis Priori & Conven-
„ tui, & ſucceſſoribus ſuis, & com-
„ munitati prædictæ, de me, & hæ-
„ redibus meis liberè, quietè, ab om-
„ ni ſervitio, exactione, & ſeculari
„ demanda in perpetuum: & ego præ-
„ dictus Joannes & hæredes mei præ-
„ dictis Priori & Conventui, & ſuc-
„ ceſſoribus ſuis, & communitati præ-
„ dictæ, omnes prædictas terras, &
„ tenementa cum ſingulis ſuis perti-
„ nentiis contra omnes gentes wa-
„ rantizabimus, acquietabimus, &
„ deſendemus in perpetuum, ita quod
„ prædicto Priore cedente, vel dece-
„ dente, quilibet Prior ſuccedens ele-
„ ctus per Conventũ dicti loci, mihi, &
„ hæredibus meis tanquam patrono
„ loci illius præſentetur, quem ſine
„ difficultate, dilatione, ſeu calum-
„ nia aliqua recipiemus. Et volo, &
„ concedo pro me, & hæredibus meis,
„ quod Subprior & Conventus ejus-
„ dem Prioratûs habeat & percipiat
„ liberè, à tempore vacationis, omnes
„ reditus, & proventus ad Prioratum,
„ & communitatem prædictam perti-
„ nentes, ſine aliquo impedimento
„ vel calumnia mei, vel hæredum me-
„ orum in perpetuum. In cujus rei
„ teſtimonium huic præſenti chartæ
„ ſigillum meum eſt appenſum, his
„ teſtibus, Domino Joanne Gifford
„ conſanguineo meo, Domino Ro-
„ berto filio Pagani, Domino Radul-
„ pho de Georges, Domino Roberto
„ de Stapilton militibns, & Joanne
„ Lebritt, Jacobo de Ley, Joanne de
„ Aqua, & aliis. „

Hanc fundationem Rex Eduardos ſequenti Inſtrumento ratam eſſe juſſit. à Rege Eduardo confirmantur.

„ EDUARDUS, Dei gratiâ Rex An-
„ gliæ, Hiberniæ, & Dux Aqnita-
„ niæ, omnibus, ad quos præſentes
„ literæ pervenerint, ſalutem. Licèt
„ de communi conſilio Regni noſtri
„ providerimus, quòd non liceat vi-
„ ris Religioſis, ſen aliis, ingredi feo-
„ da alicujus, ita quòd ad mortuam
„ manum deveniant, ſine licentia no-
„ ſtra, & Capitalis Domini, de quo
„ res illa immediatè tenetur: volen-
„ tes tamen dilecto & fideli noſtro, Jo-
„ anni Gifford, gratiam ſacere ſpecia-
„ lem: dedimus ei licentiam, quan-
„ tum in nobis eſt, quòd ipſe qua-
„ tuor meſſuagia, & unum toſtum
„ cum pertinentiis in Oxonio da-
„ re poſſit, & aſſigriare dilectis no-
„ bis in Chriſto Priori, & Conven-
„ tui Ordinis S. Benedicti Oxonii,
„ ha-

(i) Apud Clem. Reynerum in Apoſt. Bened. Append. 2da Part. num. 45. pag. 55.
(k) Feoffamentum eſt colonia, villa ſeu prædium beneficiarium, aut ruſticum.

„habendum, & tenendum eisdem Pri-„ori & Conventui, & ſucceſſoribus „ ſuis in perpetuum, & eisdem Priori & „ Conventui, quod meſſuagia & toſta „prædicta ab eodem Joanne recipere „ poſſint, ſimiliter licentiam conceſſi-„mus ſpecialem. Nolentes, quod „ idem Joannes, vel bæredes ſui, aut „prædicti Prior & Conventus, & ſuc-„ceſſores ſui, ratione ſtatuti prædi-„cti per nos vel hæredes noſtros inde „occaſionentur, vel graventur in ali-„quo. Salvis tamen Capitalibus Do-„minis Feodi illius ſervitiis inde de-„bitis & conſuetis. In cujus rei te-„ſtimonium has literas noſtras fieri fe-„cimus patentes, teſte me ipſo apud „longam Jethenton 12. die Martii „anno Regni noſtri decimo.

Mediceæ Gentis in literas & literatos beneficentia.

MEDICEÆ *Gentis* eximiam liberalitatem, ſummúmque in literas amorem, nec minorem in literatos beneficentiam fuiſſe, nemo eruditorum ignorat. Quanta verò quámque ſingulari (l) *Coſmi I.* Magni Hetruriæ Ducis fuit benevolentia, favor, ac ſtudium, quo *Vincentium Borghinum*, Abbatiæ Floreotinæ alumnum ac Priorem complexus eſt? Florebat is magna doctrinæ opinione, præſertim in Romana Græcáque literatura, ac Hetruſcis Muſis, cui rara prudentia ac mirabilis in rebus agendis induſtria ornamenti plurimum afferebant. Quæ cauſa fuit, quòd Coſmus I. celeberrimæ Academiæ Graphicæ vice ſui Vincentium præpoſuerit, ſuúmque *Locumtenentem* declaraverit; *Franciſcus* verò primus Coſmi filius & ſncceſſor *Hoſpitalarium* magnæ Domûs Innocentium (quod munus Florentiæ præcipuum eſt ac perhonorificum) eum conſtituerit, ac brevì pòſt Archiepiſcopatum Piſanum eidem obtulerit, quem ille tamen pro ea, quâ præditus erat, humilitate invictâ conſtantiâ recuſavit.

Ludovicus XIV. Galliæ Rex rei literariæ Benedictinæ ſummus Mæcenas.

Sed hæc veterum quodammodò Principum, Ducum, ac Regum; illud recentius de LUDOVICO XIV. Galliarum Rege, qui naſcentia in Congregatione S. Mauri ſtudia ſingulari favore excepit, florentia ſovit, & jam mirificè propagata communivit. An non regia dignatio erat, quod è tot támque doctiſſimis Regni ſui viris Benedictinos potiſſimùm delegerit, qui ejus ſumptibus atque auſpiciis cùm Germaniam, tum Italiam peragrarent, quò comparatis manuſcriptis codicibus Regiam Bibliothecam augerent, & ditarent? An non regia dignatio erat, qnòd in publicum ſummæ eruditionis ac doctrinæ teſtimonium complures eorum regiæ Inſcriptionum Academiæ adlegerit, alios verò ad dignitates eccleſiaſticas provexerit? è quibus unum nominare liceat (m) *Franciſcum Placidum de Baudry de Piancourt*, Crucis S. Leufredi ab adoleſcentia monachum, & deinde Abbatem, quem ob virtutum ac doctrinæ ſplendorem (erat enim Doctor Theologus Facultatis Pariſienſis) & alias eximias dotes Epiſcopum Mimatenſem nominavit? An non regia dignatio erat, quòd novam Operum S. Auguſtini editionem, opus viginti annorum, contra adverſarios ac æmulos non paucos auguſtiſſimo ſno nomine illuſtrari ac patrocinio regio muniri permiſerit? An non regia dignatio erat, quòd ſumptus atque impenſas ſuppeditârit, quò Numiſmata, quæ *Anſelmus Bandurius* ex ejus deprompta regio nummopbylacio illuſtranda ſuſcepit, æri incidi poſſent? Quid? quòd hunc ipſum *Bandurium* in regia Inſcriptionum & bonarum literarum Academia titulo Socii honorarii condecorari juſſerit. An non regia dignatio erat, quòd (n) *Eugenium Gamurinum*, qui tomnm quartum Operum ſuorum ei dicaverat, Conſiliarii ac Eleemoſynarii titulis decoraverit, aureâ torque cum aureâ itidem ſui imagine donaverit, regiíſque negotiis obeundis Genuæ aliquamdiu Agentis titulo deputaverit? An non regia dignatio erat, quòd *Victorium Syrum* (o), nobilis præſtantíſque Scriptoris famâ inclytum, ex Italia in Gallias evocaverit, Reginm ſuum Hiſtoriographum, ab Eleemoſynis, & à Conſiliis Statûs elegerit, inſignis quoque, ac piognis Abbatiæ ex regia munificentia auxerit reditibus? An non regia dignatio erat, quòd *Joannem Baptiſtam Ferretum* (p), qui *Muſas Lapidarias*, celebre antiquarium opus, ei nuncupaverat, haud exiguâ pecuniæ ſumma donatum ſuúmque hiſtoriographnm renuntiatum ex eâdem Italia in Gallias invitaverit? Quibus rebus fiebat, ut Gallia univerſa facilè intelligeret, &

Editioñ operum S. Auguſtini tuetur.

Banduriũ honoribꝰ & beneficiis ornat.

item Gamurinũ,

Victoriũ Syrum,

Joannem Bapt. Ferretum.

(l) Armell. part. 2. Lit. V. pag. 17.
(m) Gall. Chr. tom. 1. pag. 110.
(n) Armell. Bibl. Caſin. Congr. part. 1. p. 158.
(o) loc. cit. part. 2. pag. 215.
(p) l. c. p. 23.

quid de Benedictinorum ſtudiis Rex *Ludovicus* judicaret, & quid aliis præſcriberet.

Exemplum Regis ſequuntur

Unde illuſtriſſimus vir *D. Joannes Baptiſta Colbert*, generalis ærarii moderator, ſummúsque tegiorum ædificiorum Præfectus, pro amore ſuo ac ſtudio in bonas artes & ſcientias, quas ad regni decus & ornamentum modis omnibus promovere ſatagebat, viros eruditos è Congregatiune ſancti Mauri eximiis ornavit beneficiis. *Mabillonium* (q) præprimis inter Sodales facilè præcipuum tenentem locum, ſibíque jam dudum & virtute ſuâ, & eruditione notiſſimum, inter beneficiarios Regis deſcribi curavit, conſtitutáque ei ex ærario regio annuâ penſione miſit, qui ſchedulam deſerret. Sed qui repulſam ferre, in iis præſertim rebus, non ſolebat, miratus eſt, regiæ munificentiæ dona à *Mabillonio* recuſari. Ubi enim ſchedulam vidit humillimus, & religioſæ paupertatis amantiſſimus monachus, ſtatim abnuit, nec ullâ ratione flecti potuit, ut acciperet. Id unum reſponſi ab eo elici potuit, ſe illuſtriſſimo Mæcenati pro liberalitate ac beneficentia, quam maximam poſſet, habere gratiam: cæterùm ſe nullius rei indigere, utpote cui neceſſaria omnia, pro ſtatu ac conditione, affatim è monaſterio, & Congregatione ſuppeditarentur; ſe id unum ab illuſtriſſimo viro efflagitare, ut Congregationi ſuæ, quæ literas literatósque pro modulo colit, ſavere pergat; quod ſi obtineat, ſe opiparè muneratum ac perbeatum exiſtimare. Sic fuit viri piiſſimi animus, quamdiu vixit: nec ſemel alias ejusmodi penſiones ſibi ab amicis oblatas acceptuum ſe conſtanter negavit, ſtudio paupertatis utique, monaſticarúmque legum, quibus nihil potiùs unquam habuit.

Illuſtriſſ. Colbertus,

Mauritius le Tellier Archiep. Remenſis,

Ab obitu Colberti Illuſtriſſimus *Carolus Mauritius le Tellier*, Archiepiſcopus Remorum, nullam omnino rem, quæ ad literarum ſtudia in doctiſſima Congregatione S. Mauri ſovenda ſpectatet, ſibi prætermittendam exiſtimavit. Hinc illi *Mabillonius* Annales Benedictinos inſcripſit, quemadmodum Colberto Librum *de Re Diplomatica* dedicaverat, quò pro tot, támque eximiis collatis beneficiis nomine totius ſuæ Congregationis debitas referret grates. Non faventem minùs ſuis ſuotúmque ſodalium ſtudiis habuit Illuſtriſſimum Comitem *de Pontchartrain*. Cùm enim anno MDCCI. regiam Inſcriptionum Academiam novo Sociorum delectorum ſupplemento augeri, noviſque ſtatutis inſotmari Rex Chriſtianiſſimus juſſiſſet, in ſpectatiſſimorum hominum cœtum merito & eruditione ſuâ adſcitus eſt Mabillonius, literáſque eâ de re ad illum ſcribere dignatus eſt præſatus excellentiſſimus Comes. Delatum honorem tantum reſugit vir modeſtiſſimus, quantum alii ambiunt, accepit tandem à Clariſſimo Abbate *Bignonio*, majoribúſque ſuis juſſus. Tam inclyti nominis ſocio auctam ſe gloriata eſt Academia, quantíque eum ſaceret, publicis argumentis occaſio ſe tulit, demonſtravit. Cui quidem exiſtimationi pro virili ſuâ parte reſpondere conatus eſt gratiſſimus *Mabillonius*, Academiam, quantum per occupationes licebat, frequentando, eámque novarum lucubrationum lectione interdum recreando.

Comes de Pontchartrain,

Mabillonius rei literariæ promovendæ ſtudioſus.

Illud de *Mabillonio* non poſtremo etiam rei literariæ Mæcenate, attexere hic viſum eſt, quòd non minùs ipſe doctiſſimus, quàm doctrinæ apud alios, non Ordinis noſtri tantùm, ſed exteros etiam promovendæ mirè fuerit ſtudioſus. Præcipuè verò ut juvenes rectè inſtituerentur, curæ habebat. Unde non ſine ingenti animi lætitia, relictis interdum ſeriis etiam ſtudiis, iis ultrò aderat juvenum exercitationibus, annis abhinc aliquot in multis Pariſienſis Univerſitatis Gymnaſiis inſtitutis, in quibus non ſine ſpectantium admiratione audiuntur Juvenes, qui de rebus etiam gravioribus ſenili planè judicio edifferunt, elucidántque mirum in modum propoſitas ſibi difficultates. Tum verò mirificè capiebatur Mabillonius, cùm eosdem de Hiſtoria, ſelectíſque SS. PP. Operibus diſputantes audiebat; ratus nimirum fructus inde uberrimos collecturam aliquando Rempublicam. Quamobrem nullo non ſtudio contendebat, quò ſimiles in aliis Regni provinciis inſtituerentur exercitationes: adeò Reipublicæ bono (*cui promovendo plurimùm confert accurata Juvenum inſtitutio*) potiſſimùm intentus erat. *Nec parùm* (r) *ſanè Pariſienſis juventus ad optima & præſtantiſſima quæque* tan-

(q) Ruinart. in vit. Mabill. p. mihi 62.
(r) Ruinart. in vit. n. 43.

tanti viri præſentiâ & applauſû concitata fuit.

Superiores Congreg. S. Mauri ſuorum ſtudia promovent.

Quia verò *Mabillonius* animo ita erat comparatus, ut quæ beneficia literaria in univerſam S. Mauri Congregationem ab aliis collata fuerunt, ſibi ſoli facta eſſe autumaret, id genus Mæcenates debitâ laude necquidqnam fruſtravit. Duos verò præ aliis Congregationis San-Maurianæ Præpoſitos Generales encomiis cumulat, *Bernardum Audebertum*, & *Vincentium Marſollum.* Illum quidem quòd *Acherii Spicilegium*, aliáque Opera foverit; quòd Operum Melliflui Doctoris emendatiorem editionem ſingulari ſtudio promoverit; quòd Auguſtini novæ editionis conſilium adortus ſit; quòd denique nihil non tentârit, ad excitanda in ſubditorum ſuorum animis ſacra literarum ſtudia, & ipſum (Mabillonium) ad hanc ſtudiorum partem adaptarit. Hunc verò dilaudat, quòd magna ipſi cura fuerit de inſtitnendis Bibliothecis, quòd lectiſſimos ſtudiorum ſocios, *Michaëlem Germanum*, *Joannem Jeſſenetum*, *Theodoricum Ruinartum*, alióſque ipſi adjunxerit, quòd occaſionem conficiendi varias literarias peregrinationes ſuppeditârit; conſilium de concinnandis Patrum editionibus Ambroſii, Hieronymi, aliorúmque inierit. Quibus duobus Præpoſitis Generalibus à *Mabillonio* dilandatis, duos ego alios libenter adjicerem, *Carolum Petey de l' Hoſtallerie*, & *Dionyſium de Sainte Marthe*, quorum zelo in promovendis in Congregatione S. Mauri ſacrarum literarum ſtudiis nihil prorſus potuit adjici. At enim quæ poſtea dicenda ſunt, hîc antevertere non juvat.

Eccleſiæ Præſules rem literariam fovent Benedictinam,

Si jam poſt Reges ac Imperatores, Eccleſiæ Antiſtitum atque Epiſcoporum propenſam voluntatem in rem literariam Benedictinam multis deprædicare velim, non exiguum mihi dicendi campum aperiri video, ſed in aliquorum benevolentia multorum ſtudium adumbrâſſe ſufficiat.

Acca Haguſtadenſis,

Eddius, cognomento *Stephanus*, monachus Cantuarienſis, cùm eſſet terſè, nitidè, eleganter eruditus, eo nomine chariſſimus fuit *Accæ*, Haguſtaldenſi Epiſcopo, & *Tathberto* Abbati. *Folcbardum* Cantuarienſem etiam

Aldredus,

monachum, doctrinâ eximium *Aldredus* Eboracenſium Archiepiſcopus tam ſingulari amore proſequutus eſt, ut erga illum omnibus candidi Mæcenatis officiis uſus ſit. *Alcuini* ſingularis ſautor ac Mæcenas erat *Egbertus*, Archiepiſcopus etiam Eboracenſis, de quo ut nihil dicam, vel jam aliô locô dicta non ad faſtidium repetam,

& Egbertus Eborac.

Anſelmus Cantuar.

D. Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum inter Mæcenates referre non dubito, eâ cauſâ, quòd magiſtrum, qui Religioſos juvenes Benedictinos rerum præclariſſimarum ſcientiâ informabat, beneficiis ornare ſtatuerit. In epiſtola (s) namque ad Anſelmum nepotem hæc attexuit: „Saluta magiſtrum tuum ex noſtra „parte amicabiliter: Cui (ſi Deus „mihi opportunitatem dederit) & „pro te, & pro aliis fratribus, quos „docet, & pro ſuis moribus bonis, „verè deſidero prodeſſe. Interim ta„men poſui ſuper Domnum Prio„rem, & multùm rogavi illum, qua„tenus illi ita bene ſaciat, nt ei ſe „conjunxiſſe vobis non diſpliceat.„ Intellexit nempe ſapientiſſimus Archipræſul, ſcholarum magiſtros beneficiis eſſe cumulandos, ne ab indefeſſo inſtructionis ardore, uti fieri amat, magno cum ſtudioſæ juventutis detrimento vel omnino abjungant, vel certè quidem multùm remittant.

Aldricus Senonum Archiep.

Lupus, Abbas Ferrarienſis, cùm à teneris admirandam diſcendi ſitim expertus eſſet, eam tamen ob præceptorum inopiam, & collapſa majorum ſtudia vix expleret, denique *S. Aldricum* (t) Senonum Archiepiſcopum, Mæcenatem, & Patronum nactus eſt, qui eum Fuldam tanquam ad humanarum divinarúmque literarum nobile emporium ſuo ſumtu miſit.

Petrus Damiani Oſtienſis Epiſcop.

PETRUS DAMIANI à Cæſare Egaſſio Bulæo inter rei literariæ (*quidni etiam Benedictinæ Familiæ, cujus erat alumnus*) Mæcenates numeratur. Anno 1072. inquit, obiit inſignis ille tum multiplici literarum cognitione, tum moribus clarus, & tot legationibus in Franciam ad Henricum & Philippum perfunctus, tot deniqne Pontificibus, & Regibus, & viris doctis charus Petrus Damiani Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis, *Literatorum ſui ſeculi Patronus & præſidium ac decus.*

Hugo Herbipolenſis.

HUGONIS, Epiſcopi Herbipolenſis, velut rei literariæ Benedictinæ non infimi Mæcenatis, honorificè meminit

Joan-

(s) Extat Spicil. Acher. Tom. IX. vet. edit. nov. iii. p. 435.
(t) Brovver. Fuld. Antiq. lib. 1. c. 10. p. 38.

Joannes Trithemius in Hirſaugiæ Annalibus. Cùm enim ſub finem ſeculi X. Eccleſiæ Herbipolenſis clavum teneret, vírque eſſet multæ ſapientiæ & doctrinæ, monaſterium S. Burckardi, primi Præſulis Wirzburgenſis, ab ipſo in ſuburbano conſtructum non magnificè tantùm reformavit, ſed ſcholas etiam monachorum inſtituit, quibus Arnoldum, Cœnobii Hirſaugienſis monachum doctiſſimum præfecit; ubi is docendo & ſcribendo non minorem eruditionis gloriam ſibi acquiſivit, quàm ſcholæ, cui præfectus erat, comparavit.

Richardus Epiſc. Dunelmenſis.

RICARDUS ANGARVILLUS (inquit Joannes Pitſeus) natione Anglus, patriâ Suffolcienſis, civitate S. Edmundi Burienſis, unde & de Bury cognominari ſolet, ex Monacho Dunelmenſi Ordinis S. Benedicti factus eſt primùm Regis Eduardi III. Cancellarius, deinde anno Domini 1333. Epiſcopus Dunelmenſis. Vir qui cùm multâ pietate conjunctam habuit ſingularem doctrinam. Videtur fuiſſe ſacræ Theologiæ Doctor Oxonienſis. Nam ibi, teſte Joanne Roſſo Warwicenſi, annis multis ſtuduit, & ad ſummam tum in ſacris, tum in profanis literis pervenit cognitionem. Inter fautores bonarum artium & literatorum hominum ætate ſuâ primas obtinuit. Pleriſque doctis per illa tempora cognitus, & dilectus, in quibus etiam non pauci munificentiam ejus & magnas largitiones ſunt experti: Mira induſtria, & ingentibus expenſis in Univerſitate Oxonienſi gratus alumnus erexit Bibliothecam, & in publicam ſtudioſorum utilitatem ſelectiſſimis quibusque libris copioſè inſtruxit. De cujus Bibliothecæ inſtitutione, & miro, quem habuit, librorum amore ſcripſit opus egregium, quod in ſuo ſeceſſu Auclaudenſi ad finem perduxit die 24. Jan. anno ſalutis humanæ 1344. ætatis ſuæ 58. Præſulatûs undecimo, ex quo tempore *Philobiblos* cognominari cœpit; nam opus ipſum inſcripſit Philobiblon, ſeu de amore librorum. Hæc D. Pitſeus. *Cujus libri exemplar*, inquit Clemens Reinerius (u), *habemus in noſtra Bibliotheca*. De hujus *Richardi* patrocinio literatis viris præſtito, *Balæus* fatetur, omnium fautorem fuiſſe literatorũ maximum, non ſecus atque olim ſub Auguſto Cæſare Mæcenas ille Hetruſcus fuit; Addítque autor catalogi Epiſcoporum Angliæ in ſcripto Anglico, in quibus ſe modeſtiorem longè virtutíſque amantiorem, quàm in Latino præſtitit, ſemper domi ſuæ magnum numerum habuiſſe Sacellanorum, qui omnes fuêre doctrinâ inſignes, inter quos recenſet *Thomam Bradwandinum*, poſteà Archiepiſcopum Cantuarienſem (à monachis noſtris ad eam dignitatem bis poſtulatum & electum) *Richardum Rudolphi*, deinceps Archiepiſcopum Armacanum, *Gualterum Burlæum* vocatum in ſcholis Doctorem planum, ſeu facilem, *Robertum Holcot*, R. *Killingtton*, ſacræ Theologiæ Doctores, *Richardum Wenthworth*, poſteà Londinenſem Epiſcopum, & *Gualterum Segrave*, poſteà Epiſcopum Ciceſtrenſem. Morem illi fuiſſe ſcribit idem Auctor, ſemper in prandio aliquem librum electum à Sacellano diſtinctè legi facere, & magnam partem ſequentis diei (niſi negotia gravia interturbarent) cum ſuis Sacellanis de argumento, quod legebatur, collationem inſtituere. - - - De erectione autem Bibliothecæ Oxonienſis docet idem autor, etiam quinque ſtudioſos viros ſumptibus neceſſariis dotâſſe, qui curam Bibliothecæ diligentem haberent. Tantum librorum & eruditorum Mæcenatem Congregatio Anglicana protulit illis temporibus.

Oxonii publicam erigit Bibliothecã.

Philobiblos nominatur.

Ejus encomia.

Viros eruditos domi alere ſolebat,

& librum Menſæ prælegi curabat.

Thomas Epiſc. Dunelmenſis fundat Collegiũ octo Monachorũ Oxonii.

RICHARDI ſucceſſor fuit in Epiſcopatu Dunelmenſi THOMAS *de Hatfeild* ab an. 1345. ad an. 1381. Is Collegium pro octo Monachis Eccleſiæ ſuæ cathedralis Dunelmenſis in Univerſitate Oxonienſi fundavit: de qua fundatione *Guilielmi de Chambre* (x) verba, licèt minùs Latina, referre me non pigeat. „ Prætereà, inquit, Collegium
„ octo Monachorum de Monaſterio
„ Dunelm. & puerorum in Artibus
„ ſtudentium in loco Monachorum
„ Dunelm. Oxoniæ ſuper Candich
„ fundavit, perpetuis temporibus du-
„ raturum; & pro terris, poſſeſſioni-
„ bus, & eccleſiis pro perpetua ſu-
„ ſtentatione dictorum Monachorum
„ octo, cuilibet viz. monacho 4. l.
„ per annum, & 7. puerorum, cuilibet
„ puero per annum 5. marcas impe-
„ trandis & approximandis, & 3. pro
„ habitaculis dictorum monachorum
„ & puerorum uſibus aptis & ampli-
„ andis aſſignavit & ſolvi fecit in vi-
„ ta ſua Domino Johanni de Berring-
„ ton

(u) in Apoſtol. Benedictin.
(x) In Hiſtor. Dunelm. apud Henr. Warthon Angl. Sac. P. I. p. 770.

„ ton Monacho Dunelmenſi 500. „ marcas. „

Gerardus Abbas S. Bertini & Epiſcopus Audomarenſis erigit Collegium S.J.

GERARDUS (y) ex Abbate S. Bertini Epiſcopns Sancti Audomari, renunciatus eſt anno 1562. retentâ ſimul abbatiâ, quam prudentiſſimè jam dudum adminiſtraverat, Pontifice, ac Rege Hiſpano, Belgii domino, annuentibus. Is (Molani verbis utor) necdum in Epiſcopum poſtulatus, ac proinde ut Abbas in ſua civitate incepit in honorem ſeptuaginta duorum diſcipulorum Chriſti, pro totidem ſtudioſis fundationem erigere, ac dotare, ne unquam civitati aut territorio Audomarenſi boni & veri paſtores, ab Abbate plerisque in locis nominandi deeſſent. Ad quorum etiam inſtitutionem, & totius urbis ornatum Epiſcopus factus Collegium Societatis Jeſu ibidem & erexit, & dotavit. Lovanii alterum inſtituit, quò delecti juvenes, Theologiâ, cæterisque diſciplinis imbuendi mittuntur. Mortalitatem explevit 17. Martii an. 1577. & in eccleſia PP. Soc. Jeſu, quam ipſe fundaverat, tumulatus eſt cum hac inſcriptione: *Reverendiſſimus & piiſſimus DD. Gerardus ab Hamericourt, primus Epiſcopus Audomarenſis, idémque Abbas inclyti monaſterii S. Bertini, atque Fundator hujus Collegii & templi nominis JESU, necnon pauperum ſtudioſorum Collegii Bertiniani, ſepeliendi ſui corporis locum ſacrum piè hic ſibi elegit. Anno Domini MDLXXVII. menſe Martio. Quem ſacer Clerus & Religioſi Patres Bertiniani, atque Collegii Societatis Jeſu in hoc tumulo mæſti poſuerunt, ut optimi fundatoris devotioni ac munificentiæ ſatisfacerent, pro cujus animæ ſempiternâ quiete, Chriſtiane Lector, ora religioſè Chriſtum Dominum noſtrum.*

Quam ob rem, vel cui bono?

Sed quorſum hæc refero? nunquid ſcholas Jeſuitis erigere, rem eſt promovere literariam Benedictinam? Etiam: non enim Chriſtianæ tantùm Reipublicæ, ſed Ordinis etiam noſtri intereſt, juvenes ac adoleſcentes literis atque moribus, quod in Societatis Jeſu ſcholis fit, rectè inſtitui, ut cùm alumni in religioſum cœtum recipiendi ſunt, magna eorum ſuppetat frequentia, quò excluſis illiteratis ac immorigeris non niſi ſpectatæ virtutis ac doctrinæ recipi valeant. Certè in ſcholis, quas Gerardus Epiſcopus & Abbas Societati Jeſu adminiſtrandas tradidit, quàm multi juvenes liberalibus artibus perpoliti tum in Bertinianum, tum in alia Ordinis noſtri in Belgio monaſteria recepti fuerunt, qui ſubinde rem literariam Benedictinam eruditione & doctrinâ illuſtrârunt. Sed hoc Collegium Jeſuitis à Benedictino Præſule conſtitutum, nominâſſe ſit ſatis; noſtram nunc ſpartam excolamus.

Auguſtinus de Grimaldis Graſſenſis Epiſcopus,

AUGUSTINUS de GRIMALDIS, Graſſenſis in Gallia Epiſcopns, ut non ingenio tantùm & doctrinâ, ſed nobilitate, dignitate, atque rerum copia etiam præſtabat, ita viris Familiæ noſtræ literatis non modò prodeſſe poterat, ut multi, ſed etiam volebat, ut pauci. *Gregorius Corteſius*, Monachus adhuc Lerinenſis, poſteà verò S. R. E. Cardinalis, ejus plurima, eáque non minima in ſe, ſuóſque Sodales, Lerinenſes Monachos, collata beneficia his verbis deprædicat: (z) „ *Tu*, (ſic enim Auguſtinum Epiſcopum alloquitur) *Tu* „ *noſtri cauſa legatos ad principes Ordinis noſtri, atque ad ipſa comitia* „ *deſtinâſti*: tu magno ſumptu & labore copioſiſſimâ librorum ſupellectili undique conquiſita, univerſam uſibus noſtris expoſuiſti: Tu, ut nobis librariorum copia fieret, quô exſcribendi laborem effugeremus, rationem excogitâſti: Tu amœniſſimo in loco pulcherrimis ædibus extructis, partem in eis longè pulcherrimam atque ſaluberrimam ad uſus noſtros accommodâſti: Tu poſtremò (quod minimum fortaſſe tibi viderur) mihi autem, ex quo patriam & ſatis amplum patrimonium ſponte reliqueram, inſtar eſt maximarum divitiarum, ut commodè ſumptus mihi ſuppeditentur, habitâ imbecillitatis meæ ratione providiſti. „ Sic illuſtriſſimi hujus Antiſtitis beneficio *Corteſio*, cæteríſque Monachis Lerinenſibus, & otium & facultas in ſtudiis acquieſcendi ſuppeditabatur, quod ille meritò tanti fecit, ut partem ſibi beatæ vitæ maximam ab eo eſſe collatam in literis ad amicos ſcriptis deprædicârit.

in Lerinenſes beneficus.

Marcus Sitticus Archiep. Salisburg.

Ut eos jam Eccleſiæ Antiſtites commemorem, qui noſtrâ ac ſuperiore ætate publicas ſcholas Benedictinis commiſerunt, à MARCO SITTICO (a) ex

(y) Gall. Chr. Tom. III. pag. 764.
(z) epiſt. famil. pag. 181.
(a) Mezger Hiſt. Salisburg. Lib. v. c. xvııı. pag. 683.

ex Comitibus ab *Hochenembs*, Archiepiſcopo & Principe Salisburgenſi, exordium capiam. Cùm Celſiſſimus hic Archipræſul conſilia de ſtudio erigendo ſecum animo agitaret, à multis verò, quibus docendi ſpartam obtulerat, repulſas eſſet paſſus, illarum pertæſus, atque conſilii dubius, aliquando Virum prudentiâ & pietate inſignem, cujus colloquio ſæpiùs utebatur, è RR. PP. Capucinorum familia (*Sylverius* illi nomen) interrogat, an aliæ fores ſupereſſent, quæ ſine repulſa tentari poſſent? Hinc ille lætus de oblata occaſione comendandi Divi Benedicti ſacrum Ordinem, quem Seraphica Capucinorum familia à primis initiis cultu & amore proſequitur. Imò, inquit, Princeps Illuſtriſſime, dantur etiamnum fores, quæ ſi nunc pulſentur ultimæ, forſitan patebunt primæ. Novi ſuæ Celſitudinis proclivem erga D. Benedicti Ordinem benevolentiam. Novi quoque hujus antiquiſſimi inſtituti amplitudinem & vires. Cur hunc in præſenti negotio præterimus? ſi ſapientiæ literariæ pomum digniori tribuendum? huic detur: nam meritò primus eſt: à quo per *D. Rupertum* huic provinciæ illata fides, jacta Archidiœceſeos fundamenta, derivata usque in hunc diem ingentia ſive cœli ſive terræ bona. Ordo ampliſſimus eſt: quos vicinia modò non poteſt, viros variâ eruditione exculta dabit Suevia, dabit Helvetia, dabit Bavaria, dabit Auſtria. Novi ego monaſteria, quorum unum integro Gymnaſio erudiendo ſufficiat. Et quid, ſi plura, ſi totæ provinciæ ad miſſionem Religioſorum jam expertæ pietatis & eruditionis conſpirent?

Ex conſilio P. Sylverii Capucini;

Hiſce prudenter dictis aures præbuit Celſiſſimus Princeps, Divi Benedicti Familiæ, quam *S. Rupertus* in Urbe Salisburgi fundavit, juventutis inſtitutionem commiſit; Gymnaſium in Academiam, cùm proſperi ſucceſſus majora ſuaſiſſent, erigendum excitavit, ac pro ſex Profeſſoribus alendis, quorum cura ſit, Theologiam practicam, Dialecticam, & cæteras inferiores ſcholas docere, ter mille florenos è Camera Archiepiſcopali in ſingulos annos conſtituit. Verùm triſte ac præmaturum *Marci Sittici* fatum biennio ſubſecutum æquè timore ac mœrore Patres perculit, nec cœptum opus in herba opprimeretur. Metum abſtulit Reverendiſſimi Capituli Metropolitici, & ſubſecuti Illuſtriſſimi Principis *Paridis Lodronii* clementia: nam illud unanimi conſenſu ſtudiorum promotionem concluſit, & in Patrum ſuſtentationem 600. florenos adjecit. Huic concluſo plurimum adjumenti ſuâ authoritate contulerunt duo Reverendiſſimi Canonici, *Marquardus de Schwendi*, & *Marquardus à Freyberg*, rerum Benedictinarum, præſertim in Imperio, apprimè conſcii, qui non minùs incrementum, quàm initium ſtudii Benedictini inter primas curas habuêre.

Gymnaſium Salisburgenſe Benedictinis committit.

Accedunt duo alii Mæcenates Canonici Salisburg.

Porrò Illuſtriſſimus Princeps PARIS *ex Comitibus Lodroniis* non minùs *Marco Sittico* in benevolentiam, quàm in Archiepiſcopalem Mitram ſucceſſit. Studium namque, quod aliquot annis intra Gymnaſii anguſtias conſtiterat, in juſtæ Academiæ & Univerſitatis corpus extulit, ac Ordini S. Benedicti pleno jure in perpetuum tradidit, & contra quamcunque vim aut turbationem auxilium & opem promiſit: neque in ſuis ditionibus ſubjectis alteri, quàm Benedictino Ordini Gymnaſia vel Academias permittere pollicitus fuit. Quæ omnia pariter à Capitulo Metropolitano ratihabita, ſubſignata, & ſanctè hucusque obſervata fuerunt.

Paris Archiep. Gymnaſium in Academiam erigit.

GUIDOBALDUS, *Comes de Thun*, Archiepiſcopus & S. R. E. Cardinalis, Muſas Univerſitatis Benedictinæ ſub Purpura ſua non tantùm perennis tutelæ, ſed & benevolentiæ ſecuras eſſe juſſit. Sæpiùs literariis certaminibus, quibus ſui Nominis auſpicia lubens indulgebat, aderat, haud indignum ratus ſuæ dignitatis faſtigio, ſi illa ſua præſentiâ, quandoque etiam gratioſiſſimâ interlocutione dignaretur. Duos Univerſitatis Rectores, *Romanum Müller*, & *Alfonſum Stadlmayr*, in paucis charos, & inter intimos habuit. Ideò gratæ Muſæ Pientiſſimo Clementiſſimóque Principi, & Patri, erecto Mauſolæo, & variis Emblematibus lugubriter exornato, juſta funebria mœſtæ perſolverunt.

Guidobaldus inſtitutum provehit.

MAXIMILIANUS *Gandolfus*, *Comes de Kuenburg*, Archiepiſcopus & Cardinalis, mox in primo ſuo ad Univerſitatis Benedictinæ Collegium acceſſu clementiſſimæ munificentiæ veſtigia impreſſit. In eo ſacri Roſarii Archifraternitas magno populi concurſu frequentata carebat honorario argento, quod vel Aræ Miniſtros, vel ipſam Aram pro dignitate ornaret. Princeps Miniſtros textili argento veſtiit, aram argenteo Servatoris Crucifixi

Maximil. Gandolphus Collegii Aras cimeliis ornat.

fixi ſimulacro, ſenis ex eodem metallo candelabris, ac quaternis floritheciis exornavit. Hæc fuêre prima tum religioſiſſimæ pietatis, tum clementiſſimæ erga Benedictinam Univerſitatem benevolentiæ initia, deinceps in majora incrementa provectæ, prout ex eo im̃ortali beneficio elucet, quòd eccleſiam in Plain Conſolatrici Virgini Thavmaturgæ à ſe poſitam Collegio Benedictino Academico tradiderit. In delectu verò Sacerdotum, qui loci ſacri curam gererent, haberi rationem, cumprimis illorum, voluit, quorum extaret in tradendis literis de re communi & Academia bonum meritum.

Joannes Erneſtus Templũ Academicum erigit.

JOANNES ERNESTUS (b) ex Comitibus *de Thun*, Archipræſul, pro Collegiis Academicis Templum eduxit ſumptuoſiſſimum, Im̃aculatæ Virgini dicatum: ferunt, impenſæ modum ducenta millia ſuperâſſe: aream ædificio dedit locus, in quo Gymnaſium fuerat equeſtre per tempus æſtivum. Occaſio ſtruendi talis: Invitatus erat ab Academicis ad rem Divinam, in Auditorio Comico tum fieri ſolitam: id ille non ferens, nolite, nolite, ait, miſcere ſacra profanis. Mox operi manum adjecit, abſolvítque ſtructuram cum ara majore, quam æternæ Sapientiæ dicavit; reliquas ab eo cœptas occupavit mors: eæ ſunt quatuor: *Ara D. Thomæ Aquinati* ſacra pro Theologis, altera pro Juriſperitis *D. Ivoni*, tertia *SS. Coſmæ & Damiano* pro Medicis: poſtrema pro Philoſophis *S. Catharinæ*. Propylæum ædis ad leges architectonicæ belliſſimum eſt.

Leopoldus Archiep. & alii ſucceſſores pari certant munificentia.

LEOPOLDUS (c) ex Baronibus *de Firmian*, b. m. Archiepiſcopus, ut Academiam Salisburgenſem olim diſcipulus in paucis egregius honeſtaverat, ita deinde & gloria doctrinæ, & certaminibus literariis palàm ſuſceptis, & præſertim inſignibus gratiis & beneficiis peramplius exornavit. Haud minora ſunt decora, quibus ejus Succeſſor ANDREAS JACOBUS *Comes de Dietrichſtein* Benedictinum hocce Palladium illuſtrâſſe memoratur. Spes verò nos tenet fore, ut hodiernus Princeps & Archipræſul SIGISMUNDUS Chriſtoph. ex Comitibus *de Schrattenbach* pari bonas artes provehendi ſtudio, & animi magnitudine cum deceſſoribus certare contendat.

Abbates Univerſitatis Salisburg. Mæcenates.

Specialis etiam locus ac memoria inter Mæcenates Univerſitatis Salisburgenſis aliquibus Abbatibus (d) debetur. Ac omnium primò *Joachimo* Abbati ad S. Petrum Salisburgi, qui difficili ſuſcepto itinere pro viribus laboravit, ut à viris Benedictinis Salisburgenſes Scholæ excitarentur. Tum *Gregorio*, Præſuli Ottoburano, qui aliis Abbatibus humeros ſubducentibus, occaſionem inſtaurandæ in ſacro Ordine rei literariæ tanquam divinitùs datam, & ſi modò dimitteretur è manibus, haud facilè prehendendam, utrâque manu complexus mox è ſuo monaſterio coloniam ſex Profeſſorum ſubmiſit, & aliis in Imperio Abbatibus, ut in fœdus convenirent, author fuit. Deinde *Alfonſo* Weingartenſi, cujus indefeſſæ vigilantiæ & ſolertiæ debet Univerſitas, quòd Illuſtriſſimus Archiepiſcopus PARIS Juridicæ Facultati opulenta fundatione proſpexerit. Ipſe Academica Auditoria unà cum Convictu, ut hodie videntur, œconomicis ferè mediis & Abbatum ſubſidiis à fundamentis extruxit: exercendæ juventuti raræ artis & operis Theatrum condidit; totis viginti tribus annis, quibus Magnifici Rectoris munere functus fuit, maximoperè intentus, ut Cathedræ viris inſignibus, Facultates numeroſis diſcipulis, & Scholaſticis exercitiis, Univerſitas tota Fœderatorum Præſulum acceſſibus magìs magíſque floreret. Quô factum, ut præter Sueviæ & Bavariæ Antiſtites, quorum plerique jam à primis initiis pro conſervatione Univerſitatis in fœdus convenerant, etiam Superioris Auſtriæ Abbates anno quinquageſimo ſecundo fœderi acceſſerint. In cana demùm ſenectute domeſticâ mitrâ meritiſſimè coronatus, etiam ſub *Præſidis* titulo & dignitate ſupremam Univerſitatis curam geſſit, quin ſeptuagenario major ſeculari ſolennitati anno octogeſimo ſecundo præſens interfuit.

Joachim San. Petri.

Gregorio Ottobur.

Alfonſus Weingart.

Joannes Franc. Epiſcopus Friſingenſis.

Sed jam non id ago, ut merita Abbatum noſtrorum in rem literariam Benedictinam Lectoris oculis hîc ſubjiciam, paulò pòſt uberiùs id acturus: quô affectu alius illuſtriſſimus Eccleſiæ Præſul illam complexus fuerit, potiùs videamus. JOANNIS FRANCISCI, ex Illuſtriſſimis Baronibus Eckerianis, Epiſcopi Friſingenſis, quem Clemens

XI.

(b) R. P. Marcus Hanſizius in Archiepiſc. Salisburg. Hiſtor. pag. 553.
(c) Idem l. c. pag. 918.
(d) Mezger l. c. pag. 714.

XI. *verum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem* dicere dignatus eſt, animum gravis cura multo tempore pulſabat. Friſinga olim dicebatur, & reapſe erat *mons doctus* (e). Decurſu verò annorum eò prolapſæ fuêre Muſæ Friſingenſes, ut, ſi capacia cæteroquin adoleſcentium Friſingenſium ingenia ultra prima Latinæ linguæ rudimenta eluctari vellent, magnis ſumptibus ſolum vertere, & aliò migrare debuerint, ingenti ſanè Urbis & publicæ ac privatæ rei diſpendio. Præterea urgebant Decreta Conciliorum, ac maximè Tridentini, ut in civitatibus Epiſcopalibus inſtituerentur ſeminaria, in quibus juventus & Clerici bonis artibus ac ſcientiis imbuerentur, & ad curam animarum dextrè gerendam aptarentur. Et ſummi quidem Pontifices id ipſum apud Friſingenſes urgebant ab annis ferè centum, aut amplins: aſt ſine fructu, cùm vel temporum injuriæ, vel etiam hominum incuriæ obſtitiſſent. Ut huic malo remedium opponeret providentiſſimus Princeps, & Pontificiis mandatis morem gereret, anno 1697. aſſentiente Reverendiſſimo Cathedrali Collegio Scholas erexit. Diu verò deliberatum fuit, quibus præceptoribus Scholarum illarum cura eſſet committenda.

Scholas à ſe erectas

Erat eo tempore Friſingæ in Epiſcopali Aula *R. P. Romualdus Haimblinger*, in inclyto Monaſterio Ettalenſi Profeſſus, Ss. Theologiæ & J.U. Doctor, quem ceu virum optimè de ſe meritum Celſiſſimus Princeps inter cæteros quidem Conſiliarios Eccleſiaſticos numeraverat, reipſa verò conſiliis etiam arcanioribus ſæpiùs adhibuerat. Hic clementiſſimo Principi autor denique fuit, nt Gymnaſium Benedictinis hominibus concrederetur, ſub quorum cura etiam Saliſburgenſis Univerſitas egregiè effloreſceret. Id conſilium tantò promptius audivit Clementiſſimus Princeps, quantò certior erat, nullos præceptores congruentiùs evocari poſſe, niſi ex Divi Benedicti Ordine: cui Ordini etiam ipſa Epiſcopatus primordia in acceptis eſſent ferenda. Celſiſſimi mentem poſtea approbante Cathedrali Collegio, unanimi conſensû decretum eſt, ut hac vice tres è Monaſteriis Benedictinis Patres evocarentur, qui recens ſuſcitatis Scholis præeſſent, exemplo minimè inaudito, cùm eruditi omnes perſpectiſſimum ſibi habeant, Benedictinorum hominum operâ primas per Europam Academias Chriſtianas conſurrexiſſe, & ab iis gubernatas fuiſſe.

Benedictinis comittit.

Ut verò Friſingenſium civium gaudia fierent pleniora, placuit Celſiſſimo Principi, atque Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Cathedrali Collegio Benedictinis Profeſſoribus Friſingenſes Scholas, in urbis meditullio erectas, publicè concredere. Comparuit inter buccinarum & tympanorum lætos applauſus ipſe Clementiſſimus Fundator cum univerſo Famulitio Anlico, & è Cathedrali Collegio plerique Reverendiſſimi Domini Canonici, curribus ſpectabili ſerie advecti.

Actû publico & ſolenni,

His acceſsêre Reverendiſſimi tres Præſules: item aliorum DD. Canonicorum, Clericorum, Religioſorum, civium ac plebis ingens multitudo, quæ, cùm intra Gymnaſium admitti neutiquam poſſet, vicinum forum Urbis propè repleverat. Confidentibus poſtea Principe, aliiſque Reverendiſſimis & Illuſtriſſimis DD. Spectatoribus, *P. Carolus* Ettalenſis in Schola eo usque primaria è cathedra elegantiſſimum ſermonem *de Scholarum utilitate atque neceſſitate*, déque optimo Principis & Cathedralis Collegii propoſito habuit. Eo finito Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus DD. *Franciſcus Antonius Begnudellius Baſſus*, Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, & Vicarius Generalis, ceu ſummus Scholaſticus, nomine tum Celſiſſimi Principis, tum totius Cathedralis Collegii tribus illis Patribus, eorúmque ſucceſſoribus Scholarum, & juventutis ſtudioſæ Friſingenſis curam doctiſſimo ſermone in perpetuum commendavit: Celſiſſimus verò Princeps in Patronum noviter erecti Gymnaſii Divum Corbinianum aſſignavit, Patribúsque primum Præſidem Reverendiſſimum *D. Romualdum*, Abbatem Ettalenſem deputavit. Patres verò illi ſuo & ſucceſſorum nomine tum Celſiſſimo Principi, tum Reverendiſſimo Capitulo fidem & obedientiam humillimè condixerunt.

in quo perorat P. Carolus Ettalenſis.

Die proxima convocati & notati fuêre diſcipuli, qui exhibitis ſtudiorum morúmque legitimis teſtimoniis, aliunde reportatis, in Gymnaſium admitti cupiebant. Deinde Scholis Friſingenſibus datum eſt initium; cúm-

Scholæ Friſingenſis initia.

(e) Meichelbeck Hiſt. Friſing. tom. 2. pag. 423.
(f) Hiſt. Salsburg. Lib. 1. cap. x. n. 93. pag. 149.

cúmque ſcholaſticis hiſce ſudoribus non ſolùm reliqui Bavariæ Præſules ſuam jungerent operam, verùm etiam ex Snevia Diœceſis Auguſtanæ Abbates accederent, poſt primas fundationis tabulas, aliæ IV. Cal. Febr. anno MDCCXX. conditæ, tum à Celſiſſ. Fundatore manûs propriæ ſubſcriptione, tum Reverendiſſ. Capituli Cathedralis Eccleſiæ Friſingenſis aſſensû roboratæ, atque à quibusdam ex confœderatis Abbatibus Benedictinis conſignatæ ſunt. Ab eo proin tempore, præter humaniores literas & Philoſophiam, etiam Jus Pontificium, ac Theologia ſpeculativo-moralis à Noſtratibus non minore diſcipulorum accurſu, quàm fructu ibidem traduntur; quem multi tantum retulerunt, ut hodie jam videamus mitratos Præſules, Reverendiſſimos Canonicos, Principum Miniſtros, & Conſiliarios, & Dynaſtiarum Præfectos: Religioſos etiam per omnis ferè generis Inſtituta plurimos: plurimos itidem Clericos, Parochos, Decanos, Viróſque alios Doctoralibus Gradibus & Cathedris inſignes, qui à dicto anno Chriſti 1697. Friſingenſes Scholas frequentârunt.

Et in his quidem Celſiſſimorum S. R. I. Principum cùm Epiſcoporum, tum Archiepiſcoporum promeritis in rem literariam Benedictinam immortalibus hæret animus & acquieſcit; ſed Sacri Ordinis quoque Antiſtitum benefacta referre hiſtoriæ ordo depoſcit. Abbatum favor in monaſteriis literarum ſtudiis anima & ſanguis ſunt, ſine illo confecta & exſanguia propè ab interitu abſunt. *Nil Monachis* (verba recito V. C. *Hieronymi Pezii*, Bibliothecarii Mellicenſis, quibus in Dedicatione Tomi III. Scriptorum rerum Auſtriacarum Reverendiſſimo ſuo Abbati, ADRIANO, b. m. animos addere nullus dubitavit) *nil Monachis, ut egregiam doctrinarum ſtudiis navent operam, majori incitamento eſſe poteſt, atque adeò etiam ſolet, quàm ſi ipſi Abbates ſtudia literarum, bonáſque artes, ac diſciplinas in complexu, oculis, & auribus habeant, eruditionis ſtudioſos literíſque deditos foveant, præmiis provocent, ac donent, otium ſtudiis excolendis pernecesſarium concedant, favore denique ſingulari & amore proſequantur. Languent etenim abſque his ſubſidiis, & illectamentis animi, quidquid cætera verbis crebríſque hortatibus incitentur.*

Res literaria Benedictina ab Abbatum dependet favore.

Unde *Johannes Trithemius* ex Herbipoli an. 1507. ad P. *Eberhardum Campir*, Priorem S. Mathiæ prope Trevirim ſcribens ei gratulabatur eo etiam nomine, quòd Abbatem habeat, qui ſtudiis faveat. En Trithemii verba: „Et quia virum te ſcio Scripturarum ſtudioſum, & doctum, peramplius tibi congaudeo, quod in eo factus es loco Prior, in quo & librorum copia eſt maxima, & omnia, quæ optare poſſit, ſtudioſo ad manum ſint opportuna. Ipſe denique Dominus tuus Abbas virorum noſtræ unionis omnium certè optimus, qui viros ſtudioſos & eruditos magno ſemper affectû, non ſolùm à ſtudio ſancto neminem ſuorum prohibet, *quod multi noſtrorum faciunt Abbates*, ſed animat potiùs ad ſcientiam ſalutarem: & quantò profecerint ampliùs, tantò magis in eorum profectibus lætatur. O terque quaterq; felices monachi! qui talem habere & cognoſcere meruêre paſtorem.“ Hæc Trithemius. Operæ igitur pretium facturus mihi videor, ſi hos hujusmodi recenſeam Mæcenates, non omnes quidem, ſed quosdam tamen, qui monaſteria ſua inclyto Muſarum patrocinio inclareſcere voluerunt, &, ut præter ſincerum Dei cultum optimæ artes & recta ſtudia in iis florerent, nullis pepercerunt impenſis.

Trithemius gratulatur amico quòd habeat Abbatem Studiis faventem.

Enumerantur aliqui Muſarum patroni.

B. Eginhardus (g) ex genere Caroli Magni, ut Baluzius & alii volunt, Abbas I.mus & Fundator Monaſterii Seligenſtadienſis, vir ſumma & doctrina & virtute, in literarum ſtudioſos quæcunque poterat beneficia conferre nunquam prætermiſit. Fuldæ tunc temporis audiebat Rabanum Maurum Lupus Ferrarienſis, cujus licèt in Eginhardum non modò nullum extaret officium, ſed nec paulo firmiùs conſtituta intercederet amicitia, tamen ab eo quæcunque habebat in optatis, nullo ferè negotio auferebat. Mittebat Eginhardo quæſtiones enodandas? ſolutas accipiebat. Petebat libros deſcribendos? accipiebat. Scribebat literas? reſponſum ferebat. Veniebat ipſe Seligenſtadium? omni amore & benevolentia excipiebatur. Quid? quòd vir tantæ dignitatis & authoritatis libellum *de Adoranda Cruce* Lupo adhuc juveni in Academia Fuldenſi ſtudioſo dedicare non dubitavit. Quantæ benevolentiæ hoc erat argumentum?

Eginhardus.

(g) Vid. Lupi Ferrar. epiſtolas editionis Baluzianæ.

Holſetus Abbas Corb. Novæ. *Holſetus* Abbas Corbeiæ Novæ, illuſtriſſimi in Saxonia Monaſterii, anno 1002. monumentum erexit Witikindo nobili ejusdem loci Hiſtorico, quem *pium & doctum* Scholæ magiſtrum vocat, & Hiſtoricum etiam Regi ſcilicet Ottoni II. & Reginæ dilectum. Quid erat hoc aliud, quàm Witikindo vitam quaſi poſt funera reſtituere, ne ejus memoria unquam apud Corbeienſes oblivione deleretur.

B. Herluinus Beccenſis. B. *Herluinus*, Abbas primus Beccenſis pro ſingulari humanitate illa, quâ monachos complectebatur omnes, à quibus doctrinarum ſtudia haud ſegniter excolerentur, neque à me, neque à quoquam ſatis laudari poſſe videtur. Sæpius à Deo virum ſcientiâ prædituin enixis precibus efflagitârat. Voti compos factus eſt, cùm B. *Lanfrancus*, vir eâ ætate longè doctiſſimus, Beccum venit, ut Benedictina veſte donaretur. Quâ de re quantum Deo deberet, ſibi ipſe conſcius erat Herluinus. Quid enim Lanfranco doctius, quid eruditius ab ipſo deſiderari potuit? Sed brevi Herluinus neſciebat, quid primum in *Lanfranco* admiraretur, doctrinámne, an monaſticæ diſciplinæ obſervantiam. Unde incredibili elatus lætitiâ ſummas Deo retulit gratias: Lanfrancum verò non eximio tantùm amore, ſed honore etiam proſequutus fuit. Atque ne gratis hæc à me dici videantur, affero verba ſcriptoris vitæ B. Lanfranci. (in Lanfrancum) „Videres ergo inter „ eos, *Herluinum* & *Lanfrancum*, „ pium certamen. Abbas ex grandæ„vo laico nuper in clerum promotus, „ verebatur ſibi ſubditam tanti docto„ris celſitudinem. Ille nullam pro „ eminenti ſcientia gerens inſolen„ tiam, humillimè ad omnia parebat, „ attendebat, admirabatur, & præ„ dicabat, quam ipſi in intelligendis „ Scripturis gratiam Deus conceſſe„ rat, & dicebat: *Quando attendo „ Laicum iſtum, neſcio quid dicam, niſi „ quia Spiritus, ubi vult ſpirat.* Ab„ bas erga illum debita veneratione, „ ille erga eum omnimoda contende„ bat ſubmiſſione, forma gregis uter„ que factus. „ Nec B. Herluinus (& alios literatos propenſus.) Lanfrancum duntaxat, ſed cæteros etiam monachos, in quibus eſſet aliqua non alieni à Muſis ingenii ſignificatio, ſingulari complexus eſt benevolentia? Liceat hìc iterum mihi ex vita *B. Herluini* lineas quasdam adſcribere, in quibus præclara documenta Prælatis ac Superioribus profutura continentur. „ *Paterno affe„ ctu omnimodo circa Monachos ſuos in„ tentus, diſtrictâ eos diſciplinâ regebat, „ & affectuoſiſſimo amore diligebat.* Si „ quem inter fratres ſegnem, ſi quem „ ſui ordinis ac ſtudii literarum negli„ gentem, ſi quem in eccleſia ſom„ nolentum deprehendebat, hunc „ omnio inviſum habebat: ſemper in„ quiebat: *homo literarum & manda„ torum Dei neſcius, quid præſtat?* „ Quem conſiderabat vigilantiorem, „ ſtudioſiorem, ad virtutum exercitia „ promptiorem, hujus non Abbas, „ ſed ſervus extabat; pleroſque plus „ ad ſtudium incitabat illius favor, „ quàm ſcientiæ ipſius amor: ſedu„ lus enim perquirebat, quis omnium „ eorum, qui erudiebantur, accuratio„ ris ingenii eſſet, quis tenacioris me„ moriæ exiſteret, quis vehementius „ inſtaret, cujus ſtudio valeret: de„ nique ex omnibus quis ad ſingulas „ virtutes & amorem Dei plus inten„ deret, nec minùs quàm in ſe ama„ bat, & enutrire ſatagebat, quid„ quid amandum videbat in ſingulis. „ Literatus volens fieri aliquis mona„ chus, quando ad illum veniebat, „ quâ exultatione ſuſcipiebatur, quæ „ ſuſcepto benignitas & veneratio ex„ hibebatur? „ Et miretur quis, ſi ſub tanto, támque illuſtri literarum Mæcenate Viri exquiſitè docti Beccum undique convolârint, quorum acceſſione monaſterium Beccenſe mirum quantum nobilitari cœpit, ita ut cùm nullum usquam antea in tota Normañia pauperius vel abjectius cœnobium æſtimaretur, nullum opulentius magísque inclytum ac celebre deinceps haberetur.

Sub B. Herluino Prioris primùm, tum eo ad Superos tranſlato Abbatis officio functus eſt S. ANSELMUS, (S. Anſelmus) qui monachos eximiæ literarum cognitioni inſudantes haud minori benevolentia ac amore proſequi ſolemne habuit. Eminebat inter illos *Boſo* doctrinarum ſtudiis apprimè inſtructus. (Boſonis Studia provehit.) Is, ut in vita illius legitur, cùm adhuc eſſet in ſeculari vita, cœpit bonis moribus pollere, amore Dei fervere, religioni animum applicare; erat autem acutiſſimi ingenii, & quod ſubtiliter intelligebat, luculento ſermone proferebat. Unde perplexæ quæſtiones animum illius involverant, quas nec per ſe enodare, nec inde ſe poterat expedire: quapro-

pter

pter Beccum venit, Anſelmum adiit, quem in talibus audierat exercitatum, æſtus animi ſui, quibus movebatur, aperuit, & ſtatim de omnibus ſibi ſatisfactum eſſe cognovit. Admiratus *Boſo* ejus ſapientiam, vitæ converſationem, atque morum inſtitutionem, mutato non multò pòſt hsbitu, ſub eodem Abbate monachus factus eſt.„ Quô in vitæ genere cùm virtutum ſtudia cum literis ita conjungeret, ut dubitari poſſet, *utrùm doctrinâ, an pietate magis præſtaret*, majoribus in deliciis Anſelmo eſſe cœpit. Poſtquàm verò Cantuarienſis Archipræſul creatus fuit, non diu tam eximiam *Boſonis* virtutem & doctrinam ſine ſuo honore & gloria eſſe voluit.

Evocatū in Angliam honoribus ornat,

Evocatum in Angliam dignitstis ſuæ quodsmmodò participem fecit, dum ad Concilium Clarimontanum, ab Urbano II. Pont. Max. indictum ablegavit, ut cùm eidem intereſſe ipſe non poſſet, *Boſo* ſuo nomine præſens adeſſet. Cúmque *Anſelmus* poſt ſecundum exilium Angliam repetere deberet, in Capitulo rogavit *Willelmum* Abbatem & Conventum Becci, ut liceret ſibi *Boſonem* ducere ſecum, quia magis amaret cum illo vivere in ſolitudine, quàm ſine eo in magnis divitiis. Abbas & fratres quia non poterant contradicere, Archiepiſcopo conceſſerunt. Hic eſt ille *Boſo*, cum quo diſputans *Anſelmus* compoſuit cedro digniſſimum illum librum, qui dicitur: *Cur Deus homo.* Permanſit itaqne cum Archiepiſcopo, maximo ſuo Mæcenate, usque ad finem vitæ ipſius: tum in Normanniam reverſus, eam inter ſuos virtutis & ſcientiæ penitioris nomine lsudem atque exiſtimationem ſibi comparavit, ut Abbate *Wilbelmo* mortuo, communibus ſuffragiis Abbas Beccenſis fuerit renunciatus.

ſibique ſocium adſciſcit.

Petrus Cellenſis egregius literatorum fautor.

A medio Seculo XII. in Gallia cùm virtute, tum doctrinâ in paucis claruit *Petrus* primùm *Cellenſis*, ad muros Urbis Trecenſis, poſtea Remis apud S. Remiginm Abbas, ac poſtea Carnotenſis Epiſcopus. Is cùm ſusm in viros literatos voluntatem, & benevolentiam, quandocunque res tulit, & occaſio poſtulavit, præclarè oſtenderit, tum verò, quando per annos circiter novendecim Abbatiam S. Remigii inſigni laude prudentiæ adminiſtravit, illam præcipuè pstefecit: extitit enim Abbatia S. Remigii ſub ipſo Abbate doctiſſimorum hominum domicilium, in quo ob inſtructiſſimam tunc temporis Bibliothecam inſigniora ingenia ſeculi illius propter literarum ſtudia jucundiſſimo otio plerumque oblectabantur. Unde idem Petrus ad Hilarium Epiſcopum Exceſtrienſem in Anglia ſcribens, cùm ingraveſceret in *S. Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum perſecutio Henrici Angliæ Regis lib. 5. Epiſtola 4. hæc ait: *Si magna illa bellua evomuerit vos de terra veſtra, eſt apud nos domus nova parata, cum omni ſumptu, ſine auro & argento, ubi & copiam librorum & ſtudendi etiam pro libitu invenietis.* At aliter accidit. Tantùm enim abeſt, ut *Hilarius* ille S. Thomam exulem ſecutus ſit, quin Metropolitanum ſuum econtra impugnaverit anno 1164. in Conventu Clarendonienſi, atque adversùs eum Orator miſſus ſit ad *Alexandrum III.* ſummum Pontificem, tunc Senonis in Gallia agentem. Idem quoque *Petrus* Cellenſis fovit alimentis, multísq; ſibi beneficiis devinxit *Joannem Sariſberienſem*, haud vulgaris eruditionis ſcriptorem, primùm ſuum Clericum, poſtea Carnotenſem Epiſcopū, ut ex Joannis Sariſberienſis epiſtola LVIII. conſtare poteſt, cujus exordium „eſt: *Non eſt novum, quod mihi veſtra „benignitas alimentorum ſubſidia pro„curavit, quæ ſic meam in terra aliena „paupertatem excepit, ut nec patris „munus, nec maternus mihi deeſſe vi„deretur affectus.* Magnum quidem „erat ſic exuli providere, ut apnd ex„teras nationes civium commoditati„bus fruerer: ſed multò majus eſt, „qnod mihi diligentia veſtra proſpe„xit, ne à natalis ſoli dulcedine, „quâ totius humani generis univer„ſitss capitur, perpetuò exularem. „Veſtrum namque munus eſt, quod „reverſus ſum in terram nativitatis „meæ: veſtrum munus eſt, quod flo„rere in patria videor, & authore „Domino multis præferti concivibus „& coætaneis meis. Sed quid eſt, „qnòd liberalitatis & munificentiæ „veſtræ titulos membratim exequor, „cùm illorum numerus, & immen„ſitas ſic totum animum impleant, ut „effluant, & totius mentis capaci„tatem exſuperent? A Domino qui„dem, ut & illa ſola, quæ non ſuffi„cio recordari, debeam meruiſſe, „quidquid ſum, & poſſum. Obli„gstus itaque ſum, ut nullâ gratia„rum actione valeam liberari, cùm meri-

Sub ipſo Abbatia S. Remigii Doctorum erat domicilium.

Ejus in Joannem Sariſberienſem beneficia.

„ merita veſtra omnes conatus meos „ abſorbeant, præſertim cùm devo„ tio veſtra me ſibi continuis obliget „ beneficiis. „ Hæc *Joannes Sareſberienſis;* ex cujus verbis patet, quàm inſignis Mæcenas Literatorum Petrus Cellenſis fuerit, ſub cujus regimine ſchola Remenſis mirum quantum floruit.

Petrus Venerabilis.

Venio ad alium *Petrum*, cognomento *Venerabilem*, Abbatem Cluniacenſem, qui tanta erat ſapientiâ & doctrinâ, tantâq; erga viros doctos ampliſſimæ ſuæ Congregationis benevolentiâ, ut in altero principem locum tenuerit, in altero nulli unquam ſuorum Antecesſorum conceſſerit. Præcipuè in *Joannem Pictavienſem*, virum ætatis ſuæ doctiſſimum, egregia ejus erat voluntas. Hunc, ſcriptis ſemel atque iterùm ad eum literis, ex Philoſopho Ariſtotelis fecerat Philoſophum Chriſti. Monaſticis virtutibus exculto nec tempus nec facultatem in literis, non jam profanis, ſed ſacris acquieſcendi denegavit. Exinde ſingulari ejus captus ingenio ſibi ab epiſtolis ſcribendis, quod præcipuum inter Cluniacenſes erat munus, eſſe voluit. Ejus abſentis deſiderium ægrè ferebat. Unde ad ipſum aliquando ſcribens epiſtolam his amiciſſimis verbis auſpicatus eſt: *Quocunque meum tendat iter, tu tamen ſemper mecum. Miraculum hoc. Homo clauſus ubique diſcurrentes comitatur, nec ab eis vel puncto temporis abeſt. Fit hoc mente non corpore, affectu non effectu: charitate, non ſocietate.* Præterea quæcunque lucubravit, priusquàm in aliorum manus exire pateretur, cum *Joanne* communicavit, ac ejus quaſi cenſuræ ſubjecit. Iter facturus ſanctorum Patrum Opera, maximè S. Auguſtini, quæ in cimeliis habebat, ejusdem fidei committere ſolitus erat. Jam verò Joannes Pictavienſis omni ſtudio ſibi cavendum exiſtimavit, ne tanti Mæcenatis erga ſe benevolentiam minùs veneraretur, néve domeſtico omnium virtutum ac doctrinarum exemplo, quarum *Petrus Venerabilis* totius Galliæ conſenſu magiſter erat ac princeps, negligentiùs uteretur.

Joannem Pictavienſem præ aliis excolit.

Cùm URBANUS V. ex Sancti Victoris Maſſilienſis, nobilis ac vetuſtiſſimi Galliarum monaſterii, Abbate an. 1362. in Romanum Pontificem electus fuiſſet, ſe abbatiâ non abdicavit, ſed monaſterium per vicarios ſuos regi curavit. Inter quos velut rei literariæ Benedictinæ Mæcenas hoc loco nominandus venit Pontius II. (h) de Ulmo, de quo reperitur in tabulario Montis majoris hoc ſcriptum: *Pontius de Ulmo poſt promotionem Petri de Banbaco ad Cardinalatum, donatus abbatiâ Montis-majoris ab Urbano V. cujus erat Vicarius Generalis in regimine monaſterii Maſſilienſis. Ædificavit majorem Montis-majoris turrim, inſtituit in urbe Monspeſſulana Collegium, in quo ſtudiis vacarent monachi Montis-majoris, nec non alia plura beneficia eidem monaſterio præſtitit. Electus eſt deinde Abbas Maſſilienſis, & utrique monaſterio paucis annis præfuit, mortuus eſt enim anno* 1382.

Pontius de Ulmo Abbas Maſſilienſis rei lit. cultor præcipuus.

JOANNES TRITHEMIUS à Joanne Capnion, aliàs *Reuchlino*, in altioribus Græcæ linguæ præceptis, meruit edoceri. In Hebraicis quendam Judæum baptizatum pauperem Heidelbergæ habuit præceptorem, quem poſteà Abbas factus ad ſe in monaſterium Spanheimenſe accerſens, quamdiu vixit, propter Deum enutrivit. Alios viros doctos, qui ad ipſum magnâ frequentiâ ex univerſa Germania aliiſque regnis ac provinciis confluebant, in ſuo monaſterio lautè ac benè habnit. Præcipuè tamen Benedictinis rei literariæ ſtudioſis ſe præbuit Mæcenatem. Fidem hujus rei aſtruunt verba Theoderici, Weiſſenburgenſis primùm, tum Fuldenſis Monachi. Sic enim in epiſtola (i) ad hunc Abbatem datâ loquitur: „ Quantum ad meas pertinet condi„ tiones, noſcat paternitas veſtra, „ quod poſteaquàm anno præterito „ [1506.] receſſi à vobis de Spira „ cum licentiatorio Abbatis mei Weiſ„ ſenburgenſis, veni ad Fuldam, ibí„ que in majori Cœnobio jam pro„ feſſus & ſtabilitus manere deinceps „ ptomiſi. Commiſerunt mihi ſtatim „ Patres loci negotium ſtationarium „ S. Bonifacii in terris Thuringorum „ & Buchoniorum procurandum, ra„ tione cujus in brevi venturum me „ confido ad Hamelburgium, inde ſi „ quoquo modo fieri poteſt, veſtram „ paternitatem accedam, de cæteris „ latiùs cum eadem collaturus. Te „ enim tanquam *Protectorem & Con„ ſolatorem meum unicum* humaniſſi„ múmque ſemper & habui & exper„ tus ſum in omnibus tribulationibus, „ tam meis quàm monaſtetii quon„ dam

Jo. Trithemius Abbas Spanh. viros doctos maximè coluit.

Ejus rei teſtis Theodericus Weiſſenburgenſis,

(h) Apud Dion. Sammarth. Gall. Chr. tom. 1. pag. 693.
(i) vid. epiſt. Famil. Trithemii.

„ dam mei Wiſſenburgenſis, in quibus per annos extitimus quatuordecim, cùm ſæviret in nos impiiſſimus ille tyrannus *Joannes de Drade* frater Epiſcopi Mersburgenſis, Palatini Comitis Marſchalus, militiæ nomine indignus, unà cum Acheronticis ſatellitibus, qui ſuis auſibus temerariis adhæſerunt. Abbas noſter tyrañorum crudelitatem declinans pro rebus monaſterii apud Sedem Apoſtolicam Romæ certabat; æmuli contra nos miſerabiles monachos in patria tot & tantas crudelitates exercebant, ut nusquam eſſemus ſecuri. Intereà Patres Ordinis penè omnes, & maximè Obſervantiæ Bursfeldenſis, metu tyrannorum manus ſubtraxerunt, & cùm præ inopia monaſterii nos diſpergi eſſet neceſſe, vix quempiam ex nobis hoſpitio recipere audebant, & præſertim viciniores, qui magìs incendi cortes timuêre ſuas, quàm fraternam violare charitatem. Veſtra autem paternitas Deum magìs timuit, quàm homines mortales; & quamvis hoſtes noſtri vobis eſſent multùm vicini, nihilominus velut alter Tobias, non ſolùm hoſpitio nos, ſed etiam ad Conventum veſtrum complures noſtrûm multo tempore ſuſcipiens humaniſſimè tractavit. Inter quos & me tandem clementer admittens, in quartum tenuit annum, gratìs mihi omnia neceſſaria tribuens, & *quod maximum eſt omnium, ſtudiis me imbuere curavit bonarum literarum*, de quo gratias paternitati tuæ ago immortales, nec agere ceſſabo, quamdiu in carne fuero. „

cujus Monaſterii ſtatus maximè afflictus.

Joannes Abbas Tinecenſis

JOANNES LOWCZOWSKI (k) Monaſterii Tinecenſis, primariæ inter Polonica Cœnobia venerationis, Abbas LV. ſeculo decimoquinto egregium dedit religioſæ Benedictinæ liberalitatis ſpecimen, quando Univerſitati Cracovienſi Canonicatum in Eccleſia S. Georgii in arce Cracovienſi, ejúsque præbendam, Bronowice nuncupatam, cum medietate ſeu ſorte integrâ in villa Rzaska, ad eundem Canonicatum ſpectantes proventus, olim per Tinecenſes Abbates à prima Monaſtetii erectione, percipi ſolitos, jure perpetuo inſcripſit & donavit. Inſtrumentum donationis, quod in Archivo Tinecenſi aſſervatur, his conceptum eſt verbis:

beneficus erga Academiam Cracovienſem.

Inſtrumentum Donationis.

„ JOANNES LOWCZOWSKI, Divina patientia Abbas Tinecenſis, Andreas Brzechwa, Prior Sacri Conventûs in Tiniec, Præpoſitúsque infirmorum, Stanislaus Subprior, Hieronymus Krzyzanowski Cancellarius, Nicolaus Zakowski, & Stanislaus Theſaurarii, & cæteri omnes ejusdem Conventûs Fratres, Manifeſtum facimus tenore præſentium univerſis & ſingulis, quorum intereſt, & intererit, præſentibus & futuris; quoniam nos ſingularem benevolentiam atque officia prompta Academiæ Cracovienſis, præſertim verò Doctorum & Magiſtrorum Collegii Majoris erga nos noſtrúmque Conveutum videntes, eorum item inopiam, quâ circa Menſam premuntur, expendentes, volentésque & benevolentiam illis mutuam reddere, & inopiam illorum pro noſtra facultate ſublevare, promptiorésque atque paratiores ad ſtudia publica propaganda, rémque publicam literariam (quæ eſt fundamentum Religionis & Eccleſiæ Catholicæ) ornandam reddere, quam plerique rebus neceſſariis quærendis occupati, aut negligentiùs tractant, aut omnino, non ſine incommodo juventutis ſtudioſæ (quæ eſt ſeminarium Eccleſiarum) deſerunt; Conſtituimus, Canonicatum in Eccleſia Divi Georgii in Arce Cracovienſi, ejúsque Præbendam, Bronowice nuncupatam, unà cum medietate ſeu ſorte integrâ in villa Rzaska ad eundem Canonicatum pertinente, *noſtros etiam prædeceſſores, qui ſuâ liberalitate Academiam dictam & ornârunt, & auxerunt, imitantes*, in perpetuum Doctoribus & Magiſtris Collegii ſive Domûs Majoris dare atque donare, meliorémque in uſum, quàm hactenus erat, & in utilitatem publicam convertere. Igitur Capitulariter congregati, benè deliberati, bonâ, ac honeſtâ ratione adducti, de unanimi conſenſu, déque ſcientiâ certâ ac voluntate noſtrâ, dictum Sacerdotium, Doctoribus & Magiſtris Collegii Majoris tantùm, in Academia Cracovienſi, dare & donare decrevimus, prout ex nunc damus, & donamus, perpetua ac irrevocabili donatione ſupra nominatum Canonicatum Eccleſiæ S. Georgii in Arce Cracovienſi, &

Abbates Tinecenſes Mæcenates Academiæ Cracovienſis.

„ Præ-

(k) Stanislaus Sczyielsky in Hiſt. Monaſt. Tinec. pag. 201. & 189.

„ Præbendam ejus ſen villam ſubur-
„ banam Btonowice, unà cum me-
„ dietate, ſeu ſorte integrà in villa
„ Rzaska ad eundem Canonicatum
„ pertinente, meri juris, dominii,
„ proprietatis, ac poſſeſſionis noſtræ
„ cum omni jure, dominio, proprie-
„ tate, ac ſuperioritate noſtrâ, cum
„ omnibus agris cultis & incultis,
„ pratis, ſylvis, paſcuis, venationi-
„ bus, colonis, emetonibus, ſculte-
„ tis, & Advocatiis, earúmque po-
„ teſtate eximendi, redimendi, alie-
„ nandi, & in meliores uſus conver-
„ tendi, cum hortis,hortulanis, aquis,
„ piſcinis, aquarum decurſibus,cum
„ curiis, prædiis, eorúmqne ædificiis,
„ cúmque omnibus fructibus, cenſi-
„ bus, labotibus, oneribus, reditibus,
„ ac utilitatibus, quæ nunc ſunt, &
„ in futurum humanâ induſtriâ adin-
„ veniri poterunt. Et inſuper cum
„ jure Patronatûs, ſeu jure confe-
„ rendi & præſentandi ad ſupradi-
„ ctum Canonicatum,& Præbendam;
„ quod quidem jus omne in eosdem
„ Doctores & Magiſtros Collegii Ma-
„ joris transferimus, transfundimus,
„ & plenariè illis conferimus, nihil
„ juris, dominii, & proprietatis, pro
„ nobis & noſtris ſucceſſoribus, Ab-
„ batibus ac Fratribus Conventûs
„ noſtri Tinecenſis, relinquendo ac
„ reſervando, ita longè, latè, & cir-
„ cumferentialiter, quemadmodùm
„ prædictæ villæ Bronowice & Rzas-
„ ka in ſuis metis, limitibus, & fini-
„ bus ten hab. poſſid. utifr. non re-
„ quiſito etiam ſucceſſorum noſtro-
„ rum Abbatum & Conventûs con-
„ ſenſu ad meliorem conditionem &
„ evidentem utilitatem Collegii Cra-
„ cov. dand donand. vend. commut.
„ & in meliores uſus, prout eisdem
„ DD. Majoris Collegii Doctoribus &
„ Magiſtris meliùs & utiliùs videbi-
„ tur expedire, convert. Quod au-
„ tem attinet Jus Patronatus & con-
„ ferendi dictum Canonicatum &
„ Præbendam, illud ſic, ut ſupra-
„ dictum eſt, damus, donamus, &
„ conferimus in perpetuum donatio-
„ ne perpetuâ dictis DD. Doctoribus
„ & Magiſtris, ut manus nobis & ſuc-
„ ceſſoribus noſtris claudamus, omni
„ noſtro juri, quod nobis compete-
„ bat, renuntiantes, & illud in eos-
„ dem Doctores & Magiſtros trans-
„ fundentes, ut cumprimùm & quo-
„ tiescunque in poſterum hunc iſtum
„ Canonicatum & Præbendam per
„ ceſſum & deceſſum R.di D.ni Alber-
„ ti Knowski, Canonici Ctacovien-
„ ſis, moderni ejusdem Canonica-
„ tûs poſſeſſoris, ſive ex quacunque
„ alia cauſa vacare contigerit, iidem
„ Doctores & Magiſtri in omni vaca-
„ tione valeant ad illum, unum è
„ gremio ac è cœtu ſuo Doctorem
„ aut Magiſtrum in eadem Academia
„ præſentem & perſonâ ſuâ præſen-
„ tialiter manentem ac reſidentem, &
„ labores ſolitos in ipſa Academia per
„ ſe, & non per ſubſtitutos, obeun-
„ tem ac docentem, Reverendiſſimo
„ in Chriſto Patri Epiſcopo Cracov.
„ moderno & pro tempore exiſtenti,
„ aut ejus in ſpiritualibus Vicario &
„ Officiali, ſeu alteri ad id poteſta-
„ tem habenti præſentare tanquam
„ veri, legitimi, ac indubitati Patro-
„ ni & Collatores. Quod quidem
„ Jus Patronatûs dictorum Canonico-
„ rum & Præbendæ, ſupra memora-
„ tis Doctoribus & Magiſtris, quan-
„ tum in nobis eſt, incorporamus, ju-
„ ríque & im̃unitati Eccleſiæ per Lo-
„ ci Ordinarium adſcribi petimns &
„ conſentimus, hac lege & conditio-
„ ne adjectâ, ut quisquis is fuerit
„ præſentatus & inſtitutus ad dictos
„ Canonicatum & Præbendam, fru-
„ ctus ac reditus ex eis provenientes
„ non unus ſolus habeat, ac ſibi ipſi
„ uſurpet, ſed poteſtas iſta diſponendi
„ eosdem reditus penes communita-
„ tem Collegü præfati Majoris ſem-
„ per remaneat perpetuò & in ævum.
„ In cujus rei teſtimonium præſentes
„ literas noſtras manibus noſtris ſub-
„ ſcripſimus, & ſigillis noſtris appen-
„ ſis obſignavimus, etiam cum teſti-
„ monio Notarii publici infrà ſcripti.
„ Datum in Conventu noſtro Tine-
„ cenſi, die tertiâ Novembris, Anno
„ Dom. MDLX. præſentibus circa
„ præmiſſa Venerabilibus Valentino
„ à Glembokie, Decano Sandecenſi,
„ Alberto Wedrogowski, Plebano
„ Samogoſtenſi: Generoſis Nicolao
„ Poplawski, Capitaneo Scavinenſi,
„ Petro Sulowski, Stanislao Rzuch-
„ wski, Capitaneo Tinecenſi: Nobi-
„ libus Caſparo Syzeniawa, Valen-
„ tino Gruszczynsky &c.

„ *Jo. Lowczowski, Abbas Tinecen-ſis, m.p.*
„ *Andreas, Prior & Præpoſitus.*
„ *Hieronymus Krzyzanowski &c.*
„ *Et ego Gregorius Nicolai de Go-*
„ *ſtinin, Clericus Diœceſis Plocenſis,*
„ *Sacra author. Apoſt. Notar. publ.*
„ *quia prædictæ Donationi &c.*

Alma

Gratitudo Academiæ Cracov.

Almæ Univerſitatis Cracovienſis Doctores ac Magiſtri, ut pro accepto tanto beneficio erga Reverendiſſimum Abbatem Tinecenſem, ejúsque Venerabilem Conventum, velut munificentiſſimos Mæcenates, reipſa atque animo gratos ſe præberent, edito ſolenni inſtrumento ad ſequentia ultrò ſe obligârunt.

„Præpoſitus, Doctores, & Magiſtri „Collegii Majoris Cracovienſis, ſignificamus tenore præſentium univerſis „& ſingulis, præſentibus & futuris, „quorum intereſt, & intererit. Quoniam nos ſingularem benevolentiam „& amorem Reverendiſſimi Patris Di„vina patientia Abbatis Tinecenſis, „Joannis Lowczowski, totiúsque ejus „Conventus in nos noſtrámque Aca„demiam expendentes, volentésque „mutuam illis benevolentiam & gra„titudinem declarare, legitimè & de„bitè per Præpoſitum Domûs convo„cati, maturâ deliberatione uſi, ſta„tuimus & concluſimus, ut uni ex „Fratribus dicti Conventûs Tinecenſis „habitationem liberam ab omnibus „oneribus, quæ haberet caminum vel „fornacem in Contubernio Jeruſalem, „demus & aſſignemus, & apud Uni„verſitatem obtineamus, ut conſenſu „ejus eam habitationem Frater Tine„cenſis Conventûs liberam ſemper ha„beat, ut ſua ſtudia commodè tracta„re poſſit. 2. Sítque à ſolutione ſexa„genæ, quæ ratione ingreſſûs datur, „liber, atque à quibusvis popinis. Ha„beat prætereà ex noſtris proventibus „groſſos decem in ſingulas ſeptimanas „pro ſubſidio & victu commodiore. „Sumptum item ad promotionem Gra„dûs Baccalaurei & Magiſterii, ut à „nobis habeat, vel gratìs & ſine im„penſa promoveatur, nos noſtróſque „ſucceſſores bonâ fide obligamus & „obſtringimus curaturos. 3. Promit„timus prætereà & obligamus fidem „noſtram, ſi quem Magiſtrum R. D. „Abbas & Conventus ad docendum „Fratres in Conventu habuerit, ejus „labores nos reputaturos tanquàm ſi „in Univerſitate laboraverit, & in Vo„catione rationem nos ejus habituros. „4. Quòd ſi aliquid ex his neglexeri„mus, aut implere non curaverimus, „tum dictus Conventus Tinecenſis, no„biscum & cum noſtris ſucceſſoribus „apnd Rectorem Univerſitatis aget, „qui ſi remiſſior & negligentior fuerit „in nobis noſtríſque ſucceſſoribus ad „præmiſſa præſtanda cogendis, extunc „dictus Conventus Tinecenſis apud „loci Ordinarium ejúsque Officium „jure agat, ac ſuum jus & promiſſa „ſub cenſuris eccleſiaſticis à nobis & ſucceſſoribus noſtris, cum damni & „impenſarum æſtimatione petat. In „quorum omnium robur & fidem ſi„gillum noſtrum appendimus, mani„búsque noſtris ſubſcripſimus. Da„tum Cracoviæ in Collegio Majori, „die quintâ Novembris anno Domini „MDLX. præſentibus Nobil. Lucâ „Skarzynski, Melchiore Rayski, Ni„colao Jaſienski, Stanislao Bonicki, & „aliis pluribus fide dignis.

„ *M. Jacobus Gorsky ſ. m. p. a.*

„ *M. Michaël à Wiſſica, S. T. Prof.* „ *Cuſt. Ecc. S. Flor. Conſiliarius* „ *Domûs Junior. m. p.*

„ *M. Albertus Leopolienſis Majoris* „ *Collegii Conſiliarius Junior :* „ *m. p. ſ.*

Doctores Univerſ. Oxonien. Abbatum Benedictinorum beneficentiam implorant.

Affine huic beneficium eſt, quô Benedictini Mæcenates aliam non minùs celebrem Univerſitatem ſibi obſtrinxerunt. Cùm (1) anno MCCCCXXIII. Capitulum provinciale Nigrorum Monachorum Ordinis S Benedicti, infra Capellam Beatæ Mariæ Virginis Monaſterii ſancti Andreæ Apoſtoli apud Northamptonam in Anglia canonicè celebraretur, Doctores Univerſitatis Oxonienſis per Priorem Collegii Oxonienſis ſupplicem libellum Abbatibus & Prioribus in Capitulo Præſidentibus obtulêre pro ſubſidio obtinendo ad conſtructionem novarum ſcholarum in Univerſitate prædicta. Quò minùs autem repulſam ferrent, hoc præcipuo inter cætera uſi ſunt motivo: „Nos, quæ ad hujusmodi „operis fundamentaliter jam incœpti „debitom complementum ex noſtris „non ſufficimus, Veſtris Paternitati„bus Prædevotis pro noſtri defectûs „relevamine eò confidentiùs duximus „ſupplicandum, quò noſtris profun„diùs radicatur in mentibus, *quòd* „*alma Univerſitas mater noſtra, cujus* „*præclara fœcunditas orbem dignificat* „*univerſum, per veſtri Ordinis ſacro-* „*ſancti Patres præcipuos & alumnos ſuæ* „*honorificæ fundationis felix exordium* „*ſumpſerit, feliciſſimúmque progreſ-* „*ſum*, tenentes firmiſſimè, certiſſiméque ſperantes, quòd noſtra ſupplex „petitio, quæ conſonat rationi & cha„ritati, à tam devotis Patribus vacua „non

Univerſitas Oxonienſis à Benedictinis fundata.

(1) Reyner. in Append. Part III. Scripturâ LXXIII. pag. 187.

„non redibit, quos ad Patrum præ„cedentium opera confovenda divina „providebit gratia digniſſimos ſucceſ„ſores. - - - Quibus ad felix regimen „pariter & tutamen monaſticæ religio„nis felices ſucceſſus annuat benigni„tas Redemptoris. Script. Oxon. in „noſtræ Congregationis domo Men„ſis Junii die ultimo ; Cancellarius „Univerſitatis Oxon. Cœtúſque una„nimis Magiſtrorum regentium in eâ„dem Venerabilibus in Chriſto Patri„bus Dominis Præſidentibus, cæte„ríſque Prælatis Ordinis S. Benedi„cti in ſacro Generali Capitulo Nig„rorum Monachorum perſonaliter „congregatis.„ Quâ literâ perlectâ, Dominus Præſidens, cæterique Prælati, cum toto Capitulo ſupplicationem dictorum honorabilium virorum commendabiliter acceptantes, eam decreverunt effectualiter expediri, quatenus pro habito in hac materia tractatû diligenti, unam ſummam notabilem ad conſtructionem ſcholarum prædictarum concederent, & perſolvi facerent, de contributione communi proxima impendenda.

Ordinis S. B. in Anglia peculiaris erat liberalitas in literatos.

Cæterùm inter quatuor illa Ordini Benedictino in Anglia præ aliis Ordinibus peculiaria, quæ non ſine causâ ipſum Eccleſiæ Dei reddiderint maximè venerabilem, altero loco *Clemens Reynerus*, celebris Scriptor Anglus, ponit liberalitatem in literatos, literarúmque ſtudioſos. Teſtes ex pluribus locupletes Prior & Abbas ſunto. *Willelmus Sellyngus* (m) Prior Eccleſiæ Cathedralis Cantuarienſis, vir non ſummæ modò authoritatis, ſed ſacræ Theologiæ meritiſſimus etiam Profeſſor atque præclariſſimus, ut qui tam divinarum quàm ſecularium literarum peritiâ, Latinâ quoque & Græca lingua apprimè inſtitutus erat. Hic cùm omni morum honeſtate ſingularíque vitæ ſanctimonia præditus eſſet, ad ſummum Pontificem per Regem Henricum hujus nominis ſeptimum miſſus eſt, nt ſuo nomine, habita oratione obedientiam ei præſtaret. Ad Galliæ etiam Regem legatus elegantiſſimam habuit orationem. Jam verò ut quisque in Ordine Benedictino doctiſſimus literatiſſimúsque eſt, ita ad rem literariam Benedictinam fovendam promptiſſimus ac propenſiſſimus eſt. Unde *Wilhelmus* ut ſuorum ſtudia promoveret, nullâ in re ad literas pertinente unquam eis defuit, ſed juvenes religioſos cùm domi tum Oxonii in Cantuarienſi Collegio omnibus rebus ac præſidiis adjuvit; Bibliothecam ſupra Capellam Prioris ſituatam perpulchra cælatura adornavit, quam etiam nonnullis libris inſtaurari ſecit, ad uſum maximè literarum ſtudiis deditorum, quos miro benevolentiæ affectû nutrivit & fovit. *Vitingus* Glaſtonienſis Cœnobii fuit Abbas, & Martyr ſub Henrico VIII. vir propter vitæ religioſæ moderationem, in ſummâ etiam rerum temporalium affluentiâ conſervatam planè admirabilis. Is in ædibus à monaſterio ſeparatis, ac locis ſubvicinis, pro Abbatum conſuetudine, multos nobilium filios non modò ſuſtentabat, ſed plurimos præterea ad literarum ſtudia in Academiis alebat. Plura memoratû digna inclito hoc de Præſule memoriæ prodit laudatus *Clemens Reynerus*.

Exemplo eſſe poteſt Wilhelmus Sellyng9,

& Vitingus Abbas.

Alexander Abbas Bantenſis

Quid verò Caſpar Bruſchius (n) de illuſtri alio, ſed Germaniæ Abbate? *Alexander Rubigallus*, vel de *Rubeogallo*, vulgò *Rotenhan*, Monaſterii Bantenſis in Franconia Abbas, ſub medium ſeculi XVI. inter rei literariæ Benedictinæ Mæcenates locum meretur. Inſtituit enim in monaſterio ſuo inſignem ſcholam pro tam nobilibus adoleſcentibus, quàm pauperibus quoque pueris. Conſtruxit & Bibliothecam, ad quam per triginta ſaxeos gradus aſcenditur, è quibus amœniſſimus eſt proſpectus in Mœnum, & in vicina oppida Staffelſteinium ac Liechtenfelſum, quæ Epiſcopum Babenbergenſem habent Dominum; in ipſam item Babenbergenſi urbi confinem arcem Aldenburgenſem, in qua olim optimus Imperator Philippus, Friderici Barbaroſſæ filius, ab Ottone de Wittelsbach, Bavarorum Duce, trucidatus legitur. In hujus liberaliſſimi Abbatis ac Mæcenatis gratiam extat in Caſparis Bruſchii ſylvarum libro octavo tale Elegidion, à Poëta Laureato luſum.

Carmine celebratur à Bruſchio.

Si laudantur adhuc Epheſina templa Dianæ,
Et Mauſolæi grandia buſta vigent.
Si memoratur adhuc hodie Babylonia turris,
De qua nil penitus nunc ſupereſſe ferunt.
Ipſa ſuos ſi jactat adhuc Rhodus alta Coloſſos,
Quos olim ſalvas, nunc ferus hoſtis habet.
Quis noſtras prohibet nos commemorare vetuſtas
Ac plenas veteri religione domos?
Quas partim ad fluvios nobis Germania monſtrat,
Partim intra montes & juga ſumma ſitas.

Has

(m) Warthon Angl. Sac. tom. I. pag. 145.
(n) Monast. Germ. Chronol. pag. 15.

Has inter Banthum eſt ad Muni fluminis undas
In valde excelsâ condita rupe domus.
Quam ſtudio quondam & vera pietatis amore
Condidit eximiâ fœmina laude potens,
Principis à Voburg, Albradis nobilis, uxor,
Cùm poſt Chriſti iterant tempora ſecla decem.
Centaurorum ita quæ fuit olim barbara ſedes,
Nunc Chriſti membris eſt ſchola facta piis.
Apta domus Muſis, & Apollinis artibus æquis
Chriſtiadúmque piis apta miniſteriis.
Hanc modò Alexander, Rubri cognomine Galli
Præditus eximiâ vir bonitate, regit.
Ille novenarum fautor tutórque ſororum,
Quem ſinat in multos vivere Parca dies.

Balthaſar Abbas in Tegernſee.

BALTHASAR (o), Abbas Tegernſeenſis, in Bavaria principis Monaſterii, medio ſeculo XVI. erat virtute præclarus, qui inter Muſarum cultores citra omnem controverſiam præcipuum locum (inter ſui Monaſterii præſules) obtinet, nulli anteceſſorum ſuorum hâc in re ſecundus, de literis & literatis optimè omnium meritus, cultórque Muſarum ſingularis. Nam ad excolenda & erudienda tenellæ juventutis ingenia, ſcholam non parvis impenſis ac ſumptibus de novo conſtruxit, & ludi Directorem inſtituit, adoleſcentibus quotidianam vitæ ſuſtentationem de rebus monaſterii præbens, aliáque multa tum ad pietatem promovendam, tum ad ſtatum rei domeſticæ agendum præclarè geſſit.

Balthaſar Abbas & Princeps Fuldenſis

Superiorem adhuc locum inter rei literariæ Mæcenates ſibi vindicat alius & major *Balthaſar* (p) Abbas Fuldenſis LXX. S. R. I. Princeps, Auguſtiſſimæ Romanorum Imperatricis Archicancellarius, per Germaniam Galliámque Primas. Electus is fuerat annô ſeptuageſimô primô ſupra milleſimum quingenteſimum. At verò quia auſteriùs cœperat ejus regimen, quàm ut diſſoluti ſuorum mores eâ tempeſtate ejusmodi ferrent Abbatem, *quódque adſcitis pro literis imbuenda ſtudioſa juventute Societatis Jeſu Patribus certam iis ſtabilémque in urbe ſedem conceſſerat*, primùm infeſtos ſibi habuit majorem Decanum, & Præpoſitos, dein Ordinem Equeſtrem, demum ubi labaſcenti orthodoxæ fidei pro viribus ſubvenire voluit, cives ac ſubditos ſuos propè univerſos. Supervenerunt deinde Auguſti, Saxoniæ Electoris, Georgii Friderici, Marchionis Brandeburgici, nec non Wilbelmi & Ludovici, Landgraviorum Haſſiæ, Legati, quorum poſtu-

evocat Patres S. J. pro inſtruenda juventute.

cujus rei cauſa grave incurrit odium.

lata erant, ut quoniam miſſi eſſent ad aliquam oppreſſis civibus ac Evangelii causâ laborantibus opem ferendam, hortari ſeſe, imò obſecrare Præſulem, ne gravius aliquid in fidei conſortes deinceps ſtatuere velit, ſed ſuo more arbitratúque eos ſinat vivere: inprimis verò (quæ vox ac petitio eſſet omnium) admiſſos nuper Lojolæ ſocios proſcribat, ac velut totius mali ſomitem ditione ſua incunctanter eliminet.

Conſtans tamen in propoſito

Abbas etſi non ignorabat, his cuncta ſi negaret, quantas in caput ſuum inimicitias eſſet contracturus, perſtitit nihilominus intrepidè in propoſito, nec vel latum unguem ab eo ſe divelli paſſus eſt, quod tam Pontifici ſummo, quàm & Cæſari illud ex integro probari ſciebat; unde conſtanti utriusque etiam ſuffultus patrocinio exterorũ minas facilè contempſit, ſuorum verò auſus ac murmura potenter repreſſit. Tum aliquando ſeriò perpendens, quantam vim ad tuendum avitæ religionis ſplendorem recta juventutis educatio obtineret, poſt inſtitutum à ſe Collegium, *de fundando pariter Seminario* cogitare cœpit, jámque manum operi admoverat, cùm erumpente mox ſeditioſorum hominum factione ab eadem validè impetitus, ac vix non etiam oppreſſus fuit.

perſecutionem patitur.

Equidem Templi primarii *Decanus de Wintbauſen* aliíque cum eo Fuldenſium Patrum nonnulli, quibus imperium cunctáque *Balthaſaris* conſilia, ceu ſuis vivendi moribus parùm accommoda, dudum diſplicuerant, hoſtili in eum animo obſtinatè perſiſtentes, conferre capita, nuntios legationésque omnem in partem ſecretò dimittere, præprimis verò ſollicitare Wirceburgenſem Epiſcopum *Julium*, eíque demùm totius pravæ machinationis executionem demandare non ſunt veriti; tum Ordine Equeſtri Buchoniæ ad arma, quæ libertatem vellent, concitato, ac ſimul exploratâ occaſione, unde tumultûs initium facerent, Abbatem Hamelburgi degentem adeunt ſimul omnes die XXII. Junii anni MDLXXVI. cúmque civium ibidem tenerent voluntates, facile fuit undique circumſeſſum, vi metúque compellere, ut abdicatâ dignitate eam in Wirceburgenſem Epiſcopum, ibidem quo-

Coactus reſignat Abbatiã.

(o) Ex monument. Tegernſ. cap. XVI. apud Pezium Theſ. Anecd. tom. 3. col. 557.
(p) Schannat. Hiſt. Fuld. Part. III. in Balthaſare Abb. Fuld. LXX. pag. 268 & ſeqq.

quoque cum validâ ſuorum manû præſentem transferret; huc ſiquidem unicè ſpectabant rebellium improbi conatus omnes, quos cùm vir cæteroquin animi conſtantis, ac imperterriti declinare haudquaquam poſſet, nec alium ſibi ab immani hoc attentato ad priſtinam libertatem exitum proſpiceret, iniquis poſtulatis ſeſe accomodare viſus eſt, donec diebus aliquot præterlapſis, quando actus ut voluntarius denuò Fuldæ ſolemniter agnoſcendus, ac pro ejusdem confirmatione etiam Pontifici ſupplicandum fuit, fugæ viam reperit, ac in vicinum Moguntinæ ditionis vicum *Hauſen* feliciter delapſus *Danieli* Archiepiſcopo fortunas capútque ſuum tutò credidit.

Exul confortatur à Gregorio XIII. P.M. Tempore ſui exilii, quod complures annos tenuit, à *Gregorio XIII.* non unas accepit literas, cujus velut Patris amantiſſimi, ac per omnia venerandi ad filium in anguſtiis poſitum conſtans erat adhortatio, qualis olim Poëtæ:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Ad eam ſimiliter provocâſſe videntur ſub idem tempus illuſtria aliquot naſcentis Societatis Jeſu capita, dum acceptorum hactenus beneficiorum memores gratum ſuum erga Balthaſarem animum teſtantur, eíque patientiam in adverſis commendant: è quibus Venerab. Claudii Aquavivæ literas à Cl. V. *Schannato* deſcriptas ex autographis hîc legiſſe forſan non pigebit.

Reverendiſſime & Celſiſſime Princeps!

Literæ Claudii Aquavivæ S. J. Generalis. „Ea ſemper fuit R.mæ Celſitudinis „veſtræ & virtus & virtutis opinio „ipſa, præſertim acerbitate indigniſ„ſimæ calamitatis adaucta & confir„mata, ea etiam in nos omnes meri„ta, ac perpetua quædam pietas, ut „nullum unqnam tempus fuerit, quô „vel illa mihi ignota fuerint, vel non „ego ob illa C. V. & amaverim, & ta„cita quadam obſervantia, illius e„gregiam virtutem mecum demira„tus ſim; multò tamen magis, cùm „mihi nuper, quamquàm omnino in„digno, à Domino Deo iſta Societatis „cura commiſſa eſſet, præſertim „etiam accedente Patris *Coſterii* Pro„vincialis commendatione, cùm di„ligentiùs, ut debebam, agnoſcerem, „quantum à C. V. Societas noſtra ac„cepiſſet; intellexi ſcilicet, tantum „eſſe, ut nunquam ullo vel ſtudio, „vel contentione ac induſtria noſtrâ „ſolvendo ſimus. Hoc in me eam „habuit vim, ut non ſolùm obliga„tionem noſtram mihi ante oculos „poneret, meámque in C. V. pieta„tatem excitaret, ſed etiam ut dolo„rem renovaret, quem antea etiam „ex iſto ejus iniquiſſimo caſu capie„bam, quod tanta virtus, tanta re„ligio cum tanto & iſtorum populo„rum & totius Reipublicæ Chriſtia„næ detrimento adeò indignè ac mi„ſerè opprimeretur. Dicam verè, „nihil me aliud conſolari potuit, „quàm id, de quo C. V. ſeipſam con„ſolari & animum infractum ad tot „mala retinere audio; quòd videli„cet affligi & perſecutionem pati pro„pter juſtitiam non pœna, ſed beati„tudinis inſtar eſt, tum quod mo„mentaneum hoc malum æternum „gloriæ pondus operatur in cœlis, „tum quod nos etiam in hac vita „conformes facit ipſi Dei filio unige„nito, qui ſupplicia hæc de decorum ac „perſecutionum, & ipſius crucis paſ„ſus eſt pro nobis, relinquens nobis „exemplum, ut ejus veſtigia læti ac „gaudentes ſequamur; de me verò, „& de tota Societate noſtra, de qua „C. V. tam inſigniter merita eſt, hoc „illi polliceri ac ſpondere poſſum, „quantum precibus ac obſecrationi„bus, quantum etiam opera, indu„ſtria, laboréque noſtro contendere „poterimus pro ejus incolumitate ac „dignitate, id omne ſemper illi prom„ptiſſimum fore, nec quicquam ma„gis me dolere, quàm quòd adeò „parum, vel nihil nos in hoc toto „genere pro tenuitate noſtrâ poſſe „perſpiciam, ſed tamen quò minùs „opera & factis fortaſſe poterimus, eò „accuratiùs Chriſtum Dominum exo„rare pergemus, ut ipſe, qui poteſt „pro ſui nominis gloria & catholicæ „religionis incremento, & illam tan„dem ex malis iſtis eripere dignetur, „& interim mala ipſa ſuæ gratiæ ac „conſolationis dulcedine temperare. „Romæ IV. Aprilis MDLXXXI.

„Reverendiſſimæ Celſitu„dinis Veſtræ

Humillimus in Chriſto Servus
Claudius Aquaviva.

Quâ verò animi conſtantia ac fortitudine id genus calamitates *Balthaſar* tulerit, ex egregio ipſius diverbio diſcere licet. Quippe ſciſcitanti, ec- Conſtantia Balthaſaris in adverſis.

quo

quo tandem animo ferret, qui lædere voluiſſet neminem, prodeſſe ſuis vel maximè, tamen odia non evitâſſet, & Principatû ac honore ſimul excidiſſet? reſpondit: *Illius temporis venire in mentem, cùm nec Princeps, nec Abbas fuiſſet.* Et Deum adhuc plus ſibi, quàm optârat, reliquiſſe. Cauſam quidem ſuam hortante conſcientiâ non negligere, at amicorum nemini ſolitum iraſci.

Nobilium adoleſcentum ſeminarium Fuldæ excitatur.

Anno MDLXXXIV. Gregorii XIII. Pontificis orbe toto cantata munificentia, *Balthaſaro* adlaborante, & Rectore Collegii Societ. Jeſu, Patre *Lopeſio* Friſio, curam exhauriente, in Fuldenſi Gymnaſio Nobilium adoleſcentûm ſeminarium inſtitutum eſt, qui ex ſeptentrionibus orti in ſpem collapſæ majorum fidei reſuſcitandæ gratis hîc alerentur, & in liberalibus diſciplinis caſtè piéque educarentur. Salutare id & Germanis utiliſſimum inventum. Hinc namque fœcunda ingeniis ac avita pietate plurima juventus educta, Saxoniam, Thuringiam, Weſtphaliam, viciníque loca, quin & Sueviam, aliáſque Germaniæ provincias fidei catholicæ ac elegantioris literaturæ famâ fructúque complevit.

Balthaſaris obitus.

Denique anno MDCII. Eccleſiæ ditionique ſuæ ſummô bonorum omnium applauſû reſtitutus, tum de orthodoxâ religione, tum de re literaria bene mereri perrexit, quoad quatuor poſt annis rebus humanis exemptus fuit. Corpus in principe Baſilica depoſitum fuit, quamquàm ex priori Balthaſaris intentione illud ad templum Soc. Jeſu deferri debuerat, ibidem collocandum in tumulo, quem humanæ conditionis memor unà cum ara ex marmore ac alabaſtro nitidè elaborata ſuis ſumptibus anno MDXCIX. erigi curaverat. Ejus ſucceſſor, *Joannes Fridericus*, Templum Soc. Jeſu Patrum vetuſtate quaſſatum ad nitorem adduxit. *Joachimus* verò Comes *de Gravenneg*, Abbas Fuldenſis LXXV. ſuam quoque in Societatis Jeſu Patres propenſionem teſtaturus anno MDCLVIII. ſtudia Logices & Phyſices inſtituit, ad eáque juventuti procuranda reditus convenientes aſſignavit, quod præcipuum Religionis fulcimentum artes liberales eſſe non ignorabat. *Adolphus* ex Gente *Dalbergica* Fuldenſis Abbas

Ejus ſucceſſores favent ſtudiis & Jeſuitis.

anno MDCCXXXIII. Gymnaſium in Academiam commutari curavit; à cujus obitu Muſæ Fuldenſes, earúmque Antiſtites ſub clementia & patrocinio Celſiſſimi Principis Abbatis & Epiſcopi *Amandi* feliciter hodie acquieſcunt.

Valentinus Abbas San-Lambertinus magnus literatorum Mæcenas.

Valentinus Prier (k) Abbas XXXII. ad S. Lambertum in Stiria, vir prorſus eximius, humanus & magnificus, *magnus literatorum Mæcenas*, quorum non paucorum fortunam liberalitate ſuâ inſigniter promovit, præclaris viciſſim eorundem elogiis celebratus: ita ut, teſte Joanne Muſchlero in epiſtolis Venetiis impreſſis, raræ nobilitatis vir Joannes à Zeidliz, multis peragratis provinciis, & tunc recens à Jeroſolymitana peregrinatione reverſus, ſublatis digitis juraverit, ſe nunquam integriorem, magis pium, eóque liberaliorem Prælatum vidiſſe. Fuit à conſiliis Carolo V. Imp. & Regi Ferdinando. Obiit anno MDXLI.

Albertus Abbas San-Petrenſis Salisburgi.

Albertus (l) hujus nominis III. ex Religioſo Ottoburano & Rectore Magnifico Univerſitatis Salisburgenſis Abbas ad S. Petrum, rei literariæ Benedictinæ incrementa nequidquã in poſtremis habuit curis. Novam præter Bibliothecam magnis ſumptibus conſtructam, ut literas, ſic & literatos amabat, illorum congreſſu, & alloquio doctis comentationibus cumprimis delectatus. Aderat cum voluptate Academicis actibus nullâ ipſorum prolixitate abſterritus; illic avidè ſpectabat in arena literaria concertantium ingenioſa prælia, faventibus oculis & auribus excipiebat Academicorum orationes, & progymnaſmata; jucunda erant juventutis poëticè declamantis, aut in ſcena comicè ludentis ſpectacula. Hinc magnū & celebre fuit Muſis Alberti nomen, cujus patrocinium frequenti Theſium librorúmque inſcriptione ſollicitè prenſabant, nunquam paſſæ repulſam, ſed liberalem Mæcenatem ſemper expertæ. Salisburgenſis Univerſitatis quadriennio Rector, pòſt in Abbatiali dignitate Aſſiſtens perpetuus nomen factis implevit, ſemper conſiliô & manû promptus. Onus Religioſi Convictus in ſuo Monaſterio fermè decennio tulit; eóque in Collegium translato omnem ſupellectilem liberaliter addidit: in Aulæ Academicæ ſtructuram ſexcentos ſexa-

(q) Hiſt. Salisburg. Archiep. Lib. VI. p. 1192.
(r) Mezger Hiſt. Salisburg. lib. 5. c. 32. p. 824.

ſexaginta octo, in fabricam Scholarum Academicarum, novíque Convictûs bis mille florenos contulit. Unde inter cætera encomia in ſuo epitaphio meritò etiam illud tulit, *Literarum Mæcenas.*

Mathæus Moulart Abbas & Epiſcop. Atrebatenſis Seminarium Duaci fundat.

MATTHÆUS MOULART (s) S. Giſleni in Advaticis Cœnobii primùm Abbas, tum Epiſcopus Atrebatenſis, vir ſiquis unquam de Eccleſia & Principe Belgii optimè meritus; labente enim in deteriora ætate, difficillimis conjuratorum temporibus, Catholicam religionem adversùs irrumpentes ex Hollandia hæreſes acerrimè defendit, à provinciis ad Regem in Hiſpaniam legatus, à Rege ad hunc Epiſcopatum nominatur anno 1575. Attebatum ingreditur ſolemni pompâ, cleri populíque congratulatione 1. Octobris 1577. bienniò antè conſecratus. In luſtranda diœceſi aſſiduus, ſynodorum celebratione, ſingularíque in pauperes liberalitate epiſcopalem cathedram plurimùm commendavit, cui dimidium pagi Vitriaci adjecit; denique ſeminarium ſtudioſæ juventuti in Academia Duacenſi condidit.

Philippus Caverellus Abbas Vedaſtinus Collegium Patribus S. J. excitat.

PHILIPPUS de CAVEREL (t) LXXIV. Abbas illuſtriſſimi in Belgio Monaſterii S. Vedaſti Templum & Collegium Patribus è Societate Jeſu in urbe Atrebatenſi magnificè à fundamentis extruxit, & dotavit an. 1617. menſe Sept. Item Duaci an. 1619. templum aliud præſtantiſſimum cum bipartito Collegio, S. Gregorii nomine inſignito, excitavit; cujus altera pars ceſſit Benedictinis Anglis, altera Vedaſtinis, ac denique tertium iſti contiguum, cui nomen eſt Collegium ſcholarium, idipſúmque Monachi Vedaſtini adminiſtrant. Ei, velut rei literariæ ſummo Mæcenati *Guillelmus Gazet* ſuam Hiſtoriam Eccleſiaſticam Germaniæ inferioris, & Aubertus Miræus ſuas Origines Benedictinas conſecrârunt. Defunctus eſt anno 1636. die 30. Nov. al. primâ Decembris ex epitaphio, quod ſequitur:

Ejus Epitaphium.

„Anno MDCXXXVI. primâ Decembris, divo Eligio ſacrâ, Atrebati in „Monaſterio S. Vedaſti Ordinis D. Benedicti, Sedi Apoſtolicæ immediatè „ſubjecto, fatis & naturæ conceſſit „Reverendiſſimus in Chriſto Pater „D. Philippus Caverel, dicti cœnobii „Abbas, Benedictinorum per Belgium „exemptorum viſitator, & pro eccle„ſiaſticis ad Status Arteſiæ Deputatus „Ordinarius: vir extra controverſiam „ſummus, & avitæ religionis ac pa„triæ bono natus. A primis vitæ an„nis Chriſti jugo mancipatus, nobi„lem animum ſacræ ſapientiæ diſ„ciplinis & inſtitutis per annos tri„ginta ita excoluit & inſtruxit, ut ad „magiſterii apicem evectus, ſuis, ex„teriſque ſanctioris vitæ miris prælu„xerit exemplis, inſulámque gemmis „paſſim coruſcam, ipſe magnarum „virtutum ornamentis auguſtiùs de„coravit. Inter cæteras eximiâ in „Deum pietate, in proximum cari„tate & miſericordia, in ſe ipſum fru„galitate, in ſubditos benignitate, in „literarum ſtudioſos & egenos muni„ficentia & liberalitate profuſus, tan„tos in terra famæ, in cœlo merito„rum theſauros recondidit prudens „auri artifex, ut jure hîc Patris pau„perum nomen, illic mercedem pro„meruerit, cujus percupidiſſimus cùm „82. ætatis ageret annum, viribus „paulatim deficientibus, nativóque „humido conſumto, inter numeroſæ „familiæ gemitus & ſuſpiria, ut alter „Abraham ivit ad patres ſuos in pace, „ſepultus in ſenectute bona. Tu Lector „benè precare ſive parenti religionis „vinculô obſtrictus, ſive in benefacto„rem, & de republica benè meritum, „benevolâ pietate propenſus.

Nicolaus Sylvius Abbas Elnonenſis Seminarium Duaci pro Monachis erigit.

NICOLAUS SYLVIUS, (u) du BOIS, S. Amandi, ſeu Elnonenſis in Belgio celeberrimi Monaſterii Abbas, forma ſui gregis factus, regularem diſciplinam verbo & exemplo indefeſſus promovebat. Neque verò minori ſtudio rem literariam curavit. Integrum enim monaſterium cum ipſo templo, nec non Seminarium Duaci ad ſtudia monachorum eâ magnificentiâ erexit, ut unum hominem tanto labori parem eſſe potuiſſe vix credas. Monachi verò Amandini, ut ſe tanti beneficii memores præſtarent, ſe pro eo, quamdiu vixerit, miſſam celebraturos feſtis diebus S. Nicolai, poſt obitum verò ejusdem Officium defunctorum cum novem lectionibus, & craſtinâ die ſolemne ſacrum decantaturos in perpetuum ſpoponderunt. Cæterùm Mæcenas iſte vir fuit longè prudentiſſimus, & apud Tornaceſios Ordines in Belgio magni nominis ac authoritatis. Obiit 1673. anno ætatis 84.

HIE-

(s) Dion. Sammarth. Gall. Chr. tom. 3. pag. 349.
(t) loc. c. pag. 391.
(u) Gall. Chr. l. c.

Digitized by Google

Hieronymus Alliotus Abbas.

Hieronymus Alliotus (x) Monaſterii SS. Floræ & Lucillæ Aretii in Italia è Congregatione D. Juſtinæ Abbas, uti literarum diſciplinis apprimè erat excultus, ita in literarum ſtudiis addictos mirè propenſus, eos, qui inopiâ premebantur, favote ac pecuniâ, ut ſcientiis alacriùs vacarent, pro viribos adjuvabat, quod quidem charitatis officium, ſibi adoleſcenti ab Hieronymo præſtitum, Cardinalis de Monte, Julii III. Pontificis ſummi Patruus, ingenuè profitebatur.

Angelus Gryllus Præſes Congreg. Caſin.

Angelus Gryllus (y) Caſinenſis Congregationis ſupremus Præſes, uti ipſe erat literatiſſimus, ita literatorum præcipuus fautor ac Mæcenas. Cujus rei duo præ cæteris illuſtria dedit documenta. Primum quòd Italorum Poëtarum Principi *Torquato Taſſo* Angelum ſe verè Tutelarem peropportunè præſtiterit, cùm illum maximâ curâ & diligentiſſimis officiis ex Ferrarienſi carcere, in quem mentis alienatione incuſatâ, detruſus fuerat, & annis omnino decem detentus, feliciter eduxit, rarò utique conſtantis amicitiæ exemplo, cum antiquis haud dubiè comparando. Alterum, quòd apud Campeſium agri Mantuani oppidum inſcriptiones & ornamenta, quæ ſepulchrum Theophili Folengii, præſtantiſſimi è Congregatione Caſinenſi Poëtæ, olim decorabant, injuriâ temporum deleta, non reſtituerit modò, ſed novis inſuper additis, clatiſſimi Vatis memoriam ſplendoris cultúsque acceſſione ad perennitatem illuſtraverit.

Andreas Deodatus Abbas Caſinen. apud Italos Benedictinos literas ſtrenuè promovet.

Andreas Deodatus (z) à Neapoli, Abbas Caſinenſis, rem literariam Benedictinam in Italia magnoperè provexit. Monachus adhuc privatus in Philoſophicis ac Theologicis diſciplinis apprimè verſatus fuit, quas in aliquibus Congregationis Caſinenſis Monaſteriis docuit; præcipuè in illo Severini, quô tempore magno à literatis omnibus in pretio eſt habitus. Subinde ſex annos Procurator Generalis Congregationis Caſinenſis in Curia Romana præcipuam operam dedit, ut inſigne erigeretur Collegium Anſelmo - Benedictinum in ædibus S. Calixti, ex quo viri doctiſſimi ad univerſam Congregationem Caſinenſem profluxêre. Abbas demùm creatus, quò animos diſcipulis ad ſcientias addiſcendas adderet, aſſiduè Lycæa literaria terebat, in quibus identidem de rebus Philoſophicis, Theologicis, ac Moralibus accuratè diſputabat.

Nec illi ex Mæcenatum numero excludendi ſunt, ſed primum, niſi vehementer fallor, commerentur locum, qui aliorum in re literaria conatus, ope, ſtudio, benevolentia, & quibus demumcunque rebus poſſunt, haud ſegniter adjuvant. *Albinus*, Abbas Cantuarienſis, immortali memoriâ dignus eſt, quòd *Venerabili Bedæ* non auctor modò, ſed adjutor etiam in conſcribenda eccleſiaſtica Anglorum hiſtoria extiterit, uti Beda ipſe teſtatur in epiſtola nuncupatoria ad Ceolvvlfum Regem. Albinus antem iſte alius eſt ab Albino Flacco, ſeu Alcuino, quem ætate centum propemodum annis anteceſſit. Ut Bedæ induſtriam acueret, ex Cantuarienſi Monaſterio, cui Abbas præerat, per Nothelmum, Londinenſis Eccleſiæ Presbyterum, munuſcula ipſi tranſmiſit, & monumenta, quæ ad contexendam prædictam hiſtoriam neceſſaria eſſe videbantur. Venerabilis verò *Beda*, ut quàm gratiſſimus erga Mæcenatem ſuum eſſe cognoſceretur, ei ſequenti epiſtolâ perhumanas egit gratias. „*Deſideratiſſimo & Reverendiſſimo Patri Albino, Beda, Chriſti famulus ſalutem.* Gratantiſſimè ſuſcepi munuſcula tuæ dilectionis, quæ „per venerabilem fratrem noſtrum „Nothelmum Presbyterum mittere „dignatus es, & maximè literas, quibus me jam ſecundâ vice in eccleſiaſtica gentis noſtræ hiſtoria, ad quam „me ſcribendam jam dudum inſtigaveras, creber adjuvare, atque inſtituere curâſti. Propter quod & „ipſe tibi rectiſſimè eandem hiſtoriam, „mox ut conſummare potui, ad tranſcribendum remiſi. Sed & aliud, quod „te partim deſiderare comperi, volucrum tibi vice remunerationis æquè „ad tranſcribendum deſtinavi, videlicet illud, quod de ſtructura templi „Salomonis atque allegoricâ ejus interpretatione nuper edidi. Téque „amantiſſime Pater ſupplex rogo, ut „promea fragilitate cum his, qui tecum ſunt, famulis Chriſti apud pium „judicem ſedulus intercedere meminerís:

Albinus Abbas Cantuar. V. Bedæ Patronus,

qui ei grates refert ſcriptâ epiſtolâ.

(x) Armell. Bibl. Caſ. part. 1. pag. 201.
(y) loc. cit. pag. 31.
(z) Gattola Hiſt. Caſ. ſec. 12. pag. 714.

„neris: ſed & eos, ad quos eadem no„ſtra opuſcula pervenire feceris, hoc „idem facere monueris. Benè vale, „ſemper amantiſſime in Chriſto Pater „optime.

Mabillonii narratio de Abbate Villingano notatu digna.

Sed hoc antiquum; recens quaſi etiamnum illud, certè quidem omni amœnitate plenum eſt, quod *Mabillonius* Itineri ſuo Germanico (a) intexuit. Cùm enim vir doctiſſimus cum Michaële Germano, ſocio ſuo, ex Germania in Galliam remearet, Villingam delatus eſt. Eſt verò Villinga oppidum Auſtriacæ Domûs hæreditarium ad Brigam fluviolum, ubi refugium habuerunt cœnobitæ Benedictini Sancti Georgii, quod cœnobium duabus inde leucis ſitum, ſeculo proximè elapſo invaſit Dux ipſe Wirtembergenſis. Itaque Villingæ degunt Religioſi numerô duodecim (b), quorum Abbas ſeptuagenarius, hiſtoriæ noſtræ ſtudioſiſſimus, & Prior D. Georgius Geyſerus, ſtudiorum noſtrorum fautor ſingularis, omni nos humanitatis & caritatis officio exceperunt: *O qui complexus, & gaudia quanta fuêre!* Poſtridie dum abitum paramus, dum optimus Abbas in procumbentium colla ruit, ille ſacculum nummis plenum in manus meas injecit, multis obteſtatus, ſuo ut de paupere cenſu tantillum hoc in viatici ſupplementum acciperemus. Ego verò quaſi receptâ prunâ, protinus manum excutiens, gratiis dictis, cùm ille donum urgere perſeveraret: Et nos, inquam, omniũ hominum ignaviſſimos, ſi tam liberaliter à vobis excepti etiam pecuniam hanc, nullius indigi reciperemus. Abbas contrà inſtare ardentiùs, favente Geyſero, ſed tandem illi cedere coacti, nos haud ſine lacrymis dimiſerunt, dato honeſto comite, qui nos per Hercyniam ſylvam deduceret.

Mabillonii gratus animus erga Gattolam,

Cùm verò *Mabillonius* ab ultima linea haud ita longè abeſſet, Sodales ſuos rogavit, ut *Eraſmo Gattolæ* Caſinenſis Bibliothecæ & Archivi Præfecto, exemplaria librorum omnium ab ipſis impoſterùm edendorum dono ſubmitterent, eo nomine, quòd Vir ille eruditiſſimus nullam unquam prætermiſerit occaſionem, quâ non rem literariam Congregationis San-Maurianæ promovere ſtuduiſſet. Fecerunt id inprimis *Theodericus Ruinartus* & *Renatus Maſſuetus* (c), quorum poſterior Epiſtolæ ſuæ ad Gattolam anno 1711. datæ hæc verba inſeruit: „Quô te locô haberent noſtri „piæ memoriæ Mabillonius & Ruinartus, quæque tua in eos eſſent „merita, non me fugit &c. ſupplex „etiam atque etiam rogo, quam operam tanto viro (Mabillonio) munificus deferebas, mihi etiam, qui nec „ei, nec cuique alteri obſervantia in „te cedam, commodare digneris, „omnia quæ ad illuſtrandam Benedictinam in Italia Hiſtoriam conducere videbuntur ſubſidia conferre pro tua benignitate pergas &c. „*& circa finem.* interim oblato tibi „IRENÆO meo fruere, tuíque ex animo munuſculum eſſe memineris. „Vale.

&

Hyacinthum Alliotum.

Non ſemel etiam nec obiter *Mabillonius* (c) celebrat Reverendiſſimum Patrem D. *Hyacinthum Alliotum* Medianenſis Monaſterii Abbatem è Congregatione S. Vitonis velut ſingularem rei literariæ Benedictinæ Mæcenatem, qui quæque vetera inſtrumenta, & ſcripta, quæ in Lotharingia & Alſatia, & in vicinis Germaniæ monaſteriis comparare potuit, ad ipſum transmiſerit: ſed nec curis aut laboribus, ſive etiam ſumptibus pepercerit, ut Actis Sanctorum noſtrorum illuſtrandis, aut Annalibus Benedictinis concinnandis ſuppetias ferret. Plures alios Mæcenates, qui operâ, conſiliis, libris Mſ.tis Mabillonio adjumenta benignè ac liberaliter præbuerunt, nôſſe qui cupit, ejus legat præfationes cùm in Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti, tum in Annales Benedictinos, ubi, quâ eſt gratitudine, ſingulis habet gratiam.

Jo. Martianay ſuos Mæcenates laudibus celebrat.

Eâdem animi gratitudine præſtant cæteri ex Congregatione S. Mauri doctiſſimi Scriptores, qui nullum ferè, à quo in re literaria quidpiam adjumenti perceperunt, ſine encomio abire ſinunt. *Joannes Martianay* in Prodromo ſuo Divi Hieronymi Pariſienſis Regiæ Bibliothecæ Præpoſitos dignis laudibus celebrat, quòd facilem MS.torum copiam ſibi quotidie faciant. Nec minùs doctiſſimum Baluzium commendat, quem Colbertinam Bibliothecam ſibi, ſociíſque ſuis velut communem domum aperire, ultróque

(a) pag. mihi 15.
(b) Religioſorum hodie major eſt numerus in Monaſterio noviter & eleganter conſtructo, quod uti Reverendiſſimus *D. Hieronymus*, modernus Abbas novis auxit proventibus, ita ut in eodem & obſervantia regularis & ſtudia literarum floreant, præprimis curæ habet.
(c) In Not. & Obſerv. præv. ad Leon. IX. vit. Sec. VI. part. 2.

Digitized by Google

ad eam invitare, & MSC. copiam, quotieſcunque opus habeant, liberaliter impertire, gratus deprædicat. Nec immemor eſt beneficii *à D.no de Tilmon* accepti, à quo ſe commodatam habere dicit vitam Hieronymi, quam ipſe ex variis autoribus, maximéque ex ipſo Hieronymo, magna cum diligentia nec minori cum judicio digeſtam, Gallico idiomate conſcripſit, & hactenus non edidit, quâ ad multa obſcuriora Hieronymi loca illuſtranda, & inprimis chronologiam operum ejus faciliùs aſſequendam, aditum ſibi apertum non diſſimulat.

Lucæ Acherii Mæcenates.

Lucas Acherius, celeberrimus ille *Spicilegii* Autor & Antiquarius, inter Mæcenates habuit erga ſe benevolentiores (d) Cl. *Hadrianum Valeſium*, qui in diſcutiendis non modò cunctis propè, quæ publici juris faciebat *Lucas*, ſed ſingulari etiam benevolentiâ mendorum quàmplurium ſubmonebat, ac perutiles notatiunculas marginibus adfigebat; *Antonium Vionem Herovallium*, qui aliorum ſtudia ſovebat, ac promovebat, velut ſua, pluráque ſuâ manu è veteribus codicibus exſcribebat, cum Acherio communicanda; *Jacobum Sirmondum*, *Joannem Garnierium*, *Franciſcum Chiffletium*, eruditos Societatis Jeſu Presbyteros, *Carolum Bultellum* Ludovico XIV. à ſecretis; Puteanos Fratres, *Franciſcum Cheſnium*, *Joannem le Prevoſt*, eruditiſſimum Canonicum Rotomagenſem, *Stephanum Baluzium*, humanitate ac eruditione celebratiſſimum, & alios propè innumeros, quos utì enumerare longum foret, ita Acherius unà cum ſuis Bibliothecis in poteſtate habebat. An verò exiſtimamus, futurum unquam fuiſſe, ut Lucas inſignem illam & à nemine adhuc ſatis laudatam veterum ineditorum monumentorum Collectionem, quam *Spicilegium* inſcripſit, in lucem emitteret publicam, ſi tantorum Mæcenatum ope ac præſidio deſtitutus fuiſſet?

Coſmus III. M. Hetruriæ Dux Mæcenas Benedictinorum.

Cl. *Bernardus Montfauconius* utì in Congregatione S. Mauri nemini doctrinâ & ingenii acie, ita nec gratâ cedit memoriâ. Magnum verò Hetruriæ Ducem, Coſmum III. dignum exiſtimat(e), qui omniũ vocibus ſcriptíſque decoretur. Is enim rem literariam pro virili fovet; eruditos quosque ex variis orbis partibus magnis ſtipendiis evocat: quo factum, ut nusquam per Italiam tot homines variis diſciplinis excultos, quot in ditionis ſuæ terris compareant; in penitiori Palatii ſui conclavi, Sanctorum Patrum Opera deprehenduntur, eorúmque ſtudia aſſiduâ tractatione vivendi pariter ſubditóſque regendi normam mutuatur. Beneficentia & humanitate nemini Principum concedit, proborum refugium, literatorum patronus, animo verè regio inſtructus. Is Montfauconium, cùm Florentiam tranſiret, pro innata humanitate nulla non benevolentiæ ſignificatione admiſit; omniáque in Palatio exhiberi juſſit, picturas ſcilicet, magnificámque totam ſupellectilem, quam ipſe ſummo ſtudio collegerat, auxerátque in dies. Ad ultimum xeniis nullíſque non gratiæ ſignis ac officiis exornavit. Is ipſe noſtrum Anſelmum Bandurium Raguſinum Pariſios ſuis ſumptibus miſit, ut linguis Græca & Hebraica, literíſque humanis ac divinis probè inſtructus, idoneus fieret ſuæ illius Dalmaticæ Congregationis bono in rebus ſeu ad ſacras literas, ſeu ad monaſticam diſciplinam ſpectantibus conſulere.

Ecquinam verò in Germania ſunt Mæcenates, qui noſtrorum literarios labores ſtudiis, operis, ac favoribus ſuis ullo modo promoverunt? aliquos, *tres*, *quatuor*, more noſtro in medium dabo, quia rariores.

Gregorius & Romanus Abbates San-Udalriciani Mæcenates Ægidii Ranbeck.

Ægidius Ranbeck, Schyrenſis, non elegans minùs Hagiographus, quàm inſignis Juris Myſta, cùm in ſcribendis Sanctorum Ordinis noſtri Vitis nitidum fatigaret calamum, duos perquàm liberales nactus eſt Mæcenates, *Gregorium* & *Romanum*, Auguſtæ Vindelicorum ad SS. Udalricum & Afram digniſſimos Abbates. Horum ſumptibus ac impenſis Opus Sanctorum imaginibus æri quàm venuſtiſſimè inciſis exornatum prodiit, utì Autor in ejus Dedicatione his verbis meritò deprædicat: „Quot nomina Sancto„rum Ordinis eidem Calendario in„ſcripta (*alloquitur R.mum Abbatem* „*Romanum*) tot debitores habes, quo„rum honori, ne cum mortuo Ante„ceſſore Tuo conſepelirentur, Tua „opera, Tuis impenſis ita liberaliter „conſuluiſti. *Aliqui cùm ſumptus fa*„*ciendi ſunt* (etiam in Cœlites) *haud paulò*

(d) Spicil. Tom. 12. præf. pag. 23.
(e) In Diar. Ital. pag. 360. & 365.

„*paulo aliter pecuniâ, quàm ab urticis,*
„*manum obſtinent, molo more.* Tu
„paucillo pòſt, quàm meritis honori-
„bus adpulſus es, nihil Te moranti-
„bus quàmplurimis monaſterii expen-
„ſis, huic operi manum admoviſti, ut
„propediem Liber ad umbilicum per-
„duceretur. Hinc (*neque fallor*)
„Superûm calculo præfici Clavo Am-
„pliſſimi Tui Monaſterii debuiſti, ut
„emoliri poſſes, quod imperfectum
„& mancum *Gregorius* Anteceſſor
„reliquerat. Fœnori olim Calenda-
„ria à Romanis poſita, & *Gloſſæ Juris*
„& *Seneca* non uno loco meminêre. Tu
„contrà, *Romane Reverendiſſime!*
„Tuum hoc Calendarium (*ita foten-*
„*dum eſt*) non ſine ærarii jacturâ inſti-
„tutum, lubens volens continuâſti. Im-
„penſæ, mehercules, magnæ ſunt,
„quas *Gregorius*, quas Tu in calco-
„graphum, quas in Typum hacte-
„nus feciſtis. At enim nôſti: *oleum*
„*non perdere, qui ungit Superos*; O-
„diſti enim bono publico natus eos,
„qui, ut ovis gallinæ, nummis in-
„cubant. Nam hi quidem *Euchones*
„*Plautiniani* ſunt, qui *auri ſui ollam*
„nullo alio bono ſervant, niſi ut ha-
„bere dicantur. Te melior Genius
„poſt fata *Gregorii* Reipublicæ edu-
„xit, cui ſumma curarum eſt, in
„Ordinem, Cœnobium, *Literos* &
„*Literatos* ſumptus facere haud parcâ
„manû. Vix meritiſſimos honores
„nuper Neo-Præſul capeſſiviſti, cùm
„quinque Tuorum Anglipolim Theo-
„logiæ vacaturos ablegâſti, & domi
„unà Curſum Philoſophicum per
„Tuos inſtituiſti, inſigni ſanè argu-
„mento, *quantum ommatus in Lite-*
„*ras & Literotos ſis.* Ipſe Theologiam
„cùm exhauſeris, noluiſti ingenia
„Tuorum domi flacceſcere. Rectè:
„ut

Euclio-
nes Plau-
tiniani.

A bove majori diſcat arare minor.

„Hinc cùm Tui magnam partem lite-
„ratiſſimi ſint, tot ex Tuo cœtu Præ-
„ſules prodiêre: quando præter ſan-
„ctitatem quàmplures literis & bonis
„artibus eximios, idem Tuum Im-
„periale Aſceterium ſex Antiſtites
„Cathedris Pontificalibus impoſuit,
„Abbates hinc inde in monaſteria 32.
„miſit. Quin & hodie Tuo è cœtu tres
„numerare eſt, quos ſibi præeſſe per
„Sueviam Bavariámque noſtrates mo-
„nachi voluêre.„ Hæc ille de ſui temporis Abbatibus. Sed, *Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.*

Joſephus
Gemni-

Clar. *Bernardo Pezio*, cùm in adornando ampliſſimo ſuo Theſauro Anecdotorum non minimum difficultatis pateretur, evenit non ita poſt multum tempus quidpiam, quod incredibilem ipſius conatibus facilitatem, progreſſum, commoditatémque conciliavit. Diverterat ad Monaſterium Mellicenſe Reverendiſſimus Dominus Prior & Prælatus Carthuſiæ Gemnicenſis JOSEPHUS, *quocum nobis* (ſunt verba Pezii) *multus de re literoria* (*nam hujus cupidiſſimus eſt*) *de proferendiſque veterum libris ſermo fuit.* Cúmque Præſul optimus, & ad præclara in Monaſteriis provehenda ſtudia promtiſſimus cerneret, nos nihil (*verba Pezii admetior*) ardentiùs, quàm ejusmodi viros optare, qui in terendis antiquorum Codicum ſcripturis verſati ſuam nobiſcum operam conjungerent, benigniſſimè indulſit, nóſque hortatus eſt, ut ſuæ celeberrimæ Carthuſiæ Bibliothecarium P. *Leopoldum Wydemannum* ſcriptis ad conferendum ſymbolum provocaremus. Quod mandatum vix exſecuti ſumus, cùm res ipſa nos docuit, hunc ipſum Venerab. Virum éſſe, quem ſingulari nutû Deus noſtris laboribus deſtinâſſet. Tanta enim *P. Leopoldi* in univerſo hoc Opere contentio fuit, hodiéque eſt, ut non tam ſocius quàm auctor Operis jure ac merito ſuo maximo dicendus ſit. Natus is eſt Coloniæ Agrippinæ die ſextâ Januarii an. 1668. patre *Joanne Wydemann*, Suevo-Algovio, matre Maria Juliacenſi. Literis cùm aliquamdiu operam cum laude navâſſet, Mundum pertæſus, ſanctioríſque vitæ avidus Ordinem Carthuſianum amplexus eſt anno 1688. ſolennibus votis anno ſequenti apud Carthuſiam Gemnicenſem in Auſtria nuncupatis. Inde tempus omne à ſacræ ſuæ Religionis & Obedientiæ muniis, quorum tenaciſſimus eſt, vacuum, meliorum & ſanctiorum literarum ſtudio impendere nunquam deſiit. Laboris patientiſſimus eſt, Criticæ perquàm peritus, ac Auſtriacæ hiſtoriæ ſcientiſſimus. Manu pereleganti, & prælo aptiſſimâ utitur. Quid multis? Eo ad noſtrum ſtudium accomodatior nobis obtingere non potuit. *Hactenus Pezius.*

cenſis Carthuſiæ Prior Bernard. Pezii Studia provehit.

Leopoldus Wydemann Carthuſianus Pezii ſecundaneus.

Cùm Autor Prodromi Chronici Gottwicenſis, R.mus Abbas GODEFRIDUS, in vaſta illâ & ſexcentis difficultatibus obſepta ſylvâ oberraret, ampliſſima ſcilicet de *Germaniæ mediæ Pagis* Diſſertatione, Eminentiſſimus ac Celſiſſimus Elector Moguntinus,

Abbatis Godefridi Beſelii Mæcenates

Lo-

Digitized by Google

Elector Moguntinus Latharius Franciſc.

Lotharius Franciſcus ex Comitibus de Schönborn, antiquiſſimum, eúmque totum aureolum *Traditionum Lauriſheimenſium Codicem*, in Auſtriam autographum clementiſſimè mittere nullus dubitavit, ex quo in ſpiſſis illis antiquorum Germaniæ Pagorum tenebris, accedente præſertim unius & item alterius eruditi viri auxilio, eam lucem *Beſelius* ſe accepiſſe fatetur, quâ majorem aliunde Germania vix ac ne vix quidem exſpectaverit. Ejusdem Ampliſſimi Abbatis verba, quibus gratum animum erga alium ejusdem Illuſtriſſimæ Schönbornianæ Familiæ Mæcenatem teſtatur, audire juvat.

& Fridericus Carolus Epiſcopus Bambergenſis &c.

„ Reverendiſſimo ac Celſiſſimo
„ Principi, Domino, Domino *Fride-*
„ *rico Carolo*, itidem ex Comitibus
„ *de Schönborn*, Epiſcopo Bambergen-
„ ſi & Herbipolenſi, Franciæ Orien-
„ talis Duci, S. R. I. Procancellario,
„ & Imperatori Cæſari Carolo VI.
„ Maximo Principi, à ſecretiſſimis &
„ lectiſſimis Conſiliis Publicis, quibus
„ verbis gratias hîc publicè agamus,
„ haudquaquam reperimus: Tantus
„ univerſæ Germanicæ Fortunæ Ad-
„ miniſter, nullis, quas jam inde à
„ prima juventute in nos cumulatiſſi-
„ mè contulerat, ſummæ benignita-
„ tis, benevolentiæ, & clementiæ ſig-
„ nificationibus ſibi facisfeciſſe exiſti-
„ mabat. Nihil illi erant tot ſuaviſſimæ
„ juxta atque graviſſimæ cohortatio-
„ nes, quibns nos, rei magnitudine
„ nonnunquam trepidos, ad am-
„ plificandam quoquo modo Germa-
„ nici Imperii gloriam erigebat, in-
„ flammabátque: Non ſatis Ei erat,
„ quotidianum propè Operis penſum
„ à nobis amantiſſimè exigere, quô lo-
„ cô res noſtræ eſſent, inquirere, aſpe-
„ riores articulos eruditiſſimis diſpu-
„ tationibus planos ac faciles redde-
„ re, optimarúmque rerum ſpe nos
„ ſuſtinere: Nihil horum, licèt ſin-
„ gula maxima eſſent, & ſegniſſimum
„ quemque in ſtatione retinerent, ma-
„ gni Principis in noſtrum Opus ſtu-
„ dium & benignitatem exæquabat:
„ Ipſe itaque, licèt totius Germanicæ
„ Reipublicæ curis obrutus, graviſſi-
„ mas quaquaversùs literas clemen-
„ tiſſimè ſuâ manû dedit, noſtros
„ conatus commendavit, abditiſſima
„ quæque noſtrarum antiquitatum
„ monumenta ſuâ, quâ apud omnes
„ Romani Imperii Principes floret,
„ gratiâ, & anctoritate, nobis impe-
„ trata dedit, denique ea omnia
„ promptè ac alacriter in ſe ſuſcepit,
„ quæ non tam Mæcenatem, quàm
„ genuinum noſtri Operis Parentem
„ condecebant: Quæ paucis hoc lo-
„ co commemorare viſum eſt, non
„ quaſi crederemus, hoc pacto nos
„ omnibus grati animi partibus ex
„ aſſe defunctos eſſe, aut defungi
„ poſſe, ſed eo potiùs fine, ut ſiquid
„ bonæ frugis aut egregii de Germa-
„ nia meriti in noſtro Opere ineſt, co-
„ gnoſcant ſeri eſt grati poſteri, cui
„ demum obærati ſint. „

Omitto alios Reverendiſſimos & Celſiſſimos S.R.I. Principes, & Ordinis D. Benedicti Præſules, quos, quòd ex Archivis, Bibliothecis, penúque ſuâ literariâ & antiquaria, magna Diplomatum, Sigillorum, & Codicum vi Ampliſſimo Abbati effuſâ benevolentiâ ſuccurterint, commeritis laudibus effert.

Cas. Oudinus Benedictinos ceu ſuos in re literaria Mæcenates encomiis ornat.

Quemadmodum verò Benedictini Scriptores ingrato eos ſilentio minimè præterierunt, à quibus adjuti ſuis in litetariis laboribus fuernnt, ita viciſſim ab aliis ſimilem ob cauſam, velut rei literariæ Mæcenates encomiis ornantur. Unum è multis teſtem adduco *Caſimirum Oudinum*, virum eruditum, atque celeberrimi Commentarii *de Scriptaribus & Scriptis Eccleſiaſticis* authorem, in quo concinnando non minimum adjumenti à Benedictinis è Congregatione S. Mauri ſe accepiſſe haud ingratus profitetur: *Sed jam tempus eſt* (f), inquit, *ut, quâ ratione ad molem hanc Opus excreverit, quóve mado tot Authores, vel nullatenus, vel parcè cagnitas, cum eorum Operibus Mſ.tis habuerimus explaratas.* Opportunè, quibus hnic
„ Operi accingebamur temporibus,
„ accidit, ut inſigniorum Lutetiæ
„ Pariſiorum Bibliothecarum catalo-
„ gi alphabetici Manuſcriptorum Co-
„ dicum conſcriberentur: quibus exi-
„ miè ad abditos authores plurimos
„ è pulvere educendos adjuti ſumus,
„ qui jam olim varias in Galliis Bel-
„ giíſque Bibliothecas omnium Ordi-
„ num, quoad hos Codices, excuſ-
„ ſeramus. Incepti enim anno 1685.
„ Catalogi Codicum Regiæ Galliarum
„ Bibliothecæ Manuſcriptorum, *Græ-*
„ *corum* quidem ab eruditiſſimis vi-
„ ris, linguæque hujus peritiſſimis
„ *Joanne Baptiſta Catelerio* & *Carolo*
„ *Ducangio*, quos proptia præloque

(f) Præfat. ad Lect.

„egregia data Opera, plurimùm „commendant: *Latinorum* verò ab „inſignibus atque doctiſſimis curio-„ſorum voluminum iſtorum viris, „*Michaële Germano*, *Placido Porche-„ro*, Bibliothecario, ac *Theoderico* „*Ruinarto*, Benedictinis S. Germani „de Pratis Monachis: quorum con-„ſuetudine tunc utebar, ne dicam „contubernio. Præſertim (g) *Tho-„mas Blancpain* & *Petrus Coutant*, „ultimæ Pariſienſis Operum S. Au-„guſtini Editionis Auctores, ætate „florentes, moribus prob., judicio „graves, obſervantia clauſtrali in-„ſignes, ab omni partium præjudi-„cio ſani, ab ſtrepitu omni ſeculique „genio alieni: ex quo Pariſiis manſi-„mus, ita nos ſingulari ſuâ amici-„tiâ coluêre, ut me velut fratrem di-„lexerint, amplexi ſint, nihilque non „egerint, quò ſtudium meum, cœ-„ptóſque à me labores paucos promo-„verent. Præter ampliſſimam etiam „diuturnámque omnium Manuſcri-„ptorum Bibliothecæ Sancti Germa-„ni Ordinis Divi Benedicti notitiam, „favit & aliud impenſè hujus Operis „amplificationi mox enarrandum. Ab „anno circiter 1650. quo Vir Cla-„riſſimus D. *Lucas D'Acherius*, Mo-„nachus Ordinis D. Benedicti, Con-„gregationis S. Mauri in Gallia, tum „colligendis in unum Legendis, va-„riíſque *Sanctorum* ejuſdem inſtituti „Actis, tum etiam concinnando, „quod tomis in 4. tredecim Pariſiis „editum eſt, *Spicilegio veterum mo-„numentorum* celeberrimo incubuit: „plurimos hinc inde diverſis annis Ca-„talogos Manuſcriptorũ Librorum ac-„ceperat, qui in celebrioribus Ab-„batiarum totius Galliæ diverſorum „Ordinum Bibliothecis latitabant: ex „quibus quid ſubſidii in ſtudiis ſuis, „ab his locis atque codicibus ſperare „poſſet, intelligeret. Alios quoque „ejus ſucceſſor ac laborum comes, „*Joannes Mabillonius*, eo tempore „habuit, quos in unum corpus col-„lectos, eruditiſſimi *ſoncti Germani* „*de Pratis Pariſienſibus* Monachi apud „ſe aſſervant. Totam itaque hanc „*Catalogorum Collectionem* mihi com-„mittentes, plurimum inde adju-„menti habui, ut, quibusnam in lo-„cis authores manuſcripti latitarent, „ſcirem. Sunt autem hi *infra ſcripti* „*Manuſcriptorum Bibliothecarum Ca-„talogi*, nimirum S. Albini Andega-„venſis, S. Benedicti Floriacenſis, „Beccenſis, S. Benigni Divionenſis, „Bernaij, Corbeienſis, Cluniacenſis, „S. Cornelii Compendienſis, Conchen-„ſis, Ciſtercienſis, Claravallenſis, S. Eli-„gii Noviomenſis, S. Ebrulfi, S. Flo-„rentii Salmarienſis, S. Germani Pa-„riſienſis, Gemmeticenſis, Longi-„pontis, Lyrenſis, S. Martini Sagi-„enſis, S. Medardi Sueſſionenſis, S. „Michaëlis de Tumba, Majoris Mo-„naſterii Turonenſis, S. Martini Tu-„ronenſis, S. Martialis Lemovicenſis, „S. Melanii Redonenſis, S. Remigii „Remenſis, S. Sulpitii Bituricenſis, „SS. Sergii & Bacchi Andegavenſi-„um, S. Theodorici Remenſis, S. „Trinitatis Vindocinenſis, Vallis Lu-„cenſis, S. Vincentii Cenomanenſis, „Signiaci, Fuſniaci, Vallis Claræ „Aureæ Vallis, & aliorum tam Ci-„ſtercienſis, quàm Benedictini Or-„dinis Eccleſiarum. Pleraſque præ-„terea *Ordinis Præmonſtratenſis* in „Gallia Bibliothecas excuſſi, atque „ex 80. circiter ejus Abbatiis, ſex dun-„taxat inventæ, in quibus MSS. Co-„dices extarent; quod non mirabi-„tur, quisquis reſciverit, *ignaviam* „*atque ignorantiam Ordinis hujus fu-„iſſe proprias & eximias dotes*, quibus „à crepundiis ad noſtra usque tem-„pora, ab aliis diſtinctus ſit. *A Be-„nedictinis porrò Monachis inſignem* „*ſemper humanitatem, omnem librorũ* „*ſupellectilem, hortamenta ad ſtudium,* „*omnéque liberale officium, ut à literatiſ-„ſimis viris ac literatorum amantibus*: „ab aliis, etiam à noſtris præter ſub-„ſannationem deriſúmque, ob corru-„ptionem morum non ſuſceptam, ne „latum quidem auxilii unguem ex-„pertus ſum: quorum omnium te-„ſtis mihi Deus eſt, quod non men-„tiar; inde hoc opus renitenti-„bus etiam ac deridentibus pro-„prii Ordinis fratribus, ne otio „inerti torperem, aggreſſus ſum. „ Hæc *Caſimirus Oudinus*; in quo mi-nimè probamus, quòd ſacro ſuo Or-dini, quem profeſſus eſt, *ignaviæ* atque *ignorantiæ notam* inuſſerit; nam paucis ei reſponderi à ſuis poteſt tri-tum illud: *Omnis apoſtata eſt perſecu-tor Ordinis ſui.*

[Margin notes, left: præcipuè Blanpain & Coutant. — D'Acheri. — Mabillon. — Catalogi MSS.rum Biblioth. Galliæ. Right: Dotes Ordinis Præmonſtratenſis.]

Audiendus tamen adhuc ſemel *Ou-dinus*, quantoperè ſe Benedictinis ob-ſtrictum fateatur: „Quantum, inquit, „debeamus celeberrimæ Congrega-„tioni S. Mauri in Gallia, quæ tot „inſignes eruditione viros Eccleſiæ „noſtrâ ætate produxit, eruditorum „Monachorum nutrici, atq; ſpeciatim „Cœnobio S. Germani de Patris an-„tiquiſſi-

[Margin note, right: Repetitæ laudes Benedictinorum ab Oudino.]

(g) Diſſert. de Script. S Aug. Cap. V. Tom. I. p. 953.

„tiquiſſimo, quod Congregationis hujus velut Athenæum eſt, hilares lubentéſque agnoſcimus: quorum Fratribus ut contubernalibus, & Bibliothecâ tam impreſſorum, quàm manuſcriptorum librorum cum libertate omni uſus per annos plures, illuc quotidianus adventans, atque ab iis cùm virtute, tum doctrinâ & antiquitatis notione, mutuis informatus collationibus, ſive colloquiis . . . ignorantiam depuli, ſocordiam excuſſi &c.

Cardinalis de Agvirre Literatorū Mæcenas.

Caſimiro Oudino utì eruditione & doctrinâ nihil concedit, ita dignitate & authoritate multùm præſtat Eminentiſſimus noſter Cardinalis *de Agvirre*. Quis verò literatus, aut certè quidem rei literariæ ſtudioſus opem ipſius unquam imploravit, cui dexteram ipſe non porrexerit? Cùm *Nicolaus Antonius*, *J. C.* Ordinis S. Jacobi Eques, Vir & eruditione & dignitatibus illuſtris, poſt Romæ editam *Bibliothecam Hiſpanam Novam*, à Rege Catholico, Carolo II. in Hiſpaniam revocatus diem obiiſſet, antequam *Bibliothecam Hiſpanam Veterem* in lucem emittere poſſet, de editione veteris Bibliothecæ Hiſpanæ, quam prælo paratam reliquerat, agitari cœptum eſt. At enim cùm *Nicolaus* præter librariam ſupellectilem, quam magnis ſumptibus Romæ ſecum Matritum aſportaverat, nullas omninò divitias, aut facultates, aut mobilia pretioſa reliquerit, quin potiùs alieno ære gravatus obierit, nepotes ipſius ex ſorore ſimul & hæredes *D. Adrianus Comque*, & ipſius fratres Canonici Salmanticenſes, pariter ære alieno onerati, nullatenus potuerunt hanc poſteriorem Bibliothecæ partem edere, quamvis ſæpe id tentaverint multiplici viâ.

Nicolai Antonii Bibliothecam Hiſpanam veterem ſumptibus ſuis edi curat.

Unde iis tandem viſum eſt mittere Romam opus ipſum *Bibliothecæ veteris* propria auctoris manû ſcriptum ad Eminentiſſimum D. Cardinalem *de Agvirre*, ſi fortè auctoritate ſuâ, aut ſumptu proprio illud tamdiu deſideratum ab omnibus, edere dignaretur. Ipſe autem, ut erat literarum amans & munificus erga omnes eruditos, ac dignus æſtimator ſcriptorum D. *Nicolai Antonii*, quem impensè dilexit, & per epiſtolas ſæpe convenit, paullo ante obitum ipſius, libentiſſimè id oneris in ſe recepit. Quare nulli parcens labori, aut ſumptui, erexit à fundamentis Romæ officinam typographicam, elaboratis characteribus Græcis & Latinis varii generis eleganti formâ. Typographum autem elegit *Antonium Roſſi*. Venetum, ſatis induſtrium artificem, qui & ipſe antea curaverat editionem quatuor voluminum *Collectionis Maximæ Conciliorum Hiſpaniæ* &c. ab eodem D. Cardinali in lucem editæ. Ut autem editio hæc accuratiſſima & correctiſſima eſſet, idem D. Cardinalis illam dirigendam plenè & omnino curandam commiſit Bibliothecario, & Convictori ſuo D. *Emmanueli Marti*, natione Hiſpano & patriâ Valentino, ſatis noto Romæ ob ſingularem eruditionem Græcam & Latinam, qui ingenti curâ & pertinaci labore duo hæc volumina Bibliothecæ veteris fideliſſimè edenda & corrigenda curavit, ac præterea ad marginem quibusdam locis adjecit notulas aliquot opportunas ejusdem Cardinalis nomine. Sic immortali beneficio Eminentiſſimi *Agvirre* effectum fuit, ut præclariſſimo Operi, quod literatus Orbis dudum deſideraverat, lucem tandem intueri liceret.

Montfauconius de literatis bene merendi ſtudioſiſſimus.

Bernardo Montfauconio (h), ſcriptore è Congregatione S. Mauri celeberrimo, uti nemo in literas erat propenſior, ita de literatis bene merendi nemo ſtudioſior. In campo literario non ſibi tantùm, ſed aliis etiam ſæpenumerò & arabat, & occabat. Neque enim inter invidos illos atque ſuperbos literatos referendus eſt, qui ſibi ſolis docti ſunt, & cùm ferre ſuppetias quandoque rogantur, illiteratos & inexorabiles ſe præbent. Quin potiùs eâ animi alacritate aliorum juvabat labores, quâ ipſe ſuos aggrediebatur. Atque hanc juvandi promptitudinem maximô ſibi ducebat honori atque ornamento. Alias in ſe congeſtas laudes animô averſabatur, ſolam illam non reſpuendo, quòd literatorum omnium amicus haberetur. Ad manum ſunt ejus literæ, ad amicum, à quo opem rogatus fuerat, exaratæ; quas in hæc verba auſpicatur: *Nimiis & immeritis me laudibus oneras, Vir Clariſſime, eam verò ſolùm laudum partem admitto lubenter, quâ me ſemper promptum & paratum ad officia literatis viris præſtanda dicis.* In promptu etiam ſunt exempla, quibus hoc gratificandi ſtudium uberiùs declarari poteſt. Cl. *Davidi Wilkinio*, cùm de operibus *Joannis Seldeni* evulgandis

Exemplis probatur.

cogi-

(h) Obiit A. 1741. vide Vitam Part. III. pag. 479.

cogitaret, conſiliô & operâ non defuit. Ut exactiorem Operum Clementis Alexandrini editionem à *D. Potero*, Archiepiſcopo Cantuarienſi, conſequeremur, eidem variantes ſtromatum lectiones ſubmiſit. Quô tempore *Samuel Jebbius* Opera Ælii Ariſtidis Oxonienſi prælo paraverat, nonpaucos in illis nævos deprehendit, quos ope tamen variantium lectionum, à noſtro communicatarum, ſanare potuit. Cùm *D. Schlägerus*, Græcæ atque Orientalium Linguarum Neo-Profeſſor Helmſtadienſis, novam editionem Mœridis Atticiſtæ Hamburgi adornaret, literarum cum *Montfauconio* comercium ambivit, quod haud difficulter etiam operâ Domini *Anderſohnii*, celeberrimi Conſulis Hamburgenſis, impetravit.

Mœridis Mſs. tum Schlägero comunicat.

Montfauconius enim, ut ſui copiam continuò faceret, non vetus tantùm Mœridis manuſcriptum communicare, ſed manu etiam propriâ tranſcribere, datis ad *D. Schlägerum* literis, his verbis pollicitus eſt: *Gaudeo, quòd* MOERIDIS *Atticiſtæ emaculandum opuſculum ſuſceperis; qua in re pro modulo meo opem tibi feram. Huic verò rei nunc manum admovere, meæ facultatis non eſt; ſed quia paucis abhinc diebus ruſticatum proficiſcar: in agro conſtitutus, ſubſecivis horis Mœridis Atticiſtæ opuſculum exſcribam ex codice omnium vetuſtiſſimo, & accuratiſſimo, tibi transmittendum. Poſteà verò, ſi quos in codices incidam, iſthuc opuſculum habentes, cum noſtro codice conferam, ut varias tibi, vir doctiſſime, lectiones transmittam.* Cùm verò culpâ poſtæ hæc copia periiſſet, parùm abſuit, quin non *Montfauconius* deſcribendi Mœridis laborem denuò atque onus ſubiret. Qua de re anno 1735. die 18. Maji ſequentes literas ad D. Anderſohnium dedit:

Quo deperdito quid & quâ humanitate ſcripſerit Montfauconius.

Quadrimeſtri abhinc, & quod excurrit, miſi ad te exemplum Mœridis Atticiſtæ ex Manuſcripto Græco Bibliothecæ Coislianæ excerptum. Multo labore illud confeci, literiſque admodùm minutis deſcripſi, quò minùs pecuniæ pro portorio perſolvendum eſſet. Majori mihi moleſtiæ eſt, quòd laboribus ſim obrutus, & ejuſmodi laboribus, quos non niſi diuturno tempore abſolvam. Unde fieri à me non poteſt, ut exemplum aliud exſcribam. Omninò ſi periit, incuriâ poſtæ periit, cujus tu negligentiam in culpam trahis. Mittam hodie ad poſtam noſtram, ut inquiratur, an non fortè in pera poſtaria remanſerit. Quod ſi factum fuit, curæ mihi erit, ut ad vos ſecurè perferatur. Hæc ille; ex quibus verò humaniſſimis literis, allatiſque aliis exemplis liquidò conſtare opinor, quòd ſicut *Montfauconius* conſummatæ decus fuit doctrinæ atque eruditionis, ita flos etiam fuerit Benedictinorum in Gallia politiorum, qui fortunæ beneficium ſe debere exiſtimant, ſi benè de viris literatis merendi occaſio ipſis offertur.

Ejus gratus animus erga ſuos in re literaria Mæcenates.

Quemadmodùm verò Cl. *Montfauconius* ab aliis velut literarum & literatorum omnium eximius cultor celebratur, ita ipſe etiam eos, à quibus in re literaria aliquid opis, auxilii, ac præſidii accepit, ſine laude ac deprædicatione abire nullatenus eſt paſſus. Legendæ ſunt doctiſſimi hujus Scriptoris cùm dedicationes, tum præfationes, quas celebratiſſimis ſuis operibus præmiſit. Ego ex ejuſdem procemio in omnia S. Chryſoſtomi Opera illa tantùm adſcribo verba, quibus in grati animi teſtimoniũ eos dilaudat viros, quorum ope ad præcellentem hanc editionem adornandam adjutus fuit. „Primus, inquit, celebrandus nobis eſt Excellentiſſimus Dom. „*Henricus Carolus du Cambout de Coiſlin*, Dux & Par Franciæ, Epiſcopus Metenſis, qui Bibliothecam ſuam „omni Manuſcriptorum, præſertim „Græcorum, genere refertam, hoc „in Cœnobio [*S. Germani à Pratis*] „depoſuit, & pro innata beneficentia tam lautæ ſupellectilis nobis uſum „conceſſit; unde multa Chryſoſtomum ſpectantia mutuati ſumus.

Nomina eorum, qui ei adjumento fuerunt in nova Chryſoſtomi editione.

Ex „Bibliotheca Regia ſemper codices „nobis ad arbitrium ſuppeditati ſunt „humanitate & munificentia Illuſtriſſ. „Abbatis D. *de Louvois* Bibliothecæ Regiæ Præfecti, ſub cujus auſpiciis ejuſdem Bibliothecæ Cuſtodes D. *de Targuis*, præſertímque Vir Cl. *Joannes Boivinius*, non „minùs comitate, quàm eruditione toto orbe literario notiſſimus, „ſolitis officiis nos proſequuti ſunt. „Haud multò minores nobis ſuppetiæ acceſſêre ex Bibliotheca Illuſtriſſimi *Comitis de Seignelay*, quæ „Colbertinæ nomine inſignita ingenti MSS. Græcorum copia inſtructa eſt. Horum nobis ad nutum „copiam fecit humaniſſimus ille Vir „ad literarum commodum natus.

Ex Gallis,

„In Bibliotheca Vaticana dum „Romæ verſarer, innumera exſcripſi, „collegi, contuli. Poſt reditum autem, ex quo Illuſtriſſimus Vir *D. Carolus Mayella*, in Bibliothecarium „coopta-

Ex Italis,

„ cooptatus eſt, omnia pro voto ſup-
„ peditata fuêre. Eſt enim vir ille, ut
„ omnigenâ eruditione ornatus, ita
„ literatis admodùm opportunus. Ex
„ iſta verò Bibliotheca multa nobis
„ apographa transmiſit vir amiciſſi-
„ mus & doctiſſimus *Bernardus An-*
„ *dreas Lama*, qui jam Lutetiæ agit,
„ Ex Bibliotheca item Ottoboniana,
„ favente Eminentiſſimo Cardinali
„ *Fetro Ottobono*, non pauca mutuati
„ ſumus.

Ex Anglis.

„ In Anglia nulla non officiorum
„ genera nobis præſtita ſunt, fateór-
„ que me nusquam majorem exper-
„ tum humanitatem, quàm apud Ang-
„ lorum gentem. Præit hoc in mu-
„ nere Vir Cl. & Illuſtriſſimus *Joannes*
„ *Potterus* Epiſcopus Oxonienſis, eru-
„ ditione cum primis numerandus, qui
„ eximiis operibus rem literariam lo-
„ cupletavit: is nobis apographa re-
„ rum ad inſtitutum noſtrum perti-
„ nentium rogatus non rogatus in dies
„ mittit; & ingentem illam commen-
„ tariis in Pſalmos acceſſionem pro-
„ curavit, cujus jam partem tenemus,
„ partem exſpectamus. Neque ta-
„ cendus vir amiciſſimus & eruditiſſi-
„ mus *Timotheus Godwinus*, Epiſco-
„ pus Kilmorienſis, qui mihi & opem
„ & benevolentiam Illuſtriſſimi *Pot-*
„ *teri* conciliavit, neque ceſſat cōmo-
„ dis meis advigilare. Cantabrigiæ
„ officiis ſuis nos certatim proſequuti
„ ſunt Vir Cl. *Bentleius*, reipublicæ
„ literariæ decus, & ornamentum, &
„ vir doctiſſimus amiciſſimúsq; *Petrus*
„ *Needham*, multis inſignibus editis
„ operibus clarus.

Ex Germanis.

„ In Germania nobis ſemper præ-
„ ſtò fuit, & ad nutum beneficia con-
„ tulit Vir Clariſſimus *Joannes Bene-*
„ *dictus Gentilottus*, vir eruditione
„ conſpicuus, humanitate cum primis
„ celebrandus, denique omnium nu-
„ merorum. Viennæ quoque & ma-
„ nu & ope, & amicorum miniſterio
„ ad noſtri commodum uſus ſemper
„ eſt *Joannes Chriſtophorus Bartenſtei-*
„ *nius meus*, Argentoratenſis, Sacræ
„ Cæſareæ Majeſtati à Conſiliis. Ham-
„ burgi etiam pari nos benevolentia
„ proſequutus eſt Vir Inſigniſſimus &
„ Eruditiſſimus *Joannes Albertus Fab-*
„ *ritius*, quem ob præclara in rem-
„ publicam literariam collata benefi-
„ cia ignorat nemo, qui literas nôrit.
„ Is Manuſcriptum Epiſtolarum S. Jo-
„ annis Chryſoſtomi, nec rogatus
„ Hamburgo Lutetiam miſit, ut ocu-
„ lis ipſe meis varias inde lectiones ex-
„ cipere poſſem. Neque ſilentio præ-
„ termittendus V. C. *Conradus Widow*,
„ qui nullum lapidem non movit, ut
„ noſtris faveret ſtudiis & operibus.
„ En habes, candide Lector, feſtivam
„ præclarorum hominum enumeratio-
„ nem, quorum commemoratio ne-
„ mini literas amanti non grata po-
„ teſt eſſe. „

Epiſtolæ quædam Mabillonii & Montfauconii à Gorio editæ.

Noviſſimè (anno MDCCXLVIII.) V. C. *Franc. Ant. Gorius* Volumen I. Symbolarum Literariarum typis commiſit. In hac præter cætera lectu digna continentur Epiſtolæ PP. *Mabillonii* & *Montfauconii* ad Celeberrimum *Antonium Mariam Salvinium* ſcriptæ, quibus quantum eidem debeant, & quæ ab eo beneficia ad Literariæ Reipublicæ decus amplificandum acceperint, perſpicuè oſtendunt. „ *Quæ*
„ *omnium prima eſt*, inquit doctiſſi-
„ mus Editor (i), *Celeberrimi* MABIL-
„ LONII *ad Salvinium Epiſtola, ſcripta*
„ *eſt annis ferè decem*, poſtquàm Flo-
„ rentiæ eo uſus eſt familiariſſimè, &
„ multa accepit officia, ac pro literis
„ ornandis locupletandísq; beneficia,
„ quæ in ſuo Itinere Italico comme-
„ morat pag. 166. Librum, quem do-
„ no accepit à Cl. *Salvinio*, omnigena
„ eruditione refertum, fuiſſe arbitror
„ Volumen primum Lectionum, quas
„ in Apathiſtarum Academia recita-
„ vit, impreſſum primum anno MD-
„ CXCV. Quantum verò curis Salvi-
„ nianis profecerit Doctiſſimus *Mont-*
„ *fauconius*, idem teſtatur in ſequen-
„ tibus Epiſtolis; nam *Salvinio* faven-
„ te, & exſcribente abſolvit Topo-
„ graphiam Chriſtianam ex Codici-
„ bus Vaticano & Florentino; eden-
„ dam accepit ingentem antiquarum
„ Inſcriptionum meſſem, Æſopi Fa-
„ bulas unà cum ejus vita ante Pla-
„ nudem ſcriptas ex inſigni Codice
„ Bibliothecæ Abbatiæ Florentinæ,
„ & Xenophontis Epheſiaca cum ejus
„ verſione, quorum editionem in ſe
„ recepit *Montfauconius*, qui etiam
„ ſe *Salvinio* devinctiſſimum teſtatur
„ non ſemel in ſuo Diario Italico,
„ quod Florentinarum Bibliotheca-
„ rum latentes theſauros publico bo-
„ no aperuerit, ſolo ingentis hono-
„ ris & gloriæ præmio. Sed ei maxi-
„ mè ſe debere teſtatus eſt, quod D.
„ *Anſelmum Mariam Bandurium* Ra-
„ guſinum, quem etiam Dalmatam
„ adpel-

(i) Præfat. pag. xxiii.

„ adpellat, Græcis literis omníſque „ eruditionis peritia adeò excoluerit, „ ut poſtmodùm immortali ſuo no„ mine literatum Orbem editis doctiſ„ ſimis Voluminihus impleverit; quæ „ omnia incomparahilis humanitatis „ beneficia præſtitit etiam idem *Sal*„ *vinius*, bono Literariæ Reipublicæ „ natus, QUIRINO meo, dum & ipſe „ in hoc Celeberrimo Cœnohio inter „ profeſſos Monachos degeret; auc„ tórque fuit, ut Monachi tunc & „ deinceps Græcarum literarum, & „ Philologiæ ſtudiis, præter alias gra„ viores diſciplinas Philoſophiæ, Geo„ metriæ, Theologiæ, atque Eccle„ ſiaſticæ Hiſtoriæ luculenter exco„ lerentur. „

Edmundi Martene Mæcenates, & Cooperarii,

Quis *Edmundi Martene*, ex eadem S. Mauri Congregatione celebratiſſimi Autoris, ſtudium Antiquitatis non unquam laudibus efferri audivit? An illum verò tantum in eo progreſſurum fuiſſe exiſtimemus, niſi Fautorum & Amicorum tum patrocinio, tum ope ſuis in commentationihus uti eidem licuiſſet. In his autem exſtitêre *Stephonus Baluzius*, vir, cui erudita Congregationis S. Mauri ſtudia multùm debent; *Joannes Deslions*, Silvanectenſis Eccleſiæ Decanus, *non minùs virtute, quàm editis libris notus*, Dominus du Tronchet *pietate & eruditione inſignis*, Dominus Regnaud, Bibliothecæ Rotomagenſis Eccleſiæ Præpoſitus, Godefridus Hermas, Bellovacenſis Eccleſiæ Canonicus, *libris editis longè clariſſimus*, P. Cœleſtinus à S. Joſepho, Carmelita Cabilonenſis, Noaillus Epiſcopus Catalaunenſis, *Præſul maxima erga eruditos omnes benignitate præditus*, Gentilhommius Canonicus Lingonenſis, *Renatus Ouvrard*, & Dominus *Loppin*, Turonenſis Eccleſiæ Canonici, *Gratianus Galiczon* S. Martini Eccleſiæ Turonenſis Præcentor, Dominus *Thomaſius*, Archivi ejuſdem Eccleſiæ Præfectus, & Cuſtos, Dominus Bulteau, Doctor Sorhonicus, & Parochialis Eccleſiæ ſancti Laurentii Rotomagenſis Rector, *cujus omnia in ſe benevolentiæ officia nulla unquam oratio explicare poterit.* Ex Congregatione S. Mauri *Claudius Stephanotius*, *Placidus Porcheron*, *Nicolaus Quittebeuf*, *Richardus Houſſaye*, *Carolus Conrade*, Abbatiæ S. Auguſtini propè Lemovicas Prior Clauſtralis, *Arnaldus Boiſſerie*, Prior B. Mariæ apud Toloſanos, J. R. *Lagorce Tellierius* Rotomagenſis S. Audoëni monaſterii O. B. Magnus Prior, cujus ſtudium in recuperandis veteribus ſui monaſterii libris nullus ſat laudare poterit; *Julianus Belaiſe*, vir eruditus: qui ipſe multa antiquitatis monumenta collegit, alííque propè innumeri doctiſſimi in Francia homines, qui *Marteneum* ſuo ſinu receperunt, nullóque non officii, beneficiíve genere juvarunt.

Baluzius, Joannes Deslions &c. Eſtieñot, Porcheron, &c.

Superiores Congreg. S. Mauri ſtudiis ſuorum mirè favent.

Et quamvis cæteri è Congregatione S. Mauri laudatiſſimi Scriptores tantis Fautoribus ac Patronis haud omnes ac ſinguli gloriari poſſint, in eo tamen felices fuerunt, hodiéque ſunt, quòd Superiores ac totius Congregationis Generales Præfectos nacti fuerint, quihus nihil unquam antiquius fuit, quàm Religioſos bonarum artium ſcientiâ excultos omni ſtudio, amore, henevolentiâ complecti, eorum ſtudiis conſulere, ac doctos fovere lahores. Quod (k) Mamertus Claudianus olim de Græcia, hoc de Congregatione S. Mauri verè dicturus mihi videor: *Diſcipulorum omnium atque artium magiſtra Græcia idcircò maximè nobilibus ſtudiis provecta eſt, atque orbem penè totum multiplicibus complexa doctrinis, quoniam nemo illic omnium fuit, qui quicquam bonæ frugis ferat, cui non par merito honor fiet.* Qui primus verò literarum ſtudia altiùs diutiúſque inter ſuos ſepulta excitavit, fuit Reverendiſſimus Dominus *Gregorius Tariſſe*, quem Mabillonius (l) *ſtudiorum apud ſuos præcipuum inſtitutorem vocat: cujus laudabile propoſitum perſecuti ſunt ejus ſucceſſores, Reverendiſſimi Patres Johannes Harel, Bernardus Audebert, Vincentius Marſolles, Benedictus Brachet, & Claudius Boiſtard; qui omnes bonarum ſacrarúmque literarum ſtudia promovere ſtuduerunt, tum in recenſendis ſanctorum Patrum Operibus, quorum lectionem ad inſtillandam, fovendámque pietatem inprimis conducere perſuaſum habebant; tum in colligendis vetuſtis illis monumentis, quæ ad conſcribendam Benedictinam hiſtoriam neceſſaria & opportuna videbantur.* Præ cæteris tamen Mahillonius duos Præpoſitos Generales majoribus laudum encomiis proſequitur, quorum primus eſt *Bernardus Audebertus*, piiſſimus, optimus, & cordatiſſimus vir, ille, inquam, Audehertus, qui Acherii Spicile-

præcipuè Gregorius Tariſſe,

Bernardus Audebertus,

(k) epiſt. ad Sabaudum Rhetorem.
(l) Annal. Bened. Tom. I. præfat. n. 9.

cilegia, alliáque opera, qui Operum D. Bernardi emendationem ſingulari ſtudio promovit; qui Auguſtini novæ editionis conſilium adortus eſt; qui denique nihil non tentavit ad excitanda in ſubditorum ſuorum animis ſacra literarum ſtudia,& Mabillonium ad hanc ſtudiorum partem adaptavit.

& Vincentius Marſollus.

Alter eſt *Vincentius Marſollus*, qui eximios ſtudiorum ſocios, Michaëlem Germanum, Joannem Jeſſenetum, alióſque Mabillonio adjunxit, occaſionem conficiendi varias literarias peregrinationes ſuppeditavit, conſilium de concinnandis Patrum editionibus Ambroſii, Hieronymi, aliorúmque inivit, ac præcipuam curam geſſit de optimis inſtituendis Bibliothecis. Aliorum Generalium Præpuſitorum ſingularem in præclara quæque literarum ſtudia propenſionem nullus in Galliis ignorat, qui literas novit. Optandum, ut Benedictinis quibusque in aliis provinciis ac regnis tales obtingant Superiores, qui ſi literarum diſciplinis, & iis ſcientiis, quæ Religioſo homine dignæ ſunt, ſint ipſi perpoliti, abeſſe non poterit, quin tum in omnes ac ſingulos, tum præcipuè in ſubditos ſuos, doctrinæ atque eruditionis ſtudioſos, propenſo animo ſint ac gratioſo.

Optandũ ut id genus Superiores omnibus Benedictinis obtingant.

Cardinal. Quirini in literatos promptitudo &c.

Denique Mortalium eſſemus ingratiſſimi, ſi quem ſæpiuſculè experti ſumus rebus noſtris faventem, quémque univerſus prope Orbis Eruditus ſuum veneratur & deprædicat Mæcenatem omni adjumentorum genere Literatorum commoda curantem, ſilentio præteriremus. Is eſt Eminentiſſimus S.R.E. Cardinalis QUIRINUS, qui ſummâ & doctrinâ & dignitate præditus, omni ſtudio contendit, ut utrumque iſtud ornamentum referat ad literariæ Reipublicæ utilitates procurandas. Elegantiſſimum eſt encomium, quo Eruditi Trevoltienſes Jeſuitæ Ejusdem Purpurati Patris mirificam propenſionem, ſtudium, & amorem literarum juvandarum deprædicant. *Eminens*, inquiunt (m), *QUIRINI dignitas nulli eſt obſtaculo, quò minùs iis, qui bonarum artium ſtudiis vacant excolendis, promptum ſe ac facilem præbeat. Recipit eorum literas, atque ad illas reſpondet. Quid? quòd ipſe eosdem prævertat. Aggregari, atque cooptari ſe in ſtudiorum patitur Societatem; tum verò literarios ſociorum labores diſcutit, diſquirit, ac cum iis laborat. Moleſto non fert animo, proponi difficultates, atque adverſas ipſius ſententiæ opiniones. Delectatur amicâ contentione, ad juvandas literas idonea & accommodâ, cui multum gratiæ conciliat literario commercio, à quo faſtus & ſupercilium, juſſio & affectatio abſunt quàm longiſſimè. In ſua efformat perſona centrum quoddam literarium. Notus eſt in omnibus Academiis, in omnibus provinciis, ubi ars benè cogitandi, diſſerendi, ſcribendi viget. Quisque in ejus ambit venire amicitiam, & ad hoc ſufficit ſe literarum cultorem profiteri...*

Trevoltianorum de eo præconium.

Nec abhorret cum ipſis Acatholicis Viris eruditis ſuſcipere controverſias, in quibus tamen ipſius Scripta non ad alium collimant ſcopum, niſi ut veritas triumphet, quin tamen Heterodoxorum ſama convitiis ullis proſcindatur: *ſans bleſſer*, ut Trevoltienſes ajunt, *la delicateſſe de perſonne, mais avec cet eſprit de douçeur, qui menage & gagne un Adverſaire.* Quin, ne ſuo deſit officio, epiſtolis crebriùs emiſſis ipſos etiam Proteſtantes ad ſuave invitat literarum commercium, *quod nemini erudito ac honeſto, niſi Diogeni Cynico in dolio deliteſcenti eſſe poteſt ingratum*, utì in ſuis ad eum literis reſcribit *Kieslingius*, exclamans: *Rarum profectò Patrum Purpuratorum noſtro ævo exemplum!* Hàc autem in re QUIRINUS Cardinalis *Sadoleti* veſtigia premere videtur, qui idem fecit cum *Sturmio* viro docto & Lutheri aſſeclâ. Ex cujus etiam ſecta eſt V. C. *Hermannus Samuel Reimarus* publicus in Hamburgenſi Lyceo Profeſſor. Huic novam *Dionis Caſſii* editionem adornanti, ut Eminentiſſimus Cardinalis noſter gratificaretur, binos Codices Vaticanos Dionis Hiſtorias continentes, eo rogante, multo labore expendit, indéque deſumptas quàm plures varias lectiones cum eodem com-

Reimaro Symbolas ad Dionis Caſſii editionem ſuppeditat,

(m) *Trevoltianarum Ephemeridum ad Menſem Auguſtum A. MDCCXLV. verba ſic ſonant:* Son Eminente Dignité ne l' empeche point de ſe prêter à tous ceux qui cultivent les beaux Arts, il reçoit leurs lettres, il y repond, il les prévient même, il entre en Societé d' étude, il diſcute, il travaille avec eux, il permet qu'on lui faſſe des difficultés, qu' on oſe contredire ſes ſentimens, il aime une controverſe utile aux progrés des Sciences, & il la rend aimable par un commerce exemt de faſte, d' empire, d' affectation. Il forme en ſa perſonne une eſpece de centre litteraire, on le connoit dans toutes les Academies, dans tous les Pays, où l' on ſçait penſer, parler & ecrire, on ambitionne d' être connu de lui, & il ſuffit pour cela d' être amateur des lettres.

communicavit. Poſt triennium iterum *Reimari* rogatû vetuſtiſſimum Vaticanum Codicem Græcum, quô magna & multa Dionis Caſſii Hiſtoriarum fragmenta continеantur, diſcutiendum ſuſcepit, minimè ignarus, rem valde arduam, moleſtíque laboris plenam ſe aggreſſurum, quòd Codex ille haud leviter mutilatus, inſuper characteribus inſolentioribus, iiſque paſſim evaneſcentibus exaratus, ſine accentûum notis, & ſine ulla literis, verbis, ſententiis interpoſita diſtinctione idoneus foret, qui ſolas identidem ambages & ſalebras oculis objiceret; unde non diligentiam, non ſagacitatem tantùm ad eruendas lectiones illas, ſed eruditionem, judicium, quin divinationem quandam depoſceret; provinciam tamen illam quantumvis arduam libenter ſuſcepit, atque per integrum menſem Octobrem graviſſimum laborem devoravit, ut Viri docti votis nbſecundaret.

quas hic grato excipit animo.

Quod grato animo *Reimarus* agnoſcens ad Purpuratum Principem hæc perſcripſit: „ Ego verò vel maximè „nunc collecto animo in maturan„dam *Dionis* Editionem incumbo, „poſtquàm Tibi id tantoperè placere, „& ſpem aliquam in mea qualicun„que opera poſitam eſſe intellexi. „Qnin addidiſti fiduciam, ut Dio„nem illum, quem tot modis ornâ„ſti, & foviſti, modò hanc à Te ve„niam impetravero, ſub Tuis auſpi„ciis illuſtri Tuo Nomini dedicandum „prodire jubeam in lucem. Neque „enim circumſpicienti mihi ſuccur„rit Nomen illuſtrius in Republica „literaria, aut meliùs vel de erudi„tione univerſa, vel de Dione, me„que adeò ipſo meritum, cujus ego „& decora ſingularia, & præſtita mi„hi beneficia publicè prædicandi oc„caſionem dari mihi ſeriò optem„

Göttingana Academia eidem Eminentiſſimo grati animi vices rependit.

Inſignis etiam humanitatis, nec poſtremi beneficii loco habuit celeberrima Univerſitas Göttingana, quòd Em. Card. QUIRINUS non modò fundationis ſuæ Decennalia ipſi gratulatús fuerit, ſed etiam librorum, quos eatenus in publicam emiſerat lucem, nitidè compactorum apparatu donatam voluerit: Quare ut Purpurato Patri grati animi vices redderet, pariter *Vicennalia Brixienſia*, annis ab adito Epiſcopatû viginti laudatiſſimè tranſactis, ipſi, edito libro gratulata eſt per SCtum, quod ſequitur:

PRIDIE. IDVS. MAII.
MDCCXXXXVII.

PRORECTORE. MAGNIFICO. GE. HENRICO. RIBOVIO. PRÆSENTIBVS. SPLENDIDISSIMO. CANCELLARIO. IO. LAVR. MOSHEMIO. DECANISQUE ET. PROFESSORIBVS. RELIQVIS.

QVOD. VERBA. FECERVNT. IAC. WILH. FEVERLINVS. IO. DAV. KOELERVS. ET. IO. MATH. GESNERVS. EMINENTISSIMVM. CARDINALEM. BIBLIOTHECARIVM. ANGELUM. MARIAM. QVIRINVM. BRIXIENSEM. EPISCOPVM. DUCEM. MARCHIONEM. COMITEM. cet. HONESTE. SENTIRE. DE. ACADEMIA. NOSTRA. ET. DECENNALIA. HVIVS. VNIVERSITATIS. NON. BONIS. MODO. VERBIS. SED. AMPLO. ETIAM. MVNERE. LIBRORVM. AB. IPSO. SCRIPTORVM. ET. SPLENDIDE. GLVTINATORVM. PROSECVTVM. ESSE. QVÆ. EPISTOLA. QVIQVE. LIBRI. SINGVLARI. ORNAMENTO. ACADEMIÆ. NOSTRÆ. APVD. POSTEROS. ETIAM. FVTVRI. SVNT.

OB. EAS. RES. PLACVIT. PRORECTORI. CANCELLARIO. DECANIS. ET. RELIQVIS. PROFESSORIBVS. ACADEMIÆ. GEORGIO. AVGVSTÆ. QVÆ. GÖTTINGÆ. EST. QVI. EORVM. IVS. IN. SENATVM. VENIENDI. HABENT.

PRIMO. QVOQVE. TEMPORE. GRATIAS. AGI. EMINENTISSIMO. CARDINALI. BIBL. A. M. QVIRINO. EP. BRIXIENSI. DVCI. MARCHIONI. COMITI. cet. VERBIS. AMPLISSIMIS. DE. HONORE. ACADEMIÆ. NOSTRÆ. HABITO.

ET. CVM. IPSE. NVPER. VICENNALIA. SVI. EPISCOPATVS. PLAVDENTIBVS. BONIS. CELEBRAVIT. OSTENDI. HANC. VICISSIM. VNIVERSITATEM. IN. SOCIETATEM. ILLIVS. GRATVLATIONIS. VENIRE. ET. SVMMI. LITERARVM. PATRONI. INCOLVMITATE. NVNCVPATIS. NVNCVPANDISQVE. ET. SOLVENDIS. ACCEDERE.

TVM. LIBROS. CARD. EMINENTISSIMI. LOCO. BIBLIOTHECÆ. APTISSIMO. REPONI. ET. NOMEN. TAM. VENERABILE. INSERI. MVNCHHVSIIS. BVLOWIIS. ALIISQVE. TAM. PRÆCLARI. MVNERIS. CVRATORIBVS. AVCTORIBVS. ADIVTORIBVSQVE. CVRARIQVE. NE. VNQVAM. NON. HIC. ETIAM. HONORATA. SIT. TANTI. BONARVM. LITERARVM. PATRONI. MEMORIA.

Æmilianus Jordanus Göttingæ Miſſionarius,

Studioſæ Catholicæ Juventuti, quæ in hac ipſa Acatholica Univerſitate Göttingenſi bonis literis operam dat, à Romanis Sacris eſt Miſſionarius Apoſtolicus, *A. R. P. Æmilianus Jordan*, Ordinem S. Benedicti in Monaſterio B. V. MARIÆ, vulgò Marien-Münſter profeſſus, poſtea Sacræ Theologiæ Profeſſor in Principali Abba-

tia

tia Corbeiæ Novæ in Saxonia. Cùm verò V. C. *Jacobus Willelmus Feverlinus* in eadem Univerſitate Göttingenſi Theologicæ Facultatis Profeſſor ad Eminent. Card. QUIRINUM anno 1748. die 8. Julii literas daret, P. *Jordani* Epiſtolam ad eundem Purpuratum Patrem exaratam accluſit, virúmque his verbis commendavit:

à Feverlino laudatus,

Alteras, quas adjectas vides, literas, Cardinalis Eminentiſſime, meæ fidei tradidit Sacerdos ex Ordine Tuo Benedictino (omnibus ſacræ antiquitatis ſtudioſis venerabili) Pater Jordanus, qui ſacra Religionis veſtræ in hac Academia regio indultu facit, Vir doctus, prudens, humanus, mihíque amiciſſimus. Rogat is Tuam Eminentiam, ut amplius ſtipendium annuum, quàm ab Epiſcopo ſuo deſignatum ipſi eſt, Tua auctoritate ſibi concilies; quam ut ipſi clementiam impertiaris, Princeps Reverendiſſime, rogatus humillima interceſſione expeto, bene gnarus, CC. thaleros non eſſe ſtipendium, quo per pretia rerum non exigua dignè vivere apud nos poſſit Vir Reverendus &c.

En verò Miſſionarii Apoſtolici literæ:

Quirini gratiam ſollicitat.

Patere, quæ ſingularis Tua Clementia eſt, Eminentiſſime Cardinalis, ut Reverendiſſimæ Eminentiæ Tuæ ſubmiſſiſſimè exponam, Sereniſſimum Regem Angliæ ante duos adhuc recentes annos ex ſpeciali gratia conceſſiſſe, ut qui hîc Göttingæ habitamus Catholici, exercitio Romano-Catholicæ Religionis liberè uti poſſimus; quem in finem mihi, qui indignus profiteor Ordinem S. Benedicti in Abbatia Mariæ-munſtrenſi, à Regio, & Electorali Regimine Hannoverano, accedente tamen prævio conſenſu Ill.mi Epiſcopi Arethuſini, & per Septentrionem Vicarii Generalis, collatum eſt munus Miſſionarii Apoſtolici. Quod dum per ſpatium ſeſqui anni, ut unius Univerſitatis Göttingenſis Miſſionarius Apoſtolicus, tam per Miſſas publicè celebratas, diebus verò feſtivis decantatas, quàm per publicas ex ambone Conciones executus fui, ſimul mihi innotuit, Catholicos Göttingenſes, parochianos meos, non eſſe in tanta rerum ſufficientia, ut Catholicum Presbyterum, ſuúmque Parochum ſuſtentare valeant. Teſtes omni exceptione majores mihi deſuper erunt, quotquot hîc ſunt Domini Profeſſores, & ſpeciatim eximius Doctor Feverlinus, Reverendiſſimæ Eminentiæ Tuæ notiſſimus, & propter mutuas correſpondentias celeberrimus. Quamquàm proinde ne vel unicum nummum de Altari, Parochianíſque meis pro mea hucúſque ſuſtentatione habuerim, nihilominus 500. imperiales, ſive ſcudos induſtria mea acquiſitos, quando Corbeiæ, ſub Celſiſſimo Principe Ord. S. Benedicti, honorem habui Theologiam, ſimúlque ſacros Canones docendi, tam pro mea ſuſtentatione, quàm pro Miſſionis Apoſtolicæ conſervatione expendi. Veruntamen meis nummis nunc totaliter expenſis, unde in Eccleſia preſſa ſumam panes ut manducem? Et quis eſt hic, qui hanc Miſſionem Apoſtolicam adhuc tamdiu conſervari velit, & tueri, donec ſacra ſuprema Sedes Apoſtolica in annuum meum ſtipendium ſit conſenſura.

In his triſtibus, perinde ac lætis rerum circumſtantiis nemo mihi ab hujatibus Dominis Profeſſoribus, & ſpeciatim ab eximio Doctore Feverlino mihi laudatus fuit, in quem majori cum fiducia ſpem meam, & oculos vertam, atque R.ma Eminentia Tua. Quis enim recentiorum, aſſeruut prænominati Domini Profeſſores, doctrinæ Tuæ radios, ſcriptorúmque Tuorum ſoliditatem, nec non laudatiſſimum Tuum zelum pro propaganda Fide divulgavit usque ad hanc doctiſſimam Terram Göttingenſem, niſi Eminentiſſimus Cardinalis Quirinus?

Hæc meditans non poſſum, quin ipſe ſpe me ipſum erigam fore, ut Eminentia Tua tantum, quantum pro ſuſtentatione mea pro unico año requiritur, mihi gratioſſiſſimè conferre acquieſcat. Ita eveniet, ut Religionis noſtræ exercitium in hoc loco, à quo pluribus quàm 200. annis exulare coactum eſt, adhuc in longius tempus per eximia Tuæ Charitatis beneficia poſſit conſervari, & defendi.

Sin, quod metuo, ſingulari huic beneficio dignè recompenſando impar poſthac futurus ſim, non deero tamen, quo minùs Tua erga me charitatis officia cum meis Parochianis humillimè venerari non obſiſtam, Reverendiſſimámque Eminentiam Tuam indignis meis precibus aſſiduè commendatam habeam, qui humillimè exoſculando Sacram Purpuram ſum

Rev.mæ Eminentiæ Tuæ

Göttingæ 8. Julii 1748.

Infimus obedientiſſimus famulus F. Æmil. Jordanus Miſſionarius Apoſtolicus Univerſitatis Göttingenſis O. S. B. Profeſſus.

 P. S.

P. S. *Pro majori notitia ſervit R.ᵐᵃ Eminentiæ Tuæ, quod apud ſacram Supremam Aulam Romanam demiſſiſſimè ſupplicatum fuerit pro annuo ſtipendio meo, quod etiam non eſt denegatum, ſed propter belli tumultus dilatum usque ad meliora tempora.*

Votis ejus annuit Eminentiſſimus. Perlectis hiſce literis Eminent. Cardinalis ſuæ pietatis eſſe putavit, cavere, ne ea poſtulatio irrita evaderet. Itaque ad R. P. Miſſionarium ita reſcripſit.

Libenter amplector, quam mihi offers, Pater admodùm Reverende! *occaſionem quoquomodo juvandi Apoſtolicam Miſſionem. Quare per literas ad Sanctiſſimum Dom. Noſtr. datas enixè Eundem precatus ſum, ut ſtipendium à ſacra Congregatione de propaganda Fide tibi conſtitutum à Te deſiderari nullo modo patiatur, & præterea in animum induxi, bis centum florenorum ſummam de meo Tibi interim ſuppeditare, ne dilata penſiunculæ illius tuæ repræſentatio Miſſionis ejusdem rebus in præſens officiat. Pecuniæ ſummam eandem ab eo ipſo Mercatore accipies, qui literas haſce manibus tuis exhibebit. Deus incolumem Te præſtet, quo impoſiti tibi muneris partes firmis viribus alacrique animo adimplere valeas, eundémque Deum, ut pro me exores, ex animo peto. Brixiæ* 14. *Aug.* 1748.

Eique 200. fl. de ſuo largitur.

Addictiſſimus in Chriſto
A. M. Card. QUIRINUS.

P. S. *Salutem meo nomine impartire præſtantiſſimo iſtius Univerſitatis Profeſſori Jac. Willel.* FEVERLINO, *cujus honeſtus ac religioſus animus mihi jam antea benè compertus, egregium ſui dedit argumentum, dum ad Miſſionis iſtius utilitates curandas ſuis me officiis excitavit.*

Hæc Author noſter Chartis illeverat, cùm poſt ejus obitum alia ſubiit cataſtrophe heic neutiquam reticenda. *Expedit enim in hiſtoria adnotare, quæ perperàm ab aliquibus fiunt, ne alii ingrediantur viam, quâ perditi ſunt, qui præceſsêre.* Is antem Miſſionarius malo poſtea, neſcio quo, actus genio ad Proteſtantium caſtra tranſiit, quem ut ab errore revocaret Eminentiſſimus Cardinalis, equentibus interpellavit literis:

„Dum per totos tres menſes diu noctúque vehementiſſimè angor ex defectione *Gregorii Rothfiſcheri* ad caſtra Heterodoxorum, unicum-
„que meæ ægritudini lenimen præ-
„beret ſpes aliqua eundem citò ad
„bonam frugem, me pro viribus
„adnitente poſſe revocari, perculit
„me nuncius ante biduum è Germa-
„nia allatus, par facinus ab alio
„fratre meo nimirum *Æmiliano Jor-*
„*dano* patratum fuiſſe, quo factum
„eſt, ut illico exclamarem: *Nobile*
„*par fratrum! &c.*

„Fatalia adeo Chriſtianæ Reip.
„meæque Benedictinæ Familiæ mala,
„imò portenta eo me horrore con-
„cutiunt, ut unà ſimul contabeſcere
„præcordia, hærere calamum & lin-
„guam perſentiam. Conabor tamen
„*Æmiliane!* paucis Te verbis in hiſce
„literis compellare, idque eâ ipsâ
„fermè ratione, qua *Rothfiſcherum*
„(n), ut primum ejus caſum intel-
„lexi, ſum affatus. Huic ſcilicet ad
„mentem revocavi, quæ heri & nu-
„diustertius ante caſum illum ſeu in
„cathedra San-Emmeramenſi diſ-
„putaverat, ſeu editis in lucem li-
„bris evulgaverat adverſus Luthera-
„norum hallucinationes ac fraudes
„meo hac in re uſus commilitio. Tibi
„verò literas iſtas memorabo, qui-
„bus per triennium certiorem me fe-
„ciſti de negotiis Miſſionis Göttin-
„genſis, Tibi ab Epiſcopo Arethu-
„ſiæ in partibus Septentrionis Vica-
„rio Apoſtolico demandatæ. Ain'
„Tu! nonne in literis illis mihi millies
„affirmâſti, ſummoperè Tibi cordi
„eſſe, non indemnes tantùm ab Hæ-
„reticorum inſidiis oves Tibi com-
„miſſas ſervare, ſed præterea ad ovile
„tuum pertrahere quàmplures, quæ
„à fide orthodoxâ aberrarent? Non-
„ne ſæpiùs ad hunc finem opem me-
„am poſtulâſti? Nonne eandem haud
„rarò à pietate mea obtinuiſti? At
„potiùs quàm literas tuas de hiſce
„rebus ad meipſum datas, eas reci-
„tabo, quas ad ſacram de propagan-
„da Fide Congregationem exaraſti,
„partem ſcilicet earum, in quibus
„ſubſidii à me Tibi erogati mentio-
„nem feciſti. Harum exemplar,
„quod ipſe ad me transmiſiſti ſcrip-
„tum Göttingæ die 2. Febr. A. 1749.
„hæc habet: *Celare autem hic non*
„*poſſum Eminentiſſimam Congrega-*
„*tionem veſtram, fortiſſimum Patro-*
„*num & Conſervatorem neo-miſſio-*
„*nis noſtræ Göttingenſis fuiſſe Emi-*
„*nentiſſimum S. R. E. Cardinalem*
„QUIRINUM, ex cujus liberali do-
„natio-

(n) Is ad S. Emmeramum Ratisbonæ in D. Benedicti leges juraverat A. 1740. die 6. Nov. ætatis 20. necdum maturas emenſus ariſtas defecit 1751. xx. Novembr.

„nation & mandato *pro parte ſuſ-*
„*tentationis meæ per rambium mibi*
„*enumerati ſunt ducenti floreni , vi-*
„*ginti verò piſtolettæ,id eſt,viginti doppie*
„(aliarum octoginta, quas poſtea ſup-
„peditavi , mentionem facis in lite-
„ris paulo poſt iſtas ad me datis, ni-
„mirum die 24. Martii 1749.) *ad*
„*emptionem fundi pro extructione no-*
„*væ domûs Dei præprimis neceſſariæ.*
„*Huic Patrono Maximo Deus bonorum*
„*omniū remunerator det tot benedictio-*
„*nes ſicut in cœlo & in terra,quot Miſſa-*
„*rum ſacrificia , quotque ſanctiſsima*
„*Roſaria ad bonorem magnæ Matris*
„*Virginis Mariæ , aliáque devota exer-*
„*citia , illius beneficio ampliſsima per*
„*ſpatium duorum annorum ſunt per-*
„*ſoluta , atque deinceps perſolvenda*,„

„Supereſt ergo , ut quemadmo-
„dum *Rothfiſcherum* ad repetendam
„Chriſti caulam efficaciùs hortandi
„occaſionem ſumpſi ex belli , quod
„unà ſimul geſſimus , ſocietate , ita
„haud diſpari efficaciâ TE horter ex
„ſuſcepto à me rerum tuarum pa-
„trocinio , dum ſacro munere apud
„Göttingenſes fungereris. Ambos
„autem toto pectore exoro per fra-
„ternum verè dulce ſodalitium no-
„ſtrum ; Ambos per petitionem ,
„quam ex præſcripto Regulæ noſtræ
„proſtrati pedibus ſingulorum Mo-
„nachorum die editæ profeſſionis fe-
„ciſtis, quámque manibus veſtris ex-
„aratam , manibus quoque veſtris
„deſuper Altare collocâſtis ; Ambos
„per verſum: *Suſcipe me , Domine ,*
„*ſecundum eloquium tuum , & non*
„*confundas me ab expectatione mea* ,
„quem à vobis incœptum Congrega-
„tio tota tertiò cantavit ; Ambos de-
„nique per lacrymas meas, quas ſuſ-
„penſas oculis gero , dum hæc ſcri-
„bo , quæque me adigunt calamum
„abjicere, hoc tantùm addito , quod-
„cumque pollicitum me fuiſſe repe-
„ries *Rothfiſchero* in literis , quarum
„exemplum hîc adjungo , totum id
„me Tibi polliceri. Vale!

Brixiæ die 2. Martii anno 1752.

Hæc Eminentiſſimus ad *Jordanum*; Literæ verò ad *Rothfiſcherum* ita habent:

Ejusdem ad Rothſiſcherum literæ.

„Lectis literis, quas tribus abhinc
„diebus ad me pertulit poſtremus è
„Germania tabellarius :

„*Haud aliter ſtupui, quàm qui Jovis ignibus ictus,*
„*Vivit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.*

„Quúmque ab animi defectione ali-
„quantulum reſpirare cœpiſſem, in
„hæc verba ſtatim erupit fraternus
„meus erga TE amor. *Hiccine eſt in-*
„*ſignis iſte ſacræ Theologiæ Doctor ,*
„*cujus ante triennium , dum hoſpes*
„*degerem in principali monaſterio ad*
„*S. Emmeramum , admiratus magno-*
„*perè ſum eximiam Divinarum lite-*
„*rarum peritiam , quâ ſcilicet ſeſe mibi*
„*præditum oſtendit , ſeu in diſputatio-*
„*nibus Theologicis coram me babitis ,*
„*ſeu in libris ab eodem evulgatis , mibi-*
„*que dono traditis?* Hiccine eſt, qui
„in eo , quem conſcripſit & edidit
„ſuperioribus tantùm menſibus *de*
„*gratia actuali & habituali* , mentio-
„nem faciens illuſtratæ & vindicatæ
„à me adverſus *Kieslingium* Profeſ-
„ſorem Lipſienſem Cardinális *Gaſpa-*
„*aris Contareni* doctrinæ de juſtifi-
„catione, mecum omninò conſpira-
„vit in refellendis Adverſarii *Halluci-*
„*nationibus* (ut ipſe vocat) ſat clarè
„demonſtrans eundem *deceptrices* tan-
„tùm ſibi fingere notiones , quo aſ-
„ſertum à Catholicis bonorum ope-
„rum meritum oppugnet? Hiccine
„tandem , qui in eodem libro , *Lu-*
„*theri* audaciam redarguens, quippe
„qui ut *ſoli Fidei* juſtificationem tri-
„bueret, haud dubitavit PAULI Apo-
„ſtoli oraculo ad Roman. III. vocu-
„lam *Sola*, quæ non extaret, neque
„in lingua Græca , neque in verſio-
„ne vulgata , de ſuo adſuere , ſapi-
„enter ita monet : *Si eam inſtitui pa-*
raphraſin fas ſit , ut ea textui inſeran-
tur , de quibus adbuc velut pro aris &
foris certatur , neſcio , an adbuc falſa-
rius concipi poſſit , qui iis clauſulis in-
ſtrumentum illuſtrari conatur , quibus
litem certiſſimo in ſui favorem finien-
dam noverit? Bone Deus! Undenam
„ergo factum eſt , ut ad *Falſarios*
„*ipſos*, relictâ repente Eccleſia Magiſ-
„tra veritatis, transmigraveris, TEque
„Doctoribus illis erudiendum tradide-
„ris, quorum notiones & dogmata *ex*
„*turbido fonte* pullulare, diſertè heri &
„nudiustertius affirmâſti : Tunè deni-
„que (*ut hoc etiam addam*) ille es, de
„quo ita ad me ſcripſit die VIII. Se-
„ptembr. anni proximè elapſi *Joan.*
„*Rud. Kieslingius* Publicus Lipſienſis
„Profeſſor? *Cl. Rothfiſcherus Ratiſ-*
„*bonenſis Tuæ cauſæ vindex , emiſit*
„*libri admodùm ſpiſſi , ſed teutonici*
„*partem primam , cui titulus*: Annus
Jubilæi & indulgentiarum oppoſitus
illis, qui contra ſacri Anni ſcripſe-
runt

runt ſolemnia... *Ven.* BETLINGIUM *Helmſtadienſem, alióſque, quorum recenſet libellos, ſua inprimis acu tangit, & rem ex Hiſtoria, & Antiquitate Eccleſiaſtica ſatis eruditè diluit. Prodiit Ratisbonæ, & Viennæ* 1750. *Uſus eſt ſine dubio ſermone teutonico, eo potiſſimùm conſilio, ut homines, qui Latini ſermonis ſunt expertes, ad hujus libri lectionem alliciantur. Habes itaque,* Eminentiſſime Princeps! *Tui operis de injuſta ſeceſſione ſocium...*

„Hiſce à me ſcriptis, labitur calamus è manu mea, quam nimius dolor exanimem reddit, ac proinde id „unum habeo, quod addam, me, ſi „quidem ipſe de reditu ad Romanæ „Eccleſiæ gremium (*quod citò fretus „divinâ miſericordiâ facturum Te ſpe„ro*) cogitaveris, paratum fore omnia „Tibi officia præſtare, quibus non „conſcientiæ tantùm tuæ, ſed hono„ri etiam tuo conſulatur. Ea igitur „animo verè fraterno Tibi polliceor, „quin, ut iiſdem abſque ulla mora „pro arbitrio tuo utaris, ſincerè de„poſco.

Brixiæ die 10. *Febr. anno* 1752.

Zeli ipſius inſigne exemplū.

En inſigne prorsùs zeli Apoſtolici exemplum, nec minùs illuſtre veri Mecænatis & Evergetæ munificentiſſimi ſpecimen, tantò magìs admirandum, quòd Eminentiſſimus hic Antiſtes boni Paſtoris ſecutus exemplum oves perditas requirere, oſtenſóque viridi gratiarum ramo aberrantes quà voce, quà calamo revocare non deſtiterit, dum eas tandem humeris ſuis impoſitas in Sacrarium Domini, ſcilicet *in Ovile monaſticum* rursùs deportaret. Digna cumprimis ſunt, quæ hnc referam verba, quibus *Rothfiſcherum* datis ad eum literis V. Sextilis A. 1752. compellat: *Sodales*, inquit, *nos ambos effecit ſchema monaſticum, Sodales ſacrarum literarum amor, Sodales neceſſitudo in Monaſterio S. Emerami inter nos contracta, Sodales denique pugna, quam junctis armis adverſus Heterodoxos inivimus. Faxit Deus! ut ex reditu illo tuo ad bonam frugem arctiori etiam ſodalitii vinculo impoſterum conſociemur! Id certè ſpero, & pro cauſa Eccleſiæ tamquam bonus ejus miles laborare nunquam deſinam, etſi videam in tam multa & tam deflenda defectione populorum à Sedis Apoſtolicæ obedientiâ plura noſtris temporibus occurrere, quæ longiùs quàm anteà humanam opem exſuperent...* Iſta ibi. In aliis verò ad *Jordanum* die 16. Septembr. eodem anno datis: *Imò*, infit, *pro certo habeas me Tui ac Rothfiſcheri, quos vulneribus confoſſos quaſi in via publica jacere conſpicio, miſericordiâ commotum, paratum fore vel humeris meis ambos in Sacrarium Domini, ſcilicet in ovile monaſticum deportare.* Hæc & alia cùm refrigerato bullulantis animi calore attentiùs relegeret *Jordanus*, magnitudinem demùm facinoris ſui ſerâ æſtimatione penſavit ad monaſterium regreſſus. Quam ob rem Eminentiſſimus Pater eidem ducentorum florenorum ſummam ab Abbate Huisburgenſi pendendam aſſignavit, eum poſt reditum his affatus eulogiis: *TE amo, ac proinde ſecurum eſſe jubeo animi mei argumenta, quæ Tibi non defuerunt, dum Gœttingenſem Miſſionem adminiſtrares, ſeu dum iter illuc parares, multò magìs in poſterum adfutura; ſiquidem haud unquam obliviſcar, dona & ſuſpiria mea cœlo Te peperiſſe. Deo ſint laudes & gratiæ.*

Ejusdem in juvandis conatibus literariis proclivitas,

Etſi verò magni faciendum ſit, à Purpurato Patre ſubſidiariis levari pecuniis, pluris tamen æſtimari debet ejusdem literariis adjuvari laboribus: ut enim Principes nummos inopiæ noſtræ ſuppeditent, eos ſupplices efflagitare audemus; at quis ab eisdem petere ſuſtineat, ut in noſtri gratiam vel horæ quadrantem lucubrando ſurripiant? Jam verò nec hoc gratificandi ſtudium ab Eminent. Card. QUIRINO prætermiſſum fuit. Quid? quòd aliorum preces non ſemel anteverterit. Teſtem hujus rei ſiſto *Bernardum Montfauconium*, percelebrem è Congregatione S. Mauri Scriptorem. Is in Bibliotheca Bibliothecarum Mſ.torum Codicum non diſſimulavit, in explorandis Vaticanis Codicibus, quibus Græcæ Platonis Epiſtolæ continentur, diligentiam à ſe adhibitam haud ſatis votis ſuis reſpondiſſe, quòd diſturbatus, præpeditúsque, qui aderat ejus Bibliothecæ adminiſter, operam ipſi non adeò ſedulam, ac optârat, præſtare valeret. Quid verò Eminent. Cardinalis, ut primùm hæc legit? Audiamus ipſum ad *Montfauconium* in Epiſtola verba facientem. *Itaque*, inquit, *quum ipſe proxima Autumnali tempeſtate Romanum iter de more peregiſſem, & de more pariter quotidie Vaticanam Bibliothecam perluſtrarem, non Bibliothecarium tantùm in ea agens, ſed Cuſtodem etiam, & Scriptorum miniſ-*

& gratificandi ſtudium.

teria

*teria unus implens, quod ii omnes ex
urbe, velut è vinculis* (nt paſſim per
eas ferias fieri ſolet) *ad rura evolâſſent,
me mirum deſiderium tenuit, eos ipſos
tres Codices verſandi, ut inde, quod in-
veſtigationi tuæ defuiſſe conqueſtus fue-
ras, eruerem. Quî enim fieri poſſet, ut
horas, quas in ea Vaticana veluti villa
terebam, utilius ac gratius collocarem,
quàm ſi cum Platone ipſo ruſticarer, &
ex ea floſculos aliquot carperem, ac de-
libarem, quos tibi munuſculi inſtar of-
ferrem?* Tantum gratificandi ſtu-
dium, quis pro dignitate ſatis dilau-
det? Multò minùs verba mihi ſuppe-
tunt, quibus amorem & benevolentiæ
affectum, quo tenerrimo Caſinenſem
Congregationem, atque adeò univer-
ſum Ordinem Benedictinum Eminen-
tiſſimus Princeps complectitur, Lecto-
ri deprædicem. Quare ejusdem ver-
ba huc tranſcribere liceat, quibus Epi-
ſtolæ ad SS.mum D. N. BENEDICTUM
XIV. Pont. Max. data VIII. kal. Maji
an. MDCCXLIII. finem impoſuit.

Caſinenſes Monachos Pontifici commendatos habet.

„ Functus officio, quod San-Man-
„rini Patres fidei meæ crediderunt pro
„commendanda Pontificiæ Tuæ pie-
„tati, BEATISSIME PATER, eorum
„Congregatione, quid aliud modò
„ſupereſt, niſi ut haſce literas clau-
„dens enixiùs adhuc Tibi comendem
„Caſinenſes Monachos meos? Hos ſi
„dixero uberiora quàm anteà Apoſto-
„licæ benevolentiæ argnmenta hac
„tempeſtate promereri, qnòd ſupre-
„mum Præſidem jactent *D. Cyprianum
„Benaglia*, id dixero, quod ipſi Caſi-
„nenſes omnes, quod exteri homines
„quotquot ad Patavinum Lycæum, in
„quo Primarii Sacrorum Canonum
„Profeſſoris Cathedram obtinet, per
„hoſce triginta & ampliùs annos con-
„fluxerunt, uno ore teſtantur; id
„dixero, quod SANCTITATI TUÆ me
„ſæpiùs teſtatum fuiſſe glorior pro eo,
„quo afficior, erga Ordinem meum
„ſtudio, pro ea notitia, quâ Sodales
„meos ita compertos habeo, ut (*con-
„fidenter dicam*) nemo magis. Stu-
„dium illud meum pluribus jam mo-
„dis à me declaratum, præterquàm
„quod certum faciunt publica grati
„animi (abſit verbo invidia) Monu-
„menta ab ejusdem Ordinis Præſuli-
„bus non uno in loco conſtituta, nu-
„perrimè etiam innotuit SANCTITATI
„TUÆ ex cura, quam cœpi, ut ab
„Ipſa impetrarem Protectionis Caſi-
„nenſium munus, quod ante binos
„menſes vacavit; idque non alia pro-
„fectò de cauſa, quàm ut latior inde
„mihi campus aperiretur, de Ordine
„ipſo benè merendi iis officiis, quæ
„Mater à Filio, quæ Sodales à Soda-
„li, quæ Monaſticæ diſciplinæ ama-
„tores ab homine ejusdem non impe-
„rito, jure præſtolentur. Fore, ut
„id munus aſſecutus ita me gererem,
„maxima cum voluptate cognovi cer-
„tò ſibi perſuaſiſſe non Cœnobiticas
„tantùm Venetorum meorum fami-
„lias, ſed & alias, ad quas Romanum
„iter agens divertere ſoleo, nec inter
„ipſas defuiſſe, qui animadverteret,
„ad Caſinenſis Reip. gloriam non me-
„diocriter ſpectare, quòd ejusdem
„commodis ſervire ambiêrim, quo
„ipſo tempore ſplendorem & opulen-
„tiam Patavini Epiſcopatûs recuſave-
„ram. Licèt verò beneficentiſſimo
„Sanctitatis Tuæ animo præviis, ut
„Ipſamet faſſa eſt, neſcio quibus offi-
„ciis, antequàm etiam munus iſtud
„vacâſſet, aliorſum delato, deſide-
„rium illud meum fruſtrà ceſſerit, id
„tamen nihil officit, quin Eandem
„omnibus votis exorem, ut ex Mo-
„naſticis in univerſum Congregatio-
„nibus, quos paternâ charitate com-
„plectitur, Caſinenſes præſertim meos
„diligat, tueatur, exornétque, quo-
„rum baud ultima laus eſt, Gallicam
„& Lotharingicam Congregationes
„ſuperiùs memoratas ſeu primitùs in-
„ſtituiſſe, ſeu ſanctioribus Cœnobi-
„ticæ vitæ moribus imbuiſſe. Eæ ipſæ
„vel ea cauſa ultrò patientur, Ponti-
„ficiam pietatem abundantiùs quàm
„ſibi, cæteríſque aliis, quarumcunque
„nationnm Monachis, Italico Caſi-
„nenſium Cœtui ſavere, quod ut re-
„verà contingat, Sanctitatem Tuam
„iterùm, iterúmque precor.

ſuam etiá munificentiam prodit in Salisburgenſes.

In alia Epiſtola ad Eundem SS.
D. N. Benedictum XIV. anno 1748.
d. 23. Novemb. data ſuam erga Bene-
dictinam Univerſitatem Salisburgen-
ſem munificentiam his verbis Purpu-
ratus Pater commemorat. „Narrabat
„mihi (*Bavariam ex omni parte per-
„currenti*) Generalis Benedictino - Ba-
„varicæ Congregationis Præſes meri-
„tiſſimus, Abbas Weſſofontanus, in-
„dictam nuperrimè fuiſſe ad laudati
„Athenæi emolumentum ſex millium
„Florenorum ſummam ſolvendam à
„Bavaricis Cœnobiis, hæcque alacri-
„ter omnino, quo ipſo tempore in
„ea regione ego verſabar, ratis ſuis
„portionibus ſatisfacere. Nullum cer-
„tè evidentiùs argumentum præbere
„poſſe

„poſſe mihi viſa eſt Congregatio ſui
„erga literas amoris, præſertim quòd
„irrogatio illa obvenerit poſt graviſſi-
„ma diſpendia, quibus Cœnobia ipſa
„obnoxia fuerunt poſtremis hiſce an-
„nis bellorum causâ. Tanta me affe-
„cit admiratione Sodalium meorum
„alacritas illa, ut ſtatim in animum
„induxerim, collativæ ejus pecuniæ
„ſummam meâ quoque ſymbolâ ad-
„augere: quod in univerſæ Monaſti-
„cæ Reip. decus cedere exiſtimem,
„Salisburgenſem Academiam perenni
„ſtudiorum laude florere. Hanc ta-
„men non aliâ magis ratione Cœno-
„bitas meos promereri poſſe, quàm
„ſi ea ſtudia ad Catholicæ veritatis
„defenſionem colliment, hoc illud
„eſt, quod familiaribus à me habi-
„tis inter eosdem ſermonibus aſſiduam
„materiam ſuppeditavit. Erit præ-
„tereà ea ſymbola grati animi argu-
„mentum erga ejusdem Congregatio-
„nis Aſceteria, quæ me hoſpitem per
„integrum menſem humaniſſimè ex-
„ceperunt, & erga Salisburgenſes
„etiam Profeſſores, qui libros à me
„eorum Bibliothecæ ante biennium
„dono datos honorificè admodùm
„memorârunt in iis publicis Actis,
„quæ apud ipſos ſingulis trienniis vul-
„gantur."

Bibliothecam publicam Brixiæ conſtituit.

Urbem Brixiam Eminent. Card. & Epiſcopus Brixienſis cùm multis aliis nominibus ſibi devinxit, tum illo præcipuè beneficio, quo publicam ejus Civibus Bibliothecam magnis ſuis ſumptibus conſtituit. In hujus aditu marmori inciſa Inſcriptio hæc eſt;

BIBLIOTHECAM HANC
A FUNDAMENTIS EXCITATAM
LIBRISQUE PRIMUM INSTRUCTAM
QUOS VATICANÆ OLIM DONATOS
PROPRIO RECENS ÆRE REDIMERAT
AUCTAM DEINDE
NOVIS UNDIQUE CONQUISITIS
AC TANDEM
OPPORTUNIS REDITIBUS DOTATAM
PUBLICÆ UTILITATI APERUIT
ANGELUS MARIA QUIRINUS
BRIXIÆ EPISCOPUS
ET S. R. E. BIBLIOTHECARIUS
AN. DOM. M.D.CC.XLVIII.

Brixienſes ſe beneficii memores gratósq; præſtant.

Urbs Brixia ut tanti, támque ſpectabilis beneficii æternùm memorem, gratámque ſe præſtaret, Acta Fundationis patrio ſermone complexa, typis imprimenda dedit ſub hac epigraphe:

ATTI Spettanti alla Fondazione, e Dotazione della Bibliotheca Quiriniana a publico beneficio eretta in Breſcia dall' Eminentiſsimo e Reverendiſsimo Signor Cardinale Angelo Maria Querini Veſcovo di eſsa Città publicati per decreto degl' Illuſtriſsimi Signori Deputati Publici. In Breſcia MDCCXLVII. Dalle di Gian-Maria Rizzardi. fol.

Præfixa eſt Effigies Cardinalis, cui ſubjecta eſt hæc Inſcriptio:

OMNIGENÆ SCIENTIÆ ET BENEFICENTIÆ
PROTOPLASTI.
QUOD
POST INNUMERA IN HANC PATRIAM BENEFICIA COLLATA
AMPLISSIMAM BIBLIOTHECAM
IN USUM PUBLICUM A FUNDAMENTIS NUPERRIME EREXERIT
COPIA AC DELECTU RARISSIMORUM CODICUM INSTRUXERIT
ET ANNUIS REDDITIBUS DOTAVERIT
DEPUTATIS PUBLICIS CIVITATIS
AD HORUM OMNIUM PERPETUITATEM SELECTIS
IIDEM ICONEM HANC
IN PERPETUUM GRATI ANIMI MONUMENTUM
P. P.
ANNO M.D.CC.XLVII.

Quirini ad novam Pandectarum editionē ſymbola.

Non infimum etiam beneficium fuit, quod QUIRINUS nondum Cardinalis, apud Henricum *Brenkmannum* Juris Civilis in Batavia Profeſſorem collocavit. Adjecerat is animum ad novam Pandectarum editionem ex Codice Florentino adornandam (p). Quòd verò evaneſcere jam inciperent antiquiſſimi ejus Exemplaris literæ, non defuit, qui COSMUM III. Etruriæ Magnum Ducem ſuaderet, ut minimè ſineret, ejus Edi-

(p) Em. Quir. in Comment. vitæ ſuæ part. 1. pag. 64.

Editionis cauſa rurſus *Brenkmañi* manibus pretioſiſſimum illum Codicem contrectari, quòd inde timendum ſoret, ne eædem literæ prorſus abirent, nec ampliùs in poſterum legi poſſent. *Coſinus* antem pro incredibili erga QUIRINUM humanitate, hanc quæſtionem ſolvit, decernendo, ut Codicis illius ſtatum ipſe ocnlis ſuis perſcrutatetur, ac deinde judicium ferret, num idoneus foret, qui absque gravi detrimento collationi, quam *Brenkmannus* meditabatur, deſerviret. Hujuſce hominis propoſito QUIRINI favit ſententia. Pro quo erga ſe ſtudio *Brenkmannus* deinde ad QUIRINUM officioſas ſcripſit literas, quibus perhumanas ei gratias habuit.

Coſmi M. Etruriæ Ducis in Quirinũ clementia.

Quantâ verò clementiâ COSMUS, Magnus Etruriæ Dux QUIRINUM Florentiæ in S. Mariæ cœnobio commorantem proſequutus fuerit, ipſe in Commentario Hiſtorico de rebus ad ſe pertinentibus non tacet, ſed grato commemorat animo. Sic poſtquam Parte I. pag. 75. ejusdem Magni Ducis epiſtolam honorificentiſſimis verbis ad ſe ſcriptam retuliſſet, has lineas ſubjicit: *Hæc omnia ex ea Epiſtola recitare haud erubui, quod, ut dixi, Coſmi III. Clementiam unicè commendent; contra verò juſta erubeſcendi cauſa mihi foret, niſi occaſionem omnem captarem celebrandi, quidquid ſuaviſſimis in principe illa Etruriæ Urbe me per tria circiter luſtra irretivit illecebris, unde factum eſt, ut Cecropiæ, quæ in eadem inſigniter calebatur, Minervæ, me reliquo omni ævo totum addixerim, adeò ut ejusdem ſacris, annoſus modò æditnus magnâ adhuc cum voluptate inſerviam.* Hæc ipſe Purpuratus Princeps, quem velut in orcheſtra poſitum omnibus ſpectandum ſuſpiciendúmque ſiſtimus, Veterum nempe Romanorum ritu, qui militem ſpectatæ virtutis ad ſe in ſublimius tribunal receptum coram tota concione laudabant, & imitandum reliquis proponebant. Ita verò ejus elogium pangit illuſtris noſtræ ætatis Vates Dom. Voltaire: *L'Eminenza Voſtra adorna la dottrina col fregio dell' ingegno, rinforza l' ingegno col zelo, è compiſce il zelo colla munificenza... in ſumma la ſua liberal mano diffonde altrettano di danaro, quanto d' inchioſtro, ed ammaeſtra i dotti, e ſollieva i poveri...*

Mæcenatum in Germania paucitas.

Atque utinam plures ejusmodi Muſagetas & Mæcenates Familia noſtra aleret! utinam noſtri per Germaniam Principes & Antiſtites ejus veſtigia preſſiori pede tererent! Non ita profectò in plerisque Cœnobiis languerent, frigeſcerent, atque jacerent bonæ literæ. Sed quid? Laurum quidem Apollinis quisque ambit & deperit; quisque olivam Pallados cenſet eſſe laude & honore dignam, ſplendidóque *Mæcenatis* titulo delectatur. Verùm quotusquisque eſt eorum, *quibus rei literariæ clavum manu ſuâ torquere Numen conceſſit*, qui publicis conſulentes cōmodis teruncio juvet? Qui ſolidioribus deditos diſciplinis ſuſpicit, aut quidquam in eorum uſus eroget? *Heic arca clauſa eſt, clauſa cunctis dextera.* Ubi pro excolendis ſublimioribus ſcientiis, artibus & diſciplinis ſumptus faciendi, pauperem ſe quisque jurat, nec aliter pecuniâ, quàm ab urticis manum abſtinet. *Multa dicimus*, inquit Trithemius (q), *multa pro decore & utili defenſione Ordinis concludimus, ſed exponere denarios ſinguli formidamus. O zelus debilis, quem tenacitas inutilem facit!*

Cujus mali cauſa ſit.

Cùm autem nulla, aut exigua ſeriis ſtudiis parentur ſubſidia, nulla publicis laboribus literariis ſtatuantur præmia, nullum levamen, nullum ſolatium; quid mirum ſi erectiora etiam ingenia ab occupatione, *quæ laudatur & alget*, deterreantur, & torpeſcere cum aliis incipiant? Vetus parœmia eſt: *Honorem alere artes, omnésque gloriâ incendi ad ſtudia, & jacere ea ſemper, quæ laude vel operæ pretio careant.* Aut igitur Viri docti, ſeduli, operoſi, induſtrii, ac ſeriis ſtudiis dediti favoribus, ſubſidiis & gratiis excitandi, aut profligatio exſpectanda eſt literarum, & inde conſequens diſciplinæ & religionis vilipenſio; quod malum ab Ordine avertant ii, *quibus de meliori luto finxit præcordia Titan!* Satis dixi, μηδὲν ἄγαν. *Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones.*

CAPUT

(q) Trithemius in libello de ruina Ord. Bened. cap. 5.

CAPUT V.

ITINERA LITERARIA BENEDICTINORUM

cùm veteris, tum præſertim recentioris ævi.

Itinerandi Benedictinis non una eadémq; eſt ratio.

QUi Benedictini vel patriæ provincias, vel exteras longéqne diſſitas regiones adiverunt, non unum eundémque ſibi ſemper propoſitum habuerunt finem. Fuerunt, qui Terram ſanctam, limina SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Monaſteria Caſinenſe atque Floriacenſe, utrumque ſacris Divi Benedicti exuviis celebratum, aliáque pia loca devotionis cauſâ inviſerent. Fuerunt, qui ad arctioris diſciplinæ monaſteria proficiſcerentur, ut Ordinis ſui accuratam magis, exactámque obſervantiam addiſcerent. Fuerunt, qni viæ ac itineri ſe committerent, ut veneranda lipſana, ſacrásque Divorum Reliquias domum piâ religione deportarent. Fuerunt, quorum itineris ratio erant legationes, ſum̃orum Pontificum, Imperatorum, ac Regum juſsû ſuſceptæ. Fuerunt denique, qui, ut literarum ſtudia promoverent, adire viros doctrina inclytos, inſtructiores inviſere Bibliothecas, antiquitatíſque perſcrutari monumenta, ſuarum eſſe partium arbitrati ſunt. Atque de his poſtremis uberiùs nonnihil diſſerere inpræſentiarùm nobis conſtitutum eſt.

Vetus conſuetudo apud Benedictinos itinera inſtituendi literaria.

Errat verò, qui eâ in opinione verſatur, ut exiſtimet, morem ejuſcemodi aggrediendi itinera, noſtrô primùm aut certè quidem ſuperiore ævo invaluiſſe. Enimverò primis ſtatim Benedictinæ Familiæ ſeculis fuerunt, à quibus id genus conficerentur itinera. Teſtis eſto *Ælbertus* (r) ſeu *Albertus*, ex proſapia Regum Northumbriæ oriundus. Hunc parentes clariſſimi puerum monaſterio, forſan Eboracenſi tradiderunt, ut ſtudiis ſacris imbueretur. Parentum ſpei optimè reſpondit ingenuus adoleſcens, nec minores in virtutibus, quàm in literis progreſſus fecit. Sacerdos ordinatus Egberto Pontifici adhæſit, ſcholíſque Eboracenſibus præfectus ab eo eſt. Illic liberales ſcientias, Grammaticam, Rhetoricam, Aſtronomiam, ſacráſque literas docuiſſe traditur, multóſque diſcipulos habuiſſe. Tum amplioris doctrimæ avidus, exteras regiones ſcientiæ amore paragravit, ſi quid librorum, aut novæ eruditionis inveniret ac reportaret. Romam profectus à Regibus ſummíſque viris honorificè acceptus, & tantùm non retentus eſt. Ubi domum rediit, Egberti Epiſcopi Eboracenſis, an. *766.* demortui vices ſupplere cogitur. Inter multiplices curas nihil ſtudiis detractum. Alcuino diſcipulo, ut infra dicemus, Eboracenſis Bibliothecæ curam demandavit.

Ælbertus Italiam peragrat.

Quo tempore (s) *Venerab. Beda* condebat hiſtoriam Angloſaxonum, *Nothbertus* Londinenſis, Romam fuit profectus, ac permiſſu Papæ Gregorii II. ex Eccleſiæ Romanæ ſcriniis exſcripſit, quæ ad S. Auguſtini, Anglorum, ut vocant Apoſtoli, profectionem, atque acta pertinerent: uti regulas, epiſtolas ad Auguſtinum à Pontifice miſſas, atque alia id genus. Ea verò certo à ſe ordine in com̃entarios redacta Bedæ transmiſit. Qui ἀντιδώρου loco ei dedicavit opus ſuum XXX. quæſtionum in Regum libros.

S. Adonis iter literariũ in Italiam.

Bonis etiam avibus *S. Ado* noſter, Viennenſis Epiſcopus, iter literarium inſtituit (t). Natus is erat in pago, ut veriſimillimum eſt, Senonenſi, ſeculo nono ineunte, *progenitorum nobilitate ornatus*, teſte Lupo

Abba-

(r) Voſſius de Hiſt. Lat. l. 2. c. 28. p. 278.
(s) Mabill. Annal. Tom. II. l. 24. pag. 211.
(t) Mabill. l. c. p. 630. & Tom. 3. l. 37. p. 163. & 164.

Abbate. Puer in monaſterio, quod Ferrarias veteres dixêre, ſub Sigulfo Abbate oblatus, ibidémq; bene converſatns, omnes ſibi æquales in ſtudiis literarum præivit. Ubi adolevit, permiſſu *Lupi* Abbatis ſui, primò Prumiam, celebre Ordinis noſtri monaſterium, dein Romam eruditionis eccleſiaſticæ cauſa profectus eſt. Poſteaquàm verò in Urbe integrum ferè quinquennium exegiſſet, Ravennam abiit: ubi *quemdam libellum, à quodam fratre religioſo præſtitum, transſcripſit ad deſcribendas ſanctorum Martyrum paſſiones*, id eſt, *Martyrologium*, quod poſtea Ado ipſe concinnavit. Ex quo intelligi datur, Adonis Martyrologium præclariſſimum Itineris Literarii eſſe fructum.

ejus fructus eſt Martyrologium.

Ravennâ digreſſus Ado Lugdunum acceſſit, ibique à Remigio Archipræſule benignè acceptus, atque eruditionis causâ detentus eſt, qui ei neceſſaria omnia benigniſſimè ſuppeditavit. Hic ad *Lupum* Abbatem ſcripſit, ab eóque permiſſorias impetravit literas ad eum retinendum in ſuum, ſuæque Eccleſiæ obſequium, quatenus ntile judicâſſet. Certè *Lupus* ipſe in Epiſtola CXII. teſtatur, ADONEM *diſcendi ſtudio & quietis amore in urbe Lugdunenſium conſtituiſſe*, reverendiſſimis autem viris, Remigio & Ebone Gratianopolitano, inſtanter poſtulantibus, & converſationem memorati fratris laudantibus: *Quamquàm olim meam*, inquit, *habuiſſet licentiam, etiam regulares literas, ſeu obedientiales accepiſſet, & literas etiam eccleſiaſticas*, ſeu dimiſſorias à Venerabili Guenilone, Epiſcopo Senonenſi. Cæterùm haudquaquam mirum eſt, Adonem, qui tantô eruditionis amore flagrabat, Lugduni conſtitiſſe, ubi tum literarum ſacrarum ſtudia, ſi unquam aliàs tantoperè vigebant, à Leidrado Archiepiſcopo excitata, tum ab Agobardo, Remigio, & Floro exculta.

Lugduni conſiſtit.

Denique Ado dum Lugduni verſatur, in locnm Agilmaris Viennenſis Antiſtitis electus eſt, anno 860. agentibus Remigio Lugdunenſi, & Ebone Gratianopolitano. In Epiſcopatu S. Deſiderii, ſuæ Eccleſiæ Epiſcopi & Martyris, nec non S. Theuderici vitas compoſuit, quæ huc non ſpectant; de iis videatur Mabillonius in Annalibus Benedictinis.

Gotſcelini iter per Angliam literariū.

Non minori laude ac commendatione dignum eſt iter literarium, quod *Gotſcelinus*, celebris Hagiographus, ad eruenda Sanctorum Ordinis noſtri Acta per multas diœceſes ac epiſcopatus indefeſſo labore obivit. Erat is primùm S. Bertini in Belgio Monachus, tum S. Auguſtini Cantuarienſis in Anglia: *Illis enim temporibus* (u) *monaſteria omnia, etſi nullo cōmunis regiminis vinculo connexa erant, facilè tamen monachis invicem ultrò citróque commeantibus patebant propter ejusdem religionis unitatem.* Gotſcelinum verò Wilhelmus Malmeſburienſis in libro IV. de Regibus Angl. cap. ult. egregiè commendat: *Hic* „*occaſio temporum Willelmi, Trans*„*lationem Auguſtini, præcellentiſſimi* „*Anglorum Apoſtoli cum ſociis ſuis ex*„*poni animaret, niſi peritiſſimi Goſce*„*lini præcurriſſet ingenium; Goſceli*„*ni, qui Monachus de S. Bertino, cum* „*Hermanno, Epiſcopo Salesberiæ, quon*„*dam Angliam venerat, inſignis litera*„*rum & cantûum peritia.* Is multos „Epiſcopatus & Abbatias perluſtrans „tempore, præclaræ ſcientiæ multis „locis monumenta dedit in laudibus „Sanctorum Angliæ, nulli poſt Be„dam ſecundus; Muſicæ porrò pal„mam poſt Osbernum adeptus. De„nique innumeras Sanctorum vitas „ſtilo extulit veterum vel hoſtilitate „amiſſas, vel informiter editas com„ptiùs renovavit. Hujus quoque „Translationis ſeriem ita expolivit, „ut eam præſentibus digito monſ„traſſe, futurorúmque videatur ſub„jeciſſe oculo. Felix lingua, quæ „tot Sanctis ſervivit, felix pectus, „quod tot vocales melodias emiſerit; „præſertim cùm in ejus converſatio„ne certaret honeſtas doctrinæ &c.„

Sanctorum vitas comportat.

Gilberti Criſpini peregrinatio.

Gilbertus Criſpinus erat, teſte Pitſeo lib. de illuſtr. Angliæ Scriptoribus (x), *Vir ingenio, pietate, doctrinâ cum præcipuis quibusque ſui temporis doctoribus meritò comparandus.* Nam in monaſterio ſuo (veriùs in Beccenſi) literas humaniores, imò omnes artes liberales, & philoſophicas ſcientias accuratè didicit. Deinde in ſtudiis Theologicis Magiſtrum & Docto-

(u) Mabill. Annal. Bened. Tom. 2. lib. 32. n. 49. p. 630. & Præfat. I. in Sec. IV. O.S.B. §. IV. n. 44. hæc habet: *Una quippe erat eorum* (veterum Monachorum) *ſocietas, facilis & promiſcuus in alia Monaſteria Monachorum invicem cum Præfectorum licentia commeatus: tametſi omnia ſeparata erant; ſed una charitatis lege confœderata.*

(x) Ætat. 12. pag. 196.

torem habuit S. Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem, cujus ductu intimos ſacrarum Scripturarum penetravit receſſus. Poſtea Gallicanas inviſit Academias, & Italiâ demum peragratâ, Romam venit, atque inde per Germaniam rediit in patriam. Avidum hominis ad doctrinam ingenium quidquid erat ubivis gentium ſcientiæ, ſitiebat ardenter, imò imbibebat diligenter.

Adelardi iter literariũ in ipſam Arabiam.

Ejusdem Angliæ, ſed in monaſterio Bathonienſi, cœnobita erat ſeculo XII. ADELARDUS, qui *Erichiaſarim* de VII. planetis Latinè ex Arabico vertit. Nec Arabicè ſciviſſe, mirandum inquit Voſſius lib. III. de Matheſi cap. 16. §. 8. quando non modò Galliam, Germaniam, Italiam adiit: ſed etiam Hiſpaniam, Ægyptum, Arabiam ipſam.

Jo. Boſtoni per univerſa Angliæ monaſteria & collegia.

Seculo XV. ineunte eâdem in Anglia claruit *Joannes Boſtonus*, S. Edmundi, ſeu Burienſis Monaſterii cœnobita. Qui, quò meliùs rem literariam promoveret, univerſa ferè Angliæ monaſteria, & collegia perluſtravit, Bibliothecas rimatus eſt, libros acquiſivit, Scriptores ordine alphabeticô digeſſit, ætatem eorum ac vitam adjecit, quibuscunque in Bibliothecis monumenta illorum inveniantur, notavit. Ejus *Catalogus* à viris doctiſſimis Henrico Uſſerio, Thoma Galeo, Guilielmo Caveo, & aliis ſingulari in pretio habetur.

Multò tamen celebriora, Reique publicæ non Literariæ modò, ſed Catholicæ univerſæ utilia magis ea fuerunt itinera, quæ recentiores Benedictini cùm Regum ac Principum auſpiciis, tum Superiorum & Majorum juſſu in exteras terras, regiones, & provincias ſuſceperunt.

Ant. Yepeſii per Hiſpaniã.

Antonius Yepeſius, ut Chronico Generali Ordinis noſtri cum dignitate conſcribendo, manum admovere poſſet, ad pleraque totius Hiſpaniæ Benedictina Cœnobia longinquas peregrinationes inſtituit.

Anſelmi Pajoli per Galliam & Hiſpaniam.

Anſelmus Pajolus, ex doctiſſimo Jurisconſulto Monachus Congr. Caſinenſis, ſapientûm more rariores doctrinas exteris in regionibus acquiſiturus, præcipuas Europæ regiones, Galliam præſertim & Hiſpanias peragravit, linguarum peritiam exactiſſimam, præter reconditas eruditiones, ſecum referens, in patriam demum regreſſus, quæ longo didicerat tempore, variis libris in medium protulit. Sed nec in extrema quidem ſenectute iter agendi cupidinem depoſuit; nam anno MDCCVII. media hyeme Romam Mediolano, ubi tunc degebat, venit, ut inde Sacrum Caſinenſe Archiſterium atque Neapolim viſeret.

Ang. Mariæ Quirini per totam Europam.

Angelus Maria Quirinus, tum Religioſus in monaſterio S. Mariæ Florentiæ, nunc S. R. E. Cardinalis, more veterum ſapientum exteras ſubinde regiones peragravit, Galliam, Germaniam, Belgium, Britanniam, pretioſiores undique ſcientiarum opes acquirens, & ſelectiſſimam ſibi Bibliothecam comparans, Pariſiis aliquamdiu ſubſtitit, celeberrimas Bibliothecas diligenter perluſtrans viróſque doctiſſimos Maurianæ præſertim Congregationis ſapientiſſimos Monachos continuò inviſens, ex quorum conſuetudine utilitatis haud parùm hauſit. Jam verò & hujus Purpurati Patris & aliorum nonnulla Itinera literaria uberiori aliquantùm ſermone enarrare juvat.

§. I.
Johannis Trithemii Itinera Literaria.

EA eſt vis ac virtus præſtantis nec vulgaris cujusdam doctrinæ atq; eruditionis, ut quemadmodum magnes ferrum, ita ipſa homines optimarum artium ſtudioſos, tametſi longè poſitos, ad ſe invitet, alliciat, pertrahátque. Doctiſſimi Abbatis *Trithemii* nomen non totâ modò Germania, ſed per omnes literatæ Europæ provincias clariſſimum erat, ac longè celeberrimum. Unde magni Virorum illuſtrium concurſus ad eum undique fiebant. At enim, ut olim non omnibus adire Corinthum licuerat, ita Viri maximæ dignitatis ac celſiſſimi faſtigii erant, quibus, quò minùs ad Spanheimenſe monaſterium accederent, complures eæque graves obſtiterunt rationes. Quare cùm per frequentes nuntios, tum per literas humaniſſimè ſcriptas à Trithemio petierunt, ut, ſuſcepto itinere literario, ad ipſos potiùs ſe conferre non gravaretur.

Anno Chriſtianorum MDIII. in menſe Octobri (y) convenerunt apud Franckfordiam, oppidum imperiale, Principes Electores, *Bertholdus* Archiepiſcopus Moguntinus, *Hermannus* Archiepiſcopus Colonienſis, *Jacobus*

(y) Chron. Spanheim. ad an. cit. pag. mihi 418.

cobus Archiepiſcopus Trevirenſis, *Philippus* Comes Palatinus Rheni, & *Joachim* Marchio Brandeburgenſis, & nomine Friderici Ducis Saxoniæ Orator *Henricus de Bunaw* miles, qui cauſas Imperii quasdam in communi tractârunt. Aderat & Reverendiſſimus Apoſtolicæ Sedis Legatus, *Reymundus* Presbyter Cardinalis S. Mariæ novæ, Epiſcopus Gurcenſis, unà cum Oratoribus Maximiliani Regis Romanorum ſemper Auguſti. Aderat & *Johannes Trithemius* Abbas, literis & nuntiis vocatos per Sereniſſimum Principem Joachim Marchionem præfatum, qui deſiderio viſendi & audiendi Trithemium multo jam tempore æſtuaverat, mansítque apud eum diebus continuis x. eorum, quæ cupiebat audire Princeps ab eo, reddens pro viribus rationem. Abbate autem Trithemio Franckfordiæ commorante, Legatus Apoſtolicus ad menſam invitatur Marchionis, invitatur & ipſe *Trithemius*, abiturúsque tandem ab utroque muneribus donatur Abbas magnificus. Valedicens Abbati Legatus, beatiſſimi Antonii verbis eſt uſus, dicens: *O quam tardè notus, quàm citò recedis.* Commenſalis eram, ſcribit ipſe Trithemius in epiſtola (z) ad Rogerium Sycambrum, ipſius Marchionis Joachim continuus, à Cardinale quater, & bis ab Archiepiſcopo vocatus ad menſam, argenteiſque vaſis in receſſu meo pulcherrimis donatus per eos, & in multa familiaritate habitus.

Trithemius Franckfordiam evocatur.

Biennio poſt, viz. Anno MDV. Conventus Principum apud Coloniam factus eſt magnus in principio menſis Julii, ad confirmandam pacem, & concordiam, per mandatum regale convocatus, & duravit usque in finem ejusdem menſis. Ad eundem verò conventum iturus de Marchia Brandenburgenſi Joachim Princeps Elector ſupradictus, nuncium equitantem præmiſit cum literis ad Abbatem Johannem Trithemium, qui tum Spiræ in domo Abbatis Limpurgenſis morabatur infirmus, quibus rogabat, ut ad ſe Coloniam deſcenderet, mittens illi viaticum; qui poſtulanti tanto Principi libenter annuit, in cujus oculis jam anteà gratiam magnam invenit.

Coloniâ venire rogatur.

Iter verò hoc ſuum literarium Abbas Trithemius in epiſtola (a) ad Rogerium Sycambrum his verbis deſcribit: „ Satisfacturus tuo deſiderio, „ quod priusquàm Neometim exirem, „ te rogante, promiſi, amantiſſime „ Sycamber, quam habuerim in navigando ſortunam, & quid hîc „ [circa me] agatur, ſcriptis tibi meis „ breviter volui aperire. Neometim „ 25. die menſis Junii cum magiſtro „ Narciſſo ex Pariſio nuper ad me miſſo, & quibusdam aliis familiaribus „ noſtris exivi, eodémque veſperi „ Moguntiacum vecti curribus intravimus. Poſtridie conſcensâ navi, „ proſperóque navigantes vento Rhenum ſulcantes deſcendimus, & primâ die menſis Julii Bunnam applicuimus. Erat autem Vigilia ſolemnis Viſitationis beatiſſimæ Dei Genitricis, ſemper Virginis Mariæ. Ibi „ adventum Sereniſſimi Principis Joachim Brandenburgenſium Marchionis biduo exſpectavimus, intereà copioſiſſimè in omnibus proviſi munificentia Reverendiſſimi Colonienſium Archipræſulis Hermanni. Tertia verò die menſis Julii circa ſolis occaſum venit etiam ipſe „ Princeps, quem exſpectabamus, „ cum ſexaginta equitibus, quem Archiepiſcopus honorificè ſuſcipiens „ triduo ſecum detinuit. Sextâ die mane ipſius menſis Bunnam exeuntes, „ circa horam decimam ad Coloniam „ venimus. Et nunc ſumus hîc nullam receſsûs noſtri certitudinem „ habentes --- Si ſcire vis ea, quæ „ circa me aguntur, accipe paucis. „ Sum hîc in hoſpitio mihi deputato „ juxtà Principem, de cujos ordinatione omnia nobis copioſè miniſtrantur, quæ neceſſaria ſunt. Ad „ menſam interdum, imò crebriùs, „ voco amicos noſtros viros eruditos „ atque philoſophos, quorum alloquio & diſputatione nihil poterimus habere jucundius. Inter quos „ extant præcipui *Theodericus Ulſenius* medicus, mathematicus, & „ poëta dulciſſimus. *Jacobus de Maſeck* medicus & philoſophus ſingularis eruditionis, cum quo mihi bellum & continua decertatio eſt contra ſtultitiam, inanésque alchimiſtarum ſpes, qui magna promittunt, „ cùm ſemper nihil habeant ipſi. *Jacobus Kymolanus* Ordinis Carmelitarum ex Gandavo Theologus, „ amœni & dulcis ingenii homo, qui „ generalis magiſtri ſui religionis de „ Anglia exſpectat adventum, cum

Cum quibusdam Medicis contra Alchimiſt disputat.

„ quo

(z) Epiſt. famil. 12. lib. 1. pag. mihi 524.
(a) loc. cit. ep. famil. lib. 1. ep. 20. pag. 454.

Ejus cum viris eruditis converſatio.

„ quo ſuavis mihi converſatio eſt. „ *Georgius Sibutus* poëta, noviter „ manibus regiis hîc laureatus, juve- „ nis quidem, ſed ingenioſus. *Joan-* „ *nes Capellerius* vice-comes Regiæ „ villæ, philoſophus & mathemati- „ cus Pariſienſis, eruditus & profun- „ dæ ſpeculationis, de cujus ingenii „ vivacitate admirantur multi doctiſ- „ ſimi viri. Tempore brevi paucíſque „ diebus Græcæ notitiam linguæ „ magna didicit ex parte, legit per- „ fectè, competenter intelligit, ele- „ gantémque ſcribit characterem. Sex „ menſium vix ſpatio Græcus diſci- „ pulus, & multorum evaſit præcep- „ tor: nam plures ad me Græcas non „ inelegantes ſcripſit epiſtolas. Cum „ his eruditiſſimis viris jucunda nobis „ converſatio eſt, & de variis ſcriptu- „ rarum locis inquiſitio continua. Uti- „ nam te nobis comitem itineris habe- „ re licuiſſet, quò ingenio tuo amantiſ- „ ſimos tui hoſpites noſtros frui con- „ tingeret. Vale mi frater, & Deum „ ora pro nobis. E Colonia 12. die „ menſis Julii. Anno Chriſtianorum „ 1505.

à Maximiliano Imper. accerſitur.

In eodem Conventu (b) Principum *Maximilianus* Rex XXIX. die menſis Julii vocavit ad ſe Johannem Trithemium Abbatem, cum Domino Marchione (ſicut diximus) exiſtentem, cujus famam multorum relatione (ut aſſeruit) ſæpiùs audiêrat, & de variis quæſtionibus ſcripturarũ longam cum eo habuit diſputationem; unde non parùm eô loquente Rex exhilaratus eſt, privilegium illi Capellæ Imperialis cum certis libertatibus contulit, ac muneribus honoratum magnificis à ſe cum benevolentia dimiſit.

Invitatur in Marchiam, &

Coloniæ Abbas *Trithemius* per integrum menſem cum ipſo Marchione permanſit, qui rogabat eum inſtantiùs, ut ſecum ad terras Marchionatûs Brandenburgenſis pergeret, per menſes aliquot cum eo manſurus: quod facere ſine conſilio illuſtris Principis Philippi Comitis Palatini Trithemius noluit, cujus multam humanitatem & tunc & ante expertus erat. Unde conſenſu ipſius Principis, in cujus ditione Monaſterium Spanheimenſe ſitum erat, impetrato, Abbas Marchioni promiſit, ſe facturum, quod poſtulaverat. Priùs verò quàm *Trithemius* iter ingrederetur, de Colonia ad Spiram reverſus eſt, ubi (c) venit ad eum Doctor quidam Medicinæ, nomine *Narciſſus*, ex regno Gallorum com literis cujusdam Epiſcopi Cohurſenſis *, qui Trithemium propoſitis magnis donationibus ad ſe vocavit in Galliam, pecuniis pro viatico multis & ſufficientibus in promptu præparatis. Fama námque illius impulſus Præſul memoratus, cupiebat eum vel perpetuò vel ad tempus ſecum habere in Galliis, & multa proptereà pollicebatur. Sed Abbas *Trithemius*, qui ſe veſtigia Marchionis Joachim promiſerat ſubſequturum, & viaticum L. florenorum ab eodem jam ſuſceperat, fidem ſervare promiſſam omnino cupiens, Galliam cum miſſo Doctore intrare nequaquam poterat. Per literas ergò Præſuli ad quædam interrogata reſpondens, Doctorem remiſit ad Gallus, & quod eâ vice nullatenus poſſet venire, cum eo declaravit.

Galliam.

* *Cabors Cadmenm.*

Iter parát in Marchiã,

Conventu igitur Principum tandem ſoluto, *Joachim* Marchio per Saxoniam iter faciens, ad ſua reverſus eſt, conſignato priùs Abbati copioſo viatico, & comitivâ ſatis honeſtâ. Anno itaque prænotato die menſis Auguſti VI. *Johañes Trithemius* Abbas cum ſuis exivit Coloniâ, & navigio aſcendit ad Moguntiam: non enim volebat intrare Marchiam, niſi priùs de monaſterio neceſſariam feciſſet narrationem Priori: à Moguntia igitur rurſus aſcendit Spiram, & vocatum ad ſe *Nicolaum de Reinig* Priorem ſuum, omnem curam & diſpoſitionem monaſterii hujus illi commiſit, diſpoſitíſque, ut potuit rebus, per Thuringos Marchiam intravit, & veniens ad Berlin oppidum, in quo Marchionis eſt reſidentia, cum gaudio magno & honore ab eo ſuſceptus eſt, & in omnibus juxtà principalem munificentiam copioſè proviſus.

Berolinum venit,

Nec grata minùs fuit Trithemii præſentia civibus Berolini Urbis. Cùm enim eſſet artis medicæ apprimè intelligens, eorum plures morbis oppreſſos medicamentis ſuis in priſtinam reſtituit ſanitatem. Epiſtolam *Leſcanii* Presbyteri & Sacellani Aulici Marchionis *Alberti*, quâ pro recuperata valetudine eidem gratias agit, alio loco afferemus. Nunc ipſum Trithemiom de ſua Berolini commoratione in epiſtola (d) ad Rogerium Sycambrum audiamus: „ Miſſurus Capellanum

ibi plures curat infirmos.

(b) Chron. Spanh. pag. 423.
(c) loc. cit. pag. 425.
(d) Ep. XLV. Lib. I. Ep. famil. p. 480. confer etiam epiſtolam XLV.

„ num meum ad partes Rhenanas,
„ optime Rogeri, me ipſum prohibe-
„ re non potui, quò minùs literis de
„ noſtri ſtatûs ratione facerem te cer-
„ tiorem. Vivimus hîc per Dei mi-
„ ſericordiam ſani, non ultimo apud
„ Principem loco habiti, doctorum
„ tamen virorum ſolatio penè deſti-
„ tuti. Homines quidem boni, ſed
„ nimis barbari & indocti, commeſ-
„ ſationibus & potationibus magis
„ dediti, quàm ſtudio bonarum lite-
„ rarum. Rarus hîc homo ſtudio de-
„ ditus Scriptnrarum, ſed quâdam
„ innatâ eis ruſticitate converſantes
„ otio gaudent, & poculis. Mihi
„ autem ſatis admodùm incolarum
„ placent mores, quoniam magnâ
„ fervent in religionem Chriſti obſer-
„ vantia & devotione. Dei templa vi-
„ ſitant diligentiſſimè, feſta Sancto-
„ rum reverenter concelebrant, & in-
„ dicta eis jejunia tenaciſſimè obſer-
„ vant, tantóque ſunt in Dei cultu
„ ferventiores, quanto cum noviſſimis
„ Germaniæ populis ad Chriſti fidem
„ noſcuntur converſi. Solus bibendi
„ exceſſus nomen vitii non habet,
„ quamquàm & multi apud eos re-
„ periantur abſtemii, & advenæ Fran-
„ cones & Suevi, ut frequenter ſu-
„ mus experti, plus in potationibus
„ excedunt, quàm indigenæ Terræ.
„ *Et in Epiſt. ad Jo. Vigilium Suntz-*
„ *bemium:*

Suum exponit ſtatum,

„ Quæ circa me aguntur, ex lato-
„ re intelliges: quomodo nobis Mar-
„ chia placeat, his accipe paucis:
„ Terra quidem bona eſt & fructifera
„ multùm, ſed laborioſis indiget cul-
„ toribus, & cùm ipſa ſit vaſta, ſoli-
„ tudine ampla, & ruſtici pauci atque
„ pigerrimi, potationibus & otio ma-
„ gis quàm laboribus dediti, de qui-
„ bus dicere poſſumus: Marchianitis
„ feſtivitates & otia pauperiem, jeju-
„ nia morbos, & potationes mortem
„ accelerant, quoniam in his tribus
„ plus quàm cæteræ nationes Germa-
„ norum videntur excedere. Sunt
„ enim homines quaſi naturâ ad oti-
„ um nati, & multis Divorum feſtis
„ laborare vetantur, perpetua ino-
„ pia preſſi, maximè qui morantur
„ in rure. Jejuniorum verò ſunt om-
„ nium, quos vidimus, obſervantiſſi-
„ mi, & in hoc uno laudabiles præ
„ multis merito æſtimandi. Sed ma-
„ jor eorum multitudo potationibus
„ nimiùm dedita, meritum jejunan-
„ di turpiter commaculant, usque
„ adeò, ut hîc penè nihil aliud ſit
„ vivere, quàm comadere & pota-
„ re. „ Hæc Trithemius de moribus Gentis.

morésque gentis illius.

Manſit autem cum eodem Principe in Marchia menſibus IX. varia ad inſtitutionem illius laudabilem componens opuſcula. Erat enim Princeps idem in omni varietate ſcripturarum doctiſſimus, annum tunc agens XXIV. ſed prudentia atque ſapientia longè ſupra ætatem clarus & multùm inſignis: qui amore ſcientiæ ſalutaris niminm æſtuans, Trithemium à multis annis habere Præceptorem deſideraverat. Præſentem etiam voluit eſſe Abbatem Trithemium, quando novum Univerſale Gymnaſium in oppido ſuo Franckenfurt cis Oderam inſtituit: cujus primus Rector Univerſitatis & Lector Theologicæ Facultatis ordinatus eſt *Conradus* ex Buchen (e) Francus Orientalis, Doctor Lipſienſis *de Wimpfen* nuncupatus. Factum id fuit cum magna ſolennitate anno MDVI. die XXVI. menſis Aprilis, quæ fuit Dominica ſecunda poſt feſtum Dominicæ Reſurrectionis.

Ejus apud Berolinenſes mora & geſta.

Quâ fortunâ ad patriam redeundo iter confecerit, ipſe Trithemius in Epiſtola ad Marchionem Joachimum ſcripta ex Heidelberga 18. die menſis Junii anno Domini 1506. his verbis exponit: „ Quarta decima die menſis
„ Maji Berlin oppidum reſidentiæ Se-
„ renitatis tuæ, ut ſcis Princeps cla-
„ riſſime, circa horam undecimam
„ exivi, & juxtà prædictiones Aſtro-
„ phili noſtri plura nobis contigerunt
„ adverſa, ſed miſerante Deo evici-
„ mus omnia. Sex namque diebus
„ morbo calculi & veſicæ laborans,
„ gravitérque afflictus remanere in
„ Lypezig coactus ſum, & manibus
„ me committere medicorum, quod
„ anteà feci nunquam. Cúmque ve-
„ niſſemus ad Rhenum, per ſatellites
„ cujusdam iniquiſſimi Comitis incen-
„ diarii, monaſterii Lymburgenſis ego
„ cum nnntio Serenitatis tuæ famu-
„ líſque meis & uno monacho me-
„ morati cœnobii exuſti capti ſumus
„ in feſto SS.^mæ Trinitatis circa ho-
„ ram undecimam, ductíque in ca-
„ ſtellum vicinum. Eodem tamen
„ ſero cognoſcentes, me ſub tuitione
„ regia cuſtoditum, omnes nos dimi-
„ ſerunt:

Redit in patriam.

(e) ex Buchonia ſive ex Fagis. Ejus Vita typis mandata fuit Altenburgi an. 1725. 8vo. operâ V. C. Chriſtiani Gotbold Wiliſch.

„ ſerunt: cauſam, propter quam nos „ cepiſſent, afferentes non aliam, niſi „ qoòd me negotiis combuſti mona- „ ſterii Lymburgenſis faventem arbi- „ trarentur.

Iterùm in Marchiam venire rogatur.

Anno MDVII. Tritbemins Abbas Spanheimenſe Monaſterium cum illo S. Jacobi, quod eſt in ſuburbio Herbipolenſi, jam commutaverat. Quô etiam annô (f) Joachim Marchio Brandenburgenſis, Romani Imperii Archi-Camerarius ac Princeps Elector, miſſis ad Trithemium apud Herbipolim literis cum nuncio atque muneribus, rogabat eum, quatenos adhuc ſemel Marchiam dignaretur ingredi, & ſecum vel ad duorum menſium tempus commorari, ad pleniorem inſtitutionem tam Græci quàm Latini ſermonis, & aliarum bonarum artium complementum. Sed Trithemius noſter monaſticæ quietis amator, bac vice tam procul abire non conſenſit, quamvis Marchio illi plura promitteret, cui & priùs multa donavit. Utriusque & Joacbim Electoris & Trithemii Abbatis epiſtolas ſuprà Cap. III. recitavimus.

Vocatur à Maximiliano Imp.

Maximilianus quoque Rex Romanorum eodem anno ex conventu Principum apud Conſtantiam celebrato, per nuncium & per literas ad ſe vocavit Trithemium, qui tamen usque in annum ſequentem ſuum diſtulit adventum, propter mirandum Polygraphiæ opos Regi dicandum, quod necdum erat perfectum.

Et iterùm Coloniâ,

Anno MDVIII. Johannes Trithemius Abbas quondam Spanhemenſis (g) tunc apud S. Jacobum Herbipoli in ſuburbio Abbas jam tertiò vocatus per nuncios atque literas, miſſóque viatico ſufficiente, ad Maximilianum Cæſarem venit ad Moguntiam, & ulteriùs ad Coloniam; ubi invento Cæſare, manſit cum eo quaſi menſibus tribus, & poſteà remuneratus ab eo ad propria reverſus eſt. *Sequebatur autem Tritbemius Cæſarem in ejus curru ſubvectus à Colonia in Sigeberg, & inde usque ad Bopardiam, ſempérque fuit eorum de variis rebus diſputatio*, ut memorat ipſe in Chron. Spanh. MS. (h) Tum verò Auguſtus octo quæſtiones Abbati noſtro diſſolvendas propoſuit, 1. De Fide & intellectu. 2. De Fide neceſſaria ad ſalutem. 3. De miraculis infidelium. 4. De Scriptura Sacra. 5. De reprobis atque maleficis. 6. De poteſtate maleficarum. 7. De Permiſſione divina. 8. De Providentia Dei. Has quæſtiones Trithemius domum reverſus ſolvit, ac in librum congeſtas Cæſari transmiſit præmiſſâ hâc epiſtolâ:

indéque Bopardiâ ubi octo quæſtiones Cæſar Trithemio proponit.

„ Parui mandatis tuis, Maximiliane Cæſar Invictiſſime, & eas quæſtiones octo, quas mihi dudum ad Celſitudinem tuam vocato in Caſtello Bopardiano propoſuiſti, quâ potui brevitate abſolvens, in hanc formam libelli conſignavi. Voluiſti autem (ſi rectè memini) ut quantum fieri potuit, in earum ſolutione viam ſequerer naturæ propter eos, qni credulitati minus concedunt. Quod mihi tamen non in omnibus poſſibile videbatur, pro eo quod materia quæſtionum in plerisque locis theologicis potiùs qoàm naturalibus ſubjacebat principiis. Nam etſi Chriſtiana religio inter omnium mortalium ſectas naturæ legibus vicinior & magis conformis habeatur & proxima: articuli tamen fidei noſtræ principales non omnes ſecundùm viam naturæ communem ſunt probabiles. Quod ideò factum neceſſariò credimns, ut & fides locum habeat, & firma credulitas merito ſuo non careret. Medium itaqoe pro viribus iter diſputationis de mandato ingreſſus, partim naturæ, partim quoque divinarum ſum uſus teſtimonio ſcripturarum. Enimverò quæ nos credere convenit, humanis non ſunt argumentationibus temerè diſcutienda: *quoniam*, ut ſacer inquit Gregorius, *Fides non babet meritum, cui bumana ratio præbet experimentum.* Cum timore igitur Dei & reverentia intemeratæ religionis noſtræ Cbriſtianæ ita reſpondere ad propoſitas quæſtiones inſtitui, nt à diffinitionibus Eccleſiæ Romanæ nec joco nec ſeriò diſcedam. *Unde quicquid vel ſcripſi unquam, vel ſcripturus ſum, ejus determinationi & judicio totum volo eſſe ſubjectum..*

de quibus Trithemii epiſtola ad Imp. Maximilianum.

Poſt epiſtolam haoc ad *Maximilianum* Cæſarem ſcriptam, non legitur Trithemius, quod ego quidem ſciam, ullum deinceps confeciſſe iter literarium, licèt à Viris Principibus ad id obeundum & literis invitatus, & muneribus ſollicitatus fuerit. Potior ei erat quies monaſtica, quâ ſuaviſſimâ Herbipoli in Monaſterio S. Jacobi cùm frueretur, ancillantes Mercurii filias,

Trithemius quietis monaſticæ cultor per literas univerſû peragrat orbem,

(f) Chron. Spanh. pag. 430.
(g) loc. cit. pag. 431.
(h) Vide Vitam Trithemii Part. III. pag. 292.

filias, *Epiſtolas* huc illúcque miſſitavit, & locô ſui *Paulum Langium*, diſcipulum ſuum, ad congerendas opes literarias, veteréſque notitias totam ferè Germaniam peragrare voluit, ut mox ſumus dicturi. **& Sodalitates literarias excitat.** Eundem verò in ſcopũ Trithemii ſuaſu & coaſilio tum temporis varias per Germaniam *Societates Literarias*, imperante *Maximiliano* excitatas eſſe & ſtabilitas, plura haud ſubleſtæ fidei monumenta nos docent: quarum illuſtriſſima illa fuit, cujus Princeps extitit *Joannes Dalburgius* Wormatienſis Epiſcopus, cujúſque Director fuit *Tritbemius*, Socii verò *Henricus Bunaw*, *Bilibaldus Pirckbeimer*, *Henricus Gröninger*, *Conradus Celtes*, *Eberbardus de Campis*, *Joannes Butzbachius*, *Jacobus Syberti*, & alii, ad quos variæ Trithemii extant epiſtolæ. *Confer. Jacobi Burckbardi Cõmentaria de Linguæ Latinæ in Germania fatis Tom. II. p.* 403. *ſeqq.*

§. II.

Pauli Langii Iter Literarium.

Langius ex voluntate Tritbemii iter aggreditur QUo tempore *Joannes Tritbemius* magno cum ſtudio, multáque cum cura laborem ſuum in conſcribenda cùm ſacra, tum profana Hiſtoria verſari voluit, de itinere literario ſuſcipiendo cogitare cœpit: Cùm verò ipſe illud conficere non vellet, aut, qnod verius eſt, per negotia & præfecturam monaſterii non poſſet, è re tamen futurum ei viſum eſt, ſi *Paulus Langius*, Monachus Zwicavienſis, vir minimè illiteratus, viæ ſe committeret. Is enim cùm otioſam ſuo in monaſterio vitam agere nollet, literis dimiſſoriis ab Abbate ſuo impetratis, ad Jo. Trithemium Herbipoli, ubi tunc ad D. Jacobum Abbas erat, adiit. Hunc itaq; ſuum diſcipulum Trithemius ad Germaniæ monaſteria excurrere juſſit, ut undecunq; conquireret, deſcriberet, transmitteret, quæ ad Rernm Germaoicarum hiſtoriam illuſtraodam, aut Catalogum Scriptorum Eccleſiæ adaugendum pertinerent, de quo ipſe *Langius* (i) his ipſis verbis nos docet:

anno 1515. „Eodem anno (MDXV.) cùm
„eſſem amore literarum, Benedicti Ve-
„nerabilis Abbatis noſtri cum con-
„ſenſu dimiſſorio & licentia, Herbi-
„poli in divi Jacobi Apoſtoli cœno-
„bio, ſub reverendi & undecunque
„doctiſſimi viri, domini *Joannis*
„*Tritbemii*, memorati monaſterii Ab- **Trithemius rerum Germanicarum hiſtoriis ſcribendis inſudat.**
„batis, ad tempus doctrinâ & obe-
„dientiâ; ipsô tunc Germanicarum
„rerum hiſtoriis tribus voluminibus
„deſcribendis operam dante, cupien-
„téque curâ eâdem ſuùm de Scri-
„ptoribus Eccleſiaſticis librum, jam
„olim in Spanbeim usque ad annum
„Dom. MCCCCXCIV. productum,
„usque in præſens continuare tem-
„pus, viros videlicet illuſtres, qui
„interim ſcriptitâſſent, ſuis cum lu-
„cubrationibus, Scriptoribus Eccle-
„ſiaſticis, jam antea in præfato li-
„bro cùm ſcriptis & impreſſis, per
„quandam additionem novam con-
„nectere: qui, quatenus faciliùs &
„promptiùs conatum ſuum laudabi-
„lem perficere poſſet, me, quem ad
„admiuiculandum ſibi rebatur ido-
„neum, cum literis commendatitiis
„ad monaſteriorum omnium, noſtri
„tamen potiſſimùm Ordinis, funda-
„tiones, nec non virorum, ut dixi,
„clarorum monumenta, totâ Ger-
„maniâ, ad Dei, omnium ſcientia-
„rum largitoris, laudem, & totius
„Teutonicæ nationis & hooorem &
„præconium, undequaque conqui-
„ſita, congeſta & deſcripta, ei de-
„ferrem. Porrò prædictarum litera-
„rum, nec non commiſſionum te-
„nor talis fuit, & eſt:

Literæ commendatitiæ Trithemii pro Paulo Langio. *Univerſis & ſingulis Dominis Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, cæteríſque Eccleſiarum Rectoribus, Joannes Tritbemius, Abbas Monaſterii Divi Jacobi Herbipolenſis, Ordinis S. Benedicti, cum orationibus promptam obſequendi voluntatem. Harum exbibitori literarum, Fratri Paulo Langio, Monacbo atque Presbytero noſtri Ordinis memorati, dedimus in mandatis, ut omnium monaſteriorum, conventûum & eccleſiarum, cujuscunque ſint religionis, quantùm fieri poteſt, totam per Germaniam, fuudationes, tempora, patronos, &, ſi quos babuerint, viros ſanctitate vel doctrinâ inſignes, eorum tempora ſimul & opuſcula, diligenter inquirat, conſcribat, nobíſque referat, pro decore Annalium, ſive Chronicorum Germaniæ, quibus operam impendimus noſtram. Quocirca vos omnes & ſingulos per mundi Salvatorem rogamus, ut eum ad veſtra declinan-*

(i) ad fin. Chron. Citiz. apud Piſtor. Tom. I. Rer. Germ. Script.

climantem benignè admittatis, & charitativè foveatis, atque in his, quorum inquirendi gratiâ mittitur à nobis, illi favorem & adjutorium impendere pro viribus non recuſetis, mercedem ab illo recepturi, qui judex omnium dicturus eſt ſtantibus à dextris: Ite benedicti patris mei &c. quoniam cùm hoſpes eſſem, ſuſcepiſtis me &c. Scripſimus in præfato cœnobio noſtro apud Herbipolim prima die menſis Aprilis, anno Dominicæ Nativitatis MDXV.

Langius iter magna induſtriâ peragit.

„Prædictam itaque legationem ſive commiſſionem pro virili meo ſolicitiùs exequi ſemper conatus ſum: tametſi in perpaucis locis fuerim, partim viarum difficultate & diſcrimine, partim latronum prædonúmque formidine, per montes & nemora, tandémqne inopino ipſius Trithemii mittentis, præceptoriſque mei occaſû retractus & impeditus. Nihilo tamen minùs, ipſo adhuc vivente, aliquot vicibus, ingruente hyeme, collecta & conſcripta cum variis diverſorum ſapientum virorum epiſtoliis, & ſalntationibus referenda & conſignanda Herbipolim redii. Et quanquàm memoratam antiquitatum indagationem permulti celebres, & graviſſimi etiam ac integerrimi laudaverint viri; fuerunt tamen è diverſo nonnulli ſycophantæ & ſcioli, & (*quod fœdius eſt*) fratratores & petrones religioſculi, mordaces & cynici, qui eam commiſſionem, & inquiſitionem ſatis impudenter taxârunt; me pro tam arduo conamine *Gyrovagum* & *Circulatorem* vocitare non erubeſcentes. At ſi ego gyrovagus, ſi circomcellio, quid quæſo erat æqnivocus meus Apoſtolus Paulus, de

Contra oblocutores ſe defendit.

quo Actûum xix. legitur: *Factum eſt, quòd cùm Paulus peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum &c.* quíque ab Hieruſalem usque ad Illyricum diſcurrendo, Chriſti Evangelium ſeminârat, licèt longè alia, beatioréque cauſa? Quid denique fuit Hieronymus, quid Ruffinus, quid Heraclides, quid Petronius, Paulus Oroſius, Julius Africanus, Severus Sulpitius, Caſſianus, Paſchaſius & ſimiles, qui ob propriam devotionem, & aliorum ædificationem, maria transfierunt, loca Terræ ſanctæ devotiſſimè perluſtrârunt? Deinde Ægyptum, Nitriam, Scythiam, Palæſtinámque gyrantes, exactiſſimè monachorum cœnobia, anachoretarum „ſpeluncas, & antra ſcrutantes, vi„tam & converſationem eorum ac doctrinam religioſiſſimè & vigilantiſſimè exploraverunt, & plerumque cum eis per aliquot & dies, & annos commanentes, & inſtitutiones eorundem, ac mores imitantes & addiſcentes, exhortationéſque ſingulorum annotantes; tandem ad propria repedantes, & viſa & audita, Dei pro honore, & legentium profectu ac ædificatione, eleganter & utiliter conſcripſerunt. Qui niſi ſupra narrata & circuiſſent, & perluſtrâſſent loca; vitas Patrum, inſtitutiones, collationes, exhortationes, converſationes, & itinerarium, quod Hieronymo adſcribitur, denique & quorundam, & præcipuè Antonii, Hilarionis, Pachomii, Onuphrii, Macarii, Romani, Arſenii, Poſthumii, Mariæ Ægyptiacæ, Euphroſynæ, Euphraſiæ &c. & ſimilium vitas & legendas nec monachi, nec mundus ipſe quidem haberet. Felix ergo terque felix illorum peragratio, laudabilis, & ſancta exploratio, ex quibus tantus fructus, tantáque ſecuta eſt morum & totius ſanctitatis ædificatio. Quur ergo in

Non eſt in uno reprehendendum, quod in altero laudatur.

me criminantur æmuli, quod in aliis laudatur, quod etiam ipſa gentilitas in *Ulyſſe* multis præconiis extulit, quod Hieronymus glorioſus in Platone, & Apollonio Philoſophis commendavit, quod denique idem in fœminis etiam ſummis proſequitur laudibus? Nota eſt illa divæ Paulæ ferventiſſima perluſtratio, quâ nedum infinitas monachorum & eremitarum cellas, ſed & eorundem ſtrata, veſtes, cilicia, & ſudariola quondam, Romanarum matronarum nobiliſſima propriis manibus attrectavit, venerata & oſculata eſt. Quantus denique fructus & profectus ex ejusmodi peragrationibus ſanctorum Patrum accreverit mundo, nec ipſe Tullius, neque Demoſthenes ſuâ eloquentiâ effari & depromere poſſent; quandoquidem, ut de aliis interim ſileam, ſi noſtri Ordinis ſancti & devotiſſimi Pa-

Exemplum ab Ordinis noſtri viris ſanctiſſimis.

tres, *Columbanus, Gallus, Chilianus, Bonifacius, Willibrordus, Ludigerus,* & pa res, ſuis in monaſteriis reſediſſent, quis Auſtraſiorum, quis Gallorum, quis Francorum, Bajoariorum, Vindelicorũ, Doringorum, Saxonum, Heſſonum, Friſonum gentes ad Chriſti fidem convertiſſet? Si denique noſtri Ordinis præſtantiſſimi viri, præſertim Auguſtinus, Mellitus, & Juſtus, Magni Gregorii Pæpæ diſcipuli, ſi Alquinus, ſi Beda, Rabanus, Strabo,

„Ma-

„ Marianus, Claudius, Lampertus & ſimiles domi manſiſſent: quis Angliam, Scotiam, Hiberniam, fidei rudimentis prædicando imbuiſſet? Quis inſuper in Gallia almificam, & famatiſſimam illam Pariſienſem Univerſitatem inſtituiſſet? Quis potentiſſimum nobilémq; in Francia Orientali epiſcopatum illum Herbipolenſem fundâſſet? Quem utique D. *Burghardum*, primum ejus Eccleſiæ præſulem, inſtituiſſe, ſicuti & Pariſienſem Academiam *Alquinum*, noſtri Ordinis Patres, fundâſſe certiſſimum eſt. Quis alios complures per Europam epiſcopatus, quorum primi antiſtites noſtri Ordinis fuêre, & frequenter peregrini, plantâſſet? At quid multis moror? Quur mihi vendicare conor, quod excellentiſſimi viri nec virtute, neque ſanctitate aſſequi quiverunt? Qui denique quantò doctiores & ſanctimonia clariores, tantò & acriores & plures ſemper habuêre obtrectatores. Nimirum cùm (expertus harum rerum inquit Hieronymus) ſemper in propatulo fortitudo æmulos habeat, feriántque ſummos fulgura montes, & juxta Naſonis ſimile dicterium: *Summa petat livor, perflent altiſſima venti.*„ Hactenus *Paulus Langius*, quem Abbas Trithemius, alter ſapientiſſimus Plato, nec opinâ morte extinctus, domum revocatum ab itineribus deinceps literariis conficiendis requieſcere juſſit. *Vide Trithemii Vitam Part. III. pag.* 302.

Viri pii & docti ſuos habent obtrectatores.

§. III.

Domni Claudii Etiennot è Congregatione S. Mauri Itinera Literaria.

Cum Superiores Congregationis S. Mauri certiores eſſent redditi, quòd Domnus *Claudius Etiennot* *, ſeu, ut Mabillonius illum vocare conſueverat, *Stephanotius*, ad characteres longè difficillimos legendos mirè eruditus eſſet, ejus propenſioni, quâ in literas ferebatur, indulgere ſtatuerunt. Ex eorum mandato anno 1673. iter literarium aggreſſus totam fermè Galliam peragravit, quò ex celeberrimis Bibliothecis, atque publicis Archivis vetera monumenta erueret, quæ Operi forent inſerenda, quò hiſtoriam cùm eccleſiaſticam tum monaſticam illuſtraturus erat. Nec viri laborem ac induſtriam fortuna deſtituit: vel in ſolâ enim Diœceſi Bituricenſi tantam eorum vim, quæ ad Benedictinæ Religionis antiquitates eo in epiſcopatu attinebant, è ſitu & pulvere extraxit, ut tria volumina in folio adæquarent. Annis ſequentibus uſque ad annum 1681. eôdem ardore emenſus eſt Diœceſin Pictavienſem, Lingonenſem, Santonenſem, Lemovicenſem, Tullenſem, Petrocarenſem, Claromontanam, Sanflorenſem, Lugdunenſem, Bellicenſem, Carcaſſonenſem, Andegavenſem, Arelatenſem, Aurelianenſem, pluréſque alias, in quibus indeſeſsô labore congeſſit, quidquid veterum monumentorum in Monaſteriis Benedictinis diverſarum adeò diœceſium reperire potuit; quorum ea copia fuit, ut viginti novem volumina in folio conficerent.

* *Stephanotius.*

Juſſû Superiorum iter aggreditur.

Ejuſcemodi literarii labores ac itinera fervorem auctoris, unius omnium laborioſiſſimi, quem S. Mauri Congregatio unquam habuit, nondum expleverant. Præterea enim Collectionem auſpicatus eſt, quam voluminibus XVI. comprehenſam anno MDCLXXXVII. abſolvit. Scopus auctoris erat, ut, quæ ad provinciam Aquitaniæ attinent, in luce magis aperta conſtitueret; operi verò titulum ſanè quàm modeſtum præfixit: *Fragmenta hiſtorica.* Itaque præter celeritatem in diſquirendis antiquis monumentis, ſpatio undecim annorum, quadraginta quinque volumina in folio conſcripſit, nullius calamo adjutus, atque unius Domni *Renati du Cher*, qui poſtremis in voluminibus ſuppetias ipſi tulit. Dominus Etiennot hoſce commentarios notis, animadverſionibus, & reflexionibus quàm prudentiſſimis, & ſapientiſſimis inſtruxit, quæ literarios labores Scriptorum magis celebrium è Congregatione S. Mauri, velut Dom. Mabillonii, D. Nourry, & R. P. Sanmarthani faciliores reddiderunt. Poſtremus certè in *Gallia Chriſtiana* perpetuò illas allegat. Hiſtorici Provinciæ Occitaniæ ultrò fatentur, quòd, ſiquid ſplendoris atque utilitatis ipſorum habeat hiſtoria, id Domni Etiennot collectaneis in acceptis referri debeat.

Apparatum pro 29. voluminibus colligit.

Volumina 45. ſpatio XI. annorum conſcribit.

è quibus alii proficiunt.

Poſt hæc Vir doctiſſimus in Romana Curia Procurator Generalis Congregationis S. Mauri conſtitutus fuit: quam provinciam totis quindecim annis ita magnificè, præclarè, atque fide integrâ geſſit, ut non ſuæ tantùm Congregationis Religioſos in admirationem raperet, ſed eos etiam om-

Fit Procurator Generalis Romæ.

Pontificum & Cardinalium gratiâ fruitur.

omnes, apud quos Romæ res gerendæ erant. Alexander VIII. virum ſingulari complexus clementiâ, id honoris ei exhiberi juſſit, ut ad ſuam audientiam per ſcalam ſecretam duceretur, quò familiares cum eo ſermones cæderet de ſtudiis & Operibus Religioſorum San - Maurianæ Congregationis, quæ, uti dicebat, à ſe inſtar *Academiæ Virtutis & doctrinæ* haberetur. Ab Innocentio XII. in Congregationem *ſuper diſciplinâ Regularium* admiſſus fuit. Eminentiſſimus Cardinalis *d'Etrees* & Illuſtriſſimus Remorum Archiepiſcopus *le Tellier*, eximiæ prorſus benevolentiæ ſigna erga illum oſtenderunt. Eminentiſſimus Cardinalis *Stuſiur*, Secretarius Brevium Papæ, illum ſibi à ſecretis eſſe voluit in negotiis pro regno Galliæ à ſe expediendis. Tantùm verò abfuit, ut hujusmodi cultus, qui ei in primaria totius orbis Chriſtiani civitate adhibitus fuit, obligationem, quâ Congregationi ſuæ devinctus erat, menti ejus eximerent, ut novos etiam ſtimulos zelo ipſius adderet, in tam celebri, támquo omnis generis antiquitatum fœcunda urbe indagandi quæpiam monumenta, quæ publicâ luce donari poſſent. Vix autem quidpiam è tenebris eruit, cùm continuo ad Dom. Mabillonium, vel alium virum doctum Congregationis transmiſit, quò rempublicam literariam eo locupletarent: opinionis ſiquidem erat, induſtriam ac contentionem ſuam non malè collocari, modò illæ ad utilitatem Eccleſiæ, atque Ordinis ſui exiſtimationem conducerent. Fuit verò Domnus *Etiennot* plus à pietatis atque religioſæ vitæ ſtudio, quam à ſuo erga ſcientias ardore commendatus. Extinctus eſt Romæ XII. Cal. Julii an. 1699. ſepultus in eccleſia PP. Minimorum SS. Trinitatis *di monti.*

Vetera in Urbe monumenta indagat,

ibique moritur A. 1699. 20. Junii.

Videri poſſunt, quæ Mabillonius de Viro æternâ memoriâ digno prodit in ſuis tam ad Acta Sanctorum quàm ad Annales Ordinis Sancti Benedicti præfationibus. Is ipſe epiſtolam, quæ ad controverſiam *de Cultu Sanctorum Incognitorum* ſpectat, ad eundem exaravit, *Epiſtola commonitoria ad D. Claudium Etiennot*; præterea præfationes in *Galliam Chriſtianam*, authore Dionyſio Sammartbano, atque Apparatus ad Bibliothecam Patrum & Stephanotii Vita Part. III. pag. 424. relata, conſuli poſſunt.

§. IV.

Itinera Literaria Joannis Mabillonii.

Mabillonii plura Itinera Literaria.

EX quo ſacræ antiquitatis ſtudio animum adjecerat *Mabillonius*, varia itinera literaria in Belgium, Burgundiam, Lotharingiam, Picardiam, Campaniam, aliáſque Galliæ partes, nec minùs Germaniam, atque Italiam conficere neceſſe fuerat; quæ inter *Germanicum* & *Italicum* maximè celebrantur. Utrumque ſub *Ludovici XIV.* auſpiciis & commeatû ſuſceptum fuit (k) Cùm enim anno 1682. in Burgundiam iter inſtitueret Mabillonius, ut illius provinciæ archiva & Bibliotbecas perluſtraret, occaſione captata, illuſtriſſimus D. Joannes Baptiſta Colbert diplomata quædam ad regiæ familiæ ſtirpem ſpectantia examinari curavit. Ex commiſſi autem muneris felici ſucceſsû vir illuſtriſſimus abundè intellexit, quæ foret in re antiquaria Mabillonii peritia, incorrupta fides, ac ſingularis planè ſagacitas. Exinde verò tanti eum æſtimavit, ut in publicum ſui in illum ſtudii atque exiſtimationis argumentum, ſuadentibus quoque plurimis viris undequaque conſpicuis, iter ab eo Germanicum, quô totius Imperii Germanici Bibliothecas, Archiva ſcrutaretur, ac Forulos, ſuſcipi voluerit, juſſû Ludovici Magni, regiſque ejus ſumptibus: quam ſanè provinciam eo libentiùs ſuſcepit, quòd Regi gratam, ſuæque quam tunc parabat, Ordinis Hiſtoriæ peropportunam fore intelligebat.

Lud. XIV. juſſu ſumptibus & auſpiciis iter Germanicum ſuſcipit.

Ejus adventus Germanis Benedict. exoptatus.

Quanta porrò, & quàm effuſa fuerit ex vulgato per Germaniam futuro Mabillonii adventu, Literatorum omnium Germanorum lætitia, vel ex plurimis ad eum ſcriptis literis, potiſſimùm verò ex iis, quæ ſubjiciuntur, gratulantis cujusdam Suevienſis Amici verbis facilè quisque conjiciat. *Olim*, inquit, *ubique exſpectatiſſimus adveniſſes; nunc aliter, non propter te, ſed propter tempora. Si tempeſtas aliquando deferveat, ingredere in gaudium, in brachia ſodalium tuorum. Omnibus ſolatium erit vel conſpexiſſe tantum virum.*

Anno

(k) Ruinart in vit. Mabill. n. 29. & ſeqq. pag. mihi 66.

Digitized by Google

Itineris ſocius Michaël Germanus.

Anno igitur 1683. exeunte menſ. Jul. Germanicum iter iniit Mabillonius, adſcitô ſecum perpetuô juxta ac fideliſſimo itinerum ſocio, quin etiam ſtudiorum coadjutore, D. Michaële Germano; atque intra quinque menſium curriculum, Burgundiæ Comitatum, Alſatiam, Sueviam, Bavariam, Tyrolim, Helvetiam, Monachium & Salisburgum peragravit; Auſtriámque totam excurriſſet, niſi Turcæ, qui tum ejusdem provinciæ caput Viennam obſidione tenebant, viam ei omnem præcluſiſſent.

In magno honore ubique habetur.

Ea verò erat apud noſtros Germaniæ Monachos, Benedictini decoris ſummoperè ſtudioſos, Mabillonii exſpectatio, ea fama, ut vel præterenntem excepiſſe honori ducerent quàm maximo; vidiſſe lætitiæ ſingulari; audiviſſe præcipuæ felicitati. Quid Sanctimoniales memorem, quæ, ut illum ad monaſteria ſua allicerent, quò ejus animi modeſtiam ſuſpicerent, audiréntque verba facientem, linguæ ſe Gallicæ peritas datâ operâ ſimulabant? Quid Ordinis noſtri Monachos, qui honoris gratia ſe ipſi itineris comites adjungebant, eúmque ceu per triumphum ducentes, atque honoribus certatim ac laudibus perſequentes, de Monaſterio in Monaſterium deducebant? Quid ſpectatiſſimos Germaniæ Archimandritas, ex quibus non panci principatum, ampliſſimósque Imperii honores obtinent; qui quò familiariùs cum eo agerent, ſui propè oblivíſci, nec dignitatis ſplendorem, niſi ut illum honorificentiùs exciperent, adhibere videbantur? Quid clariſſimum Campidunenſis Cœnobii Abbatem, nec non Sacri Romani Imperii Principem, Auguſtiſſimæque Imperatricis Archimariſchallum? Quid Beatæ MARIÆ Eremitarum, alióſque non paucos Germaniæ Principes? Quid demùm inſignem Salisburgenſem Academiam, quæ ipſi advenienti mirô plauſu, quin etiam oratione publicâ gratulari dignata eſt, ipſo præſente Salisburgenſi Archiepiſcopo, in cujus villam ſingulari propè humanitate deductus eſt, ibidémque lautiſſimè exceptus.

Adveniente Principes & Academia Salisburg. gratulantur.

Ad Bibl. & Archiva patet ei acceſſus.

Præ his omnibus, ampliſſimis licèt honoribus, arridebat *Mabillonio* longè magis, qui ad omnes Bibliothecas, Archiva, & publica Monumenta facilis dabatur ingreſſus, omníſque ferè ætatis manuſcriptorum codicum copia. Nihil ipſi non apertum, atque libentiſſimè creditum; tanta erat apud Germanos eruditionis ejus opinio, integritatis nomen, fama probitatis. Rapiebat inprimis Germaniæ Monachos ingenuus, qui in fronte Mabillonii elucebat, animi candor, in ſermone religioſa ſinceritas, in rebus literariis explicandis modeſtia propè ſingularis. Ipſe verò ex tanto Monachorum ſtudio, non ſolùm opportuna ſibi documenta colligendi, ſed etiam ſe ipſis moréſque ſuos probandi occaſionem arripiens, alios ad exactam diſciplinæ regularis obſervantiam, ſuæque Profeſſionis invitabat amorem; alios verò, quos aptiores noverat, ad congrua literarum ac ſcientiarum ſtudia pro viribus animabat. Inde Patrem *Cæleſtinum Sfondratum*, qui non ita diu poſt San-Gallenſis Cœnobii Archimandrita renunciatns eſt, ac ſubinde ſacrâ purpurâ inſignitus, ſub Innocentio XII. obiit, agnoſcere, atque cum eo familiaris amicitiæ fœdus inire cœpit.

Eſt in deliciis Germaniæ Benedict.

Ex ejus conſilio Chronicon Hirſaugienſe imprimitur.

In hoc porrò celeberrimo ampliſſimóque Sancti Galli Cœnobio, perlecto, quod Trithemius adornaverat, Chronici Hirſaugienſis Autographo, ac tanquam de reperto theſauro mirè lætus, cujus eſſet hoc opus pretii ac momenti, San-Gallenſibus aperuit; ejusdémque editionem impensè ſuaſit ac perſuaſit; unde præclari illius Operis, quod in ipſo ſubinde Cœnobio excuſum eſt, publicam editionem Mabillonii curæ ac diligentiæ acceptam referri debere, nemo eſt, qui eat inficias. Id ipſi San-Gallenſes Monachi in præfatione Operis teſtatum omnibus voluêre, ſubjectis hiſce verbis: *Chronicon*, inquiunt, *ſurgit nunc redivivum; animante ejus editionem Clariſſimô P. Joanne Mabillonio, quem tutelares noſtros inviſentem in Sancto Gallo vidimus, nec ſine ſenſu ſuavitatis recordamur.*

Eruditos Benedictinos ſibi tantùm notos per literas, magno gaudio complectitur.

Inter varia, eáque maxima Germanici itineris oblectamenta illud ſanè Mabillonio jucundiſſimum fuit, eos conſpexiſſe Viros eruditos, uno ſibi ac diuturno literarum commercio notos, una doctrinæ fama amicitiæque fœdere ſibi conjunctos: Hermannum Schenk, San-Gallenſis Bibliothecæ Præfectum; Patrem Paulum Metzgerum, Salisburgenſis, quam Ordinis noſtri Monachi obtinent, Academiæ Vice-Cancellarium; Albertum, Ottoburani Cœnobii Priorem, inprimis verò doctiſſimos Murenſem, Petrenſem B. Matiæ propè Baſileam, ac Eremita-

mitanum in Helvetia Abbates: in quorum ultimo, Auguſtino ex illuſtri Familia DD. Rhedingiorum à Biberegg, non ſemel ſe ſuſpexiſſe, narrabat, dignam viro religioſo ſinceritatem ac modeſtiam cum ampliſſima, quam obtinebat, imperii dignitate, cúmque inſigni, quam edita opera commendant, eruditione conjunctam. Quàm effuſa porrò fuerit ex mutuo conſpectu Mabillonii ac Patris *Gregorii Geiſſerii* lætitia, haud facile dictu eſt, ambo ut amore, ita ingenio pares erant, prædicavi ſatis. Nemo in colligendis documentis ad Ordinis Hiſtoriam Sanctorúmque Acta adornanda neceſſariis *Geiſſeriò* diligentior, ac Benedictinæ gloriæ ſtudioſior extitit: unde cùm ejusdem illuſtrandæ atque amplificandæ peritiorem Mabillonio nôſſet neminem; nullam promovendis ejus ſtudiis ac levandis laboribus operam non impendit. Et certè cum eſſet is Congregationis Suevicæ Apocriſiarius, ac proinde facilis ad omnes Monaſteriorum Bibliothecas ei pateret aditus; eximiis monumentis Mabillonium locupletavit. Is ſubinde obiit Abbas ſancti Georgii de Villingen, virtutis ſplendore totâ Germaniâ clarus, déque Congregatione S. Mauri perinde ac toto Ordine præclarè meritus.

præcipuè Geiſſerii de Congr. S. Mauri præclarè meritum.

Quod iter literarium P. Mabillonii Viris etiam doctiſſimis in Saxonia adeò probatum fuit, ut, qui Acta Eruditorum Lipſienſium año MDCLXXXVI. ediderunt, in hæc verba (1) ſcripſerint: „ Optaremus autem, ut in itinere iſto Germanico ex Bavaria per „ Franconiam in Miſniam perrexiſſet „ Editor, & Academiæ noſtræ Lipſienſis Bibliothecam, quæ Paulina „ dicitur, non inſalutatam reliquiſſet. Nam in ea, quod præfiſcini „ dixerimus, aliquot millia Tractatuum Manuſcriptorum, partim „ membranaceorum, partim papyraceorum aſſervantur, nec ſcripta „ tantùm, qualia in Analectis ſuis „ jam edidit Mabillonius, ſed alia „ quàm plurima nondum edita, ut „ benè multi ejusmodi Analectorum „ Tomi exinde poſſint concinnari; „ inter quæ & libri MSS. extant de „ Regula, & Conſuetudinibus Ordinis S. Benedicti, aliorúmque Ordinum Monachalium; Vitæ item „ Sanctorum, quales & Mabillonius „ in Germania obſervavit, quamplurimæ, verſúsque & rythmi innumeri, bonâ fide id aſſeverante Bib- „ liothecario Cl. V. Joachimo Fellero, qui & propediem Catalogum „ MSS.torum ineditorum in publicum „ evulgabit. Sed ſat abunde Mſ.torum „ ineditorum inveniet in Bibliothecis „ Italiæ, in quibus excutiendis nunc „ occupatur doctiſſimus editor, unde „ non panca ejusmodi Analecta poſſit conficere. „

Viri docti in Saxonia ejus adventum exoptant.

Cæterùm tam facili Bibliothecarum ſimul & Archivorum aditu oppottunè admodùm uſus Mabillonius, multa & quidem exquiſita ex itinere Germanico monumenta retulit; quorum pars edita legitur in quarto Analectorum Tomo, in cujus fronte exhibetur Germanici Itineris haud contemnenda deſcriptio; quam egregiæ dein excipiunt antiquarum Inſcriptionum collectiones ſelecta ex variis exaratis manu codicibus haud exigui pretii monumenta, unà cum diverſarum, in quas diſtributa olim Roma fuerat, regionum deſcriptionibus. Calcem operis occupant in MSS. Germaniæ codices animadverſiones; in quibus diſertis paucíſque verbis quisque addiſcat, quæ longo & operoſo aliorum minoris pretii documentorum ſtudio vix percipere queat. Iis ſanè optimis Germaniæ documentis uſus potiſſimùm eſt Mabillonius ad multa ſua opera, maximè verò ad adornandos Ordinis Annales.

Ex itinere Germanico præclara refert monumenta.

Inter egregia, quæ Burgundiæ Comitatum peragranti Mabillonio occurrêre monumenta, teponendum jure videtur longè vetus illud ab annis centum circiter ſuper mille exaratum *Gallicani ritûs Lectionarium* in Cœnobio Luxovienſi repertum, ac præclaris Merovingicis literis conſcriptum; quod evulgandæ Gallicanæ Liturgiæ occaſionem præbuit. Hujus calcem Operis, præter multa ſcitu digna ad Franciam ſeu Gallicanam Liturgiam ſpectantia, aliáque id genus Monumenta, claudit erudita diſquiſitio in Officium divinum Gallicanis in Eccleſiis olim recitari ſolitum, ac propterea *Curſus Gallicanus* appellatum.

Lectionarium ritûs Gallicani ab eo repertū.

Ex Germania in Gallias redux Mabillonius, mutatum quidem ex clariſſimi Patroni ſui Domini Colberti deceſſu miniſterium reperit; non tamen erga ſe mutatos, qui eidem ſubrogati fuerant, miniſtrorum animos, aut imminutam, quam antè ſibi conciliaverat, exiſtimationem. Enimverò illuſtriſ-

Ex Germania redux

(1) Act. Erud. Lipſ. an. 1686. pag. 20.

Remenſis Archiepiſcopi auſpiciis,

luſtriſſimus Remorum Archiepiſcopus, Dux *Carolus Mauritius Tellerius*, cui tunc tota apud Regem literariæ rei cura commiſſa erat, quíque eximias planè noverat *Mabillonii* dotes, ut ſuam, quam multis nec dubiis argumentis demonſtraverat, In eum exiſtimationem teſtatam omnibus faceret, de eo in Italiam mittendo in animum induxit; ſimul ut conquiſitis Regia Bibliotheca Libris ac Manuſcriptis fieret longè locupletior, ſimul ut aliquid Eccleſiæ, reíque literariæ inde accederet. Placuit non parùm Regi Chriſtianiſſimo ejus itineris conſilium, ſuíſque non ſumptibus mndò, ſed auſpiciis ſuſceptum voluit. Tanti Regis voluntati, conſilióque Archipræſulis obtemperandum duxit Mabillonius; quamvis ab ea ſuſcipienda provincia non una illum ratio deterrere videretur; inptimis verò maris pericula, labores itineris, provecta ætas, affectæ denique vires. Jam iter Italicum meditabatur, cùm morbo correptus, illud in aliud tempus differre cogitur: firmatis ſubinde viribus, Theoderico Ruinarto ſibi adjuncto comite in Normanniam iter inſtituit: quô in itinere ejus in obſervandis, quæ è re ſua fore putabat, cùm publicis; tum privatis monumentis diligentiam & ſagacitatem, nec minorem in perſolvendis, perinde ac in monaſterio fuiſſet, debitis pietatis officiis ſollicitudinem non ſemel ſe demiratum eſſe Ruinartus teſtatur.

ad iter Italicum provocatur.

Quod A. 1685. aggreſſus

Inſequente anno priſtinæ omnino ſaluti reſtitutus ad iter Italicum ſe accingit; Pariſiíſque unà cum D. Michaële Germain, individuô comite, kal. Aprilis anno 1685. profectus, Lugdunum versùs iter inſtituit; tranſcendit Alpes, tandémque Auguſtâ Taurinorum, Mediolano, Verona, Patavio, Venetiis, Ravennâ, aliíſque finitimis Italiæ urbibus feliciter, omniúmque gratulatione peragratis, Romam pervenit die 5. Junii horâ 5. matutinâ; ſiquidem nocte totâ inceſſerat, deſtinatos ſibi tnm ab Eminentiſſimo Cardinali Eſtræo, qui adventantem in ſua rheda extra urbem excipi, indéque ad hoſpitium usque deduci juſſerat, tum à Procuratnre noſtro Generali, dudum ſibi amiciſſimo, D. Claudio Stephanotio, qui Literatos omnes præmonuerat, honores devitaturus, quos alibi ſibi paratos, pari curâ ac diligentiâ declinaverat: non enim amabat, immò quantum poterat, cæteris honorificentiùs, aut liberaliùs haberi fugiebat.

Romam 5. Junii pervenit,

ubique magnis cumulatur honoribus.

Lubet hôc locû ſi non omnes, ſaltem nonnullns referre, à multis Italiæ civitatibus Mabillonin noſtro delatos honores. Equidem Italica Gens, quæ præ cæteris peregrinantium animos elegantia morúmque comitate rapit, quæque, ut pulchrè quidam ait, *ſuapte natura procul odoratur hominum præſtantiam, & ſapientibus atque eruditis mirificè defert*, accedentem Mabillonium nullis non affecit honoribus, nullis non laudibus exornavit, officiíſque ſibi demeruit. Imprimis verò Sereniſſimus Etruriæ Dux, qui tum Senis morabatur, compertô ex literis *Magliabeci* ejus Florentiam adventu, ſtatim non Laurentianam modò ac Palatinam Mediceorum, ſed etiam Florentinas omnes Bibliothecas ad ejus uſum ac nutum reſerari, quin etiam ad ea deſcribenda, quibus opus haberet, amanuenſem ſuppeditari juſſit. Rem exſecutus eſt celebris Antonius Magliabecus ex longo literarum commercio ei jam dudum amiciſſimus; quô duce, quidquid librorum in Bibliothecis Florentinis propoſito ſuo magis congruebat, didicit. Is enim eâ præditus eſt ſagacitate, nihil ut ipſum lateat; eâ memoriâ pollet, ut libros omnes habeat in numerato; ipſe Muſeum, ut ita dicam, inambulans, & viva quædam Bibliotheca.

præſertim à Magno Etruriæ Duce,

qui eum ſuo dignatur alloquio,

Haud ita multò pòſt Florentiam redux Sereniſſimus Etruriæ Dux Mabillonium ad ſe, ſubindéque ad Filios, Ferdinandum & Gaſtonem, Principes (in quibus præclara illa Mediceorum indoles, innata videlicet in literas ac literatos omnes propenſio elucet) introduci voluit, eâ facilitate ac benignitate, ut velis demiſſis privatim alloqui dignatus ſit; multa de Rege honorificentiſſimè dicens, déque ejus ſtudio in Catholicam fidem; Florentiâ tandem abeuntem dignis regiâ planè munificentiâ muneribus *Mabillonium* proſecutus, lecticam honoris causâ Bononiam usqne ei ſubminiſtrari præcepit, exinde verò literis eum ſuis non ſemel dignatus eſt: atque in quadam epiſtola ad Oratorem ſuum in Galliæ Regia conſtitutum paucis abhinc annis miſſa, hæc legebantur ſubjecta verba: *O te felicem! atque me longè feliciorem, cui tantum Virum alloqui, non ſolùm videre conceditur.* Quantum vern eundem vita functum defleverit, verbis planè honorificis,

& muneribus proſequitur.

acerbóque animi dolore palàm fecit.

Proregis Neapolitani non minor in Mabillonium benevolentia.

Pari benevolentiâ & honore *Mabillonium* excepit Regni Neapolitani Pro-Rex Excellentiſſimus *Marchio de Carpi*: ſiquidem præterquàm quod ad ſe illum ſæpè intromitti juſſit, ad omnes etiam ſolemnes ceremonias, ſeu *Regias*, ut vocant, *Capellas*, peramanter invitavit; útque omnem excuſationi viam præcluderet, rhedam ipſi ſuam ſubmitti curavit. Quantus porrò eſſet Proregis laudati in Mabillonium amor, palàm aliquando factum eſt, cùm illum prætereuntem morari, ac pulcherrimo ſerto, quod ipſe in feſto Natalis Regis Catholici acceperat, munificâ manu donare voluit.

Ab Italis Benedictinis honorificè excipitur.

Proregis Neapolitani exemplo, ſeu potiùs proprio ipſorum ſtudio ducti Caſinates noſtri, ubi Caſino vicinum audiunt Mabillonium, ſtatim nonnullos è ſuis legunt, qui tam religioſo ac planè digniſſimo Benedicti Patris filio obviam exeant, eíque adventanti communem Caſinenſium Sodalium lætitiam, plauſúſque ſignificent. Haud abſimili amoris lætitiæque ſignificatione exceptum voluêre clariſſimi S. Floræ Aretinæ, S. Proculi, Sanctique Joañis Cœnobiorum Abbates; qui ei obviam progreſſi ad Monaſterium uſque deduxêre. Neque prætereunda ſilentio videtur nata ibi Gallos Fulienſes inter & noſtros Florentiæ monachos amica contentio, quis eorum tam inſignem hoſpitem ad ſe deduceret: pugnabat pro Fulienſibus Gallis charitas Patriæ, gratíque in civem ſuum animi ſignificatio: movebat, ac propè pro Monachis noſtris triumphabat, inſitus Ordinis amor. Utriuſque humanitati ut faciat ſatis Mabillonius, apud utrumque alternatim manſurum ſe pollicetur. Verùm cùm Patrum Fulienſium Cœnobium extra urbem ſitum ſit; non ſine amica eorundem expoſtulatione ad Monachos noſtros primùm divertit; ibíque ob loci, potiſſimùm verò Bibliothecarum vicinitatem diutiùs manſit.

Cardinalis Barbadici erga eum comitas.

Patavium ſecundò accedentem Mabillonium apud ſe diverſari, atque ne aliò divertat, rhedam, quâ deducatur, in occurſum ejus ad ripam fluminis ſubmitti jubet Eminentiſſimus Cardinalis *Barbadicus*; cujus modeſtiam, ſtudium in literas, zelum indefeſſum, motéſque incorruptos nemo non novit: ſubinde verò audito ejus Patavium reditu, viſitationis ſuæ in Montibus Euganeis curſum interrumpere non eſt gravatus, quo Mabillonium conveniret, videret, & alloqueretur.

Ravennæ ab Archiepiſcopo honorificè exceptus.

Ravennam ubi attigit, cùm illum apud ſe excipere non poſſet Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Archiepiſcopus *Fabius Guiniſius*, præclara Guiniſiorum apud Lucenſes gente oriundus, Vino Florentino, aliíſque eduliis donatum voluit: idémque pro ſua in eum humanitate, oſtendere atque indigitare voluit, quæ ſuperſunt vetera Eccleſiæ Ravennenſis authentica inſtrumenta; ex quibus nonnulla, quæ in cortice exarata ſunt, atque apud Rubeum edita emendavit.

evolvit ſcripturam incognitam.

Inſigne porrò eſt Ravennæ Archivum ob antiqua monumenta, ac ea maximè, quæ in cortice ſcripta ſunt eo charactere, qui cùm eſſet lectu difficillimus, *ſcriptura incognita* dictitari ſolebat; multíſque etiamnum foret, niſi in ſua de re diplomatica elucubratione ejuſdem legendi methodum ac regulas tradidiſſet Mabillonius.

Cardinal. Pignatelli & Spinolæ in eundem profuſi honores.

Quid Bononiam accedenti non detuliſſet Eminentiſſimus Cardinalis Legatus *Pignatellus*, haud ita multò pòſt ſub Innocentii Duodecimi nomine ſummo totius Eccleſiæ regimini præfectus, quid, inquam, non detuliſſet, ſi de illius, uti juſſerat, adventu fuiſſet certior factus, ac niſi Mabillonius pro ſua modeſtia paratos ſibi honores præcaviſſet? Ejus modeſtiæ artes, diligentiámque prævertit Eminentiſſimus Cardinalis *Spinola*, Lucenſis Reipublicæ Epiſcopus; eíque perinde ac cæteri Italiæ Epiſcopi nulla non præbuit benevolentiæ & humanitatis argumenta.

Eruditi quique in Italia ſtudiis erga Mabillonium inter ſe certant.

Unô verbô, ab omnibus ubique celebratur, præſertim ab eruditis Italiæ viris; qui, ut illum honeſtiùs exciperent, & antiqua ſcitúque digna urbium monumenta, cimeliarchia, & gazophylacia in promptu haberent; mutuis ſibi literis vicinum ejus adventum ſignificabant; propriis eum quiſque operibus donabat; nullâque prætermiſſa lætitiæ ac plauſus ſignificatione, tanti nominis virum vel obiter conſpexiſſe, aut apud ſe aliquamdiu retinuiſſe, ſinguli & univerſi lætabantur. Quantis demùm per Italiam honoribus affectus fuerit, eleganter prorſus docuit Illuſtriſſimus D. Juſtus Fontaninus per eam, qua me de illius obitu dignatus eſt, epiſtolam. *Jam*, inquit, *per totam urbem non ſine gravi Literatorum mœrore Mabillonii deceſſus fama percrebuit; nóſque de eo certiores reddidimus amicos per Italiam* con-

conſtitutos; ubi multi ex illis adhuc ſuperſunt, qui viginti & tribus abhinc annis eum propiùs venerati fuerunt; cùm urbes effuſæ ad eum adirent, primíque ſubſellii homines ad viſenda quæque inſigniora Cimeliarchia, Gazophylacia, & Bibliothecas, eum honoris cauſa certatim comitantes deducerent; quod ille in itinere Italico pro ſua modeſtia parcè admodùm indicavit.

Mabillonius gratâ amicos memoriâ proſequitur.

Verùm quantò in recipiendis, qui ultrò per Italiam deferebantur, honoribus parcior Mabillonius, tantò certè in Amicis memorandis, quíque benececiſſent, liberalior fuit. Hos inter, quorum beneficia animíque dotes cum laude memorat, principem locum obtinent, Mediolani Illuſtriſſimus Comes *Mezzabarba*, Vir in literis humanioribus, & numiſmatum ſcientia apprimè verſatus, & cum eo eruditus Pater *Moneglia*, Florentiæ *Magliabecus*, clariſſimúsque *Noriſius*, ex Monacho Auguſtiniano in ſacrum ſubinde Purpuratorum Patrum Senatum cooptatus; Meritiſſimus quoque, nec vulgaris inter Literatos nominis Pater *Capaſſius*, tum ſacræ Theologiæ in Academia Piſana Profeſſor, quem non ſemel perluſtrandis Florentiæ monumentis ducem ac comitem habuiſſe gloriatur; Vicentiæ, Dominus *Gonzata*, Neapoli celebris *Valleta*, qui domi ſuæ Bibliothecam probatiſſimis autoribus inſtructam omnium admiratione plauſúque comparavit, *Geneſius*, *Nicodemus*, aliíque Neapolitanæ urbis præſtantiſſimi viri; Patavii, Pater *Minorelli* Dominicanæ Familiæ inſignis alumnus, qnem doctrinâ politioribúſque literis ornatum inprimis ſuſpexit; Lucæ *Beverinus* Poëta ſimul & Orator cultiſſimus, quocum de recipiendo apud ſe Mabillonio amicè certâſſe legitur *Dominus Bonamicus*; Parmæ celeberrimus Pater *Bacchinus* Caſinenſis Congregationis Monachus, multíſque jam editis Operibus inſignis; cui adjungendus eſt D. *Eraſmus à Cajeta* de noſtro perinde ac ſuo Caſinenſi Sodalitio præclarè meritus, unà cum P. *Seraphino Janſio*, Caſinenſi quoque haud vulgaris doctrinæ ac modeſtiæ Monacho, à quo non pauca locupletandis Ordinis Annalibus ſubſidia interdnm accepit; Aronæ Reverendi admodùm Patres Societatis Jeſu, qui inſigne librorum de Imitatione Chriſti ſub nomine *Joannis Gerſen* Abbatis Vercellenſis antiquâ manu exaratum exemplar Mabillonio in Gallias deportandum, non tantùm inſpiciendum, mirâ humanitate conceſſerunt; ut, quæ jam de eximii hujus Operis Autore in lucem protulerat, ejusdem manuſcripti codicis autoritate ſtrenuè vindicaret.

Abbatis Gerſen liber de Imitatione Chriſti Mabillonio in Galliam deportandus conceditur à Patribus S. J.

Codicem hunc benignè adeò ſibi creditum lubenti animo accepit Mabillonius; ſubindéque à Viris in re diplomatica apprimè verſatis diligentiſſimè excuſſum, atque illorum teſtimonio comprobatum, non ſine maxima grati animi ſignificatione ad mox laudatos Patres transmitti çuravit. Quem apud omnes prope Italiæ, præſertim Parmenſis Cœnobii Monachos locum obtinueiit Mabillonius, abundè teſtantur nuncupatæ nomini ejus Concluſiones; condita in ejus laudem carmina; palàm in ejus honorem pronunciatæ paſſim gratulatoriæ orationes, quæ omnia laudum genera modeſtiæ ejus planè gravia cùm nec artibus nec precibus effugere poſſet, ab hujusmodi cœtibus omnino abſtinere conſtituit, laudis impatiens.

Quid Romæ beneficii Mabillonio obtigerit?

Quid Domina Gentium, Princépsque Provinciarum, Roma, præ aliis Italiæ Civitatibus Mabillonio non detulit? quid non præſtitit ejus ergò? ibi inprimis Eminentiſſimi Cardinalis *Eſtræi*, Excellentiſſimíque Ducis ejus Fratris pro Rege legatione fungentis expertus non ſemel eſt humanitatem, patrocinium, benevolentiam, autoritatem, officia, ſtudium denique ſingulare; ibi à ſanctæ mem. INNOCENTIO XI. Pontifice Maximo nulla non accepit benignitatis & exiſtimationis argumenta, ſi ejus adeundi honorem excipias, quô Mabillonium ob affectam valetudinem Pontifex dignari non potuit; ibi denique *Ottoboniana*, *Barberina*, *Chigiana*, *Alteriana*, *Altempſiana*, *Caſanatenſis*, *Pamphiliana*, *Auguſtiniana*, aliæque Romanæ Bibliothecæ, unà cum Monaſteriorum & Eccleſiarum Archivis, Gazophylaciis, Cimeliis, aliíſque id genus monumentis in ejus uſus liberaliter reſeratæ, inprimis verò omnium longè locupletiſſima, ac nobiliſſima Vaticana, ex quâ quamplurima, eáque exquiſita prorſus documenta eruit.

Bibliothecæ ad ejus uſum reſeratæ.

Huc etiam non ſine laude memoranda accedit multis iíſque optimæ notæ exaratis manu codicibus inſtructa Bibliotheca Auguſtiſſimæ Suecorum Reginæ, quæ poſt aliquantam, quò illam dignata eſt, colloquii moram, diſcedentem pro ſuo in literatos ſtudio benignè dimittens, favorem ſuum, unà cum omnibus Bibliothecæ ſuæ tam editis, quàm manu

exaratis codicibus in ſtudiorum ſuorum ſubſidium perhumaniter obtulit.

Uberi ſanè fructu, nec minori animi voluptate Eminentiſſimi Cardinalis Baronii Bibliothecam, Patréſque, penes quos ea eſt, Oratorii Romani frequens adibat, cùm ob vetuſtos nec exigui pretii, qui ibidem accuratiſſimè adſervantur, manu exaratos codices; tum maximè ob clariſſimum Patrem *Leandrum Coloredum* laudati Sodalitii Alumnum paulò pòſt S. R. E. Cardinalem renunciatum, quocum continuò prope literarum comercio amicitiæ fœdus arctiſſimum, quod ad obitum usque perduravit, iniit. Frequens illi quoque colloquium ac familiaris conſuetudo cnm Illuſtriſſimo juxtà ac eruditiſſimo *Angelo de Nuce* Roſſanenſi Archiepiſcopo, qui Caſinenſis Cœnobii Archimandrites non ita pridem fuerat, ejusdémque Chronicon doctis annotationibus illuſtratum ediderat. Taceo *Thomaſium* eximia pietate perinde ac ſacris operibus nemini non notum, clariſſimóſque *Sluſium*, *Fabretum*, *Blanchinum*, *Ciampinum*, alióſque dum Romæ verſatus eſt, amiciſſimos viros.

Contrahit amicitiæ fœdus cum viris doctiſſimis.

In ejus gratiam Eminentiſſimus Cardinalis *Carpineus* Sumi Pontificis Vicarius, *Senéxque*, ut verbis utar Auguſtini, *famoſus, annoſus, nulliſque non probatus*, erutum coram eo voluit ex veteri cœmeterio cujusdam Martyris corpus; cui adjuncta reperta eſt Ampulla vitrea ſimul & inſtrumentum ferreum cruciando, ùt creditum eſt, Martyri adhibitum. Honoris denique cauſa *Conſultor Sacræ Congregationis Indicis* creatus; atque in eam invitante Eminentiſſimo Cardinali Caſanata vocatus, de quibusdam Iſaaci Voſſii operibus, potiſſimum de cauſa diluvii (*quod in ſuo de Sacra Chronologia mundíque ætate Opere haud univerſale fuiſſe contendit, quamvis totum in eo genus humanum periiſſe non diffiteatur*) ſententiam dicturus, præſentibus cum Sacri Palatii Magiſtro novem S. R. E. Cardinalibus, tam eruditè juxtà ac luculenter diſſeruit, ut in ſuam omnes ſententiam atque in ſui admirationem facilè converterit.

Creatur Conſultor Sac. Congr. Indicis.

Tantis licèt ubiqne affectus honoribus, haud inde tamen mente elatior, immò cæteris longè humilior factus: cunctis undequaque plaudentibus, non ſibi ipſe plaudebat; ſed potiùs magis ac magis ſibi vileſcere, hominúmq; frequentiam devitare ſtudebat. Quamobrem non parùm ipſi arridebant, quæ Italiam peragranti occurrebant, remota ab omni mortalium conſortio loca; in quibus, uti è Cavenſi cœnobio redux mihi per epiſtolam aperuit, reliquam vitam peragere in deliciis habuiſſet. Movit illum inprimis Vallumbroſana ſolitudo, ac ſpecus potiſſimùm illa, ad quam S. Joannes Gualbertus procul ab hominum frequentia oraturus ſeſe interdum recipere ſolebat. De Claſſenſi porro, Farfenſi, Vulturnenſi, Cryptaferratatenſi, Bobienſi, Nonantulenſi, aliúſque ſanctitatem ſpirantibus Cœnobiis, partim licèt dirutis, partim omnino deſolatis non ſine quadam veneratione, mentíſque ſuavitate diſſerebat; illorúmque locornm ſimplicitatem ſuperbis Regum Principúmque palatiis longè anteponebat. Hinc incredibili animi voluptate gratiſſimam illam, quam tum apud Camaldulenſes Eremitas, tum apud Sublacenſes noſtros manſionem fecerat, in mentem revocabat. Porrò autem quàm altè Specum Sublacenſem in animo præ cæteris defixam haberet, teſtatur breve hoc, ſed elegans prorſus ejusdem in Annalibus concinnatum encomium. *In hoc*, inquit, *Sacro Specu Benedictus Ordinem ſuum obſtetricante gratia parturiit: hìc cunabula gentis noſtræ; hæc Petra, unde exciſi ſumus.* Nec minori ſuavitatis ſenſu ſanè animo recolebat, Cellam aliquamdiu ſe occupâſſe in Cœnobio Caſinenſi, quod veluti totius princeps Ordinis inſtituit Sanctiſſimus Patriarcha BENEDICTUS; quódque ingens Monachorum inſignium multitudo præclaris virtutum ac doctrinæ meritis mirum in modum illuſtravit. Quare ob loci reverentiam ſacrum illum Montem, quamvis aſcensû maximè arduum, pedibus conſcendere voluit. Tacitus prætereo inſignem toto Chriſtiano orbe Lauretanam Eccleſiam, aliáque celeberrima, quæ pietatis cauſa perluſtravit, Italiæ loca; Papiam nbi Auguſtini, Vercellas, ubi Euſebii ejusdem urbis Epiſcopi, Mediolanum, ubi Ambroſii & Caroli, clariſſimorum Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtitum Corpora ſumma religione adſervantur, nec minore reverentia coluntur. Præ cæteris paſſim gloriabatur, ſe ſacra adiiſſe Apoſtolorum Principum Limina; tantas ac tantâ

Ob honores ſibi exhibitos non extollitur, ſed locis ſolitariis ac ſanctis præcipuè S. Specu Sublac. & Caſinenſi Monte, aliiſque Cryptis afficitur.

anti-

antiquitate venerandas Baſilicas, cryptáſque introſpexiſſe, veterum peluſtrâſſe Chriſtianorum catacumbas, teſte Hieronymo primis Eccleſiæ ſeculis adeò celebres; terram denique tetigiſſe tot Sanctorum purpuratam cruore Martyrum. De duobus dolebat plurimum, & primò quidem quòd Neapolim contendens, ac juxta Nolam tranſiens, *Sancti Felicis* eccleſiam, Paulini curâ ac pietate conſtructam non adiiſſet, nec ob temporis injurias montem Alvernum petiiſſet, Sancti Franciſci ſtigmatibus celebetrimum.

Mabillonius ſanctificatur, dum peregrinatur.

Cæterùm ita ſibi etiam, dùm peregrinaretur, vacabat *Mabillonius*, nullum ut unquam intermitteret religionis ac pietatis officium; quódque mirari ſubit, inde ſui colligendi captabat argumentum, unde cæteri ut plurimùm diverti ac mente diſtrahi ſolent; quippe peregrinando *ſupremam*, quæ omnium meta eſt, *mortis peregrinationem* jugiter mente recolebat. Hunc animi ſenſum altè illi infixerant ſubjecta, quæ iter agens de more legebat Auguſtini verba: *Peregrinationes*, inquit, *quas quietas, & faciles habere nequeas, per totam cogitare vitam, non eſt hominis, de illa unâ ultimâ, quæ mors vocatur, cogitantis, de quâ vel ſolâ intelligis eſſe cogitandum.* Quæ quidem Doctoris verba ita Mabillonio placuêre, ut iisdem Italici Itineris, quod in Gallias redux in lucem edidit, deſcriptionem concluſam voluerit; equidem ex iis erat Mabillonius, *quibus*, ut ait laudatus Auguſtinus, *id à Deo Optimo Maximo gratiæ conceſſum eſt, ut inter caſus rerum varios, eóſque ut plurimùm injucundos, tranquillo ac quieto animo conſiſtant.* Nec mirum, quippe cùm nullum iter ſuſciperet Mabillonius, niſi aut Superiorum juſſu, aut Eccleſiæ ſimul & Ordinis emolumentò? tantúmque abeſt, ut ei ob id mente excideret mortis memoria; ut potiùs familiarior ipſi fieret, crebriúſque de illa ſermonem haberet.

Regularis diſciplinæ in itinerando obſervantiſſimus

In itinere conſtitutus eandem prorſus, ac in monaſterio tenebat vitæ rationem: ſtatis horis orationi, diviníſque vacabat officiis: Sacrum quotidie etiam poſt confectum ſex aut ſeptem horarum iter mira pietate faciebat: piis quoque lectionibus, maximè ſacris paginis, *quas* cum Auguſtino *caſtas* dictitabat *animæ delicias*, certis temporibus operam dabat: ideóque Novi Teſtamenti, Regulæ Sanctæ, & imitationis Chriſti aureos planè libros, quos ferè memoriter tenebat, ſecum jugiter deferre, frequénſque legere ſolebat. Nihil ſibi, longo licèt itinete fatigato, præter Regulam indulgebat: immò per Italiam ac Germaniam, cùm ob inculta, omnibúſque rebus penè deſtituta diverſoria, tum maximè ob ciborum quadrageſimalium penuriam parciùs, longéque, quàm in monaſteriis, auſteriùs tractari gaudebat. In urbes, aut monaſteria adventanti princeps ei cura tam de recreandis viribus, quàm ſcrutandis, quæ è re ſua erant, urbium ac monaſteriorum monumentis; adeò ut niſi iter agendo quieſcere à labore non videretur. Vecturarum incommoda, injuriáſque temporum non æquô tantùm animo ferebat; verùm etiam ſi quid in itinere occurrebat commodi, ſociis ultrò deferre, ſi quid aſperi aut moleſti, ſibi uni eligere ſtudebat. Eum pedibus crebrò ire ſolitum, jam ſuprà memoravi: ſubinde tamen factus ætate provectior, fractúſque ſtudiorum laboribus, ſellæ ſibi à Superioribus conceſſæ uſum ideò admiſit, quòd perſolvendis decentiùs divinis officiis, lectioni, orationi, aliíſque obeundis pietatis operibus opportunior ipſi videretur.

Alios exemplo ſuo ædificat.

Porrò autem cùm publicis, quod raro contingebat, vecturis uti cogebatur; ea ſanè modeſtia, iis verbis, eò ſe habitu gerebat, ut omnium in ſe converteret oculos, reverentiam concitaret, ſuóque exemplo ac verbis etiam ſolutiores in officio facilè contineret. Nullum niſi præmiſſa oratione iter inſtituebat: nihil quà ſermonibus, quà exemplis, quà referendis hiſtoriis non moliebatur, quò itineris ſocios ad orationem adduceret, invitarétque ad officia pietatis.

Ejus vivendi ratio in monaſteriis,

Ubi in monaſterium aliquod pervenerat, juxta Regulæ præſcriptum, viciniorem eccleſiam, Chriſtum adoraturus adibat, id ipſum quoque in diverſoriis præſtare ſolutus, ab itineris ſociis tacitus ſecedebat, divina eo, quò par erat, pietatis cultû recitaturus officia. Cœnâ factâ, cùm ob nocturni ſilentii reverentiam, tum ne ſodalibus gravis fortè fieret, in cellam ſe recipiebat. A matutina communíque fratrum oratione nunquam aberat; curabátque inprimis,

 ne

& hoſpitiis. ne vel minimum ſui cauſa relaxaretur, aut perturbaretur regularis monaſterii diſciplina. Si interdum extra monaſterium vel invitus diverſari cogebatur, ſe tunc, moréſque ſuos omnibus probare, pueros, ſi qui in diverſorio forent, bonis erudire moribus, ac doctrinæ Chriſtianæ documentis, fidei docere myſteria, Dei timorem pariter & amorem ſuadere, immò quò faciliùs documenta ſuſciperent, quibuſdam muuſculis proſequi, parentes quoque ac domeſticos informare, congrua demum cuique conſilia dare diligentiſſimè ſtudebat; ea ſanè modeſtia & humanitate, ut cunctos raperet in ſui amorem, animóſque ad quæcunque vellet, nullo labore converteret.

Ex peregrinationibus nihil damni ſentit ejus pietas. Nec mirum ſanè videri debet, ſi, cùm ita comparatus eſſet animô Mabillonius, tam multis iíſque variis peregrinationibus damni nihil unquam paſſa ſit, immò incrementum cœperit eximia ejus pietas; nibil de morum integritate, regularíſque obſervantia diſciplinæ remiſerit; ſicque de via redux ſolita monaſterii exercitia ceu nunquam intermiſſa, facilè adeò reſumpſerit; cùm ex aſſidua ſtudiorum contentione, quâ aliorum ut plurimùm fervor remittitur, ipſe magis magíſque ad pietatem accendi videretur. Porrò ut pietati non officiebat, quæ in Mabillonii vultu elucebat hilaritas, ita nec hilaritati eximia pietas; hæc nulli gravis, omnibus opportuna, ac cujuslibet prompta obſequio videbatur.

Diem ſanctè auſpicatur. Summo manè expergefactus, mox pronus in terram Deum venerabundus adorabat: ſtudia ſubinde ſua, opera, animum, ſe ſuáque omnia ſupremo rerum omnium conditori ſupplex vovebat. Fratres ad nocturnas vigilias præire geſtiebat: ab illis verò liber, mox ut è lecto ſurrexerat, eccleſiam adibat, ibíque ante altare divini amoris proſtratus, fuſiſque de more precibus, inde Capellam B. MARIÆ, Altaria, Sacrarium mirâ animi pietate perluſtrabat, ut enim iis pietatis officiis religioſam putabat foveri ſimplicitatem, accendíque fervorem animi, ita illarum rerum neglectû utrumque paulatim deficere, penéque tandem extingui dictitabat. Debitis idcirco officiis jugiter ſeduloque intentus, quô ſemel exarſit, fervorem novitium ſtudiúmque diſciplinæ ad mortem usque integrum cuſtodivit; nec niſi in melius, dum vixit, mores commutavit ſuos. Eccleſiâ cùm exiret, quem in oratione conceperat, divini amoris ignem, ubique ſpirabat, ínque intuentium animis accendebat. *Ejus pietas & manſuetudo,* Divinæ interdum, quam adoraverat, Majeſtatis ſplendoribus illuſtratus vix à lacrymis ſuſpiriíſque præ devotione temperare poterat. Acri licèt ingenio, nemo tamen illum aut irâ commotum, moribúſque difficilem, aut verbis aſperum expertus eſt. Neminem unquam læſit etiam læſus, hominum mitiſſimus: neminem actû vel geſtû deriſit, deſpexit neminem vir humillimus. Eos unos impatienter ferebat, quos advertebat vel à pietate, vel à diſciplina devios, ac eos maximè, quibus, ut ipſe aiebat, totius Congregationis ſpes una nititur, juniores monachos, quos noverat regularis diſciplinæ, minus quàm par eſſet, ſtudioſos. *zelúſque diſciplinæ regularis.* Sic oderat divini Numinis obtrectatores, ut, ſi quos extra Monaſterium temerè dejerantes interdum audiebat, opportunè importunè arguere & increpare, verbíſque in eos graviſſimis invehi non vereretur. Neque enim ſe præſente divinum violari Numen æquo animo patiebatur. Hinc eos in quodam operum ſuorum loco cum Auguſtino amarè deflet, qui gravia duntaxat peccata horrentes, levia quæque, quamvis ſæpe mortifera, vitare negligunt. Væ, inquiebat, nobis, ſi prava peccandi, aut peccati videndi conſuetudine obdurati, nec noſtris movemur delictis, nec aliorum pro modulo compeſcere fatagimus.

A. 1686. revertitur in Galliam, Peragratis intra menſes quindecim celebrioribus Italiæ urbibus, ſimúlque perluſtratis inſignioribus urbium principum Bibliothecis, Muſeorum rimatis angulis, effoſiſque latentibus veterum theſauris, comparatis denique ad tria circiter millia editis, aut ſcriptis codicibus, Regiam Bibliothecam ditavit auxítque plurimùm in Gallias redux. *& Regiā Bibliothecam opibus literariis ditat.* Ex obſitis ſitu ac pulvere membranis, ex corroſis marmorum inſcriptionibus, ex inciſis in ære, ſed tempore exeſis monumentis, ex putredine fœdiſſimè corruptis, multigena exoritur literarum ſeges; varia ac præclara promitur librorum ſupellex; Actorum, Annalium, Analectorum, aliorúmque librorum mira exſurgit moles. Tam ſolerti obſtetricante

manû

manû, præterita retro ſecula renaſcuntur: rugíſque depoſitis tota juveneſcit antiqoitas. Hinc quanta apud omnes Mabillonii exiſtimatio! quantum nominis pondus! quanta eruditionis auctoritas!

editque Muſæum Italicum.

Medium circa annum 1686. ex Italia in Gallias reverſus ſuum ſub *Muſei* Titulo *Iter Italicum* juris pnblici fecit, de quo Volumine quarto hujus Operis agetur.

Alia Mabillonii itinera indicantur.

Prætereo alia Itinera Literaria, quæ *Mabillonius* cum ſocio ſuo Domno *Michaële Germano* in Picardiam, Campaniam, aliásq; Galliæ partes confecit; tantùm primam & ultimam peregrinationem breviſſimè noto. Illa fuit in Belgium inſtituta, adjunctô ſociô D. *Claudio Stephanotio*, qui poſtea plerasque Galliæ, maximè Transligerianæ, Bibliothecas Superiorum juſſu perluſtravit, non ſine magno fructu reipublicæ literariæ. Altera in Lotharingiam ſuſcepta fuit aſſociante *Joanne Jeſſeneto*, egregiæ indolis atque optimæ ſpei adoleſcente, moribus, animo & judicio maturo, ſed qui in ipſo ineuntis curſûs ſtadio, cùm nterque domum reverſi eſſent, non ſine magno Mabillonii mœrore è vivis ſublatus eſt. *Videſis Mabillonii Vitam, tum in ejus Annalibus, cùm in Philippi Cerſii Bibl. pag. 213. ac etiam Part. III. hujus noſtræ Hiſtoriæ pag. 436.*

§. V.

Iter Literarium Bernardi Montfanconii.

Suſcipiendi in Italiam Itineris ratio.

POſt annnm duodecimnm, quàm Johannes Mabillonius ex Italia in Galliam reverſus fuerat, Cl. *Montfauconius* in eandem iter inſtituit. Inter plures illius ſuſcipiendi cauſas, anecdota ſanctorum Patrum ope manuſcriptorum codicum eruenda, facilè princeps fuerunt. Poſt curatam enim S. Athanaſii editionem probè intellexerat, nonniſi luſtratis Italiæ Bibliothecis, poſtremam Græcis Patribus manum commodè admoveri poſſe.

Bonis auſpiciis proficiſcitur, cum Socio.

Videbatur ſibi verò bonis avibus profecturus eſſe. Congregatio enim San-Mauriana, cujus juſsû iter ſuſcipiendnm erat, magnâ ubique valebat authoritate. Non deerant in Italia & amici & fautores. *Clemens XI.* Pontifex Maximus antehac non Mæcenas tantùm, ſed etiam amicus erat. Gratia apud Eminentiſſimos Cardinales *Noriſium*, *Ferrarium*, *Etreum*, *Cantelmum*, plurimùm valebat. *Magliabechus*, *Salvinus*, *Muratorius*, *Duccius*, *Wilhelmus la Farre*, multíque alii viri docti atque Italicis Bibliothecis præfecti in amicorum numero erant. Itineris ſocium *Paulum Brioys* juvenem doctum & impigrum delegerat. Quid non igitur bonæ ſpei de hoc tali itinere Patris Montfauconii concipi poterat?

Paulo Brioys.

A. 1698. Lugdunum, inde Viennam aliasque urbes petit.

Annus antem volvebatur milleſimus ſexcenteſimus nonageſimus octavus, cùm decimo octavo Maji Lugdunum & inde Viennam petiit; quâ poſteriori in urbe deprehendit inſcriptionem, in quâ templum tegulis auratis ex liberalitate Flaminicæ, id eſt, Flaminis uxoris, ornatum fuiſſe obſervavit. Propè Arelatem oſtenſæ ipſi fuerunt cryptæ S. Trophimi, Apoſtolorum diſcipuli, ejúsque altare, in quo ſacrum feciſſe, itémque locum, ubi accedenti populo quaſi è ſuggeſtû verbum Dei prædicâſſe fertur. Nemauſum quartâ Junii profecto, atque antiquitatum veſtigia luſtranti, magnæ molis codicem XIII. ſeculo ſcriptum Regius urbis Advocatus obtulit evolvendum.

Collectionem Flori retegit,

Erat collectio locorum S. Auguſtini ex variis ejus operibus, pro expoſitione epiſtolarum D. Pauli: opus Bedæ primò adſcriptum, exindéque Flori cujusdam eſſe compertum fuit, ut memorant Galli noſtri Benedictini in editione Operum S. Auguſtini. Librum tegit antiquins diploma Bernatdi, Comitis Ceritanenſis, quod hactenus ineditum, locum poſtea in deſcriptione ſui Diarii habere juſſit.

Pagio vale dicit.

Aquas Sextias hinc petiit, ibíque Clariſſimo *Pagio* ſupremum vale dixit. Is Hiſtoriæ Criticæ haud ita pridem extremam manum impoſuerat. Totum Opus quatuor in ſolio tomis conſtat, quorum unus tantummodò publici tum juris ab auctore factus fuerat, qui non diu poſt diem obiit.

Lerinenſem inſulam inviſit;

Maſſiliæ inviſit cœnobium S. Victoris, cujus eccleſia remotiſſimæ antiquitatis ſpeciem præfert, ſpiſſiſſimis columnis fulta. Die S. Joañis Baptiſtæ cymbâ Lerinenſem inſulam petiit, à S. Honorato primùm inhabitatam, exinde ſemper à monachis cultam, demũ Ordini S. Benedicti conceſſam; quam hodie Monachi è Congregatione Caſinenſi incolunt: appulit verò inter ſaxa & anfractus. Poſtquàm res ſacras animadverſione dignas inviſit, in Bibliothecam conſcendit, olim nu-

mero-

meroſiſſimâ; ſeculo nimirùm XVI. quô Gregorius Corteſius, Dionyſius Faucherius, aliíq; doctiſſimi Monachi Itali literarum ſtudia in Inſula mirificè excoluerunt. Superſunt hodiéque manuſcripti quidam codices, non ita magni pretiii, quos evolvere per tempus non licuit: magna pars, ajebant Lirinenſes, exportati ſunt, & hinc inde diſperſi. Fuit olim hæc Inſula ſeminarium non modò Sanctorum & Martyrum, verùm etiam Literatorum. Hîc *Hilarius*, & *Cæſarius* Arelatenſis, *Eucherius* Lugdunenſis, *Lupus* Tricaſſinus, *Vincentius* Lirinenſis, & alii benè multi vitæ Chriſtianæ, Aſceticæque, & literarum pariter tyrocinia poſuêre. Vigeſimâ octavâ Genuam advenit, quam urbem non ita ſtudiis ſuis opportunam maturè liquit, atque tertiâ Julii venit Mediolanum: ubi primam in id curam impendit, ut Bibliothecam adiret Ambroſianam, in qua *Ludovicum Antonium Muratorium*, ex præcipuis cuſtodibus alterum, quîcum ipſi epiſtolaris familiaritas & neceſſitudo intercedebat, amplexatus fuit. Is omnes ſemper poſthabuit res, ut inſerviret ejus ſtudiis, & quod maximè cordi erat, liberam viſendorum codicum copiam fecit. Eſt verò Bibliotheca ædificium grande, cujus conclave ab ingreſſu primum, amplum & præaltum, cuſos complectitur libros, intermixtis pauciſſimis manuſcriptis. Etſi autem frequentes adſint libri ad quadraginta fermè millia, deſiderantur tamen libri multi perneceſſarii, & editiones Patrum accuratiores. Ad extremum Bibliothecæ intratur in periſtyllium, ubi icones depictæ illuſtrium Virorum, quot vix usquam ſimul occurrunt, & in conclavi ſequenti ſimilis conſpicitur ſupellex; unde ingreſſus patet in aliud, plenum codicum Arabicorum, Copticorum, Syriacorum, ac maximè omnium Græcorum & Latinorum, qui comportati iſtuc fuerunt ex Theſſalia, Chio, Corcyra, Japygia & Magna Græcia, curantibus maximè *Olgiato*, *Pinello*, atque aliis.

cujus illuſtres Viri cenſentur.

Bibliotheca Ambroſiana Mediolani.

Muſæum celebre Mezzabarbæ.

Poſt hæc *Montfauconius* Illuſtriſſimi Comitis *Mezzabarbæ* Muſæum ter quatérve inviſens, inter alia ſingulare numiſmâ conſpexit, habens in antica Auguſti vultum cum inſcriptione; AVGVSTVS DIVI F. in poſtica coronam lauream, in cujus medio ſcriptum erat: REX PTOL. in circuitu autem diadematis C. LÆTILIUS APALVS IIVIR; cujus loco *Begerus* in Theſauro Brandeburgico ſic legit: -- TILIVS APALVS IIVIR; *Patinus* verò mutilam & mendoſam lectionem ita adfert: --- SAPILVS IIVQ. Dum Mediolano parat profectum, monitus cum ſocio à Clariſſimo Viro *Magio*, Græcæ linguæ Magiſtro, eſſe in urbe doctiſſimam *Luſinianam* Genuenſem, quæ valetudinis causâ Mediolanum venerat, & provocare ipſos ad colloquium, cum laudato viro iſtuc perrexit. Erat nobilis virgo 24. annorum, complurium linguarum perita. Græcè jam callebat probè, ut ſpes eſſet, brevì fore peritiſſimam. Ajebat, ſe alternatim artem & facultatem ediſcere, hinc linguam aliquam. Vacabat tum Græcis, mox Jurisprudentiam Eccleſiaſticam aggreſſura. Gallicè loquebatur elegantiùs, quàm exteri; Hiſpanicè pariter Latinéque perinde fabulabatur.

Luſiniana Virgo doctiſſima.

Ticini Bibliotheca Immac. Conceptionis B. V.

Ticinum ubi venit, Equitem, cui comendatus fuerat, *Beleredduim* adiit, apud quem Bibliothecam ſingularem deprehendit, numeroſam ſanè, ſed non niſi libris pro immaculata Conceptione B. MARIÆ Virginis propugnanda adornandis refertam, in quorum uno à P. *Alva* exarato depictam conſpexit virginem ſublimem, inferiùs ſeptum murorum turribus munitum, in ſingulis verò turribus ſingulos prominentes Franciſcanos adversùs Draconem πολυκέφαλον, Conceptionis immaculatæ adverſarium, ſtrenuè dimicantes. Mox Eccleſiam Canonicorum Regularium ibidem adiit, percontaturus de reliquiis S. Auguſtini, quas fama tulerat, ibidem non diu antè repertas fuiſſe. Et heîc quidem multa ipſi narrata de integro negotio fuerunt. Cùm verò rogaret, ut liceret ea, quæ reperta fuerant, videre, id negatum: à Monaſterii verò Priore dono ipſi oblata reſcripta pro veritate reliquiarum nuper cuſa, & nonniſi locum ſubterraneum inſpicere conceſſum fuit.

Placentiam, inde Parmam pervenit,

Vigeſimâ tertiâ Julii *Placentiam*, & inſequente Parmam pervenit, ubi in monaſterio S. Joãnis Evangeliſtæ cum nulla non obſervantiæ & benevolentiæ ſignificatione ad hoſpitium admiſſus cum ſocio fuit à R. P. Abbate, & à doctis viris *Epiphanio*, & *Joanne Maria de Baliſteriis*, ſacrarum Literarum Lectoribus. Mutinam delatus *Benedictum Bacchinium* noſtrum, Virum eruditiſſimum, inſudantem invenit editioni *Agnelli Ravennatis*, auctoris inediti noni ſeculi, de vita Præſulum Ravennatenſium ad ſuam usque ætatem,

tem,

Bibliothecam Ducis Mutinæ perluſtrat.

tem, cujus curâ introductus fuit in Bibliothecam Sereniſſimi Ducis Mutinenſis, quam præter opinionem multis codicibus manuſcriptis, ab editis curâ *Bacchinii* ſeparatis, refertam vidit. Evocante ipſum ad confabulationem Sereniſſimo Duce Mutinenſi 29. Julii, ipſum adiit. In Benedictini Ordinis laudem ipſe multa profudit, quem à ſe eâdem, ajebat, quâ S. Benedictus ſtirpe nato, in pretio haberi: *Regulam ejus tanta ſapientia concinnatam, ut eſſet etiam moderandæ Reipublicæ opportuna:* quam ob rem patrem ſuum eâ uſum eſſe frequentiſſimè.

Regulæ S. Benedicti elogium.

Mutinâ in Monaſterium S. Benedicti Padolironenſis venit, totius Italiæ ampliſſimum, quod latifundia poſſidet, quanta vix aliud. Bibliotheca codicibus Latinis tantùm manuſcriptis benè multis exornatur.

Bibliotheca S. Marci Venetiis.

Venetias quartâ Auguſti menſis deportatus, ſeptimâ ejuſdem die à D. Abbate *Leitk*, ſive *Gualterio* in Bibliothecam S. Marci intromiſſus fuit; in qua nonniſi manuſcripti codices habentur maxima pars Græci, & à Cardinali *Beſſarione* dono oblati. Spes erat ampliſſimæ meſſis: at octava Auguſti cùm ad condictum tertiò accederet, renunciavit Abbas Procuratorem *Cornarum*, cui maximè incumbit Bibliothecæ cura, monitum ab neſcio quo, qui pridie in Bibliothecam ſe intromiſerat, vetuiſſe, ne ipſi luſtrandi, multóque minùs exſcribendi facultas daretur (m), ratum è Reipublicæ & Bibliothecæ dignitate fore, ſi codices tantò numerô occulti in pluteis quieſcant in pace, & nullo uſui ſint: *quaſi verò*, ajebat Montfauconius, *Cardinalis Beſſarion, qui codices iſtos tantâ curâ conquiſivit, & ex variis orbis partibus advexit, eô conſilio id egerit, ut in belliſſimo conclavi tumularentur, & quietè agerent, donec aut ſitu, aut blattis, aut incendio, quod non rarò evenit, interirent.* Ajebant porrò, non ſine ſuſpicione literatos admitti ad evolvendos codices, ex quo Græcus quidam Bibliothecæ cuſtos, accuſatus, quod manuſcriptis codicibus ad quæſtum uteretur, multóſque venundaret, de capite timens, venenô mortem ſibi conſcivit. Ego verò crediderim, Montfauconium natione Gallum uſu Bibliothecæ eâ cauſâ prohibitum fuiſſe, ne ipſe prior evulgandis illius monumentis Venetos præverteret. Jam tum enim Cuſtodes egregium animo conſilium agitâſſe, ut orbi literario ampliſſimam de codicibus manuſcriptis, qui in S. Marci Bibliotheca aſſervantur, notitiam traderent, ex eorum catalogo, qui curâ & ſtudiô *Laurentii Theupoli* Venetiis apud Simonem Occhi anno 1740. typis vulgatus prodiit, à vero non abſimile mihi videtur.

Montfauconio occluditur.

Repulſæ cauſa.

Bibliothecam Procuratoris Julii Juſtiniani, & Sancti Georgii Majoris Venetiis luſtrat.

Meliore fortunâ præter alia Muſæa *Montfauconius* luſtravit Bibliothecam Procuratoris *Julii Juſtiniani*, pii & docti ſenis, multis Reipublicæ muneribus perfuncti, quem penes codices manuſcripti, quot nuſquam in urbe, exceptâ unâ S. Marci Bibliothecâ. Narratione quorundam acceperat, adeſſe codices manuſcriptos in Monaſterio S Georgii noſtrorum Caſinenſium, quos ut convenit, vix à limine Bibliothecam ſalutare conceſſum. Poſtremis diebus, quos Venetiis egit, cùm in Bibliopolio quodam Biblia Coptica manuſcripta quinque tomis offendiſſet, parvo ipſa ære coëmit. In iis Pentateuchus, Daniel, qui rarus occurrit hâc linguâ, novum Teſtamentum totum cum Apocalypſi, quæ haud frequens eſt; reliqua deſunt.

Patavium indéque Ravennam, &c.

Vigeſimâ tertiâ Auguſti Patavium venit, & in ſequenti rogantibus, imò amicè urgentibus Monaſterii S. Juſtinæ Monachis, in monaſterio diverſatus fuit. In Bibliotheca pauciſſimi manuſcripti ſunt codices. Regreſſus Venetias, trigeſimâ Auguſti ſolvit Ravennam, ſactóque exſcenſu Bibliothecam luſtravit *Pompoſianam*, de qua nos ſuperiùs diximus.

Ac tandè Romam adventat XVI. Septembris A. 1698.

Decimâ ſextâ Septembris anno 1698. Romam adventavit, ubi à Viro Clariſſ. *Claudio Stephanotio*, Congregationis ſuæ Procuratore Generali, veteris amicitiæ nomine fraternè exceptus, nec non à D. *Guillelmo La Barre*, ejus tunc ſocio. Inſperatis negotiis interceptus duobus cum dimidio annis Romæ verſatus eſt, otiúmque tantum evolvendis maximè Bibliothecarum codicibus, luſtrandis etiam Urbis monumentis contrivit.

Inter adverſa, quæ acciderunt, domeſtica præſertim funera, nec opinantem, uti ſolet, intercepêre. Etenim D. *Claudius Stephanotius* anno

1699.

(m) Hæc repulſa, quòd altâ mente Montfauconio repoſta manſerit, liquet ex ejus literis ad D. *Jourdini* poſteà datis, in quibus, quàm inepta fuerit, denuò conqueritur. *Vide Hiſtoire d'un voyage litteraire...*

1699. 20. Junii è vita migravit. Vir præclariſſimus, cujus à pietate, prudentia, ſtudio literarum aliquod erat Romæ & in Galliis nomen.

Itineris ſocius moritur.

Paucis item poſt deceſſum ejus menſibus in ætatis flore ſublatus eſt itineris ſocius, D. *Paulus Brioys*, acri juvenis ingenio, Græcè doctus. Ex hac mortali vita abiit anno 1700. die 10. Febr.

Toto illo dnorum & dimidii annorum ſpatio, ſi quid vacabat à Bibliothecarum, & codicum curis, explorandis Urbis monumentis dabat operam. Et cùm aliquamdiu nullo ordine, útque ſors ferebat, modò id, modò aliud viſiſſet, quandam deníque ſibi præſcripſit luſtrandi normam,

Explorat Urbis monumenta.

nt viginti dierum intervallo Urbem totam percurreret, accuratè ſingula circumſpiciendo. Morem autem repetiit, qnoties vel amicorum rogatu, vel ſuopte nutu ac voluntate Urbem reviſit, nt vicenorum ſemper dierum curriculo totum complecteretur. Quæ ſingula verò curioſiùs indagavit, in ejus Diario Italico legi poſſunt.

Neapoli à Cardinali Cantelmo humaniter excipitur.

Româ perrexit *Montfauconius* Neapolim, ac D. Archiepiſcopum Cardinalem *Cantelmum* obſequii cansâ convenit. Is, præter cæteras animi nataliúmque dotes, literarum Item cultu inſignis, de adventu gratulatus, nullâ non benevolentiæ ſignificatione Bernardum proſecutus eſt; poſtridiéque convivio excepto, muſæum ſuum feriémque numiſmatum harumce rerum non incurioſo aperuit. Ibi lamella aurea ex quodam Siciliæ ſepulchro non diu educta, Ægyptia Sacra præfert, exptimítque mendem, ſive hircum, Ibin avem, Apidem bovino capite, Iſidem, aliáque id genus portèntoſi cultûs inſignia; ita ut ſingulæ penè figuræ in ſerpentis caudam, neſcio quâ religione, deſinant. Ibidem nnmiſmata benè multa, Samaritanè, Græcè, Latinè inſcripta, quorum per tempus notam excipere non licuit. Sub hæc, evocatos è ſeminario jnvenes, qui ejusdem clariſſimi Antiſtitis cura & peculio, literis humanis divinísque linguls, Item Latinæ, Græcæ, Ebraicæ dant operam, juſſit, pro ſua quemque facultate, Latinè, Græcè, Ebraicè hoſpitum gratiâ diſſerere, quod naviter illi in landem Gallicæ gentis, & Congregationis S. Mauri proſa, carmine loquutl præſtitêre. Paria in ipſum officia contulit vir multis nominibus obſervandus *Caſſonius*, Nuntius Apoſtolicus, qui ipſum lauto & piſculento prandio excepit, ac deinde nec rogatus ſtudiis ipſius favit, ſicubi opus fuit.

In monte Veſuvio, ſecunda Novembris die, onuſtos adbuc uvis palmites conſpexit, id quod in æſtuoſo adeò ſolo maximoperè miratus eſt.

Bibliothecam PP. Auguſtinianorum inviſit.

Cùm in Bibliothecam S. Johannis de Carbonatia Patrnm Auguſtinianorum conceſſiſſet, in qua codices Græci habentur ad centenos, totidémque Latini, & ipſe hos evolveret, ac ſocio quædam exſcribenda tradidiſſet, accurrit cuſtos, & interpellavit ſcribentem, ſe, quòd talem *Mabillonio* ſcribendi copiam feciſſet, pulſum olim è monaſterio dictitans, ipſóſque ulteriori perquiſitione probibuit; horis tamen aliquot interjectis, ad amicorum interceſſionem, ad rem redire ipſi permiſſum fuit.

In montem Caſinum venit,

In montem Caſinnm undecimâ Novembris advenit, atque à D. *Eraſmo Gattola* hoſpitaliter habitus, nullóque non humanitatis officio exceptus fuit. Primis poſt acceſſum diebus ſpectandis monaſterii locis vacavit: mirari ſanè ſubiit, quod tam arduum in locum carris non pervium, tantæ molis columnæ, marmora, & alia id genns advecta ſint.

Bibliothecam & Archivum perluſtrat.

Hinc, quod maximè cordi erat, ad codices ſe vertit, quorum adhuc feſtiva copia ſupereſt. Eorum notam peramplam cùm Græcorum, qui pauciores comparent, tum Latinorum excerpſit. Eſt ibidem Archivum nobile, diplomatibus penè innumeris inſtructum, curante D. *Eraſmo Gattola*, harumce rerum peritiſſimo. Is dono obtulit ipſi apographa quædam ptivilegiorum Abbatis Caſinenſis, creandi nobiles, cogendi exercitus, & quæ iſtius generis plura ſunt.

Poſt peractum Neapolitannm iter, dum in Urbe verſaretur, animi causâ ſubinde in vicina, & à priſcis illis Romanis frequentata loca conceſſit, in Albanum ſcilicet caſtrum, olim *Alba longa*, cui ſuam Roma refert otiginem.

Iter Sublacenſe,

Memoratu dignius eſt iter, quod *Sublacum* fecit, locum primo ſancti Patris Benedicti ſeceſſu famoſum. Honorificè à D. Abbate, cæteríſque cœnobii monachis exceptus, ſacram ſpecum viſit, ubi ſanctus Pater aſceticæ vitæ tyrocinia poſuit, humano omni conſortio deſtitutus.

Specus S. Benedicti,

Specui monaſterium aliud jam penè deſertum adjacet. Rupi imminet ſacellum, ſeptúmque lapideum, nbi olim ajunt ſitum monaſterium Theodati, Iſtic verſabatur *Romanus* Monachus,

qui

Spinæ in queîs volutatus,

qui panem adoleſcenti BENEDICTO in ſpecu degenti ſuppeditabat. Monſtrant hodieque ſpinas, in queîs volutatus ille flam̃am concupiſcentiæ reſtinxit, quô locô ajunt *S. Franciſcum*, cùm Ordinis ſui exordia poneret, in ſeceſſu degiſſe, depictámque ejus in muro figuram exhibeut, non ita multò poſt ejus deceſſum adornatam, neque ei diſſimilem, quæ in Laterano viſitur. Haud procul monaſterio, ad alteram Anienis ripam, rudera quædam ſuperſunt, narrántque domûs *Florentii* presbyteri veſtigia eſſe, qui, cùm mulierculas nudas tentatum diſcipulorum Benedicti pudicitiam miſiſſet, divinitùs im̃iſſa clade pœnas ſceleris luit. Roganti, ubi lacus ille S. Mauri, ſiccô pede, ut *Placidum* undis eriperet, calcantis aquas, prodigio nobilitatus; reſponſum eſt, *Anienem* rivum inter anguſta montium fluentem ad fauces quasdam ſtructô murô reſtagnâſſe; cujus muri etiamnum reliquiæ ultrò citróque viſuntur. Idque de induſtria à Romanis factum, ut ex gurgite canalem in Urbem ducerent, viderique proximè ductûs hujusmodi veſtigia.

Florentii ædes,

Lacus S. Mauri &c.

Ad vicum Varronis pergit,

Sublacô ad vicum *Varronis* pertexit, jam populari uſu *Vicovarro* dictum, vigeſimo quarto ab Urbe milliari ſitum. Haud procul vico rupes ingens Anieni im̃inet: in medio prærupti excavatæ cellulæ ſuſpiciuutur, eâdémque ſerie cella major in ipſa petra ſimiliter videtur, quô refectoriô olim utebantur, ornatúrque picturis, hiſtoriam venenati poculi S. Benedicto oblati referentibus. Illud enim monaſterium fuit, in quo S. Benedictus oblatum à Monachis venenatum calicem ſignô crucis confregit. Ex altera præcipitii parte exſtat eôdem penè ſitu & forma *cellula S. Patris Benedicti* in rupe ſimiliter poſita, jam in honorem ejusdem in ſacellum verſa. Ferunt ſanctum virum in cellulam ventitâſſe per canalem antiqui Romanorum aquæductûs in ipſa rupe plus uno milliari excavatum: opus ſanè ſtupendum, quod adhuc magna ſui parte illæſum ac permeabile ſupereſt. Foramen illud rupem totam trajiciens eſt alitudine pedum quinque, latitudine quatuor, oblitum undequaque cæmento, politiſſimâ ſuperficie. Planities rupi im̃inens, quâ vergit ad præcipitium, occupatur Cœnobio Franciſcanorum nudipedum.

luſtrat cellulam S. Bened.

Galliam repetit A. 1700.

Anno 1700. d. 21. Februarii, paucis poſt D. Pauli ſocii deceſſum Româ

P. Ziegelbauer Hiſt. P. I.

profectus, ut patriam repeteret, Senas venit, ubi urbis Eccleſiam Cathedralem cum ejus ornamentis inſpexit, nec antiquam Bibliothecam præteriit, in qua ſolos animadvertit ſupereſſe codices, qui ad cantum pertinent, à Benedictino quodam Congregationis exaratos. *Florentiam* 25. Februarii adventavit, ibíque à D. Angelo Ninceo, Mouaſterii S. Mariæ Abbate, hoſpitaliter fraternéque exceptus fnit, nec non à monachis iſtius cœnobii, quibuscum duobus penè menſibus verſatus eſt. Monachi enim iſthîc omnes probis moribus ac urbani cumprimis ſunt, quibuscum non peregrini, ſed fratris more verſatus, omnibus humanitatis officiis exornatus fuit. Prætereà ipſum delectavit Florentiæ, modò Bibliothecâ in palatio Magni Hetruriæ Ducis, modò inſcriptiones in domo *Bonarotæ*, modò Monaſterium & Bibliotheca Camaldulenſium, & Bibliotheca inſignis S. Laurentii, modò *Gaza Medicæa*, modò alia.

Florentiæ perhumaniter exceptus,

Ducis Bibliothecâ &c. perluſtrat.

Bononiæ S. Proculi Monachos inviſit.

Bononiæ Monaſterium S. Proculi Benedictinorũ elegantiſſimè ſtructum petiit: in cujus porticu, quà reſpicit hortum, ad alterum xyſti terminum, Gratiani illius, olim Monaſterii Monachi, à Decretalium compilatione famoſi ſtatua erigitur; ad alterum verò Pauormitani Abbatis, qui olim Bouoniæ ſtudiis vacavit.

Bononiâ profectus, ac Ferrariam & Clodiam prætergreſſus Venetias adventavit. Hîc obſequii causâ Dominum *Cardinalem d' Etrées* cum ſocio adivit: cujus prolixam erga ſe voluntatem, ſtudiísque ſuis ſavendi ſtudium haud ſemel expertus eſt. Is Montfauconium plerumque ad convivium excepit, ac pro virili varias in Bibliothecas aditum paravit. Cum eo ſemel in Bibliothecam S. Marci conceſſit; nam is omnigena eruditione inſtructus pariter, ac rebus gerendis natus erat. Hôc ipsô Eminentiſſimo Cardinali ſtimulante, literarum bonarúmque artium patrono, ad oras Dalmatiæ & Peloponeſi trajicere parabat. Non procul enim Epidauro Monaſterium Græcorum abeſt, Græcis codicibus refertum: in variis item Peloponeſi locis codices etiamnum habent, quos vili emere à Græcis in ſorditate ac penuria degentibus in promptu ſit. At rerum Italicarum timore, tumultuariáque temporum conditione interceptus, avocatúsque à propoſito fuit. Quare in Galliam reverſus, undecimâ

Venetiis Cardinalem d' Etrées ſalutat,

Cujus conſilio in Græciam tranſire parat; ſed rebus turbidis in Galliam revertitur anno 1701.

Junii an. 1701. Lutetiam adventavit: atque ita peregrinationem, quam non plus anno fore ſperabat, vix totis tribus annis confecerat.

§. VI.

Iter Literarium ANGELI MARIÆ QUIRINI S.R.E. Cardinalis.

Quirinus ex Italia in Gallias proficiſcitur anno 1711.

NOndum Epiſcopalis Infula, nondum Purpureus Galerus QUIRINUM ornaverat, cùm ipſe ex Monaſterio S. Mariæ Florentiæ, in quo Ordinem Divi Benedicti profeſſus ſeveriores diſciplinas, Theologiam & Jus Pontificium ſumma cum laude docuerat, digreſſus, augendæ eruditionis cauſâ ultra montes, in Gallias præſertim, peregrinatus eſt. Duos verò annos Lutetiæ Pariſiorum in San-Germanenſi Aſceterio, celeberrimo doctrinarum emporio, ſubſtitit, quibus evolutis, animum ejus ſubüt cupido, per Gallias literarium inſtituendi iter, quod Ipſe his enarrat verbis:

Solidum Pariſiis biennium exigit.

„ Poſt exactum Pariſiis biennium ferè integrum, deſiderium me ſubüt varias Galliæ regiones obeundi, ut inde polymathiam illam mihi pararem, quæ viatoribus diſcendi cupidis ultrò etiam ſe offerre conſuevit. Igitur Rothomagum primò adivi, exceptúſque humaniſſimè in Benedictino S. Audoeni Cœnobio magnam voloptatem percepi, quod in ea nactus fuerim *Willelmum Beſſinum*, qui novæ Conciliorum Normandiæ Collectioni, poſtquàm ei Operi ante binos annos immortuus fuiſſet *Joannes Bellaiſus*, operam dabat. Is Ipſe me deduxit ad Virum alium doctiſſimum, & Scriptis ſuis celeberrimum, *Bernardum Lamy*, qui paritet in ea Urbe degebat, quémque eo libentius inviſi, quòd familiares in Italia habuiſſem libros ab eo compoſitos. Plura de eorum argumentis ab optimo eo ſene percunctatus ſum, & quæſtionibus meis omnibus humaniſſimè ille reſpondit. Inter cætera eundem interrogavi, num verum foret, quod Florentiæ à Magliabechio inaudieram, librum, cui titulus: *La grandeur en general*, confectum ab eo fuiſſe, dum pedibus iter haberet Gratianopoli Pariſios: atque ita reverà contigiſſe ille reſpondit; quin ſubdidit, morem illum itinerandi à ſe adhuc retineri, quippe qui ætate licèt provecta in more habens quotannis Rothomago Pariſios pedibus pariter migrare, plura interea mente revolvebat, atque commentabatur, quæ exacto itinere in ſcripta redigebat, typíſque haud multò pòſt commendabat.

Rothomagum petit,

Viros eruditos ſalutat.

Carolus Franciſc. Ducis Luxemburgici in eû comitas.

Carolus Franciſcus de Montmorancio, Dox Luxemburgi, Normandiæ Gubernatot, multis humanitatis officiis me proſecutus eſt, quod ipſi per literas commendatus fuiſſem à Marchione de Torcy, & ab hujus fratre Epiſcopo Monpeſſulano. Aderat unà cum eo *Gaſpar Abeille*, Generalis Provinciæ Normandiæ Secretarius, Vir Gallica Poëſi admodùm inſignis, íſque vix aut ne vix quidem à latere meo diſcedebat, & multa à me de amicis ſuis Pariſienſibus, præſertim de *Renodotio* ſciſcitabatur, & ipſe contrà haud pauca ab ipſo ſciſcitabar de Eccleſiaſticis ejus Provinciæ rebus, & inprimis de *Colberti* Archiepiſcopi regimine, cui Claudius Maurus d'Aubigne ſucceſſerat, ex Noviodunenſibus Infulis ad Rothomagenſes translatus. Hæc omnia argumentum præbuerunt literis, quas ex ea Urbe ad Renodotium conſcripſi; quibus ille reſpondens, inter cætera ludit primò in Romanum Præſulem, cætera doctiſſimum, quod Bibliothecam Colbertinam videre neglexiſſet, quódque Pariſiis & in Aula Verſalienſi violaceo habitu indutus paſſim procederet, deinde in *Boivinium*, cujus nomen Græcè effert, & in *Verrerium*, quem *Sympoſiarcham* vocat ob morem, quem habebat, convivio excipiendi Viros eruditos, ut eruditionis & Ipſe famam ſibi inde pararet, quamvis de librorum tantùm ornamentis curam ac peritiam præſeferret: indignabatur verò *Boivinium* de tricis Italicæ Grammaticæ, quam deperibat, nimis frequentem ſermonem inſtituere.

Rothomago vicinas luſtrat Abbatias.

Rothomagô digreſſus luſtrare primùm inſtitui celeberrimas Benedictinas Abbatias haud multum ab ea Urbe diſſitas, ſcilicet *Fiſcamnenſem*, *Fontanellenſem, Gemeticenſem*, *Sancti Georgii*, atque *Beccenſem*, eámque inde monaſticæ eruditionis ſupellectilem collegi, qua nihil mihi jucundius. Quúmque ejus circuitionis *Renodotium* certiorem reddidiſſem datis ad eum literis ex Beccenſi Monaſterio, in quo triduum integrum ſubſtiti, quòd locum illum illuſtres admodùm memoriæ *Lanfranci*, *Anſelmi*, *Guitmundi*, *Ivonis*, *Roberti*, aliorúmque mihi admodùm commen-

dâſ-

dâſſent, ſuis ille reſpondit datis die 31. Martii. Mihi in iis gratulatus, ut in ſuperioribus, earum inveſtigationum mearum utilitatem, occaſionem capit Italum Præſulem Gallico aceto iterum perfundendi, homo aſperior aliquando in amicorum etiam levioribus maculis mordaci cenſura notandis, & valde alacer ad cognomina imponenda, quæ facerent, ut iidem quandoque tota urbe cantarentur. Eam auſteritatem eidem cognatam fuiſſe teſtatum etiam deprehendo in ipſius Elogio Actor. Academ. T. V. ubi ea cognomina, quæ *Renodotius* comminiſcebatur, ita deſcribuntur, *Epithétes uniques, qui peignent les caracteres d' aprés nature, & qui chargent toujours le ridicule d' un ſurnom redoutable.*

Inde Trappenſem & alias in Normannia viſitat.

Poſt luſtratas Abbatias, quas ſuperiùs memoravi, alias etiam, quibus abundat Normandiæ provincia, curioſè obivi, *Trappenſem* præſertim, *Cadomenſem* S. Stephani, Montis S. Michaëlis ad Tumbam, ſeu in Periculo maris dictam. Biduum in Trappenſi conſumpſi, quòd optarem funditùs ediſcere quæcunque ad *Armandi Butillerii Rancei*, novæ Obſervantiæ in eadem inſtitutoris, vitam & ſcripta ſpectarent; ex quibus mihi vel in Italia comperta erant, quæ ipſe & *Mabillonius* inter ſe pugnantes exaraverant *de Monaſticorum ſtudiorum ratione.* Inſuper diligentiùs inveſtigavi, quo pacto contigerit, ut ea Obſervantia à *Gervaſio* Abbate, quem poſt abdicatum à ſe Monaſterii regimen eidem præfici curaverat *Ranceus*, conflictata fuerit, & quo pacto, ut tanto malo mederetur, Abbatiæ dimiſſionem obtinere ſtuduerit ab eodem Gervaſio ipſe Ranceus, ſuffecerítque Gervaſio *Jacobum de la Cour*, qui eo ipſo anno, quo ego ad Cœnobium illud acceſſi, Trappenſem illam præfecturam ultro depoſuit, inſtituendíque Novitios munus accepit. Hæc omnia mihi apertè narravit *Petrus le Nain Tillemont*, quem valde jucundum mihi fuit ſuperſtitem adhuc in eo Monaſterio reperire, videre, & alloqui, ac facilè ex iis ipſis narrationibus, quàm compoſitus foret ejusdem animus, quàm ſingulari modeſtia aliíſque clauſtralibus virtutibus exornatus, quas abunde ejus Scripta præſeferunt, intellexi.

Cadomũ migrat.

Ex Trappenſi Cœnobio Cadomum migravi, ibíque in Benedictino S. Stephani Monaſterio humaniſſimè exceptus, multa ſtatim percunctatus ſum de primis *Danielis Huetii* in ea Urbe, quæ ipſi natales præbuerat, ſtudiis, de ejusdem cum *Samuele Bocharto* neceſſitudine, quúmque ad manus haberem librum ab eo conſcriptum de Urbis illius finitimorúmque locotum originibus, quædam ex ipſis inviſere mihi placuit, atque inter cætera Abbatiam Alneti, ubi Huetius Quæſtiones de Concordia Rationis & Fidei elucubraverat; Abbatiam quoque Fonteneti, qua à Rege donatus fuerat poſt abdicatum Epiſcopatum Abrincenſem, & in qua animus ei fuerat lares figere, quem cito abjecit ob judiciorum anfractus, quos quieti ſuæ valde noxios experiri adigebatur, ut bonorum, quæ in ea regione comparaverat, poſſeſſionem tueretur. Aderat Cadomi *Henricus Neſmond*, Bajocenſis Epiſcopus, qui auctor mihi fuit, ut luſtrarem caſtrum Toriniaci, in quo viſitur inſigne Mauſoleum Mareſcalli Matignonii, Toriniacam quoque Abbatiam, cujus Commenda ſtuebatur Matignonius Epiſcopus Lexovienſis, item Abbatiam Cordillonii, cui ptæerat *Matignonia* Abbatiſſa.

Toriniaci Caſtrum luſtrat & Abbatiam

Iter hujusmodi manu ſua mihi deſcripſit optimus ille ſenex, at ea characterum forma, qua nihil abſtruſius, quámque vel ipſe appellabat ſua in Epiſtola ad me data *griffonnage.* Idem mihi retulit, quid cauſæ fuiſſet, cur ipſe à Monachis S. Stephani aliquando abalienatus, adversùs quasdam Benedictini Profeſſoris theſes in eo Cœnobio pnblicè ptopugnatas, præſentibus Rectore, & plutibus Univerſitatis (cujus Monachi partem conſtituunt) Doctoribns, atque Epiſcopo quoque ejusdem Cancellario, Paſtorale mandatum promulgâſſet. Narrârunt contrà Monachi, ei cenſuræ oppoſitum fuiſſe libellum, cujus auctor ſerebatur *Renatus Maſſuetus.* Tandem ad Normannicum iter complendum Abrincatenſem urbem pertranſiens, in qua *Huetium* ejus Epiſcopum plura Paſtoralis ſollicitudinis monumenta reliquiſſe deprehendi, Montem S. Michaëlis ad Tumbam & in Periculo maris dictum aſcendi, ibíq; Sanctioris Hebdomadæ dies, & Paſchalia Feſta tranſegi.

Epiſtolis Pariſienſes amicos convenit.

Ea mora opportunitatem mihi tribuit aliqnot Epiſtolis Pariſienſes amicos conveniendi, ut cum hiſce communicarem mearum peregrinationum voluptatem & fructum. Præſto mihi ſunt eæ, quas ad ipſas repoſuit *Turellius*, quem excitaveram, ut men-

tem ſuam mihi aperiret de ejus loci ſanctitate, ſcilicet de Apparitione in eo S. Michaëlis, de peregrinationis ad illud frequentia, & præſertim de Miſſa, quam ſingulis feriis ſecundis cujusvis hebdomadæ ab ipſo Sancto Archangelo legi ſolitam, teſte *Ratherio* Veronenſi Epiſcopo, à quibusdam vulgabatur. Eas quæſtiones cautè eluſit Turellius, nec paſſus eſt piam ejus credulitatem à me in dubium vocari, móxque ad res novas, de quibus ſermo erat Pariſiis, indicandas digreditur.

Britañiæ inferioris Urbes præcipuas in viſit.

Normannicum iter emenſus, Britannicum aggreſſus ſum, quo Britanniæ (inferioris tamen) præcipuas tres Urbes inviſi, Redonenſem, Maclovienſem, & Nannetenſem. In prima hoſpitiom mihi præbuit Benedictina S. Melanii Abbatia, in qna nactus ſum *Guidonem Alexium Lobineau*, & ex eo accepi, quantum ſibi laboris ſumeret in ejus Provinciæ hiſtoria texenda, & in vindicanda eadem à beneficiario jure, quod ad Normandiæ Duces olim ſpectâſſe pluribus editis Scriptis contenderant Abbates de Vertot & Thuilleries. A Maclovienſi aberat id temporis ejus Præſul *Franciſcus Vincentius Deſmartetz*, qui propterea humaniſſimè Lntetiâ ad me ſcripſit, ſe dolere ex amiſſa opportunitate ſua mihi officia coràm exhibendi. Ex Nannetenſi illicò advolavi ad Abbatiam B. Virginis de Buzay Ordinis Ciſtercienſis, in qua maximam erga me comitatem expertus ſum *Ludovici de Caumartin*, ejus Abbatiæ Commendatarii. Is, qui in Academia iſta Præſidis munus jam obierat, Vir eloquentiæ & aliis ingenii dotibus utiqne præſtantiſſimus, vix dicere valeo, quot & quàm ſuaves ſermones mecum miſcuerit de Pariſienſi præſertim literatura, cujus ſtatum ſtudioſè à me indagabat, qnod ipſe jam diu ab ea Urbe abſens ſua in Abbatia degeret, magnificis conſtructionibus ibidem moliendis valde occupatus.

Ligeris tractum obambulat.

Buzeenſis Abbatiæ Præſuli, quem hoſpitem officioſiſſimum expertus fueram, vale amiciſſimè dicto, viam ingreſſos ſum, quam vulgò dicunt *la levée de la Loire*, eámque maxima cum oblectatione percurri à Nannetenſi urbe usque ad Aurelianenſem, ceu voluptuarium ambnlacrum, Ligeris aſpectu, Urbiúmque & oppidorum ei adjacentium frequentia admodùm jucundè recreatus. Salmurium ſpectandum mihi primò ſe præbuit, eóque luſtrato perrexi ad celebrem Abbatiam S. Florentii paucis tantùm paſſibus ab eo & Ligeri flumine diſſitam, atque amœniſſimo loco explicatam. De inſignibus ejusdem jnribus plura mecum diſſeruerunt Benedictini hoſpites mei, iique præterea deſiderium mihi injecerunt inviſendi Monaſterium Fontis Ebraldi, quin ſocios ejus itineris ſeſe obtulerunt. Tribus leucis Salmurio abeſt, quúmque ad illud perveniſſem, de ſingulari Religioſi Ordinis illius inſtitutione Monachos & Moniales ita complectente, ut ſupremum tamen ejusdem regimen penes Abbatiſſam reſideat, quamplura curioſè ſciſcitatus ſum, præter ea, quæ ex Editione Opuſculorum Marbodi Redonenſis Epiſcopi, ab *Antonio Beaugendre* Monacho Congregationis S. Mauri curata, quam Florentiæ evolveram, ſatis jam mihi innotuerant, ſcilicet de gravi invidia Roberto Arbriſello, ejus Ordinis Inſtitutori, inuſta ex cauſa nimiæ familiaritatis inter Monachos & Moniales, ab eodem, ut ferebatur, præſcriptæ.

Turonos adit.

Turonos deinde migravi, & in Monaſterio, quod *Majus* nuncupatur, hoſpitatus, facilè ibi inveſtigare valui quæcunque ad comprobandam ejusdem dignitatem & amplitudinem facerent. Hanc valde opportunam reperi, quæ ſedem Conventibus Generalibus San-Maurianorum juſtè præbere ſoleat. Eximia verò decora, quibus Turonenſis Metropolis effulget, abunde mihi narrarunt & ii Monachi, & alii Cœnobii S. Juliani, qnod pariter in ea Urbe poſſidet ea Congregatio. Ægrè tuli, abſuiſſe eo tempore ex eadem Urbe *Matthæum Dervaut* Archiepiſcopum, quem Pariſiis frequenter videram, & allocutus fueram, quod munus ab ipſo Romæ geſtum Auditoris Sacræ Rotæ colloquiis noſtris materiam amplam ſubminiſtraret, & præſertim dum menſæ Cardinalis D'Eſtrées unà ſimul accumberemus. Aderat verò in Civitate Bleſenſi, dum ad illam ex Turonenſi diverti, ejusdem Antiſtes, *Nicolaus Berthier*, quem viſitavi, eóque narrante intellexi, quænam foret calumnia ſuppilati ex ejus Bibliotheca Scripti, quo Antonius Arnaldus Analyſim tradiderat libri de *Correctione & Gratia*. Antequam Bleſis Aureliam adirem, haud omiſi inviſere magnificas ædes Ducis Mazarinii, qui humanè menſa ſua me ex-

excipere dignatus eſt. Quæ de eodem Pariſiis inaudieram ex multorum narrationibus, occaſionem illam cum ipſo aliquot horis verſandi jucundiorem mihi reddiderunt.

Aureliam petit. Aureliam adveniens nihil prius habui, quàm inviſere *Stephanum Baluzium* in ea urbe, Turonenſi relictâ, ex regia permiſſione degentem. De cauſa ejus exilii, ſcilicet de Hiſtoria Genealogica Alverniæ familiæ, plura mihi ſtatim expoſuit, at poſtquàm percepit, libros pleroſque omnes ab eo compoſitos à me, dum in Italia verſarer, perlectos fuiſſe, & Pariſiis quoque frequenter in manibus meis eſſe, inde optimus ſenex non gaudere tantùm, ſed triumphare mihi videbatur, quod ſuſpicaretur, eoſdem nullo in pretio ab Italis haberi ob latam adverſùs quàmplures ex ipſis cenſuram à Romana Sacri Indicis Congregatione. Jam mihi ſignificatum fuerat, Virum illum nigri illius theta libris ſuis præfixi ita faſtidioſum fuiſſe, ut amicis ipſum inviſentibus, & cuinam operi edendo vacaret ſciſcitantibus, identidem reſponderet: *Je travaille pour l'Index de Rome.* Incumbentem eundem reperi in Hiſtoriam Patriæ ſuæ, & unà ſimul in novam Editionem Operum S. Cypriani. Demum antequam Ligerim desererem, adire mihi placuit celebrem Abbatiam Floriacenſem, quò Galli tranſlatum autumant è Caſinenſi Monaſterio, à Longobardis jam everſo, Corpus S. Benedicti. A Monachis illis humaniſſimè exceptus, haud tamen omiſi acriter propugnare Caſinatum meorum cauſam, quòd memoriæ meæ fixa hærerent, quæ Angelus de Nuce aliique de eo argumento eruditè & ſolidè prodiderant.

Pariſienſes amici cum literis ſuis excitant. Iter hujuſcemodi ad Ligeris aggerem, cui integrum menſem impendi, Pariſienſium amicorum animum, æquè ac meum, exhilaraſſe viſum eſt, fidem ejuſce rei mihi facientibus eorundem literis, quas illud peragens identidem accepi. Turellius tamen ut ex meis intellexit, Lutetiam à me brevì repetendam, non ut diutiùs in ea Urbe morarer, ſed tantùm ut Italico itinere capeſſendo me accingerem, ac proinde ſtatutum mihi eſſe, horrendum *Ure & ſeca* tolerare, quod neceſſariò ſubiturus eram eo die, qui mihi in eadem ſupremum tempus foret, amantiſſimè mœrorem, quo ex meo illo propoſito angebatur, declaravit literis ſuis, quarum initio ad meam in Cœnobio S. Michaëlis manſionem iterum alludendi anſam capit: iis verò finem imponit Joanni fratri meo gratulatus, quòd Venetias Pariſiis redux, inter Reip. *Sapientes* cooptatus fuiſſet.

Campaniæ provinciam obit. Me Ligeris aggere egreſſum excepit Campaniæ Provincia. In ea ad Senonenſem primò urbem perrexi, luſtravique in ipſius Suburbiis inſignia Benedictinorum Cœnobia, ſcilicet S. Petri, vulgò dictum *le Vif*, & S. Columbæ. Monachi S. Petri multi fuerunt in mihi enarranda egregia cura ab eorum Sodali *Claudio Hugone Mathoud* ante aliquot annos ſuſcepta in obeundo Magni Vicarii munere ſub Præſule Ludovico Henrico Gondrino, præſertim in reprobandis laxioris Ethices dogmatibus, quibus addictos Regulares comperiens, eoſdem ab excipiendis Confeſſionibus arcebat, nec non in ſtatuenda pace, quæ Clementis IX. dicta eſt. Quædam inſuper inſigniora Monaſterii illius privilegia iidem legenda mihi exhibuerunt, quæ amicis inter me & illos diſputationibus anſam ſuppeditarunt. Ii ipſi comites ſe mihi addiderunt in adeundo Ferrarienſi S. Petri monaſterio, quod libenter inviſi loci illius religione invitatus, & præſertim fama ſanctimoniæ atque doctrinæ *Lupi* ſeculo IX. ibidem Abbatis, in cujus Operibus illuſtrandis quam diligentem curam navaſſet *Baluzius*, eorundem Editionis curator, iſte paulò antè mihi expoſuerat. Ab Epiſcopatus Senonenſis finibus diſcedens ad Trecenſem illius Suffraganeum contendi, conſedique in ſuburbano ejus Urbis Cœnobio S. Petri de Cella, ex quo multos prodiiſſe compereram ſanctitate, doctrina, ac dignitate illuſtres Monachos, etiam Tricaſſium Antiſtites, ac præ cæteris Petrum Cellenſem vulgò dictum. Præerat id temporis Trecenſi Eccleſiæ *Dionyſius Franciſcus Bouthillier de Chavigni*, aderátque ſimul in eadem Urbe *Franciſcus* ejus patruus, Præſul ipſe antea Trecenſis, qui ambo exiſtimatione & gratia poſtea valde floruerunt apud Ducem Aurelianenſem, Galliæ Regentem. Hi plura mihi officia ſumma cum humanitate præſtiterunt, & memini ipſos curioſius è me inveſtigaſſe, quid de doctrina & de ſanctimonia Armandi Abbatis Trappenſis, eorundem con-

Trecenſem agrum circuit.

ſan-

ſanguinei, ſentirem, poſtquàm Abbatiam illam luſtrâſſem, eoſdémque ad confirmandam, quam de eo conceperam, opinionem plura viciſſim mihi retuliſſe. Officioſiſſimè pariter me excepit Catalaunenſis Epiſcopus *Gaſto Joannes Baptiſta Ludovicus de Noailles*, quem convenire opus habui in Abbatia Altivillarenſi, cujus ipſe Comendatarius, quatuor tantùm leucis ab Urbe Remorum remota, quo curandæ valetudinis cauſa ſeceſſerat. Poſt multa ultrò citróque dicta ſermonem Præſul convertit ad turbas, quibus Gallicana Eccleſia eo tempore agitabatur. Ego verò ejus declinandi cupidus, alium, non omnino quidem ab eo diſſentaneum, ſed veteris eruditionis ſapore conditum, ſcilicet ſpectantem ad Altivillarenſes Antiquitates, promovere ſatagebam, verba faciens de varia Gotheſcalci fortuna, qui in eo ipſo Cœnobio in carcerem detruſus ibidem extremum finem ſortitus fuerat. Luſtraveram, antequam adirem Abbatiam Altivillarenſem, Monaſterium *Catalaunenſe S. Petri in Monte*, & Monaſterium etiam *Dervenſe*, quod Bercharius primus ejus loci Abbas extruxerat; inſuper celebriora Ciſtercienſis Ordinis Cœnobia iis in partibus ſita, nimirùm Clarevallenſe, Morimundenſe, & Pontiniacenſe, in quibus licèt minimè nactus ſim doctos ita Monachos, ac illi, quos mihi paſſim Benedictinæ San-Maurinorum Abbatiæ offerebant, attamen volupe mihi fuit primaria illa inſtitutæ à S. Bernardo Reformationis Aſceteria percurriſſe, eorúmque ſtatum oculis meis conſideràſſe. Ciſtercienſium Cœnobiorum circuitio iſta literas elicuit, quas ad me dederunt *Turellius* & *Renodotius*. Eæ Turellii peregrinationibus meis non ita blandiuntur, quin unà ſimul me moneant, præſtare, quippe qui nondum Pariſienſis literaturæ oceanum exhauſeram, ad eundem citò reverti, potiùs quàm ciſterninis aquis delectari. Oceani nomen aptat Abbati de *Longuerue*, ad quem in more habebam quotidie Pariſiis accedere, ad imenſam ipſius eruditionem deguſtandam inexpletam mecum afferens aviditatem.

Catalaunenſe, Dervenſe & alia monaſteria luſtrat.

Remorum Urbs reſtabat mihi adeunda, antequàm Campaniæ finibus excederem. Eam verò non adii niſi poſt luſtrata, quæ in Remenſi tractu ſita ſunt, duo antiquiſſima & maximè illuſtria Cœnobia, nimirùm S. Baſoli, & Avenacenſe. Primum eò curioſius inſpexi, quòd jam nôſſem ibidem coactum fuiſſe Concilium, quo Remenſis Sedes, pulſo inde *Arnulpho* Archiepiſcopo, adjudicata fuit *Gerberto*, qui poſteà Romanam aſcendit, *Sylveſtri II.* nomine aſſumpto. Hic eventus ſemel anſam mihi præbuit jocandi in quadam Epiſtola ad Cardinalem *de Fleury*, adhuc Forojulienſem Epiſcopum, & Regis Præceptorem, atque Abbatiæ illius Comendatarium, qua ipſum monui, ut caveret, ne tragicum ejus abdicationis exemplum in ea ipſa Abbatia inſtauraretur; cui monito ille (quo ferebatur intelligens) hæc repoſuit: *La crainte de voir renouveller à S. Baſole l' hiſtoire des Arnoux me l' a fait quitter, & le feu Roy m'a donné l' Abbaye de Tournou, qui eſt beaucoup plus belle, & dont les Faſtes ſont moins tragiques.* Avenacenſe Cœnobium à Sanctimonialibus incolitur, à quibus tam multa accepi de ejuſdem dignitate, juribus, & opibus, ut earum judicio adeunda mihi fuiſſet Campania vel unius Avenacenſis Cœnobii viſendi cauſa.

Reliquos Campaniæ fines peragrat.

Demùm Remos attigi, & quoniam rara quælibet & ſingularia ejus Urbis jam proximè præterito anno inſpexeram, libuit mihi cum San-Remigiani Cœnobii Monachis eruditos ſermones ferendo diem ſolidum tranſigere, quin ex illo pedem efferrem. Itaque ejuſdem Tabularium, & Bibliotheca horas omnes illius commorationis ſibi vindicârunt, quibuſdam ex doctis illis Aſcetis, nunquam à latere meo diſcedentibus. Prima ſtudiorum tyrocinia in eo Monaſterio à *Mabillonio* & *Ruinarto* poſita, ſuſceptúmque ab ipſis ibidem Monaſticum Schema, effecerunt, ut varia de Viris illis præſtantiſſimis ab iis Monachis mihi narrata jucundè perciperem; at unà ſimul dolorem renovârunt, quem Galliam ingreſſus conceperam, quod neutrum ſuperſtitem reperire mihi contigiſſet, *Mabillonio* ante quadriennium defuncto, *Ruinarto* ante biennium. Remis minimè nactus ſum *Franciſcum Mailly* Archiepiſcopum, qui ab aliquot menſibus Lutetiæ morabatur. Aderat verò ille, dum prima illa vice Remos adveni, quúmque cum San-Remigianis Monachis Hebdomadam Sanctam tranſigere ſtatuiſſem, paſſus quidem eſt me apud eoſdem hoſpitari, ſed adegit ſumma cum comitate, ut ſingulis diebus ipſum adirem, ſuæque menſæ aſſiderem.

Remos attigit.

Licèt reditum meum Lutetiam & amicorum ex ea Urbe literæ, & æſtivi calo-

Inſulam Franciæ percurrit.

calores urgerent, adeundam tamen ipſam non decrevi, niſi Inſula Franciæ, cujus illa caput eſt, peragrata. Itaque Sueſſionenſem, Laudunenſem, Noviodunenſem, Bellovacenſem, Sylvanectenſem Diœceſes percurri, quas omnes ea Inſula complectitur. Sueſſione me exceperunt Monachi S. Medardi, cum quibus amicè pugnavi de fide Privilegii, quod Gregorius Magnus Gairaldo ejus loci Abbati conceſſiſſe proditur, quippe qui evulgatas de eo argumento Diſſertationes à *Joanne Launoio*, & *Roberto Quatremaires* Pariſiis perlegeram. Præerat ejus Civitatis Sacris *Fabius Brullart de Sylleri*; Monaſterii autem S. Medardi Comendatarius Abbas de Pomponne, quemadmodùm Pariſiis mecum humaniſſimè agere conſueverat, ita ab ejusdem Cœnobii ſui Priore certior factus me ibidem ferè integrum diem ſubſtitiſſe, literis ſuis mihi conſcriptis teſtatus eſt, ſe eò acriùs dolere officia ſua adventui illi meo defuiſſe, quò magis de eodem Monachos S. Medardi gaviſos fuiſſe ex literis ipſius Prioris intellexerat: *Je vous aſſeure* (inquit) *que mes Religieux Vous deſireroient au lieu de l'Abbaye de S. George une grande charge dans leur Congregation.* Gallici Legati munus, quod Venetiis obierat Abbas de Pomponne, in cauſa fuit, ut Monaſterium S. Georgii Majoris, potiùs quàm alia, in quibus Benedictini Itali reſident, memoraret. In Urbe autem Laudunenſi exceperunt me Monachi S. Vincentii, quos de rebus geſtis in eo Epiſcopatu à Cæſare Cardinali d'Eſtrées adeò multa interrogavi, ut ipſi vel ex illis quæſtionibus facilè intelligerent, eundem compertas mihi reddidiſſe Pariſiis, quas ille in ea Sede adminiſtranda Paſtoralis ſollicitudinis partes impleverat, ac forti quandoque pectore, ut accidit in cauſa adversùs Abbatiam Præmonſtratenſem, caput Ordinis, Lauduno parùm diſtantem, quam licèt admodùm renitentem Epiſcopali ſuæ jurisdictioni obnoxiam voluit. Unus & alter ex Monachis S. Vincentii me ad Abbatiam illam deduxerunt, curarúntque, ut à Præmonſtratenſibus funditus de ea cauſa edocerer. Profectus deinde ſum ad Abbatiam Ciſtercienſem de Longuepont, nam hanc quoque luſtrare mihi libuit, ut eidem Cardinali, illius Comendatario, gratificarer. Occurrebat, quod ille mihi narraverat, eandem ſibi adhuc in utero materno deliteſcenti à Rege deſtinatam fuiſſe,

Singularia Abbatiæ de Longuepont Ciſt.

matri ſcilicet ſuæ promiſſam, ſi fœtus, quem paritura erat, maſculus foret. Narraverat etiam, ſe admodùm juvenem à Cardinali *de Retz* interrogatum, quænam forent ejus Sacerdotia, & quisnam eorum cenſus, inter illa Abbatiam de Longuepont quod memorare omiſerit, increpitum proptereà ab eodem Cardinali, ſtatim ſubdidiſſe, ſe eam quidem pariter poſſidere, *mais elle eſt frontiere de Cœuvres*, hócque dicto patrem ſuum, potiùs quàm ſe, ejus Abbatiæ proventibus frui ſignificâſſe. Monachi S. Eligii, apud quos in Noviodunenſi urbe hoſpitatus ſum, eo pertranſiens poſt Laudunenſem relictam, præter ea, quæ de ejus Cœnobii celebritate mihi expoſuerunt, plura de *Franciſco Clermontio*, ejus Urbis paucos ante annos Epiſcopo, mihi narrârunt, faceta præſertim illius dicta, quæ ipſa mihi Lutetiæ plures recitaverant. Digreſſus ad Bellovacenſem urbem hoſpitium cepi in Cœnobio S. Luciani, ibíque Benedictini, qui illud obtinent, Monachi, mihi inter cætera ejusdem monumenta exhibuerunt Diploma Chilperici Regis, quem Monaſterii inſtauratorem agnoſcebant, eum ſcilicet ipſum, qui Sancti Germani, ſeu, ut olim vocabatur, S. Vincentii, ſuburbanam apud Pariſios Baſilicam in novam formam redegerat. Tandem luſtrata Compendienſi S. Cornelii Abbatiâ, & Sylvanectenſi Urbe à longè tantùm ſalutata, ad Calenſe Cœnobium quatuor circiter leucis Pariſiis diſtans acceſſi. Sanctimonialibus Regii illius parthenonis, à *Chrothilde* Regina, Clodovei Magni uxore, conditi, & *Bathildis* Reginæ, poſt depoſitam Regni adminiſtrationem, receſſu nobilitati, ſacra miniſtrantes nactus ſum Benedictinos Congregationis S. Mauri, iique mihi affirmârunt, unum illud eſſe in tota Gallia, ubi miniſterium illud ad Monachos à principio, & deinceps ſemper ſpectavit, eo more, qui in aliis quoque Virginum Cœnobiis paſſim vigebat, tractu verò temporis alibi obliteratus fuit. Iidem exoptârunt, ut Cœnobium illud inviſens, *Aloyſiam Adelaidem* Aurelianenſis Ducis filiam quatuordecim tantùm annos natam alloquerer, quò certior fierem, quàm conſtans ea foret in propoſito Monaſticæ vitæ accipiendæ. Reverà haud multò pòſt illud amplexata eſt, & brevì Abbatiſſæ etiam gradum obtinuit, ex quo ad cœleſtem patriam nuperrimè convolâſſe percepi.

S. Eligii Noviodunenſis,

Bellovacenſis S. Luciani

& Compendienſis S. Cornelii cimelia.

I i i Poſtre-

Turellii ad eum epiſtola.

Poſtremam hanc per Inſulam Franciæ itineris mei periodum *Turellii* literæ teſtificantur. Eas exorditur thori fœcunditatem Joanni fratri meo, & Joanni pariter Emo (nam ambo Pariſiis *Turellium* ſibi valdè familiarem reddere curaverant, ingenii ejus acumine & elegantiâ capti) gratulatus, deinde nuncia quædam de publicis rebus in itinere à me captata refellit, poſteà polymathiæ, quam *Picardam* vocat, quòd loca quædam, quæ percurreram, ad Picardiæ provinciam, Inſulæ Franciæ finitimam, ſpectarent, quámque in Epiſtola ad ipſum data explicare curaveram, plaudere ſe quidem profitetur unà cum doctiſſimo Abbate de Longuerue (quem vocat *Sçavant per Antonomaſe*) quin tamen is calculum ſuum adjiceret iis, quæ in ea Epiſtola ſcripſeram occaſione luſtratæ à me S. Marculphi Ædis in Diœceſi Laudunenſi, quo Reges Chriſtianiſſimi poſt ſacram Unctionem in San - Remigiana Baſilica acceptam pergere ſolent, donum etiam ſtrumoſos ſanandi cœlitùs accepturi; tandem reditum meum Pariſios acriter æquè ac jocosè ſollicitat.

Lutetiam repetit.

Qua die Lutetiam ingreſſurus eram, eò tendens diverti ad amplam & ſplendidam Villam ad Matronæ & Sequanæ confluentem ſitam, in quam nôram aſſuetum ſecedere ſingulis hebdomadis *Cardinalem de Noailles*, ut ſolidum aliquem diem ſibi tantùm vacaret. Votis meis reſpondit eventus, nam eundem ibidem nanciſci contigit, & adeò humanè me excepit, ut minimè paſſus ſit, duarum horarum iter, quod mihi Lutetiam usque ſupererat perficiendum, à me continuari, niſi poſt ſumptum cum eo prandium, Quàm valdè pro modulo meo ſtuduerim colloquiis, quæ ea occaſione cum ipſo habui, ejusdem animum ad

Cardinalem de Noailles ad ſaniora excitat.

ſaniora conſilia deflectere, poſtquàm certum ſibi eſſe mihi affirmaverat, Conſtitutionem Clementis XI. adverſùs Queſnellii Animadverſiones in novum Teſtamentum quamprimùm in lucem proditurum, & quâ ratione in aliis etiam colloquiis antè, & poſteà cum eo me geſſerim, imò & in literis, quas ad ipſum dedi poſt reditum meum in Italiam, fidem in primis faciunt eæ, quas ille mihi repoſuit die 21. Martii anni 1729. ac propterea paucis tantùm hebdomadis, antequàm è vivis excederet; nam ibi collaudata, quam ad ipſum transmiſeram, *Benedicti XIII.* Imagine ex ære excuſa, & in qua inter cætera Paſtorale ipſius Mandatum pro acceptatione Conſtitutionis *Unigenitus* repræſentandum duxeram, hæc habet: *Cette piece ne m'eſt pas ſeulement chere par ce, qu'elle repreſente, & par la main, d'où elle me vient, mais encore pour la place que j'y occupe. Je la dois au bon coeur de V. E. & à la juſtice qu'elle rend à ma ſoumiſſion la plus reſpectueuſe, & la plus tendre pour notre Saint & ſçavant Pontife. Ces ſentimens ſont trop juſtes pour n'eſtre pas ſinceres, ils dureront autant que ma vie. Je ſupplie V. E. d'en vouloir bien eſtre la caution, comme Elle m'a fait l'honneur de l'eſtre de mon attachement au S. Siege, & de mon amour pour la paix.*

San-Germanenſes iterùm adit.

Ut primùm Lutetiam attigi, rectà adivi San-Germanenſes meos, qui me omnes amantiſſimè amplexati ſunt. Tot illi & tanta de meis peregrinationibus ſtatim rogârunt, ut nullum dicendi finem facturus mihi viderer, ſi ita abundè, ac contendebant, eorum interrogationibus feciſſem ſatis. Gaudebant verò mirum in modum, dum me Cœnobiorum ſuæ Congregationis topographiæ & hiſtoriæ ita peritum evaſiſſe comperiebant, ut ultrò faterentur, vix aliquem inveniri poſſe in iisdem Cœnobiis mihi in ea peritia comparandum. Augebatur inſuper eorum gaudium, quod faterer ipſe, Cœnobia illa omnia hoſpitalitatis officiis adeò erga me abundâſſe, ut nihil amantius in Italiam redux à Caſſinenſibus meis præſtolari me poſſe intelligerem. Ad deoſculandam autem *Cardinalis d'Eſtrées* ſacram manum à *Bernardo Montfauconio* feſtinè deductus, probè, ut primùm ante illum adſtiti, perſenſi, ſex menſium intervallum, quo ex San-Germanenſibus ædibus abfueram, mei in eodem Cardinali deſiderium haud mediocriter acuiſſe.

Benigno Cardinal. d'Eſtrées affatu excipitur.

Haud opus mihi fuit, eidem longo ſermone deſcribere, quas Provincias luſtrâſſem, quibus in Cœnobiis ſubſtitiſſem, quos Præſules ſalutâſſem, quos Viros doctos nactus fuiſſem; nam omnia ea ſibi identidem ſignificari curaverat, præter Montfauconii, ab aliis etiam amicis meis Pariſienſibus, quotquot menſæ ſuæ haud rarò adhibere in more habebat, quam ſcilicet non exquiſitis tantùm dapibus, ſed eruditis etiam ſermonibus opiparè inſtructam adamabat. Quò verò propiùs inſtabat Italici Itineris mei tempus, eò frequentiùs inviſendos mihi ſtatui eosdem amicos

meos

Abbatem de Longuerue, & Jacobum le Long ſalutat.

meos, præſertim Abbatem de *Longuerue* & *Jacobum le Long*, quòd ambo, ſuam quisque methodum ſecutus, accuratam admodùm Galliarum deſcriptionem adornarent, ac prælo pararent, proindéque nemo ipſis aptior ſotet, cum quo viatorias meas obſervationes comunicarem. Injecta hoc loco Abbatis *de Longuerue* mentio ad memoriam meam revocat, hominem illum imenſa ſua eruditione, non in geographicis tantùm, ſed in quovis literaturæ genere, ita me cepiſſe, ut nihil magis. Quoties ipſum adibam, nunquam inde diſcedebam, quin putarem, eandem à me prorsùs exhanſtam prolixis iis ſermonibus, quibus utique per literaturæ genus omne vagari ſatagebam, nihil novi in diem

Longueruæi elogium.

poſterum allaturam. At verò quoties ad ipſum remeabam, æquè ac anteà redundantes in eo flumine aquas nanciſcebar, unde Horatianum illud mihi aptabam:

Ruſticus exſpectat dum defluit amnis, at ille Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.

Præ cæteris Cardinalis d'Eſtrées prodigio ſimilem eſſe hominis illius eruditionem mihi dictitabat, ac facetè in eundem more ſuo jocari ſolitus, vel ipſas abſtruſiores Orientalium regionum linguas quàm familiares haberet, ſcito hoc lepore indicabat, ipſum ita compellans: *Mr. Mr. l' Abbé combien de langues ſcavéz Vous ſans l' Arabe?* perindeac ſi ex illis Arabicam linguam conſtaret Abbatem haud minùs callete, quàm Gallicam.

A. 1713. Burgundiam petit.

Lutetiâ telictâ menſe Novembri anno 1713. Burgundiam utramque adeundam primò cogitavi. Quare recto tramite contendi Antiſiodorum, & in Monaſterio S. Germani à Benedictinis benignè exceptus, ſacras hujus Antiquitates eò diligentiùs explorare valui, quò promptiùs iidem oculis meis ſubjecerunt quinque magnæ molis volumina manu exarata, quibus *Georgius Viole* Congregationis S. Mauri Monachus, digeſſerat hiſtoriam Abbatum ejuſdem Monaſterii, nec non manuſcriptum Chronicon de eo argumento confectum à *Victore Cotronio* pariter ejus Congregationis Monacho. Iidem præterea copiam mihi fecerunt ſemel iterúmque alloquendi Canonicum, cui nomen *le Beuf*, eo tempore ſtudium impendentem Vitis Antiſiodorenſium Præſulum illuſtrandis, quum jam ad ejus manus perveniſſent amplæ Collectiones in eam rem à Ludovico Natali ab Amico paratæ. Ab Antiſiodorenſi Urbe ad Divionenſem, Burgundiæ Ducatûs caput, progreſſus ſubſtiti in Cœnobio S. Benigni, cujus origo, æquè ac Antiſiodorenſis S. Germani, ſeculi VI. initia attingit. Ut ad eam regionem edoctior acceſſerim earum rerum, quæ ejusdem Antiquitates, & hiſtoriam præſertim literariam reſpicerent, acceptum ſero magnæ, quam Pariſiis inieram cum *Bernardo de la Monnoye*, neceſſitudini. Hic multa mecum verba fecerat de Chronicis San-Benignianis tam editis, quàm manuſcriptis, de Catalogo Bibliothecæ San Benignianæ confecto à *Paulo Dumay*, & Bibliothecæ Janninianæ titulo ea de cauſa prænotatæ, quod eo tempore *Nicolaus Janninus*, frater Petri Præſidis Parlamenti Divionenſis, San-Benignianam Abbatiam obtineret, de ejuſdem *Pauli Dumay* Epiſtolico commercio cum pluribus doctiſſimis Viris, præſertim cum *Scaligero*, *Caſaubono*, & *Grotio*, de filii ejuſdem Pauli in Latina poëſi præſtantia; multa pariter verba fecerat de Lantinii Conſiliarii ejus Urbis Bibliotheca, ad quam ex Claudii Salmaſii legato devenerat librorum hujus pars media, reliqua parte item ex ejuſdem legato addicta manente Philiberto de la Marre. At nihil mihi frequentius confabulationibus illis ſuis *Bernardus* memorabat, quàm ſingularem *Joannis de Boubier*, Divionenſis Parlamenti Præſidis, eruditionem. Ad hunc itaque, ut cupiebam, San-Benigniani me citò deduxerunt, iſque, dum Divione ſubſtiti, aſſiduus, ut ita dicam, mihi adfuit diu noctúque, nullam partem celans literariæ illius ſupellectilis, quâ mirum in modum ipſius Bibliotheca & Muſeum abundabant. Inprimis verò oculis meis exhibuit manuſcriptos Codices tam multis, tam variis ſacræ & prophanæ Antiquitatis monumentis ad Burgundiæ hiſtoriam pertinentibus refertos, ut non alio, quàm Theſauri Burgundi nomine ipſos indigitari debere pronunciaverim, dum eosdem magna cum admiratione evolverem. Ille contrà mirabatur, me Divionenſium rerum haud mediocriter peritum eò acceſſiſſe, & inter cætera Epiſtolam de Trium Impoſtorum Commentitio libello, ipſi à *Bernardo de la Monnoye* inſcriptam, mihi jam innoteſcere, item quæ de Poëmate, cui titulus *Pervigilium Veneris*, ex Divionenſi Codice manuſcripto obſervarat

Bibliothecæ San-Benignianæ cimelia.

Joannis de Bouhier elogium.

rat idem Bernardus, demum (ut reliqua omittam) quæ luſerat ipſe Bernardus in Epitaphio Claudii Nicaſii, hujus obitum deflendum ſcribens non à Gallis tantùm, ſed à Germanis etiam, Batavis, & Italis, quòd inde magnam jacturam feciſſent *Huetius*, *Noriſius*, *Toinardus*, *Leibnitzius*, *Baſnagius*, *Bælius*, *Grevius*, *Cubnius*, *Perizonius*, ad quos omnes frequenter literas dare conſueverat Nicaſius, & ab ipſis etiam frequenter accipere; at amariùs præ cæteris eundem deflendum à tabellariis, quandoquidem *Nul n'y perd tant que la poſte*: ita Epitaphium illud deſinebat.

Veſontionenſis S. Vincentii Bibliothecæ ſingularia.

Sociis binis San-Benignianis Monachis, ex inferiori Burgundia ad ſuperiorem migravi. Hujus metropolim Veſontionem ingreſſi, divertimus ad Monaſterium S. Vincentii, ibíque ſtatim avidos oculos conjeci in exhibitas mihi ab iis Monachis varias *Chifletiorum*, nimirum *Petri Franciſci*, *Joannis Jacobi*, & *Julii* lucubrationes, quibus ejus Urbis, imo integri Comitatus res Eccleſiaſticas luculenter illuſtratas fuiſſe intellexi. ſtudioſè inter cætera ab iiſdem Monachis accepi, quæ de vindicato ab interitu, Julii Chifletii, & Joannis Baptiſtæ Boiſoti operâ, Granvellianarum Chartarum theſauro mihi Pariſiis jam prænarraverat Bernardus de la Monnoye. Studioſiùs adhuc, quæ iidem de magna ejuſdem Boiſoti erga ſe beneficentia mihi retulerunt, námque Cœnobio S. Vincentii, cujus ille primus fuerat Commendatarius (à Galliarum Rege poſt pacem Neomagenſem ad eas inſulas nominatus) literariam ſupellectilem ſuam legaverat. Hujus ſingula ferè capita, Codices nimirum, & ſigna diligenter obſervans ſolidum diem in Bibliotheca moratus ſum, miratúſque vehementer pretium illius Cimelii, Monachos hortati non omiſi, ut Collectionem tam raram & copioſam ad grati erga inſignem benefactorem animi argumentum, & in literariæ Reſp. commodum, typorum ope publici juris efficerent. Eo jucundius mihi fuit, quemadmodum de Abbate *Nicaſio*, ita de Abbate *Boiſoto* Veſontione multa intelligere, quod ambos eruditionis ſuæ ſpecimina Romanæ etiam Aulæ exhibuiſſe noſſem, dum Romæ moram traheret Chriſtina Sueciæ Regina, quæ & illos doctos Viros unà cum cæteris ſua benevolentia & exiſtimatione dignata eſt.

Iter Cabilonem versùs arripit.

Snadebant Cœnobitæ illi San-Vincentiani, ne ex iis partibus egrederet minimè Inſtrato Monaſterio Condateſcenſi S. Claudii in monte Jura. Ego verò faſſus iiſdem ſum, libenter illud à me adeundum, quòd de ea re fidem meam fermè obſtrinxiſſem Cardinali D'Eſtrées, ejuſdem Commendatario; at hyemalem tempeſtatem, quam peregrinationibus meis æquè propitiam haud ſpectare valebam proximis menſibus, ac ea fuerat menſe Novembri, quem utrique Burgundiæ obeundæ feliciter impenderam, in cauſa eſſe ſubjunxi, ut Lugdunenſem viam citiùs aſſequerer, quò Avenionem ante Natalitia Feſta pervenirem, quemadmodùm *Alamanno Salviato* Apoſtolico in ea Urbe Vice-Legato me facturum ſpoponderam. Iter itaque Cabilonum versùs arripui, poſtquàm tamen Dolas Sequanorum, & præterea inſigniores quaſdam in iis tractibus Benedictinas Abbatias percurriſſem, nimirum Reomanenſem S. Joannis, Tornodorenſem S. Michaëlis, Melundenſem S. Petri, Moliſmenſem S. Roberti, quin aliquot etiam Ciſtercienſes, & inprimis Ordinis caput, Ciſtercium, ac Firmitatem. In ea Urbe hoſpitium mihi præbuit Cœnobium S. Petri, cujus conditor ſeculo VI. deſinente *Flavius* Cabilonenſis Epiſcopus. Plures in ejuſdem Bibliotheca horas contrivi, ut libros ipſi legatos ab Abbate *le Roy* inſpicerem. Cabilono relicto, parùm abfuit, quin ad Auguſtodunenſem Civitatem diverterem, cupiens priſca monumenta, quæ adhuc ibi ſpectantur, contemplari, de quibus multa Divione acceperam, nec non de veteri ejus nomine, quod pluribus Virorum doctorum lucubrationibus argumentum præbuerat. At inſtantem hyemem, ut paulò antè dixi, formidans, poſt inſpectum celebrem, in Cabilonenſi ſuburbio ſitum, Cluniacenſis Ordinis Prioratum, & inſigne ejus Templum S. Marcello à Guntchramno Rege, cujus ibidem ſepulchrum viſitur, conditum, rectà adivi caput ejuſdem Ordinis, Abbatiam Cluniacenſem. De hujus Antiquitatibus quum ſat multa mihi conſtarent ex Opere *Andreæ Quercetani*, *Bibliotheca Cluniacenſis* inſcripto, ſatis fore exiſtimavi à Monachis illis potiùs edoceri de nuperis,

& inſigniores Abbatias percurrit.

Inde Cluniacum profectus

quas

quas Cœnobium illud paſſum fuetat, turbationibus, occaſione ſive inſtitutæ in eodem ſanctioris Obſervantiæ, ſive Breviarii reformati, ſive denique nimiæ poteſtatis, quam ſibi in eo, imò in toto Ordine vindicabat Cardinalis Bullionius, Cluniacenſis Commendatarius. Cluniaco Matiſconem iter habens Regiam Abbatiam Trenorcium inviſi, eam ipſam, quam pro alia S. Baſoli à ſe abdicata Cardinalis de Fleury obtinuerat. Inde Matiſconem perveni, eodémque die Lugdunum, ubi diem unum ſubſtiti, cujus magnam partem in Bibliotheca Collegii Societ. Jeſu conſumpſi. Ab ejus curatore P. Dominico Colonia evolvendam accepi Claudii Franciſci Meneſtrier Civilem & Conſularem Lugdunenſis urbis hiſtoriam, Lugdunenſium rerum uberrimum ptomptuarium. Idem inſuper mihi retulit, Eccleſiaſticam quoque ejus Urbis hiſtoriam ab ipſo Meneſtrier deſcribi cœptam fuiſſe, eóque mortuo eandem à ſe continnari.

Genevam tendit,

& Condateſcenſe Monaſterium inviſit.

Pedem Lugduno movens, non quidem Avenionem, nt conſtitueram, ſed Genevam versùs contendi. Novo huic conſilio cauſam præbuit temporis favot, qui hyemalem tempeſtatem in vernam propemodùm converterat, nec non ſtimulus, qui animo meo hærebat ex amiſſa, dum in Burgundia eſſem, Condateſcenſis Monaſterii inviſendi occaſione. Ad hoc ut primò aſcendi, humaniſſimè mihi occurrerunt ejusdem Aſcetæ, jam præmoniti ex Cardinalis eorum Commendatarii literis, facilè accidere poſſe, ut illuc diverterem, lætatíque valde ſunt, mihi haud parùm comperta eſſe, quæcunque de ſacris ejus loci Antiquitatibus Annales Mabillonii prodiderant; quumque iisdem conſcium etiam me oſtenderem diſſidiorum, quibus nuperrimè eorum familia agitata fuerat ex Monaſticis quibusdam inſtitutis, quæ jam diu obliterata, ibidem turſus recipi, pio ſtudio Deſtræus Cardinalis laborabat; aliqui ex ipſis curârunt æquè mihi innoteſcere, haud ita pro certo habendum ad Benedictinæ Regulæ normam eorum Cœnobium primitùs erectum fuiſſe, licèt minimè diffiterentur, S. Benedicti famam & venerationem permanâſſe in Jurenſia loca, poſtquàm beatus Maurus iſthic hoſpitatus, viduæ filium moribundum valetudini reſtituiſſet. Ex Juræ culmine Genevam deſcendi, boſpitióque me excepit ſingulari cum comitate Dominus *de Cloſure*, qui in ea Urbe Gallici Reſidentis munus gerebat, ipſóque comite tribus diebus, quibns ibidem permanſi, & rariota quæque ejusdem Urbis attentè obſervavi, & doctos quosdam inviſi, inprimis ex familia Turretinorum, nec non Benedictum Pictetum, eidem non literatutæ tantùm, ſed ſanguinis etiam neceſſitudine conjunctum. Præter humanitatis officia, quæ iidem mihi exhibuerunt, haud parùm voluptatis mihi attulit ab ipſis intelligere, ſibi parùm probari marmoream Inſcriptionem poſitam in publico foro ad epocham Papiſticæ, ut in ea legitur, ſuperſtitionis ex ea Urbe eliminatæ retinendam, nec non eosdem mihi apertè fateri, Eccleſiæ Catholicæ transfugas, præſertim ex Monaſticis clauſtris, Genevam ſecedentes, dedecus potiùs ſectæ ſuæ quàm laudem afferre. At longè majorem voluptatem expertus ſum in adeunda civitate Anneſienſi, ubi Natalitia Feſta peregi, hoſpitio humaniſſimè exceptus ab Antiſtite Genevenſi, in quo ſanctiſſimis, & ſuaviſſimis moribus prædito facile mihi fuit inſpicere verum S. Franciſci Saleſii ſucceſſorem. Adfui aſſiduè ſacris ab ipſo celebratis in Eccleſia Fratrum Ordinis S. Franciſci, qui ibidem ad divinas laudes canendas, omniáque alia Eccleſiaſtica miniſteria obeunda Capitulum Genevenſe jamdiu admittuut, qnn tamen & ipſi ſuas ſacras vices in eadem implere prætermittant. Eodem Præſule jubente Sanctimonialibus Viſitationis, quas in ea urbe S. Franciſcus Saleſius inſtituit, ipſa Natalitia nocte juxta earundem ritum, Panem Euchariſticum manibus meis præbui, atque illas poſtea ſemel iterúmque adivi, plurimam colloquiis noſtris materiam ſuppeditante eximia earum primæ Abbatiſſæ Dominæ de Chantal ſanctimonia, de qua etiam admodùm rara mihi teſtatus fuerat idem Antiſtes. Hic poſt menſem à meo ex Anneſio diſceſſu Epiſtolam ad me dedit, quam adhuc ſervo, ceu ſacrum pignus, quod Saleſianam pietatem prorſus redoleat, ex qua parviſeciſſe viſus eſt literariam meſſem Genevæ, & alibi à me collectam præ colloquiis cum bonis ſuis Monialibus à me habitis, & præ familiari cum Clero ſuo convictu, nam inter cætera, *Vous avés*

Urbis Genevenſis rariora quæque obſervat.

Anneſienſem civitatem adit,

& Moniales Saleſianas pane Euchariſtico ſacrisque colloquiis reficit.

(inquit) *ſanctifié nos Monaſteres, & charmé nos Eccleſiaſtiques.*

Avenionem properat.

E Genevenſi tractu Avenionem citato gradu properavi, quò quum perveniſſem, nihil miratus ſum, Salviatum Vice-Legatum mihi ſuccenſentem illicò audire, quòd meam ad eas partes profectionem tamdiu procraſtinâſſem. At is ſtatim placidum ſe mihi dedit, poſtquàm intellexit, eam cunctationem nihil obfuturam, quominùs binos menſes, de quibus cum ipſo pepigeram, Avenione tranſigerem. Magna jam mecum amicitia conjunctus fuerat Salviatus, dum Florentiæ degerem, & novum ea inſuper cepit incrementum, poſtquàm cum ipſo Lutetiæ familiariter verſari paulò antè mihi contigiſſet, munus ibi gerente Apoſtolici extra ordinem Legati. Præter aſſiduas cum eo Præſule confabulationes, quam valde me oblectaverit in ea regione neceſſitudo, quam junxi cum Marchione de Bimard, & decurſio ad loca in Caballicenſi Diœceſi ſita, quibus ingens acceſſit celebritas ex Petrarchæ carminibus, jam prodidi in Epiſtola ad Clariſſ. Claudium de Boze ſuperioribus menſibus evulgata.

inde Occitaniæ partem perluſtrat.

Hyemis clementia, quæ mihi Pariſiis Avenionem poſt multas ambages tendenti mirificè faverat, quum æquè perſeveraret Februario menſe deſinente, libuit mihi facultatem à Vice-Legato impetrare luſtrandi partem aliquam Occitaniæ. Rectà adivi Monpeſſulum, cujus Antiſtiti Lutetiæ ſpoponderam, me aliquot dierum moram ea in Urbe facturum, & in celebri etiam ejus Villa *Verune* nnncupata, cujus amœnitatem ut ille mihi declararet, affirmabat, *Ver unum*, ſeu perpetuum, ea voce ſignificari. Integram itaque hebdomadam apud ipſum tranſegi. In ejus Bibliotheca innumeræ prorſus mihi ſeſe obtulerunt Collectiones manuſcriptæ de Occitaniæ Provinciæ rebus, quarum copiam quum admirarer, Præſul, qui ibi aderat, occaſionem inde ſumebat mihi ſuaviter exprobrandi, quod Pariſiis ipſi aliquando dixeram, me valde vereri, ne quæ de ſua ille Bibliotheca prædicabat, ad Vaſconicam jactationem accederent.

Narbonam contendit,

Eodem ſuadente Narbonam properavi, quòd cœli ſerenitas nihil remitteret. Mirum illud opus Ludovici XIV. quo *gemino fecit commercia mundo*, Biterenſis Urbs ſpectandum mihi præbuit, nam ut Regins Canalis eam allueret, potiùs quàm Narbonam, Carcaſſonam, & Toloſam, Riquetus ejuſdem opifex, Biterrenſis, effecit. Narbonam adveniens, eò jucundiùs Urbem illam contemplatus ſum, quò plura de ejus hiſtoria legeram in Tomo XII. Collectionum P. Eſtiennot extantium in Bibliotheca San-Germanenſi, & præterea in Volumine Conciliorum Narbonenſium typis edito Pariſiis anno 1668. à Stephano Baluzio. Toloſam uſque progredi cupiebam, at Salviati literis reditum meum Avenionem urgentibus iter convertens, in urbibus Agathenſi, ac Nemauſenſi paulum ſubſtiti, in illa, quòd ejus Epiſcopus me humaniſſimè invitâſſet, in hac verò, quòd ejuſdem Antiquitates, de quibus aliqua jam legeram in lucubrationibus Jacobi Graſſerii, & Gaillardi Guirani minimè à me negligendæ viderentur. Eandem Civitatem valde præterea mihi commendabat memoria Flecherii Epiſcopi, qui ante tres annos obierat. In ea Occitaniæ parte, quam percurri, celebre admodùm Monaſterium Anianenſe, cujus regnante Carolo M. auctor S. Benedictus filius Comitis Magalonenſis.

in Urbibus Agathenſi & Nemauſenſi paululum ſubſtitit.

Avenionem repetit.

Avenionem redux, ſtatim à Salviato legendas accepi plures literas mihi inſcriptas. Inter cæteras erant Cardinalis *D'Eſtrées*, in quibus de meo ſtudio in evolvendis chartis Romanorum Pontificum, qui Avenione ſederant, hæc inſeruit: *Je vois bien que Vous emporterez touts ces titres la, come Vous nous eſtes allé enlever les archives de toutes les Abbayes du Royaume.* Quò diuturnior fuit mea in Avenionenſi urbe commoratio, eò citiùs me expedire curavi è Provinciæ, quam mox ingreſſus ſum, finibus, unde propoſitum mibi fuerat in Liguriam navigare. Arelatem primò adivi, deinde Aquas-ſextias, Maſſiliam, Tolonum, Forum-Julii, ac tandem Lerinum, me proſequentibus ubique ferè Pariſienſium amicorum literis. In Arelatenſi urbe hoſpitio me excepit *Jacobus de Janſon* Archiepiſcopus, iſq; aliquot Viris doctis ad ſe accerſitis, eos ipſos comites mihi dedit in luſtrandis Arelatenſibus Antiquitatibus, & Monaſticis pariter ædibus Cœnobitarum S. Petri in Monte Majori. Æquè hoſpitem me ſuum eſſe voluit *Carolus de Luc* Archiepiſcopus tunc Aquiſextienſis. Ea in Urbe Bibliotheca

Arelatem, Aquas-ſextias, Maſſiliam, & alias Urbes percurrit.

Ludo-

Ludovici Thomaſini de Mazagues, in quam librorum etiam Nicolai Peireſcii ingens ſupellex confluxerat, mihi admirationi fuit. De Antonii Pagii laboribus plura ſciſcitatus ſum inter prandendum cum Præſule, qui ægrè tulit Franciſcum illius nepotem, cujus operâ in ſtudiis ſuis valde uſus fuerat idem Antonius, ab urbe Aquisſextienſi id temporis abeſſe; nam præſens deſiderio meo ſatisfacere valuiſſet, præſertim quod ſpectat ad Epiſtolicum commercium inter ipſum Antonium, & Abbatem de *Longuerue*, quod iſte Pariſiis mihi frequentiſſimè commemorabat. Maſſiliæ in Abbatia S. Victoris hoſpitiũ cepi. In Forojulienſi civitate apud loci Epiſcopum, cum quo arctam me junxiſſe eo tempore neceſſitudinem ſatis declarat Epiſtola Latino idiomate exarata, quam ei dedi ante binos circiter annos. Ipſe per annos triginta, qui ab ejus neceſſitudinis exordio usque in præſens tempus fluxerunt, adeò multas, adeò aſſiduas ad me literas ſcripſit, ut integro conflando volumini aptæ forent, ſi in lucem, eâ quidem digniſſimæ, ederentur.

Venetias indeque Romam ſe recipit.

Januam appuli menſe Aprili deſinente, indeque Venetias adeundi conſilium cepi, antequam Romam commigrarem. Navigationi meæ ventus parùm favit, quare ad locum, qui dicitur *Seſtri di Levante*, adactus fui anchoram jacere, & in ea ſtatione dies aliquot immorari. Diuturnioris ibidem moræ impatiens, potiùs quàm Liburnum maritimo itinere tentare, terreſtri decrevi Parmam, ſuperato Pontremulo, deſcendere, ac poſtea Rhegium Lepidi appetere, ex eo Mantuam, deinde Ferrariam, tandem Venetias. Tres menſes partim Venetiis, partim Patavii conſumpſi, quibus elapſis Romanum iter ſuſcipiens, Florentiam rectà contendi, eáque in Urbe binas hebdomadas ſubſtiti, nonnullos etiam dies Aretii, atque Peruſii, unde Romam ingreſſus duntaxat medio menſe Decembri, Gallicum iter abſolvi.

Atque his verbis Eminentiſſimus Cardinalis QUIRINUS literarias ſuas peregrinationes enarrat; quas cum chariſſimo atque amantiſſimo Fratre in longinquas regiones, *usque ad diviſos penitùs toto orbe Britannos*, non animi, non vanæ curioſitatis, ſed ſolius eruditionis causâ ſuſcepit; in quibus pto virili parte curavit, ut viros quotquot celebrior doctrinæ fama commendat, nanciſceretur, adiret, frueretúrque ipſorum congreſſu atque colloquiis, Academias inviſeret, Bibliothecas luſtraret, Muſea pervaderet, ac proinde nihil ſibi utilitatis, quæ maxima ex hujusmodi peregrinationibus percipi poteſt, pro vaſtiſſimi ac perſpicaciſſimi ingenii ſui capacitate deperiret.

Iter ejus per Germaniam an. 1748.

Itinera etiam magnam partem Literaria ſunt, quæ Em. Cardinalis annis hiſce proximè elapſis in Bavariam, Helvetiam, Sueviam &c. inſtituit, quorúmque narrationem ipſe in ſuis Epiſtolis typo vulgatis texit. Quoniam verò nonnullos admiratio ſubiit, quòd Purpuratus Princeps ea itinera nullo ambitioſo cinctus comitatu, conficere ſolitus ſit, ejus ſui inſtituti rationem reddit in Epiſtola ad V. C. *Jo. Jac. Breitingerum* Linguæ Græcæ apud Turicenſes Profeſſorem his verbis: „Quoniam intellexiſſe Te affirmas, me multum „abeſſe à perſuaſione, ut quidquam „putem decedere dignitati meæ, ſi „in literario calle terendo comites „mihi adſcriberem inferioris, ut ipſe „loqueris, ſubſellii homines; pro certo habeas velim, me tumorem hujusmodi, ceu vanam ſuperſtitionem, „prorſus averſari. Nam hæc contra „menti meæ ſedet ſententia, quantumvis præclara ſit dignitas, quam „geras, magnoperè ad eam augendam, perfruendámque conducere junctam cum præſtantibus ingeniis ſocietatem, eámque conſuetudinem, unde ipſis Ovidianum illud „aptare valeas:

Suæ modeſtiæ rationem reddit.

Nos fora viderunt, pariter nos porticus omnis,
Nos via, nos junctis curva theatra locis.

„Vix crederes in quantam admirationem me traxerit, quod jam diu legi in Pauli Jovii Elogiis de Cardinale Beſſarione: *Habitabat* (en illius verba) *ſub Quirinali ad Sanctos „Apoſtolos; deducebatur autem manè in „Vaticanum, non exculto quidem, & „numeroſo, ſed uno virtutis nomine decoro comitatu, quandoquidem præclara Græcæ, Latinæque linguæ lumina „peregrinorum requiſita oculis, circa „eum in triviis omnium digito monſtrarentur. In his enim ſæpius conſpecti „ſunt Trapezuntius, Gaza, Argyropylus, Plethon, Philelphus, Blondus, „Leonardus, Poggius, Valla Sipontinus, Campanus, Platina, Domitius „nullo ævo perituri.*„ Hæc Em. Cardinalis,

nalis, quæ dum attentiùs relego, magna me admiratio ſubit contemplantem mores illius, ac noſtrorum Antiſtitum. Ex his enim plerosque videas, qui ſolo luxu plauſum captantes, de cetero ita ſunt comparati, ut neſcias, *an Literas & Literatos flocci facere, & fruges conſumere, magis honori; an Virtuti & Doctrinæ deditos eſſe, magis dedecori, ſibi ducant.*

parcus erga ſe, At verò tam frugalem ſe præbuit Purpuratus noſter in iis, quæ cultum proprium, menſam & ſupellectilem reſpiciunt, ut omnes planè mirarentur ex animo tanti Principis tot honoribus, divitiis, dignitatibus ac ſcientiis aucti, nunquam excidiſſe propoſitum illud ſpontaneæ paupertatis, quam vovit Deo, cùm inter Caſinenſes Monachos nomen dedit. Imitari nempe viſus eſt *Quirinus* Scipionem Africanum, de quo Seneca admirabundus hæc commemorat Epiſt. 87. *O quantum erat ſeculi decus, Imperatorem triumphalem* (Em. S. R. E. Cardinalem) *cenſorium, & (quod ſuper omnia hæc eſt) Catonem, uno caballo eſſe contentum, & ne toto quidem! partem enim ſarcinæ ab utroque latere dependentes occupabant.*

in alios magnificus, Verùm tenui licèt apparatu uteretur ſibi admodùm parcus, ſua tamen eo liberaliùs ubique effudit munera, paſſimque in locis, quæ adiit, *Magnanimi ſtatuit monimenta perennia cordis.* Ac cumprimis Cœnobiis *Etalenſi, Weſſofontano, Campidonenſi* & aliis pluribus piè beneficum ſe præbuit, atque etiam ſuſtentandis Miſſionibus ſacris in ditione Rhætica, Hanoverana, Pomerana, Salisburgenſi munificè opes impendit, *& usque rigentis ad Boreæ populos* manum liberalem porrexit, Berolini ſcilicet, ubi cùm à fundamentis ædificaretur Romani ritûs Eccleſia ære ab Epiſcopis & Principibus Catholicis collato, Eminentiſſimus noſter non ſolùm ſupra cæteros enituit, verùm etiam illuc tranſmiſit Venetiis elaborata marmorea ſimulacra imaginem exprimentia Redivivi Reparatoris noſtri, qui ſub olitoris ſpecie Divæ Mariæ Magdalenæ apparuit. Hanc Em. Purpurati liberalitatem & munificentiam propè divinam, ut feræ poſteritati comendarent Germani, varia erexêre monumenta ejus memoriæ ſacra, è quibus unum & alterum, ut de veritate magis conſtet, afferre libet in medium. Ita enim habet inſcriptio Statuæ Berolinenſi templo illatæ: varia ſtatuit ſuæ pietatis monumenta.

Donarium Marmoreum ornandæ aræ Berolinenſis Catholicorum Templi Venetiis tranſmiſſum anno Jubil. MDCCL.

Binæ apud Weſſofontanos inſcriptiones hæc exprimunt. *Prima:*

EVERGETÆ MUNIFICENTISSIMO
ANG. M. S. R. E. BIBL. CARD. QUIRINO EP. BRIX.
DE ORDINE S. BENEDICTI
ET CONGREGATIONE BAVARICA
QUAM PERTRANSIENS BENEFACIENDO,
ABSENS TUENDO ET COMMENDANDO,
ÆTERNUM SIBI DEVINXIT,
IMMORTALITER MERITO,
GRATI ANIMI MONUMENTUM STATUUNT
BEDA ABBAS WESSOFONTANUS PRÆSES
ET CONGREGATIO UNIVERSA
M DCCLI.

Altera:

PROTECTORI SUO POTENTISSIMO
OB IMMACULATÆ MATRIS ARAM
PERACTO IN EA SACRIFICIO
HONORATAM,
ET PRETIOSA EX ARGENTO LAMPADE
ILLUSTRATAM,
DIUTURNAM A DEO FELICITATEM
GRATA PRECATUR
SODALITAS EJUSD. IMMAC. MATRIS
WESSOFONTANA
MDCCLI.

Plura

Statua SS. P. Benedicti cum reliquiis Weſſofontum miſſa 1753.

Plura ſunt ejusmodi per Germaniam monumenta, quæ Eminentiſſimi Cardinalis QUIRINI honoribus & meritis ſacra ad immortalem glorioſiſſimi ejus Nominis famam in poſterorum animis firmandam faciunt; ſed iis omiſſis, illud duntaxat addam, Ipſum nempe *Emin. Purpuratum* nuper elegantiſſimam ſtatuam unà cum accluſa inſigni particula ex brachio SS.mi P. N. BENEDICTI ad Weſſonis Fontes ſubmiſiſſe, ac loci incolas in ſpem adduxiſſe, fore ut ad imminentem millenarii illius Eccleſiæ ſeculi glorioſam feſtivitatem invitatus, novum iter in Germaniam adornaret; Quocirca & ego vota interponebam mea, & Muſæ mecum concinentes:

Magne QUIRINE *Pater! Muſarum ſumme Sacerdos!*
Unguibus à teneris, ſacris qui Pallados aris
Usque modò aſſiſtis, caſtiſque laboribus inſtans,
Orbem doctrinis, Urbem virtutibus imples,
Phœbe veni! noſtras placidiſſimus hoſpes in oras,
Nec pigeat gelido torpentia membra ſub axe
Viſere, & illuſtres radios infundere tetris
Pectoribus, noſtriſque favens da gaudia curis,
Et quas ſentit Arabs, & quas Gangetica tellus
Exhalat nebulas, ſplendoris luce repelle!
Ipſi TE Fontes Weſſonis, TE Ilarus amnis,
TE nemus & campus, TE mons Parnaſſus, & ipſa
Plaudentes Muſa læto TE corde ſalutant:
Huc Pater! huc Princeps! huc noſtri gloria Pindi!
Huc propera, & magnos placeat celebrare triumphos,
Ac noſtris monſtrare viam, quà ſit properandum,
Ad ſedem Virtutis, & ad Virtutis honores.

Verùm quominùs iter illud perficeret, variæ obſtiterunt cauſæ, quas ipſe prolixiùs enarrat in quadam ad R.mum D. *Bedam* Abb. Weſſofontanum Congr. Bavaricæ Præſidem epiſtolâ Brixiæ impreſſa die xv. Sept. 1753. hoc exordio: *Quo flagrantiùs optabam hoc ipſo Septembri menſe, qui modò excurrit, Weſſofontanum Cœnobium veſtrum inviſere, ut præſens adeſſem ſacris celebritatibus ibidem duplici ex cauſa peragendis. . . . eo graviùs fero hodiernam tempeſtatem obſtare, ne votis veſtris, & unà ſimul deſiderio meo ſatisfaciam. Concurrunt ſiquidem veſtræ illæ celebritates eo tempore, quo mihi minimè fas eſt Brixiam meam deſerere ob Natalitia Ædium Collegii mei Eccleſiaſtici binis hiſce autumnalibus menſibus celebranda, quæque profectò fauſto omine carere cenſerem, quoties Clericalis tyrocinii in eo Collegio inſtituendi primum experimentum absque me ſpectatore & moderatore caperetur. . . . .* Addebat, *Italo homini quindena jam luſtra numeranti Germanicum iter minimè, ſtatim ac autumnus diſceſſerit, convenire.* Denique iter ad ædes Eutachio ſacras, quod ipſe verſiculis deſcribit, ſe multò hilariùs repetere inſinuat, *nempe avidus*

Creſcentem ſegetem morati viſere Cleri.
Hîc amat magnos potiùs triumphos;
Hîc amat dici *Pater* atque *Princeps.*

§. VII.

Itinera Literaria Edmundi Martene & Urſini Durand.

Ratio inſtituendi itineris literarii, nova editio Galliæ Chriſtianæ,

FRatrum Sanmarthanorum eruditum Opus, *Gallia Chriſtiana* nuncupatum, anno 1656. publicam lucem aſpexerat. Subinde verò viri docti adverterunt, non pauca addenda eſſe, atque ad incudem revocanda, utì palàm fit ex pluribus veteribus monumentis, poſt editum hunc librum in lucem prolatis. Unde cura novæ editionis animum Eminentiſſimi Cardinalis *Noalii* ſollicitare cœpit. Circumſpicienti autem, cujus Atlantis humeris onus vix non Ætnâ gravius imponeret, unus omnium eidem cum dignitate ſuſtinendo aptiſſimus viſus eſt *Dionyſius* etiam *Sanmarthanus*, & *Gentilis*, è Congregatione S. Mauri Presbyter doctiſſimus.

cujus cura comititur Dionyſio de ſainte Marthe,

Is proinde hortatu Noalii, atque aliorum Galliæ Præſulum ad hoc opus ſub annum 1706. acceſſit, quod quatuor poſt annis juſſu etiam illuſtriſſimi ampliſſimíque Cleri Gallicani in comitiis anno 1710. congregati proſequi coactus eſt. Nequid verò in re tanti momenti à Dionyſio videretur omiſſum, jam anteà Superiores Congregationis S. Mauri è ſuis Religioſis viros cùm doctrina tum eruditione inſignes delegerant, qui ſuſcepto itinere literario iterùm atque iterùm per vaſtiſſimum Galliarum regnum eccleſiarum & monaſteriorum tabularia ſcrutarentur; ad gazas nempe literarias eruendas, ſine quarum novis ſuppetiis *Gallia Chriſtiana*, vaſtum atque immenſum opus, cum exiſtimatione atque dignitate non Editoris modò, ſed totius etiam San-Maurianæ Congregationis recudi non poſſe optimè noverant.

eam in rem itinera literaria inſtituenda cenſent Superiores.

Deligitur ad hanc ſpartam Edmundus Martene.

Præ cæteris in Capitulo Generali anno 1708. in Majori Monaſterio celebrato ad arduam hanc obeundam provinciam delectus fuit Cl. Domnus *Edmundus Martene*, inſignis antiquarius, multíſque libris

in coñunem Eccleſiæ & rei literariæ utilitatem editis nemini eruditorum ignotus.

Itineri ſe coñittit Junii xi. A. 1708.

Erat menſis Junii dies undecima, ſancto Barnabæ ſacra, cùm itineri ſe commiſit, in quo ſtrenuè obeundo usque ad Servatoris Feſta Natalitia fuit; quæ cùm pro foribus eſſent, ad ſuos rediit. Paucis poſt diebus cum ineunte novo anno hyems longè aſperrimo frigore ſævire cœpit, adeò ut viæ clauſæ eſſent, multæque pecudes non ſolùm ruri, ſed mortales etiam domi enecarentur. Intereà Cl. *Martene* admonitus fuit, ut poſt Paſcha itineri ſe denuò accingens ampliſſimi regni ſedes quà epiſcopales quà abbatiales perluſtraret. Quò itineris verò moleſtias faciliùs toleraret, citiúsque finem illi imponeret, poteſtas ei à Superioribus facta eſt, quem vellet, comitem ac laboris ſocium deligendi.

Socius itineris Urſinus Durand.

Oculos ille continuò in D. Urſinum Durand conjecit, qui præcipuo quodam naturæ munere ad hanc ſpartam ei natus videbatur. Præterquàm enim quòd eſſet vir eximiâ virtute nec minori ingenii perſpicacia, utebatur etiam integra & firma valetudine, quæ ad tot loca adeunda, tótque ſtudiorum labores exantlandos præprimis neceſſaria erat. Nec quisquam etiam in eo vel congreſſum, vel facilitatem ſermonis & humanitatis deſideravit, quæ præcipuæ tamen in itineris ſocio ducendæ ſunt dotes.

Ambo laborum patientes propè centum Epiſcopatus & Abbatias perluſtrant.

Ambo igitur menſe Aprili anno 1709. iter ingreſſi propè centum Epiſcopatus, & octingentas Abbatias adiverunt, quò, quidquid ad *Galliam Chriſtianam*, cujus nova editio in Congregatione S. Mauri adornari cœperat, conferre poſſet, ex tabulariis, archivis, atque Bibliothecis ſtudiosè colligerent. Et verò magno animi ſolatio eis fuit, quòd per pleroſque Superiores licuerit, meſſem in agris facere, qui à colonis ſuis negligi potiùs, quàm culturâ meliores reddi videbantur. Nec manuſcripta pulvere non tam conſperſa quàm obſita, nec librorum tituli à tineis corroſi, nec tabularia perturbata & confuſa eos abſterruerunt, quò minùs iis omnibus cùm excutiendis tum evolvendis indefeſſò labore inſudârint.

Bituricenſis Bibliotheca in ſtatu miſero.

Sic Bituricis, cùm in ſanctæ Capellæ Bibliotheca perluſtrandi manuſcriptos Codices facultas ipſis facta fuiſſet, eos in ſtatu planè miſerabili repererunt. Quæſtor Capituli, cui clavis ad locum coñiſſa fuerat, ex eo Gallinarium fecerat; & cùm libri pluteis impoſiti partim aperti eſſent, gens gallinacea ſordibus fœdum in modum illos oppleverat. Ubi verò nihilominùs eoſdem manu verſare cœperant, en! Abbas *Deſoſiers*, Bibliothecæ Præfectus, ad Antiquarios noſtros ingreditur. Viſâ rei indignitate, non ipſe minùs, atque Domnus *Martene* ſtomachari cœpit; cui tamen, poſtquàm & locum & libros continuò purgari juſſerat, fidem dedit, ſe codices Bibliopegæ traditurum, qui ejus operâ habituri opus eſſent.

Magnos ſubeunt labores, non ſine fructu.

Ingentes labores, & perquàm arduæ difficultates viatoribus noſtris ſubeundæ erant, quas tamen tum ardens deſiderium de Republica literariâ benè merendi, tum ſpes non dubia, Eccleſiæ Catholicæ rem fructuoſam præſtandi, multùm mitigavit. Quæ magnitudo ac difficultas operis cæteros remorari ſolet, noſtros non tantùm retardavit, ſed calcaria etiam eis addidit. Omnibus verò lætitiis inceſſerunt, cùm ferè trecentos Epiſcopos, qui & *Claudii Roberti*, & *Sanmarthanorum* notitiam fugerant, in apertum produxerunt: cùm plusquam bis mille inſtrumenta, quæ ad fidem faciendam *Galliæ Chriſtianæ* inferenda eſſent, è tenebris eruerunt: cùm multa alia monumenta, quibus *Novum Theſaurum Anecdotorum* conderent, poſt ſex annorum laborioſum iter ſecum domum reportârunt. Strenuos homines, & nunquam ceſſantes! quibus labor quieti, & quies labori eſt; quibus jucunda induſtria eſt, odioſa ceſſatio.

Quieti & ſolitudini ſe reddere volunt.

„ Poſt editos verò in lucem quinque Anecdotorum tomos, cœperamus (ſunt verba ipſius Cl. D. *Martene* (n), alterum ſuum enarrantis Iter literarium) animum ad ſpem aliquam quietis erigere, & quidvis aliud, quàm literarium iter meditabamur. Quod Auguſtinus olim * Nebridio, id nobis ipſi quoque dictitabamus: *Profectiones, quas quietas & faciles habere nequeas, per totam cogitare vitam, non eſt hominis de illa una ultima, quæ mors vocatur, cogitantis, de qua vel ſola intelligis eſſe cogitandum.* Itaque certum erat, totos nos reddere ſolitudini, cujus in portum tandem recepti, reſpirâremus à ſtudiorum labore, & ſi quæ eramus peregrinando paſſi damna pietatis, ea religioſæ vitæ exercitationibus, oratione, ſilen-

* *Ep.* 10. *n.* 2.

(n) Præfat. in Collect. Ampliſſ.

Digitized by Google

ſilentio, Scripturarum ſanctarum lectione ſarciremus. At ecce! cùm hæc deſtinamus animô, ignotos nos, & nihil tale cogitantes, accerſit Illuſtriſſimus Galliæ Cancellarius, hortatúrque in frequenti eruditorum cœtu, noſtram ut operam accomodemus ad eam, quam adornari vehementer optabat, Scriptorum hiſtoriæ Francorum editionem. Illam quidem ſummis jam impenſis & laboribus procuraverat vir de patria, déque literis inſigniter meritus, Andreas Cheſnius; at eandem, ajebant, quod verum eſt, maximâ ſui parte augeri poſſe, aptioríque ordine diſponi; rariorem præthereà eſſe, diſtractis jam pridem ejus exemplaribus, quovis ut pretio comparari vix queat. Vicit nos, ut ait de ſe è veteribus nonnemo, *non tam præſtandi, quod exigebatur, fiducia, quàm negandi verecundia.* Enitendum ſaltem eſſe duximus, ut ampliſſimi viri votis faceremus ſatis; & opus dignum Galliâ, dignum Cancellario Gallicanæ rei ſtudioſiſſimô, ſi nulla alia re, certè quanta maxima liceret monimentorum, promoveremus.

Aliud iter ſuſcipere jubentur.

„Ante omnia viſum eſt, non Gallicanas modò Bibliothecas revolvi, ſed iter etiam ad nationes exteras, quæ Francorum præſertim Regibus olim paruerant, ſuſcipi oportere. At verò quò primùm flectendum iter, quæ præ cæteris adeundæ gentes, non parùm animo & cogitatione ſuſpenſi exploravimus. Jam diu erat, cùm nos ad viſendos Hiſpaniæ codices manuſcriptos invitaverat Illuſtriſſimus *Joſephus de Taverner*, tunc Canonicus Barcinonenſis, nunc verò digniſſimus Eccleſiæ Gerundenſis Epiſcopus, qui pro ſua in omnes humanitate, ſed in nos præſertim benevolentia ſingulari, ſtudiis noſtris, quantum licuit, favere non deſtitit. Nec deerant ſanè graviſſimæ rationes, quibus ad id potiſſimùm impelleremur. Neglectas quippe ajebant, paucíſque pervias hactenus Hiſpaniæ Bibliothecas, in quibus plura laterent antiquitatis monimenta, quæ nimis diu pulvere obſita excitare, ac publicam in lucem emittere operæ pretium eſſet. Prævaluiſſe inſuper olim apud Hiſpanos Regum Francorum auctoritatem, adeò ut à Caroli Magni tempore, & deinceps publica inſtrumenta omnia ac diplomata annotato regni Regum noſtrorum anno conficerentur. Sed aliò nos revocabant alia, nec minoris ponderis rationum momenta. Satius quippe videbatur, illas perluſtrandas eſſe regiones, quæ meritò poſſunt appellari Francicæ Gentis incunabula, uberioris ibi meſſis ſpem affore, ubi natum Francicum nomen: illas provincias inprimis percurrendas, quas olim incoluêre Reges noſtri, ubi & nominatiſſimas ædes habebant, atque ampliſſima fundârunt, dotârúntque monaſteria, quæ certè, utì nemo neſcit, ob eam cauſam tanquam regia quædam palatia poſſunt exiſtimari.

Quò iter inſtituât, dubii hærent.

Invitantur in Hiſpaniam

graviſſimis ex cauſis,

ſed aliò eos evocabant aliæ rationes.

„Annnentibus itaque publicis in comitiis Superioribus noſtris, ſumtus itineri, equos & neceſſaria omnia ſuppeditante recolendæ memoriæ Reverendiſſimo Patre Domno *Carolo de L' Hoſtallerie*, Congregationis noſtræ tum temporis Præpoſito Generali, viro cùm pietate & prudentiâ, tum maximô rerum uſu, ſed & propenſione præſertim in literatos ſpectatiſſimo, Fratrum noſtrorum muniti precibus, itineri nos commiſimus, Belgium, Ardennam, & Marcas Germanicas penetravimus, nec irrito prorſus labore. Nam licèt continuis bellorum motibus attritæ deſolatæque eſſent illæ provinciæ, tantam paucis menſibus collegimus diplomatum regiorum meſſem, ut immenſam in molem excreſceret. Horum partem maximam ſuppeditavit venerandæ antiquitatis chartarium *Prumienſe*, quod ferè integrum exſcripſimus; Trevirenſe S. Maximini, Epternacenſe S. Wilibrordi, Valciodorenſe, ut interim Sileamus *Stabulenſe*, ex quo eruimus præcepta Sigeberti, Hilderici, Dagoberti, Clodovæi, & Childerici Regum primæ ſtirpis; Caroli Magni, Ludovici Pii, filiorúmque ejus, Caroli Craſſi &c. adeò ut Archivorum in tota, quàm latè patet, Galliâ vix reperies inſtrumentorum copiâ aut nobilitate præſtantius. His acceſſêre è variis Bibliothecis Annales antiqui, Regum capitularia nondum edita, ſacratum ædium ab ipſis erectarum chronica varia, virorum inſignium cujuſcunque ætatis epiſtolarum magna congeries, quas inter non infimum tenent locum Wibaldi Abbatis Stabulenſis & Corbeienſis, quatuor Imperatorum miniſtri, epiſtolæ numero CCCCXL. quas cum antiquis Stabulenſis monaſterii monumentis ex veteri codice, ipſius Wibaldi ætate exarato, ſumma cum fide deſcriptas, nobiſcum communi-

In Germaniam proficiſcuntur.

Pretioſa ex Archivis & Bibliothecis rei literariæ monumenta eruunt.

municavit Reverendiſſimus & Ampliſſimus ejusdem Imperialis Monaſterii Prior. Sed & integrum Alexandri Papæ III. regiſtrum pro Remenſi provincia, ex quo quingentas & ampliùs epiſtolas eruimus, accepimus ex inſigni monaſterio S. Vedaſti Atrebatenſis.

Concilia, Statuta, & alia anecdota.

„ Multa ſubinde occurrerunt rerum eccleſiaſticarum præclara monumenta, Concilia ſcilicet, Statuta Synodalia, Monaſticæ Conſtitutiones, inediti SS. Patrum aliorúmque Scriptorum antiqui tractatus, quæ omnia æquè collegimus, hortantibus viris eruditis, qui optimè noverant theſaurum noſtrum Anecdotorum hoc ferè modo, & quaſi aliud agentibus nobis, coaluiſſe: immò invitantibus illuſtriſſimis, quos viſitavimus, monaſteriorum Prælatis, qui non omnem modò humanitatem nobis exhibuêre, ſed & difficultatibus ipſis, quæ nos ab improbo labore deterrere potuiſſent, occurrentes, codices manuſcriptos quantivis eſſent pretii, ſi continuò exſcribi vix poſſent, aut peritis commendârunt ſcriptoribus, aut certè Pariſios usque transmiſerunt, pro temporis opportunitate reddendos. Quâ in re nos ſanè mirum in modum devinxêre Ampliſſimi Abbates Trevirenſis S. Maximini, Himerodenſis B. Mariæ, Andaginenſis S. Huberti, Leodienſis S. Laurentii, Tornacenſis S. Martini, nec non Reverendiſſimi monaſteriorum Præpoſiti Atrebatenſis S. Vedaſti, Elnonenſis S. Amandi, Aquicinctenſis S. Salvatoris, Marchianenſis S. Rictrudis, ac Clariſſimi apud Leodios Viri Domini *de Craſſier* & *de Louvreu*, quorum officia non ſemel experti ſumus.

Eorum conatibus favent Abbates &c.

„ Longè plura nos collecturos fuiſſe vetera monumenta haud dubitamus, ſi interiores Germaniæ partes penetraſſemus, Fuldam præſertim, Francofurtum, & Maguntiam, Ratisponam, aliásque celeberrimas civitates, in quibus, ſi quid hactenus inſigne conſpicitur, hoc Carolus M. filiúsque ejus, Ludovicus, Lotharius, aliíque ſucceſſores condiderunt, refecerunt, exornârunt. Neque defuêre, qui nos & literis & precibus urgerent, ut ultra progrederemur; atque inprimis Celſiſſimus Corbeiæ Princeps, qui nos apud ſe diutiùs detinere geſtiebat. At provinciam illam obeundæ Germaniæ jam præceperat in ſe amicus ac ſodalis noſter *R. P. Bernardus Pez*, ſacri Mellicenſis Monaſterii in Auſtria Aſceta doctiſſimus, miniméq; decebat nos extraneos, alienam in meſſem falcem immittere. Præterea inſtabat hyems iter facientibus ſtudiíſque operam navantibus non ſatis commoda. Reverſis in Galliam nova nobis apparuit rerum facies, neque de editione Scriptorum Hiſtoriæ Francicæ ampliùs eſſe cogitandum deprehendimus. Cùm ergo nulla jam ſpes affulgeret, operis tam proſperè incœpti ad præſtitutum perducendi finem, viſum eſt operæ pretium, quidquid veterum id genus monimentorum collegeramus, literariæ reipublicæ totum conſignare; ut ne diverſas in partes, quod vulgò fit, diſtraherentur; eóque conſilio novam hanc veterum ſcriptorum monumentorum, hiſtoricorum, dogmaticorum, moralium collectionem adornavimus. „ Hujus porrò ſui per Germaniam Itineris ſingularia diductiùs exponit *Martene* in ſpeciali opere Pariſiis A. 1724. edito hoc tit. *Voyage litteraire de deux Religieux Benedictins de la Congregation de Saint Maur.*

Cur interiores Germaniæ partes non peragrârint.

Revertuntur in Galliam, ubi novam Scriptorum veterum collectionem adornant.

§. VIII.

Itinera Literaria Cll. PP. Peziorum, Fratrum Germanorum Bernardi & Hieronymi.

Bibliotheca Benedictina opus eſt illuſtre diu meritóque deſideratum. Arduam ejus conſcribendæ provinciam cùm in ſe ſuſcepiſſet V. C. *Bernardus Pezius*, continuò intellexit, eo munere ſe neutiquam feliciter defuncturum eſſe, niſi inſtitutô in monaſteria, etiam longiùs diſſita, itinere, luſtratíſque eorundem Bibliothecis, & manuſcriptis codicibus coràm inſpectis, quid in rem ſuam verti poſſet, videret. Periculum primum fecit in Vindobonenſibus propiúsque Mellicio adſitis Collegiis ac Monaſteriis, quorum Bibliothecas non ſine fructu inſpexit. Præcipuæ fuerunt B. M. V. Scotorum, S. Dorotheæ, Tirnſteinenſis. Ex iis opes eruditas eduxit, quas ſuis in obſervationibus paſſim dilaudat. Mox majora tentanda ratus, ſocium ſibi germanum fratrem, Hieronymum, adjunxit, qui Auſtriacorum Scriptorum causâ ageret, quod ipſe Bibliothecæ Benedictinæ, & aliorum Monumentorum Eccleſiaſticorum gratiâ

Ratio ſuſcipiendi itineris literarii.

Auſtriæ monaſteria perluſtrant.

ſibi

ſibi agendum putavit. Novum iter literarium ingreſſi ſunt anno hujus ſeculi decimo quinto, in quo tamen non niſi Superioris Auſtriæ celebriores Bibliothecas in Monaſteriis ac Collegiis *Seittenſtadienſi*, *Garſtenſi* propè Stiram, *Glunicenſi*, *Florianenſi*, *Cremiſanenſi*, *Lambacenſi*, & *Monte Pomærio* perluſtrârunt. Proximo dein anno inſtructiora veteris literaturæ reliquiis Auſtriæ Inferioris Monaſteria perſcrutati ſunt, *Clauſtro-Neoburgenſe*, *Murbacenſe*, *Sanctæ Crucis*, *Mariæcellenſe*, *Campililienſe*, *Gottwicenſe*, *Zwetlenſe*, & *Altenburgenſe*, excuſſis ubique veteribus manû exaratis codicibus, eâ animi contentione, & intrepido ſtudio, ut Fratres nullis itinerum moleſtiis dubiíſque viarum erroribus, nec vitæ denique ipſius diſcrimine, quale ſecundo Danubio proficiſcentes propè Tulnam atrociſſima tempeſtate coorta adierunt, à propoſito ſe dimoveri paſſi ſint.

Iter Bajoaricum & Suevicum arripiunt.

Interea domum reduces, cùm vires maximâ laborum contentione detritas autumni ac hyemis quiete nonnihil recuperâſſent, de itinere Bajoarico, Suevicóq; ſeriò cogitare cœperunt: demúmque rebus neceſſariis comparatis die tertia Maji an. 1717. id reapſe aggreſſi ſunt, non alius cujuſpiam rei, niſi veterum codicum cupidi aut ſtudioſi. *Lambaci* præter

Lambacenſem,

MS.tos codices circiter 400. novam Reverendiſſimi ejus loci Antiſtitis Maximiliani, ſtudii antiquarii cupientiſſimi, Bibliothecam optimis omnium generum libris ditatam ἐν παρόδῳ viderunt. *Lunælaci* antiquiſſimo no-

Lunelacenſem,

ſtri Ordinis cœnobio in duplicem admiſſi fuerunt Bibliothecam, veterem & novam: in hac libri typis vulgati, in illa plerique Codices manû exarati aſſervantur; plerique partim nono & decimo, partim undecimo & duodecimo, & ſequentibus ſeculis ſtudioſè collecti fuerunt, ex quibus multa ſingularia in ſua adverſaria intulerunt. Integro octiduo inter Lunelacenſes codices exacto, Salisburgum ad D. Petri Abbatiam contenderunt, quam præter ſpem divitem veterum chartarum & librorum invenerunt, ſecus ac Joannes Mabillonius in Itinere Germanico affirmaverat, cujus oculis tum pleraque monumentorum veterum, mandatô Celſiſſimi Principis & Archiepiſcopi, eſſe ſubducta, amici noſtris retulerunt. Ad Archiepiſcopalem Bibliothecam viſendam

Sant-Petrenſem Salisburgi,

& Archiepiſcopalem,

Pezius nihil minus exſpectantes, juſſu Celſiſſimi & Reverendiſſimi Principis & Archiepiſcopi, Prænobilis ac Excellens Dominus *Lospichlerus* pater, ejusdem Archiater, invitavit.

Salisburgo digreſſi ad Seonenſe primùm, tum Attilenſe, ac poſtea Rotenſe monaſterium delati ſunt, cujus poſtremi Bibliotheca inter alia codicem mille annorum ſervat, qui Apuleii librum *Peribermenias* exhibet, & *Ciceronem de amicitia*. Triduum hîc excutiendæ Bibliothecæ dederunt, quo R. P. *Wolffgangus* Supprior & Bibliothecarius, vir totus ex modeſtia & religione factus, ad eorum ſtudia ſemper præſtò erat. Relictâ Rotâ ad Canoniam Beyhartingenſem Ord. S. Aug. quinque circiter horarum iter contulerunt, in quo Bibliotheca pro loco ſat inſtructa, & accuratè atque concinnè ordinata. Rogatus à noſtris A. R. D. Decanus, vir inſignis & doctus, quò centum & octo volumina, quæ quendam hujus loci Canonicum ſuâ unius manû ab an. 1418. exarâſſe *Antonius Guilielmus Ertel* in Atlante Bavarico ſcribit, deveniſſent, reſpondit, diligentiſſimi hujus librarii nullam penitùs memoriam, aut veſtigium apud ſuos extare. In Canonia Weyarnenſi ejusdem Ordinis à Reverendiſſimo Domino Præpoſito ea cum humanitate accepti, & biduô habiti, quâ majori vix poſſent. Bibliothecæ aditum urgentibus nullus patuit, fortaſſe propterea, quòd noviſſimo incendio aut conflagrârint libri, aut ob novam eámque peregregiam Canoniæ ſtructuram in ejusmodi tantisper locum tranſlati ſint, in quo non ſine graviſſimo incommodo evolvi poſſent. Ex Weyarna pervenerunt *Tegurinum*, veteribus *Tegrinſee*, ampliſſimum, olim Regium, & nunc totius Bajoariæ vulgò princeps monaſterium, à prima origine monaſticæ diſciplinæ famâ claruit, aluítque viros maximis etiam Principibus & Pontificibus eô nomine chariſſimos. Bibliotheca mille ferè Mſ.tis Codicibus, aliquando ſat egregiis ſuperbit, inter quos codicis Theodoſiani Libros VIII. à mille propè añis exaratos meritò referas. Eorum luſtro per integros decem dies inſtiterunt. Quibus peractis, iter versùs Monaſterium Benedictoburanum ingreſſi, tantâ humanitate, quanta poteſt eſſe maxima, in eodem ſuſcepti fuerunt. Facta liberrima Bibliothecæ viſitandæ

Deinde Seonenſem, Attilenſem, Rothenſem,

& alias Bibliothecas excuciunt.

Tegernſeenſis MSS. Codicibus referta.

Bibliotheca Benedictoburana inſignis.

poteſtate, non ſegniter eâ uſi fuerunt, maximè quod Bibliothecæ Benedictoburanæ Codices nequaquam proletarii ſint, ſed cum totius Bavariæ, ac fortè etiam Germaniæ præſtantiſſimis conferri poſſint. In monaſterio Bernriedenſi amœbæas B. Herlocæ ac Dietmudis epiſtolas inveniendi ſpes eos fefellit.

Weſſofontana, Unde profecti per Pollingam in ſplendidiſſimæ ſtructuræ Monaſterio *Weſſofontano* Ord. S. B. advenerunt. Commodùm ex Parochia Vilgerzhofenſi evocatus aderat *Thomas Aquinas Ebart*, pluribus libris, maximè Sacris Bibliis Latino-Germanicis, in lucem emiſſis, perquàm celebris, quô, & *Mauro Luzio*, Novarum emendatiorúmque Biblicarum Concordantiarum autore, præeuntibus, non paucos Codices, præſertim Ludovici Monachi, & Sanctimonialis Dietmudis, repererunt. Iis excuſſis in

Andecenſis, Monaſterium *Andecenſe* non ita procul diſſitum diſceſſerunt. Hujus loci cœnobitæ, motibus & doctrinâ eximii, non minori eos amore complexi ſunt, quàm deſiderio dudum exſpectaverant. In manuſcriptis codicibus verò eruendis & exſcribendis (nam ætas quædam propemodum deleverat) magnoperè noſtri deſudârunt, opem ferente *R. P. Benedicto Friepeis*, tunc Suppriore, ad eorum conatus literarios juvandos promptiſſimô. Reverendiſſimi verò Abbatis Mauri, literatorum Mæcenatis eximii, opera & patrocinio Electoralis

Electoralis Monachii, Bibliotheca Monachii noſtris patuit. Duplex hîc, ut in principe Bibliotheca, Codicum MSS. genus, Græcorum ſcilicet & Latinorum. Noſtri in Latinos præcipuè intenti erant, quos ad ſeptingentos dinumerârant, recentiori manû magnam partem exaratos.

Quamdiu Monachii egerunt, Reverendiſſimus Dominus Abbas Andecenſis, Mæcenas literatorum ampliſſimus, in ædibus ſuis, quas ad Cryptam vulgò nuncupant, hoſpitium præbuit. Idem præſtitit Friſin-

Friſingenſis, gæ R. P. *Romanus Chriſtmann*, Benedictinus Garſtenſis, SS. Canonum in Gymnaſio Friſingenſi Profeſſor. Aberat eo tempore à Monaſterio ſuo, egregiè, ſi quod aliud in Germania eſt, ornato ordinatóque Reverendiſſimus Dominus Abbas Weichenſtephenenſis, *Ildephonſus*, Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præſes, Præſul eximiè doctus, viſitandis inferioris Bavariæ Monaſteriis ex more ac Patrum decreto intentus. Verùm à religioſiſſimis ejus filiis nullum erga noſtros humanitatis genus prætermiſſum eſt. In loci Bibliotheca non plurimos quidem, ſed bonæ notæ, ac pleroſque vetuſtos codices deprehenderunt. Plures, ferè treceni in Bibliotheca cathedralis Eccleſiæ, quorum quidam à mille annis non procul abſunt, jucundum ſpectaculum noſtris præbuerunt, adeundi priùs veniâ ab Illuſtriſſimo Capitulo impetrata, quòd ad Bibliothecam non niſi per Archivum, imensâ diplomatum & chartarum mole oppletum, iri poſſit.

Schyrenſis Bibliotheca Conradi Philoſophi operibus decantata. Schyram Friſingâ vix advenerant, cùm illicò præſens adfuit R.^mus^ Dominus *Benedictus*, Præſul doctrinâ juxtà ac vitæ integritate præcellens, qui humanitate, pietate, ac doctiſſimis ſermonibus ipsô triduô noſtros recreavit. In Bibliothecam perducti ad evolvenda CONRADI, *Monachi Schyrenſis*, decantata volumina potiſſimam operam contulerunt. Præter omnem exſpectationem verò ſupervenit R. P. *Joſephus* Cœnobita Benedicto-Buranus, ab Illuſtriſſimo Barone *de Unertl*, qui totius Bavariæ rationes cum ſummæ prudentiæ laude moderatur, ad noſtros miſſus, cum mandato, ut Monachium rediirent. Eum, addebat, magnoperè dolere, qnòd cùm veterum Codicum gratiâ omnem latè Bavariam decurrerent, ad ſe, in cujus poteſtate lectiores Electoralis Bibliothecæ eſſent, non inviſiſſent. Itaque remenſo itinere, ut tanti viri favorem ne recuſarent, amiciſſimus eos *Joſephus* hortabatur. Verùm re collata, initáque virium oppidò jam afflictarum, viæ quoque ac temporis ratione conſultius ipſis viſum fuit, omiſſo Monacenſi reditû Auguſtam Vindelico-

Auguſtæ Vindel. pertingunt. rum contendere. Quod iter ingreſſi in SS. Udalrici & Afræ inclyto monaſterio humaniſſimè & excepti & habiti fuerunt. In Bibliotheca præ ceteris eminere ipſis viſa ſunt CONRADI *Urſpergenſis Chronicon* ſeculo XV. ſcriptum, Epiſtolarum Volumen ad *Vitum Bild*, Acropolitanum Monachum, à *Nicolao Ellenbogio*, Cœnobita Ottoburano, *Conrado Peutingero*, Joanne Cæſare Auguſtano, Georgio Spalatino, Joanne Occolampadio, Jona, & aliis ſcriptarom; alia Epiſtolarum collatio ad *Carolum Stengelium*, ex Cœnobita Udalricano, Abbatem

Anhu-

Anhuſanum, Gretſeri, Raderi, Conſtantini Cajetani, aliorum; *Georgii Sünder*, vel *Sender*, Cœnobitæ Udalricani Chronographia XI. voluminum ab O. C. ad an. 1540. cujus tamen pars inſignis res ab anno 1315. usque ad an. 1440. complectens periit, aliud fragmentum Ingolſtadii editum hoc titulo: *Relatio de ortu & progreſſu hæreſium in Germania, præſertim verò Auguſtæ Vindelicorum, ex antiquis Annalibus Mſ.tis cujusdam contemporanei fideliter conſcripta, & nunc publici juris facta anno* 1654. Licuit etiam ipſis Bibliothecam Cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ perſcrutari. Superſunt hîc loci centum ſeptuaginta novem codices, veteres pleriquè ac probi, ſed non perinde diligenter ſervati. Porrò ubi ex hac Bibliotheca emerſerunt, adfuit, qui ad Illuſtriſſimum Comitem de Wolkerstorph, ejusdem Cathedralis Eccleſiæ Canonicum & Scholaſticum, lectulo affixum, ipſos invitaret. Cui cùm morem geſſiſſent, ab eo Nicrini flore, nullóque non humanitatis genere recreati fuerunt.

De reditu cogitant in Auſtriam. Auguſtæ de reditu cogitare cœperunt Fratres, & quamvis opulentæ codicibus Bibliothecæ *Weingartenſis*, *Ottoburana*, *Augienſis* allicerent, amicus etiam ad pervolvendos vetuſtiſſimos libros San-Gallenſes optimæ notæ invitaret, teceptui tamen cecinêre, quòd volentibus obſtaret afflictior quotidiè valetudo, faſtidio primùm ſtomachi, dein etiam capitis vertigine ex tot & tam gravibus laboribus, ut pronum eſt credere, exortis.

S. Emerami Ratisbonæ Bibliothecam, Iter verò temenſis nihil fermè occurrit, quod noſſe virorum eruditotum admodùm interſit. Ratisbonam tamen ubi pervenerunt, quod reliqunm virium erat, excutiendis nobiliſſimæ Monaſterii Emmeramenſis Bibliothecæ, plusquàm mille Codicibus conſecrare ſtatuerunt. Qua in Urbe, præter ſplendidum S. Emmerami Monaſterium, aliud quoque eſt Ord. S. Benedicti Aſceterium, ſub titulo *S. Jacobi Scotorum*, de quo itinerantes noſtri nihil protulerunt.

inde Oberaltahenſis & Mettenſis, Inde verò digreſſi ad Superioris Quercûs vulgò *Oberaltachenſe* monaſterium delati ſunt, cujus Bibliotheca adhuc ad quingentos quà membranaceos, quà chartaceos Codices obtinet. In *Mettenſi* non niſi tres Codices invenerunt, tametſi Cœnobium à *Caroli M.* ævo fundatum ſit. Nec plura tùm Inferioris Quercus, vetera monumenta in celeberrimo & totius inferioris Bavariæ principe monaſterio *Altahæ inferioris* deprehenderunt. Itaque cùm nihil admodùm eſſet, in quo hîc animum manúsque utut feſſas exercerent, ob Codicum excidium, luctu pleni Pataviam deſcenderunt, triduano S. Nicolai Canoniæ hoſpitio uſi. Inde excurſum fecerunt *Varnbacum* ſeu *Formbachium*, quod admodùm celebre Ordinis noſtri Monaſterium ad Oeni ripas eſt, vix duabus horis Patavià diſſitum. In Bibliotheca, cujus propè omnes Codices diverſis cladibus & caſibus periêre, notatu dignum exiſtimârunt *Joan. Lapilli* Presbyteri Patavienſis *Librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. & Formbacenſis opes literarias luſtrant, Atque hoc erat Monaſterium, cujus perluſtratione iter ſuum Bojoarium obſignârunt. atque Mellicum repetunt. 22. 7bris. Namque inde ſecundo Oeno Patavium die XVII. Septembris remeantes, mox in Auſtriam contenderunt, die XXI. ad *Fontem Iſidis*, vulgò *Ipſium*, urbem patriam delati, ubi chariſſimam & honeſtiſſimam matrem, quæ una parentum adhuc ſupererat, ſalutârunt, ac tandem die vigeſima ſecunda non ſine ampliſſimis literariis manubiis ad Mellicenſe monaſterium reverſi ſunt.

Bernardi Pezii iter Gallicum A. 1728. Cùm anno hujus ſeculi vigeſimo octavo Excellentiſſimus Comes de Sinzendorff, Supremus Aulæ Auſtriacæ Cancellarius, in Galliam proficiſceretur, in Conventu Sueſſionenſi Europæ fortunas moderatus, Bernardum Pezium in ſuo comitatu eſſe volebat (o). Nihil dulcius, nihil exoptatius ei contingere potuit, quàm ut in principis viri comitatu receptus, opportunam occaſionem, floientiſſimum hoc regnum perluſtrandi, haberet, qnod & viris doctiſſimis, & Bibliothecis opulentiſſimis, ſi quæ unquam regio, refertum eſſe noverat.

In itinere perſæpe eſſedo, quô Cancellarius uteretur, ad latus ejus ſedens, vectus, celeberrimas urbes per transfennam inviſens, tam ædificiorum elegantiâ, & magnificentia, quàm eruditiſſimorum, clariſſimorumque virorum, inter quos inprimis Eruditiſſimnm clariſſimúmque Benedictini Ordinis lumen, Auguſtinus Calmet, humanitate atque colloquio capiebatur. Pariſios tanto cum procere ubi venit, curarum prima fuit, tum ut ibidem viris doctis innoteſceret,

(o) Ex Oratione funebri an. 1735. authore V. C. Martino Kropfio Mellicenſ.

ret, & ex eruditis eorum colloquiis utilitatem, quam ſibi propoſuerat, perciperet, tum etiam, ut omnes Bibliothecarum angulos ſollicita diligentiâ perreptaret. Quod ut eò feliciùs conſequeretur, in celeberrimo ſancti Germani Monaſterio divertit. Nec facile enarratu eſt, quàm prompta hîc illi obſequia Benedictini Patres contulerint, qui non tantùm eum, quoad ibi moratus fuit, humaniſſimè tenuerunt hoſpitio, nequicquam propterea convictûs oblati à Cancellario pretii acceptantes, ſed omnia inſuper ei monumenta ad propoſitum ſuum accommodata legenda, atque exſcribenda conceſſerunt. Inter viros eruditione conſpicuos, quibus Pariſiis familiariſſimè uſus eſt, quorúmque ſibi amicitiam aut conciliavit, aut per literas jam ante conciliatam præſentiâ confirmavit, Benedictini Patres, Montfauconius, Martenius, Durandus, maxima literarum ornamenta, ſunt cumprimis numerandi. Ex Bibliothecis nullam earum, ad quas aditus patebat, negligendam duxit, maximè tamen eam, quæ ad S. Germanum, Bibliothecam, innumeris, iiſque præſtantiſſimis libris refertam, excuſſit. Dum verò eas perſcrutaretur, comites ſemper habuit Benedictinos, qui à latere ejus nunquam diſcedentes omnes Bibliothecas adeundi, videndíque poteſtatem fecerunt. Qui exteras regiones adeunt, diverſos plerumque peregrinationis ſuæ fructus venantur. Alii præcipuè hoc agunt: ut locorum, quæ adeunt, indolem, atque ingenium perſpicere poſſint: alii gentium mores ac conſuetudines, vel linguam addiſcere deſiderant; aliis nihil, niſi Principum & Purpuratorum ſplendorem ac pompam mirari curæ eſt; alii denique aliis tempus fallere proponunt. Omnia illa, quoniam plerumque viris doctis minoris momenti eſſe ſolent, aut negligebat, aut ſucciſiva ac ſecundaria ducens, ad ea præcipuè animum intendebat, quæ literarum amore incenſi cupiditatem explere, & honeſtiſſimo huic ſtudio unicè ſatisfacere poterant. Quô factum, ut virum eruditiſſimum non palatii regii ſplendor, ac magnificentia, non hortorum paradyſum propè imitantium amœnitas, non artificioſi fontes in ſublime aquam ejaculantes, non id, quidquid urbs in templis, palatiis, muſeis magnificum, ſplendidúmque habet, aut artis uſquam ac elegantiæ oſtentat, illum multum detinebant, in itinere præſertim literario, in quo, non quid uſpiam novæ elegantiæ, ſed quid veteris memoriæ adhuc extet, perſequi propoſuit.

Pariſiis in Monaſterio S. Germani humaniſſimè habetur.

Ad Eminentiſſimos duos Cardinales, *Noallium* & *Biſſium*, cùm aditus ei patuiſſet, hilari ab eis admodùm ac benignô vultu exceptus fuit.

Poſtquàm igitur omnia, quæ Galliam viris doctis comendare ſolent, aut manibus verſare, aut oculis uſurpare ex voto contigit; poſtquàm tot viros omnis eruditionis atque elegantiæ principes vidit, eorúmque ſermonibus, ſtudiis, moribus ſat animum intendit: tandem multò honore affectus, nobiliſſimíſque in rem ſuam literarum ſpoliis onuſtus, obſervantiæque Gallorum in ſe maximæ plenus ex Gallia exceſſit, & ita exceſſit, ut cùm eruditionis ſuæ ſoliditate ac præſtantiâ haud exiguam ſibi apud eos comparâſſet famam, mirarentúrque haud rarò, inter Germanos, tales inveniri viros, facilè inter illos & noſtrum amicitia coaleſceret jucundiſſima, tantúmque illius deceſſione amici in Gallia affligerentur, quantum Mellicium reverſione lætaretur. In reditu inſpectis tranſeundo aliorum monaſteriorum, ac præſertim *Zwyfaltenſis*, Bibliothecis, tandem ſuo in Cœnobio velut poſtliminiò conſedit, conſuetíſque ſe iterùm ſtudiis addixit, & literariis ſpoliis, ſeu theſauris in via fortuitò repertis orbem eruditum locupletavit.

Ex Gallia domum revertitur.

Atqui hæc ſunt itinera Literaria, quæ cùm Fratres *Pezii*, tum *Trithemii*, *Langii*, *Stephanotii*, *Mabillonii*, *Montfauconii*, *Quirinii*, *Martenii* & *Durandi* confecerunt; quibus porrò addere meditabar Doctiſſimi Abbatis AUGUSTINI CALMETI Iter Literarium, quod cum ſuo Nepote D. *Auguſtino Fangæo* ejus in Senonenſi præfecturâ Coadjutore ſuccedaneo, per Helvetiam anno 1748. adornavit, typíſque Einſidlenſibus cum figuris editum comemorat in Bibliotheca Virorum Lotharingiæ illuſtrium art. FANGE', pag. 360. his verbis: *Dom* AUGUSTIN FANGE' *natif de Hattonchatel, Dioceſe de Verdun, Profès de l'Abbaye de Munſter le* 21. *Juin* 1728. *eſt neveu du R. P. Dom Auguſtin Calmet, & ſon Coadjuteur en ſon Abbaye de Senones. Il a profeſſé avec honneur les Humanités, la Philoſophie & la Theologie, dans l'étude de laquelle il a fait des très-grands progrés. . . . Il a fait imprimer à Einſidlen,*

De Calmeti & Fangæi Itinere Helvetico.

ſidlen, ou Nôtre-Dame des Hermites, un ouvrage intitulé,: Iter Helveticum, avec figures, qui eſt un récit de ce qu'il a vû dans la Suiſſe au voyage qu'il fit en 1748... Sed tametſi hunc Comentarium repetitis literis ab Einſidlenſibus ſedulò requiſierim, eum tamen obtinere non potui. Ita qui nihil honeſti pro decore Ordinis edere cogitant, aliorum quoque conatus & labores ſufflaminare non formidant.

Peregrinationis eruditæ utilitas.

Præterquàm verò quòd, *Plinio* teſte (p), *multum jucunditatis habeat Soli atque Cœli mutatio, ipſáque illa peregrinatio interſita*, expedire etiam quandoque Patriam negligere, ut exterorum ſapientiam quis acquirat, ex *Caſſiodoro* libr. 1. ep. 35. diſcimus. Idipſum luculentiùs comprobat prælaudatus Abbas *Auguſtinus Calmetus* in Præfatione ad Bibliothecam Virorum illuſtrium Lotharingiæ ita diſſerens: *On ne ſçait que trop par experience, que ſi dans les provinces il ſe trouve quelque eſprit né avec des talens extraordinaires, il eſt obligé de s' exiler, pour ainſi dire, de ſon propre Pays, pour thercher ailleurs à perfectionner, par le ſecours des étrangers, les faveurs dont la nature l'a orné: s' il demeure dans la Patrie, il doit s'attendre d'y vivre ordinairement ſans éclat, & ſans recompenſe, & d' y voir ſes talens enſevelis dans l' obſcurité & l' oubli.* Quin Seneca diſertè aſſerit epiſt. 79. *Paucis natum eſſe, qui populum ſuæ ætatis & provinciæ tantùm conſiderat.* Semper ex adverſo illi prudentiores habentur, qui multorum hominum converſationibus probantur eruditi. Immò quantum cæci videntibus cedunt, tantum præſtare peregrinatos nunquam egreſſis patriâ *Philo* Judæorum eruditiſſimus ediſſerit in libro de Abrahamo; *Horatius* quoque Odiſſ. 1. *Utilis*, inquit, *ille vir eſt, qui mores hominum multorum vidit & Urbes.*

> Scilicet *haud unâ capitur ſapientia ſede;*
> *Sed variis terris quæritur atque locis.*

Sapiens non eſt, qui patriæ angulos nunquam egreſſus eſt.

Neutiquam ergò hac in re aſſentimur *Claudiano* Poëtæ, qui *Beatum* ſtatuit illum, qui nunquam patrio è ſolo pedem extulerit; hæc enim *Beatitudo* ſeu *Felicitas* nobis ruſtica vel epicurea videtur, aut ſaltem eorum, *qui*, ut ait Cicero, *felicitatem ponunt in nihil agendo, quiſve dediti ventri, ſomno, voluptatibus, deſides, indocti, intultique vitam ſicut belluæ tranſigunt.* Neque porrò is ſum, qui mihi perſuadere poſſim aliquem hominem perfectè ſapere, qui anguſtiore orbis angulo, vel unius Urbis mœnibus aut Cœnobii ſeptis incluſus deliteſcens, vix limen unquam tranſierit, reliquas mundi partes ignoret, nullos mortales præter indigenas ſuos noverit, nullas exteras gentes, non earum ritus aut conſuetudines varias viderit, ſed domi deſes contentus iis duntaxat ſit rebus, quæ exiguo natalis ſoli ſpatio propriíque Laris anguſtiis circumſepta cernuntur. Quo enim nomine niſi *Stoïci* ac penè *Agreſtis* appellemus eum, qui Sibyllæ ex antro, aut Dodonæo è luco nunquam proſiliens reſponſa quidem ac oracula fundat è tripode; cæterarum verò rerum ita ſit ignarus, ut in Æthiopiáne an in America ſit Mexicum ignoret? Sed hæc adversùs Myſantropos & peregrinantium contemptores attigiſſe ſufficiat; Neque enim Sodalibus noſtris promiſcuè peregrinationes ſuadere intendimus; ſed neque etiam ſpernendum credimus, quod prudentiores laudare & paſſim facere animadvertimus, quodque inſtitutum ceu utile & honeſtum non ſolùm exempla tum ex antiquitate, cùm ex hoc ævo repetita comprobant, ſed etiam Sapientûm authoritas juxtà ac evidens ratio confirmant.

P. Oliverii methodus peregrinationis ritè inſtituendæ.

Qualiter autem inſtituenda ſit peregrinatio, ut fiat utilis, egregiè docet Cl. P. *Oliverius Legipontius* in libello nuper Auguſtæ Vindelicorum edito hoc titulo: *Itinerarium ſive Methodus apodemica peregrinationis nobilis & eruditæ benè inſtituendæ præcepta modúmque exhibens, in uſum eorum, quos peregrinandi ad exteras gentes cupido inceſſit, conſcripta...* Cujus quidem opuſculi præſtantiam comendat Præfatio ad Lectorem his verſibus:

> *Si quis cum fructu peregrinas viſere terras,*
> *Ut nempe evadat doctior inde, cupit:*
> *Hanc perluſtrandi Regiones, Oppida & Urbes,*
> *Qua par eſt, Methodum, ſedulitate legat.*
> *Nam mirâ brevitate docet, quid ubique locorum*
> *Diſcere conducat, quídve cavere juvet.*

Hac tamen in re plurimùm proderit relegere Tractatum *Baudeloti de Daivvail* de utilitate peregrinationum, *Pariſiis* 1686. in 12. typis exſcriptum ſub titulo: *Traité de l' utilité des Voyages,*

(p) Plin. libr. 3. epiſt. xıx.

ges, & de l'avantage, que la recherche des antiquités procure aux ſçavans... Tum maximè ea, quæ jam retulimus itinera, quorum quidem narratio familiæ noſtræ alumnis non grata minùs & accepta eſſe debet, atque Homerici Ulyſſis narrationem de itineris ſui ratione, variíſque caſibus Alcinoo ac Phæacibus extitiſſe ferunt jucundam.

CAPUT VI.

Bibliotheca & Archiva, eorúmque origines, fata, incrementa, Cimelia, Cuſtodes, & reliqua memorabilia.

Quid Bibliothecæ vocabulo denotetur.

UT ab eo tractationem hanc exordiar, quo mens Lectoris ad rem ipſam, de qua agitur, meliùs intelligendam ſolet præparari, principio obſervandum, Græco *Bibliothecæ* vocabulo com̃uniter *omnigenæ eruditionis Officinam* vel *Locum*, in quo cujusque generis librorum penus ſeu congeries adſervatur, deſignari. Et quamquam Latini hoc ſenſu *Librariam* dicant, magis tamen in uſum venit, eâ voce *Tabernam* intelligi, in qua venales proſtant libri, ut *Lipſius* advertit. Olim etiam Bibliothecæ *Archiva & Armaria* nuncupatæ ſunt: *Chartaria & Grammatophylacia*, ſubinde audiebant; Græcis quoque *Muſæa*, *Athenea*, & *Athenaica*, vel, ut Salmaſio placet, *Athenica* dicebantur; quod verbum à *Trebellio* uſurpatum ad ſignificandam Bibliothecam publicam, obſervat *Petrus de Marca* in ſua ad *Concil. Claromont.* Diſſertatione §. 105. Solet etiam *Bibliothecæ* nomen dari multorum auctorum collectionibus, librísque, qui de eorum operibus, aut de variis rebus tractant; Sic *Bibliotheca Patrum* dicitur, collectio operum multorum Scriptorum in unum aliquod corpus digeſtorum; Sic etiam *Bibliotheca Hiſtorica* vocatur ex multis hiſtoriis conflata, qualis eſt *Diodori Siculi*, & *Apollodori Bibliotheca*. Huc referri debet, quòd ab infimi ævi Scriptoribus *Bibliothecæ* nomine vetus & novum Teſtamentum quandoque nuncupetur: ita referente *Cangio* volumen Sacrorum Librorum, quos D. Hieronymus tranſtulit, Divi *Hieronymi Bibliotheca* dicitur; Sic & *Bibliotheca ſancta* vocatur liber, qui de libris Biblicis tractat, qualis eſt *Sixti Senenſis Bibliotheca*. Tractatus itidem de Auctoribus ſeu Scriptoribus cujusque com̃atis *Bibliothecæ* titulo ſolent inſigniri, qualis eſt *Dupinii Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum*. Tandem *Bibliotheca* dici poteſt liber, qui Collectanea omni genere Scriptorum de variis rebus ſuppeditat, ut *Vincentii Houdrij Bibliotheca concionatoria*, *Zwingeri* item *Rideri Bibliotheca*; in quas tamen nomenclaturas acutè *Owenus* luſitat:

> *Quid ſibi ridendi vult Bibliotheca* RIDERI?
> *Unus enim non eſt Bibliotheca liber.*
> *Verborum cùm theca ſit hæc, non theca librorum*;
> *Lexicon hoc dici* Dictiotheca *poteſt.*

Bibliothecarum origo.

Agemus impræſentiarùm de *Bibliothecis*, quatenus loca ſunt, in quibus magnus librorum numerus continetur; cujusmodi quidem Bibliothecarum originem ſi inquiras, res vetuſtiſſima eſt, & ut *Lipſius* exiſtimat, cum ipſis literis adinventa; Nam ſimul ac ſcribere natum eſt, mox etiam erectæ ſunt Bibliothecæ & Archiva, quibus ſcripta ad præſentium & futurorum uſum adſervari poſſent. Cùm autem de variis variarum Gentium, Regionum, Urbium, Templorum, Gymnaſiorum & Scholarum Bibliothecis jam uberiùs egerint benè multi, de *Cænobialibus* verò perpauci, hinc in id ſeriò incumbendum duximus, ut earum natales, conditores, incrementa, fata, cimelia, & memoranda quæque inveſtigemus ſolertiùs, ídque eò magis, quòd ex his divinam omnem & humanam ſapientiam felici quodam fluxu ad nos derivatam grati agnoſcere debeamus: *Quidquid enim apud antiquos eruditum ac ſcitu dignum, quidquid apud Patres pium, & ſapientiæ plenum, quidquid in Con-*

De Cænobialibus tractandi ratio.

ciliis

ciliis ſanctum, quidquid in Libris ſacris divinum, quidquid in hiſtoriis firmum ſolidúmque eſt; totum id per Monachorum noſtrorum manus ad hæc usque tempora pervenit, ut eruditè ſuo more oſtendit magni Vir nominis *Mabillonius* in Præf. ad Sec. I. Bened. n. cxiv. Nósque pluribus deinceps comonſtrabimus per ſequentes periochas de ſingulis ordine acturi.

SECTIO I.

De celebrioribus Monaſteriorum Bibliothecis.

S.P.Benedicti cura de Bibliothecis?

MAximam *D. Patris* BENEDICTI fuiſſe curam, idonei teſtantur (q) auctores, ut in quovis recèns condito monaſterio propediem communis Bibliotheca, & velut curia quædam illuſtrium Auctorum adornaretur. Ac erat id opus tunc ætatis, quâ typographia nondum nota, non tantùm multorum laborum, ſed & magnorum ſumptuum. Legimus, unum ſæpè codicem cariùs venüiſſe, quàm modò ſatis multa & magna volumina. Pretium augebat (*papyri modernâ ratione pariter non inventâ*) chartæ magnus valor, librariorum in ſeculo rudi, & magis gladiis, quàm calamis aſſuetô longè maxima raritas. Et tamen Vir ſanctus, magnitudine animi & literarum amore ſuperante difficultates, tot breviculo tempore libris ſua monaſteria implevit, ut ſingulis cœnobitarum copia fieret, aptum muneri & menti codicem ex librario promptuario referendi. Nec illi paucis duntaxat foliis conſtabant, ſed utì pretio, ita & mole conſpicui habebantur. Nam S. Pater meminit *Sanctorum & orthodoxorum Patrum, ſacrorum Bibliorum, Commentariorum*, quibus illa ſunt ab eruditis, & prolixis calamis illuſtrata. *Joannes Caramuel* exiſtimat, neutiquam ſundamentô carere opinionem narrantium, *vaſta quoque S. Auguſtini volumina in librario S.* BENEDICTI *theſauro cenſita fuiſſe.*

An Opera S. Auguſtini S. P. B. in ſua habuerit Bibliotheca.

Quidquid autem ſentire velis de mole librorum, eorum numerum magnum fuiſſe, diſces ex numero Filiorum, quorum neminem *ſine ſuo codice, velut ſummè neceſſariâ armaturâ* in ſacræ Monaſtices arenam ſe demittere ſinebat. Nam ſi de Caſinenſi Archiſterio loquamur, novimus, ejus militiã Chriſto *vero Regi* auctoratam, haud in paucis capitibus, ſed in centuriis virorum ſtetiſſe. Teſte *S. Fauſto*, qui ſuiſmet oculis novellum Religionis noſtræ exercitum arbitrari potuit, S. BENEDICTUS adhuc in mortali vita ſuperſtes *multa millia perfectorum Athletarum* ſub ſuis ſignis numeravit. Et quamquàm non negârim, fuiſſe forſan haud paucos inter eos amuſos: attamen cùm & illos abſque ſacra lectione cenſuiſſet inermes, pædotribam conſtituit, qui per ſtatas illis horas vitæ ſpiritualis documenta prælegeret. Ac proin ſibi neceſſitatem poſitam vidit parandi libros, ordinis, ut ita loquar, inferioris, & qui ſtyli rerúmque contentarum facilitate vel ab illiteratis idiotis intelligi queant.

Quibus, & quàm multis libris primæ Benedictinorũ Bibliothecæ fuerint inſtructæ?

Quia verò D. BENEDICTUS non quaslibet alumnis ſuis lectiones commendavit, ſed *ſanctas* (r), hoc eſt, *ſacram Scripturam, paſſiones SS. Martyrum, vitas & collationes Patrum, Scripta SS. Doctorum*, quæ ad morum conducunt ædificationem; quorum omnium lectio Monachis ſumæ eſt utilitatis, inde factum, ut ejuscemodi piis ac ſacris libris Benedictinæ Bibliothecæ adornarentur. Nec tamen alii boni ac probati authores excluſi fuerunt, ne iis deeſſent neceſſaria doctrinæ inſtrumenta, qui vel ad eruditionem aſpirarent, vel aliis docendis præſtituti eſſent.

Quòd verò aliqui ſcribant (s), S. Patre noſtro paulò antè in cœlos ſublato, in una Bibliotheca 6700. libros ab ejus filiis ſcriptos numeratos fuiſſe, fateor, ægrè animum inducere poſſum, ut id pro vero habeam. Quin, ſi quod ſentiam, liberè enunciare conceſſum eſt, pleræque mihi veterum Monachorum Bibliothecæ non ita amplæ, neque ita copioſæ ſaltem eo tempore, quo ſingulæ earum condi cœperunt, fuiſſe videntur. In cauſa erat librorum raritas, quæ temporibus illis, quibus nulli niſi manu exarati habebantur, tanta erat, ut aliquando monachorum numerus in cœno-

(q) Erhard in Glor. S. B. l. 2. part. 3. c. 2. §. 3. p. 46. col. 2.
(r) Martene Comment. in Sac. Reg. c. 4.
(s) Felix Egger lib. 2. pag. 604.

cœnobiis numerum excederet voluminum, quâ in te *P. Edmundus Martene* in exemplum adducit *Centulenſe* Monaſterium, in quo trecenti olim cum pueris centum degebant monachi; cùm tamen ibidem non eſſent codices trecenti, ut patet ex çatalogo librorum ejusdem monaſterii tempore Ludovici Pii confecto, & ab *Hariulfo* in Chronico Centulenſi relato, unde etiam horis ſecundùm regulam lectioni deputatis, uno legente alii ſæpiùs auſcultare cogebantur, eóque teſpexit S. BENEDICTUS, cùm dixit *lectiones ſanctas libenter audire.* Reſponderi tamen Patri *Martene* poteſt, uni codici ſæpe plures libros varil argumenti fuiſſe inſertos: id quod ipſe Chronographus Centulenſis (t) in fine Catalogi Bibliothecæ his verbis annotavit: „Omnes „igitut Codices in commune faciunt „numerum CCL. & VI. ita videlicet, „ut non numerentur libri ſigillatim, „ſed Codices, quia in uno codice „diverſi libri multoties, ut ſupra notatum eſt, habentur; quos ſi numeraremus, quingentotum copiam „ſuperatent. Hæ ergo divitiæ clauſtrales, hæ ſunt opulentiæ cœleſtis „vitæ, dulcedine animam ſaginantes, „per quos in Centulenſibus impleta „eſt illa ſalubris ſententia: *Ama ſcientiam ſcripturarum, & vitia non „amabis.*

Abbatum cura de adornandis Bibliothecis, inprimis Caſſiodori,

Operam tamen dederunt præſtantiſſimi quique viri ac Abbates, ut monaſteriorum ſuorum Bibliothecas quamplurimis, iíſque optimis locupletarent libris. Sic *Caſſiodorus* (u) non modicis ſumptibus univerſa emit Sanctorum Patrum Opera, Cypriani, Hilarii, Ambtoſii, Hieronymi, & Auguſtini; item hujus S. Doctoris operum omnium Συλλογὴ editam ab Abbate *Eugippio*; reticendo Patres Græcos, quorum etiam lectionem Atticam linguam callentibns ſummopetè commendabat. Inſuper quoscunque hiſtoricos, quos invenire potuit, collegit, tractantes præſertim de rebus populi Dei, & Eccleſiæ, ut ſunt *Joſephus*, *Euſebius*, *Oroſius*, *Marcellinus*, *Proſper*; Libtos item Sanctorum *Hieronymi* & *Gennadii*, in quibus agitur de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Item Hiſtorias Eccleſiaſticas *Socratis*, *Sozomeni*, & *Theodoreti*, quæ etiam, ipſo ſuadente, ab *Epiphanio Scholaſtico* Latinè verſæ, atque in unum corpus tedactæ, Hiſtoriæ, quam nunc *Tripartitam* dicimus, nomen dedêre. Tandem arbitratus eſt, operæ pretium eſſe, à Monachis perlegi libros de coſmographia, ac Geographia tractantes; Auctotes item Rhetoricorum, & qui de ortbograpbia ſcripsêre; iſtorum namque omnium lectio videbatur ipſi ad exactam ſacræ paginæ intelligentiam valde oppottuna. Addito, quòd cùm optaret, ſingularum materiarum generibns Bibliotbecam abundare, rariores quoque Medicinæ authores, hinc inde ſelegit, ut iis, ad quos ægrotantium cura pertineret, inſervirent, unde poſſent, agnitâ qualitate morborum, eorundem ſaluti opportunè conſulere.

S. Benedicti Biſcopi,

Venerabilis BEDA landibus celebrat *S. Benedictum Biſcopum* (x) Wiremuthenſem & Gerwicenſem in Anglia Abbatem, bonarum literarum fautorem maximum; qui quinquies Romam proficiſcens, & nunquam vacuus rediens ingentem optimorum libtotum copiam in unam Bibliothecam ad communem monachorum uſum coacervaverat, nec ſumptibus, nec labori, nec induſtriæ parcens, ut partim ex Gallia, partim ex Italia ſelectiſſimos quosque autbores tam Græcos, quàm Latinos coëmeret, atque in Angliam aſportatos ſuæ Bibliothecæ inferret. Cùm ultimo motbo decumberet (y), Religioſos inter cætera exhortatus eſt, ut Bibiothecã, quam Româ copioſiſſimam & præclariſſimam advexerat, ſollicitè integram ſervarent, ita ut libri nec per incuriam fœdarentur, nec ſparſim diſſiparentur.

Ceolfridi Abbatis,

CEOLFRIDUS, qui *Benedicto* in regimine monaſterii ſucceſſit, Romam etiam profectus eſt, nnde plures ſecum libros detulit, qnibus Bibliotbecam, quam in utroque monaſterio ejus anteceſſor conſtruxit, ornavit, ac locupletavit, de quibns agit V. Beda in vita Abbatum Wiremuthenſium. S. ACCA (z) Bedæ diſcipulus, ex monacho Epiſcopus Haguſtaldenſis, Epiſcopalem ſuam ſedem nobiliſſimâ Bibliotheca auxit & ornavit.

S. Benedicti Anianenſis,

S. BENEDICTUS, *Anianenſis* Abbas, è *Carolo Magno* in cunctis Imperii ſui cœno-

(t) Apud Acher. Spicil. Tom. 2. edit. in fol. p. 311.
(u) Mabill. Tract. de Stud. Mon. part. 2. c. vi. p. 24.
(x) Piſeus apud Mader. in epiſt. ad Conring.
(y) Mabill. Annal. Ben. tom. 1. pag. 588.
(z) Cave in Hiſt. Liter.

cœnobiis Generalis Reformator conſtitutus, omnem ſuum laborem, omnémque operam, ſtudium, ac curam adhibuit, ut, quoscunque poſſet, in omni diſciplinarum genere libros compararet. Gerwini, GERWINUS (a) Abbas Centulenſis, ab Hariulpho, ejus monaſterii chronographo non immeritò commendatur, qnòd magna librorum acceſſione cœnobii Bibliothecam auctiorem reddiderit. Roberti à Monte, ROBERTUM *à Monte*, Abbatem S. Michaëlis in Periculo Maris, virum doctum ac celebrem Hiſtoricum vocat Henricus (b) Huntidonienſis *tam divinarum, quàm ſecularium librorum inquiſitorem & coacervatorem ſtudioſiſſimum.* Gerberti, GERBERTUS (c) dictus Abbas Scholaris, poſtea *Sylveſter II. cum ſtudio bene vivendi ſemper conjunxit ſtudium bene dicendi*, quod utrumque ſibi in Republica occupato neceſſarium eſſe ep. 44. dicit. *Cui rei præparandæ Bibliothecam aſſiduè comparo, & ſicut Romæ dudum ac in aliis partibus Italiæ, in Germania quoque & Belgica ſcriptores, auctorúmque exemplaria multitudine nummorum redemi, adjutus benevolentia ac ſtudio amicorum comprovincialium*: Quod itidem poſtulat ab *Ecberto*, Turonenſi Abbate, ad quem hæc epiſtola ſcripta eſt; membranámque & ſumptus neceſſarios ſuppeditaturus, ſubdit: *in otio, in negotio, & docemus, quod ſcimus, & addiſcimus, quod neſcimus.*

Iterum aliorum Abbatum complurium.

Denique nt *Lupum* Ferrarienſem, *Boſonem* Virdunenſem, *Marcwardum* Corbeienſem, *Franconem* Affligemienſem, *Wicbertum* S. Michaëlis in Hildesheim, pluréſque alios rei librariæ ſtudioſiſſimos Abbates omittam, tantam Majorum noſtrorum in libris vel veteribus reparandis, aut novis comparandis extitiſſe curam, doctiſſimus noſter (d) *Maſſuetus* teſtatur, ut certorum quorumdam prædiorum annuos reditus ad Bibliothecæ augmentum aſſignatos conſecratóſque voluerint. „*Præclaram eâ de re*, inquit, „*conſtitutionem* UDONIS, *Abbatis S.* „*Petri Carnutenſis, habemus, ſuo loco* „*referendam.* Plures alios ſimiles ex„hibere liceret, quibus palàm fit, „majoribus noſtris nihil antiqtiius „fuiſſe, quàm ut ignorantiam à clau„ſtris modis omnibus arcerent, bo„nas literas foverent, Bibliothecáſ„que ſuas optimis quibusque libris in„ſtructas haberent. Qui etiam nunc „ſuperſtites manent, temporum eda„citati, ac tot incendiorum, & va„ſtationum calamitati ſubducti co„dices, eorum ſtudium ſatis ſupér„que commendant, poſteriſque cla„mare videntur, ut piiſſimorum pa„trum veſtigiis inſiſtentes, quod cœ„perunt, amplificent, & vanis, ac „inutilibus impenſis parcentes, eas „potiùs in deſolatas Bibliothecas „conſerant. Quid enim turpiùs, „quàm monachorum oculos frivolis „ac nugatoriis ornamentis paſcere, „dum Bibliothecæ libris vacuæ im„paſtam mentem ad inutilia ferre „cogunt? Hæc *Maſſuetus*, ſcriptor percelebris è Congregatione S. Mauri, cujus Patres religioſiſſimi pariter ac ſapientiſſimi exemplo Majorum ad caput Regulæ 48. in declarationibus ſtatuêre: *Et ne deſint codices in Bibliothecis dandi fratribus pro eorum captu, erunt ſolliciti Superiores, ut libris utilibus inſtruantur pro facultatibus cujuslibet monaſterii &c.*

Monachi Librorũ deſcriptores rem literariam augent.

Nec multi etiam privati Monachi oparam ſuam deſiderari paſſi ſunt, quominùs unusquisque ſui Monaſterii locupletaret Bibliothecam. Id quod libros ex aliis Bibliothecis deſcribendo inſigniter præſtiterunt. Sic *Caſſinenſes*, ſic *Fuldenſes*, *Augienſes*, *Sangallenſes*, *Corbeienſes*, *Hirſaugienſes*, aliique quamplurimi Bibliothecarum ſuarum forulos inſtruxerunt. Et de Fuldenſibus quidem memorat *Jacobus Schopperus*, STURMIUM Abbatem primum quadringentos monaſticæ diſciplinæ conſectaneos habuiſſe, qui utriusque linguæ auctoribus deſcribendis, & omnium diſciplinarum ac profeſſionum monimentis occupati fuerint. De *Sintrammo* Sangallenſi Ekkehartus ſequentia membriæ prodidit: *Mirari eſt hominem unum tanta ſcripſiſſe, quia in nominatiſſimis locis plerisque harum regni partium*, Sintramni *characterum libri S. Galli obſides habentur. Sed & hoc in homine mirabile erat, & ſingulare, quia quàm delicata ejus ſcriptura jucundè ſit directa, raró in pagina vel unius verbi mendacium inveneris raſum.* De *Salomone* ex Monacho Conſtantienſi Epiſco-

(a) Acher. in Spicil. Tom. II. edit. in fol. pag. 351.
(b) in Epiſt. ad Varinum. vide etiam Chron. Beccenſe ad an. MCLIV.
(c) Mabill. Annal. Tom. III. pag. 602.
(d) Præfat. Annal. Tom. V.

piſcopo hæc narrat idem cap. 1. pag. 21. *Erat ſcribendi linguâ manúque artifex, lineondi & capitulares ritè creandi præ omnibus gnarus.* Prolixior ero, ſi per ſingula ire voluerim; in omnibus enim Monaſteriis erat *ordo ſcriptorius*, qui libris deſcribendis operam dabat, adeò, ut ſatente Meibomio (e), *veterum Monachorum, labore & induſtriâ, ad nos ſolvi pervenerint omnium ſcientiarum libri, quos in monibus habemus.*

Bibliothecarum incrementa ex propriis ingenii monumentis.

Bibliothecarum etiam addiderunt incrementa, qui non ab aliis tantùm elucubratos deſcripſerunt libros, ſed proprio etiam Marte conſcripſerunt. De *Rabano Mouro* teſtatur Bruſchius: (f) *Bibliothecam Fuldenſem tantâ librorum multitudine locupletavit, ut dinumerari vix queant.* Quorum non paucos ipſe elucubravit, quos ſubinde in Fuldenſi Bibliotheca repoſuit. *Venerob. Beda* ſcriptis ſuis auxit Wiremuthenſem & Girwenſem, *Lupus Servatus* Ferrarienſem, *Walafridus Strabo* Augienſem, *Lanfrancus & Anſelmus* Beccenſem, *Sigebertus* Gemblacenſem, *Paſchoſius* Corbeienſem &c. &c. Quòd ſi verò ad tempora ab ætate noſtra minùs remota accedere velimus, obſtupui ſanè aliquando, cùm Auguſtæ Vindelicorum in Bibliotheca Monaſterii ad SS. Udalricum & Afram ingentem voluminum MSS. ſtruem conſpexi, quæ omnia à ſolo & unico *Corolo Stengelio*, ejuſdem loci alumno, libriſque in lucem editis celeberrimo, elucubrata fuerunt. Quid verò hîc de aliorum in Germania, Gallia, Italia, Hiſpania &c. Ordinis noſtri Autorum lucubrationibus dicam, quas omnes ſi enumerare vellem, æquô prolixior forem. Quid multa? Bibliothecæ in nullis monaſteriis inſigniores ſunt, quàm quæ ſuorum alumnorum ſcriptis ornantur.

Ex benefactorum munificentia.

Aliæ denique Bibliothecæ inſignes acceſſiones liberalitate acceperunt. Sic Leodii in Bibliotheca monaſterii S. Jacobi in Inſula reperiuntur codices bene multi, & bonæ notæ, magnâ ex parte à fundatore donati, quorum Catalogus tempore *Otberti*, primi Abbatis, ſcriptus hactenus viſitur. De *Anſegiſo*, Fontanellæ Abbate præclariſſimo, legendum eſt illius monaſterii Chronicon, ubi non ſuo tantùm, ſed Flaviacenſi etiam monaſterio magnam librorum vim contuliſſe memoratur. *Autbpertus*, Abbas Caſinenſis, vir diſertus & valde eruditus, Bibliothecam, quam habebat optimis cujusque generis libris inſtructam, cùm ſarcinam mortalem exueret, Caſinenſibus legavit. Eorum ſyllabus videri poteſt apud Joan. Bapt. Mar. in addit. ad Cap. XIII. Petri Diaconi de Viris Illuſtr. Caſin. Marchwartus Corbeiæ Novæ in Saxonia præclarus Abbas, circa annum 1097. legem fecit, ut quivis novitius in die profeſſionis ſuæ librum donaret Bibliothecæ utilem, & alicujus pretii. Joannes à Boſco (g) auctor eſt, in Academia Floriacenſi quemlibet diſcipulorum, qui oppidò frequentes fuerunt, didaſcalo ſuo binos codices MSS. quolibet anno offerre ſolitum fuiſſe: unde factum, ut ejus monaſterii Bibliotheca plus quinq; millibus Cod. MSS. recenſeatur: verùm iſthæc unde ſumpſerit, cùm minimè prodat, fides ſit penes authorem. Certius illud decretum Abbatis S. Benedicti Floriacenſis in Capitulo Generali: *Ego Mocharius, Abbas Monaſterii S. Benedicti Floriacenſis, videns Bibliothecæ noſtræ Codices vevetuſtate nimiâ carioſos ac tineâ rodente corruptos, od eorum refectionem, & novarum comparotionem ſeu membranarum &c.* Et infra. *Ego igitur, & qui ſuccedet mihi, viginti ſolidos annuatim dabo &c. Prior noſter decem ſolidos, Prior de regula decem ſolidos.* Hæc Conſtitutio habetur inter veteres conſuetudines Bibliothecæ Floriacenſis.

Jungamus veteribus nova. In Gallia D. *Prouſteau* (h) Jurium Profeſſor Clariſſimus in Univerſitate Aurelianenſi, ſummúmque ſplendorem eruditione ſuâ conſecutus, numeroſam Bibliothecam, labente hoc ſeculo, Benedictinis Aurelianenſibus teſtamento reliquit, tolerabili additâ conditione, ut per tres dies in ſeptimanâ illam ad publicum uſum apertam haberent; pro augendis verò libris aſſignata certa pecuniæ ſummâ. Eadem in Gallia paucis ante annis Bibliothecam Monaſterii ſancti Germani à Pratis tres inſignes benefactores, *Joannes d' Eſtrée*, Archiepiſcopus Cameracenſis, *Henricus Carolus de Cambout*, Epiſcopus Meten-

(e) V. *Tritbemius* de laude Scriptorum Manualium &c.
(f) Confer Jo. Lomeier cap. VII. de Biblioth. pag. 115. & 206.
(g) apud Acher. in Not. & Obſerv. ad vit. B. Lanfranci p. 35. & 36.
(h) le Cerf Bibliotheque pag. 22.

tenſis, *Euſebius Renaudot*, Vir clariſſimus ac doctiſſimus ſuis numeroſiſſimis tum editis tum manuſcriptis codicibus, atque adeò integris Bibliothecis adauxerunt. In Germania Bibliothecam (i) Univerſitatis Salisburgenſis ſub cura PP. Benedictinorum adjuvetunt ut plurimùm liberalitate ſuâ *D. Albertus*, Abbas S. Petri, & D. *Urbanus* Abbas Admonteuſis, uti & D. *Joan. Chriſtophorus Mezger* JCtus, Comes Palatiuus, ac S. C. M. Conſiliarius Imperio-Aulicus, qui poſt tres filios, *Paulum*, *Franciſcum*, & *Joſephum*, ad Dei obſequium in D. Petri monaſterio oblatos, Bibliothecam Academlcam aliquot inſignium librorum, & bis mille florenorum legato locupletavit, ornavitque. In Italia (k) Bibliotheca Cœnobii S. Juſtinæ à *Placido Pavanello* Patavino conquiſita, atque huic Cœnobio legata eſt; crevit poſtmodùm Mſ.tis Juridicis *Jacobi Zochi*.

Ichnographia perelegantis Bibliothecæ.

Gregorius Cortesius S. R. E. Cardinalis, cùm adhuc in Congr. Caſinenſi privatus eſſet monachus, provinciam conſtruendi pro Bibliotheca ædificii ab Abbate neſcio cujus monaſterii acceperat; quod ut quàm elegantiſſimum ſurgeret, nulli pepercit operæ. Ejus ichnographiam ſauè concinnam in epiſtola (l) ad eundem Abbatem his verbis deſcribit: „In Bibliotheca quoad noſtrum fieri poterit, elaborabimus, ut ea liberrimo cœlo, & plurimum luminis habeat, & ad ſalubertimam regionem proſpectus ſit, uti ne & libri facilè tineas procreent, & ſitu putreſcant compagines. Longa erit cubitis centum, lata autem triginta, triplici fornice teſtudinata, quorum medius aliquantùlum excelſiot erit, ea proportione, quam habet in homine ad humeros caput. Columnis hinc inde novem medius ipſe fornix ſuſtinebitur, ut ſcilicet intercolumniorum ſpacium ſit cubitorum decem. Epiſtylium ſuper capitula per totius Bibliothecæ longitudinem, pertinebit, ſub baſibus ſtylobatæ erunt. Sic enim & ad ſpeciem decentius & commodius ad uſum futurum eſſe judicatum eſt. Plutei interius exteriúsque libris farciri poterunt, à columnis ad parietes protenſi, ut tamen ambulationem duorum cubitorum derelinquant. Sub medio fornice pavimentum expeditum relinquitur, ambulationis gratiâ. Tu operam dabis, ut catenulæ ex auricalcho fiant non minùs quatuor millibus. Ad pluteos præterea tabulas ex larice quam plurimas ſi coemeris, eas nos miſſo ad te navigio adverſo flumine ſubvehi curabimus. De globis, in quibus & terrarum orbis & aſtrorum ſitus deſcribendus eſt, aliàs dabimus operam, ut quid nobis videatur intelligas. Vale.„ Hæc verò tam elegantis ſtructuræ Bibliotheca quin ſubinde copioſa ſelectiſſimorum librorum ſupellectile inſtructa fuerit, nullus dubitandi locus telinqnitut.

Bibliothecarum infelicia fata.

Sed eheu! multæ tot illuſtres, atque ornatiſſimæ Ordinis noſtri Bibliothecæ, partim belli temporibus per militum rapinas expilatæ, partim incendio abſumptæ (m), partim denique, ut alii infelices caſus ac triſtia fata ſilentio involvantur, dilaceratæ, diſſipatæ, malè cuſtoditæ, ac propemodùm neglectæ fuerunt, ita ut ex iugenti libtorum numero vix pauci ætate noſtra ſuperſint. Sic, ut nihil dicam de *Spanheimenſi*, *Floriacenſi*, *Cluniacenſi*, *Bobienſi*, atque *Corbeienſi* Saxonica (quarum priorum libri primùm Heidelbergenſi, tum Vaticanæ, tertiæ Genevenſi, quartæ Mediolanenſi S. Ambroſii, poſteriotis verò Guelpherbytanæ Bibliothecæ ceſſerunt) aliíſque quàm plurimis; ſeculo à partu Virginis octavo Bibliothecam id temporis periuſignem Monaſterii ad S. Vedaſtum apud Atrebates cum Eccleſia hoſtilis flamma abſorpſit. Ita quoque anno 1420. in excidio Monaſterii Poſtelportenſis (n) inſigniſſima (*ita eam MS.ta efferunt*) librorum ac voluminum Bibliotheca Huſſitarum flammis abſumpta eſt, cui parem, ſi Brevnovienſem excipias, nullum aliud fortaſſe cœnobium totâ Bohemiâ habuit. Nec libri ſolùm, ſed Religioſi etiam omnes (*quos centum longéque plures fuiſſe in comperto eſt*) ab Huſſitis (o) exuſti fuerunt. Ab iisdem Huſſi ſectatotibus eodem

anno

(i) Hiſt. Univerſ. Salisburg. Lib. I. cap. 6. n. LXIX. p. 107.
(k) Struv. Introd. in rem lit. c. 3. §. 25. pag. 281.
(l) Extat inter Corteſianas ep. famil. pag. 142.
(m) De Bibliothecis & libris igne abſumtis, vel per bella diſſipatis erudité egerunt *Richardus de Buri*, & *Joan. Joachimus Meſerus*, *aliique*.
(n) Crugerius Sac. Mem. Regni Bohemiæ 20. Maji pag. 124.
(o) Balbin. in Epit. Rer. Bohem. p. 384.

Brevnovienſis in Bohemia. anno Bibliotheca Regii & in Bohemia longè omnium ampliſſimi Aſceterii Brevnovienſis, vulgò *S. Margarethæ* propè Pragam, quàmplurimis, iisque optimæ notæ codicibus inſtructiſſima, igne ferróque devaſtata fuit. Superſunt (p) hodie non ita multi manuſcripti Codices è buſto tam inclytæ Bibliothecæ, etſi ipſi igne flam̄isque ambuſti, hoc eſt, nota & ſtigmate hæretici furoris inuſti. Anni non ita multi præterlapſi ſunt, cùm in Bibliotheca RR. PP. Soc. Jeſu antiquæ Urbis Pragenſis quatuor id genus codices inventi, legitimis ſuis Dominis reſtituti fuerunt. Omnes verò membranacei diverſa SS. Patrum opuſcula complectuntur. Apud eosdem RR. PP. Vetero-Pragæ ad S. Clementem in Bibliotheca MS. ſub N. 278. teſte *Boleluczkio*, aſſervatur Anonymi Brzevnovienſis Expoſitio Cantici, ſeu Hymni S. Adalberti. Alii Codices in aliis delitescunt Bibliothecis. Præ cæteris pretioſior habetur, qui Stok-Holmiam in Regiam Bibliothecam à milite Sueco diſtractus fuit; in eo enim varii argumenti Diplomata, Chartæ, tabulæ, Acta publica, Inſtrumenta, Regúmque literæ, quas manu propria ſubſcripſerunt, contineri dicuntur. Neſcio tamen, quo libro Brzevnovienſis Bibliothecæ dignitas & gloria com̄endari magis poſſit, quàm Actis SS. Ludmillæ & Wenceslai Regis ac Martyris à *Chriſtanno* Munacho Brevnovienſi conſcriptis.

Chriſtañi elogium. Erat is non de com̄uni hominum cœtu, ſed ipſius Ducis ac fratricidæ *Boleslai* filius, atque quod rei caput eſt, juxtà *Balbinum* primus, & omnium antiquiſſimus Bohemiæ ſcriptor; in quo nec prudentiam, nec pietatem cum eximia eruditione ac doctrina conjunctam deſideres. Quantum hoc Brzevnovii decus, quantus honor, quanta prærogativa, primum in univerſo Regno extuliſſe Scriptorem! *florem gloriæ decerpit, qui factum occupat.* CHRISTANNI verò codex manuſcriptus expilato & devaſtato Brzevnovio hodie cuſtoditur inter manuſcriptos codices Bibliothecæ Monaſterii Canonicorum Regularium S. Auguſtini Trebonæ in Bohemia, quem, etſi mutilatum, & in quo plurima deſiderantur, *Bohuslaus Balbinus* S. J. ad verbum deſcripſit, & in Hiſtorica Epitome Rer. Boh. typis vulgavit. Cæterùm jacturam veterum MſS.torum Codicum compenſâſſent hodie præſtantes libri, typis impreſſi, quibus R.mus Abbas BENNO II. magno numero multóque ære ex Italia, Belgio, Gallia, Germania comparatis Bibliothecam locupletavit, niſi hoſtis miles, irruptione in Bohemiam facta, eandem ſubinde anno 1742. expilâſſet: *Impius hæc tam culta volumina miles habebit? Perfidus hos libros?* Non habet; ſed diſſipavit, diſtraxit, divendidit, utì me literæ R.mi Abbatis *Benonis* die 13. Januarii anno 1743. edocuerunt, qui complures ære redemit, novósque adjecit. Diem verò ille ſuum explevit 2. Decembris 1751. Eique ſucceſſor datus *Fridericus Grundman* rei literariæ ac librariæ cultor maximus.

Aliarum. Anno 1562. Monaſterii *Altivillarenſis* nobiliſſima Bibliotheca unà cum ædificiis à Calviniſtis in ſavillas redacta fuit, ut vix tres aut quatuor MSS. Codices ex incendio evaſerint. Anno 1546. die S. Galli à Lutheranis Ulmenſibus Cœnobium Imperiale Elchinganum, Ulmâ uno milliari Germanico diſſitum, incenſum, ac univerſum penè deletum eſt, in qua calamitate fecit monaſterium jacturam ducentorum millium aureorum, & inſignis Bibliothecæ. Quid? quòd iidem Lutherani Ulmenſes MſS.tos Codices Monaſterii S. Crucis, quod eſt Werdeæ Suevorum, publico foro ignibus concremârint. (q) A Suecis verò tricennalis belli tempeſtate præter alias plurimas expilata fuit Bibliotheca Werdinenſis, celeberrimæ in Diœceſi Colonienſi Abbatiæ à S. LUDGERO fundatæ. Inter cæteros rariores libros *Ulfilæ codicem argenteum* abſtulerunt, qui in Sueciam translatus, ibíque in Regia Bibliotheca inter rariora regni cimelia habitus, ab *Iſaaco* autem *Voſſio* ſurreptus, ac *Franciſco Junio* quatuor millium Imperialium pretio divenditus, ab eodem Caroli XI. Regis Suecorum juſſu majori pecunia redemptus fuit.

Clades Bibliothecarum in Anglia. Joannes Lelandus in celebri ſuo Opere de Scriptoribus Angliæ „ Danos, ceu piratas diis & hominibus „ inviſos execratur; hos enim, quis „ ignorat? per ducentos & quinqua- „ ginta ferè annos ita totius Britan- „ niæ monaſteria ſpoliâſſe, confu- „ diſſe, devaſtâſſe, ut inter cætera „ ingentia mala multis in locis flam̄is „ omnia conſumentibus, ne pagellam „ qui-

(p) Epit. hiſt. Monaſt. Brev. cap. 11. pag. 168.
(q) Adeò verum eſt, quod *Eraſmus* adſeveravit; *Ubi Lutheraniſmus, ibi literarum eſt interitus.*

„ quidem librorum, proh ſcelera! „ non violatam reliquerint. „ Quæ tamen de iis ſolùm libris intelligenda veniunt, qui eorum furori atque ſævitiei haud maturè ſubducti fuerunt. Teſte enim eodem Lelando, Monachi Lindisfarnenſes, Coquedani, Tinomutenſes, Gerovicenſes, Veromutenſes, Haguſtaldenſes, Sinuspharenſes, Leſtingani, Ripodunenſes, Deiroſylvani, denique Eboracenſes, Danorum tyrannidem miſeri fugientes aliquam rei librariæ ſupellectilem ſecum detulerunt, & in dies conſervârunt, quas felices aliquando futuras ſperabant. Nec ſpe ſuâ evoluti fuerunt. Tum verò illata Bibliothecis damna ut reſarcirent, nil potiùs habuerunt. Alios libros tranſcripſerunt, alios pretio comparârunt, alios denique magno numero ipſi elucubrârunt. Per multas igitur annorum centurias Benedictini Angli in pleriſque monaſteriis inſtructiſſimas habuerunt Bibliothecas. Quando autem, ut nec ipſe *Henricus Warthonus*, tametſi à ſacris Romanis averſus, cum aliis Scriptoribus ſuæ gentis acatholicis diffitetur, *avarâ ſeculi ſuperioris iniquitate monaſteria everſa ſunt, tum etiam eorum Bibliothecæ direptæ, laceratæ, viliſſimis uſibus, vel etiam flammis damnatæ.* Excutiat deinde quis Catalogos Mſs. Codicum Bibliothecæ Cottonianæ, Bodleianæ, aliarúmque plurium, quæ ex horrenda religioſarum ædium ſtrage in Anglia ſub *Henrico VIII.* fataliter inducta virorum doctorum opera collectæ fuerunt, in quibus quàm plurima Mſ.ta à Benedictinis elucubrata recenſentur. Præfatus enim Lelandus, celebris Antiquarius, diplomate regio munitus, ab Henrico emiſſus fuit, ut univerſas per totam latè Angliam Bibliothecas perluſtraret, & libros rariores & vetuſtiores undique conquireret. Quod ille negotium tanta per ſexennium alacritate eſt executus, ut exemplaria plurima vetuſtiſſima in Bibliothecam regiam ejus operâ tranſlata, & ingens itidem collectaneorum copia Londinum ab ipſo traducta fuerit.

Glaſtonienſis, Præ cæteris Bibliotheca Monaſterii *Glaſtonienſis* à Lelando celebratur, quòd ingentes librorum theſauros, veneranda planè antiquitatis monumenta poſſederit.

Caſtrenſis, *Bibliotheca monaſterii Caſtrenſis* ſua incrementa potiſſimùm Ranulpho Higdeno, ejus loci monacho, & cum primis celebri Hiſtorico debuit. Is enim collegerat in cœnobii ſui Bibliothecam non modò authorum, qui de rebus externis ſcripſerunt, ingentem numerum, verùm etiam illorum, qui res Britannicas poſteritati commendârunt.

Bibliotheca Rameſienſis Monaſterii libros Hebraicos tanto numero poſſedit, quanto nulla alia per Angliam habuit. Hanc librariam verò ſupellectilem duo Gregorii, *Venantodunenſis* & *Huntingtonus*, Monachi Rameſienſes potiſſimùm comparârunt. Res verò ſic accidit. *Guilielmus Nortomannus*, Anglorum Rex, ejus & appellationis primus, Judæis permiſit, ut à Rothomago commigrarent in Angliam. Unde brevì hæc gens per urbes, atque adeò oppida celebriora omnia regni ſparſa eſt, poſitis de more Synagogis, in quibus accuratè Rabbinorum ſuorum dogmata perlegebant. Excrevit infinitè quantum Judæorum in Britannia numerus, atque unà avaritia & amor fœnoris impurus. Angli eorum ſordes aliquanto ſuſtinebant tempore; tandem imperio Richardi ad manum perventum eſt; & Judæi inſigniter multati. Poſteà regnante Eduardo Longo, fortunæ Judæorum fiſco adjudicatæ regio, & eisdem exilii pœna propoſita. Tum Synagogis profanatis Venantoduni & Stenofordæ ſupellex omnis ſub haſta venum expoſita, unà cum librorum theſauris. Ubi autem Gregorius Venantodunenſis hanc auctionem factam eſſe intellexerat, vicinus atque idem numatus feſtinanter accurrit, ac dato pretio aurea pro æreis facilè comparavit, & lætiſſimus domum rediit. Quod idem Gregorius Huntingdonus, Prior in Cœnobio Rameſienſi Latinæ Græcæque & Hebraicæ etiam linguæ peritus feciſſe à Lelando perhibetur. Librorum Hebraicorum ab utroque diligentiſſimè collectorum catalogus Bibliothecæ Rameſienſis luculentam juxtà ac honorificam mentionem utriusque facit. Sed & idem catalogus accuratè recenſet Hebraicos theſauros divina volumina à Roberto Dodeforto Monacho Rameſienſi, ſacræ linguæ perito, religioſè comparatos.

(Rameſienſis libris Hebraicis dives.)

Bibliotheca Monaſterii S. Albani in Anglia non habuit, ut ulli alteri totius regni Bibliothecæ invideret, habuit verò, ut Joanni Lelando ſuccenſeret, à quo optimis quibusque libris ſpoliata fuit, ut iisdem palatinam Henrici VIII. Bibliothecam inſtrueret, San-Albanenſis.

atque exornaret. Hic ipſe eruditus expilator eam divitem præſtantium veterum codicum vocat officinam. Vixerunt nempe in hoc Monaſterio Matbæi Pariſii, Rogerii de Vendovera, Guillelmi Rishangeri, Richardi Wallingfordii, aliíque non pauci ingenuarum artium ſcientiâ perpoliti viri, qui omne tempus, quod à rebus divinis & monaſticæ vitæ exercitiis reliquum habuerunt, in literis poſuerunt, atque aliquid aſſiduè, quod & Bibliothecæ cùm augmento tum ornamento, aliis verò uſui eſſe poſſet, excuderunt. Quibus verò minor doctrinæ copia fuit, ad libros deſcribendos, quibus Bibliothecæ foruli auctiores redderentur, omnem operam ac induſtriam ſuam contulerunt. Acceſſit quorundam Abbatum in rem bibliothecariam inſignis amor, ac munificentia. Certè Simon Abbas XIX, ut Mathæus Pariſiis (r) acerrimus morum cenſor, teſtatur, omni egregiæ virtutis laude cumulatiſſimus, ita literarum maximè ſacrarum amore incenſus erat, ut eâ, quâ ubique plurimùm valebat authoritate & gratia permagnam optimorum librorum copiam ex universa Anglia diligentiſſimè collegit. Et quidem quod ad volumina authentica & gloſſata tam novi quàm veteris Teſtamenti attinet, ſe non vidiſſe meliora idem Pariſius teſtatur. Quæ omnia Abbas Simon ſcribere, & ad unguem irreprehenſibiliter præparare juſſit. Quorum numerum longum foret explicare, ut Pariſius proſequitur. Sed qui eosdem libros videre deſiderat, in Almario picto, quod in Eccleſia contra tumbam Sancti Rogeri Heremitæ (quod & ipſe præcepit ad hoc ſpecialiter fieri) repoſitos poterit reperire: & qualis amator Scripturarum idem Abbas extiterit, per ipſos perpendere. Notandum quoque, quòd iſte imortalis memoriæ Abbas *Simon*, duos vel tres electiſſimos Scriptores continuè in Camera ſua honorificè ſuſtinuit, unde librorum optimorum copiam impretiabilem ad unguem præparavit. Et in ſpeciali Almario repoſuit picturato. Scriptorium quoque tunc temporis ferme diſſipatum & contemptum reparavit, & quasdam laudabiles conſuetudines in ipſo innovavit, & ipſum ampliavit redditibus. Ita ab omnibus ſequentibus temporibus debeat Abbas, qui pro tempore fuerit, unum habere ſpecialem. Atque hac ratione & ordinatione fieri non potuit, ut S. Albani Bibliotheca mſ.tis codicibus non redderetur refertiſſima. Catalogum verò librorum in diſſolutione monaſteriorum excidiſſe dolent eruditi. Mihi metra quædam poſita in feneſtris hujus Bibliothecæ (s) afferre liceat, è quibus, qui potiſſimùm libri in ea conſervati fuerint, non nihil conſtabit.

Metra poſita in feneſtris in domo libraria Monaſterii S. Albani in Anglia:

Decor *Donatus* ſum radix gramaticatus
Ortographúsque vocor *Dindimus* hicque locor.
Sum quantus dat opus minus & majus Priſcianus
Derivans quis ego fert ſtilus *Hugucio*.

Rhetor eram magnus *Marcus Cicero* vocitatus,
Alter ego dictus *Saluſtius* æmulus ejus,
Ipſe Poëta fui, primúsque poëtica ſcripſi, *Muſæus.*
Ipſe ſecundus ei manes modulamine flexi. *Orpheus.*
Dicor *Ariſtoteles*, direxi philoſophantes,
Ac ego *Porphyrius* doctor monui logicantes,
Nuncupor ipſe *Plato*, moralibus civibus apto;
Ipſéq; *Pitagoras* do normas moribus aptas.
Dixi quis cubicus numerus ſit quisque quadratus, *Chriſippus.*
Ac ego cur impar numerus mas fœmina ſit par, *Nicomachus.*
Dixi quot *Guido* moduli ſunt in monacordo,
Quotque tenet cithara un-chalúsve viella.
Euclides vocitor, magnus fueram *geometer*,
Circi quadrator *Archimedes* ego dicor.
Maximus aſtronomus reputatus eram *Tholomæus*,
Magnus & *Albimaſar* introductor vocitabar.
Doctor eram minimus, docui magis ipſe---
Paſtor & exiguus rexi magis imò regendus.
Mitram depoſui, libro ſtudióque vacavi
Ruffus eam ſumpſi loca libris hæcq; paravi.
Lator eram veteris primævus ſcribáq; legis *Moyſes*
Frater erámque ſuus primus legisque ſacerdos. *Aaron.*

Sol legis fueram Rabi-Moyſes mihi nomen,
Ipſéque ſal legis Rabi-Salomon vocitatus.

Claviger eccleſiæ ſera legis erámque novellæ *Petrus.* *Aaron.*
Legiſer in gentes legem docuique ſalutis, *Athanaſius*
Dixi ſimbolicè quæ debet credere quisque, *Alexan.*
Scripſi retoricè quis quomodo crederet, atque *Johan. Conſtant.*
Duximus in quinos duo legum millia libros *Juſtin. Imp.*
Junximus & ſparſas multas in Canone cauſas. *Accurtius.*
Legum doctor eram, dubias patulas faciebam. *Hugutius.*
Regula clauſtralis per me viget & monachalis *Benedictus.*

Per

(r) in vit. Abbat. S. Alb. pag. mihi 91. & 93.
(s) ex Monaſtico Anglic. tom. 1. pag. 184.

Auguſtinus. Bernardus Caſinenſis. Nicolaus Trevet.

Per me lata priùs ſtat normáque Canonicatus.
Illius dubia declaravi quaſi cuncta,
Iſtius obſcura manifeſtavi quoque plura.

Magnus eram medicus, *Hypocras* ſum nomine dictus,
Alter & egregius vocitatus etam *Galienus.*

Guilielmus Chirurgus. Brunus Chirurgus. De rerum creſcentiis. Paladius. Virgilius. Petrus Bartholomeus de rerum naturis.

Emplaſtri cura ſanavi vulnera plura.
Oſſáque confracta mea fecit potio recta.
De agricultura dederam nova dogmata plura,
Artéque de ſimili poſt paſcua rura retexi.
Quomodo plantabis vites docuique putabis
Quando ſerésque metes ſcripſi quoque florida carpes.

Non minùs libris ac codicibus locupletes fuerunt Bibliothecæ Monaſteriorum, ut vocant, Cathedralium.
„ Sunt itaque (loquor cum Roberto
„ de Monte Seculi XII. Scriptore Ap-
„ pend. ad Sigibertum) in Gualia IV.
„ Epiſcopatus, in Anglia XVI. In octo
„ eorum ſunt Monachi in Epiſcopali-
„ bus Sedibus; hoc in aliis provinciis
„ aut nunquam, aut raro invenies:
„ ſed ideò in Anglia reperitur, quia
„ primi prædicatores Anglorum, ſci-
„ licet Auguſtinus, Mellitus, Juſtus,
„ Laurentius Monachi fuerunt. In
„ aliis octo Epiſcopalibus Sedibus Ca-
„ nonici ſeculares; in una Canonici
„ Regulares. „ Priusquàm Henricus VIII. Monaſteria hæc Cathedralia cum cæteris diſſolvi juſſit, Benedictini inſtructiſſimas in iisdem habuerunt Bibliothecas. De *Cantuarienſi* Lelandum (t) verba facientem auſcultemus.

San-Auguſtiniana Cantuariæ.

„ Quid ſi nunc, inquit, & Biblio-
„ thecam *Auguſtinianam*, cujus ſuprà
„ mentionem feci, poſteritati com-
„ mendem? An non hoc pacto anti-
„ quarum rerum admiratoribus gra-
„ tum facerem? Accipite igitur vos
„ antiquarii, quæ vulgò incognita
„ ſunt. *Auguſtinus* à Gregorio Mag-
„ no in Britanniam miſſus multa cùm
„ Latina tum Græca exemplaria per
„ amicos in Italia comparavit, & ad
„ ſe deferenda curavit; quæ omnia
„ moriens, tanquam virtutis pignora
„ monachis ſuis reliquit. *Græca* par-
„ tim violentia temporis, partim igne,
„ partim etiam furto ſublata ſunt.
„ Ex Latinis autem codicibus, majuſ-
„ culis literis Romanis more veterum
„ ſcriptis, hi etiam nunc extant, incre-
„ dibilem præ ſe ferentes antiquita-
„ tis majeſtatem. videlicet duo volu-
„ mina quatuor Evangelia complec-
„ tentia, ſed alius quàm vulgaris in-
„ terpretationis. Pſalterium etiam
„ ab ipſo Hieronymo Damaſo Ponti-
„ fici Romano dedicatom, quod qui-
„ dem vel archetypum eſſe, libenter
„ crediderim. Inſuper duo elegantiſ-
„ ſimi in Pſalmos commentarii, qui
„ præ nimia vetuſtate lectorem non
„ admittunt, niſi oculatiſſimum. Sed
„ nusquam in illis comparent autho-
„ rum nomina. Extant & ibidem
„ *Philippi* in Job *Commentarii*, ut alios
„ multos non protritæ notæ autho-
„ res, qui jam mihi per ſuos non oc-
„ currunt titulos, omittam. Qui
„ verò Auguſtini ætatem ſecuti ſunt
„ Archiepiſcopi *Cantiani* & Abbates,
„ hanc Bibliothecam magnis ſtudiis
„ & impenſis auxerunt. Inter quos
„ tamen *Theodorus Cilix* & *Adrianus*
„ *Afer* præcipui erant; uterque opti-
„ mus, uterque planè doctiſſimus, &
„ certè quibus tota reſtitutas linguas
„ debuit Britannia.

„ Nunc ut de incremento *Auguſti-*
„ *nianæ* Bibliothecæ commodè dixi-
„ mus, ita & de ejusdem decremento,
„ nam rerum omnium viciſſitudo eſt,
„ paucula quædam dicemus.

„ Regnante *Ethelredo*, patre *Edou-*
„ *ardi* tertii, depopulatores Dani Can-
„ tiorum metropolim immiſericorditer
„ devaſtaverunt: quô tempore quam-
„ quàm utcunque parcitum ſit *Au-*
„ *guſtinianis*; tamen in tanto tumul-
„ tu defloratam fuiſſe Bibliothecam
„ veriſimile eſt. Illud autem vel *Gu-*
„ *lielmo Thorno* auctore in confeſſo
„ eſt, quod eccleſia Auguſtiniana
„ conflagraverit anno D. 1168. quæ
„ calamitas magnam vim bonorum
„ authorum, ut idem eſt teſtis, abſtu-
„ lit. At quæ ſecuta eſt ætas, multò
„ majorem literis intulit injuriam:
„ nam indocti monachi Græcos codi-
„ ces non intellectos, & Latinos præ
„ ſenio ipſis parùm amabiles, in fo-
„ rulorum uſus, ut nihil vilius dicam,
„ diſcerpſerunt. Ad noſtra tamen
„ tempora pars aliqua veteris Biblio-
„ thecæ integra permanſit. Satis
„ enim novi multos præclari nominis
„ Scriptores ab Auguſtinianis in Pa-
„ latinam illuſtriſſimi Principis mei
„ *Henrici*, ejus appellationis octavi,
„ Bibliothecam aliquot abhinc annis
„ fuiſſe

(t) de Script. Angl. cap. 287. pag. 300.

„ fuiſſe translatos. Atque ut in hac „ parte de me ipſo etiam pauca lo- „ quar. Sunt aliquot penes me ex- „ emplaria, non indocta ab Augu- „ ſtinianis ſumpta, quæ propediem „ in lucem prodibunt. „ Hæc Lelandus, qui poſt tot Bibliothecarum ſpolia demum & ipſe mente ſpoliatus miſerè interiit. Cæterùm Catalogum librorum manu exaratorum Cantuarienſis Bibliothecæ, vide ſis inter Catalogos Mſs. Codd. Bibl. Angl. tom. 2. p. 223. quem niſi Cl. Bernardus Montfauconius non ita pridem ſuæ Bibliothecæ Mſtorum Codicum inſeruiſſet, hîc appoſuiſſem. Omiſſo igitur celeberrimæ hujus in Anglia Benedictinæ Bibliothecæ catalogo, enumerare juvat nonnullas Bibliothecas, quæ in aliis regnis ac provincils inter cæteras magis præcipuæ, celebréſque habentur. Ut verò ab eo ordiamur loco, unde Ordo ſua ſumpſit exordia, ſit

§. I.

De Bibliothecis Italiæ.

Bibliotheca Caſinenſis.

Bibliotheca Caſinenſis, novo opere (u) constructa eſt prope Capitulum. Ejus ſtructura eſt concamerata aula, cujus plutei & ſtylobatæ anaglyphis ornatæ, ſtriatæque columnæ. Pluteorum ſcapi ordinis compoſiti, quibus incumbunt dimidiatæ ſtatuæ quoſdam ex Ordinis noſtri Doctoribus exhibentes, ex nuce ſunt (u): libri omnes de novo eâdem formâ operti. Superſunt hodie volumina manuſcripta ſupra quingenta, licèt plura fuerint inde extracta, & in Vaticanam aliáſque Bibliothecas translata. Et verò Mabillonius quoſdam membranaceos codices in Vaticana invenit: in his unum, in quo Gregorii & Victoris III. de Sancto Benedicto Dialogi, & quidquid ad ſanctum Patrem pertinet, continentur, cum variis monachorum atque Abbatum figuris, in quibus cuculla atra, toga alba depingitur. Inedita ſunt quædam, nempe liber *Scintillarum* ſeu *ſententiarum*, quas ex Catholicis Patribus excerpſit *Defenſor Grammaticus & monachus Lociagenſis* apud Pictones, vetus auctor, ut qui nullum è Patribus Iſidoro poſteriorem adducit: Eſt & aliud ejuſdem argumenti *Joannis Abbatis*, ejus ſcilicet, qui libros tres de vita Odonis, Abbatis Cluniacenſis, compoſuit; *Opuſculum, ex Gregorii Moralibus defloratum*: in quo auctor alia ſua ſcripta commemorat. Anonymi etiam *liber de ſacra expeditione* tempore Urbani II. Multa ibidem *Petri Diaconi*, & aliorum opuſcula itidem inedita. Ex Martyrologio veteri diſcimus, Thomam Aquinatem Caſini monachum fuiſſe, antequam in Dominicanorum religionem convolaret. Ita enim de eo Nonis Martii, ſecundâ quidem manu, ſed ante annos trecentos adſcriptum legitur: *Nonis Martii apud Foſſamnovam, Natale Sancti Thomæ Confeſſoris, viri eruditiſſimi, qui oriundus de Aquino, primò Caſinenſis monachus factus, poſtmodùm in Ordine beati Dominici frater Prædicator effectus, ſuâ multiplici & fructuoſâ doctrina illuminavit valde Eccleſiam ſanctam Dei.*

Codex Græcus &c.

In eadem Bibliotheca habetur codex Græcus bonæ notæ, quædam Gregorii Nazianzeni opera complectens, quædam etiam Sancti Nili *de Chriſtiana Philoſophia*, quô codice ad hunc librum è Græco transferendum in Latinum non uſus eſt Iſidorus Clarius, ut Mabillonius in Itinere ſuo Italico exiſtimavit, ſed Iſidorus Montacutus, Monachus Florentious. Mabillonium conjectura ſua fefellit, ut Armellinus in Bibliotheca Benedictino-Caſinenſi part. 2. pag. 57. & 60. commonſtrat. In alio codice Græco quædam item *Johannis Damaſceni*. Ex Latinis potiores ſunt codices, qui *Ferrandi Diaconi* epiſtolas, Auguſtini operis imperfecti libros tres contra Julianum; *Gregorii Turonenſis* Epiſcopi hiſtoriam, quæ in nonnullis ab editis differt; *Auxilii Presbyteri* quæſtiones in Geneſim, *Palladium de re ruſtica*, & *Frontini* librum de *Aquæductibus* continent. Hoc Poſtremo Caſinenſi codice uſus eſt Poggius ad vulgandum prædictum Frontini librum, quem, quia deficiente editô conferre Mabillonio non licuit, integrum deſcripſit. At falluntur, qui pro *Frontini* ſœtu habent. Eſt enim particula libri IV. M. Varronis de lingua Latina. Vid. Joan. Bapt. Morgagni Epiſtola tom. IV. Opuſc. pag. 1. Mabillonius etiam in Itinere ſuo Italico facilitatem & benevolentiam Bibliothecarii Caſinenſis deprædicat. Erat

(u) Ex Mabill. Muſ. Ital.
(x) Gattola in deſcript. Monaſt. Caſin. Sec. IX.

Erat is pius & cordatiſſimus Domnus *Eraſmus à Cajeta*, qui manus ad ſcribendum, & ſe ipſum totum in Mabillonii uſus impendit. Unum tamen ſibi defuiſſe dicit ex Caſinenſi Bibliotheca volumen, quod inſpicere non potuerit, illud ſcilicet, quô uſus eſt Lupus Auguſtinianus ad vulgandas inſignes illas epiſtolas, quæ ad Concilium Epheſinum pertinent. Inquirenti Mabillonio dictum eſt, Romam fuiſſe miſſum, poſtulante R. P. Procuratore Generali, qui poſt reditum ſuum aſſeruit, illum codicem eſſe in palatio Apoſtolico, nec quidquam aliud de eo à quoquam elici valuit. Hic ipſe codex etiam Stephano Baluzio novam Conciliorum collectionem adornanti in magno deſiderio fuit, ſed in caſſum. Æquè parùm enim illius copiam nanciſci potuit atque Mabillonius nactus fuerat. De aliis quibusdam codicibus aliqua obſervat Mabillonius loc. cit. quæ brevitatis causâ hîc omitto.

Adhæc in Bibliotheca Caſinenſi extant veteres loci ritus ſub *Berthario* Abbate, ubi jejunia eccleſiaſtica tempore æſtatis ad nonam, alio tempore ad veſperam usque præcipiuntur. Hæc, inquam, ſub Berthario Abbate, cui à Leone Oſtienſi & Petro Diacono non immeritò, ut Fabricio (y) contra Mabillonium videtur, liber *Anticimenôn*, id eſt, *quæſtionum de libris veteris & novi Teſtamenti* tribuitur.

Bernardus Montfauconius, qui hanc etiam Bibliothecam luſtravit, Mſ.torum codicum feſtivam ſupereſſe copiam teſtatur. Eorum, inquit, notam peramplam cùm Græcorum, qui pauciores comparent, tum Latinorum excerpſimus, quæ ſuo loco, Deo dante, proferetur. Fidem præſtitit in Bibliotheca Mſs. Codd. an. 1739. typis excusâ, ubi eorum texit catalogum.

Plerique verò vetuſti MSS. Codices ſunt membranacei, majorem partem Langobardicis characteribus, utì vocant, conſcripti, quibus magno emolumento uſi ſunt viri eruditiſſimi, Cæſar Baronius, Carolus Sigonius, Villapandus, Felix Contilorus, Lucas Holſtenius, Camillus Peregrinus, Ludovicus Ferrarius, Antonius Coracciolus, & Pagius, Iſidorus Clarius, Abrahamus Bzovius, Chriſtianus Lupus, Michaël cognomento Monachus, Joannes Mabillonius, Joannes Bollandus ejúsque continuatores, Ferdinandus Ughellius, Leo Allatius, Bartholomæus Chioccarellus, Philippus Ferrarius, Dominicus & Carolus Macrii Fratres, Laurentius Zaccagna, Joannes Ciampinus, Joannes Polenus, Theodericus Ruinartus, Edmundus Martene, aliíque, ut domeſticos omittam. Unde non immeritò Joannes Baptiſta Marus Romanus, Sancti Angeli in Foro Piſcium Canonicus, in doctiſſimâ præſatione ad opuſculum Petri Diaconi, de Viris Illuſtr. Caſin. magnoperè inclytæ hujus Bibliothecæ Præfectos à facilitate & ſtudio humanitatis erga viros literatos comendans, inter cætera hæc habet:
„Quòd ſi, ſtudioſe Lector, amor
„ſtudiúmque literarum te incen-
„dit, ex polymathiæ Caſinenſis
„theſauris aliqua iſtorum Heroum
„literariorum ſcripta transſcribere,
„vel excuſa cum MSS. conſerre; ſci-
„to, te quàm facillimos habiturum
„eſſe Caſinenſes, qui ſtudio gloriæ
„divinæ, benevolentiæ, ac liberalita-
„te paratos ſe offerunt, tibi illa pro-
„dere; & tanquam te veterum ſcri-
„niorum excuſſorem, manuſcripto-
„rúmque exemplarium conquiſito-
„rem agnoſcentes ad illa evulganda
„exhortabuntur, impellent, gratíque
„animi calcaribus perurgebunt.„

Florentina S. Mariæ, Græcis codicibus abundat.

Bibliotheca inclytæ Abbatiæ S. Mariæ Florentiæ. In hac multi ſunt codices Græci bonæ notæ præter Latinos. E Græcis *Philonis Opera Philoſophica*, & de vita Moſis; item liber de opere ſex dierum: *Chryſoſtomi homiliæ* in Geneſim non ſemel, ejusdémque varii ſermones: *Catena in Matthæum*, item alia in Lucam, utraque veterrima. *Gregorii Nazianzeni ſermones*; *Acta Sanctorum*, venerandæ antiquitatis: *Thucididis hiſtoria*; item *Herodoti & Polybii*, bonæ notæ; *Euſebii hiſtoria* mediæ ætatis; *Platonis* pleraque opera in multis codicibus; *Luciani* ſermones LXXX. aliáque ejusdem. Acta Cœnobii Florentini, item Scholarii ſermones ad Patres ejusdem Concilii: denique, ut multa alia prætermittamus, codex antiquus optimæ notæ, in quo Xenophontis varia opera, *Dionyſius Halicarnaſſæus* de compoſitione navium, & *Theophraſti characteres*. Hæc de Græcis. In Latinis codex annorum DCCC. Rufini hiſtoriam comprehendit, alius *hiſtoriam*

(y) Bibl. med. Lat. lib. 2. p. 52.

Auguſtam, alius denique *Quintiliani inſtitutiones* eleganter ſcriptas. Poſtremò *Teuzonis* monachi commentarium in Regulam S. Benedicti cum prævia epiſtola ad Odelricum Epiſcopum. Vivebat Teuzo iſte ante annos ſexcentos, ſcilicet tempore beati Johannis Gualberti. Hæc omnia argumento ſunt, literarum maximè Græcarum ſtudia in illa S. Mariæ Abbatia olim viguiſſe. Bernardus Montfaucon in Itinere ſuo per Italiam literario codicum nobiliſſimæ hujus Bibliothecæ, cùm Græcorum, tum Latinorum, qui Mſ.ti magno ibi numero ſunt, notitiam excepit, quam primùm Diario ſuo Italico, tum Bibliothecæ Mſ.torum Codicum intexuit.

Padolironenſis. Monſterium S. Benedicti *Padolironenſis* totius Italiæ ampliſſimum eſt, quod latifundia poſſidet, quanta vix aliud. *Padolironenſe* autem dicitur, quia inter Padum & Lironem ſitum eſt. Hujus Abbas erat, ex Beliſanorum familia in Gallia nota, vir perhumanus officióque plenus, quò tempore Bernardus Montfauconius iter literarium in Italiam confecit. Quo teſte Bibliotheca codicibus Latinis tantùm manuſcriptis bene multis exornatur. Brevem eorum ſyllabum ex ejus Diario Italico afferimus:

Codex Bibliorum membran. x. ſeculi.

Origenis operum codex membran. ejuſdem ætatis.

Codex x. ſeculi membran. Hieronymi epiſtolæ.

Codex x. ſeculi membran. Ejuſdem Commentaria.

Codex ejuſdem ætatis, *Hieronymi de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, in quo item quædam *Caſſiodori*, & in fine *Probæ Falconiæ* carmina. Ad calcem autem legitur: *Proba uxor Adelphi, mater Olibrii & Aliepii* (ſic pro *Alypii*) *cùm Conſtantini* (ſic pro *Conſtantii*) *imperatoris bellum adversùs Maguentium conſcripſiſſet, conſcripſit & hunc librum.*

Codex xi. ſeculi membran. ſic inchoatur: *Incipit Tractatus primus S. Ambroſii Epiſcopi de Epiſt. Pauli ad Romanos. Deinde ſequitur tractatus Domini Remigii Venerabilis Monachi, & eruditiſſimi Commentatoris. In omnibus autem nomen ſuum tacuit, ut cum ſapientia culmen quoque humilitatis attingeret.*

Codex xi. ſeculi Gregorii Magni in Job.

Codex xiv. ſeculi, Epiſtolæ ejuſd.

Codex alter xii. ſeculi Gregorii Morales in Job.

Codex noni ſeculi, *Iſidori* Hiſpalenſis, & *Juliani* Toletani Opera.

Codex magnæ molis undecimi ſeculi, *Burchardus* de poteſtate & primatu Apoſtolicæ Sedis.

Claudii Taurinenſis Commentum in Ruth & libros Regum.

Codex xii. ſeculi, Hugonis de clauſtro corporis & animæ.

Alii item multi codices iſtic habentur operum Auguſtini, Hieronymi, Origenis, & antiquarum Joannis Chryſoſtomi verſionum Latinarum. Vide ejuſdem Montfauconii Bibliothecam Mſſ. Codd. Mihi tacendus hîc non eſt Codex perantiquus, in quo Vita comitiſſæ Mathildis habetur.

Editiones veteres tot nusquam ſimul ſe vidiſſe teſtatur idem Montfauconius. Adeſt Bibliorum Moguntiæ cuſorum an. 1462. liber. Homerus prima vice cuſus &c.

Monaſterium S. Severini in urbe Neapoleos, quod Monachi præ cæteris in Regno Neapolitano eruditione & doctrina conſpicui incolunt, inſignem habet Bibliothecam, in qua præfatus Montfauconius manuſcriptorum ſequentem notam excipiens ſuo primùm Diario Italico, ac deinde Bibliothecæ Mſſ. Codd. intexuit. S. Severini Neapoli.

Biblia ſacra multis voluminibus x. ſeculi.

Pſalterium Græco-Latinum xii. ſeculo conſcriptum, ubi Græca ſingulari characterum formâ ſunt.

Origenes in Cantica. Codex xii. ſeculi, haud diu poſt S. Bernardi obitum conſcriptus videtur. In alio item codice xiv. ſeculi *Bernardi* in Cantica.

Commentaria Anonymi in Apocalypſin, codex initio mutilus xi. ſeculi. Item alius in Cantica ſimilis.

S. Ephrem quædam in Codice xii. ſeculi.

Auguſtini in Pſalmos codex egregiæ notæ x. ſeculi, tomis duobus.

Auguſtini Sermones quidam, & retractationes in codice xii. ſeculi.

Proſper de vita contemplativa codex xi. ſeculi.

Gregorii M. Dialogi in codice xii. ſeculi.

Bacharii (ſic) de ſeparatione lapſi ad Januarium. Ita init: *Niſi vererer, beatiſſime frater, ne inter ſimulatos amicos* &c. In eodem codice xii. *Ephremi*

(a) cap. 3. pag. 36.

Ephremi Diaconi, & *Joannis Chryſoſtomi* de eodem argumento.

Burchardi ſolo nomine (ſic) Epiſcopi Wormacenſis de jure epiſcopali ad Brunichonem.

Catalogus epiſtolarum S. Bernardi cum indice earundem ordine alphabetico, à *Franciſco Acolta*, Epiſcopo Sarnenſi, juſſu Joannis XXII. Papæ eodem tempore conſcriptus.

Libet de conſideratione quintæ eſſentiæ omnium rerum, pauperibus Evangelicis viris erogatus, editus à magiſtro Joanne de *Rupeſciſſa*, Ordinis fratrum Minorum. Dicit Salomon in Capitulo 70. *Deus dedit mihi.* Cod. XV. ſeculi.

M. T. Ciceronis de Divinatione & Somniis à Marino Tomacello conſcriptus XV. ſeculi.

Ejusdem de Oratore.

T. Livius exſcriptus anno 1435. XV. kal. Martii à Joanne Frigerio.

Plinii Epiſtolæ in duobus codicibus recentibus.

Senecæ Epiſtolæ, quæ incipiunt ab Epiſtolis.

Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam.

Virgilii Bucolica & Georgica in cod. recenti.

Ovidii Faſtorum cod. XV. ſeculi membran.

Aulos Perſius in codice XIV. ſeculi.

Juvenalis XII. ſeculi &c.

Præter hos libros, alióſque, qui à Montfauconio in Bibl. Mſs. Codd. recenſentur, extant in eadem S. Severini Bibliotheca permulta, eáque luce publica digniſſima Mſ.ta *Alphonſi Villagut*, qui ex Monacho S. Severini Abbas, ac demum totius Congreg. Caſin. Præſes Generalis an. 1608. creatus eſt.

Facetia verò eſt, quam *Alphonſus Mariconda* narravit diſcipulo quondam ſuo Cardinali *Quirino* (a) de Abbate, qui S. Severini Cœnobium tunc moderabatur. Hic antiquus dierum novæq; literaturæ, quæ in ſuo Cœnobio florebat, parcus æſtimator, ne dicam contemptor, quoties à Monachis rogaretur, ut aliquo libro recens in lucem edito Bibliothecam inſtrueret, nil aliud reſpondebat, niſi *Leggite tuti quelli che vi ſon, e pò avrite de' nuovi, quanti ne volite.*

S. Juliæ Brixiæ. *Bibliotheca Monaſterii S. Juliæ in Civitate Brixia.* Huic vel unus antiquiſſimi ævi codex famam conciliare poteſt. Eſt ille aureis & argenteis grandioribus literis in membranis violaceis exaratus, qui tanquam pretioſum antiquitatis κειμήλιον apud hujus Parthenonis Moniales eſſervatur. Porrò antiquiſſimos Codices puris praſineo & cianeo coloribus tinctos, auro & argento conſcriptos in Monaſterio S. Juliæ in urbe Brixiana aſſervari, memorat Capreolus l. 5. Hiſt. Brix. pag. 27. apud Paulum Galeardum in præfatione ad Sermones S. Gaudentii pag. 222. Nullus dubito, quin hi Codices inſignem uſum in conſcribendis hujus Monaſterii Annalibus præſtiterint *Angelicæ Baitelli*, Sanctimoniali, quæ Ordinem S. Benedicti in hoc Parthenone profeſſa, eosdem à ſe elucubratos typis mandavit anno 1657. ut pluribus ſuo loco dicturi ſumus.

Bobienſem Bibliothecam plurimis Bobienſis. olim optimíſque refertam fuiſſe codicibus facilè colligitur, tum ex loci celebritate, tum ex vetoſtis libris, qui inde in Bibliothecam Ambroſianam translati fuerunt, tum ex reliquiis antiquorum codicum, qui ad centum in eodem ſuperſunt monaſterio. Et quidem anno MCCCCXCIII. in Bobienſi Bibliotheca reperti ſunt Vellius Longus de Orthographia, & Terentianus Maurus, quorum veterum authorum ſcripta Georgius Merula politiorum literarum Profeſſor in urbe Venetâ cum laude per annos complures ſeculo XV. notis & obſervationibus illuſtravit. Adſunt præterea Rutilius Numantius Poëta, Satyra Sulpitiæ, Cæſius Baſſus, Adamantius Martyrius, Probi Catholica, Cornelius Fronto, Sergius Grammaticus, & alii non pauci, ut ait Volaterranus Lib. IV. Geographiæ, & Pignorius ex eo in Epiſtola XVI. Memoratu dignus eſt libellus antiquiſſimus, Francogallicis literis ſcriptus, in quo videre eſt *abbreviationem Fidei Catholicæ expoſitam à ſancto Hieronymo, ut quidam in hæreſim lapſi corrigerentur*: quæ expoſitio conſtat articulis, ſeu anathematiſmis XII. ſub Rufini nomine edita apud Garnerium inter Opera Marii Mercatoris in Diſſertatione X. Deinde varia exſtant in illa Bibliotheca Bobienſi *Cypriani Opuſcula* in diverſis veterrimorum codicum, qui toti literis quadratis ſcripti erant, fragmentis, nempe *de ſacramento calicis*, *de opere, & eleemoſyna*, variæque epiſtolæ. Ad hæc *Stephani Tungrenſis* Epiſco-

(a) Comment. vit. part. 2. l. c. 6. p. 106.

Epiſcopi liber de divinis Officiis. In Kalendario antiquiſſimi Miſſalis notantur feſta monaſterii peculiaria. Ex eadem Bibliotheca mutuatus eſt Mabillonius codicem Liturgiæ Gallicanæ, optimæ notæ, literis majuſculis exaratum, & *Libros de Imitatione*, qui nullum auctoris nomen habent, præter quartum, in cujus initio legitur: *Incipit liber Joannis Gerſen, cum quanta reverentia* &c. Quòd ſi quæ eſt Mediolani, celebrem inviſas Bibliothecam (b) Ambroſianam, nullis aliis ferè locupletem eſſe Latinis Manuſcriptis comperies, quàm quæ fuerunt olim Bobienſis Abbatiæ. Offenditur hodie in Ambroſiana Joſephi Hiſtoria de Judaicis Antiquitatibus in corticibus exarata ante annos circiter mille ducentos; atqui hæc ex Bobienſi Bibliotheca præter alios quàm plurimos codices fuit exarata. Conſule etiam Montfauconii Bibliothecam Mſs. Codd.

Cryptæ Ferratæ. *Bibliotheca Monaſterii Cryptæ Ferratæ* vel uno unico codice Mſ.to (ut cæteri taceantur) memorabilis eſt, de quo Em. Card. Quirinum (c) audire præſtat, cujus verba hæc ſunt: „ De
„ celeberrimo Græcorum Menologio
„ juſſu Baſilii Imperatoris Porphyro-
„ geniti exarato Allatius *in Diſſerta-*
„ *tione I. de Libris Eccleſ. Græcorum*
„ ſcribit, Menologium hoc auro, gem-
„ miſque pretioſus Conſtantinopoli
„ ad Ludovicum Sfortiam ſatis mu-
„ nificè advectum, Ludovico vita
„ functo Joannem Baptiſtam Fran-
„ ciſci Sfondrati Cardinalis paren-
„ tem, avúmque Nicolai Cardinalis
„ in arbitrio, & poteſtate habuiſſe,
„ poſtremùm à Paulo Sfondrato Car-
„ dinali dono acceptum in Bibliothe-
„ cam Vaticanam Paulum V. invexiſ-
„ ſe; Librum nnam tantùm Meno-
„ logii partem, quando ſex duntaxat
„ menſibus Sept. Octob. Novemb.
„ Decemb. Januar. & Februar. abſol-
„ vitur, continere: Altera quibusnam
„ caveis addicta lateat, incertum eſ-
„ ſe, & fortè communem ſortem lib-
„ rorum paſſam igne, vel ferro, vel
„ impiorum aut otioſorum manibus,
„ elementorum etiam injuria in luce
„ eſſe deſiiſſe. Juvenilibus *Joannis*
„ *Franciſci Albani* ſtudiis debet im-
„ mortale hoc beneficium literaria
„ Reſp. quòd ipſe quinquaginta cir-
„ citer abhinc annis Partem hanc
„ Græci Menologii Eruditorum om-
„ nium votis exoptatiſſimam in Mo-
„ naſterio Cryptæ Ferratæ latitantem
„ ſuâmet manu deſcripſerit, in La-
„ tinum verterit, liberalitérque Go-
„ defrido Henſchenio communicave-
„ rit. Fatetur idem Henſchenius
„ Partem hanc non quidem pari cha-
„ racterum elegantiâ, & picturarum
„ ad ſingulas paginas deliciis exorna-
„ tam (qualem in Vaticano eſſe ſicut
„ audiverat, legerátque, ſic & vide-
„ rat) ſed antiquitate, & fide nihilo
„ inferiorem, eundémque Baſilii Im-
„ peratoris titulum præferentem, ut
„ hanc Vaticanæ illius Partis ſi non
„ germanam alteram ab eadem ma-
„ nu velut utero prognatam, certè
„ genuinam ex patre, atque auctore
„ eodem tum cæteris indiciis, tum
„ ſtyli perfectiſſima ſimilitudine nihil
„ hæſitans judicaverit. Actum pror-
„ ſus erat de Parte hac præclariſſimi
„ Menologii (quod utpotè publica
„ auctoritate conſtructum reliquis
„ omnibus hujusce generis Menæis
„ præferendum jure Henſchenius exi-
„ ſtimavit) niſi imminentes edacis
„ vetuſtatis injurias docta, & provi-
„ da adoleſcentuli Albani manus an-
„ tevertiſſet; ſiquidem Codex Cryptæ
„ Ferratæ, quem integrum olim, &
„ illæſum viderat *Albanus*, pluribus
„ hodie paginis imminutus lacunis
„ ſcatet, quos nulla ſpes foret poſſe
„ unquam expleri, ſi, quæ ibidem
„ deſunt, aut ex quatuor menſibus
„ apud Bollandianos jam editis, aut
„ ex Sanctiſſimi Pontificis Scriptis
„ non peterentur. Ne egregii hujus
„ laboris memoria, quam nusquam
„ exſtare puto, præterquàm in Actis
„ Eruditorum, quæ olim Romæ vul-
„ gabantur, intercideret, operæ pre-
„ tiũ exiſtimavi hæc fuſiùs adnotare,
„ ratus etiam nihil conſultius facturos
„ Amanuenſes Vaticanos, quàm ſi
„ utramque Menologii partem, Vati-
„ canæ nimirùm, & Cryptæ Ferratæ
„ exſcribentes Latinam Verſionem è
„ regione adjungant, Vaticanæ qui-
„ dem veterem Arcudii Corcyrenſis,
„ quam jam vulgavit Ughellius; Al-
„ teri verò recentiorem adhuc inedi-
„ tam *Joannis Franciſci Albani*; Ut
„ hac ratione Menologium Baſilii Im-
„ peratoris non jam dimidiatum, ſed
„ completum, nec Græcè tantùm,
„ ſed & Latinè in Vaticana Bibliothe-

„ ca

(b) Mabill. Tract. de Stud. Monaſt. vol. 2. pag. 155.
(c) In Nota 7. ad Epiſt. Nuncupat. Diſſertationis de conſcribenda Monaſtica Italiæ Hiſtoria.

„ ca impoſterùm ſervetur, útque ad „ ſempiternam temporis memoriam „ illuſtri hoc monumento admirabi- „ lem Sanctiſſimi Pontificis, vel à te- „ neris annis eruditionem teſtatam, „ expreſsámque retineamus. „ Hæc QUIRINUS, qui quæ privatus adhuc Cœnobita fieri ſuaſit, eadem jam Em. Cardinalis & Bibliothecarius S. R. E. fieri procul dubio curavit.

Pompoſiana. *Bibliotheca Pompoſiana.* Florebat ſub annum 1093. in Pompoſiano agri Ravennatis monaſterio illuſtris Abbas, Hieronymus nomine, qui inter cæteras animi dotes miro literarum amore flagrabat. Teſtis hac de re Bibliotheca locupletiſſima ab eo inſtructa, de qua audiendus Henricus Clericus ejus temporis in epiſtola ad quendam Stephanum, quam noſter Bernardus de Montfaucon in Diarii ſui Italici capite VI. retulit. Præmiſſis nonnullis, Henricus de Guidone, Pompoſiani Monaſterii primo Abbate, tum de Hieronymo, ejúſque Bibliotheca ita diſſerit:

„ Pompoſiana ergò Bibliotheca, „ ſicuti ego accepi, ex tempore Gui- „ donis, miræ ſanctitatis primi ejus- „ dem colendi loci patris, mirificè „ honeſtari ac augeri cœpit. Cujus „ ſanctitate viri gens afflicta, atque „ exhilarata, quam plures undique „ ad hoc venerabile, tutúmque pro- „ perabant certatim effugium, cu- „ pientes, tam ſancti magiſtri inſtrui „ diſciplinis, vitámque ſub monaſti- „ ca caſtigare trutina: inter quos „ etiam quidam marchionum, comi- „ tum, procerúmque filii deliciis „ omiſſis, pompáque ſeculari poſtha- „ bita, convenerunt, Deóque ope- „ rante usque hodie non deſiſtunt. „ Quo in tempore iſte Dominus meus, „ de quo nobis ſermo, Hieronymus „ Abbas, à puero educatus, ſufficien- „ ter didicit monachicam normam; „ deinde in Gramaticæ ſtuduit funda- „ mento; ſed & dialectica aliquan- „ do libavit acumina, in brevíque Deo „ magiſtrante, multùm profecit tem- „ pore. Tum ex Priore Abbas à fra- „ tribus gratanter ordinatus eſt, qui, „ quoniam erat ingenio promptus, „ animo placidus, fratrum amator, „ morum longè politus honeſtate, „ mente providus, cernens tantam „ ſe gentem ſine vomere ac marra di- „ vini cultûs minimè fructificare poſ- „ ſe; illicò data opera curioſè ubique „ quærere cœpit diverſorum volumi- „ na doctorum, quæ præſentibus, „ poſteriſque documenta relinqueret, „ ut, ſicut genere ſtudióque diverſi „ erant, ſic in his unusquisque ſpe- „ cularetur, quid imitandum, quid- „ ve aſpernandum ſibi foret. Diffi- „ cile mihi videtur, quempiam vir- „ tutes ac vitia diſcernere liberè poſſe „ ignorantem ænigmata & ſententias „ ſcripturarum. Quis enim ægroto „ antidotum dare novit, niſi qui di- „ dicit? quísve remigii ignarus ratem „ committere fragilem ſævo audeat „ ponto? Sed quoniam bonos livi- „ dorum aculei ſtimulare acriter ſo- „ lent; nonnulli, quibus mens in- „ ſana fuerat, diffidere, diſſentire, ac „ objurgare ex hoc præclarum cœ- „ perunt Abbatem. Alii enim fruſtrà „ in nugis bona monaſterii diſſipare; „ alii autem illum hoc ob id agere, ut „ aliquando cum totis libris fugiens, „ aliquem acquireret epiſcopatum ſi- „ bi, inſtanter aſſerebant, à quibus „ mens mea longe aliena fuit, ſem- „ pérque quod bonum, & æquum ſub „ hoc credidir negotio. Cui operi „ ex Abbatis juſſu *Bonus* nomine & „ exemplo monachus ex eremita præ- „ erat, omnium dogmate artium peri- „ tus, qui etiam æſtuans ut tantùm „ librorum exempla colligeret, non „ curabat diſtinctas & decoras literas, „ ſed quoquo modo formatas. De- „ creverat enim prædictus Abbas eo- „ dem reſcribere, & in unum Biblio- „ thecæ corpus colligere, unde quos- „ dam ex fratribus adverſos habeo „ ob nimiam titilationem non valen- „ tes legere libros à me ſcriptos. Nul- „ la autem eccleſia, nec urbs, neque „ provincia, tandem nec ipſa Roma „ orbis caput certet laudibus Pompo- „ ſiæ copia ſanctorum fortunatæ lib- „ rorum. Quis igitur tam ferreus, „ quis tam immitis, támve beſtius & „ excors, qui non optet quieſcere in „ Pompoſiano clauſtro à ſtrepitu „ mundanæ peſtis, ubi jugiter ædifi- „ cationis & ſalvationis meretur in- „ telligere verba? ſicut enim probos „ mores colloquia corrumpunt pra- „ va: ſic è converſo bona colloquia „ malos deſtruunt mores, imittúntque „ bonos. Sed ne tibi parùm ſufficere „ videatur, quod de libris memora- „ vi, libet etiam titulum uniuscujus- „ que libri ſcribere: ut quod puris „ non credis verbis, ſaltem fideliom „ ſubjectum credas oculis. Nec enim „ hoc in vanum conati ſumus: quo- „ niam accidere poteſt, ut errore ali- „ quis ex his ſubtractus latenter liber

„ oblivioni tradatur: ſed perlecta hac „ pagina fidelis librorum cuſtos eum „ diligenter inquirat, ſi fortè vel ex „ fratribus, vel advena ſuſtulit, armario reſtituatur continuò. „

Poſthæc Henricus ponit ampliſſimum catalogum librorum, qui tunc in Bibliotheca Pomposiana aſſervabantur, & in fine ſubdit, ſagax Abbatis Hieronymi ingenium nunquam quieſcere, ſedulò rogitando & percunctando, ſicubi alibi latitent libri, quos ſuo armario addere valeat: *ut inter Italicas Pompoſiana mirè fulgeat eccleſia.* Denique idem auctor ſibi objicit quosdam ſuperſtitioſos & malevolos, qui ut ſancto loco detrahant, & optimo Abbati: fortè arguent, cur idem Venerabilis Abbas Hieronymus Gentilium codices fabuláſque erroria ſacris diviníſque inſerat codicibus? *Quibus reſpondendum eſt*, inquit, *Apoſtolicis verbis, quia in domo potentis non ſolùm vaſa aurea, & argentea, ſed & fictilia ſunt; quippe hoc egit piiſſimus Abbas, ut pro ſtudio & merito ſuo habeat unusquiſque, in quibus oblectetur, & propriè exerceat ingenium.*

Cæterùm Monaſterio Pomposiano everſo, in quas terrarum plagas Mſ.ti Codices delati fuerint, nemini compertum. Vid. V. C. *Paulus Galeardus* in præfat. ad S. Gaudentii Brixiani Epiſcopi Epiſtolas.

§. II.

De Bibliothecis Hiſpaniæ & Galliæ.

Bibliothecæ in Hiſpania.

DE Bibliothecis Hiſpaniæ quàm multis & locupletiſſimis fuſiùs quidem & pro merito nunc agere volupe eſſet, ſe deficientibus notitiis pauca duntaxat, quæ bona nobis obtulit fortuna, hîc deſcribenda duximus; ita verò Ill. D. LOAISA in ſua ad collectionem Conciliorum Hiſpaniæ præfatione, *Eſt*, inquit, *in Monaſterio Regio D. Laurentii. . . inter cætera admiratione & cultu digniſſima, quæ in illa æde continentur, inſignis quædam Bibliotheca, quæ cum perantiquis, & numero librorum, & ſingularitate certat.* Hæc inter alia, quinque Codices Conciliorum & Epiſtolarum decretalium MSS. literis Longobardis in pelle pergaminea habet. Antiquior vocatur *Wigilanus* à Monacho ſcriptore, vel *Alveldenſis*, à loco ubi ſcriptus eſt. *Alveda* eſt hodie parvum municipium in tractu Locronienſi, duabus ab urbe Locronio leucis Hiſpanis diſtans; olim habuit inſigne cœnobium S. Martini, ex inſtituto D. Benedicti à SANCTIO Rege, & TOBA Regina, erâ *962.* fundatum, poſteà collapſum, & translatum in Eccleſiam S. Mariæ Rotundæ apud Locronium. In quo dum WIGILA Monachus vitam ageret, hunc ſingulari diligentiâ librum ſcripſit, erâ 1014. anno Chriſti *976.* Continet Concilia XLI. & Epiſtolas decretales CI. à *Damaſo* usque ad *Gregorium I.* & opuſcula alia. Reliquæ per Hiſpanias Bibliothecæ extantiores ſunt: *Monſerratenſis, Sant-Æmilianenſis, S. Martini Madritenſis, Salmanticenſis S. Vincentii, Valliſoletana S. Benedicti, Zamorenſis, S. Stephani de Ribas, S. Juliani de Samot, S. Bartholomæi Medinæ, S. Joannis de Burgos, Sabaguntina S. Benedicti, S. Zoili de Carrion, Ovietana S. Vincentii, S. Salvatoris de Ona, Naxarienſis S. Mariæ, S. Dominici de Silos, Hyrachenſis, S. Joannis de Penna, S. Victoriani, S. Benedicti de Bajet, S. Pauli Barcenonæ, S. Salvatoris de Breda, S. Felicis Guiſoli, S. Petri de Roda*, & aliæ plures, quæ in regnis Hiſpaniæ, & Portugalliæ, necnon in America ad hodiernum usque diem ſuperant, ſupellectile literariâ, ut fertur, inſtructiſſimæ, quarum recenſionem ut aliquandò Sodales noſtri curatiùs adornent, votis omnibus contendimus & obteſtamur.

Wigila Monachus.

Bibliothecas Galliæ, quod attinet, FLORIACENSIS, ſi quæ alia, erat olim libris refertiſſima; Sed annus 1562. ei fatali ſidere illuxit, quo à *Calvini* aſſeclis direpta fuit. *Petrus Daniel*, Advocatus Aurelianenſis, & Floriacenſis prætor, indulgente Cardinali *de Caſtillon*, Monaſterii commendatario Abbate, ac ſingulari hæreſeos fautore, eam in ſuam redegit poteſtatem. Quæ ipſi ſubinde, quoad vixit, non oblectationi tantùm, ſed etiam adjumento fuit tum in antiquis quibusdam ad eam diem ineditis operibus evulgandis, tum in aliis admodùm imperfectè editis ad manuſcriptos codices corrigendis. Qoin etiam amicis ſuis, qui novas ac elegantes adornando editiones benè de republica literaria mereri ſtudebant, ſuppetias ferre potuit. Cùm autem è vivis diſceſſit, hæredes illius manu exaratos codices partim *Paulo Petavio*, ſupremæ curiæ Pariſienſis conſiliario, partim *Jacobo Bongarſio*, Henrici IV. in Germania Legato emendos dederunt. Et poſterior quidem partem ſuam Argento-

Floriacenſis in Gallia.

gentoratum, ubi commorari ſolitus erat, ex Galliis avexit. Ab obitu ipſius Elector Palatinus anno 1612. juſto pretio coëmtam in ſuam Heidelbergenſem congeſſit Bibliothecam. Verùm cùm Cæſareani, TILLIO duce, potiti anno 1622. Heidelbergæ fuiſſent, Bibliothecam ſibi vindicavit *Maximilianus* Bavariæ Dux, quam Gregorio XV. Romam dono transmiſit. Quod ad partem *Pauli Petavii* attinet, illius hæredes, qui rei pecuniariæ magis, quàm librariæ amantes erant, eam CHRISTINÆ Suecorum Reginæ vendiderunt. Hæc manuſcriptos codices Romam tranſtulit, quos ſub mortem Pontificiæ Bibliothecæ teſtamento legavit. Atque hunc in modum Bibliotheca Floriacenſis *Vaticanæ*, ut ajunt, *incorporata, non poſtremam illius efficit partem.*

Incorporatur Vaticanæ.

Petrus Daniel quantumvis magnus in expilanda S. Benedicti Floriacenſis Bibliotheca fuerit Autolycus, præcavere tamen haud potuit, quin non pauca volumina rapaces ejus effugerint manus. Præter enim complura Mſ.ta, quibus ſuperiore ſeculo Religioſi è Congregatione S. Mauri ad novas Patrum editiones concinnandas uſi fuerunt, PP. Marthene & Durand repererunt vetuſtiſſimum manuſcriptum *Concordantiæ Regularum S. Benedicti*, Abbatis Anianenſis, unà cum epitome Operum SS. Patrum, cui titulus: *Liber de diverſis voluminibus Patrum excerptus.* Id quod procul dubio eſt ſynopſis Operum SS. Patrum, quod S. Benedictus Anianenſis Concordiæ ſuæ adjecit, quò veſpertino in conventu à ſuis legeretur Religioſis. P. Menradus illam in monaſterio Floriacenſi aſſervari teſtatur, quam tamen P. Mabillonius invenire haud potuit. Concinnata eſt ex textibus ac locis depromptis ex libris S. Ambroſii ſuper Hexaëmeron, S. Hieronymi contra Jovinianum, ex homelia S. Gregorii de concupiſcentia gulæ, ex ſententiis S. Iſidori, ex V. Beda in Lucam, S. Cæſarii, S. Proſperi, S. Nili, ex Proverbiis Epiſcopi Evagrii pro monachis, ex collationibus Caſſiani unà cum Abbatum Serapionis, Moyſis, Iſaaci, & Theonæ; ex ſermone quodam S. Auguſtini de circumciſione, ex libro Confeſſionum ipſius, & de moribus Clericorum, ex vita SS. Antonii & Fulgentii, ex quodam opere S. Chryſoſtomi, ex homelia S. Gregorii; ex inſtitutionibus Caſſiani, ex operibus S. Ephrem, ex collatione cum Abbate Paphnutio, ex nonnullis ſententiis deſumptis ex S. Hieronymo, ex ſermonibus S. Cæſarii, ex libris moralibus S. Gregorii. Quemadmodùm verò hic liber ad calcem eſt laceratus, ita exiſtimare quis poteſt, extitiſſe ibi adhuc plures locos depromptos ex SS. Patribus Eccleſiæ, quos magnus hic Sanctus ſelegit, velut magis aptos ad nutriendam ſuorum Religioſorum pietatem.

Ulteriùs in Bibliotheca Floriacenſi oſtenditur præter Mſ.tum, ante ſeptingentos vel octingentos exaratum annos, cujus argumentum eſt: *Vita S. Gregorii*, aliud opus cum inſcriptione: *Liber ſancti ac beatiſſimi Benedicti Patris Monachorum.* Capitum titulos hîc appoſuiſſe ſufficiat: *Incipiunt Capitula, quæ ſunt virtutes bonorum operum.* I. *De Humilitate.* II. *De Timore Dei.* III. *De Pœnitentia.* IV. *De Derelinquentibus ſeculum.* V. *De Oratione & Compunctione.* VI. *De Silentio & verba otioſa non loquendo.* VII. *De Dilectione Dei & proximi.* VIII. *De Continentia virginitatis mentis & corporis.* IX. *De vana Gloria & Laude humana non quærenda.* X. *De Patientia tentationis & Martyrii.* Affirmare pro certo non licet, quòd opus hoc à beatiſſimo Patre noſtro S. Benedicto fuerit elucubratum; ſed illud S. Benedicto Anianenſi non immeritò attribui poteſt, ut qui tota in Francia, velut alter Ordinis noſtri Fundator, ac innumerabilium Monachorum Pater ſuſpicitur: cui etiam majores noſtri glorioſum *Benedicti ſecundi* nomen indiderunt.

Liber incertus cujus S. Benedicti?

Hæc præter plura alia reſtant Mſ.ta v. g. *Juvenci, Sedulii, Aratoris, Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii, Boëthius de Conſolatione Philoſophiæ, Alvarus ſupra S. Matthæum, Expoſitio Aimoini Monachi Floriacenſis ſupra Apocalypſin*, authoris tempore deſcripta, & forſan propria ipſius manu, *vetus Sacramentarium* annorum circiter nongentorum, in cujus limine hæc proſtant verba. - - - *Sacramentorum liber, quem - - ſancto Benedicto ob ſui memoriam à transmarinis partibus miſit, imprecans cum juramento maledictionis, ut, ſiquis eum de monaſterio aliquo ingenio non redditurus abſtraxerit, cum Juda proditore, Anna & Caipha portionem æternæ damnationis accipiat. Amen, Amen. Fiat, Fiat.* Legenda eſt Claudii Stephanotii è Congreg. S. Mauri epiſtola hiſtorica Gallicè ſcripta, de Bibliotheca Floriacenſi, quæ extat Opp. poſthum. Mabill. & Rui-

Alii Mſſ. Codd.

narrati tom. 1. lib. v. pag. 461. Bernardi Montfauconii Bibliotheca Mſs. Codd.

S. Vincentii Lauduni Libris locupletiſſima.

Bibliotheca Monaſterii S. Vincentii Laudunenſis. Hæc ſub Joanne *de Noüelles* (d) vulgò de Guiſia dicto; Abbate literis egregiè exculto anno 1370. ditiſſima fuit, undecim nimirum millia voluminum continens. Quæ librorum vis ac multitudo ante artem typographicam inventam meritò magni fieri debet. Nunquam verò ad eam perveniſſet copiam, niſi Abbas Joannes rei librariæ ſtudioſiſſimus fuiſſet, quam ut augeret, nec ſumptibus in libris comparandis, nec labori in iis deſcribendis pepercit. Neque enim contentus erat monachorum ſuorum operâ ad hanc rem uti, niſi & ipſe propriam admoveret manum. Voluminibus autem multò labore à ſe tranſcriptis inſigne auctarium adjecit, Collectarium nempe Hiſtoriæ univerſalis libris octo, quatuor verò voluminibus comprehenſum, quod proprio marte elaboravit.

S. Vincentii Veſontionenſis Biblioth.

Bibliotheca Monaſterii S. Vincentii Veſontionenſis. Catalogum Mſs.Codd. Latinorum, Græcorum, & Gallicorum texuit *Montfauconius* Bibl. Mſs. tom. 2. pag. 1194. Ex quo unius Codicis meminiſſe juvat. *Titus Livius Patavinus* &c. 3. vol. in fol. In Tomo ſecundo, qui agit de *ſecundo Bello Punico*, liber maximè ſecundus multùm differt ab impreſſo Francofurti an. 1588. in quo legitur: *Jam ver appetebat, cùm Annibal ex Hibernis movit* &c. loco quòd in Mſ.to legatur: *Jam verò apparebat, quæ Annibal ex Hibernis metuit &c.* & ſic in ſequentibus. Mabillonius in Itinere ſuo Germanico hoc volumen magni fecit. Ad calcem Mſ.ti legitur: *Joan. Cruder Teutonus &c. Decadem tertiam* &c. *Diis bene juvantibus ſcripſit.* Magna incrementa accepit hæc Bibliotheca ex *Joannis Baptiſtæ Boiſoti* munificentia.

Abbatis Boſoti in eam munificentia.

Is namque cœnobio S. Vincentii primus Abbas commendatarius poſt pacem Neomagenſem à Galliarum Rege datus, in extremis omnem ſuam ſupellectilem literariam cum inſigni Numiphilacio & pecuniæ ſumma legavit, uti explicatiùs enarrat *Calmetus* in Bibl. Lothar. pag. 858. his verbis: *Monſieur l'Abbé Boiſot par ſon teſtament laiſſa à ſon Abbaye de S. Vincent ſa Bibliotheque compoſée d'un grand nombre de bons livres tant imprimés, que manuſcrits, & une ſomme de ſix mille livres, qui devroient être employées en achat de ventes pour l'augmenter. De plus il leur legua tous ſes buſtes de marbre, & ſon Medaillier, à condition que cette Bibliotheque ſeroit ouverte deux fois la ſemaine à ceux, qui y voudroient entrer pour y étudier.* Hæc ille; Eminentiſſimus verò Cardinalis QUIRINUS in Commentariis de rebus ad ſe pertinentibus libr. 2. cap. 2. pag. 252. ſe hanc Bibliothecam anno 1713. adiiſſe, & per totam luſtrâſſe diem teſtatur his verbis: *Veſontionem ingreſſi divertimus ad Monaſterium S. Vincentii, ibique ſtatim avidos oculos conjeci in exhibitas mihi ab iis Monachis varias* Chifletiorum, *nimirum* Petri Franciſci, Joannis Jacobi, & Julii *lucubrationes, quibus ejus Urbis immò integri Comitatûs res eccleſiaſticas luculenter illuſtratas fuiſſe intellexi.*

Chifletiorum lucubrationes.

„ Studioſè inter cætera ab iiſdem Monachis accepi, quæ de vindicato ab interitu *Julii Chifletii* & *Joannis Bapt. Boiſoti* operâ Granvillianarum chartarum theſauro mihi Pariſiis jam prænarraverat *Bernardus de la Monnoye*; ſtudioſiùs adhuc quæ iidem de magna ejuſdem *Boiſoti* erga ſe beneficentia mihi retulerunt; namque cœnobio S. Vincentii omnem literariam ſupellectilem ſuam legaverat. Hujus ſingula ferè capita, Codices nimirum & ſigna diligenter obſervans ſuſidum diem in Bibliotheca moratus ſum, miratúſque vehementer pretium illius cimelii, Monachos hortari non omiſi, ut collectionem tam raram & copioſam ad grati erga inſignem benefactorem animi argumentum, & in literariæ Reip. commodum typorum ope publici juris efficerent. Eò jucundius mihi fuit de Abbate *Boiſoto* Veſontione multa intelligere, quod illum eruditionis ſuæ ſpecimina Romanæ etiam Aulæ exhibuiſſe noſſem, dum Romæ moram traheret *Chriſtina* Sueciæ Regina, quæ Virum hunc doctum ſua benevolentia & æſtimatione dignata eſt. „

S. Petri Cabilonenſis.

Bibliotheca Monaſterii Cabilonenſis ad S. Petrum, etiam memorabilis eſt. Ejus conditor ſeculo VI. deſinente fuit *Flavius* Cabilonenſis Epiſcopus. *Plures* (verba ſunt mox altefati Cardinalis) *in ejuſdem loci Bibliotheca horas* con-

(d) vid. Luc. Acher. in edit. Opp. Ven. Abb. Guiberti pag. 652.

contrivi, ut libros ipſi legatos ab Abbate le Roy inſpicerem.

S. Petri Arelatenſis. *De Bibliotheca Monaſterii S. Petri* extra muros urbis Arelatenſis, iterùm mox laudatum Cardinalem audire juvat: *Ibi*, inquit, *evolvendam Monachi mihi præbuerunt Hiſtoriam ejus Monaſterii confectam à* Claudio CHANTELOVIO, *nec diſſimulârunt ſe ægrè admodùm ferre, hujus Scriptoris authoritate* Mabillonium *ſuis in Annalibus prodidiſſe:* nil fide dignum de eodem cœnobio inveniri ante ſeculum decimum. *Memini eosdem mihi legendos obtuliſſe Hexametros quosdam ad centum*, da adventu Hannibalis in adverſam ripam Arelatenſis agri, *compoſitos à* Petro Quiquerano, *Epiſcopo Senecenſi, meque ad prandium accedere recusâſſe, niſi poſt lectionem illam abſolutam.* Loc. cit. p. 279.

S. Benigni Divionenſis Biblioth. *S. Benigni* Divionenſis in Burgundiæ Ducatu Monaſterii (cujus origo ſeculi VI. initia attingit) Bibliotheca literariis cimeliis quamplurimis & exquiſitis abundare dicitur. Ejus. Catalogum confecit *Paulus Dumay*, & *Bibliothecæ Janninianæ* titulo ea de cauſa prænotavit, quòd eo tempore *Nicolaus Janninus*, frater Prædidis Parlamenti Divionenſis, San-Benignianam Abbatiam obtineret, & literariam ſupellectilem egregiè augeret. De ejusdem *Pauli Dumay* epiſtolico commercio cum pluribus doctiſſimis Viris, præſertim cum *Scaligero*, *Caſaubono*, & *Grotio*, nec non de filii ejusdem *Pauli* in latina Poëſi præſtantiâ quædam prodit Em. Cardinalis *Quirinus* in ſuis Comentariis, qui etiam de *Chronicis San-Benignianis* in eâdem Bibliothecâ adſervatis nonnulla commemorat.

Corbeiæ Veteris annumeranda præcipuis Bibliothecis. *Bibliotheca Corbeiæ Veteris.* Non eſt, cur dubitemus, quin præcipuis Familiæ noſtræ Bibliothecis ſit annumeranda. Inprimis enim S. Adalardi, S. Paſchaſii Radberti, Vener. Chriſtiani Druthmari, Ratramni ſeu Bertramni, atque aliorum, quà doctrinâ quà virtute præſtantium Monachorum Corbeienſium ſcripta, proprias velut opes poſſedit. Tum libris non minori labore, quàm ſumptu aliunde comparatis affluebat. Quantæ enim curæ fuerit hujus aſceterii Religioſis libros aggerere, prædicant Alexandri, Papæ (ni fallor) Tertii, literæ Bullatæ ad Abbatem & Monachos antiquæ Corbeiæ.

„Alexander, Epiſcopus, Servus „Servorum Dei, Dilectis Filiis; Abbati & Capitulo Corbeienſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. „Cùm velitis utilitati veſtri Monaſterii, ſicut convenit, providere, „communi diſpoſitione, ſicut aſſeritis, ſtatuiſtis, ut ad reparationem, & „emendationem librorum Bibliothecæ veſtræ, quæ nimis ſenuerat, ad „conſtitutionem novorum librorum à „ſingulis Præpoſitis majoribus decem, & à minoribus quinque ſolidi, „Cuſtodi librorum annis ſingulis perſolvantur. Tres quoque modios „frumenti & avenæ mediæ diſtinctos, „ad menſuram Encrenſem, quos à „Canonicis de Claroſaio recipitis „annuatim: & reditus terræ de Branlers, quam ex dono Valteri de Malli habere noſcimini, Cuſtodi librorum nihilominùs deputatis. Unde, „quia Conſtitutionem veſtram à nobis rectam haberi; & reditus, quos „prædiximus, ad opus librorum petitis confirmari: Nos poſtulationibus veſtris benigniùs annuentes, „Conſtitutionem ipſam à vobis, ſicut „diximus, rationabiliter factam, rectam habemus, & præſcriptos reditus „Cuſtodi librorum veſtrorum, ſicut ei „à vobis ſunt circumſpectâ providentiâ deputati, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes, ut nulli omnino hominum „liceat hanc paginam noſtræ confirmationis refringere, vel ei auſu „temerario contraire. Siquis autem „hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & „Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. „Datum Lateran. XV. kal. Jul.„

Extant Pontificiæ hæ literæ (e) in calce Martyrologii Corbeienſis Monaſterii. Unde Edmundus Marthene (f) non ex vano ſcribit Bibliothecam Corbeiæ veteris ingenti manuſcriptorum codicum copia abundâſſe. Et licèt anno 1624. corruente ditiſſima hac Bibliotheca multi optimi codices perierint, atque ex reſiduis magis præcipui in Bibliothecam S. Germani à Pratis fuerint transportati, ad ducentos tamen & plures hodiedum ſuperſunt, quorum ſyllabum habes apud Montfauconium in Bibliotheca Mſs. Codd.

(e) vid. Acher. in Notis ad V. Guiberti Abb. opera.
(f) Voyage litteraire pag. 171.

Marſilienſis S. Victoris.

Marſiliæ in Abbatia S. Victoris, Monaſterio omni veneratione digno, extitiſſe aliquando perinſignem Bibliothecam, docemur ex ſtatuto Mainerii Abbatis, quô idem an. MCXCVIII. ſapienter providit. Sic verò illud habet.

de qua Mainerii Abbatis Statutû.

„ Cùm in nniverſis locis neceſſaria
„ pacis unitas habeatur, propenſiùs in
„ his locis, in quibus plures in unum
„ aſſociat Chriſti amor, providendum
„ eſt, ne quiſquam dignè poſſit con-
„ gregationi ſcrupulus ſuboriri, & ſi
„ fortè aliquando pullulare videatur,
„ ſumma cum diligentia debet extir-
„ pari. Sanè conquerentibus mona-
„ ſterii noſtri fratribus univerſis, quòd
„ quidam prædeceſſores noſtri arma-
„ rio ipſius eccleſiæ, quod provida &
„ diligenti antiquorum patrum & ab-
„ batum curâ inſtructum eſt, & di-
„ verſarum artium libris ornatum, li-
„ bros legum, qui ad ipſum armarium
„ ſicut alii libri ſpectant, cùm fortè
„ aliquorum devotione monaſterio le-
„ gebantur, vel quacunque cauſa
„ perveniebant, pro ſua voluntate
„ auferebant, & capiebant. Ego
„ Mainerius Dei gratia ejusdem mo-
„ naſterii Maſſilienſis, majorum noſtro-
„ rum uſus conſilio, conqueſtiones
„ ipſas perpetua pace & concordia ter-
„ minare & pacificare decrevi. Juſtis
„ igitur totius conventûs benigno fa-
„ ventes aſſenſu poſtulationibus, li-
„ bros legum, ſeu cujuslibet alterius
„ facultatis, ant artis univerſos,
„ qui aliquo modo, vel qualibet ra-
„ tione monaſterio legati vel largiti
„ fuerint, ad manus cujuscunque ab-
„ batis, vel officialis, ſeu clauſtralis
„ aut prioris deveniant, ſine aliqua
„ contradictione armario monaſterii
„ aſſignandos, & fideliter reddendos
„ eſſe, perpetua & firma ſtabilitate
„ volumus & mandamus, & cum
„ præſentis ſcripti auctoritate conce-
„ dimus. Excepimus tamen ex ipſa
„ conceſſione *Breviaria*, quæ propriè
„ ad abbates pertinent, & *Miſſales*,
„ qui eccleſiæ ſervitiis deputati ſunt.
„ Et ne in poſterum aliqua ſucceſſo-
„ rum, vel fratrum noſtrorum poſſit
„ arbitrio, ſen voluntate infringi, ipſa
„ conceſſio noſtri & conventûs ſigil-
„ lorum eam impreſſione firmamus, &
„ præſentis ſcripti patrocinio commu-
„ nimus. Actum in Capitulo Gene-
„ rali infra monaſterium, anno do-
„ minicæ Incarnationis MCXCVIII.
„ Indictione primâ menſe Decembri. „

Manuſcriptorum Codicum, qui hodiedum in hac aſſervantur Bibliotheca, Catalogus extat apud Montfauconium in Bibliotheca Bibliothecarum Mſs.

Antiſſiodorenſis S. Germani

Antiſſiodorenſe Sancti Germani Monaſterium ſeculo adhuc decimo ſexto nobilem habebat Bibliothecam, in qua non exigua veterum librorum ſupellex, teſte Peſſeliræo (g) ejusdem loci Cœnobita, in epiſtola ad Ludovicum à Lotharingia, Abbatem ſuum, cui Claudii Taurinenſis Commentarium in epiſtolam ad Galatas, ex ea Bibliotheca erutum, nuncupavit, relictis aliis ejusdem Claudii in omnes fermè Pauli epiſtolas commentariis, *inter varias omnium ſcientiarum gemmas, quæ ſanè non paucæ*, inquit, *in Bibliotheca vetuſtiſſima aſſervantur.* Hæc ſcribebat ille anno ſextidecimi ſeculi quadrageſimô ſecundô: quo ex tempore Calviniſtarum furor omnia illic ſacra & profana diſſipavit, proculcavit, abſumpſit. Ex vetuſtis libris quidam in alias manus devenerunt, nt canones Iſaaci, epiſcopi Lingonenſis, à Baluzio laudati, & codex capitularium modò in regia Bibliotheca aſſervatus. Codex verò homiliarum Caroli Magni juſſû collectarum, qui unus ferè ex veteri ejus loci Bibliotheca ſupererat, pretiô redemptus fuit à Monachis Congregationis S. Mauri. In illo codice nullæ occurrunt homiliæ Gregorii M. & V. Bedæ tempore poſteriores. Ad calcem ſequentes leguntur verſus:

destruitur à Calvinianis.

Obtulit hunc librum Domino, Germane, tibíque
EBRARDUS *ſupplex, ſupplicis eſto memor.*
Auferet hunc nullus, cujus præcordia Chriſtus
Poſſidet, iratum ne patiatur eum.
Quin etiam fratris munus votúmque probando,
Inſiſtet parili, quidquid amore valet.
Nam potis in cœtu fratrum ſolemniter illum
Ad laudem Domini nocte diéque legi.
Jungitur huic alter, ſolarem ut compleat annum,
Hic feſtos poterit quis reperire dies.
Auguſtus Carolus juſſu collegit utrumque,
Ampliùs hinc nobis munera tanta placent.
Doctus erat, credas, Carolus cui juſſerat illud,
Quilibet hinc placido corde ſequatur idem.

Ebrardus, cujus mentio fit in carmine, vel compilator vel monachus ſcriba erat. Alter codex continens alteram partem homiliarum, necdum reparari potuit. Syllabum plurium Mſs. Codd. vide apud Montfauconium in Bibliotheca Biblioth. Mſs.

(s) apud Mabill. Annal. tom. 3. pag. 147.

Remis

Remenſis Archiſterii Libris quà cuſis quà Mſtis locuples.

Remis in regali Archimonaſterio (h) Bibliotheca eſt, quæ ſingularem meretur deſcriptionem; nam editis pariter & manuſcriptis refertiſſima eſt. Editi non ſunt obvii quique, ad implendos forulos, ut ſæpiùs fit, coëmti, ſed magnâ curâ ſelecti, rari, & bene ordinati. Manuſcripti & Græci & Latini ad quingentos vel ſexcentos venerandæ ſunt antiquitatis, maximam partem tempore Hincmari Remenſis Archiepiſcopi conſcripti, quibus ipſe monaſterii Bibliothecam donavit. Tanta eſt eorum elegantia, ut nonnulli aureis literis ſint exarati. Inter illos animadverſione digna habetur epiſtola typis vulgata in Commentariis Bucherii ſub hoc titulo *Philippi de Ratione Paſchali*. Bucherius hunc Philippum ſibi eſſe Incognitum fatetur; verùm in manuſcripto epiſtola illa his verbis inſcripta eſt: *Incipit epiſtola Theophili Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopi*. Extat in eodem Mſ.to alia epiſtola, cui titulus præfixus eſt: *Macrini Epiſcopi Alexandrini de ratione paſchali*. Libros Juliani Toletani *de comprobatione ſextæ ætatis* inſertus eſt alteri Codici manu exarato, & admodùm vetuſto ſub nomine Juliani Pomerii. Plurium habere codicum Mſs. notitiam ſi te delectat, Montfauconium adeas in Bibliotheca Mſs. Codd. Librum tamen Precum *Hemmæ*, Lotharii Francorum Regis conjugis notare juvat; in eo ſiquidem Oratio Dominica & Symbolum Apoſtolicum citra ſalutationē Angelicam ſunt deſcripta, quod argumento eſt, eam id temporis nondum in uſu fuiſſe. *Vid. Mabill. Præfat. in Acta Sec. V. O. S. B.*

S. Germani de Pratis omnium præcipuæ in Congr. S. Mauri.

Bibliotheca Monaſterii S. Germani à Pratis in Congregatione S. Mauri facilè omnium præcipua eſt, præſertim ab eo tempore, quo Joannes d' Eſtrée, Archiepiſcopus Cameracenſis, Henricus Carolus de Càmbout, Epiſcopus Metenſis, Euſebius Renaudot, Vir clariſſimus ac eruditiſſimus, integras ſuas Bibliothecas eidem legârunt, atque adeò numeroſiſſimis tum impreſſis, tum manuſcriptis codicibus locupletârunt. Hæc Bibliotheca S. Germani Lutetiæ Pariſiorum non à Regia modò primas obtinet, ſed inter præcipuas etiam totinsEuropæ numeratur. Codices MSS. habet octo millia circiter; in quorum numero ſunt ferè mille Arabici, Syriaci, Chaldaici, Coptici, ſive Ægyptiaci, ut quingenti Græci. Inter quos ultimos eſt *Pentateuchus* & *Libri IV. Regum*, de quibus Cl. Montfauconios in Catalogo Bibliothecæ Coisliniranæ meminit: *Epiſtolæ S. Pauli*, codex venerandæ vetuſtatis, manúque antiquiſſimâ exaratus. Inter Latinos autem eſt codex epiſtolarum S. Auguſtini in charta papyracea Ægyptiaca, qualis deſcribitur apud Plinium, cujus ſpecimen dedit laudatus Montfauconius in Supplemento ad Antiquitatem explanatam Tom. III. pag. 218. cui ſimilis, ſed paucioribus foliis Genevæ habetur: præter ambos illos nullum alium ſe nôſſe ſcribit idem Montfauconius ex papyro Ægyptiaca librum. *Pſalterium Argenteum Seculi VI.* Opera *Origenis* Seculo VI. vel ad minimum VII. exarata. Fragmenta *Evangeliorum S. Matthæi & S. Marci* Sec. VIII. formæ auguſtæ.

Libri typis excuſi ad ſexaginta millia aſſurgunt, qnos inter memoratu digna habentur

Pomponatii Opera Philoſophica. Venetiis 1525. in folio.

Les Ouvrages d' Avicenne en Arabe. Romæ 1593. in fol.

Le Durandus; ſplendida editio Jo. Fauſti an. 1459. in fol.

Opera Auguſtini de an. 1467. item 1470. En verſus ad calcem poſterioris hujus editionis adſcriptos:

Qui docuit Venetos exſcribi poſſe Johannes
Menſe ferè trino centena volumina Plini,
Et totidem magni Ciceronis, Spira Libellos
Ceperat Aureli; ſubitâ ſed morte peremptus
Non potuit cœptum Venetis finire volumen.
Vindelinus adeſt ejusdem Frater, & arte
Non minor, Hadriacâque - morabitur urbe.

Opera S. Cypriani de Baluze, ſans Carbons.

Opera S. Gregorii M. Pariſiis 1475. in folio. Una ex primis editionibus charactere Gothico.

Epiſtolæ S. Hieronymi, de Maximis. 1468. in folio.

Okolski Orbis Polonus condecoratus, Cracoviæque impreſſ. 1641. in folio. Opus maximæ raritatis.

Le Miroir hiſtorial, ſeu Speculum Hiſtoriale. 1516. in fol.

De pleriſque his editionibus nulla fit mentio in Annalibus Typographicis Maitarii.

Le Roſier hiſtorial, Roſarium hiſtoriale in fol.

Plutarchi editio in fol. 1473. ad finem ſequentes leguntur verſus:

Aſpicis

(h) Ruinart in Itin. Lit. in Alſ. & Lothar. item Martene Voyage Literaire pag. 84.

Aſpicis illuſtris Lector quicunque Libellos,
Si cupis Artificum nomina noſſe, lege.
Aſpera videbis cognomina Teutona. Forſan
Mitiget Ars Muſis inſcia verba Virum.
Conradus Sweynheim, Arnoldus Panartzq; Magiſtri
Romæ impreſſerunt talia multa ſimul.

Valerius Maximus membranaceus A. 1471. in fol. excuſus à Petro Schöffer. Meminerunt hujus editionis Fabric. Bibl. Lat. Tom. 2. p. 486. Michaël Maitaire l. c. pag. 303.

Epiſtolæ Philelphi in fol. 1500. Mich. Maitaire Annal. Typ. Tom. 2. p. 727. Adeſt etiam *Juvenci* Hiſtoria Societatis Jeſu, quæ ſuppreſſa fuit. Jeſuitæ hoc negant: Et cur Hiſtoria methodicè, accuratè, & eleganter ſcripta æternis damnetur tenebris: illud à vero non abeſt; hiſtoriam hanc typis excuſam extra Collegia & Domos Societatis non diſtrahi. Et ſapienter hoc fit; nam plura iſtius Libri capita politicæ Gallici Regni poteſtati adverſantur, dum Catholicorum fœdus adversùs Henricum IV. collaudat; dum Edicta quædam inflicta adversùs Jeſuitas à Curia Parlamenti criminatur; dum defenſionem fidei à P. Suario conſcriptam commendat, demùm dum Pontificiam authoritatem ſuper Regum Temporalem propugnat. Vid. Card. Quirin. in Comentar. Vitæ l. 2. cap. 8. pag. 197.

Excitatorium Vitæ Spiritualis Hiſpanicâ editum linguâ, unde excerptus dicitur liber à S. *Ignatio de Loyola*, eodem titulo recuſus & auctus.

Denique Collectio Scriptorum Hiſtoriæ Francicæ tanta adeſt, quanta in nulla alia totius Regni Bibliotheca.

Quæ verò hactenus à me commemorata fuerunt, ea partim ex literis Cl. Montfauconii ad me datis, partim ex Hiſtoria Itineris Literarii in Franciam Authoris Anonymi de an. 1733. excerpſi. Qui Vir poſterior eruditione ac doctrina inſignis, licèt Acatholicus, in Patrum San-Germanenſium laudem his verbis excurrit: *Il n'eſt point dans Paris de Couvent, où les Etrangers trouvent plus de plaiſir, que dans l'Abbaye de St. Germain: tout y reſpire la Science, & la Politeſſe. L'Etranger n'y voit rien, qui le choque. Ici le Religieux eſt occupé à l'Etude, & fait du travail ſon principal plaiſir. D'ailleurs, cette Maiſon renferme les plus ſçavans Hommes de France, qui conſacrent toute leur Etude au Bien de l'Egliſe, & de l'Etat.* id eſt: *Haud aliud Pariſiis eſt monaſterium, quod peregrinis magis arrideat, atque S. Germani à Pratis aſceterium. Omnia in eo doctrinam morúmque ſpirant elegantiam. Quod advenarum animos offendat, nihil videbis. Nullus Religioſorum otio torpet, ſed omnes ſtudiis occupantur, quorum labores ſummæ voluptatis locò habent. Enimverò quos Gallia habet doctiſſimos viros, eorum ſedes eſt Religioſa hæc Domus, quibúsque nihil potius, quàm ut ſua literarum ſtudia ad Eccleſiæ & Reipublicæ referant emolumentum.* Cæterùm Bibliothecæ San-Germanenſi hodie præfectus eſt, ni fallor, Domnus Ludovicus Emerault, Vir perinde doctus, ac morum comitate conſpicuus, à quo etiam novam Operum S. Ambroſii editionem ſperare juſſi ſumus. Catalogus Mſs. Codd. extat in Bibliotheca Mſs. Codd. à Montfauconio juris publici facta.

Bibliotheca Cluniacenſis. In hac reſidui ſunt veteres Codices, vix omnino centum, ex copioſiſſimo illo numero, qui in veteri catalogo reperitur. Catalogus iſte ante annos quadringentos ſcriptus eſt in quatuor foliis ligneis membranâ tectis, quæ tribus pedibus & dimidio in longum, ſeſqui unô in latum conſtant. In eo Catalogo Mabillonius (k) hæc notavit: *Volumen, in quo continetur ſtilus Paulini Toloſani de B. Martino.* Id Poëma eſt Paulini, quem *Petricordienſem* nonnulli codices appellant. *Volumen, in quo lous, ſive regulæ muſicæ diſciplinæ Aureliani monachi S. Johannis Reomenſis.* Aliud *volumen, in quo continetur liber Flaviani Diaconi ad Lotharium Imperatorem verſificè de laude ejusdem & aliorum, de quorum progenie deſcendit.* Item *volumen, in quo continetur Claudianus de Conſulatibus verſificè.* Hæc in multis deſiderantur. In reliquis habetur *vita & actus Domni Karoli Imperatoris magni edita ab Alcuino Magiſtro*, qui genuinus fœtus eſt, non Alcuini, ſed Eginhardi. Cluniacenſis Codices Manuſcripti ex plurimis pauci reſidui.

In fine Comentariorum Rabani in Jeremiam hæc leguntur: *Hic liber deſcriptus eſt juſſu Domni Maioli Abbatis ab Herimano Sacerdote, licèt indigno, & Monachorum omnium ultimo, & prælibati Patris voto oblatus S. Petri Clunienſi Cœnobio.* Et in fine expoſitionis S. Ambroſii in Lucam: *Liber oblatus ad altare S. Petri Clunienſis ex voto Domni atque Reverentiſſimi Majoli Abbatis.* Sic libros offerebant veteres

(i) Hiſtoire d'un Voyage Literaire fait en 1733. en France. pag. 78.
(k) Vid. ejus Iter Burgund. Opp. Poſthum. tom. 2. pag. 22.

teres ad altare, & ad ſepulchra Sanctorum, quemadmodùm de Maſſone, S. Augendi Præpoſito, exemplum affert Mabillonius in Itinerario ſuo Burgundico.

Gloſſulæ. Initiò Regiſtri Gregoriani quædam Gloſſulæ habentur, in quibus iſtæ: Diacopoſis eſt adminiſtratio laboris. Syntichia Miſſa, vel Officium Eccleſiaſticum, vel Eccleſia. Adæravit, id eſt, ære numeravit. Pyxides ſunt vaſcula, in quibus reliquiæ continentur. Thia, amita, nomen eſt venerationis. Maſſis menſuris. Manu ſignatus, id eſt, manumiſſus. Taxiarchi ſunt, qui præſunt rebus taxandis, id eſt, æſtimandis. Metanœa genus eſt teſtis. Tabularium numerus reditaum in tabula ſcriptus. Abſis eſt freda, operculum ligneum, quod retrò altare fit ſuper corpora Sanctorum. Gypſus eſt terra tenax, unde fiunt imagines. Infula generaliter omnis veſtis ſacerdotalis dicitur: propriè tamen infulæ dicuntur vittæ, quibûs caput ornatur. Rubricæ dicuntur lineæ cœmentariorum, dictæ à rubro colore: ſed aliquando pro flagello ponitur. Cors dicitur ambitus, quod ruſticè dicitur *Curt*.

Operculo Commentariorum Hieronymi ſuper Iſaiam affixum eſt antiquiſſimum Kalendarium Eccleſiæ Carthaginienſis, ſive potiùs Africanæ. In eadem Bibliotheca vetus Cluniaci Necrologium perquiſivit Mabillonius, ſed nuda ferè perſonarum, quibus ſuffragiorum communio conceſſa eſt, nomina invenit, nullâ meoſum habitâ ratione, ſed ut ſeſe offerebant, diſpoſita. In his habentur literæ ſocietatis initæ à Walterio Æduenſi Epiſcopo, in quibus illud ſingulare occurrit, quòd Romani Pontificis atque Regis præceptô eas confirmari voluerit, factâ donatione Monaſterii Magabrenſis, in hæc verba: „ Trado „ Monaſterium Magabrenſe Fratri „ noſtro Domno Odiloni Abbati & „ ſucceſſoribus ejus, Cœnobióque „ Clunienſi, eâ ratione, ut ſocietas „ noſtri loci & Clunienſis Cœnobii, „ ſicut tempore Domni Majoli Abba- „ tis, caritatis vinculô conligata per- „ manſit, ſic etiam cunctô in tem- „ pore inlibata permanere poſſit. - - - „ Hanc verò noſtram deſcriptionem „ diſpoſuimus roborare, & Romanæ „ auctoritatis privilegio, & Regali „ præcepto: „ Subſcribunt *Walterius peccator Epiſcopus*, *Walterius Abba*, *Ambaldus Abba*, *Umricus Abba*, dig-

Necrologium.

nitates Eccleſiæ Æduenſis, *Anſuſus Præcentor*, *Anſericus Archidiaconus*.

Ex quadam epiſtola *Petri Venerabilis* Abbatis Clunienſis diſcimus, GUIGONEM, illuſtrem illum Magnæ Carthuſiæ Priorem, ab eo petiiſſe, ut ex Bibliotheca ſibi nonnulla SS. Patrum ſcripta comodaret, & nominatim illum S. Ambroſii adversùs Symmachum Præfectum, S. Proſperi adversùm Caſſianum, & Epiſtolas S. Auguſtini, & S. Hieronymi. Baſilius, qui Guigonem excepit, ab eodem Clunienſi Abbate aliqua petiit S. Ambroſii opera. Petrus verò hos libros ad illum mittens commodati ſchedam exigit, juxtà S. Hugonis præſcriptum, ne quis liber commodato tribuatur ſine ſcheda.

Libri comodato non tribuendi ſine ſcheda.

Quòdſi jam quæras, quò cæteri manu exarati codices, quorum ingens vis in Bibliotheca Clunienſi olim erat, pervenerint? dicitur, quòd Calviniſtæ illos Genevam aſportârint, ubi hodie publicam civitatis Bibliothecam exornant.

Ex Clunienſi etiam Bibliotheca Patres Concilii Baſilienſis libros quosdam ſibi neceſſarios ſubmitti petierunt. En! epiſtolam Concilii ad Cluniacenſes Monachos.

Mittuntur Baſileam ad Concilium.

„ Sacroſancta Generalis Baſilienſis „ Synodus in Spiritu ſanctô legitimè „ congregata, Univerſalem Eccleſiam „ repræſentans, Dilectis Eccleſiæ filiis „ Abbati & toti Conventui Monaſte- „ rii Cluniacenſis, ſalutem & Omni- „ potentis Dei benedictionem.

„ Accepimus pridie duo volumina „ Beati Auguſtini, in quorum altero „ eſt Tractatus contra Donatiſtas, & „ contra Manichæos, & contra Fau- „ ſtum; in altero verò de Baptiſmo „ parvulorum. Commendamus dili- „ gentiam & obedientiam veſtram, „ certificantes vos, quia non ſunt mi- „ nùs ſalvi hîc, quàm in monaſterio „ veſtro, & quia expeditô iſtô nego- „ tiô Boëmorum, procul dubio vobis „ remittemus ſine aliquo detrimento. „ Verùm indigemus neceſſariò Am- „ broſio de paradiſo animæ, Ambro- „ ſio de Sacramentis, & Ambroſio „ ſuper Lucam; Item Anſelmô de Sa- „ cramentis: Item Fulgentiô: Item „ Ambroſiô ſuper pſalteria. Horta- „ mur vos omnes & ſingulos, mandan- „ tes nihilominùs cuilibet veſtrûm in „ virtute ſanctæ obedientiæ, & ex- „ communicationis latæ ſententiæ, ut „ prædicta volumina ſine mora mitta- „ tis ad nos. Expenſas autem, quas

„ portando & reportando fieri continget, paratos ſolvere nos offerimus. Eſt enim magna neceſſitas, „ ut prædicti libri ſint hîc. Nam infra octo vel decem Ambaſſiatores „ Boëmorum hanc civitatem ingreſſuri ſunt. Datum Baſileæ die vigeſimâ ſextâ menſis Decembris MCCCCXXXII.

Catalogum Mſs. Codd. celeberrimæ hujus quondam Bibliothecæ apud *Montfauconium* in Bibliotheca Bibl. Mſs. quæſivi, ſed non inveni.

§. III.

De Lotharingiæ Bibliothecis.

Status rei Bibliothecariæ apud Benedictinos in Lotharingia.

IN Lotharingia quinam rei Bibliothecariæ ſtatus, quæ ſors, ac conditio ſit, cùm non ita pridem ex Reverendiſſimo Abbate CALMET reſcire expetiiſſem, is pro ſingulari ſua humanitate in hæc verba reſpondit(1): *De Bibliothecis noſtris, præſertim in Lotharingia, id dicere poſſum, vix alibi præſtantiores, ſelectiores, aut ditiores inveniri, ſi Bibliothecas illas Pariſinas, Romanas, Viennenſes excipias, quibus non licet æquiparare noſtras, tametſi noſtræ ad uſum & utilitatem ſtudiorum noſtrorum ita comparatæ ſunt, ut vix quidquam nobis deſiderandum relinquant.* Atque ut de

Bibliotheca Senonienſis.

Bibliotheca Monaſterii Senonienſis, cui Doctiſſimus Abbas *Calmetus* multis jam annis laudatiſſimè præeſt, primò dicam, inter primarios illius conditores celebratur *Antonius* Abbas circa A. 1094. clarus, qui inſolitam huic monaſterio peperit famam tum ſumptuoſis, quæ erexit, ædificiis, cùm maximè ingenti, quâ eam ditavit, librorum copiâ, in ſuos & aliorum uſus undique conquiſitâ. Poëta Anonymus, qui ejus acta verſibus extulit, hoc inter alia profert de eo teſtimonium:

Singula vix fatur, quot libros hic gratulatur
Se conquiſiſſe...

Richetius ejus loci hiſtoriographus libr. 2. cap. 21. pari modo ipſius animi magnitudinem, doctrinam, pietatem, ac regularis diſciplinæ & rei librariæ ſtudium extollit; nec minora ſunt elogia, quæ *Calmetus* eidem tribuit in ſua Lotharingiæ Bibliotheca pag. 56. Modernum verò illius Bibliothecæ ſtatum quod attinet, certè nec Codices Mſ.ti, nec typis excuſi, in ea deſiderantur. Equidem priores haud ingenti numerô habentur, qui tamen minimè in contemptu ponendi ſunt. Ex his codex Evangeliorum, annorum circiter 800. cum hac inſcriptione: *Deo ſuóque Domino ſancto Petro pro remedio animæ ſuæ Suthardus Senonenſis Abbas hunc librum contulit.* RICHERII ejusdem loci Monachi *chronicon*, quod in Tom. 3. Spicilegii Acheriani editum eſt. Necrologium ab annis 700. primâ manu deſcriptum, & Martyrologium ab annis 500. Breviarium Eccleſiæ Tullenſis annorum 300. ex quibus multa ſe collegiſſe teſtatur (m) *Ruinartus.* Adeſt etiam Tractatus Magiſtri *Stephani Pariſienſis* in Regulam S. Benedicti ab annis circ. 300. ſcriptus, cui hæc epiſtola præfigitur: *Venerabili Patri & D. venerando* ROFREDO *Inſulano Divina providentia &c.* Quo de opere vide dicta *Part. III. hujus Hiſtoriæ pag. 23.* Ibidem & in Bibliotheca S. Michaëlis adſervantur Scripta philoſophica & critica *Roberti de Gabets.*

Longè major, ac extra omnem comparationis rationem copioſior eſt multitudo voluminum ac librorum typis exſcriptorum, qui quod caput rei eſt, probi ſunt, ſelecti, præſtantes. Pleroſque, vel certè quidem majorem partem R.mus Abbas CALMET comparavit, hodiéque comparare non ceſſat in non magnis monaſterii proventibus; ſed cui in omni ratione victus ac veſtimentorum frugalitas pro magno vectigali eſt. Non illi cura eſt de ſplendidis equis & curribus, non de ſuperbis ædificiis, non de voluptuoſis hortis ac viridariis, non de monetis fulvis ac nummis corradendis, ſed de monaſticæ diſciplinæ primùm obſervantia, ac tum literarum ſtudiis, ac optimis quibusque libris comparandis. Dixerit olim Domitius Piſo: *Theſauros oportet eſſe, non libros;* Ampliſſimus Abbas *Calmetus* dicit: *Libros oportet eſſe, non theſauros.* Quod & ſuis omnibos, utpote viris doctiſſimis, pergratum eſt, & apud exteros, qui id intelligunt, magnificè collaudatur. Neque enim ad pompam & vanam oſtentationem *Calmetus* numeroſis libris monaſterii ſui adaoget Bibliothecam, ſed quibus tam ipſe, quàm ſui in elucubrandis novis Operibus adjuventur. Quid multis? uti R.mo *Calmeto* nemo noſtrâ ætate in Eccleſia Catholica præſtantiores in lucem emiſit libros, ita in adornanda

Abbas Calmet rei librariæ augendæ ſtudioſiſſimus.

re

(1) In literis Cal. Junii A. 1737. ad autorem datis.
(m) In Itin. Lit. in Alſ. & Lothar. pag. 442.

re bibliothecaria nemo ſtudioſior, peritior, ac liberalior habetur. Quin & nuper inſigne Numiphylacium Illuſtris Viri *de Corberon* redemit, eíque Muſæum Domini *de Voile*, & alia naturæ curioſa ingenti numero adjecit. Illuſtrem Abbatem, ac magnum non ſuæ tantùm Congregationis, ſed univerſæ Familiæ Benedictinæ decus & ornamentum! *Ejus vitæ curſus diductior habetur in Bibl. Lotharing. p.209.*

S. Michaëlis ad Moſam libris referta quotidianas accipit acceſſiones.

BIBLIOTHECA MONASTERII S. MICHAELIS *ad Moſam* libris editis inſtructiſſima eſt (n), & quotidie novis augmentis ditatur; ſed manuſcripti, ſi numero quidem pauci, antiquitate ſaltem & operibus non contemnendi. Ibi enim habentur Ambroſii, Fulgentii, Gregorii, & aliorum Patrum complures tractatus, Auguſtini variæ epiſtolæ & homiliæ: Caſſiani Collationes, Hiſtoria Euſebii per Rufinum translata, Bedæ Commentarius in epiſtolas Catholicas Jacobi, Petri, & Johannis ab annis circiter 800. ſcripti. Eandem antiquitatem præferunt vita S. Columbæ, & aliorum Sanctorum, Columbani, aliorúmque ejus diſcipulorum. Paulò antiquior videtur codex, qui varia complectitur S. Athanaſii Opuſcula Latinè reddita, partim ſincera, partim falsò illi attributa. Ex illis eſt epiſtola contra Judæos, Paganos, & Arianos, quæ eſt verus Auguſtini fœtus. Non deſunt etiam profani auctores, quales ſunt Solinus, Priſcianus, & vel maximè Alcoranus aureis literis conſcriptus; qui quâ ratione in monaſticam fuerit delatus Bibliothecam, compertum non habeo: illud me non fugit, Bellforeſtum in Hiſtoria Novem Carolorum conqueri, quòd regnante Carolo IX. Alcoranus Mahometis majori aviditate apud Regni hujus librarios conquiſitus fuerit, quàm vel præſtantiſſima ſanctorum Patrum Opera, vel ipſa Sacra Scriptura. Venerabilis Petrus Abbas Cluniacenſis Alcoranum ex Arabico in Latinum transferri curavit, non ut illum curioſitate impulſus evolveret, ſed ut orthodoxæ fidei zelo incenſus confutaret. Hoc fine Alcoranum in monaſticis haberi Bibliothecis, non eſt vitio monachis vertendum.

Verodunenſis Libris cùm impreſſis tum Mſs. referta.

VERODUNENSIS S. VITONI *Monaſterii Bibliotheca* (o) non ſolùm libris editis inſtructa eſt, ſed multis etiam manuſcriptis. In his collectio aliquot Conciliorum Romæ habitorum, anno 700. & alia annorum 800. Chronica Paſchalia, quæ à Labbeo edita ſunt Tomo I. novæ Bibliothecæ. Concordia regularum à S. Benedicto Anianenſi Abbate continuata, annorum 700. Periarchon Origenis latinitate donatum, annorum 800. Rufini translatio aliquot Operum S. Gregorii Nazianzeni annorum 500. Vita S. Vitoni à beato Richardo conſcripta, aliæque loci Patronorum vitæ. Alcuinus de Trinitate ad Carolum M. variáque Hieronymi, Auguſtini, Ambroſii, Fulgentii, Gregorii, Fortunati Boëtii Opera. Comentarius ſub falſo Bedæ titulo, In Epiſtolas S. Pauli, qui annos tamen 6. ad 700. præferre videtur. Inter libros Rituales Necrologium & Martyrologium; item Tractatus de negligentia Evchariſtiæ ab annis circiter 600. deſcriptus. Adſunt etiam codices R. P. *Deſiderii à Curia* Congregationis non minùs S. Mauri, quàm S. Vitoni parentis ac inſtitutoris, imò & omnium Galliæ vicinarúmque reformationum auctoris, manu deſcripti, in quibus methodns addiſcendæ linguæ Hebraicæ habetur, & alia, quæ ejus in ſtudia propenſionem indicant. In Diario *Nicolai Pſalmæi* (p), qui Concilio Tridentino interfuit, hæc leguntur de concluſione Concilii: *Epiſcopus Cataniensis legit Decretum, quo petiit à Patribus, an placeret finem huic Synodo imponi, & confirmationem eorum, quæ hactenus acta ſunt, per Legatos à Sanctiſſimo peti, quod omnibus placuit, præterquàm tribus, qui noluerunt aliam confirmationem.* Certè *Gentianus Hervetus*, qui Synodo etiam cum Cardinali Lotharingo interfuit, in prima editione Gallicana Concilii, quam adornavit, refert, ab omnibus dictum fuiſſe, *placet*, excepto uno. Eſt ibidem vetus ejnsdem Synodi editio Venetiis anno 1552. ubi poſt canones de peccato originali deeſt exceptio, quâ B. Virginem à communi illa labe fuiſſe immunem innuere videtur ſacra Synodus... *Vide Calmet Bibl. Lothar. pag. 775.*

Mediani in Voſago monaſterii Biblioth.

MEDIANUM *in Voſago Monaſterium* nti illnſtribus Viris qnampluribus antiquitùs effloruit, ita etiam permultis & pretioſis rei literariæ cimeliis locupletatum eminuit. Seculo Eccleſiæ XI. inſignem doctrinâ, meritis

&

(n) Ruinart l. c. pag. 434.
(o) loc. cit. pag. 450. & 468.
(p) Vide *Pſalmai* Acta Hiſt. Virdun. p. 431. & in Calmeti Bibl. Lotharing. p. 775.

& dignitate Virum protulit Emin. S. R. E. Cardinalem HUMBERTUM, qui eo in monaſterio vivebat an. 1029. ſub optimo Abbate *Norberto*, cujus auſpiciis plurimùm in literis profeciſſe memorat ſinchronus loci Hiſtoriographus. *Norberto*, ceu *Nervæ Trajanus*, ſucceſſit *Lambertus*, qui monaſterium ex lateritio, ut ajunt, marmoreum reddidit. Verba Chronographi repeto: *Medianenſe*, inquit, *Cœnobium ſub* Lamberto *magnis ſcientiæ, & maximè Literarum & Cantûs lampadibus illuſtratum emituit*. Poſtremis temporibus R. D. HYACINTHUS ALLIOT abbatiali dignitate an. 1676. ornatus, res Monaſterii per longas bellorum procellas maximè attritas & diſſipatas ſummâ curâ & induſtriâ reſarciit, auxit, & illuſtravit, verus Religioſorum Pater, Studiorum liberalium fautor & promotor præcipuus, qui demùm Congregationis Vitonianæ Præſes adlectus, Academiam quamdam literariam ſuo in cœnobio inſtituit, denatus die 22. Aprilis anno 1705. Frequens illi literarum cum *Mabillonio* commercium interceſſit, multáque inſignia collectanea è ſuo penu eidem ſuppeditavit. Ipſus quoque monumenta hiſtorica ſui Monaſterii in unum coëgit, è quibus Succeſſor ipſius *Humbertus Belhomme* Hiſtoriam illam contexuit, quæ Argentorati prodiit A. 1724. in 4. Quàm ſelectis porrò & utilibus tùm manuſcriptis, cùm editis codicibus referta ſit loci illius Bibliotheca, variis argumentis palam facit doctiſſimus Abbas *Calmetus*, qui illuc an. 1696. ad ſtudium S. Scripturæ cum aliis Sodalibus è Congregatione S. Vitoni miſſus, atque ibidem Philoſophiæ & Theologiæ junioribus prælegendæ ab anno 1698. ad 1704. diſtentus, ampliſſima illa, quæ Orbis miratur, in S. Scripturam commentaria ſolis illius Bibliothecæ ſubſidiis adjutus compoſuit. Copioſiorem verò librorum ſupellectilem reddidit laudatus *Humbertus Belhomme*, uti memorat Calmetus in Bibl. Lotharingiæ pag. 101. his verbis: *C'eſt Dom Belhomme, qui a formé la belle & nombreuſe Bibliotheque, qui ſe voit à Moyenmoutier; à quoy il a employé des fonds ramaſſés par ſon prédeceſſeur Dom* Hyacinthe Alliot, *auxquels il a conſiderablement ajouté de ſon épargne, n'ayant pas ceſſé jusqu' à ſa mort d'y mettre des nouveaux livres.* Ut de *Humberti* meritis magis conſtet, libet ejus Epitaphium hîc attexere; ita enim habet: Hîc jacet Reverendus admodum in Chriſto Pater D. D. *Humbertus Belhomme* Barroducæus, hujus Monaſterii tertius ab reformatione Abbas optimus ac beneficentiſſimus. Vir loco humili natus, non niſi grandia ſapere & agere didicit. Sinceræ inprimis fuit pietatis, acris ingenii, limati & exquiſiti in omnibus judicii, in rebus gerendis & tractandis animis miræ dexteritatis. Ut cæteris diſciplinis probè inſtructus, ſic & maximè ſacrorum Canonum ſcientiâ. Quam verbo docuit reformationis legem, hanc moribus expreſſit, firmavit exemplo. Hinc ſepties in Congregatione ſubire coactus imperium. Pauperes fovit velut viva Chriſti membra; Viduæ & afflicto nunquam defuit, ſubditós eâ complexus eſt charitate, ut non timerent Dominum, ſed venerarentur amantque Patrem. Huic Templo ſqualido olim & obſcuro ſplendorem addidit, pretioſamque ſupellectilem. Monaſterium ſic venuſtè, ita commodè de novo ædificavit; *& promovendæ Fratrum doctrinæ ſimul ac pietati amplam, eamque ſelectam inſtruxit Bibliothecam.* Poſt transactos in regimine viginti duos & ampliùs annos diem obiit ſupremum, magnum ſui deſiderium omnibus relinquens, anno 1727. pridie idus Decembris, ætatis 74.

Hyacinthi Alliot. — *& Humberti Belhomme in rem librariam merita.* — *Humberti Epitaphium.*

REMIRICI-MONTIS Virginum Monaſterium ad Moſellam ſitum, vulgò *Reimers-berg*, & *Remiremont*, inſignem olim habuiſſe librorum ſupellectilem nos docet ſæpè laudatus *Calmetus* in præfatione ad Bibliothecam Virorum Lotharingiæ illuſtrium N. XXVIII. his verbis: *Le Monaſtere de Remiremont a conſervé quantité de bons Manuſcrits, dont une partie a été donnée à feu Mr. Andreu Ecolâtre de Remiremont; une autre partie eſt demeurée au Monaſtere du ſaint Mont; & le plus grand nombre de ces reſpectables monumens a été transporté à l'Abbaye de Moyenmoutier, où ils ſont aujourd' huy. Je ne parle pas de ceux, qu'on a tirés de ce Monaſtere pour être envoiës à Heidelberg, d'où ils ſont paſſés au Vatican.*

Remirici Montis Biblioth.

§. IV.

§. IV.

De Bibliothecis Belgii.

Monaſterii Gemblacenſe à cultu rei literariæ laudatur.

LOtharingiæ contermina eſt Germania inferior, in qua ſacer Ordo noſter utì nobilia quondam poſſedit monaſteria, hodiéque poſſidet, ita inſignes etiam Bibliothecas. Et quidem *Abbatiam Gemblacenſem* in Brabantia vetus Sacrarium Muſarum, eruditionis ſcrinium, Belgicæ antiquitatis fontem meritò appellari teſtatur (q) Gramaius, rerum Brabanticarum præcipuus Scriptor: „Cujus alumnis, inquit, acceptũ ferimus, quod popularium Sanctorum res geſtas tenemus, Comitum antiquorum facta, imò & nomina habeamus, ſacros codices fide optima exaratos habeamus. Erat ſcilicet ab annis ſexcentis extructa Gemblaci Bibliotheca, erant, qui ſcriberent, erant, qui dictarent. Quod ad res ſacras, infinita ſunt volumina, quoad mixtas unus inſtar omnium Sigebertus, cui unius ſeculi vitam ſuam debet Belgica: Poëtas etiam non ignobiles fuiſſe, docent varia hinc inde monumenta, quæ & ego, & mecum alii, cum voluptate percurrerunt. Oratores, non qui in pulpitis tonare, aut vulgi aures demulcere ſoleant, ſed Regum animis, provinciarum cauſſis agendis aptiſſimi. Quales *Arnulphus* diſſertiſſima apud *Philippum Pulchrum* Regem Franciæ, pro Comite Flandriæ uſus oratione, & *Lambertus* operoſa apud Hiſpanum Regem pro nobilitate Brabantorum functus legatione.„

Olbertus Abbas Bibliothecam auget.

Bibliotheca igitur *Gemblacenſis* perantiqua eſt, quam Olbertus Abbas, Burchardi Wormatiæ Epiſcopi præceptor, magnâ librorum acceſſione cumulavit. Ut verò Bibliothecam augeret, fecit hoc inprimis ejus in literas ſtudium; tùm charitas erga fratres, quos per ſcribendi laborem exercebat, ne otiò torpeſcerent; & frequenti bonorum librorum lectione recreabat, ut animos eorum ad meliora promoveret. Hinc eſt, quòd præter libros ſacros, ampliùs quàm centum volumina ſanctorum Patrum, ſecularis verò diſciplinæ codices quinquaginta comparavit. Hoc librariæ rei ſtudium proſecuti fuerunt ſubſequentes Abbates *Anſelmus*, *Guibertus*, *Ludovicus Sombechus*, ut *Sigebertum* monachum ac hiſtoriographum perquàm celebrem, aliósque hujus monaſterii viros taceam literatos, qui, cùm eruditione ac doctrina præſtarent, vel ipſi ſuis lucubrationibus incrementa Bibliothecæ dederunt, vel certè quidem libros aliunde comparârunt.

quod alii etiam Abbates faciunt.

De *Anſelmo* Abbate, viro doctiſſimo, ac regularis diſciplinæ obſervantiſſimo, hoc extat encomium in Libello (r) de Geſtis Abbatum Gemblacenſium: *Bibliothecæ aſſiduus ſcrutator erat, & ubi utilitas poſcebat, eam emendando, & augendo meliorabat, quandocunque à lectione vel oratione vacabat, fratribus junioribus aliquid humanæ vel divinæ paginæ diſſerebat, non tantùm in ſeipſo vivere, ſed & in eis, poſt obitum ſuum, volens vivere.* Alter rei bibliothecariæ præ cæteris ſtudioſior Abbas erat *Guibertus*, antè Florinenſis Antiſtes, doctrinâ, ſanctitate, & ſcriptis clarus. Obiit anno 1208. Tertius, quem laudavi, erat *Ludovicus Sombechus*, teſte Sandero, non vulgaris eruditionis & humanitatis vir. Cujus beneficio pleraque, quæ hujus loci antiquitatem & ornamenta tangunt, Joanni Baptiſtæ Gramaio, tum patriæ ſuæ & vicinarum regionum chorographiam meditanti, candidè & liberaliter (quod nunc pluribus in locis ab ineptis, imò fatuis hominibus negatur) communicata fuêre. Unde de hoc Præſule idem Gramaius in hoc *Gemblaco*: „Ubi, inquit, Philoſophi regnant, aut Reges philoſophantur, beatam dixit Plato Rempublicam: ego Monaſterium, in quo literati, aut diſcentes. Tu ille es, qui, quidquid à Religioſæ vitæ exercitiis otii nanciſceris, id totum ſtudio ſoles conſecrare. Aurea illa, ubi olim omnium ſcientiarum arcana recondebantur, eſt Bibliotheca, tuis auſpiciis per annos plures recta, ornata, & ad uſus publicos communicata. Viri illuſtres *Joannes Molanus*, *Eraſmus*, *Pontus Heuterus* tuo beneficio hinc hauſerunt, quô ſitibundam paſcerent poſteritatem. Et ego ſi non doctorum, ſaltem doctrinæ amantium pars quantulacunque, & tuis & tui Cœnobii ſcriptis factus doctior, publicè beneficium profiteor; erunt poſteri,

(q) apud Sander. in Chronol. Sac. Brabant. Tom. 1. p. 5.

(r) Spicileg. Acher. Tom. V. vet. edit. Tom. II. novæ p. 769. Fallitur Sanderus, qui hoc encomium Arnulfo, Anſelmi ſucceſſori tribuit loc. cit. in Chorogr. Abbatiæ Gemblac. pag. 14.

„ ſi quos fama laboris noſtri attigerit, „ qui cum frequenti gratiarum actio„ne mentem ſuam teſtabuntur; erit „ tempus, quo lucubrationibus tuis, „ piis, doctis, elegantibus fruentur, „ doctrinam exoſculabuntur, labo„rem mirabuntur. Erit, cùm di„cent, quod nos modò, det Deus „ virum Eccleſiæ, Reipublicæ, eru„ditioni longævum eſſe. „ Sic de hoc præſtantiſſimo viro *Gramaius*. Obiit *Sombechus* anno 1609.

Audiendus eſt etiam *Antonius Sanderus*, & cum eo Guicciardinus de Bibliotheca Gemblacenſi. Et prior quidem, *Porrò*, inquit, *ſi ſacra Divorum excipias Lipſana*, *nihil in hac Abbatia pretioſius mihi fuerit*, *quàm Bibliotheca.* Poſterior verò, *Eſt in hoc Cœnobio*, ait, *celeberrima Bibliotheca*, *in qua plurimi libri veteres Mſ.ti*, *nec unquam typis excuſi*, *ad quos ſæpe confugit Eraſmus Roterodamus. Unde & multi ſcriptores ope codicum horum adjuti*, *honorificam ſæpe faciunt ejusdem Bibliothecæ mentionem.*

Adhuc diſertiùs de Bibliotheca *Gemblacenſi* loquitur *Ortelius* in Itinere ſuo Gallo-Brabantico. „ Gem„blacum, inquit, ire placuit, ut in„ſignem illam Bibliothecam Mſs. quæ „in eo ferebatur eſſe cœnobio, vi„deremus. Nec nos ea fefellit opi„nio. Aſſervantur enim hîc optima „ exemplaria quàm plurima, & libro„rum præcipuè, qui rem Theologi„cam tractant, quales ſunt veterum „ Religionis noſtræ Antiſtitum lucu„brationes, & quicunque ſub eo „ tempore Scripturam Sacram Lati„nè ſunt interpretati; nam ex Græ„cis nullos vidimus. Adſunt & Poë„tarum & Oratorum opera, & quid„quid ad Latinas facit literas: ali„quorum & diverſa exemplaria, quo„rum tamen nonnulla, quæ etiam „ habet Catalogus, hoc tempore de„ſiderantur. Hiſtoriarum præterea „ videre eſt longo ex ordine diſpoſita „ volumina, & inter ea Sigeberti ſui „ memoriam ſanctè conſervat: qui „ quondam in hoc eodem agens Cœ„nobio, Chronicon illud ſuccinctum, „ quod paſſim habetur, continuavit, „ atque ſub Imperio Valentiniani Jun. „ & Gratiani Augg. exorſus ad ſua „ usque perduxit tempora. Vixit au„tem ſub Henrico ejus nominis III. „ Auguſto, & anno MCXII. diem clau„ſit ſupremum. Scripſit & alios libros, „ qui itidem hîc extant, nonnullos „ proſâ, alios & metrô, quibus de om„ni literatura optimè eſt meritus, „ quantum ferebat illa ætas, quæ & „ utinam tales multos tuliſſet: certè „ non tam mutilam haberemus illo„rum temporum hiſtoriam, quæ in„ſignes rerùm commutationes, & „ ipſius Romani Imperii, quô nullum „ fuit unquam illuſtrius, ab extera„rum nationum colluvie devaſtatio„nem, cœnobium verò hoc ſuum in „ primis nobilitavit. „ Ita Ortelius.

Bibliotheca incendio devaſtatur.

Sed quæ fata Bibliothecarum ſunt, hæc tam inſignis Bibliotheca (*quis rei literariæ amans non ingemiſcat?*) ſeculô proximè elapſô maximam jacturam ferali incendiô paſſa eſt. Quæ voluminum reduviæ ſuperſunt, ad nihil æquè conferunt, quàm ut ſalivam viris eruditis moveant, eorúmque, quæ ampliſſimô numerô interierunt, excitent deſiderium. At enim *irreparabilium felix oblivio rerum.* Reſtant tamen autographum Chronici Sigeberti, epiſtolæ Guiberti Abbatis, nonnulla opuſcula Ratherii, vita Tancredi per aliquem ex ejus amicis ſcripta, & quædam alia.

Affligemienſis pridem libris ditiſſima.

AFFLIGEMIUM primaria eſt totius Brabantiæ Abbatia, cujus Abbas primum tenet locum inter Præſules Ducatûs Brabantiæ. Hîc olim fuit illuſtris Bibliotheca, de qua Guicciardinus in ſua deſcriptione Belgica ita loquitur: *Eſt in hoc Cænobio celeberrima Bibliotheca*, *variis omne genus libris inſtructa*; *adeò quidem*, *ut*, *quod ad libros antiquos*, *habeatur pro locupletiſſima & laudatiſſima univerſi iſtius tractûs.* Non parva eorum pars codices erant Mſs. è quibus à viris eruditis plures citantur, & laudantur. *F. Haræus* in ſuis Annalibus Brabantiæ paſſim *Auctuarii Affligemienſis* non ſemel integros periodos inſeruit: quod ipſum *Auctuarium* A. Miræus Sigeberto Gemblacenſi ſubjecit, ex Lipſiano MS. ut ait, codice, & publici illud juris fecit An. 1608. Qui tamen MSS. Codices, prô dolor! jam evanuerunt, & alienas Bibliothecas exornant. Anno 1643. Librorum manuſcriptorum reſtantium Indiculum Bibliothecæ Affligemienſis collegit Odo Cambier, Bibliothecarius & Monachus Affligemienſis, quem tytis evulgavit *Antonius Sanderus* in ſua Bibliotheca Manuſcripta Parte II. anno 1644. *Inſulis* typis Tuſſani de Clerq. in 4. Ubi in-

ter alios MSS. Codices in hoc Indiculo refert pag. 148. Monaſterii Affligemienſis Chronicon ab anno 1083. usque ad annum 1637. ſtudio V. D. Huberti Valeſii. Supprioris ejusdem monaſterii, qui obiit anno 1638. „Nos, inquit Cl. Cornelius (s) *van* „*Geſtel*, cùm anno 1717. Bibliothe-„cam hojus monaſterii luſtravimus, „nullos MSS. codices in ea vidimus, „vel nobis oſtendi potuêre, neque, „quod avidè deſiderabamus, præfa-„ti *H. Phaleſii Chronicon Affligemien-„ſe.* Dolendum tamen, tantum „theſaurum Antiquitatis Manuſcrip-„torum Codicum, quem majores „eorum incomparabili labore & ſum-„ptu non modico acquiſiverunt, tam „brevi temporis ſpatio ipſis ereptum. „Porrò in Spicilegio Antiquitatum „Domini *Lucæ d' Acherii* extat Tom. „x. Hiſtoria Affligemienſis Liber unus „incerto auctore, ex quo etiam plu-„ra hauſimus. Vidimus tamen anno „1723. quô hæc ſcribimus, in Affli-„gemio aliud MS. Chronicon ejus-„dem Abbatiæ præſati *Odonis Cam-„bier* amplum & accuratum, quod „ab anno 1651. morte præventus „reliquit typis paratum, ſed inedi-„tum, cui annexa erat cenſura *J.* „*Mantelii* Auguſtiniani, S. T. Doc-„toris anno 1650. quod utinam ali-„quando publicam lucem aſpiciat.„ Hæc ille.

S. Bertini Bibliothecæ ingens copia Mſſ. Codd.

Monaſterium S. BERTINI in Arteſia intra muros Urbis S. Audomari celeberrimis non Belgii ſolùm, ſed ſacri etiam Ordinis Abbatiis annumeratur. Bibliotheca ingenti copia codicum perquàm veterum referta eſt. Quos inter unum Mſ.tum S. Baſilii, alterum S. Ambroſii, tertium S. Gregorii exhibentur, quæ ſeculum decimum excedunt. Notatu etiam dignus eſt Codex vetuſtiſſimus Annalium ab A. 741. ſive à tempore, quo Carolo Martello vita functo Carolomannus & Pippinus fratres regnare cœperunt, usque ad an. 882. quorum exemplar Andreas du Cheſne edidit Tom. 3. hiſt. Francor. p. 50. Vocantur *Annales Metenſes.* Quid verò ſibi velint illa verba Dionyſii Sammarthani *in Gallia Chriſtiana* Tom. III. pag. 508. haud ſatis intelligo: Miſſi è noſtris, „inquit, qui S. Bertini Bibliothecam „perluſtrarent, ut MSS. codices per-„volutarent, atque conſulerent, eâ „humanitate, eâ comitate à R.mo „Abbate Mommollino le Riche ex-„cepti ſunt, cui vix alia comparari „poſſit. Mirati ſunt ſermonis affa-„bilitatem, animi candorem, mo-„rum ſuavitatem, ad omnia ſibi aſ-„ſatim ſubminiſtranda attentionem, „verbo dicam, omnia paternæ be-„nevolentiæ officia. Mirati ſunt „religioſam monachorum diſcipli-„nam, eorum in rebus divinis ardo-„rem, voluntatem, conſenſionem, „mutuámque ad omne bonum con-„ſpirationem. Si quis ergo è noſtris „Congr. S. Mauri Sodalibus his mi-„nimè conſentanea alicubi dixerit, „illum improbamus, & quæ dixit, „pro non dictis haberi volumus. „ Videtur Sammarthanus pro quopiam ſuorum ſodalium palinodiam canere.

S. Vedaſti conflagrat,

Bibliotheca Monaſterii S. VEDASTI in urbe Atrebatenſi perantiqua eſt, ut quæ (t) ſeculo à C. N. octavo cum templo & omni ſupellectile ſacra incendio hoſtili conflagravit. Reſtaurandæ autem ei Abbas Rado primo ſtatim regiminis ſui anno ſummam impendit induſtriam, & liberalitatem, adhibito ad hoc in conſilium & auxilium Alcuino, Caroli M. præceptore, cujus operâ potiſſimùm uſus eſt ad recenſionem & emendationem librorum ad ſtudium Theologiæ, & cultum divinum pertinentium, quos illorum loco, qui igne perierant, per Cœnobii ſui alumnos de integro deſcribi curavit. Ex his in Auguſtiſſima Bibliotheca Vindobonenſi Codex SS. Bibliorum utriusque Teſtamenti, Lambecio teſte, adſervatur. Ex hac etiam Bibliotheca non ita pridem præter cætera monumenta PP. Martene & Durand eruerunt S. Bernardi Abbatis Clarævallenſis epiſtolas ultra triginta, quibus primum tomum Collectionis ſuæ veterum Scriptorum præprimis ornârunt; item Alexandri Papæ III. Regiſtrum epiſtolarum circiter quingentarum ad Remenſem provinciam ſpectantium: Acta etiam Concilii Bituricenſis anno MCCCCXXXVIII. celebrati, & quædam alia. Magnum etiam hujus Bibliothecæ ornamentum eſt, explicatio utriusque Teſtamenti, quæ ab aliquot hujus cœnobii Religioſis, tacitis nominibus, concinnata eſt. Adſunt præterea libri cùm formis impreſſoriis editi, tum manu exarati tanto numero, quanto vix alia

reſtauratur.

Adſunt hodie multi & præclari Codices.

Arte-

(s) Hiſt. Archiep. Mechlin. Tom. 2. p. 176.
(t) apud J. G. Schelhorn amœnit. lit. Tom. IX. pag. 758.

Arteſiæ Bibliotheca jactare ſe poteſt.

Aquicinctina Veterum Codd. copiâ inſtructiſſima.

AQUICINCTUM, Abbatia percelebris, Bibliothecam habet veterum codicum copiâ locupletiſſimam, nec ſanè Vedaſtinâ inferiorem, ſi libros editos exceperis. Ex qua PP. Martene & Durand in itinere ſuo Belgico præter trium pſalmorum expoſitiones ab Hilario Pictavienſi Epiſcopo ſanctiſſimo ſcriptas, nec usquam hactenus evulgatas, Petri Venerabilis Abbatis Cluniacenſis, eruerunt adversùs perverſam ſectam Saracenorum, ab erudito viro Andrea Qnercetano Bibliothecæ Cluniacenſis editore, diu deſideratos Sermones, & nusquam inventos. Omitto plura alia.

Andaginenſis S. Huberti

Andaginenſis S. HUBERTI nominatiſſima Abbatia, & in paucis memorabilis, non ſolùm frequenti eorum concurſu, qui à quovis rabido animali affecti, & in ejusdem morbi diſcrimen adducti, opem à S. Huberto imploraturi illuc veniunt, quorum nullus hactenus non recuperatâ ſanitate receſſit, ſed etiam regulari obſervantia, effuſis eleemoſynis, ædificiis, & quod hîc maximè ſpectamus, eleganti Bibliotheca, in qua plures optimæ notæ codices MSS. qui Patribus Martene & Durand, Leodienſium Epiſcoporum hiſtoriam ab Alexandro Canonico ante annos ſexcentos compoſitam; *Cantatorium*, ſic vocant Andaginenſis monaſterii hiſtoriam circa annum MCVIII. accuratè conſcriptam, Capitula quædam Regum Francorum, & nonnulla antiqua Concilia, quæ locum in ampliſſima eorum collectione habent, ſubminiſtrârunt.

poſſidet plures optimæ notæ MSS. Codd.

Blandinienſis

BLANDINIUM ampliſſimum eſt nobiliſſimúmque Familiæ nuſtræ in Belgio monaſterium, ſic dictum à monte Blandinio, in quo extructum fuit, urbi Gandavenſi vicino, nunc intra ipſius mœnia inter flumina Scaldim & Legiam. Bibliothecam habet inſtructiſſimam, quam Philippus Conrault Abbas LIV. multùm auxit, variiſque ditavit MSS. codicibus, quorum ſubſidio magna ex parte (inquit Sanderos) lectio veterum ac claſſicorum auctorum emendata eſt. Confer *Gall. Chriſt. Tom. V. pag.* 1205.

augmenta ſua debet Philippo Abbati.

Egmondana.

Bibliotheca EGMONDANI *in Batavia Cœnobii* longè vetuſtiſſimi. Hæc celebris omnis generis ſcriptis codicibus & præſertim membranaceis, quos diligenter magna cura cùm Priores alii, tum *Gerardus* ex Pœlgeeſtana ſtirpe Abbas undecunque conquiſiverant, raros auctores oſtendit, è quibus dolet mihi, inquit *Hadrianus Junius* (u), interiiſſe intra quindecim proximos annos, magno literariæ Reipub. detrimento, *Lactantii Firmiani epiſtolarum libros duos*, quorum meminit nominatim D. Hieronymus: quos dum ad me cogitat, editioni deſtinandos, mittere Antonius Hovæus illîc religioni operatus, vir doctus, qui poſteà Abbatem Abſternacenſem proſpera fama egit, reperit à bibliotapho quopiam librorum plagiario ſublatos; atque ita diſperüt ille theſaurus, ab hæredibus ſacrifici, in quem cadebat ſuſpicio, in cucullos, & piperis involucra conciſus.

Lætienſis cœnobii ſitus & fundatio.

LÆTIENSE, aliàs *Lætia* vel *Leſcia*, vernaculâ Gallorum voce *Lieſſies*, haud incelebre Belgii Monaſterium, in finibus Hannoniæ ſitum, agro Galliæ, qui *Theoraſcia* dicitur, conterminum, Helpræ fluvio impoſitum, ſilvis ferè in ambitu & colliculis in modum coronæ cinctum, conditorem habuit WIBERTUM Comitem de Pictavia, cum Illuſtriſſima conjuge *Ada* nobiliſſimi Gallici ſtem̃atis feminâ; Beatum verò GUNTARDUM eorum filium Abbatem primum, & ejus ſororem S. HILTRUDEM jucundiſſimâ ſanctitatis memoriâ dotatricem veneratur. Piâ deinde poſteritatis diligentiâ ſacro & inæſtimabili reliquiarum theſauro aucta, ac etiam inſigni librorum ſupellectile inſtructa Lætia, non tam cenſuum aut fundorum amplitudine, vel ſubſtructionum pompâ, quàm parſimoniæ vectigalibus, diſciplinæ regularis, & religioſæ hoſpitalitatis laudibus, commodiſſimis denique ad uſum vitæ monaſticæ officinis & habitationibus inter præcipuas Hannoniæ Abbatias computatur. Magnam verò ſui ſplendoris partem in acceptis refert Ven. *Ludovico Bloſio* hujus monaſterii Abbati XXXIV. nobili Bleſenſium ſanguine, religiosâ vitâ, aſceticis libris, monaſticæ diſciplinæ reſtauratione, & rei Bibliothecariæ cultu domi foríſque clariſſimo, anno 1565. vii. Januarii è vivis ſublato, cujus vita fuſiùs deſcripta extat à *Bollando* relata Tomo. I. Januarii pag. 430. ſeqq. quem etiam celebrat *Binettus* in libro de præcipuis religioſorum Ordinum fundatoribus, qnorum imagines in choro Lætienſis Eccleſiæ cernuntur, atque in dedicatoria profitetur triplicis

Ludov. Bloſius Abbas.

(u) Junius in Bataviæ Hiſtoria pag. 311.

Digitized by Google

plicis ſe generis Sanctos Lætiis vidiſſe, *Mortuos in reliquiis; Pictos in tabulis; Vivos, ipſos ſcilicet Religioſos & Abbatem* ANTONIUM WINGHIUM, cujus potiſſimùm ſuaſu & hortatu *Bollandus* ad Acta Sanctorum comportanda & illuſtranda animum appulit, ut ipſe prolixiùs in propylæo commemorat. Quæ autem & quanta ex Lætienſis Monaſterii Chartophylacio ſubſidia hauſerit, paſſim deprædicat. *Sunt enim*, inquit, *in inſigni veſtra Bibliotheca ſancti complures, non penicillo picti, ſed calamo; variorum nempe de eorum pietate ac laboribus monumenta Scriptorum.* Vid. Præf. in Tom. I. Februarii pag. XII.

Leodienſes Bibliothecæ.

Quæ Leodii Eburonum tum in S. Jacobi, cùm etiam in S. Laurentii Monaſteriis ſpectantur Bibliothecæ, inſignibus omninò Manuſcriptorum cimeliis locupletatæ ſunt, quorum indicem deſiderant Eruditi. Sed nec hìc negligenda eſſet S. Trudonis in Haſbania Monaſterii Bibliotheca, ſi ejus ſupellectilis literariæ recenſio nobis ſuppeteret. Verùm congruis deſtituti notitiis, reliqua aliis explicanda, ſupplenda, illuſtranda relinquimus, atque itinere inſtituto ulteriùs pergimus.

V.

De Bibliothecis Germaniæ.

Veterum circa Bibliothecas ſtudium.

QUantam olim curam Reges & Imperatores Francici in conſtruendis apud Cœnobitas Bibliothecis geſſerint, quanto etiam ſtudio Abbates & Monachi in augenda ſupellectile libraria incubuerint, perhibent paſſim rerum noſtrarum Scriptores, nec quicquam in contrarium abeunt exteri. Certè *Burchardus Struvius* homo acatholicus author nobis eſt, quòd *Carolus M.* plures in Benedictinis Germaniæ Monaſteriis inſtituerit Bibliothecas: *Teſtatur illud*, inquit (x), *Helvetorum S. Galli fanum, Fuldenſis Abbatia, & Aquisgranenſe Monaſterium, in quo mortuus...* Conjecit hoc *Struvius* ex eo, quòd CAROLUS M. ſcholas in Monaſteriis curaverit inſtaurari; nam ex *Launoii* mente, *ubi ſchola ibi & Bibliotheca eſſe debet.* Interim ut *Colerus* in Struvium advertit, *de Bibliothecis ab ipſo* CAROLO M. *exſtructis nihil certi conſtat.* Ac rectè pronunciàſſe *Launoius* videtur, *quod fuit Carolo Calvo proprium, id fabulatores in Carolum M. transtulerunt, & vera falſis immiſcentes corpus fabulæ condiderunt.*

In monaſteriis pulchra ſemper librorum penus,

Ceterùm omninò certum eſt, tractu temporis in ſcholis & Monaſteriis à *Carolo M.* & poſt eum conditis Bibliothecas etiam cœpiſſe exſtrui: Ita enim monaſteriū, juxta Divi P. BENEDICTI canonem, ſi fieri poteſt, debet conſtitui, *ut omnia neceſſaria, vel artes diverſæ, intro monaſterium exerceantur, ut non ſit neceſſe Monachis vagandi foras.* Bibliothecam verò inter maximè neceſſaria cenſeri liquet ex ejuſdem regulæ cap. 48. Immò, fatente Eraſmo Roterodamo, *Bibliotheca ſolet eſſe cariſſimus Cœnobiorum theſaurus, ipſéque librorum apparatus mobilia inter bona maximi ſemper fuit æſtimatus* (y). Quin & ipſa rei veſtigia monſtrant tantum ſubinde à Majoribus in libros comparandos impenſum eſſe ſtudium, tantúmque laborem iis deſcribendis adhibitum, ut quot Monachi, tot ferè eſſent Antiquarii, ſeu *Scriptores*, ut vocant, *Cœnobiales*: Ita teſte *Hermonno* de Reſtauratione Monaſterii S. Martini Turonenſis cap. 79. *Scriptorum quoque copiam*, inquit, *à Domino ſibi datam exultabot, ita ut ſi clauſtrum ingrederis, videres plerumque XII. Monachos in cathedris ſedentes, & ſuper tabulas diligenter & artificiosè in ſilentio ſcribentes.* Sic & apud Fuldenſes ſub *Sturmio* Abbate quadringentos ſubinde munachos deſcribendis utriusque linguæ ſcriptoribus occupatos fuiſſe legimus. Nec certè ſolâ authoritate compellebantur, ut ſcriberent, *ſed &, ſi non feciſſent, ſicut degeneres, multúmque patriæ formæ diſſimiles habebontur* (z). Sic & in Actis Murenſis Monaſterii pag. 32. legitur: *Libros autem oportet ſemper deſcribere, & augere, & meliorore, & ornare & annotare... quia vita omnium ſpiritualium hominum ſine iſtis nihil eſt.*

& Scribarū copia.

Codicum veterum copia cur in Germania reperiatur maxima.

Quantum autem momenti ad meliorum Scriptorum conſervationem & doctrinæ propagationem inde contulerint cœnobia Benedictina, pluribûs nos docet Cl. Vir *Jacobus Burckhard* in ſuis *de Linguæ Latinæ fatis in Germania*

(x) Struvius Introd. in Notit. rei lit. c. 2. §. 17.

(y) Vid. *Haftenus* Libr. 9. Diſquiſit. Monaſt. Tract. 2. Diſq. 17. *Juſtus von Einem* de Bibl. Bergenſi, pag. 4.

(z) Petrus Pictav. in epiſt. ad Petrum Cluniac. Confer Concil. Aquisgranenſe de anno 789. cap. 70.

mania commentariis Part. II. pag. 27. ubi nimiam *Conringii* intemperiem caſtigans, *Benedictinum Ordinem* illâ laude privandum non eſſe contendit, quæ ei debeatur ex eo, *quòd in inveterata barbarie complures Romanos Scriptores in monoſteriis ſuis conſervârit, ídque & in ipſa noſtra Germania. Nam non ſingula modò volumina, ſive ſingulos Codices, ſed integras etiam Bibliothecas ex Italia in Germaniam transportatas eſſe, ídque ad victorum Cæſarum arbitrium, quo plus quisque adfectus iis fuerit, & hanc ſpoliis ejusmodi ornari maluerit*, Joannes Anton. Campanus *conqueritur; & hinc eveniſſe addit, ut tanta vetuſtiſſimorum librorum in Germania, ſuâ jam ætate, fuerit copia, ad quom verò non omnibus aditum patuiſſe confirmat, ſiquidem Monachi mirum in modum obſervaverint libros ſuos.* Atque hæc quidem ille. Nec eſt profectò quòd Monachis ſuccenſeant critici ob ſuperſtitioſam Codicum MSS. cuſtodiam: Meritò enim horum ſollicitam gerimus curam, ne corniculis, harpyis, furibus alíisque injuriis pateant expoſiti. Certè Monachis vel ideò ignoſcendum ex æquo judicat Morhofius (a), *quòd abſque ſuperſtitioſâ ejusmodi cuſtodiâ plures antiqui authores peſſumiviſſent.* Hiſce per omnia ſuffragatur Illuſtris *Ludewigius* in ſua ad Reliquias Manuſcriptorum præfatione pag. 19. Ubi: *Certiſſimum eſſe*, ait, *innumera utilis argumenti librorum & Diplomatum volumina peritura fuiſſe, niſi Monachorum & Cænobitarum manibus, & cuſtodiâ ab interitu fuiſſent vindicata.*

Ordinis S. Benedicti in rem literariam apud Germanos merita.

Sed paulò altiùs Ordinis S. Benedicti in Germaniam & rem literariam merita repetit *Henricus Bebelius* Juſtingenſis poëta à *Maximiliano I.* Imp. coronatus, in ſuis contra *Celtem* vindiciis ita reſcribens (b): *Dum ſenſim cum Imperio linguæ nitor laberetur, & barbarie depravaretur, fidésque Catholica in terra noſtra ſuſciperetur, atque* S. Benedicti *Ordo undique victricia Chriſti ſigna per barbariem circumferret, latinúmque eloquium in pretio haberi cœpiſſet, neſcio profectò, an Germani etiam Romanis univerſæque Italiæ cedere debuiſſent; non ſolùm quòd eorum monimenta teſtentur pro temporum conditione latiniſſima, ſed etiam quod plerique auctores latinæ linguæ præſtantiſſimi, quum in tota Italia periiſſent temporum & hominum incuriâ, apud Germanos ſolos ſint reperti. Nam præter alios, de quibus ego nihil ſcio, quòd* Quintilianus *&* Aſconius Pedianus *interpres Ciceronis politus & vetuſtus, legantur, non niſi Germani & iidem Monachi conſervârunt, quos* Poggius Florentinus *apud S. Gallum invenit. Idem apud eosdem ſe inveniſſe teſtatur* Ciceronis Orationes, Silium Italicum, Columellam, Nonium Marcellum, Lucretii partem. *Et quòd legitur* M. Cælius Apicius, *&* Pomponius, Porphyrii Horatii interpres, *Germanis Monachis acceptum referri debet, ut dicit* Platina. *Quòd* Silius, *quòd* Plautus *linguæ latinæ delicium legitur, iisdem debemus. Nuper quoque quatuor primi libri* Cornelii Taciti, *& quidam libellus* Senecæ *in Germania reperti ſunt*... Utut ergò fuerit, *Benedictinum Ordinem* in primis de latina Lingua, hujúsque decore deinceps reſtituendo, præclarè iſtiusmodi ſcriptorum cuſtodiâ promeritum eſſe inficiandum non eſt; utì genuinè ediſſerit citatus *Burckbardus* pag. 27. Sic etiam *Meibomius* in Chronico Bergenſi edit. noviſſimæ pag. 18. *Monachi*, inquit, *mediâ ætate fugientes literas in orbe Chriſtiana morati ſunt, emortuas ferè reſuſcitârunt, & illorum induſtriâ atque operâ ad nos ſalvi pervenêre omnium ſcientiarum libri, quos in manibus habemus. In ſingulis enim monaſteriis erat ordo ſcriptorius, qui libris deſcribendis operam dabat. Juniorum maximè id officium fuit, Senioribus incumbente tantùm orationis penſo.* (c)

Fuldenſis Bibliothecæ deſcriptio.

Verùm ne longiùs à propoſito abire contingat, cùm de Germaniæ Bibliothecis hoc loco verba facere in nos receperimus, per partes ituri ab eo exordimur monaſterio, quod totius S. R. I. principale eſt, nempe FULDENSE, cujus Bibliothecæ olim locupletiſſimæ deſcriptionem nobis Vir clariſſ. *Joannes Frid. Schannat* exhibet in Hiſtor. Fuldenſi Part. I. §. II. p. 63. & ſeqq. Atenim quia mihi experientiâ conſtat, quòd tum hujus illuſtriſſimi Monaſterii Hiſtoria, tum aliorum Cœnobiorum Annales (*quod ſanè nulla in laude ponendum*) in multis Bibliothecis Benedictinis deſiderentur, in gratiam illorum è noſtris Sodalium, qui eâdem carent, adſcribere eam

non

(a) Morhof. Polyhiſt. lib. 1. cap. 7. n. 17. Oliverius Diſſert. II. §. V. num 3. pag. 119.

(b) Vide Bebelii opuſc. Argent. 1516. edita pag. 116. Burckhard de ſatis ling. lat. Part. II. pag. 225. & 27.

(c) Confer *Juſtus von Einem* de Bibl. Bergenſi pag. 22.

non gravabimur, ita tamen, ut quæ à nobis obſervata fuerunt, non prætermittamus. „ Inter multa, quæ ad abſolutam ac perfectam Monaſteriorum fundationem olim ſpectabant, primo quaſi loco, ut jam attingere cœpimus, requirebantur libri. Nam ex præcepto Regulæ alterna eſſe debebat cum labore requies; hæc autem ſi modicum ſpatium ſomno deſignatum excipias, non in otio traducenda, ſed piis lectionibus ac meditationibus unicè inſumenda erat, præſertim tempore quadrageſimali, quò durante ſanctiſſimus Patriarcha BENEDICTUS expreſſis verbis juſſerat, ut ſui omnes quotidie *à mane usque ad tertiam plenam accipiant ſingulos codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant* „ Id quod Fuldæ ſtatim ab initio ritè obſervatum fuiſſe extra dubium eſt, ſiquidem, teſte *Luitprando*, ipſe magnus *Carolus* Bibliothecam eò loci condere jam incœperat, ac regiâ ſuâ magnificentiâ per totum etiam inſtruere, cujus rei indicio eſſe poſſet pervetus fragmentum Catalogi à manu coæva confecti in eum, qui ſequitur, modum:

à Carolo M. condita.

Fragmentum Catalogi.

Tertius Ordo ſuperioris Numeri.

Liber Officiorum.
Epiſtolæ Jeronymi ad Auguſt. & reſcriptum.
Aug. ad Jeronymum.
Liber Compoti.
Epiſtolæ Panli.
Eccleſiaſtica Iſtoria.
Regula ſancti Baſilii.
Vita beati Auguſtini.
Expoſitio in Cantica Canticorum.
Liber Eſopi de natura animalium.
Expoſitio Bedæ in Apocalipſin.

Certè haud diu poſt obitum Caroli, quando jam celebris haberi cœpit Academia Fuldenſis, præſtantiora in rem literariam ſubſidia aliò non deſumebantur, quàm ex ejusdem Armario, ut vocitabant, ſeu librorum theca: Hoc enim Rabanus Scholaſtici tunc munere fungens ſubindicat in carmine ſuo ad Gerhohum Presbyterum, cui dives illa ſupellex commiſſa erat, quem & idcircò *Clavipotentem* fratrem appellat.

Gerhohus Bibliothecarius

Dicere quid poſſum de magna laude librorum,
Quos ſub clave tenes, Frater amate, tua?
Quidquid ab arce Deus cæli devexit in orbem
Scripturæ ſanctæ pervia verba viris.
Illic invenies, quidquid ſapientia mundi
Protulit in mundum temporibus variis.

Aucta deinde tum ipſius (d) Rabani, tum præceptoris ejus Alcuini, aliorúmque doctis lucubrationibus enituit magis, majorémque in dies fructum peperit Fuldenſis Bibliotheca, cujus contentorum inſignem alterum indicem ex vetuſtiſſima membrana, ſed mutila, & fruſtatim conſciſſa, erutum, hic ob oculos ponere non duximus incongruum.

\- - - - - - - - - - - -

XII. Regula Monaſterii Tarnantenſis.
XIII. Regula Orientalis.
XIV. Regula cujusdam Patris.
XV. Regula Magiſtri.
Item Diverſorum Sanctorum Regulæ numero X. in uno Codice.
I. Regula beati Auguſtini.
II. Regula S. Athanaſii.
III. Regula S. Fructuoſi.
IV. Regula S. Iſidori.
V. Regula S. Cæſarei Epiſcopi ad Virgines.
VI. Regula Aureliani Epiſcopi.
VII. Regula à Donato collecta.
VIII. Regula cujusdam ad Virgines.
IX. Regula S. Columbani.
X. Regula ejusdem.
Item Regula S. P. Benedicti in III. Cod.
Regula Virginum in I. Cod.
Liber de vita Patrum in II. Cod.
Regula Monachorum Ægypti, quam ſcripſit Eucherius.
Regula Abbatis Columbi-cellæ.
Regula Abbatis Congelli.
Excerptio Theodori de Canonibus SS. Patrum.
De Vita Sanctorum Germani Abbatis.
Johannis Metropol. de peccatis proximorum abſcondendis.

„ *Opuſcula Alcuini.*

Expoſitiones in Evangelium ſecundùm Johannem Libri VII. in I. Cod.
(e) Ejusdem in Prophetas XII.
Ejusdem in Epiſt. Pauli ad Epheſios.
Ejusdem in Proverbia Salomonis.
Ejusdem in Eccleſiaſten in I. Cod.

Item

(d) De Rabano Guil. Cave in Hiſt. Lit. ad an. 847. pag. 456. *In ſuorum uſum Bibliothecam Fuldenſem primus condidit, librisque ornatam reddidit, quin ipſe tot præclara ſcripſit volumina, quæ ſola Bibliothecam inſtruere poſſent.*

(e) Commentariorum Alcuini in Proph. XII. Epiſtolas Pauli ad Epheſios, & Proverbia Salom. nec Ducheſnius, qui ejus Opera conjunctim edidit, nec alii Bibliographi, qui ejusdem Operum ſyllabum texunt, meminere. Unde huic Catalogo non nimis fidendum. Viderint, quibus hæc Commentaria ad manum ſunt, cujus Authoris ſint.

Item ejuſdem Omeliæ in I. Cod.
Expoſitio Joſeph in Iſaiam in I. Cod.
De ſancta Trinitate ad Carolum Imperatorem Libri III. in I. Cod.
Ejuſdem Alcuini Dialectica ad Carol. Imp. & altercatio Athanaſii cum Arrio probo judice.
Ejuſdem de Rhetorica lib. I.
Ejuſdem de Muſica lib. I.
Metrum ejuſdem in Cantica Canticorum, & verſus illius ad diverſos in Cod. I.
Ejuſdem quæſtiones in Geneſim.
Ejuſdem de formulis Arithmeticæ artis.
Ejuſdem de Grammatica in I. Vol.

„ *Opuſcula Magnentii HRabani Mauri.*

Expoſitio in Evang. ſecundùm Matthæum Lib. VIII. in I. Cod.
Ejuſdem in Geneſim Lib. IV. in I. Cod.
in Exodum lib. IV. in I. Cod.
in Leviticum Lib. VII. in I. Cod,
in Numerum Lib. IV. in I. Cod.
in Deuteronom. Lib. III. in I. Cod.
in Jeſu Nave, Judicum, & Ruth. Lib. VI. in I. Cod.
Ejuſdem de inſtitutione Clericorum Lib. IV. in I. Cod.
de laude S. Crucis Lib. II. in I. Cod.
de Computo Lib. I.
Ejuſdem Omeliæ LXX. in uno Cod.
ante Natale Domini II.
de jejunio decimi menſis.
de Natali Domini II.
in Octavis Domini.

\- - - - - -
\- - - - - -
\- - - - - -

Rabano Abbati cura de libris.

Cùm Lupus Ferrarienſis Rabano Fuldæ operam daret, inter alios libros *Auli Gellii Noctes Atticas*, ab Eginhardo Abbate Seligenſtadienſi, viro doctiſſimo, qui Caroli Magni Cancellarius fuerat, ad tranſcribendum acceperat. Has cùm Rabanus apud Lupum vidiſſet, continuò illas etiam in Fuldenſis Bibliothecæ uſum à ſuis deſcribendas curavit. Unde Lupus in epiſtola ad Eginhardum, quòd illas nondum reſtituerit, culpam à ſe his verbis deprecatur: *A. Gellium miſiſſem, niſi rurſus illum Abbas retinuiſſet, queſtus necdum ſibi eum eſſe deſcriptum. Scripturum ſe tamen vobis dixit, quòd præfatum librum vi mihi extorſerit.* In hoc igitur, aliiſque propè innumeris voluminibus, quæ Rabanus Abbas factus eidem Bibliothecæ poſtmodùm intulit, conſcribendis, non ſegnem operam navârunt ſui Fuldenſes monachi, quorum XII. in hac arte peritiores ac exercitati in loco apto, quod *Scriptorium* dixêre Majores, huic officio vacabant cum ſilentio & attentione maximâ; id enim ab introëuntibus exigebant inſcripti forinſecus verſiculi, alio loco à nobis referendi.

Libri dono oblati.

Rem olim apertiùs in exemplo demonſtrabant pervetuſti Codices duo, adhuc initio ſeculi ſuperioris Browero viſi, quorum unus *Moral. S. Gregorii* continens, donum erat Rohingi Abbatis, Winfrido, ſeu ſancto Bonifacio circa annum MXLV. oblatum, prout teſtatur ſequens epigraphe.

Hunc licèt indignus tibi confert Abba Robingus,
O Winfride librum, quem ſex in partibus unum
Diſtinguens plenè, præcepit biantia quæque
Cautè ſuppleri, rurſúmque ſuperflua demi,
Ut ſerie plana ſonet Ethica Gregoriana,
Primáque Pars ejus tenet oram codicis hujus.
Ergo ſui voti ſit merces certa datori:
At, ſi quis tollat, te duro vindice ſolvat.

Alterius Codicis, qui vitam S. Wolfgangi Epiſcopi complectebatur, author extiterat Othlo, durante ſuo apud Fuldenſes receſſu; hinc codicem in ſui memoriam ibidem extare voluit his inſignitum verſiculis ſub annum MLXX.

Præſul Wolfgange, cunctis ſemper venerande,
Hæc tua, quæ ſcripſi, jam memor eſto mei.
Presbyter & monachus Otloch quidam vocitatus
Sancte, tibi librum, Boniface, tradidit iſtum.

Antiquariis, ſeu amanuenſibus hiſce inſuper accenſendi ſunt, qui medio Seculo XII. ſub Marquardo I. Abbate vixêre Eberhardus & Dudo, quorum prior Chartarium Fuldenſe duobus diſtinctum voluminibus confecit, *Dudone Cellerario membranas ſubminiſtrante*; hic verò integrum *librum Miſſalem, cum lectionario & Evangeliario propriis manibus deſcripſit,* ut ſuprà jam retulimus.

Augmenta Bibliothecæ.

Ratgerus II. Abbas XXXIX. Anno 1177. Bibliothecam valde auxit (f). Comparaverat B. Rabanus primò Bibliothecam monaſterii, & quidem tam feliciter, ut numerus librorum vix potuerit numerari: maximus certè in Germania theſaurus. Scribi aut deſcribi juſſit hic varia volumina pro auctario Bibliothecæ. Quod, ſi omnes obſervâſſent Archimandritæ ante

&

(f) Cornel. in Brev. Fuld. pag. 435.

Digitized by Google

& poſt eum, vix in toto orbe quid præclarius viſum eſſet.

Luitprandus Epiſcopus Bibliothecarius Fuldenſis.

Sic ſenſim crevit in immenſum Theſaurus ille, cui olim præfici etiam Luitprandus celebris ille Cremonenſium Epiſcopus in deliciis habuit; is enim aliquando ad Tractamundum Epiſcopum reſcribens, his verbis uſus reperitur: *Poſtremò non minùs jucundum mihi fuit, quod modò jubes, ut in Fuldenſi Monaſterii Bibliotheca (ubi nunc exul, Bibliothecarius immoror) quæram tibi Chronicon Dextri &c.* & alibi in adverſariis ſuis mentionem faciens de Juliani & Felicis Toletanorum pontificum libris; *hos*, inquit, *legi, & aliquando evolvi, cùm eſſem in Fuldenſi Bibliotheca à Carolo M. cœpta, multiſque libris valdè referta, Bibliothecarius.*

Joannes à Merlan (g), Abbas Fuldenſis, cùm an. 1414. Conſtantienſe Concilium adiret, duo de quinquaginta equitum alâ pulchrè comitatus, Huſſitarum convellendo dogmati, lectiſſima Conſtantiam de ſua Bibliotheca exportati volumina juſſit, quæ magnam verò partem deinceps non ſunt reſtituta. Fuit igitur Bibliotheca Fuldenſis præ omnibus aliis Germaniæ Bibliothecis librorum copiâ ac ſelectu locuples.

Verùm ut nihil eſt in humanis firmum, ac ſtabile! idem theſaurus variis fatis obnoxius, per Haſſiæ Landgravii direptiones militúmque inconſultum furorem damna longè maxima pertulit, nec minima etiam per incuriam, quâ potiſſimùm factum eſt, ut totus quantus ex oculis ſubductus nunc planè evanuerit; hoc uno felix, quòd è lacero ſinu, quem illi dudum diſruperat execrandus Flacci Illyrici cultor, prævie transmiſerit in publicum per Heroldi, Sichardi, Piſtorii, Broweri, aliotúmque his ſimilium doctas ac fidas manus ex antiquioribus ac celebrioribus Scriptoribus non paucos, qui poſteris reipſa teſtari aliquando poſſent, id quod Pet. Bertius in Commentarii ſui Lib. III. narrat, ſcilicet: Vidiſſe ſe adhuc ſub initium ſeculi proximè elapſi in Fuldenſi monaſterio Bibliothecam antiquis codicibus inſtructiſſimam, quâ nec vetuſtiorem aliam, nec locupletiorem tunc haberet Germania; Codices omnes, inquit, ſunt manu exarati, & quidem in membrana, digeſti in claſſes XLVIII. ex qua libri optimi petiti & typis vulgati ſunt, atque adhuc petuntur ad conferendas editiones cum exemplaribus authenticis. Joannes Heroldus, qui *Originum ac antiquitatum Germanicarum* libros è Fuldenſi eruit Bibliotheca, & typis Henrici Petri Baſileæ an. 1557. excudi curavit, *ſuperbam* vocat Bibliothecam. Melchior Adamus, celebris virorum doctrina atque eruditione illuſtrium biographus in vita *Franciſci Modii*, Nobilis Brugenſis in Belgio narrat, quòd iter inſtituerit literarium exeunte ſeculo XVI. ad viſendas Bibliothecas aliquot nobiles, & inprimis *Fuldenſem*, illam totâ Europâ celeberrimam: ubi per menſes aliquot antiquiſſimorum voluminum causâ, quæ ibi partim exſcripſit, partim cum excuſis exemplaribus contulit, ſubſtitit.

De tribus S. Bonifacii, Germaniæ Apoſtoli Codicibus, qui præ ceteris æſtimandi Fuldæ ſuperant, legi merentur Jo. Frid. Schannat Vindem. liter. Collect. I. p. 215 - 229. & Jo. Georg. Eckart Rer. Franc. tom. 1. pag. 540.

Corbeiæ novæ Bibliotheca.

CORBEIA NOVA, celeberrimum totius Saxoniæ monaſterium, fundatorem agnoſcit *S. Adalardum*, Corbeiæ Gallicæ Abbatem, & Carolo M. Imperatori proximâ conſanguinitate conjunctum. Hujus monachi ſub Anſchario Præſule Danos, aliósque Septentrionales populos ad Chriſti fidem adduxerunt. Erat olim ibi egregia Bibliotheca codicibus manuſcriptis ditiſſima (h), qui, furentibus hæreticis, in Wolffenbutanam (expilatur.) Bibliothecam tranſierunt. Ex prædâ tamen Lutheranorum ſuperſunt aliqui libri, ex quibus PP. Martene & Durand excerpſerunt S. Cypriani Carmen ad Felicem de Reſurrectione mortuorum; Juvenci Presbyteri Hiſpani librum in Geneſim, Cœlii Sedulii Presbyteri Carmen de Verbi incarnatione; Nicolai I. præclaram epiſtolam cum diplomatibus nonnullis. Paſchaſii Ratperti egregium opus de fide, ſpe, & charitate, cujus apographum ad manuſcriptum codicem accuratè collatum ipſis dederat R.mus Pater Anſcharius de Graſs,

(g) vid. Brovver. Antiq. Fuld. lib. 4. p. 326.
(h) Ita *Jo. Juſtus von Einem* in Comm. 1. de Bergenſis cœnobii Bibliothecâ §. 1. pag. 4. *celebritatem*, inquit, *eximiam poſterioribus temporibus habuit Bibliotheca Fuldenſis, raris & antiquis MS.tis decorata majorem verò* Corbeienſis, *vetuſtiſſima & prima Saxoniæ Bibliotheca...*

ejusdem Monaſterii Magnus Prior & Archidiaconus. Sed illud Corbeienſem Bibliothecam præprimis celebrem reddidit, quòd Reipublicæ quinque primos libros *Annalium Taciti* conſervârit. Equidem *Tacitus* Imp. Cornelii Taciti, Viri Conſularis, hiſtoriam decies quot annis ad uſum publicum tranſcribi, atque in diverſas hinc inde Bibliothecas ſpargi edicto præcepit, uti apud Flavium Vopiſcum legimus cap. x. & tamen de quinque primis Taciti libris actum fuiſſet, niſi Bibliotheca Corbeienſis eos nobis conſervâſſet. Henricus Meibomius (i) avus, ſeu ſenior, agens de MSS. Codicibus quibusdam Bibliothecæ hujus Monaſterii, hæc habet: „Imò Corbeia Saxonica rempublicam literariam digno beneficio affecit, conſervans inſigni omnium prædicatione quinque priores Annalium Cornelii Taciti libros, quâ de re hæc ſcribit Juſtus Lipſius ad librum ſecundum Annalium Taciti: *Quinque hi priores libri inventi ſunt Corbeiæ, quod Monaſterium ad Viſurgim eſt, atque illum depromptum verè hinc theſaurum Quæſtor quidam Pontificius ad Magnum Leonem* (nempe X.) *delatus, donatus ab eo aureis quingentis.* Hæc ille candidè ac ſincerè. A quibus non abludunt, quæ V. C. Joannes Erhardus Kappius Eloquentiæ Profeſſor in Academia Lipſienſi in ſuis perquàm eruditis Animadverſionibus in Saavedræ Doctam Rempublicam à ſe Germanicè verſam pag. 275. annotavit. Primi, inquit, quinque Libri Taciti ne in deperditis habeantur, Monaſterio Corbeiæ Novæ in Saxonia in acceptis referri debet. Fuit autem Codex iſte ex Bibliotheca furto ſublatus, & Leoni X. muneri oblatus, qui eundem 1515. Romæ per Philippum Beroaldum Jun. typis vulgari juſſit. Editionis exemplar nitidè & ornatè compactum Pontifex Abbati & Conventui Corbeienſi dono miſit, ut in Bibliotheca locum ablati Mſti Codicis occuparet; additis præterea perpetuis Indulgentiis, quibus eccleſiam condecoravit. Cujus rei Papa Leo in Apoſtolico Brevi, cui Cardinalis Sadoletus ſubſcripſit, Albertum Archiepiſcopum Magdeburgenſem certiorem reddidit; quas literas Apoſtolicas in Originali aſſervat Regia Berolinenſis Bibliotheca, prout Mr. *la Croze* in Animadverſionibus ad Baylii Dictionarium Tom. III. pag. 85. teſtatur. Hoc *Breve* cum alio ad hunc ipſum Archiepiſcopum dato de Titi Livii Libris de Bello Macedonico, Dominus à Seidel Regi Boruſſiæ à ſecretioribus conſiliis cum Petro Baylio communicavit, qui primus ſub Articulo *Leo X.* typis excudi fecit. D. Henricus Schmidt in Introductione ad Brandeburgicæ Eccleſiæ & Reformationis Hiſtoriam pro ineditis, & nunquam impreſſis habuit, atq; eadem an. 1718. p. 244. ſeqq. iterato prælo, nonnihil tamen magis emendata ſubjici curavit. Manuſcriptum quod Leo Pontifex, uti Juſtus Lipſius teſtatur in Notis ad Annal. Taciti lib. 2. c. 9. *à Quæſtore quodam Pontificio* accepit, & cui viciſſim 500. Duggatos donavit, juris tandem ſui fecit Bibliotheca Medicea, quæ eſt Florentiæ, uti denuò Lipſius in Diſputatione Notarum Codicis Mirandulani, & Cardinalis Noriſius ad Cenotaphia Piſana p. 462. atteſtantur, nec dubium, quin adhuc in eadem aſſervetur. Prætereo cætera ſtudio, quæ Fabricius in Bibliotheca Latina Tom. I. p. 457. & Tom. II. p. 749. & ſimiliter Petrus Baylius ex Epiſtola Nuncupatoria *Philippi Beroaldi* meminerunt. Hæc Doctor *Kappius.*

Ex hac Bibliotheca quinque primi libri Annalium Taciti eduntur.

Annales antiqui Corbeienſes apud Leibnitium Script. Brunſwic. Tom. II. Bibliothecæ hujus aliquoties mentionem faciunt. Sic ad annum

Mentio Bibliothecæ in Annalibus Monaſterii.

DCCCCLIV. Gertnus Abbas fundus Monaſterii ſeduli Oeconomi & boni Prælati officio in omnibus auxit Bibliothecam Monaſterii.

MLX. Auget & ornat Bibliothecam noſtram multis libris Albertus de Hombach.

MXCIV. Joannes de Montorp librum in folio Arabicum è Pannonia allatum intulit Bibliothecæ noſtræ.

MXCVII. Legem facit Marchwartus Abbas, ut quivis Novitius in die profeſſionis ſuæ etiam librum donaret Bibliothecæ utilem & alicujus pretii.

MCCCIV. Bibliotheca aucta liberalitate laudabili Wilhelmi Ammons & Sabinæ Mondeſchz.

MCCCLIII. Hildebolt de Beven multos libros in bello acceptos Bibliothecæ intulit. Magni ſatis erant pretii.

MCCCLXXXIII. Comes de Schaumberg, Homberg, Pyrmont, Everſtein, & Swalenberg colloquium

(i) Tom. I. Scriptor. R. G. apud Oudin. de S. E. tom. 2. col. 108.

um ſuum habuerunt in monaſterio. Inter alia quisque utilem librum donavit Bibliothecæ.

S. Blaſii in Northeim Fundator Monaſterii Bibliothecàm inſtruit.

Bibliotheca Monaſterii S. Blaſii in Northeim. Otto Magnus (k) & illuſtris Dux Bavariæ & Saxoniæ, Comes Northeimenſis, anno milleſimo quinquageſimo primo celebre quondam monaſterium *S. Blaſii in Northeim* fundaverat. Ut verò Cœnobitæ reliquum à monaſticæ vitæ officiis tempus libris evolvendis & literarum ſtudiis impendere poſſent, perquàm multos codices manuſcriptos, libros & opera veterum Auctorum, Doctorum ac Patrum magnis ſumptibus comparavit, quibus monaſterii Bibliothecam inſtruxit. Eam ut adhuc locupletiorem redderent monachi & Abbates, omnem operam dederunt: illi in deſcribendis codicibus, undecunque licuit, hi in coëmendis optimis libris. Cùm verò monaſterium anno 1103. ab Adolpho Comite Daſſelio, irâ ac furore percito, incendio devaſtatum fuiſſet, Bibliotheca quoque cum Archivo in cineres redacta fuit. Reſtaurato monaſterio nova librorum ac voluminum ſupellex comparata fuit, quæ progreſſu temporis in tantam molem excrevit, ut *Letznerus* in Mſ.to Chronico ingentem librorum texat Catalogum. Demum Urbe Northeimenſi Seculo XVI. ad Lutheri ſacra deſciſcente, atque *Joanne Bechmanno*, ultimo Abbate, ex monaſterio migrare juſſo nobilis hæc Bibliotheca Juliæ Academiæ, quæ eſt Helmſtadii, ceſſit.

cedit Acaholicis.

S. Godhardi Hildeſii à libris non inops.

Bibliotheca Monaſterii S. Godehardi in urbe Hildesheimenſi. FRIDERICUS primus Monaſterii S. Godehardi Abbas fuit anno 1136. ex Corbeienſi an Fuldano? monaſterio (quod ultimum vero propius Joannes Legatius (l) Chronographus exiſtimat) aſcitus, Bibliothecæ dono dedit libros tam venuſtos & utiles, quàm pretioſos; *non fragili papyra, non fluxa illa arte impreſſoria, quæ ſerò venit, ſed validiſſimo pergameno compoſitos*; Beatum Gregorium in Job, quos Morales vocat, in tres codices diviſos. Collationes veterum Patrum in duas partes; Omelias diverſorum Doctorum anni totius; item in duas quoque partes; Henricum Corbeium Monachum in Omeliis; Antiquorum Sanctorum Sermones ad populum, & ipſos in duas partes ſejunctos, Regum Paralipomenónque. Vitas confeſſorum multorum Pontificum, Abbatum, Sacerdotum, ac Monachorum in codicibus, & alios multos, de quibus longum eſſet memorare, *eo atramento, eâ arte, eâ manu ſcriptos*, ut ipſos nulla unquam poſſit abolere vetuſtas. Abbas igitur Fridericus Monaſterio dono dedit libros, ut Legati verba repetam, *non fragili papyro, non fluxa illa arte impreſſoria, quæ ſerò venit, ſed validiſſimo pergameno compoſitos.* Nempe tunc, cùm hæc ſcribebat noſter, *ars impreſſoria* recens inventa erat, & (ut apparet) à multis præſertim monachis (qui ſcribendo proderant monaſteriis ſuis) non admodùm laudabatur. Sed infirmum admodùm noſtri argumentum eſt, inquit Leibnitius (m), quô fluxam artem contendit. Durat utique, & durare facit libros, ipſa multiplicatione exemplarium. Nec ad artem ipſam pertinet, in pergameno an charta fiat impreſſio. Sanè olim moris erat, aliquot exemplaria *membranæ imprimi*, raliáque complura librorum Robertus Stephanus typis excudit.

A Friderico I. usque ad Bertramum XIX. Abbatem nullius alterius Præſulis meminit Legatius, qui rei bibliothecariæ incrementa curæ habuerit. Bertramus verò amore librorum valde flagrabat, quorum tanto captus erat, ut vaſa potoria argentea conflârit, & pretiô eorum emerit libros Cúmque audiſſet dicentem, in lucem prodiiſſe novos libros, & vel illos vel illos impreſſos: ſupplices manus ad cœlum expandit, próque novo munere Largitori omnium bonorum magnas gratias egit. Quàm multos ipſe emerit, & quantum ampliaverit Bibliothecam Monaſterii ſui, numerus ipſe indicat librorum. Pleroſque etiam manu ſuâ deſcripſit.

Bertramus Abbas rei librariæ ſtudioſiſſimus,

Bibliotheca Sti - Albanenſis. Monaſterium quondam celeberrimum, jam verò Collegiata Equeſtris ad S. Albanum extra mœnia Moguntina habuit, teſte *Helwichio* (n), præter cætera decora & ornamenta, inſignem & incomparabilem Bibliothecam, olim à viris doctis, eò loci Regulam Benedictinam profeſſis, & Græcè & Latinè operosè conſcriptam & col-

S. Albani Moguntiæ

non una è multis.

lectam

(k) Tom. I. Script. Rer. Germ. apud Oudin. Tom. II. p. 108.
(l) in Chronico Monaſterii ſui apud Leibnit. S. R. B. pag. 422.
(m) in Introduct. ad S. R. B. n. 32. p. 36.
(n) in Chron. S. Albani cap. IX. §. III.

lectam; quæ per bella variósqoe caſus penitùs intercidit. *Georgius Wicelius*, qui ejus perluſtrandæ habuit facultatem, hæc memoriæ prodidit (o): *Equidem ipſe in Bibliotheca S. Albani Martyris apud Moguntiam, ante exuſtam à Schiſmaticis baſilicam reperi vetuſtiſſimos codices manu monachorum Benedictinorum olim ſcriptos, è quibus manifeſtiſſimum eſt, uſumGræcitatis extitiſſe in Miſſa publica. Ibi legi doxologiam, nos dicimus, Gloria in Excelſis Deo, in Græco non ſolùm ſcriptam, literis tamen Latinis, ſed ad cantum etiam choralem adaptatam. Unde liqueat, Græcè apud nos cani ſolitam. Vidi ibidem in eodem codice ſymbolum Apoſtolicum, & Triſagion, & Hymnodiam, cæteráque Græcanica notatis Muſicis interſtincta, ne nobis clam eſſet, Credo, Sanctus, Agnus &c. in Romana Eccleſia ad cultum divinum, Græcâ interdum dialecto decantata fuiſſe.* Confer. *Chriſtianus Joannis* de rebus Mogontiacis &c.

S. Jacobi Moguntiæ.

S. JACOBI prope Moguntiacum in Monte ſpecioſo Congreg. Bursfeldenſis Monaſterium, circa annum 1050. à *Bardone* Moguntinenſi Archipræſule inchoatum, inſignem omninò veterum Codicum poſſidet apparatum, cujus recenſionem poſteris reliquit ejus loci cœnobita minimè illiteratus *Wolfgangus Treflerus* Trithemio ſynchronus. Illuc ſubinde ad profeſſuram Theologiæ ex S. Martini Coloniæ cœnobio accitus Cl. *P. Oliverius Legipont*, uberrimam ex ipſis manuſcriptis adverſariorum ſegetem collegit, ac Virorum ejus loci Illuſtrium ſyllabum confecit. Quæ collectaoea cùm paulò pòſt Cl. Viro P. *Bernardo Pezio* Mellicenſi in Auſtria Bibliothecario ſuæ Collectioni intexenda ſubmiſiſſet, reſcripſit ille ad *Oliverium* literis 14. Jan. A. 1732. ſignatis in hæc verba: *Multa egregia mihi attulerunt literæ tuæ, Clariſſ. Pater! quas nuper Moguntiâ (quod vehementer mirabar) ad me dediſti. Præclara ſunt omnia, maximéque ad meum propoſitum facientia, quæ iis accluſa mecum communicanda duxiſti à TE ex S. Jacobi Chartophylacio collecta. Agesſis ut integrum ejus Bibliothecæ MSS. Codicum indicem brevì accipiom...* Et hunc quidem cum *Pezio*, ac etiam mecum poſteà communicavit *Oliverius*, ſed caſu neſcio quo, ille, quem receperam, intercidit.

S. JOANNIS *in Rhingavia* monaſterium à *Ruthordo* Mog. Archiepiſcopo circa A. 1090. fundatum, atque Congregationi Bursfeldenſi A. 1457. unitum, haud minùs divitem antiquitùs habuit librorum ſupellectilem, plurésque aluit Viros doctrinâ pariter ac virtute illuſtriſſimos, quos inter cumprimis memorandus *Conradus de Rodenberg*, relictis pluribus præclari ingenii monumentis nominatiſſimus. Viguit autem hoc cœnobium in omni flore usque ad finem ſeculi XVII. quo Canonici majoris ædis Moguntinæ præbendis ſuis augendis intenti, illud ad incitas redegerunt. At verò Patres Congr. Bursfeldenſis vindicandæ Patrum hæreditatis ſolliciti iſtud tandem A. 1716. ceſſerunt Celſiſſimo Principi Fuldenſi, eâ lege, ut ſex ad minus Monachi illic juxta Fundatorum mentem congruè ſuſtentarentur. Libraria ſupellex magna ex parte illata eſt PP. Capucinorum in *Nothgottes* gramatophylacio. Vir Clar. D. *Schonnatius* non exiguã ſegetem ex hoc agro collectam in ſuas Vindemias literarias retulit. S. Joannis in Rhingavia.

Bibliothecam SPANHEIMENSIS *apud Cynonotos Monaſterii* inſignem olim & locupletiſſimam fuiſſe ex Chronico monaſterii intelligimus, ubi à *Trithemio* Antiſtite plures Monachi & Abbates rei bibliothecariæ perſtudioſi enumerantur. Poſteaquàm verò res literaria unà cum monaſtica diſciplina peſſum iverat, ita indignè ab illiteratis, & omnia potiùs alia, quàm libros, curantibus monachis habita eſt, ut, quo tempore Trithemius in Abbatem conſtitutus fuit, haud plura, atque quatuordecim volomina ſe in Bibliotheca inveniſſe teſtetur. En verba ipſius, quibus in Homil. VII. ſuos alloquitur monachos: *Cernitis hujus Cœnobii Bibliothecam omnem, quæ olim fuit inſignis & magna, per deformatos ante nos monachos usque adeò diſtractam, venditam, & alienatam, ut ultra quatuordecim volumina non fuerint hìc à nobis inventa.* Fortaſſis, inquit *Cl. Schelhornius*, paulò antè omnino nulla adfuerunt. Anno enim MCCCCLXIX. auſpiciis *Friderici*, Comitis Palatini & Bavariæ Ducis, iſtud Cœnobium, antehac peſſimè deformatum, pulſis inde indignis inquilinis, quinque ſcilicet monachis cum Abbate *Ottone de Colonia*, quos vitam diſſolutam egiſſe idem teſtis eſt, & aliis quatuor in eorum locum introductis, datóque ipſis Præſule *Joanne de Colenhauſen*,

Spanheimenſis

malè cuſtoditur.

(o) apud Serarium lib. 1. Rer. Mogunt. cap. 35.

hauſen, quem multis encomiis decorat noſter, ac inter cætera memoriâ digniſſimum vocat. Credibile verò haud eſt, hunc per quatuordecim annos, quibus monaſterio laudabiliter præfuit, nullum prorsùs volumen paraſſe, omnémque librorum curam abjeciſſe. Simul verò atque *Trithemius* (p) ſummam Præfecturam adiit, ſtudio indefeſſo, ſumptu maximo, tam immenſam, quà manu exaratorum, quà arte typographica recèns Moguntiæ tunc repertâ, impreſſorum librorum copiam comparavit, nulla ut id temporis in omni Germania extaret Bibliotheca, quæ cum hac de palma contendere poſſet. Teſtatur id ipſe Trithemius Epiſtola 3. Libri II. pag. 156. his verbis: *Scio quidem non paucos mirari, quòd Abbatiam dimiſi Spanheimenſem, quam libris & ſtructuris effeci pulcherrimam, usque adeò, ut in tota Germania nusquam reperiatur Bibliotheca, in qua tot habeantur in omni ſcientia Scripturarum nova ſimul & antiqua volumina pretioſa atque rariſſima non ſolùm Latina, ſed Hebraica quoque & Græca, charactere ſcripta vetuſtiſſimo. Nam, ut vidiſti, plusquam duo voluminum millia, ex diverſis mundi regnis rara & antiquiſſima comportavi; quæ omnia cum ædificiis & rebus variis amore pacis dimiſi...* Et iterùm Epiſt. 36. Libr. II. pag. 284. *Duorum*, inquit, *millium reliqui volumina vetuſta, pretioſa, atque rariſſima, quæ ſtudio incredibili & amore ad Spanheim ego comportavi tempore præſidentiæ meæ, non ſine impenſis & laboribus multis, in omni varietate ſcripturarum, ſcripta complura, impreſſa etiam multa Græca, Latina, ſimul atque Hebraica, quorum ante me ibi nullum fuit...* Rurſus in epiſt. 47. ejusd. libri ad Joañem Damium ita reſcribit: *Scis quòd plus quàm mille quingentos auri ducatos pro libris expoſuimus in quattuor & viginti annis noſtræ prælationis, magnámque eorum copiam comportavimus in unum.* Duo quippe millia „ numeravimus voluminum Biblio„ thecæ Spanheimenſis ante hoc tri„ ennium, quorum nullum fuit in „ loco, tempore introitûs noſtri ad „ Abbatiam; quod tu frater minimè „ poteris ignorare, quippe qui & mo„ naſterium mecum intrâſti, & multo „ tempore miniſter mihi & camera„ rius fuiſti. In omni facultate ſcien„ tiarum multa volumina comporta„ vimus, non ſolùm impreſſa, ſed „ etiam pergameno ſcripta, complu„ ra pretioſa & rara, ut confidenter „ auſim dicere, *in tota Germania ſimilem non eſſe Bibliothecam*, in qua tot „ rara & pervetuſta reperiantur vo„ lumina in omni varietate ſcriptura„ rum tam divinatum quàm ſecula„ rium; diverſarum quoque lingua„ rum, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, „ Chaldaicæ, Arabicæ, Indianæ, Ru„ thenicæ, Tartaricæ. Taceo reli„ quas conſulto, quæ noſtris utun„ tur chatacteribus, ut Italicæ, Bo„ hemicæ, Gallicæ & ſimiles. Scio „ enim quòd Græcorum voluminum „ ſcriptorum ſimul & impreſſorum „ numerus centenarium excedit. „ Hæc ipſe: *Duraclusius* verò ejus diſcipulus in epiſtola ad *Nicolaum Hamerium Emelanum*, Polygraphiæ libris à Trithemio conſcriptis præfixâ ejusdem Bibliothecam his extulit elogiis: *Maximum librorum in omni facultate theſaurum Spanheimenſi Bibliothecæ per annos, quibus præfuit, importavit, non ſolùm arte impreſſorià, ſed etiam manuſcriptorum. Nam quùm eſſem apud eum unius anni ſpatio, pro diſcendis ab eo literis Græcis atque Hebraicis, duo millia numeravi Bibliothecæ volumina, quorum ad minus octoginta calamo in pergameno & papyro decenter fuerunt conſcripta. Audivi ſæpiùs ab ejus ore, quod plus quàm duo millia florenorum pro libris expoſuerit; quos non de Monaſterii ſubſtantia, quæ valde ſemper fuit exilis, acceperat: ſed quum multis & notus & carus eſſet Principibus, munera, quibus honorabatur ab eis, ut plurimùm pro libris expoſuit. Maximus enim librorum amator & cultor eſt ſupra omnes, quos ego novi hodie in carne viventes.* Ita Duraclusius, quod poſtremum confirmat ipſe Trithemius in præcitata epiſtola 1. his verbis: *Magno, fateor, Bibliothecæ quondam tenebar amore, & cunctis mundi opibus libros meos anteferebam, de quibus vehementer doleo, quod penes indoctos ingratiſſimósque Monachos illos Spanheimenſes debeant remanere.* Medium autem planè novum & ſingulare augendæ Bibliothecæ ævum ſuum accepiſſe valdè lætatus eſt Trithemius, *artem*, puto, *libros typis exſcribendi, multiplicandique*; ita enim Epiſtola I. Libr. II. pag. 175. ad fratrem ſuum Jacobum ſcribit: *Inopiam librorum veteres allegare potuerunt,*

[Margin: à Trithemio aucta & illuſtrata, | ſimilem non habuit in tota Germania. | Duraclusii de ea teſtimonium.]

(p) Vide Acta Trithemii Part. III. pag. 227.

tuerunt, nos verò potiùs inopes copia fecit: quoniam impreſſoria noſtris diebus arte apud Moguntiacum inventa, hodiéque per orbem univerſum dilatata, tot veterum atque novorum volumina doctorum veniunt in lucem, ut ære jam modico doctus quilibet eſſe poſſit. Et præclaram quidem ex his alienæ eruditionis opibus congerendis collegit nominis ſui apud omnes exiſtimationem, ſed multo illuſtriorem ex locupletiſſima proprii ingenii doctrinæque eximiæ gazis, quando iisdem annis inter ſummas anguſtæ rei familiaris occupationes, atque creberrimas ad annuos Bursfeldenſis Confœderationis cœtus (in quibus ferè ad Abbates ſermonem habebat) profectiones, tot tamen librorum tractatuúmque variorum, *quaſi ſuperfœtante ſemper alvo,* effuderit, ut mirum ſit ei vel exſcribendorum, minióque, uti conſueverat, exornandorum, otii ſatis ſuppeditaviſſe. Quamvis verò minus purè elegantéſque ſcripſiſſe nonnullis viſus ſit, ſed ut Spiegelius notat (q), *ætati ſuæ familiari uſus ſermone, nonnulla novè dixerit, quæ inſequentis temporis eruditiores haud receperunt;* quum tamen illis, qui *Doctorum* ac *Eruditorum* adſectasent titulum, auctor extiterit (r), *ut diligenter addiſcerent, quemadmodùm latinè ſcriberent, congruè loquerentur, & ſine vitio ſermonem rectum proferrent;* quum etiam meruerit, ut inter *principes meliorum Literarum apud Germanos inſtauratarum vindices & adſertores* referatus, is profectò digniſſimum ſeſe præſtitit, cujus memoria diligentiùs à poſteris colatur, *ut qui omnium, poſt B. Bernardum, Abbatum facilè doctiſſimus, ævique ſui non poſtremum decus extitiſſe, merito ſuo judicatur* (s). Neque verò inter Abbates tantùm & Monachos effulſit *velut inter ignes luna minores,* ſed inter tot clari nominis viros, qui feliciſſimo illo ſeculo, ſive *aureis iſtis temporibus* (ut ipſe Tsithemius illa *ob emergentia ex ſordibus ac ſqualore literarum ſtudia,* non injuriâ nuncupat) in Germania paſſim prodierant, ita enituit, *ut nemo horum cum illo comparandus, ipſe potiùs omnibus præferendus videretur* (t). Nec æquales ſolùm laudibus Tsithemium in ſuis ad eum epiſtolis certatim condecorârunt, ſed poſterioris etiam temporis eruditis viſus eſt *homo impensè doctus ac peritus.* Horum de eo judicia ſuppeditat *Thomas Pope-Blount* in Cenſura celebriorum Authorum p. 503. *Is certè,* inquiunt, *talis extitit, qui inter ſeculi ſui doctrinâ claros paucos habuerit æquales, vix ſuperiorem; qui non vulgares modò ſemitas triverit, ſed & intima reconditioris eruditionis penetralia reſeraverit; qui cum latinis literis, Hebræas & Græcas apud Germanos locupletiores fecerit; qui ſedulò Epiſcopis, Clericis, Monachis & Abbatibus inculcaverit,* Turpius nihil eſſe, quàm in ordine conſtitutum ſacerdotali egere ſapientiâ, & eum, qui alios docere jubeatur ex officio, ſtultum eſſe & ſine eruditione virum. *Qui apertè negaverit, ſatis eruditum in divinis Scripturis quemquam dici poſſe, ſi ſecularis literaturæ diſciplinam ignorârit, &c.*

Alia Joañis Trithemii in rem literariam merita,

& parta inde elogia.

Verùm quò amantiorem cupidiorémque ſeſe eruditionis is præſtitit, eò acriùs ac crudeliùs ignorantiæ atque barbariæ propugnatores eum ſunt perſecuti. Ipſe fata ſua pluribus in epiſtolis prolixè expoſuit, nóſque in ejus vita diductiùs explicuimus (u); propiùs verò ad rem, de qua nunc agitur, cùm ſpectet *Wolfgangi Treſleri* ad S. Jacobum Moguntiæ Monachi Tsithemio coævi epiſtola apologetica, eam hactenus ineditam, libet hîc ſiſtere integram; Ita enim habet:

Wolfgangi Treſleri epiſtola,

Generoſo Comiti ac Domino Domino WOLFGANGO DE SOLMS *Moguntinenſis Eccleſiæ Canonico...* *Frater* WOLFGANGUS TREFLER *Auguſtenſis ſalutem dicit:*

„ Cùm annô ſuperiore nonnullas ob cauſas apud Spanheim dies complures vitam degerem, & ùt conſuetudo mihi eſt, curioſiùs rei literariæ bis, quibus horis à rerum temporalium cura vacare licuiſſet, inſudarem, tantam contigit talémque librorum copiam in ipſius Monaſterii Bibliotheca offenderem, ut nec facilè narranti fidem quiſpiam daret. Vir ſiquidem Religioſus, ac noſtrâ tempeſtate undecunque eruditiſſimus ejuſce Congregationis locíque Abbas jam pridem JOANNES TRITEMIUS totum ſeſe huic ſtudio dediderat, ut nihil foret ex omnibus ſcitu digniſſimis, quod ipſum quôvis modô aut latere, aut

Trithemii in libros ſtudium.

„ ſurgere

(q) Jacob. Spiegel Epiſt. ad Math. Held Trithemii epiſtolis præfixa.
(r) Vide Epiſt. 1. Libr. II. pag. 176.
(s) Marq. Freherus in Dedicat. Operum Hiſt. Trithemii.
(t) Vid. Nicol. Gerbellii ad Trith. Ep. Libr. II. p. 273. Confer Jac. Burckardi Comment. de fatis linguæ latinæ in Germania Part. II. pag. 366.
(u) Vide Trithemii Vitam Part. III. pag. 237.

„ fugere poſſet. nam præter cæteras virtutes ſuas, vitæque monaſticæ, nec non regularis obſervantiæ ſanctimoniam, tantâ eruditione, tantâ ſapientiâ, tantáque eloquentiâ in præſens usque etiam pollet, ut omnibus benefaciat, omnes ad ſe accerſiat, quos nllâ vel ingenii, vel doctrinæ præſtantiâ inſignes eſſe audierit. Unde quoque actum eſt, ut omnium ferè authorum volumina, qui quod eruditioni proximum foret ſcriptitaviſſent, in unum, ùt ita dixerim, alvearium congregans grandem, mirandámque viris eruditis Bibliothecam inſtruxerit, quæ & diligentiæ ipſius erga ſtudia literarum ſpecimen, monumentúmque in poſteros foret digniſſimum, viríſque doctis ac philoſophicis demirationis prodigium quoddam grandiuſculè obſtupeſcendum. Sciebat nimirùm Vir iſte egregius literas non modò ad virtutes reliquas conducibiles, verùm etiam nonnihil ad benè, beatéque vivendum eſſe omnimodis neceſſarias; nam qnamvìs ſemina quædam virtutis ſint nobis naturâ inſita, ea tamen doctrinâ mirificè coaleſcunt, & ſpecioſiſſimè effloreſcunt. Itaque laudantur à viris ſapientiſſimis Cyrus, Alexander, Cæſar, & nonnulli alii, quòd eſſent doctiſſimè eruditi; quodſi naturâ quâpiam omnes incendimur ad ſciendi amorem, recognitionem, doctrinam, quantò id magìs nitere debent in his, qui aliis præſunt, quibus dictum puto: *vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux bujur mundi.* De quorum ſorte ac numero hic quoque noſter TRITEMIUS Abbas venerabilis haud abs te eſſe creditur, qui velutì quædam optimæ naturæ, Deíque ſimulachra habentur in terris. Hujus quidem enim humaniſſimi Patris laudatam memotiam, & ad quæque diſſerenda, atque invenienda locuples, divinúmque ingenium ferè innumeræ teſtantur epiſtolæ ex variis regionibus, ùt ipſe quoque coràm vidi, ab ipſis etiam eruditiſſimis & viris famâ præclariſſimis, transmiſſæ.

Vindicatur ab impacta Magiæ nota.

Verùm quòd *de ſuperſtitioſis quibusque*, & ùt ipſi ajunt, *necromanticis artibus*, viro Chriſtiano, ac Religionis Monaſticæ habitu adornato indignis, à quibusdam incuſatur, tu *Wolfgange* Virorum præclariſſime falſum puta, ídque vulgi opinionibus nihil veri, certíque habentibus adſcribe. Sed & *Tritemium* licentiùs ut excuſare poſſis, magnus ille ALBERTUS tibi primâ fronte occurrat, cui nonnihil ſuperſtitioſita-

„tis quoque aſſcribitur, quod ipſe etiam vel nunc vitâ functus ſuum eſſe negat. Nec tamen omninò etiam, ſi ita cupis, TRITEMIUM defenſare velim, ut ſcite ipſum abnuam nonnulla, quæ vulgus iners miretur probè, qui in ejus quapiam epiſtola ad quendam non in poſtremis eruditum transmiſſa, ita ſcriptum offendi: *Poſſum bâc arte mentis meæ conceptum notum facere artem meam ſcienti, ad quantamcunque diſtantiam, ad C. etiam milliaria, vel plura, ſecurè ſine ſcriptis, ſine ſignis, per quemcunque nuntium...* Et paulò pòſt: *Si volo etiam ſine nuntio idem facere poſſum.* Item: *voluntatem meam indicare ſedenti in carcere... artem meam ſcienti, etiam longè abſens quantumcunque cuſtodiatur, etiamſi tribus milliaribus ſub terra ſederit &c... poſſum naturaliter ſine aliqua ſuperſtitione, vel adjutorio ſpirituum...* Centum id genus in ipſa epiſtola invenies, de quibus quid cæteri ſentiant, tu ipſe augurare: quamque hujus Epiſtolæ aliam quoque declarativam ad amicum, cujus exemplar quidem legerim, ſed me penès minimè eſt, ſcripſerit. Hic igitur V. Pater, qnum ſcribendorum acriùs librorum officinæ ſe ſe dedere cupit, ac alter veluti *Rabanus* literis enixiſſimè incnmbit, eheu! nti ſæpè uſuvenit, Vir tamen doctus, necnon Chriſtianæ, Monaſticæque religionis cultor laborioſiſſimus, quam minimè ſperaverat, fortunam conſequitur.

Trithemii fata.

Nam ſatìs plùs ſolito averſis non ſolùm ab alienis, puta à ſatellitibus Cynonotorum Ducis, ac ipſis Stauroneſii officialibus, qui etiam viro jam pridem familiariſſimè uſi fuerant, verùm etiam à ſuis propriis filiis, *falſis fratribus*, monachíſque dico, *bominibus ineruditis*, quos ſemper nova delectant, perſeqnutionem patitur. Qui etiam, qnod magìs mirabere, ſcabioſæ ſcientiæ homines crimine peſſimô, & veluti rerum temporalium Monaſterii ipſius dilapidatorem, neglectorémque inclamantes, ac juſto minùs accuſantes, proprios ut deſereret lares non æquis æmulationibus egêre. Egregius igitur Vir, & ipſe doctiſſimus *Rabanum Maurum* Fuldenſis olim Cœnobii Abbatem imitatus, malitiæ cedens alienæ, ſuæ quoque non minùs famæ metuens, ad Marchionam Brandeburgenſem bonæ indolis Principem Electorem, à quo jam dudum per literas, ut veniret, hortatus fuerat, confugit. Qui Princeps magnificentiſſimus virum ejusmodi

„ùt par erat, familiariùs humaniſſiméque excolens ac tractans, menſibus fermè novem apud ſe manere fecit. *Humanitas ſiquidem cùm delectat in omnibus, cùm in Principibus & Regibus maximè; qui quò excellentiores ſunt inter mortales, eò magìs debent humanitate cæteros antecellere.* Vix enim eſt alia virtus ulla, quæ munificentiæ præſtet in conciliandis hominum ſtudiis, atque benevolentia. Præterea quid aliud habent boni faſtigia principatuum ac regnorum, quo illorum præſides cæteris hominibus videantur beatiores, niſi ut his dandi & benefaciendi probatis viris facilior ſit facultas. Quanto igitur dandi atque donandi munere diligentior Princeps fuerit, tanto ſe magìs principatu dignum oſtendit, tum cæteros omnes aut rapit in amorem ſui, aut ad ſe amandum facit ardentiores. Apud ſe ergo Princeps, ùt jam dixi, virum retinens, ac multô tempore ipsô familiariſſimè propter exuberantem eruditionem uſus, tandem quùm diutiùs penès aulam ipſe manere nollet, pulcherrimô munere donatum à ſe hominem ad propria redire conceſſit.

Principũ dotes.

Qui V. Pater haud longè pòſt amicis coadjuvantibus, fortunâ etiam uberiore jam jámque arridente Sancti Jacobi Herbipolenſis Abbatiam nactus, literarum ſtudia non ſolùm non reliquit, verùm etiam quotidie magìs, magíſque in eruditione ſuccreſcens nonnulla præclariſſima volumina edidit: trium namque, ut altius quid repetam, linguarum interpres eſt magnificus; ſed & eò mirabilius, quo mage frequentior. Cujus præconia laudum, ejúſque Bibliothecæ in Spanheim olim, ornatiſſimô carmine quiſpiam (x) hôc modô luſit, nec illuſit:

De libris Latinis, Poëticis, Oratoribus, & Hiſtoricis

De libris Bibliothecæ Spanh.

Ode prima.

„Vidimus ſummos novitate libros,
„Quos Plato nunquam tenuit, Biáſve
„Divus, & quantis Epimonda claret,
Divo Tritemi!
„Faſcibus cinctos hedera jugoſos
„Cernimus plures variante Phœbô,
„Qui recenſerunt hecatis malignum
Cereris hortum.
„Quære nunc linguâ comite à latinâ
„Quos velis libros pariter poëtas,
„Sive romanos patriò ſacratos
Munera Phœbi.
„Sive ſectantes Ciceronis arma,
„Sive ſecretos Phlegethontis auſus,
„Sive mirandum ſtigium baratrum
Agmine ditis.
„Vis vel armatas tumidas figuras,
„Quas tibi monſtrat poëſis beata,
„Quas chaos cinxitque acherontis atrox
Rupibus altis.
„Vis & antiquos noviter repertos,
„Arma qui ſcribunt patriæ latinæ,
„Qui vel armatum recitare mundum
Climate ab omni.
„Sive mordentes rapidô furore,
„Sive civili pavitante pugnâ,
„Sive græcorum tremulâ ſagittâ
Sidere torvo.
„Vis, ut interpres tibi cumque qualis
„His poëtarum veniátque libris
„Quâ ſerâ libros aperis paratos
Omnia ſunt hic.
„Tu tenes omnes pater ipſe quoſquos
„Scribimus noſtris placidis camœnis,
„His latinorum veniant aventi
Græca Tritemi!

Ejusdem Elegiacum carmen de Græcis libris.

De Græcis Codicibus.

„Urgeor inſolitô promiſſa ad fœdera queſtu,
„Græcorum pariter ſcribere gymnaſium.
„Certant cecropii variis thalamiſq; repôſti,
„Certant hebræi, lingua latina tremet.
„Læva domus varios per pulpita picta recondit,
„Innumeros græcos, aſtrologóſq; ſimul.
„Hisque vigent ſtudiis magni præludia Homeri,
„Sex quater Hiadæ, ſive odeaſſen opus.
„Quæ Plato divinus, quæ princeps Philoſophorum,
„Quæ vel Athenarum cætera turba tulit.
„Quid Plutarchus ait græcis, paritérque latinis,
„Quid vel Socrates ſummus in arte ferat.
„Quanta Mathematici dixerunt nomina ſunt hic,
„Et canonum varia Perſida ſcripta Medis.
„Grammatica inſignis græcorum theophilorum,
„Conventus, canonum, turba, vel Eccleſiæ.
„Carmina Pycthagoræ Phochilidos aurea ſcripta,
„Carmina Erithreæ *ſegnides* atque manus.
„Græca Sapientùm ſunt ſeptem dogmata vitæ,
„Bucholicónq; operis, Egloga vel Siculi.
„Eſt *γονος*, atque *θεων* Heſiodi ex jure deorum,
„Aſpis ab illuſtri ſcuta vel Herculea.
„Urgeor innumeros tranſire Georgicon, inquam,
„Atque Philoſtrati dogmata pervigilent.
„Plura tamen formis ſunt condita græca relicta,
„Læva domus retinent hinc, & utrinque ſitum.
„Cæſarios libros cantabimus, aula ſiniſtra,
„Quóſque tenet ſumma, ſeu canones patrios.

(x) *Jacobus Siberti Lacenſis M.*

„Sacra

„Sacra quid Eccleſia eluxit jam fœdere cinctô,
„Hiſtoria annales geſta relicta fide.

De libris Theologicis.

Ejusdem Ode Secunda de libris Theologicis.

„Nunc in adverſo crepitant puellæ,
„Nunc venit magna à thalamo pudica,
„Quæ fidem ſtruxit veteri ſub umbrâ
Theologia.

„Hinc crepent turbæ ſonitu recenti,
„Laudis affatu celebrant choranles,
„Hinc canunt omnes modulo ſevero,
Harmoniarum.

„Græca miſcentur, pariter latina,
„Vibrat alterno comitata cantu,
„Diva conflictu cumulata Chriſti
Theoſophia.

„Aula ab extremo retinet pudicos,
„Penè tercentos numerô beatos,
„Sunt tamen clauſi Canones fideles,
Innumerique.

„Hinc & annales crepitant benigni,
„Penè centenô numerô ſeveri,
„Pollet armatus deitate cantus
Hiſtoriarum.

„Sunt & hebrææ cumulis figuræ
„Sunt & inſertæ numerô ducentæ,
„Sunt & armatæ dominante Chriſtô
Caldaicorum

„Jam quater centi ſimiles libelli.
„Unius linguæ repetuntur illic,
„Atque tantundem recipis magiſtros,
Quos vel amabis.

„Vis, ut aſcribam numerô ſuapte,
„Mille bis tali numerô repertos,
„Poſſis à magno Spanheem Tritemo
Plura videre.

De Muſicis.

Ejusdem de libris Muſicis Ode tertia.

„Quid taces muſa recitare vates!
„Non vides quotquot retinentur aulâ?
„Sub ſerâ clauſi gravitate fulcri
Mercuriales.

„Quid vel edoctis rutilant profundis,
„Plura celantur propriis figuris,
„Hic tamen plures ſtipulante ſaltu
Severiano.

„Vidimus tandem *diapente* grandis,
„Divus Auguſtus reliquas figuras
„Scripſit, ornatus tenerô meatu
Theophoniæ.

„Inſuper dato video libellum
„Scripſit alumnus propriô labore,
„Doctor, interpres, ſacer ille promptus,
Aureliúsque.

„Tu tamen docte ô venias, videbis,
„Quanta clauduntur celebri Minervâ,
„Poſſis, accede ô comite paleſtrâ
Harmoniarum..

„Cæterùm, ut ad id regrediar, unde „digreſſus ſum, quùm in dies com„plures præter ſpem ipſam, obedien„tiâ cogente, ibidem remorari eſſem „coactus, pro meâ ac induſtriâ, & „poſſibilitate, rerum temporalium „ſubſtantiam loci ejusdem adminiſ„trarem, jam novô Abbate creatô, „nullo tamen, vel modicô tempore „ſacrarum literarum uſum, aut ſtu„dia, quibus nihil dulcius ſub ſole „unquam judicaverim, ſeponere va„lui, propè diebus curæ rei familia„ris implicitus, noctes ſæpè totas li„bris operam navans, inſomnes du„cebam; neſciebam ſanè miſer ego, „an vel eruditionis ingens deſideri„um, librorúmve picta varietas ani„mum plùs deluderet. Siquidem de „Latinis ad Græcos, à Græcis ad Hæ„bræos frequens mihi ipſi quùm eſſet „diſcurſus, omne tempus brevius plùs „ſolito fieret, neceſſe fuit. Incidi „tandem noviſſimè in id genus volu„minum, quod vulgò *discartas* vocita„mus, cujus fragmenta in diverſa gi„rans, noviſſimè in manibus cerno „quaternionem in literâ plùs anti„quiori, cujus triſtiorem voluminis „faciem abſtergens, ad primos ejus „vultus obſtupui, ídque comicum „exclamitans, ajo: *pape, pape! quò „minimè credis gurgite piſcis erit.* „Nec deſtiti, licèt multô jam jam„que in lichnis depaſtô olivô, quoad „materiam ipſam per omnes ejus par„tes diſcurrens ad finem usque lecti„tarem. At neque hoc ſat eſſe cre„debam, quin potiùs ſequenti au„rorâ calamo imperans, ejusdem, ut „mihi exemplar foret, ùtùt potue„rim, opuſculum (y) ipſum de verbo „ad verbum integrè excerpſi. Porrò „ego ipſe mecum tacitus perquirens, „cui potiſſimùm nobilem hunc ipſum „theſaurum, támq; præclarum, denuò „ne deliteſcens pulveri, vermibúſ„que eſca foret, ſervandum comen„darem, primus tu occurrebas, quô „& olim jam familiariſſimè uſus ſim, „& quidem digniſſimus, qui hanc „provinciam eſſes ſubiturus; nam, „ut tuâ pace dixerim, permultis „te muneribus eisdémque præclaris „tum natura inſignivit, tum auxit „fortuna. Quod enim me hercle! „benignitatis genus natura tibi non„eſt, ut paucis multa concludam, „affatim elargita? quô patre natus „es, non ignoras; ſi tamen is de„mùm nobilis eſt, quem *ſua nobili„tat virtus*: formæ præſtantiâ pol„les plurimùm, quâ ipsâ dignitatem „mentis, atque ingenii repræſentari

 „par

(y) Id porrò operis, eſt *Chronicon Chriſtiani Epiſc.* quod ſub nomine Conradi edidit *Helvvichius*, & poſt eum *Georg. Chriſt. Joannis in rebus Mog.*..

„ par eſt; & eâ es integritate ſenſuum,
„ quam rariſſimam licet invenire; quæ
„ ſi diligenti ſtudiô , ac veluti arte
„ quâdam ad cumulum usque perdu-
„ xeris, nullius inops laudis ſis futu-
„ rus. Suſcipe igitur mi Comes *Wolff-*
„ *gange* multâ laude digniſſime! hoc
„ munus qualecunque eſt , quod tibi
„ offert pauper amicus, tuus inquam
„ *Wolffgangus Treſler* Auguſtenſis ,
„ faréque rem gratam ſe tibi feciſſe
„ olim, & beneficiis jam pridem tuis,
„ tui ac patrui Domini *Ruperti de*
„ *Solms* Canonici , & Cuſtodis Ec-
„ cleſiæ majoris Moguntinenſis Co-
„ lendiſſimi , nonnihil reſpondiſſe ſe
„ ſentiat. Scis ipſe tu, qui vir
„ fuerit , licèt enim jam dudum
„ Deo, naturæque conceſſerit; ipſius
„ tamen unius & nomen , & actus
„ in ore ſunt omnium : fuerit probè
„ pauperum conſolator pientiſſimus,
„ in eleemoſynis elargiendis nullus
„ alter ſimilis, ità, ut carnis genero-
„ ſitatem morum ac virtutum cumu-
„ lis exactiſſimè in omnibus nobilita-
„ ret. Cujus exemplo innocentiæ ,
„ frugalitatis , atque juſtitiæ tua ge-
„ neroſitas limpidè edocta , nihil
„ aliud , ut mihi videre videor , aut
„ facere , aut velle poterit aliquando,
„ quod virtuti , pietati , caſtimoniæ ,
„ juſtitiæve non reſpondeat. De TE
„ igitur , tuiſque laudatiſſimis conſi-
„ lius virtutibus , TE placuit delige-
„ rem , qui tam pretioſæ margaritæ
„ dignus diſpenſator, conſervator exi-
„ ſteres , defenſorque fidiſſimus , nt
„ dùm maxima quæque hôc tractatu
„ ſub brevi ac ſimplici narratione an-
„ notata, quæ retroactis temporibus
„ perpeſſa eſt Eccleſia Moguntina ,
„ quis legerit , leviùs minora, quæ
„ quotidie oberrant, ferat ; ut enim
„ hæc fiant , neceſſe eſt , licèt *non-*
„ *dum ſtatim finis* , & ſi ſic , ex ipſa
„ jam deſperatione ſumendus eſt ani-
„ mus. Porrò , ſi materia iſtiusmodi
„ talis , ac tanti viri in aſpectus , ut
„ veniat , digna non eſt, non pote-
„ rit tamen , meo judicio , gratum
„ non eſſe, quod caritas undecumque
„ obtulit. Vale felix nobis in finem
„ usque ! Ex Monte Specioſo , ſeu,
„ ut vulgo placet, Monaſterio S. Ja-
„ cobi prope & extra muros Mogun-
„ tinæ Civitatis an. Domini MDVIII.
„ duodecimo kal. Auguſti. „ Hactenus
Treſlerus.

Comitum de Solms elogium.

Quanta etiam extiterint *Trithemii* in Spanheimenſe cœnobium merita, quantàque nominis celebritate ipſe floruerit , *Theodoricus* Fuldenſis Monachus teſtatur epiſt. 53. Libr. II. ipſum ſic compellans : *Contriſtatus quidem propterea ſum , quòd invidia æmulorum veſtrorum in tantum valere permiſſa eſt , ut vobis occaſionem præberet Monaſterium veſtrum deſerendi , quod veſtris ingenio ſcriptis & libris per totum ferme orbem notum, clarum, famoſúmque reddidiſtis & inſigne.* Quid enim fuit Monaſterium Spanheimenſe priusquam veſtra Paternitas Reverenda eidem præficeretur ? In obſcuro latebat & in tenebris, ita ut ultra decem milliaria in circuitu nominis ejus nulla æſtimatio vel notitia haberetur. Reddidiſtis illud veſtris lucubrationibus longè latéque glorioſum & notum, ita, ſicut vidi per memetipſum , qui ultra triennium ſub veſtro magiſterio militavi diſcipulus , quod ex Gymnaſio *Pariſienſi* in Gallia, *Lovanienſi* in Brabantia, *Tubingenſi* in Suevia, ex *Italia* quoq; & *Alemannia*, aliisque remotioribus terrarum locis, quam multi viri doctiſſimi, Principes quoque & Pontifices excitati famâ nominis veſtri certatim confluebant ad Spanheim, non ſine Monaſterii commodo & utilitate... *Ornaviſtis etiam novis illud ſtructuris , atq; libris & multis & pretioſiſſimis, de quibus vehementer doleo, quòd penes indoctos ingratiſſimósq; Monachos illos Spanheimenſes debeant remanere.* Hæc ille.

Theodorici Fuldenſis teſtimoniũ.

de celebritate monaſterio Spanhemenſi conciliata.

Plures verò Viros doctrinâ, dignitate & officiis illuſtriſſimos non ſolùm ex Germania, ſed etiam ex provinciis longâ intercapedine disjunctis, viſendi magni animo & corpore *Trithemii*, ſpectandíque literarũ theſauri apud Cynonotos , gentem ignotam, retruſi & defoſſi percupidos Spanheimium confluxiſſe prodit Trithemius ipſe epiſtolâ 3. libri II. p. 193. his verbis : *Confluebat ad me non ſolùm ex Germania tota viri doctiſſimi atque ſpectabiles multi , ſed ex Italia quoque & tripartita Gallia plures ; Principes quoque & Pontifices Eccleſiarum ſuis me literis , atque muneribus viſitabant &c.* Rurſus in Chronico Spanheimenſi : *Bibliotheca*, inquit, *hujus monaſterii hodie in omni terra prædicatur in tantum , ut multi Principes , Epiſcopi , Doctores , Magiſtri , Nobiles , viríque clariſſimi , non ſolum è vicino , ſed etiam è regionibus longinquis nomine & famâ* Joannis Trithemii Abbatis, *& Voluminum ejus excitati, hunc locum inviſerint , quibus antehac nec nomen quidem cœnobii conſtabat* ; *inter*

& virorum illuſtrium confluxu,

ad luſtrandam Bibliothecam.

quos

quos, ut paucos præſtantiores commemorem, fuit Joannes Dalbergius *Wormatienſis Epiſcopus*, Joannes Capnion *Phorcenſis*, Conradus Celtes *Protutius Poëta laureatus*, Franciſcus Bononius *Reginæ Romanorum Secretarius, omnes Viri doctiſſimi, Græcæ quoque & Hebraicæ linguarum peritiſſimi*, Henricus Bunavius *Saxoniæ Ducum Secretarius*, Joannes Cuſpinianus *Poëta laureatus & Medicus*, Jacobus Wimpfelingius *Theologus*, Aquinus *natione Suedus Mathematicus ſubtiliſſimus*, Ægidius Delphius *Theologus Pariſienſis*, Gabriel Biel *aliíque multi.* „ Hucusque Chronicon Spanheimenſe.

Joannis Butzbachii relatio de Alexandro Hegio.

Memoriæ quoque prodidit *Joannes Butzbachius* Piemontanus Lacenſis in agro Treverico Cœnobii Prior, *Alexandrum Hegium* Daventrienſis Scholæ in Belgio Gymnaſiarcham, & *Eraſmi Roterodami* quondam Præceptorem, eâdem de causâ, ætate licet decrepitâ, & totâ Civitate obſtupeſcente, apud Cynonotos inviſiſſe *Trithemium*, indéque reverſum, coram tota juventute, quæ tunc erat ducentorum capitum ſupra mille (*inter quos & ego*, inquit, *tunc cenſebar*) aſſeveraviſſe ſe incredibili cum voluptate magnum illud mundi jubar, ejúsque locupletem Bibliothecam ſpectâſſe, omníque fama & opinione majora inibi offendiſſe. Cùm ſubinde verò Trithemius ex Spanheimenſi Abbate creatus fuiſſet D. Jacobi in Subnrbano Herbipolenſi Præſul, hanc tanto ſtudio tantísque impenſis à ſe comparatam Bibliothecam noluit ſecum in Orientalium Franciam transferre, non alia ex cauſa, quàm quòd de monaſterii ſubſtantia, ut ipſe loquitur, eam comparaviſſet. *Nihil enim*, inquiens, *proprium mihi eſt, qui monachum juxta regulam ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti profiteor.*

Bibliothecæ fata.

Utinam verò tutiorem ſaltem in locum avecta fuiſſet. Nullum enim monaſterium, à tempore, quo *Martinus Lutherus* novi Evangelii ſui ſemeotem per Germaniam diſperſit, tantam literariæ ſupellectilis jacturam, ac unum Spanheimenſe feciſſe teſtatur *Joannes Buſæus*, celebris Soc. Jeſu Theologus, qui Trithemii Opera pia & ſpiritualia in unum volumen coacta typis vulgavit.

Inter hæc verò Opuſculum eſt *de Laude Scriptorum manualium*, in cujus cap. XIV. Trithemius diſquirit: *An ſit commendabile, in cœnobiis multos habere codices?* Quæſtionem verò in hæc verba reſolvit:

Oſores multorum librorum refelluntur.

„ Sunt nonnulli, qui amatores librorum de multitudine velut nimietate reprehendunt, dicentes, ad inſtitutionem bonæ vitæ codices paucos ſufficere, qui doceant nos, vitia fugere, & virtutes amare. Ajunt enim ad eos, quos diligere libros conſpiciunt: Quid vos tanta librorum mulritudine obruitis: cùm eos legere omnes non poſſitis, quos habetis? Melius eſt enim, paucos habere codices & legere, quàm multos in Bibliotheca reconditos ſine lectione tranſire. Quibus breviter reſpondemus: Si reprehenſibile eſt, multa volumina habere, cùm ad ſcientiam ſalutarem pauca poſſent ſufficere: malum ſit etiam fateantur, ſanctos Patres tam multa & penè innumerabilia ſcripſiſſe. Cur Origenes ſex millia, cur Auguſtinus ducentos, cur trecentos libros Hieronymus edidit: cùm ad bonæ vitæ inſtitutionem pauci ſufficiant? An fortè multos ſcribere licet, & non habere? Si malum eſt, multos libros emere, cur ſancti Patres tantam diligentiam in colligendis ſcribendísque olim fecerunt? Sic ſtulti eſtis, ut bonum malum, & malum bonum aſſerentes, dum contra amatores librorum ſine diſtinctione latratis, etiam obloqui ſanctiſſimis Patribus non timetis? quorum dum imitatores reprehenditis, quaſi malè illi præceſſerint, arguitis. Si malum eſt, imitari: quomodo præceſſiſſe bonum erit? Sed quia Sanctorum ſtudium juſtè non potes reprehendere, ſi ſapis: ceſſa, eorum imitatores lacerare. Nam ſi illis bonum fuit: nec iſtis malum erit. Ecce tu aurum & argentum congregas: agrum agro copulas, & malum non judicas, ſed dicis: Pecunias colligere pro inſtanti fratrum neceſſitate providentiæ eſt: & in futurum recondere, juſtæ rationis. Libros autem tam innumeros emere, non providentiæ, ſed curioſitatis eſt. O imperator cupiditatis! ô avaritiæ princeps! quid honeſtatis non oppugnat ignavia tua? Quid non corrodit ſæva cupiditas? Ut amatores ſacræ ſcientiæ vituperes, avaritiam commendas. Ex abundantia cordis tui os loquitur, & quòd ſapientiæ adverſarius ſis, tuus ſermo teſtatur. Non eſt, quam ſimulas,

Abbates nummorũ quàm librorum ſtudioſiores redarguuntur.

pro-

„ providentia, ſed avaritia: non fratrum neceſſitas, ſed auri cupiditas. Odiſti diſciplinam, & ſermones Domini projeciſti retrorſum, & quaſi de inſigni juſtitia gloriaris? Sed tranſeant hæc, aliò tempore proceſſura in publicum. Omnes autem libri bonarum artium boni ſunt: maximè qui ad intellectum ſacre Scripturæ conducunt. Malum ergò non eſt, bonos habere libros: niſi prohibitio faciat illicitum. Sed nullum invenitur præceptum, quod multitudinem librorum prohibeat. Quid igitur nobis de copia librorum inſultas? Cur ſanctum & neceſſarium in Eccleſia ſtudium condemnas? Bonum eſt, conſtanter auſim dicere, & multos & bonos in cœnobio habere codices, quibus fratrum promoveatur ſtudium: etiamſi omnes legere non ſufficiant. Secularium quoque auctorum volumina à monachorum Bibliothecis non ſunt repellenda, ſine quorum notitia divinos libros non æſtimo quempiam perfectè intelligere. Nam ſi antiquorum Patrum noſtri Ordinis Bibliothecas perſcrutemur (ut Bedæ in Anglia, Rabani in Fulda, Haymonis in Hirsfeldia, Petri in Vivario, Notgeri apud ſanctum Gallum, Guitmundi ad beatum Leutfredum, Sigeberti in Gemblaco, Herigeri quoque apud Lobia, aliorúmque doctiſſimorum ac venerabilium Patrum, qui ſcientiâ & ſanctitate in Eccleſia Dei claruerunt) inveniemus copiam librorum in omni facultate, in omni ſcientia, in omni doctrina, quod etiam ex eorum opuſculis facilè poſſumus agnoſcere: dum in omni literatura tam divina, quàm humana periti fuiſſe declarantur. Horum exempla imitari Monachis honorabile & utile eſt. Cæterùm nihil eſt in hac vita tam pium, tam ſalubre, tam ſanctum, quo voluntas mala non poſſit abuti: ſic etiam de librorum multitudine poterit evenire, ſi non Dei & Scripturarum amor, ſed curioſitas vel elatio fuerit in cauſa. Caveat igitur is, qui colligendis voluminibus invigilat, ne appetitum ſuum in vanitate ponat. Studeat intentionem ad debitum finem dirigere, ſi non vult à bono deviare. „ *Ex ſymbolis P. Oliverii, à quo conſcriptam vide Trithemii vitam Part. III. Cap. III. §. XXXI. pag. 217.*

Libri profani non arcendi à Bibliothecis monaſticis.

Laurishamenſis.

LAURISHAMENSE ſeu *Lauriſſenum* vulgò *Lorſch* imperiale O.S.B. in Strata Montana è regione Wormatiæ ſive Barbetomagi trans Rhenū in Diœceſi Moguntina Archiſterium, per *Cancronem* Comitem A. 764. fundatum, atque à *Carolo M.* multis privilegiis & copioſiſſimâ librorum ſupellectile inſtructum, Magnorum olim Vitorum extitit ſeminarium, Regúmque ac Principum ſepulchretum. Hujus loci Bibliothecam *Lomierius* libr. de Bibl. cap. 8. p. 200. omnium Germaniæ Bibliothecarum antiquiſſimam vocat. Vero propius illud, quòd præſtantioris notæ libris referta fuerit. In ea enim *Livii Hiſtoriæ libros quinque poſtremos* bono quodam genio reperit *Simon Grynæus.* Archetypum erat mirandæ vetuſtatis, priſco more perpetuâ literarum ſerie ita depictum, ut difficillimum fuerit verbum à verbo dirimere, niſi docto & attento, ac etiam in hoc ipſum exercitato Viro, ut perhibet *Eraſmus* præf. ad notas Rhenani in Livium. Eidem Monaſterio, ſi non totum, ſaltem magna ex parte *Iſychium* debemus, ut narrat *Sichardus* ſuâ in illum præfatione. Fuit ibidem exemplar, quod *Virgilii manuſcriptum* titulus præmonebat. Aſt eheu! celebre hoc Archiſterium omnibus his aliíſque cimeliis, & privilegiis à *Friderico* Comite Palatino circa A. 1555. orbatum, ac fœdè invaſum, tandémque anno 1623. à *Joanne Swiccardo* Mognntinenſi Archiepiſcopo unà cum juribus & pertinentiis ſuis *Menſæ*, ut vocant, *Archiepiſcopali* incorpotatum priſci ſplendoris memoriam ægrè tuetur. *Joannes Dalburgius* Wormatienſis Epiſcopus meliores quoque codices hinc in Ladenburgenſem Bibliothecam ſub initium ſeculi XVI. tranſtuliſſe memoratur, teſte *Hoſpin. de Orig. Monaſt. fol.* 162. Extat ejûs loci Chronicon à *Struvio* notis illuſtratum inter Scriptores rer. Germ. à *Frebero* collectos. Monumenta & Antiquitates extulit *Helwichius.* Dent Superi! ut illi, quorum ſolemnis eſt hac in re auctoritas, illud tandem è diutino vaſtitatis ſitu eruant, ac in Dei ſervitio refloreſcere juxta fundatorum mentem faciant!

Haſungenſis Bibliotheca.

HASUNGA ſeu *Haſungenſe* locuples admodùm & ſplendidum olim O. S. B. apud Haſſos in Thuringiæ monte cognomine Monaſterium, cujus fundamenta primùm jecit *Aribo* ſive *Erbo* Moguntinus Archiepiſcopus ſub A. 1028., abſolvit autem ſub A. 1073. *Sigefridus* Baro de Eppenſtein ex Ab-

bate

bate Fuldenſi Moguntinus & ipſe Archipræſul. Miſit eodem primum Abbatem *Giſelbertum* Virum doctrina & virtute egregium *S. Wilhelmus* Hirſaugienſis cum integra Religioſorum Colonia, *cum ſtatutis & neceſſariis libris*, inde verò ab Henrico Imperatore expulſi cœnobitæ, quod excommunicato per Gregorium VII. communicare nollent, omnes ad S. Wilhelmum Hirſaug. ſe contulêre; donec cœnobio ſuo deinceps redderentur. Adjunxit ſe hoc ipſum aſceterium Congregationi Bursfeldenſi anno 1505. & iterùm 1510, ſub qua in omni flore viguit, usque dum in turpi religionis diſſidio cum aliis ſuccubuit. Ditiſſimam olim habuit Bibliothecam, è qua codicem quemdam membranaceum laudat *Zacharias Conradus Uffenbachius* in ſuo Itinere Caſſelano pag. 57. his verbis: *Codex Membranaceus in fol.* STATIUM *exhibens, in cujus fine*:

Bis quingento, bis trino, bis quoque bino
Naſcentis Chriſti Thebais ſcripta fuiſti;
Ambo donavit, ubi Haſungæ clauſtra locavit
Sigfridus Monachus, Abbas, dehinc præſul & exul,
Bis quater undenis quatuor minus addito mille,
Cæſaribus lenis relegatur Epiſcopus ille,
Fulda docet, celebrat Moguntia, claudit Haſuoga.

Vid. Tritbemii Chron. Hirſaug. Tom. I. pag. 235.

Hirsfeldenſis.

HIRSFELDIA, aliàs *Herocampia*, Regale quondam O. S. B. in Thuringiæ finibus ad Fuldam amnem Archiſterium, cujus initia *SS. Bonifacio* & *Sturmio* Fuldenſi, incrementa *Lullo* Bonifacii in ſede Moguntina ſucceſſori adſcribuntur, pretioſam olim habuit Bibliothecam, quam tamen à Monachis cum Abbate odio regularis diſciplinæ laborantibus poſt annom 1480. turpiter neglectam perhibet Tritbemius in Chron. Hirſaug. ad A. 1513. pag. 690. *Triginta*, inquit, *tranſacti ſunt temporis anni, quando Hirsfeldenſis Monaſterii Bibliotheca & multis & pretioſis adhuc erat voluminibus decorata, ſicuti ex mihi tunc exhibito indice cognovi, quorum hodie pauciſſima dicuntur inveniri. . .* Deinde ut ſciat poſteritas, quàm juſtè omnis vir bonus talium Abbatum & Monachorum deteſtetur Veſaniam. „Quan-„ do, *inquit*, Abbas Fuldenſis Caſtel-„ lum *Eich*, ut diximus, in poſſeſſio-„ nem accepit, privilegiorum Mo-„ naſterii literas quàm plures reperit, „ in ſtraminibus ante canes projectas, „ quas partim integras, partim laceratas à canibus juſſit recolligi, & „ ciſtam plenam deportari in Ful-„ dam.„ Regalis porrò hujus monaſterii titulus circa A. 1513. ſuppreſſus fuit, & Monaſterio Fuldenſi incorporatus. Viguit tamen Cœnobium ad A. 1580, quo *Crofſto à Weiſſenbach* in hæreſin prolapſus, rem familiarem propè decoxit. Curis poſtmodò *Balthaſaris* Fuldenſis reſtituta eſt Abbatia anno 1593. atque à *Joachimo Roſſio* Abbate procurata ad A. 1606. à quo tempore miſerè afflicta, demùm per pacta Weſtphalica Haſſiæ Landgravio ceſſit infelix victima.

P. Ziegelbauer Hiſt. L. I.

Seligenſtadienſis.

SELIGENSTADIUM ad Mœnum tribus ferè à Francofurto milliaribus diſtans, quod ab *Eginbardo* Ludovici Pii Imp. Cancellario circa A. 827. fundatũ legitur, hodiéque ſub Congregatione Bursfeldenſi in omni flore viget, locupletem, eámque veteribus monumentis egregiè ornatam habet Bibliothecam, cujus catalogus deſideratur. Floruêre eo in loco plures viri doctiſſimi, *Leonardus Colchon* Congr. Bursfeld. Præſes, *Franciſcus Blöckinger* Abbas, *Joannes Weinckens* &c. editis ingenii munumentis celebres.

Amorbacenſis.

AMORBACENSE in finibos Franconiæ & Diœceſi Moguntina vetus Aſceterium ſupellectile lireraria egregiè pridem inſtructum fuiſſe, commemorant ejus Abbatiæ Faſti nuper ab *Ignatio Groppio* in lucem editi. Ineunte Seculo XVI. claruit *Jacobus Zwifelius* loci Abbas, vir juxta doctus ac pius, qui *Tritbemium* ita complectebatur, ut nec mortuum prædicare intermitteret; illius libros ita coluit, ut non potuiſſet ſanctiùs; doctrinam denique ac morum integritatem ita imitabatur, ut nemo illi viveret ſimilior, utì teſtatur *Joannes Marquardus* in epiſtola dedicatoria Tritbemiani opuſculi *de ſeptem ſecundeis*. Alios plures ejus loci Viros illuſtres vide recenſitos in chronico recèns vulgato.

Herbipolenſes Bibliothecæ.

Quæ *Neoſtadii* ad Mœnum, Herbipoli ad *S. Stephanum*, & ad *S. Jacobum* ſpectantur Bibliothecæ, non paucis quidem venerandæ antiquitatis monumentis ſuperbiunt; ſed cùm eorum Poſſeſſores ad catalogos nobis ſufficiendos literis provocati, nihil ſubmiſerint, *ſinamus mortuos ſepelire mortuos ſuos*.

Schwartzachenſis.

SCHWARTZACHENSIS S. Felicitatis ad Mœnum Monaſterii Bibliotheca

eleganti ſtructurâ, & librorum diſpoſitione, ac etiam præſtantiâ alias penè omnes Franconiæ Bibliothecas ſuperat. Continet illa non exiguam manuſcriptorum codicum & veterum editionum copiam. Selectioribus verò rei literariæ cimeliis eam hodie exornat R.mus Abbas *Chriſtophorus Balbus*, Vir dignus, quem Muſæ vetent mori. Plura de Bibliothecis Herbipolenſibus curioſus indagator reperiet in Univerſitatis collegio, ubi præcipua Monaſteriorum Franconiæ ſpolia adſervantur.

S. Michaelis Bamberg.

Bibliotheca MONTIS S. MICHAELIS ampliſſimæ amœniſſimæque extra muros Bambergenſis civitatis ſitæ Abbatiæ circa A. 1008. à *S. Henrico* Imperatore fundatæ, non paucis rei literariæ opibus abundat. *Wolframus* Abbas ordine quartus ejus congerendæ ſupellectilis ſtudioſiſſimus fuit. Cùm enim anno 1112. electus fuiſſet in Antiſtitem, ratus ſe etiam Muſis præeſſe debere, ſuóque exemplo alios ad earum cultum ſuccendere, Monachos non tantùm eruditos in ſuum adlegit collegium, ſed etiam ſtrenuos librorum Scriptores ſub ſe habuit, *Frutolphum*, *Timonem*, *&* *Heroldum*, per quos Bibliotheca egregiè pluribus Mſ.tis codicibus aucta eſt. Hi verò ſunt libri, *quos Ruotgerus* (z) *in Librario invenit*, *ſub Wolframo Abbate.*

Ejus librorum Index.

Donati I.	Boetii IIII.
Euticii I.	Oratii II.
Catonis II.	Statii III.
Aviani II.	Perſii II.
Proſperi II.	Juvenales II.
Sedulii II.	Martiani III.
Aratoris II.	Priſciani IIII.
Terentii III.	Iſidori IIII.
Saluſtii II.	Porphirii I. cum Categoriis Auguſtini II.
Evagrii Coment. ſuper Virgil. III.	

Priora Comentaria in Porphirinm II.
Priora Comentaria in Categorias II.
Priora Commentaria in Perihermenias II.
Poſteriora II.
Boetii de relectis II.
Topichorum I.
Arithmeticæ II.
Muſicæ IIII.
Rhetoricæ III.
De Muſica Encheriadis.
Victorinus in Rhetoricam.
Julius de Geometria.
Higinus in Aſtronomiam.
Macrovius in eodem volumine.
Item Macrovius.
Item Macrovius ſemiſcriptus.
Timæus Platonis.
Liber Sarracænus de Mathematica.
Boetii de S. Trinitate II.
Tulii de Finibus Bonorum II.
  ad Herennium I.
  de Oratore II.
  Tuſculanarum I.
  Officiorum I.
  de amicitia I.
Muſica Auguſtini I.
De Grammatica Auguſtini I.
Macrovii Saturnaliorum II.
Mappa mundi III.
Plauti Lib. I.
Lucani II.
Plinius de Naturali Hiſtoria I.
De Perſecutione Africæ Lib. I.
Daretis II.
Periſeſcon II.
Juſtiniani de Legibns I.
Quintiliani II.
De vita diverſorum Principum Lib. II.
  Solini II.
  Martialis II.
De Inſtrumentis Bellicis I.
Græci de Mathematica II.
Liber ſemiſcriptus de Legibus Agelii I.
De his quæ Virgilius de Græcis traxit Liber I.
Aurelii Symmachi de Præfectura I.
Phatta I.
Medicinalinm VI.
Itinerarius I.
Servii Honorati ad Aquilinum I.
Sibillæ vatis I.
De Epiſtolis Pauli Apoſtoli Lib. I.
Pompejus Trogus I.
De Urbe Mediolanenſi I.
De Ordinatione Regum I.
De Virtutibus I.
De Heinrico Imp. verſificus I.
De Eccleſiaſtica Inſtitutione I.
De Formoſiana Calamitate Lib. I.
Officiorum I.
Paulus Oroſius I.
Valerius Maximus I.
Helberici II.
De Nativitate Domini I.
De Fide I.
Rufinus I.
Hiſtoriæ Romanorum IIII.
De Vita S. Galli Lib. I.
Vita S. Benedicti Lib. I.
  SS. Viti & Modeſti.
  Kiliani.
  Burchardi.
  Anaſtaſii & Filiorum ejus.
  Julianæ.
  Cæciliæ.

Vita

(z) Vid. Antiquitates Cœnobii S. Michaëlis Bambergæ apud Schannat in Vindem. Literar. pag. 50.

Vita Gingulfi.
Agnetis.
Agathæ.
Corbiniani.
Pœnitentia S. Cypriani & Paſſio ejus.
Vita S. Silveſtri una.
Vita S. Gregorii una.
Paſſionarius unus.
Vita S. Nicolai una.
Joannis & Pauli.
Petri Alexandrini Epiſcopi, & de Prædeſtinatione in eodem volumine.
Vita S. Wenezali M. una.
Viti & Modeſti una.
S. Columbani.
Vitæ S. Martini duæ.
Remigii duæ.
Willibrordi una.
Auguſtini una.
Maximini una.
Antonii una.
Mariæ Ægyptiacæ una.
Miſſale I.
Graduale I.
Sequentiarum I.
Pſalterium Græcum I.
Viſio Paronti Monachi.
Caſſiodorus in Pſalterium.
Caſſiodorus de Detractoribus ſacrarum Scripturarum Lib. I.
Caſſiodorus de Anima I.
Joſephi Hiſtoriographi volum. IIII.
Tripartita Hiſtoria.
Moralia Job duo volumina.
L. Homiliarum B. Gregorii I.
Gregorius in Ezechielem.
Dialogus Gregorii I.
Paſtoralis cura I.
Gregorius de Agone Chriſtiano.
Gregorius in Epiſtolas beati Job.
Gregorius in Epiſtolas Hezechielis.
Auguſtini de Civitate Dei Lib. I.
Auguſtinus ſuper Pſalterium in V. Voluminibus.
Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana.
Auguſtinus de Agone Chriſtianæ Religionis.
Auguſtinus in Epiſtolas S. Joannis I.
Auguſtinus de verſu: Qui vult vitam.
Auguſtinus de orando Deo.
Auguſtini Enchiridion.
Ambroſii in Iſaiam Prophetam I.
de Myſteriis I.
Cypriani ad Donatum Lib. I.
Gregorius Nazianzenus.
Flaviani Lib. I.
Ruffinus Hiſtoriarum I.
Beda de Temporibus II.
de Virtutibus I.
Beda de Agone Animæ & corporis Lib. I.
de Anima. I.
Epiſtolarum canonicarum Lib. II.
Paſchaſius de Evchariſtia.
Epiſtolarum Encmari Lib. I.
Geſtorum Charuli Imperatoris I.
Regum Francorum I.
De Vita Cæſarum Romanorum I.
Item alius.
Liber Richeri ad Gerbertum.
Epiſtola Proſperi de Libero.
Eccleſiaſtica Hiſtoria Gentis Anglor.
Originis Periarchon I.
Enchiridion I.
Homiliarum Originis I.
De Hæreſi Lib. I.
Lib. Chronic. I.
Joannis de Compunctione Cordis I.
Joannis in Epiſtolas B. Pauli.
De Benedictione Imperatorum I.
Joannis Chryſoſtomi Lib. II.
Epiſtola Adelberonis ad Ruotbertum.
Epiſtolarum Senecæ Lib. I.
Hieronymi Illuſtrium Virorum II.
Plenarium II.
Item de Dormitione Paulini Lib. I.
Senecæ ad Novatum Lib. I.
Senecæ Epiſtolarum Moralium I.
Epiſtola Hieronymi de Pſalterio.
Hieronymi ad Pammachium in Prophetas Lib. I.
Hieronymi ad Damaſum Papam in Ezechielem Prophetam.
Geſtorum ſancti Hieronymi & ſancti Dionyſii Lib. I.
Hieronymi ad Euſebium Lib. I.
Expoſitio in Matthæum Evangeliſt.
Expoſitio ſuper Evangelium Marci.
Expoſitio Bedæ ſuper idem I.
Auguſtini ad quendam Comitem.
Anuſ. de Proprietate Gemmarum.

Hermannus Wolframi in Abbatia ſucceſſor innumeris voluminibus Bibliothecam pariter auxiſſe legitur. Verùm anno Domini 1435. in vigilia S. Joannis Baptiſtæ Cives Bambergenſes ſeditioſi in Epiſcopum *Antonium*, & totum Clerum, manu validâ & armatâ portas bujus Monaſterii effregêre, & totum Munachorum montem hoſtiliter occupantes ducentos milites in cœnobio collocârunt. Die verò Sabbathi poſt Joannis Baptiſtæ Feſtum, direpto ac ſpoliato monaſterio, mox omnes ejus munitiones fregerunt, ac funditùs deleverunt. Bibliothecam ac cetera omnia pretioſiora avehi curârunt, & inter ſe diſtribuerunt. Capitanei ac Duces furentium civium erant viri conſulares *Nicolaus Haller*, *Conradus Ortlenius*, & *Fridericus Schikus*. Damnum Bibliothecæ illatum præter ceteros Abbates reſar-

A. 1435. expilatur.

cire fategit Abbas *Udalricus* anno 1482. demortuus. Studioſâ enim coemptione plurimorum voluminum de novo forulos Bibliothecæ inſtruxit. Quod etiam præſtitit ejus ſucceſſor ANDREAS, qui non libris tantùm magno numero comparatis, ſed proprio etiam marte elaboratis Bibliothecam locupletiorem reddidit. Conſcripſit enim magnum Opus *Canoniſatorum ex Ordine S. Benedicti Pontificum, Archi- & Epiſcoporum, necnon Abbatum & Abbatiſſarum cum ſingulorum Actis & legendis. Hiſtoriam quoque & Vitam S. Othonis Epiſcopi* IV. libris ad Illuſtriſſimum Principem Pomeranorum *Boguslaum*, quæ extat in Gretſeri Divis Bambergenſibus. Tractatum item *de Conceptu Virginali*, ſeu *de immaculata Conceptione*, cujus meminit Trithemius in quadam ad eum epiſtola A. 1494. ad eum data, & Parte III. hujus hiſtoriæ à nobis relatâ pag. 263. Ipſius prætereà *S. Hathumodæ* primæ Gandersheimenſis Abbatiſſæ anno 874. ad ſuperos translatæ acta nobis conſervavit in ſuo ſyntagmate MS. *de Viris & Fœminis illuſtribus O. S. B.* Cujus Andreani operis apographum ex imperiali monaſterio Ochſenhuſano nactus *Pezius*, ſuo Theſauro anecdotorum Tom. I. Part. III. pag. 288. inſeruit. Chronicon quoque ſui monaſterii ſcripſit *Andreas*, quod in Monacenſi Bibliotheca electorali adſervatur. Plura alia poſteris conſignavit, quæ hodiedum in ejus loci chartulario & alibi paſſim reperiuntur. In ejusdem porrò civitatis Bibliotheca Cathedralis Eccleſiæ extant *S. Odilonis* Abbatis Cluniacenſis Commentaria ampliſſima in epiſtolas S. Pauli *Sancto Henrico* his inſcripta verſibus:

ejus damna farciuntur.

S. Odilonis commentaria in epiſtolas S. Pauli.

> *Hoc opus egregium cœleſti nectare plenum,*
> *Quod valeat clauſum Pauli reſerare volumen,*
> *Presbyter indignus, Monachorum lege ligatus*
> ODILO *cœnobii Cluniacenſis, jure cluens*
> *Obtulit Auguſto, ſimul exoptans ſibi longum*
> *Vivere poſt regnum cœleſti in ſede paratum.*
> *Ex ſymbolis P. Oliverii.*

Lacenſis Bibliotheca.

Quæ ad *lacum Euphalicum* in agro Treverico haud procul Andernaco viſitur Abbatia, anno 1093. à Comite Palatino *Henrico* conſtrui cœpta, ab ejus privigno *Sigfrido* ad faſtigium perducta, & in B. V. Mariæ honorem dedicata fuit. Ad Congregationem Bursfeldenſem anno 1474. acceſſit. Anno 1507. Abbas *Trithemius* ad Simonem id temporis Abbatem epiſtolam dedit, quâ rationes affert, quibus impulſus fuit, ut Abbatiâ Sponheimenſi ſe abdicarit. Superbit verò hoc Lacenſe Monaſterium non ignobili planè Bibliotheca, ob manuſcriptos codices, qui de inexhauſtis veterum ejus loci Monachorum laboribus conſpicuum ferunt teſtimonium. Eorum catalogum per plures annos neglectum V. C. *Oliverius Legipont* anno 1740. octidui ſpatio deſcripſit, ac ſubinde ad me pro ſua humanitate transmiſit. E quibus ſequentes lectorem non ignorare forſan juvabit.

1. Origenis Homiliæ in quatuor priores libros Moyſis, ſcilicet in Geneſin, Exodum, Leviticum, & Numeros, atque etiam in librum Joſue, interprete B. Hieronymo presbytero. Codex eſt membranaceus optimæ notæ, Seculi, ut quidem videtur, XII. in folio, ſcriptus per F. Henricum Monaſterienſem, Profeſſum in Lacu S. Mariæ.

2. Explanatio B. Hieronymi presbyteri in Iſaiam prophetam libri XVIII. Codex in membranis perelegantér ſcriptus per *Giſelbertum* ejus loci priorem, Seculo, ut videtur, XII.

3. Ejusdem Explanationum in XII. prophetas minores libris XX. Codex eſt membranaceus in fol. eleganter exaratus per F. *Everardum* ejusdem loci monachum Sec. XII.

4. Expoſitio Angelomi Monachi Luxovienſis in IV. libros Regum. Codex membranaceus optimæ notæ ſcriptus per F. Henricum Monaſterienſem.

5. B. Gregorii Homiliarium ad Secundinum Ep. in membranis opt. notæ. Sec. ad minimum XII.

6. Tractatus B. Ambroſii Mediol. Ep. de Bono mortis liber membranaceus in fol.

7. Libri duo B. Auguſtini ſuper Sermone Domini in Monte.

8. B. Bernardi liber de libero arbitrio. Item libri duo de Conſideratione ad Eugenium Papam.

9. Ivonis Carnotenſis liber SS. Canonum.

10. Eccleſiaſticus cum gloſſa interlineari in membranis optimè exaratus in fol. auctore Anonymo.

11 Vitæ SS. Barlabam & Joſaphat ſervorum Dei à Joanne Damaſceno presbytero & monacho editæ. Codex eſt perelegans in 4. Maj. quem ſcripſit *Petrus de Weda* Lacenſis monachus è comitibus de Weda.

12.

12. Haderici Capellani B. Gregorii Papæ ſecunda pars Excerptorum de Moralibus ejusdem in Expoſitionem in Job viz. à libro IV. ad decimum excluſivè... Incipit prologus: „ In hoc libro continentur Excerptiones *Haderici* numero „ decem ſumptæ de XXXVI. libris moralium S. Gregorii Papæ in Job. „ Hadericus iſte fuit Capellanus ſupradicti S. Gregorii Papæ; qui cùm „ librum B. Job exponeret, iſte Hadericus latenter de ipſis expoſitionibus iſta excerpſit. Quæ cum Papa in cubiculo ſuo inter ſuos libros „ reperiſſet, miratus unde hæc talia, „ interrogavit hunc eundem Hadericum, quis iſta ediſſet. Reſpondit Hadericus, *Tu Domine*. dicit „ Papa: *neque ego neque tu, ſed Spiritus ſanctus fecit hæc...* Ad hunc „ Scriptorem Cl. Oliverius in margine hæc adſcripſit: *Haderici hujus nulla ſit mentio inter Excerptores Operum B. Gregorii, nulla etiam inter Scriptores Eccleſiaſticos occurrit in Dupinio, Caveo &c. Meminerunt tamen* Haderici *Trithemius de Vir. Ill. O. S. B. Wionius in Ligno Vitæ. Oldoinus in addit ad Ciacon. Tom. I. p. 413. Verùm nec ſic Hadericus apud multos extra dubium poſitus eſt...*

13. S. Anſelmi Cantuar. Archiep. liber *cur deus homo?* in Codice membran. in quo plura ejusdem opuſcula.

14. Aurelii Prudentii Clementis contra Symmachum libri duo.

15. *Albuini* Heremitæ liber *de Virtutibus ad B.* Heribertum Colonienſem Archiepiſcopum; videtur autographus in membranis ſub forma quarti oblongi deſcriptus hoc exordio: *Domno Heriberto Colonienſi Epiſcopo Albuinus Heremita indignus, gloriam & pacem ſempiternam: Ex quo mi pater miſericordiæ veſtræ gratiam promerui... Cl. Oliverio* diſquirendum videtur, an non *Albuinus* idem ſit, qui *Alberto Fabricio* Bibl. Mediæ & infimæ lat. libr. I. p. 139. *Presbyter* vocatur, cujus *librum de virtutibus & vitiis* adhuc ineditum evolvit *Cangius*; prologum vulgavit Edmundus Martene Tom. I. Anecd. pag. 668.

16. Opuſcula metrica Roswithæ Gandesheimenſis in Saxonia Abbatiſſæ, quibus præfiguntur varia variorum elogia ac epigrammata in laudem ejusdem clariſſimæ Virginis viz. *Joannis Dalburgii* Wormatienſis Epiſcopi hoc initio:

Quæ paucis ætas conceſſit patria ſexus,
Rhoſwitha Virgineo præſtitit ingenio...

Ibidem Epiſtola *Roswithæ* ad quosdam ſapientes ſuorum operum Fautores & Emendatores hoc exordio: *Plenesciis & bene moratis, nec alieno profectui invidentibus.* Hæc porrò opera à *Conrado Celte* edita ſunt Norimbergæ anno 1501. (a)

17. Codex in membranis optimæ notæ in folio Sec. XI. exaratus, in quo habentur libri Dialogorum S. Gregorii. *Severus* ad Deſiderium de vita S. Martini. Item ejusdem Dialogi. Vita S. Briceii Epiſcopi.

18. Lactantii Firmiani Carmina de paſſione Domini... Cæcilius Cyprianus Ep. de ligno Crucis... Tipherni deprecatoria ad virginem. Damaſi Epiſcopi de laudibus S. Pauli Sedulius ad Macedonium, mirabilium divinorum libri IV. Juvencus in Evangelia; aliáque ejus commatis poëmata in unum comportata ſub titulo: *Pulcherrima Collectanea FF. Lacenſium de varia materia Carminicè.*

19. Codex in membranis, in forma quarti majoris, Sæculi, ut videtur, XI. declivis, in quo habentur. I. Dialogus S. Baſilii Cæſarienſis Epiſcopi, & Joannis Chryſoſtumi Conſtantinopolitani Epiſcopi, de dignitate Sacerdotii in ſex libr. II. Apologeticus Gregorii Nazianzeni à Rufino presbytero in Latinum translatus.

20. Expoſitio Caſſiodori in tertiam quinquagenam Pſalterii. [*edita eſt Baſileæ* 1491.] Item B. Hieronymi de Alpbabeto Hebræorum. Item ſermo B. Maximi de Expoſitione ſymbuli. Item ſermo B. Joannis Epiſcopi de Confeſſione peccati. Codex eſt membranaceus in forma quarti optimæ notæ.

21. Codex pervetuſtus, in quo continetur vita B. Servatii Epiſcopi Tungrenſis. Item S. Amoris Confeſſoris.

22. Caſſiani Opera omnia.

23. Honorii Auguſtodienſis Expoſitio duplex Cantici Canticorum, de Chriſto, & B. V.

24. Collectiones Canonum Ivonis Carnot. Ep.

25. Computus in Codice Sec. X.

26. Liber de Muſica hoc initio: *Poſtquàm donante Domino petitionibus &*

(a) Vide Jacob. Burckard de fatis linguæ latinæ per Germ. Part. II. pag. 402.

& quæſtionibus in Aſtronomica ſatis feciſti diſciplina ; conſequens eſt, ut ad Muſicam transferatur collatio... Opus in formam Dialogi contextum eſt interlocutoribus O. & W. in contextu ſæpe recurrit mentio Ottonis, Guidonis, Wilhelmi Abbatis, Tiecheri [*aliis Dietgerii, Latinis Theogeri, de quo Anonymus Mellicenſis cap.* 109.] Epiſcopi Metenſis. Opus prœlo minimè indignum.

27. Evangelium ſecundùm Matthæum cum gloſſa interlineari hoc exordio. *Cum ſcripſiſſe Evangelia legamus.* Scriptura eſt minutiſſima, legibilis tamen, & ut videtur Seculo x. ſuperior.

28. Apocalypſis B. Joannis cum gloſſa interlineari.

29. Epiſtola Caroli Francorum Regis ad Nicolaum Epiſcopum Antiſiodorenſem *de ſolennitate præſentationis Feſti B. V.*

30. Hiſtoria trium Regum ad D. Florentium de Wevelhoven Monaſterienſis Eccleſiæ Epiſcopum.

31. Sermo de tribus Magis.

32. Catalogus librorum S. Auguſtini, à *Joanne Piemontano*, ut videtur, confectus anno 1500.

33. Tranſumptum Privilegiorum Congregationis Burſfeldenſis, continens Bullas Benedicti XII. Pii II. & aliorum Pontificum... An. 1472. ab officiali Curiæ Colonienſis recognitum in folio.

34. *Joannis Butzbachii* Prioris Lacenſis Hodæporicon ad Germanum Philippum Hauſtulum in tribus libris.

35. Ejuſdem Epithoma de illuſtrioribus mulieribus ad *Aleydem* Sanctimonialem in Inſula Rolandi doctiſſimam.

36. Ejuſdem Opuſculum de claris pictricibus ad *Gertrudem* Sanctimonialem in Inſula Rolandi inſignem pictricem.

37. Quinti Sereni liber metricus de Medicinis cum dictis Ariſtotelis &c. notabilis eſt ob inſignem vetuſtatem, quam præfert.

38. *Algeri Scholaſtici, Monachi Corbeiæ Novæ* (ut titulus habet) *Libri tres de Sacramento Altaris.* Hunc titulum forſan legit Trithemius, qui eosdem libros *Algero* Corbeienſi adſcripſit, quos alii tamen Algero Cluniacenſi attribuunt.

39. Libellus in membranis vetuſtæ notæ continens miracula quædam B. M. V. Item vitam S. Nicolai Epiſcopi.

40. Libellus de virtute herbarum.

41. Libellus in membranis continens Tractatum D. Auguſtini De Agone Chriſtiano.

42. Cæremoniale metricum : incipit : *Quandonam & quot Collectæ dicantur ad Miſſam. In ſummis feſtis ad Miſſam dicitur una tantùm Collecta, niſi conjuncta diei.* in fine ſequentes leguntur verſus : *Adam jure minus doctis verſus dedit iſtos, ut diſcant, quæ ſint fugienda per hæcve tenenda.* Habetur editum Coloniæ anno 1502. Hanc Summulam Cæremoniarum tribuit Cl. *Bernardus Pezius* per conjecturam Mag. Adamo Præmonſtratenſ. Tomo I. Anecdotor. pag. LXXII. Rectiùs tamen *Adamo Villico* Abbati S. Martini Coloniæ adſcribi videtur.

43. Liber de Viris illuſtribus Ord. Ciſterc.

44. Hiſtoriæ Biblicæ.

45. Jacobi de Vitriaco Hiſtoria Hieroſolymitana.

46. Poggii facetiæ.

47. Ludolphus Viator paſtor in Suchem de Terra ſancta. Fretellus Archidiaconus de eadem.

48. Libri XIII. Joſephi de Antiquitatibus Judæorum.

49. Codex chartaceus in fol. continens Prophetas Majores & Minores.

50. Tractatus contra *Talmuth* librum Judæorum.

51. Vita S. Judoci Confeſſoris Regis Anglorum.

52. Liber S. Joannis Chryſoſtomi de eo, *quod nemo læditur niſi à ſeipſo.*

53. Codex chartaceus in 4. in quo continetur Regula Monachorum ex variis Epiſtolis atque Tractatibus B. Hieronymi excerpta, & per quendam *Lupum de Oliveto*, Hiſpanum, monachum Ordinis B. Hieronymi, in certa Capitula diſtincta, & à Martino V. approbata. Initium Bullæ ſic incipit : *Martinus Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam &c.* Item in Regulam Sanctimonialium, quam ſcripſit B. Hieronymus jam ſenex ad Euſtochiam, & reliquas Virgines.

54. Boëtius de Conſolatione.

55. Codex Chartaceus in 4., in quo habetur quadruplex Vocabularius ſecundùm ordinem Alphabeti. Latinus videlicet, Græcus, Hebraicus, & Teutonicus per Magiſtrum *Engelhuſen* compilatus.

56. Jacobi Carthuſienſis Tractatus, *cur pauci in religione proficiant.*

57.

57. Gerſonis Opuſcula complura varii argumenti.

58. Codices duo membranacei in folio majori continentes Homilias SS. PP. ſuper Dominicas & Feſta totius anni pulcherrimæ Notæ, Seculo XI. declivi conſcripti per Fr. *Lambertum* Hafflingenſem & S. Mariæ Lacenſem.

59. Codex membranaceus in folio majori, quem ſcripſit D.nus *Fulbertus* Abbas in Ordine Abbatum hujus Cœnobii 2. Electus eſt an. 1152. obiit autem 1177. In hoc volumine continetur expoſitio tertiæ quinquagenæ Pſalterii B. Auguſtini Epiſcopi.

60. Codex membranaceus in folio majori conſcriptus Seculo circiter XI. per *F. Fulcherium* Hafflingenſem & Lacenſem Monachum optimæ notæ, in quo continentur Epiſtolæ B.mi Hieronymi, Doctoris Eximii numero 130. inter quas habentur plures tractatus, ſive minora Opera ejusdem glorioſiſſimi Doctoris in modum Epiſtolarum diverſis transmiſſa.

61. Codex membranaceus Choralis in folio majori pulcherrimè & artificioſè conſcriptus per Lacenſem an. 1531.

62. Duo Miſſalia, duo Epiſtolaria, & unum Collectarium in Membranis conſcripta, admirandâ induſtriâ & picturâ in 4. Majori à Fratribus Lacenſibus Seculo circiter XI. & XII.

63. *Joannis Butzbachii Piemontani* Prioris Lacenſis *Macroſtroma*, id eſt, opus varie contextum & libris IX. comprehenſum de laudibus *Joannis Trithemii* Abbatis Spanheimenſis.

64. Ejusdem Auctarium *ad Joan. Trithemii Librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, optandum ut doctiſſimi Lacenſes juris faciant publici. Vitam Butzbachius ad annum 1526. produxit, cujus analyſin Parte III. hujus hiſtoriæ Cap. III. §. XXXIII. pag. 335. repræſentabimus. *De Lacenſi Monaſterio videſis Freheri origines palat. Part. II. pag. 36. Hontheim Hiſt. Trevir. Diplom. Tom. I. pag. 441. & Tom. III. pag. 997. Broweri & Maſenii Libr. III. Annal. Trevir.*

Trevirenſes Bibliothecæ. De Trevirenſibus Bibliothecis hîc agere animo nobis conſtitutum erat, cùmque literas ad amicum eâ de re dediſſemus, hoc ab eo tulimus reſponſum: *A Confratribus Tuis Trevirenſibus nihil ad propoſitum faciens obtinere potui. Non dubito quin ad ſanctum Mathiam & ad S. Maximinum quædam ſint venerandæ antiquitatis monumenta, eáque notatu digna, ac etiam inedita; ſed nemo eſt, qui ad ea recenſenda manum porrigat. In poſtremo loco acceſſum non habeo; in Priori autem amicus meus R. P.* MAURUS HILLART (b) *Vir doctus & operoſus malè à ſuo Abbate habitus & laceſſitus injuriis, Lectoratum amiſit ſubſtituto in ejus locum Religioſo Carmelitâ.* Ita nunc Mathiani cœnobitæ in bove arant & aſino. *Ipſe verò* P. Maurus *Profeſſor optimè meritus jam commoratur extra clauſtrum de licentia Præſidis, apud fratrem ſuum Parochum in Hentern... Tu pro limatiori Tuo judicio decernes:* An ejusmodi Abbates non eſſent potiùs in Ordinem mendicantium cum ſuis Lectoribus redigendi, quàm Benedictinis præficiendi? *Quærendo dico, ſententiam non præcipito. Memini quòd* P. Maurus *mihi aliàs dixerit, adeſſe manuſcripta quædam Trithemiana, maximè epiſtolas, quæ inter editas non comparent...* Hæc ille. Honthemius verò in Hiſtoria Trevir. diplomatica Tom. I. pag. XXVII. non omnes hodie in S. Mathiæ monaſterio extare codices, qui antiquitùs ibidem reperiebantur palam facit; Aſt licet plures, nec ignobiliores quidem ex hoc ſuo natali ſolo in aliorum peregrinorum etiam manus delapſi ſint; inſignem tamen ibi adhuc reperiri manuſcriptorum copiam prodit idem, *ſed nullo ordine conſiſtere, nullis numeris diſtingui, ac ne in catalogos quidem ſeu indices relatos eſſe*, queritatur. Et iterùm pag. 252. *Sanè*, inquit, *cum hæc monaſtica patriæ decora mente recolo, non poſſum non impensè dolere ævi noſtri fatum, quo inter tot Abbatiarum noſtrarum Lectores eruditos cæteroquin Dialecticæ & Theologiæ Magiſtros, nec unus de relinquendo poſteritati proprii ingenii fructu cogitat, aut etiam de publico dandis iis, quos à Majoribus ſuis relictos acceperunt, ſed quos recenſuimus Codices, cum blattis & muribus infeliciter pugnare malint...* Verùm tametſi ejusmodi Superiores & Monachi, qui decus Ordinis, patriæ bonum & orbis literati commodum negligunt, ac Religioni noſtræ odium conflant & contemptum, acriori ſale, uti merentur, defricandi forent; miſſos tamen illos facimus ven-

(b) Is eſt SS. Theol. Doctor qui A. 1747. publico dedit Hiſtoriam Sanctorum Abbatiæ S. Mathiæ Treviris, adjunctis inſtitutionibus Chriſtianè vivendi &c. Plura comite vitâ typis daturus, ut pollicetur. Vide calmet ſuppl. Bibl. Lotharing. pag. 21.

ventilandos cornu eorum, quibus nihil tam obvium, quàm in Cœnobitarum ignaviam moréſque integra convitiorum plauſtra conjicere. Iſta verò vel ideò fuſiùs retulimus, quòd exterorum quoque judicia etiamſi fortè liberiora ſunt & propiora ſatyræ, habent tamen, quæ vir prudens in uſus ſuos convertat. *Vid. Bruſchius in Monaſt. Cent.* 2. *pag.* 128.

S. Panthaleonis Coloniæ viri illuſtres & Biblioth.

In ipſa Ubiorum Metropoli *Colonia Agrippina* duo ſuperant Virorum Ordinis noſtri Monaſteria; quorum primum *S. Panthaleonis* honoribus ſacrum, jam Ludovici Pii Imp. temporibus extitiſſe, jámque ſub annum 670. paſſum eſſe *S. Mauriuum* Abbatem nonnulli contendunt. Certiora ſunt illius initia, quæ *Brunoni* I. Colonienſium Archiepiſcopo Ottonis Magni Germano fratri adſcribuntur. Magnorum id Virorum ſeminarium olim fuit, utì indicant eorum ſcripta, quæ ad nos pervenerunt. Ibidem claruêre *Chriſtianus* Abbas primus poſt reſtaurationem creatus A. 964. *Fulbertus* Abbas IV. S. Heriberto familiaris. B. *Elias* Abbas V. & *Aaron* ſextus, qui cantum Gregorianum à *Leone IX.* acceptum primus patriæ intulit circa A. 1052. *Rudolphus* Abbas X. à ſingulari eruditione & ingenii monimentis celebratus. *Wolbero* Abbas XII. ſimiliter à ſcriptis com̄endatus. *Godefridus* ejusdem loci Monachus Scriptor & Hiſtoricus celebris. Itémque Anonymi ejusdem Cœnobii incolæ, *Chronicæ Regiæ*, quam nuper extulit illuſtris *Eckartus*, Scriptores nominatiſſimi. Nec dubium, quin locupletiſſimus Veterum monumentorum theſaurus olim ibidem fuerit aſſervatus, hodiéque lateat; ſed qui à nobis requiſitus fuerat Bibliothecæ Præfectus, ut Manuſcriptorum indicem conderet, nihil prorsùs ſubmiſit.

Bibliotheca S. Martini Coloniæ.

Alterum vetuſtius in eadem Urbe Monaſterium S. Martino Turonenſi Epiſcopo ſacrum, inſignem olim habuiſſe Bibliothecam indicio nobis ſunt haud pauca, quæ ſuperſunt monumenta. Suis tamen caſibus, ut humana quæque obnoxia, immites crebrò ſenſit & exteros & domeſticos hoſtes, blattas, glires, tineas, ac truculentos etiam librorum Pelopidas. Miſero certè in ſtatu jacuiſſe Seculo XIV. produnt veteres chartæ. Introductâ autem circa A. 1450. Bursfeldenſium reformatione, utì excutere veterum mores, ita repetere Lycæum Muſæ, pulchráq; neceſſitudine virtutibus convivere, ac in una ſede morari cœperunt, *A capite nimirùm vitalem ducere ſpiritum corpus aſſolet*, & *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Præerat tunc huic cœnobio Ven. ADAMUS VILLICUS vulgò *Mayer*, vir per omnia ſummus, ac bonarum artium cultor præcipuus; quo prælucente ſydere, in hoc religioſo cœtu veluti minores ſtellæ mirum quantum emicuêre complures cœnobitæ; è quibus præſertim celebrantur *Adamus de Hertzenroden* poſteà Abbas in Brauweiler, *Marſilius* in Siloë, *Conradus Barſcerier de Rodenberg* in S. Johannis Rhingavienſi; *Jacobus Königspach* ad S. Paulum Trajecti, *Theodericus* in *Egmundenſi*; atque alii itidem tum Abbatum honoribus clari, tum Priores, aut Magiſtri ex hoc cœnobio ob virtutem & doctrinam aliò acciti. Præcipuos inter Scriptores, ingenii ornamentis & eleganti graphiâ claruére *Henricus Zonsbech* immenſorum Operum terſiſſimus Scriptor; *Arnoldus Rees*; *Martinus à Grevenbrocken*; *Leonardus de Ruremunda*; *Benedictus* aliàs *Chryſanthus* de Monaſterio Eiffliæ; *Theodericus* Colonienſis; *Hermannus de Wiuningen*; *Emericus Cellerarius*, *Joannes Ruyſch*, & alii, qui codices non paucos aut in membranis, aut in charta exaratos, aut typis ligneis excuſos poſteris conſignârunt, unde auctarium non leve huic acceſſit Bibliothecæ. Vetus ſignatura de anno 1494. permultos codices repræſentat, è quibus ſpeciminis loco aliquos tantùm recenſere juvat.

Vetus MSS. catalogus de anno 1494.

1. Biblia charactere minutiſſimo, ſed elegantem in modum exarata. Alia Biblia Vol. 2. Item Alia. Pars I. II. III. Sunt tria magnæ molis Volumina, Gothicis literis exarata.
2. Quinque Libri Moyſis in pergameno. Et complures alii Bibliorum Libri.
3. Geneſis cum gloſſa interlineari, in pergameno.
4. Marcus Evangeliſta cum parva gloſſa.
5. Textus quatuor Evangeliorum cum Canonibus in margine ſignatis.
6. Interpretatio nominum Hebræorum.
7. Auguſtinus de Civitate Dei cum Commentariis fratris Thomæ impreſſus in papyro.
8. Ejusdem alia Opera permulta.
9. Libri Ratramni de Corpore & Sanguine Chriſti.
10. Iſidorus de hæreſibus.

11, Li-

11. Libellus Epiſcoporum Catholicorum ad Unericum Regem Wandalorum. Item nomina Epiſcoporum Catholicorum diverſarum provinciarum, qui Carthagine ex præcepto tegali pro teddenda ratione fidei convenerunt.
12. Geſta Longobardorum libr. VI.
13. Geſta Regum Francorum.
14. Alchuinus Levita de S. Trinitate.
15. Vita Martialis Apoſtoli. Vita S. Pachomii Abbatis.
16. Vita S. Wandegeſili Epiſcopi.
17. Angelomus ſuper libros Regum.
18. Ariſtotelis Opera varia.
19. Grammatica Servii Honorati.
20. S. Anſelmi Opera.
21. Dionyſius de Hierarchia, de divinis nominibus &c.
22. Gerſonis Opera plura ex primævis editionibus.
23. Beda in Cantica Canticorum cum textu interpoſito, & in alios plures Scripturæ libros.
24. Bartholomæus Glannovillanus de proprietatibus rerum.
25. Bonaventuræ Opera.
26. Bernardi Sermones & Opera varia.
27. Vita S. Engelberti Archiep. Colon. & Martyris.
28. Baptiſtæ de Salis *Summa Roſella.*
29. Bernardi Parentini *Lilium*, ſive *Expoſitio Miſſæ.*
30. Caſſiani Collationes Patrum. Cod. Membr.
31. Caſſiodorus in Pſalmos.
32. Calderinus de interdicto Eccleſiaſtico.
33. Fundatio Monaſterii Brunwillerenſis.
34. Chronica Mamertini.
35. Vita S. Manſueti. S. Apri. S. Hidulphi.
36. Hieronymus in Danielem. Ejus alia plura.
37. Boetii Muſicæ explanatio.
38. Eucherius in nomina hebraica...
39. Faſciculus temporum. Item libri IV. de Geſtis Romanorum.
40. Concordia diſcordantium Canonum.
41. Conradi Soltow, Epiſcopi Verdenſis, Lectura Capituli ſeu Prologi *Firmiter credimus...*
42. Gregorii Papæ Libri Moral. & alia Opera.
43. Chryſoſtomi Sermones XXV.
44. Geſta Summorum Pontificum.
45. Hiſtoria Scholaſtica.
46. Bernardus Caſinenſis in Regulam S. Benedicti.
47. Hugo [forſan legendum *Hugboldus*, ſeu *Hucbaldus* Elnonenſis Monachus] in Regulam S. B.
48. Honorius ſuper Cantica Canticorum.
49. Henricus, de Venerabili Sacramento.
50. Johannis Magiſtri Opus de futuris Chriſtianorum triumphis.
51. Auguſtinus Dathus, Senenſis, de arte Rhetorica.
52. Epiſtolæ Magni Turcæ, *per Laudivium Equitem Hyeroſolymitanum publici juris factæ.*
53. Omelia Volkquini Abbatis *de Zizaniis.*
54. Henrici de Haſſia Epiſtola de macula B. Bernardi.
55. Plinii Epiſtolæ.
56. Tractatus de vita Canonicorum Secularium.
57. Epiſtola ad Virgines univerſas ſuper paſſione XI. millium Virginum.
58. Johannis Damaſceni Opera.
59. Gregorii Niſſeni liber.
60. Tractatus de laudibus S. Annæ.
61. Hiſtoria Trojana.
62. Laurentius Valla de vero Bono. Dialogus ejusdem de libero arbitrio. Item Apologus ejusdem in Poggium.
63. Franciſcus Petrarcha de Rebus Romanis.
64. Haymo de Chriſtianarum rerum memoria.
65. Mamertus de ſtatu animæ.
66. Vitæ ſanctorum Patrum Columbæ, Columbani, & Galli.
67. Vincentii Speculum Morale.
68. Proſper de charitate.
69. Catalogus Paparum.
70. Moralizatio Lyræ ſuper totam ſacram Bibliam.
71. Nicolai de Cuſa opera impreſſa in papyro.
72. Oratii epiſtolæ.
73. Mathæi Vindocinenſis Sum̃a de arte verſificatoria.
74. Gualterii de Caſtellione Introductio in artem rithmicam.
75. Piſani Summa. *Cod. Mebr.*
76. Petri Cluniacenſis Opuſcula.
77. Paſchaſius de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini noſtri.
78. Petri Bleſſenſis Epiſtolæ.
79. Imago Mundi.
80. Epiſtola Udalrici de continentia Clericorum.
81. Caſſiodorus de Anima, & alia plura.
82. Geſta trium Regum.
83. Rabanus in Geneſin. in Exodum. de divino officio.

84. De Regimine Ruſticorum.
85. De laude antiquæ Saxoniæ.
86. Ruperti Abbatis Tuitienſis autographum de Victoria Verbi Divini in libros XIII. diviſum.
87. Guillermi Pariſienſis Rhetoria.
88. Jo. Trithemii Liber de Scriptoribus Eccleſiaſticis.
89. Item de Viris Illuſtribus O. S. B.
90. Juvenalis cum Commentario.
91. Smaragdus in Regulam S. Benedicti.
92. Senecæ Opera in pergameno.
93. Vita S. Agilolfi cum multis aliis.
94. Vitæ SS. Patrum in membranis ſcriptæ.
95. Decretum Ivonis.
96. Concilium Baſileenſe.
97. Guidonis Bononienſis Archiepiſcopi Apparatus Sexti Decretalium.
98. Peregrini Sermones de tempore & Sanctis.
99. Decretum impreſſum cum gloſſa in forma maj.
100. Decretales cum gloſſa in pergameno in forma maj.
101. Antonini Sūmæ vol. VI. impreſſa in forma maj.
102. Ejusdem ſpeculum doctrinale.
103. Petrus Boërius ſuper Regulam S. Benedicti.
104. Ejusd. Speculum Monachorum.
105. Cæſarii Omeliæ.
106. Speculum humanæ vitæ impreſſum.
107. Conradi Barſcerier de Rodenberg Vinea Domini Sabaoth de B. V. M.
108. Chronica Præſulum Colonienſiū.
109. Bulla reformationis Nigrorum Monachorum.
110. Boëtius de Conſolatione Philoſophiæ.
111. Abbas Panormitanus in libros Decretalium.
112. Vincentii Beluacenſis Speculum naturale.
113. Dictionarium in tribus Volum...
114. Guarini Veronenſis ars diphtongandi.
115. S. Ægidii aurea verba.
116. Tractatus de apparitionibus animarum poſt exitum à corporibus.
117. Dionyſii Carthuſiani Epiſtola ad Principes Chriſtianos.
118. Ulrici Tractatus de Maleficis.
119. Magiſtri Pauli Tractatus de fervore Religionis Hieroſolymitanorū.
120. Liber privilegiorum Eccleſiæ S. Martini in pergameno & in papyro deſcripti.
121. Regula S. B. cum Martyrologio & libro antiquo memoriarum Eccleſiæ & Monaſterii S. Martini.
122. Johannes de Aquila Abbreviator Scoti &c.

Hi ferè ſunt codices, minimè tamen omnes, imò perpauci, ſeculo XV. declivi, adhuc rudi & librariæ ſupellectilis anguſtiâ preſſo in Bibliotheca S. Martini adſervati, maximam partem aut manuſcripti, aut ſine calami vel pennæ uſu ab ipſis religioſis excuſi? *Quemadmodùm enim*, inquit Cl. OLIVERIUS LEGIPONT, *Saturni tempore, literas ferro vel lignis non conjunctim, ſed ſingulas particulatim ac debito ordine locando, typothetas in arte curioſa verſatos fuiſſe plerique perhibent, ita noſtros Monachos hanc artem ſuis in officinis diu exercuiſſe, antequàm propalaretur, indicio ſunt tum libri chorales, tum ſacra Biblia, aliíque codices in membranis vel in charta ante inventam artem typographicam typis ligneis plerumque impreſſi, quos qui viderint, & rem altiùs depurato à præjudiciis animo expenderint, nobiſcum facilè ſenſuros non dubitamus; ſicque ſuus etiam monachis honos, ereptáque illis gloria conſtabit.* Monachi olim in ſuis officinis artem cuſoriam exercebant.

Sequiori porrò tempore Bibliotheca hæc potiſſima ſumpſit incrementa curis & induſtriâ R.mi D.ni Abbatis *Balthaſaris à Tungris*, *Viri*, Bruſchii elogio, *Literarum omnium & Literatorum amantiſſimi.* Auctaria illi deinceps præcipua adjecerunt *Balthaſar Reiner à Brée*, *Henricus Liblerus*, *Jacobus Schorn*, & *Johannes Schlotanus*, Abbates rei familiaris, diſciplinæ, & ſtudiorum cultu maximè celebres. E Religioſis eandem novis opibus præ cæteris locupletârunt *Jacobus Hom* Ss. Theologiæ Doctor; *Wilhelmus Birckman* cognomento *Krabben* Mathematicarum artium ad miraculum clarus, & demùm R. P. *Maurus Frieſem* Bibliophilus peculiaris. Bibliothecæ illuſtratores.

Si tamen, quod res eſt, fateri debeamus, illud vero verius eſt, ipſô quorundam operum viro feriis ſtudiis debito maximè neceſſariorum defectu tantam in hanc, uti & in vicinas ferè Bibliothecas ſolitudinem importari, quæ niſi graviſſimis & in tanta rerum ac temporum difficultate Religioſorum etiam benè ſentientium vires ſuperantibus expenſis, à noſtris finibus nunquam poterit propulſari. Dominatur enim his in oris genus neſcio, quod hominum maximè moroſum ac delicatum, quod ſyllogiſmis clamoribúsque Librorū defectus.

búſque ſcholaſticis adeò delitiatur, ut omnes procul libros à ſe mox rejiciat, quos ejusmodi floſculis non totos viderit reſperſos. Quò fit, ut, quemadmodùm reconditæ vir eruditionis *Bernardus Pezius* in ſua adverſùs Fonteium diſſertatione olim querulus ajebat, *Omnia ferè Religioſarum Bibliothecarum pegmata & plutei ſcholaſticis, Ariſtotelicóque Theologicis ſcriptis onerati ſint, omnia ſcholaſticis concertationibus & ſyllogiſmis perſonent, in omnéque librorum genus offendas ſæpiùs, quàm in Criticorum, utilium, exquiſitorúmque, ſine quibus tamen hæc noſtra præclara & publica ſtudia nulla ſunt. Sed non vacat hoc loco in tanti infortunii cauſas operoſiùs & odioſiùs inquirere.* Hactenus laudatus P. *Oliverius*, cui olim hujus ſacræ ſupellectilis cura fuerat comiſſa. Is verò Manuſcriptorum Codicum, veterúmque editionum indicem à ſe confectum nobis benevolè ſubmiſit; quem quò minùs integrum hic ſiſtamus, in cauſa eſt, tum quòd brevirati ſtudeamus, tum quòd libri in eo recenſiti ſint à potiori parte ſpirituales, devotionales, precatorii, exhortatorii ad monachos &c. vel proprio marte ab Aſcetis San-Martinianis lucubrati, vel ex aliis authoribus, maximè SS. Patribus collecti; qui licèt manifeſto ſint indicio, Aſceſin duobus proximè præteritis ſeculis in Monaſterio San-Martiniano egregiè cultam fuiſſe, Eruditorum tamen oculos non ita afficiunt, ut eos in ſe convertant; cùm pauci ſint, quibus diffuſos id genus librorum evolvere catalogos non potiùs moleſtiæ, quàm voluptati ſit. Unde Elenchum nobiſcum communicatum magis deflorare, quàm exhibere integrum, ſatiùs videtur.

Recentior Manuſcriptorum elenchus à P. Oliverio conſcriptus.

1. Hiſtoria de Lancea Domini, cum Bulla Innocentii Papæ, quæ incipit: *In redemptionis.*
2. Duo antiqua Breviaria Monaſtica in membranis ſcripta ſub annum 1490. per Religioſum S. Martini.
3. Libri IV. de Imitatione Chriſti in Codice membraneo, ſine nomine auctoris, circa A. 1478. exarati. Iidem libri ſub Nomine Gerſonis, item Anonymi, ſubinde etiam ſeparati ibidem reperiuntur.
4. Catalogus omnium Pontificum & Imperatorum ad annum 1472.
5. Quæſtio: *Utrùm in Monaſterio fœminarum liceat recipere Novitiam ultra numerum perſonarum, quæ de bonis Monaſterii commodè poſſunt ſuſtentari, & à perſona recipienda exigere temporalia.*
6. Summa privilegiorum & indultorum Congregationis Burſfeldenſis.
7. Andreæ Megarenſis Epiſcopi *Speculum confitentium.* Incipit: *Quoniam Confitenti.*
8. Martyrologium Uſuardi ad Carolum Calvum.
9. Proceſſus Venerablis *Adami* Abbatis S. Martini ſuper Reformationem Monaſterii Lacenſis, Diœceſis Trevirenſis; & de poſtulatione cujusdam Abbatis.
10. Bulla Reformationis Nigrorum Monachorum à Concilio Baſileenſi data 1439.
11. Epiſtola R. P. H. *de Bercha* ſuper actu Reformationis ad Ducem Clivenſem.
12. *Adami Mayer* Abbatis S. Martini Modus inſtituendi Viſitationes, & alia quædam ejus opuſcula.
13. Caſus quidam circa Religioſos de Jure ſuccedendi in hæreditate patrimoniali. Item Caſus propoſitus ad conſultationem R. D. Nicolai & Monialium in vico *Reymers gaſſen* Coloniæ.
14. Epiſtola Encyclica Monaſterii Yprenſis pro ſuffragiis Fratrum.
15. Epiſtola Abbatis S. Bertini pro ſuffragiis defunctorum Fratrum, in cujus initio deplorat ſtatum quorundam Religioſorum deformatorum.
16. Sermo perelegans in feſto præſentationis B. V. M. Thema: *Ponite arcam in Sanctuarium Templi.*
17. Oratio Univerſitatis Colonienſis habita in receptione Sereniſſ. Rom. Regis Maximiliani an. 1486.
18. Collatio Synodalis ad Clerum Colonienſem habita anno 1470. Thema: *Percute paſtorem...*
19. Altera ad eundem Clerum habita anno 1471. Thema: *In omnibus exhibeamus noſmetipſos.* Aliæ plures.
20. Hiſtoria Converſionis, Paſſionis, & Translationis S. Albani Martyris, per Cœnobitam S. Pantaleonis.
21. Plinii II. Epiſtolæ editæ an. 1483.
22. Carthuſiani Anonymi Opuſculum *De mala libertate Canonicorum Secularium.*
23. Parænenſis ad clauſtrales; notantur in ea duodecim abuſus in Religione, viz. *Prælatus negligens, Diſcipulus inobediens, Juvenis otioſus, Senex obſtinatus, Monachus curialis, Religioſus cauſidicus, Habitus pretio-*

ſus, *Cibus exquiſitus*, *Rumor in clauſtro*, *Lis in Capitulo*, *Diſſolutio in Choro*, *irreverentia juxtà altare.*

24. Verba S. P. N. Benedicti & S. Scholaſticæ. Item Narratio quædam ſatis prolixa, *de translatione corporis S. Benedicti in Galliam.*

25. Codex membraneus optimæ notæ variis picturis ad invidiam exornatus, continens Abbreviaturam Decretalium.

26. Salluſtius de bello Jugurthino Editionis Antverpianæ 1508.

27. Alexandri Hegii, Daventrienſis Phil. Opuſcula Daventriæ impreſſa 1503.

28. *Conradi de Rodenberg* Abbatis S. Johannis in Rhingavia Liber de Geſtis & Translatione Trium Regum.

29. Hiſtoria Joſephi translata de Arabico in Latinum per R. P. Alphonſum Hiſp. Ord. Prædic.

30. *Joannis Schekmann* Cœnobitæ S. Maximini Treviris Diſſertatio in laudem Eccleſiæ Trevirenſis. *Vide Hontheim* Hiſt. Trevir. dipl. Tom. II. pag. 552.

31. Diſceptatio pro Abbatia S. Martini Treviris, in qua exhibentur Reliquiæ, Bullæ, Privilegia; Teſtimonia, Indulgentiæ, nec non Aſſertio veridica *de Corporali Sanguine Chriſti in terris relicto.* Authore anonymo Benedictino ejusdem Cœnobii, qui floruit anno 1514.

32. Regula S. P. Benedicti cum Cœremoniali Monaſtico Patrum de Obſervantia Bursfeldenſi, ſcripta per *Martinum Zülner* profeſſum S. Martini.

33. Antiqua Statuta Congregationis Bursfeldemſis edita ſine anno & loco.

34. Libellus in membranis, continens varias literarum formulas, & artis pictoriæ ſpecimina ad invidiam elaborata per *Eliphium Vüchten* Monachum S. Martini, qui floruit ſub initium Sec. XVI.

35. Libellus continens varia pro conficiendis coloribus principia, compilatus per *Martinum Stock*, Monachum S. Martini, arte pictoriâ clariſſimum an. 1555.

36. Miſſale antiquum in minori forma pro Itinerantibus aptiſſimum, Venetiis impreſſum per Franciſcum Renner pe Heilbrun anno 1481.

37. Fundatio Monaſterii S. Nicolai in Brauweiler non procul ab urbe Colonienſi Ord. S. B. Editum eſt Opuſculum apud Leibniz. ſed ex hoc in multis caſtigandum.

38. Libri de Imitatione Chriſti ſub nomine *Joannis Gerſonis* Cancellarii Pariſienſis, excuſi Gothico charactere *Lovanii* apud *Joannem de Weſtfalia* circa A. 1472.

39. Miſſale in membranis variis figuris venuſtè exornatum per R. P. *Henricum* Colonienſem S. Martini Cœnobitam ſub annum 1490. exaratum.

40. *Wilhelmi Birckmanni* cognomento *Krabben* S. Martini Cœnobitæ doctiſſimi Opus Aſtronomicum, Geometricum, Cometographicum, variis figuris & Planiphæriis exornatum.

41. Copia Bullæ *Ruperti* Colonienſium Archiepiſcopi *de Inſtitutione Feſti Præſentationis B. M. V.*

42. ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ ΔΩΡΟΝ ſeu Munus Regale *Jacobi primi*, Regis Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ ad Principem *Henricum* filium, continens inſtructionem benè regnandi, ex Anglica & Gallica in Latinam linguam translatum. MSS. A. 1605. in 8. Alii plures ejus Bibliothecæ codices MSS. explicatiùs recenſentur in memorato indice *Oliveriano* è quo nonnullos alibi commemorabimus.

TUITIENSE è regione Urbis Agrippinæ ad alteram Rheni ripam Monaſterium à *S. Heriberto* Colonienſium Archiepiſcopo in honorem B. V. M. fundatum, tametſi variis caſibus ſubinde jacuerit obnoxium, inſignem tamen adhuc poſſidet veterum manuſcriptorum codicum congeriem, quorum recenſionem Vir Clar. P. *Oliverius Legipont* rogatu Pezii *anno* 1729. conſcripſit, ut ipſe in ſuis ad hunc literis 17. ſept. datis teſtatur his verbis: *Tuitienſem quoque Bibliothecam juſſu tuo perluſtravi, & dileſcentes in ea veteres MSS. codices cum blattis & tineis certantes ſedulò conquiſivi notavique diligenter, ſed fortè minùs ritè ob defectum amuſſis mihi in Tuo Theſauro anecdotorum præſcriptæ. Prodit interim ad TE eorum, quos ſelegi, Catalogus; Tuum erit,* Vir Clariſſime! *carioſum à ſolido, pretioſum à vili, & utile ab inutili diſcernere. Sed neque hortamento defui, quo ipſos panthaleonitas, Brunweillerenſes, ali-* Tuitienſis, Bibliotheca.

óſque

osque vicinos ſodales noſtros ad procudendos accuratiores ſuorum Scriptorum, veterumque codicum indices, quos tantoperè deſideras, commoverem:

Verum! Caldam poſcis aquam, & vix frigida venit;
Alget adhuc nudo clauſa culina foco.

Sigebergenſis & aliæ.

„ De SIGEBERGENSI Bibliothecâ „olim locupletiſſimâ nihil imprææ„ſentiarum habeo, quod referam, niſi „quòd jaceat planè neglecta. *Brun„weillerenſis* aliquos quidem oſtentat „manuſcriptos codices, ſed quos vidi, „non adeo magni ſunt pretii. Con„ſulere de his juvabit doctiſſimorum „Patrum è Congr. S. Mauri *Edmun„di Martene, & Urſini Durandi Iter „literarium per Germaniam.* Majorem „manuſcriptorum codicum copiam „in *S. Cornelii ad Indam* propè Aquis„granū Monaſterio hodieq; adſervari „à quodam quidē amico intellexi, ſed „hanc perluſtrare Bibliothecam mihi „necdum licuit; dabo tamen ope„ram ut votis tuis ſaciam ſatis, & „ſingula quæ noſtris in oris ad tuum „propoſitum facere comperiam, te„cum diligenter communicare ſtu„debo.„ *Hactenus Oliverius in ſuis „ad me literis annis* 1740. *datis.*

Gladbacenſis Bibliotheca.

GLADBACENSE S. Viti Cœnobium à *Gerone* Colonienſi Archiepiſcopo anno 974. fundatum & Congregationi Burſfeldenſi A. 1511. aſſociatum, in ducatu Jubiacenſi ſitum eſt. Ejus Bibliotheca ſuam meretur laudem, tum ex concinna pariter ac eruditâ librorum diſpoſitione, cùm ex ſelectu atque manuſcriptorum copiâ & prætioſitate. Locus illi ſatis commodus in inferioris dormitorii parte, lucidus, quietus & aliunde tutus, ſed paulò depreſſior. Structura interior non inelegans eſt. Menſæ, repoſitoria, plutei, & pegmata reponendis libris & ſpatio lucrando inſigniter ſunt adaptata. Ordo ſecundum materias inſtitutus talis eſt, ut ad ingredientis latus ſiniſtrum ſtatim compareant ſub lit. A. *Biblia ſacra, & Concordantiæ.* B. *SS. Patres & Concilia.* C. *Commentatores & Interpretes S. Scripturæ.* D. *Theologi Scholaſtici.* E. *Controverſiſtæ*, ſeu *Polemici.* F. *Morales & Caſuiſtæ.* G. *Catechetici.* H. *Homoletici.* I. *Locorum communium Scriptores.* K. *Regula S. Benedicti cum Commentariis.* L. *Juriſtæ.* M. *Medici.* N. *Philoſophi.* O. *Ethici.* P. *Hiſtorici.* Q. *Humaniores & Philologi.* Quorum agmen claudunt *Miſcellanei.*

Biblia Hebraica.

1. Inſigne prorſus ac incomparabile poſſidet Cimelion *Biblia* nempe *Hebraica* optimæ notæ, pereleganti manu in membranis voll. 2. ſolio Auguſto exarata, maximo pretio, à philobiblis æſtimata.

2. Alia item Biblia Latina Vol. II. ejusdem molis & formæ in membranis, ad quorum calcem recentiori manu adſcripta hæc legas: *Hic liber Ss. Bibliorum ſcriptus eſt ſub D. Abbate* HENRICO, *qui extitit ordine ſextus, in ſecundâ hujus monaſterii S. Viti in Gladbach fundatione, ac Ill.mi Comitis Sicconis filius, & Avunculus* S. WOLPHELMI, *ſeptimi hujus Monaſterii Abbatis, fuitque auctor hiſtoriæ fundationis hujus monaſterii, & laudatur in vita S. Wolphelmi apud Surium Tom. II. ad diem XXVI. Aprilis. Obiit autem anno Chriſti* 1066. *XXVII. Auguſti. Unde patet admiranda libri hujus antiquitas.* In anteriori folio ſequentes leguntur verſus:

Abbas Henricus divinæ legis amicus,
Hinc ut credentûm fervor capiat documentum:
Hoc dat ei munus, colitur qui trinus & unus:
Tu autem artifices admirans, talia dices:
Dignos laudo viros ſubtili pollice miros;
Abbatem verò maneant ſua præmia ſerò.

3. Libri duo Evangeliorum in membranis perinſignes, variis iconibus, picturis & figuris affabrè exornati ſub Abbate *Jacobo de Heggen.*

4. Rabani Mauri libri tres de Inſtitutione Clericorum.

5. Rufini libri recognitionum. B. Clementis Papæ unà cum libello miraculorum S. Mariæ Virg. In priori folio leguntur hi verſus:

Dulce puer nôris Godeſcalci pignus amoris;
Qui dehinc folium curtaverit eſt anathema.

6. Paſtorale D. Gregorii; B. Auguſtini Tractatus in epiſtolam Joannis, & aliqua D. Hieronymi opuſcula contra Jovin.

In fine: *Explicit iſte liber, ſcriptor ſit crimine liber.*

7. *Ven.* BEDÆ Hiſtoria Eccleſiaſtica Gentis Anglorum. Item Commentarius in Evang. Marci. Expoſitio in Lucam &c. In ejus frontiſpicio videas Abbatem Pontificali habitu ornatum, dextrâ librum ex monachi adgeniculantis manu acceptantem, his ſubnexis verſibus:

Ad laudem Chriſti nonnulla Pater voluiſti
Per me conſcribi, gratia digna tibi.

Sed te ſcire volo, quod adhuc requieſcere nolo,
Scribere nempe licet, namque vacare piger.
Unde mibi charta ſi dentur, in hac tibi parte
Non ero non parens, ô venerande parens.

8. *B. Hieronymi* Commentarius in Matthæum; Item *Haymonis* Expoſitio in Apocalypſin, & B. Auguſtini opuſcula nonnulla in fine: *Librum iſtum non ſicut debui, ſed prout potui ego Tit. omnium Chriſto fidelium non meritis dico, ſed naturâ Rervualah perſcripſi.*

9. Smaragdi diadema Monachorum de veris virtutibus. Item vita S. Bonifacii per *Wilibaldum* presbyterum.

10. Vetus paſſionale, in quo habentur Legendæ Sanctorum Colonienſium, nominatim S. Eliphii, S. Cæciliæ, XI. Mill. Virg. &c. In anteriore folio brevis adſcriptus eſt Epiſc- & Archiepiſcoporum Colonienſium catalogus, ab editis nonnihil diverſus; ita enim babet. 1. *Maternus.* 2. *Severinus.* 3. *Evergiſilus.* 4. *Solatius.* (aliis *Solinus* & *Aquilinus*) 5. *Simoneus.* 6. *Carentinus.* 7. *Remedius.* 8. *Chunibertus.* 9. *Bocaldus.* 10. *Stephanus.* 11. *Alduinus* (aliis *Abeluvinus*) 12. *Gyſo.* 13. *Anno.* 14. *Feremundus.* 15. *Agilolfus.* 16. *Reginfredus.* 17. *Hilderus* (aliis *Hildebertus.*) 18. *Berahelmus* (aliis *Bertholinus.*) 19. *Richolfus.* 20. *Hildibald.* 21. *Hatheboldus.* 22. *Guntarius.* 23. *Willibertus.* 24. *Hermannus.* 25. *Wicfridus.* 26. *Bruno...* Ex quibus codicis ætas colligi poſſit, & catalogus Colon. Antiſtitum emendari.

Catalogus Epiſc. & Archiepiſc. Colon.

11. Speculum Chriſtianitatis utiliſſimum pro ſalute hominum ſalvandorum. Item *Haymo* ſuper Apocalypſin... Stella Clericorum. Compendium Petri Bleſenſis. Regula B. Franciſci. Epiſtola *S. Hildegardis* ad Colonienſes de futura tribulatione. Elucidarius S. Scripturæ &c. Scriptus eſt hic codex in papyro an. 1463. in fol.

12. Ibidem adſervantur B. Caſſiani Collationes Patrum. Petri Lombardi ſententiarum lib. IV. & plures alii codices mſ.ti, quos per temporis anguſtias evolvere non licuit V. C. *Oliverio Legipont*, qui horum ſyllabum mecum communicavit.

Werthinenſis &c. Bibliothecæ.

WERTHINENSIS S. Ludgeri Abbatiæ Imperialis Bibliotheca, tametſi Suecorum direptione fœdum in morem attrita fuerit, eo tamen adhuc tùm manuſcriptorum codicum apparatu, cùm recèns editorum ſelectu exornata dicitur, ut paucis illius provinciæ aliis cedat. Etenim Suecorum rapaces manus evaſerunt: 1. Codex Homiliarum S. Gregorii Papæ in Ezechielem, per B. *Hildigrimum* primum Halberſtadienſem Epiſcopum Seculo VIII. conſcriptus. 2. Liber Moralium ejusdem S. Gregorii ſuper Jobum Prophetam. 3. Liber Evangeliorum, qui habet involucrum inauratis laminis, iisque antiquiſſimis, lapillisque variegatis obductus. Quos codices alióſque plures magnæ antiquitatis nomine, præſertim commendaliles ſervat etiamnum Wendinenſis Bibliotheca. Ex his verò Codicibus Ill. Abbas Gottwicenſis *Godefridus Beſelius* characterum antiqui ævi ſpecimina protulit Tom. 1. Chron. Gottwic. lib. 1. pag. 36.

Sunt & aliæ quamplurimæ in Weſtphalia Bibliotheca non minoris, æqualisve decoris & elegantiæ, quarum vel nomina ſigillatim hîc recenſere nec vacat, nec libet; quia laxas hiſtoriarum habenas per omnem hujus ſtadii decurſum fruſtrà ſtrinxiſſe videremur, ſi modo extra ipſas, quas huic curriculo poſuimus metas, evagaremur. Portento quidem res ſimilis viſa eſt Lipſienſibus Eneditis (c) Auctorem noſtrum in ſuo conſpectu expoſuiſſe nihil de cœnobiis *Lammeſpringenſi*, *Abdinckhovenſi*, *Ringelheimenſi*, *Gandersheimenſi*, *Huisburgenſi &c. Certè*, inquiunt, *in Cœnobio Lammeſpringe*, quod Benedictini nunc Anglicanæ Congregationis, viri humaniſſimi æquè ac doctiſſimi habitant, *Grammato-Phylacium & Bibliotheca viſentibus gratiſſimum præbent ſpectaculum. Primus Abbas hujus Congregationis* CLEMENS REINERUS (d) *opera ſcripſit haud vilioris metalli, nec de reliquo is negligendus fuit.* Ita Lipſienſes cit loc.

Verùm enim verò quis noſſe aut meminiſſe vel referre omnia poteſt? profectò nec ii quidem ipſi, qui ſteriles aut jejunas haſce noſtras recenſiones reprehendunt, idipſum præſtiterint. Et verò, qui propoſiti operis magnitudinem ſpeciémque multimodâ indagatione implexam attentiori informaverit animo, is facilè perſpiciet & pro dignitate pertractari illud ab homine uno non poſſe, niſi immenſo ferè temporis ſpatio, aut niſi plures

Authoris Vindiciæ.

(c) Lipſienſ. in novis Actis Eruditor. kal. Decemb. A. 1731. num. XV. pag. 673. & ſeq.
(d) Reyneri Acta vide Part. III. hujus operis pag. 353.

Digitized by Google

plures accedunt adjutores, qui ſinguli partem aliquam laboris exantlent. Nam quis unus omnia adire loca poſſit adeo remota & diſſita? Quis Charto- aut grammato-phylacia; quis forulos, conclavia, repoſitoria ferreis ſubinde obſerata clauſtris, ut ſibi hoſpiti pateant, poſſit impetrare? Quis deſcribere, conferre, examinare, relegere, ordinare omnia? certè ſi ipſi literariorum ejusmodi cimeliorum poſſeſſores, hunc à ſe laborem excutiant, eam ab exteris curam, ut recenſeantur, ſperare non licet. Minus verò nobis crimini dandum, ſi plerique hîc illaudati neglectique fuerint, cùm ipſimet ſe ſuosque negligant, & alios benè meritos celebrari ineptum putent. Nobis ſanè majori jure portento res ſimilis videtur, Lutheranos in *Bergenſi* prope Magdeburgum Cœnobio, Romanis ſacris valere juſſis, adhucdum D. BENEDICTI inſtitutum ſuo ritu retinere, ejusque ſuperintendentes *Abbatum* titulo gloriari. Verùm miſſis iis, quæ larvæ detrahendæ facere poſſent, iſtud meminiſſe ſufficiat, inclytum hoc monaſterium pridem Bursfeldenſi Congregationi fuiſſe unitum, magnámque celebritatem priſcis temporibus tum à literarum cultu, cùm ab inſigni Bibliothecâ, raris & antiquis manuſcriptis decorarâ habuiſſe. Extat integra nec prorſus ſpernenda *commentatio Hiſtorico-Eccleſiaſtico-literariæ, de origine fatis & incrementis hujuſce Bibliothecæ, cui ex ejus literis quibusdam iisdémque præcipuis nonnulla inſeruntur, quæ ad Abbatem, ſuperintendentem Generalem, Conſiliariúmque Conſiſtorialem & Eccleſiaſticum pertinent, & materias de religioſis Ordinibus, Juribus Epiſcopalibus, ac Hierarchia veteris & hodiernæ Eccleſiæ nonnihil illuſtrant...* Auctore *Jo. Juſto* von Einem in Bergenſi Cœnobio haud ita pridem Rectore, dein Scholarcha, Bibliothecario & Abbate ſcilicet Lutherano. *Magdeburgi & Lipſiæ* A. 1732. in 4. Eo in opuſculo Laudantur cumprimis cœnobiales Bibliothecæ ceu *cariſſimi veterum Monachorum theſauri*, ſpeciatim verò Bergenſis à loco, ſitu, juſtâ diſpoſitione, ordine, rariſſimis libris, ac præcipuè à Manuſcriptis, tùm etiam à globis, Mappíſque Geographicis, ac imaginibus & picturis, aliíſque cimeliis & ornamentis extollitur. Ejus origo, tùm fata, decrementa, incrementa & leges illius pro moderno ſtatu. Per ſequentes Paragrophos exponuntur. Et de *Origine* quidem ſi penitiùs inquirimus, *ea ulterius extendi nequit*, ſi Meibomio fides (e) *quàm ad tempora Abbatis* HERMANNI, *qui ordine fuit XLII. electus anno* 1450. Hic vir, ut faſti perhibent, Bibliothecæ comparandæ indiesque augendæ ſtudioſiſſimus fuit, eamque brevi tempore miris modis locupletavit, quùm Monachi aſſiduè Codices ſcriberent, & non pauci à beneficis hominibus donarentur. *Erat olim*, inquit citatus, *in monaſteriis præcipua librorum penus; ſed quotquot Bergenſis Bibliothecæ locum ſordibus & illuvie ſqualidum, pluteos effractos luxataque pegmata, codices, qui rari ſupererant, laceros & pulvere obſitos, partim à tineis & blattis exeſos intuebantur, nullum ibi munditiei & priſtinæ venuſtatis ſupereſſe veſtigium advertentes queruli ſupinam Monachorum anterioris temporis negligentiam atque incuriam deteſtabantur.* Hinc eſt quod *Laurentius Paſchaſius* Ss. Theol. Doctor, vir ſui ſeculi eruditiſſimus res ab *Hermanno* mox laudato geſtas proſecutus in Bibliothecam ab eo inſtauratam hoc luſerit carmine:

Bergenſis prope Magdeburgum Bibliotheca,

ab Hermanno Abbate 42. inſtaurata.

Ex Stabulo facta eſt, Hermanno *Præſule noſtrô,*
Splendida collectis Bibliotheca libris.

Tametſi autem hæc Bibliotheca deinceps non tenuia ceperit incrementa, præſertim quum ars typographica invaleſceret, Anno tamen 1550. ſæviente in Monaſterium ruſticâ ſeditione, fœdum in morem vaſtata ac penè deſtructa jacuit usque dum *Petrus Ulnerus* è Lutheranis Abbas primus, Scholâ ibidem conſtitutâ novam ei denuò adjunxit Bibliothecam ſatis luculentam, ut in promptu eſſent veteres & recentes ſapientiæ Magiſtri à fratribus nocturnâ diurnâque manu verſandi. Quùm verò bellum ferale A. 1631. monaſterium alterâ vice affligeret, Bibliotheca quoque ex parte abſumpta, partim Heidelbergam & inde Monachium deportata fuit. Sed juvabit his de rebis conſulere *Henrici Meibomii* Chronicon Bergenſe, à *Joanne Juſto von Einem* continuatum & pluribus auctum. *Calumniari autem ſi quis voluerit, fictis jocari nos meminerit fabulis* (f). Certè complures adverſus Lutheranos librorum

ejus fata.

rum

(e) In Chronico Bergenſi edit. nov. pag. 18.
(f) *Phædrus Aug. lib. 1. fab. 1.*

rum pelopidas, quàm in Monachos querelas adducere poſſemus ſine negotio; at illæ, quas protulit *Eraſmus Roterodamus* tanti mihi ponderis eſſe videntur, ut neminem iis fidem derogaturum credam, quùm à graviſſimo profectæ ſint viro nulli parti addicto. Omnis verò mali tum literis illati cauſam in Lutheranos transferre viſus eſt. Scribere ſaltem epiſt. 50. libr. XIX. non dubitavit: *Ubi Lutheraniſmus, ibi literarum eſt interitus.* Et epiſt. 56. ejusd. libri: *Iſtos*, inquit, *Evangelicos, quùm aliis multis, tum illo nomine præcipuè odi, quòd per eos ubique languent, frigent, jacent, intereunt bonæ literæ, ſine quibus quid eſt hominum vita? Amant viaticum & uxorem, cetera pili non faciunt.*

§. VI.
De Bibliothecis Auſtriæ.

Utraque in Auſtria, cùm inferiore, tum ſuperiore Ordo noſter Benedictinus ampliſſima monaſteria, in iisque bibliothecas non minùs copiâ quàm ſelectu ac præſtantiâ celebres numerat. Sed non facilis ad omnes acceſſus, nt quæ in uſum tuum ſunt, ex iisdem colligas & excerpas. Per ſingulas tamen ire, earúmque cimelia adnotare volupe eſt.

Bibliotheca Lunælacenſis. LUNÆLACUM, patrio ſermone *Monſee*, eſt antiquiſſimum Superioris Auſtriæ Monaſterium, ab *Uàilon: II.* hujus nominis Duce Bavariæ Anno 748. fundatum ſub titulo Divi Michaëlis Archangeli, & S. Petri Apoſtoli, viginti Cœnobitis è Monte Caſſino evocatis, de quibus illi verſiculi: *Caſſino de monte legunt, & adhuc ibi degunt. Domnos Clauſtrales, nec habebat Norica tales.* Quod ad rem librariam attinet, Monachi Lunælacenſes in ea accumulanda nullis aliis totius provinciæ Benedictinis non tantùm non conceſſerunt, ſed eosdem longè ſuperârunt. Vel ſolus *Hieronymus de Werdea* tot volumina contexuit, ut iis avehendis ſex equi non ſufficere in mſ.to Codice Bibliothecæ Cremiſanenſis dicantur. Fuit igitur Lunælacenſis Bibliotheca libris manu exaratis locupletiſſima. Ex quibus tamen, cùm Monaſterium ab Hunnis anno 907. & 942. expilatum anno 1203. & 1242. bellis Bavaros inter variósque Antiſtites exortis attritum, anno 1275. 1285. & 1337. lugubri incendio in cineres redactum fuit, quàm plurimi manuſcripti codices miſerè perierunt. Superſunt tamen ad 1000. ferè codices, ita nt Bibliotheca Lunælacenſis una præſtantiorum Bibliothecarum, quæ in Benedictinis Germaniæ Monaſteriis viſuntur, non immeritò habeatur (g). Eorundem catalogum cùm à V. C. *Caſimiro Moll*, incly ti monaſterii Bibliothecario literis humaniſſimè ſcriptis expetiiſſem, ille priùs ſatis, quàm petitioni meæ, ni ſallor, honeſtiſſimæ, concedere maluit. Votis tandem poſt plures annos potiri licuit, cùm Chronicor Lunælacenſe anno 1748. typis mandatum publici juris ſactum eſt. Ad ejus enim calcem habetur Catalogus Manuſcriptorum Lunælacenſium à Seculo IX. ad Seculum XVI. in Rerum Claſſes digeſtus, è quibus nonnullos annotare Codices non gravabor.

CLASSIS I.
Biblia Sacra.

Biblia Sacra. Codex Membranaceus. In Folio. Scriptus Seculo 13.

Biblia integra cum Interpretatione vocabulorum Hebraicorum oblata Monaſterio Lunælacenſi à F. Benedicto de Piburg. Membran. fol. Sec. 14. Literaria ejus ſupellex.

Liber Evangeliorum ſecundùm IV. Evangeliſtas, cùm Canonibus Euſebianis in columnis nitidè depictis, & Præfationibus Euſebii ad Carpianum, & Hieronymi ad Damaſum Papam, cum Calendario, deſcriptus à Luitholdo Monacho Mœnſcenſi Membran. fol. Sec. 12.

Pſalmi Davidis cum Canticis in teutonico. Chartac. fol.

Epiſtolæ S. Pauli Apoſt. An. Chr. 850. deſcriptæ. Membran. fol.

Biblia verſibus comprehenſa. Chartac. fol. A. 1460.

Biblia Latina. Membran. 8. Sec. 13.

CLASSIS II.
Commentarii Bibliorum Sacrorum.

S. Anſelmi Commentarius in Apocalypſin. Chart. fol. an. 1473. NB. *eſt Anſelmi Laudunenſis.*

S. Auguſtini in Pſalmos. Pars prima in primam Quadragenam.

Honorii Commentarius in Cantica Canticorum.

Pauli Burgenſis Scrutinium Scripturarum, cujus Pars prima Dialogum Sauli & Pauli, 2.da Dialogum Magiſtri & Diſcipuli exhibet.

Henrici

(g) Confer *Pezii* Diſſert. Iſagog. ad Tom. I. Theſauri Anecdotor. pag. III. num. VII.

Henrici de Haſſia Lectura ſuper Geneſim.

Mamotrectus ſeu Pædagogus explicans difficiles ſignificationes in Sac. Bibliis, & Actis Sanctorum contentas.

Venerab. Beda ſuper Actus Apoſtolorum.

Rudberti Abbatis Tuitienſis Expoſitio Cant. Canticorum.

Roberti Holchot Poſtilla ſuper Lib. Sapient.

Haymonis Expoſitio in Apocalypſim. Chart. fol. Sec. xv.

Vocabularium Biblicum. Chartac. 4. Sec. 15.

Petri de Riga Libri Biblici, carmine reddit. Membr. 4. Sec. 14. tamdiu editorem exſpectant.

Classis III.

SS. Patres & alii Scriptores Eccleſiaſtici.

HOmiliæ SS. Gregorii Magni, Hieronymi & Bedæ in Evangelia. Membran. fol. Sec. 12.

S. Gregorii Papæ Liber Dialogorum in teutonico, fol. an. 1453.

S. Hieronymi Liber de vitis Patrum. Chartac. fol. an. 1434.

Homiliæ variorum SS. Patrum.

Caſſiani Collationes SS. Patrum. Chartac. fol.

Libri 4. de Imitatione Chriſti.

S. Auguſtini Libri 3. de Baptiſmo Parvulorum.

Liber viſionum Claræuallis.

S. Bonaventuræ laudes de S. Cruce.

Hugo de Arca Noë.

S. Anſelmi Tractatus, cur Deus homo? in duos libros diviſus.

S. Zenonis, Epiſcopi Veronenſis, Sermo de Præcepto. Chartac. 8. anno 1486.

S. Paterii Collectiones Expoſitionum SS. Patrum de virtutibus & vitiis. Chartac. fol. Sec. 11. Hactenus mihi de S. Paterio nihil conſtabat, quàm ejus liber unus de Veteri ac Novo Teſtamento ex Opuſculis B. Gregorii Papæ. Sed adhuc hæreo in titulo Codicis Lunælacenſis.

Classis IV.

Sermones in Evangelia de tempore, Sanctis, Solemnitatibus & Exequiis.

THomæ de Haſelbach, Nicolai de Dinckiſpihl, Henrici de Haſſia &c. Sermones plurimi.

Wolfgangi Vorthenauer, Friderici Rom. Imp. Protonotarii, Oratio habita in Conſiſtorio publico Romæ anno 1462.

Diſcipuli Sermones.

Sermones teutonici Joannis Epiſcopi, tempore Wilhelmi Ducis Auſtriæ. Chartac. fol.

Gabriëlis Biel Sermones de tempore & Sanctis.

Pauli Wann Prædicat. Patav. Sermones de 10. Præceptis & in Dominicas.

Socii & Militii ſermones de Sanctis. Vid. Car. de Viſch in Bibl. Scriptor. Ord. Ciſterc. pag. 299.

Sermones de Concept. B. M. V. de 11. millibus Virginum.

Peregrini Sermones de Sanctis per annum.

Roberti de Licio Sermones de Variis.

FF. Monſeenſium Sermones ad Populum Monſeenſem, Sec. 15. 16.

Classis V.

MSS. Theologico-Scholaſtica, Moralia, Polemica, Aſcetica.

JOannis Caſtellenſis Gloſſæ in Regulam S. Benedicti Pars I.

Ejuſdem Gloſſæ in Regulam S. Benedicti Pars tertia.

Kiliani Weybeckh, Abbatis Nideraltaichenſis, Comentarius Teutonicus in Regulam S. P. Benedicti collectus an. 1529. ſcriptus per manus S. Utilonis Reyſs Profeſſi Nideraltaichenſis & Georgio Hieronymo Gulden Abbati Monſeenſi dedicatus anno 1590. Chart. fol.

Anonymi Ord. Præd. Apiarius, ſeu liber de Prælatis & Subditis. Chartac. fol. an. 1453.

Epiſtola Bohemorum ad communitatem Viennenſem cum hujus replicatione. Chart. fol. an. 1436.

Chriſtiani de Salzburga, Baccalaurei Vieñenſis, Prioris Tegernſeenſis, & Abbatis Oberaltaichenſis Expoſitio ſuper Regulam S. P. Benedicti, deſcripta per manus S. Jacobi Keſer Profeſſi Lunælacenſis. Chartac. fol. an. 1493.

Andreæ Hiſpani O. S. B. Tractatus ſeu Regula Decimarum.

Davidis de Auguſta Opuſculum ad Juvenem de exterioris hominis compoſitione. Ejuſdem libellus de interioris hominis ſeu mentis reformatione. Tractatus de timore & ſervitio Dei ad Religioſos Clauſtrales. Chartac. fol. an. 1449.

Æneæ Epiſcopi Senenſis Dialogus ſuper concertatione Thaboritarum & Bohemorum de an. 1451.

Epiſtola F. Bernardi Monachi in Tegernſee ad F. Martinum Monachum in Wiblingen, contra illicitum Carnium eſum Monachorum O.S.B.

Libelli de Imitatione Chriſti Pars I. ſcripta an. 1447.

Liber Spiritualis. Literæ S. Ignatii Loyolæ. B. Franciſci Borgiæ 2. Remedia contra Cogitationes. Deſcriptio Religionis Benedictinæ. Dubia Regulæ S.B. reſoluta. Variæ Meditationes. Chartac. 8. an. 1575.

F. Chriſtiani converſi Tractatus de fratribus converſis.

Classis VI.

Hiſtoria Eccleſiaſtica & Profana.

Godefridi Viterbienſis Pantheon, cum 3. Catalogis 1. Præſulum Salzburgenſium, 2. Epiſcoporum Ratisbonenſium, 3. Ducum Bavariæ. Chartac. fol. Sec. 15.

Legenda Sanctorum. Chartac. fol. A. 1400.

Hiſtoria Scholaſtica.

Chronicon Andecenſe & Schyrenſe. Chart. fol. An. 1453.

Hiſtoria Concilii Conſtantienſis, Item Piſani, & Provincialis Salisburgenſis. Sec. 15.

De Archiepiſcopis per Alemaniam. Chartac. fol.

Regiſtrum Reſponſionis Pii Papæ II. ad Oratores Regis Boemorum.

F. Leonardi Schilling Prof. Monſeenſis, ex quibus apparet, oblatum ſibi eſſe à Maximiliano Rege Rom. Epiſcopatum, quem recuſavit. Chartac. 4. Sec. 16.

Alvari Ord. Min. Silvenſis Eccleſiæ Epiſcopi Liber de Regimine ad Alphonſum Hiſpaniæ Regem, finitus an. 1343. Chartac. 4. ſcriptus Sec. 15.

Codicillus Prodigiorum Divi Alpinatis Wolfgangi ab anno 1531. ad 1590. Chartac. 4.

Honorius Chriſtianus ad Solitarium de Imagine mundi. Cujus Liber 1. globum totius mundi; 2.dus de mundi temporibus, ſeu de Annis, Cyclis, Ætatibus, Seculis; 3.tius de Regnis mundi ab Adam usque ad Regem Rom. Philippum Friderici Fratrem deſcribit.

Bernardi de Krayburg Epiſtola de obitu Regis Ladislai & de expugnatione Conſtantinopolis.

Epiſtolæ miſſæ à Rhodiis ad Fridericum Marchionem de Brandenburg, Magiſtrum Johannitarum.

Æneæ Sylvii, Epiſcopi Senenſis, Epiſtola de Pugna Hungarorum & Turcarum.

Hiſtoria de Fundationibus Monaſteriorum per Bavariam.

Epiſtola Chunradi Legati Apoſtolici ad Ducem Saxoniæ miſſa an. 1450.

Poſitiones contra Rockizanam Huſſitam Pragæ propoſitæ in publico Conſeſſu.

Literæ Huſſitarum directæ Baſileam, & à Concilio Baſileenſi Huſſitis.

Reſcriptum ſeu Litera Wilhelmi Ducis Bavariæ Comitis Palatini & Rheni ad Patres Concilii Baſileenſis.

Reſcriptum Alphonſi Regis Arragoniæ ad præfatum Concilium.

Theologicæ Facultatis Viennenſis deliberatio & Conſilium ſuper Conſultatione D. Friderici Archi-Epiſcopi Salisburgenſis.

Narratio rei geſtæ per Sigiſmundum Ducem Auſtriæ contra Nicolaum Card. & Epiſcopum Brixienſem.

Reſcriptum Alexandri Papæ ad Moguntinenſem Archi-Epiſcopum Sed. Ap. Leg. quâ is jubetur Epiſcopum Patavienſem monere, & compellere, ut Monaſterio Lunælacenſi Eccleſias ablatas reſtituat.

Joannis Tucher Norimbergenſis Deſcriptio teutonica Peregrinationis transmarinæ.

Strages Neapolitana Francorum & Venetorum. Geſta ad Inſulam Rhodi.

Narratio hiſtorica de SS. 3. Regibus.

Legenda de SS. 3. Magis an. 1162. Mediolano Coloniam translatorum à Reinoldo Colonienſi Archi-Epiſcopo, qui SS. Corpora à Friderico Imp. Mediolanum ob Civium rebellionem ſibi ſubjugante obtinuit. Chart. 8. Sec. 16.

Collectura de laude & Scriptis Doctorum opera F. Leonardi Prof. Monſ. adornata.

Ejusdem Collectura hiſtorica de Syria, Arabia, Æthiopia, Perſia, Calicut. de Friderico III. Imp. & Eleonora. Chronica de geſtis ad init. Sec. 16. Chart. 8. Sec. 15.

Expoſitiones Vocabulorum ſuper legendis Sanctorum in Paſſionali per manus Joannis Hochſtetteri de Nordlinga. Chartac. fol. an. 1390.

Tractatus de Pontificibus Judæorum, & Regibus Syriæ.

Caroli Regis Franciæ Litera ſuper libertate Eccleſiarum.

Euge-

Eugenii Papæ IV. Litera de Salvo Conductu ad Concilium Ferrarienſe.

Donatio facta Eccleſiæ Juvavienſi.

Charta Reformationis Monaſteriorum Ord. S. Bened. & Aug.

S. Amandi Ep. & Conf. Transvectio de Wormatia Salzburgum per S. Rupertum ſucceſſorem ejus facta.

Hermanni Abb. Compilatio de Inſtitutione Monaſterii Altahenſis Infer. ex vita S. Godehardi, Chronicis & Privilegiis excerpta.

Dominorum Ducatus Auſtriæ Liga contra Cæſarem.

Alphabetum Narrationum, ſeu Liquor lacteus, ſacras de variis hiſtorias continens.

Varia Miracula. Chart. 12. Sec. 15.

Joannis de Monte Villa Equitis Deſcriptio Terræ ſanctæ & Regnorum Orientalium. Chartac. fol. an. 1532.

Adverſaria de 4. Monarchiis, de tempore Fundationis quorundam Ordinum; de 4. Principalibus Synodis univerſalibus, de Archiepiſcopis per Alemaniam. Chartac. fol.

Bulla Pauli II. SS. Pont. ad Bernardum Archiepiſcopum Salzburgenſem, quâ ipſum excitat ad ferendum auxilium contra Turcam, data an. 1470.

Copia literarum Mahumet Imperatoris Turcarum ad Ferdinandum Regem Siciliæ de expugnata Inſula Negroponto, & Reſponſio hujus ad illum.

Copia literarum Chriſtophori Maurocæni, Ducis Venetiarum, ad quendam Epiſcopum de expugnata Inſula, & Urbe Negroponti. Chart. fol. an. 1470.

Verſus de Urbe Juvavienſi, nunc Salisburgo, cum nominibus & geſtis Præſulum ejus.

Chronicon Auſtriacum, agens ab initio mundi usque ad annum Chriſti 1398. Chart. fol. Sec. 14.

Hieronymi de Werdea Lunælacenſis Comentarius in vitâ S. Wolfgangi.

Magiſtri Bernardi de Kreyburg, Commendatio Cardinalis Nicolai de Cuſa. Item Narratio rei geſtæ per Sigismundum Ducem Auſtriæ contra Cardinalem de Cuſa.

Pii II. Reſponſio ad Bohemos.

Ejusdem Bulla Profectionis contra Turcas de anno 1463.

Florentii de Wexelkoven, Epiſcopi Monaſterienſis, Deſcriptio SS. trium Regum cum Regionibus eorum. Chartac. fol.

Annotatio de Fundatione Monaſteriorum Mellicenſis, Gottwicenſis, & Neoburgenſis.

Catalogus Epiſcoporum Salisburg. usq; ad Matthæum Langium an. 1519.

Translatio Corporis B. Martini Salisburgum facta ſub Ottone Imperatore, & Herolfo Archiepiſcopo.

Epitaphium de obitu Gerſonis Cancellarii Pariſienſis.

Copia Literarum Magiſtri Joannis Rogkazan ad B. P. Joannem de Capiſtrano Ord. Min.

Copia Literarum Joannis de Capiſtrano ad Magnificum & Excellentem Dominum Georgium de Podiebrad, & Reſponſio ad 2. literas Magiſtri Rogkazan.

Classis VII.

MSS. de Cultu divino, Miſſa, & Officio divino tractantia.

Miſſale in Membraneo. fol. anno 1400.

Dedicatio Capellæ in honore SS. Trinitatis, SS. Crucis, S. Mariæ, S. Nicolai, facta à Tiemone Juvavienſi Epiſcopo an. 1094. Membran. fol.

Orationes Urbani Papæ V. Chartac. fol.

Liber ſpecialium Miſſarum conſcriptus anno 1399.

Magiſtri Joannis Gmund Kalendarium. Sec. 15.

Lotharii S. R. E. Cardinalis & Archidiaconi Expoſitio Miſſæ.

Cæremonialia Martini Abbatis Scotorum Viennæ.

Sequentia de Sanctis, Authore Notkero Sangallenſi.

Martyrologium cum marginali Necrologio. Sec. 12.

Fragmentum antiqui Kalendarii Romani, cui varia nomina inſtar Necrologii ſunt inſerta..

Stationes Eccleſiarum Urbis Romæ. Sec. XVI.

Orationes ad Sanctos cum officio de Matre Doloroſa. Chart. 8. an. 1475.

Classis VIII.

MSS. de Conciliis, Synodis, Jure Canonico, Jure Civili, Jure publico agentia.

Conſtitutiones Clementis Papæ V. Membran. fol. an. 1471. Moguntiæ impreſſæ.

Juſtiniani Imper. Conſtitutiones Imperiales. Membran. fol. an. 1472. Moguntiæ impreſſæ.

Bonifacii Papæ VIII. Liber ſextus Decretalium cum notis Membran. fol. Sec. 14.

Copia literarum Reformationis Monaſteriorum Ord. S. Ben. quam intendebant Abbates, partim per ſe, partim per ſuos Procuratores in Monaſterio Weichenſtephanenſi Diœceſis Friſingenſis an. 1470. congregati.

Conſtitutiones Eccleſiaſticæ Guidonis Card. tit. S. Laur. Joannis Epiſcopi Tuſculani, Chunradi & Pilgrini Archiepiſcoporum Salzburgenſium.

Ordinatio Cameræ Imperialis ſub Maximiliano I. Imp.

Regis Caroli Jus Provinciale. Jus Bavaricum. Utbarium Monacenſe.

Tractatus de Arte Notariatûs.

Litera Ludovici Imp. de Libertate Sacerdotum an. 1363. conceſſa.

Bulla Leonis Papæ Eccleſiæ Einſidlenſi, tempore Ottonis Imperatoris & Adelhaidis Imperatricis conceſſa.

Classis IX.

MSS. de Philoſophia, Medicina, Matheſi, Ethica Philologia tractantia.

Vita & Mores antiquorum Philoſophorum.

Atteſtatum Univerſitatis Pariſienſis, Petrum Porigakl de Arnſtorff Auſtriacum Diœceſis Paſſavienſis gradum Licentiatus & Magiſterii in Artium facultate accepiſſe.

Magiſtri Marſilii Quæſtiones ſeu Diſputata in veteri Arte, ſeu Philoſophia Peripatetica.

Regimen Sanitatis ab Anonymo ad Georgium magni nominis Præſulem ſcriptum.

Deſcriptio Novorum Inſtrumentorum, quæ in Aſtrolabio ponuntur, facta Lunælaci an. 1455.

Practica Aſtronomici, ſeu Compoſitio Inſtrumentorum.

Regulæ generales Philoſophiæ moralis.

Commentarium in Aphoriſmos Hypocratis.

Tabula Conſtellationum. Membran. 1?. Sec. 15.

Tractatus de Regimine Peſtilentiæ an. 1483.

Clasis X.

MSS. Rhetoricalia, Poëtica, Grammaticalia.

Inſtitutio Grammaticæ Græcæ à Chuntrado Protucio Celte, Viennæ tradita. Chartæ fol.

Commentarius ſuper Donatum.

Auguſtini Dathi, Senenſis Philoſophi & Oratoris Regulæ communes de Arte Oratoria.

Tractatus de Partibus Orationis in Rhetorica.

Eberhardi Nomenclatura, ſeu verborum derivationes.

Commentaria in Alexandri de Villa Dei, Armorici Dolenſis, Ordinis Minorum, Grammaticam Latinam.

Epiſtolæ Gaſparini Oratoris, per manus F. Benedicti Lufftzeulner de Luenz. antehac Studentis in Univerſitate Lipſienſi, poſthac Profeſſi Monſeenſis.

Ovidius cum Notis.

Fundamenta Linguæ Hebraicæ.

Comœdia ad Carolum Burgundiæ Principem.

Sulpitii Carmen de motibus Puerorum.

Qui plurium Codicum notitiam habere deſiderat, ipſum Catalogum Bibliothecæ Lunælacenſis typis excuſum evolvat. Et quamvis plura volumina aut hoſtium depopulationibus peſſundata, aut flammæ voracitate abſumpta aliáve invidioſæ vetuſtatis injuriâ interciderint, tot attamen Manuſcriptorum remanſiſſe Lunælacenſibus reliquias compertum habetur, ut eorum Communicationem ſummi etiam, magníque Principes ſua pro Informatione expetierint: quos inter meritò numerandus Maximilianus I. Bavariæ Dux, qui trinis literis ad Chriſtophorum Abbatem Lunælacenſem an. 1601. directis MSS. Codices ex Bibliotheca ſibi comunicari poſtulavit ſequentes:

Catalogum Epiſcoporum Ratiſponenſium & Ducum Bavariæ cum Chronico Godefridi Viterbienſis. fol.

Othonis Regis Hungariæ & utriusque Bavariæ Ducis, aliorúmque Ducum Diplomata. 4.

Hiſtoriam de Monte Sancto, & fundatione Comitum de Andechs fol.

Hiſtoriam de Monaſteriis Bavariæ 4.

Bellum Bavaricum. fol.

Geſta Conciliorum Piſani & Conſtantienſis. fol.

Monaſterii Lunælacenſis devolutionem à Bavaris ad *Maximilianum* Auſtriacum.

Ut adeò *Joannes Hörmann*, Profeſſus Monſeenſis, ſeculi prioris ſcriptor, novíque Librorum Catalogi Compilator, Bibliothecam Monſeenſem antiquiſſimam pariter ac locupletiſſimam

Ejusdem ſtrages maxima.

nam nuncupare non dubitaverit. Sed eheu! luctuoſam, & tranquillo nequaquam animo ferendam Bibliotheca hæc ſtragem experta, dum ſub currentis ſeculi exordium plurimi, iique pretioſiſſimi Codices membranacei leviſſimo divenditi pretio, & neſcio quò diſtracti per nonneminis culpam & incuriam die unâ perierunt, quos à decem Seculis Patres, & majores noſtri (*inquit Chronographus Lunælacenſis in præfatione ad Mantiſſam Chronici ſui Monaſterii*) curâ longè maximâ ſuper aurum & topazion cuſtodivêre.

Nomina verò Monachorum Lunælac. quorum indefeſſo labore, ſtudio, & diligentia tanta librorum & Codicum vis transſcripta fuit, ſunt potiſſimùm hæc: *Luitholdus* Mon. ac Prior Sec. XII. *Wilhelmus Koglar*, *Jacobus Keſer*, *Joannes de Staffelſtain*, *Wolfgangus de Waring*, *Ullricus oblatus*, *Joannes Hochelſtain*, *Joannes Hauſer*, *Henricus Immertheur*, *Benedictus de Pipurg*, *Leonardus Schilling* & plures alii. Quem verò poſtremo loco nominavi, excellenti morum probitate, ac doctrinæ præſtantiâ tantam à *Maximiliano I.* Imp. gratiam inierat, ut hic Epiſcopales ei Infulas obtulerit, quas ille verò, ut non doctus tantùm, ſed verè humilis erat, acceptare renuit.

Cremiſanenſis. CREMIFANENSIS celeberrimi & ampliſſimi in Auſtria ſuperiore Aſceterii à *Thaſſilone* Bavariæ Duce anno 777. fundati Bibliotheca viſu quàm digniſſima eſt. Hanc *Fridericus* (h) ex nobili profapia *de Aych*, Abbatum ordine nonus & vigeſimus, ſub an. 1274. electus, Vir aliàs de literis benè meritus, erexit, dein *Erhardus de Voit*, ſtirpe nobilis, natione Wirtenbergenſis, Abbas LI. raris & ſelectis libris inſtruxit, Patribus præſertim Græcis & Latinis, atque præclaris hiſtoriarum monumentis, ut jure merito alter illius auctor, & fundator ampliſſimus habitus ſit. Continuârunt Jacobus Treutlkofferus, Ulricus Schoppenhauſen, & Antonius Wolfradius; quorum ultimus etiam Epiſcopus Viennenſis & S. R. I. Princeps non modò juvenes Religioſos formabat ipſe, atque ad celeberrimas Academias artibus & diſciplinis imbuendos ablegabat, ut morum integritati juncta eruditio nusquam exerraret; ſed nutriendæ etiam doctrinæ, ne fortè in oblivionem abiret, raris & præſtantiſſimis libris Bibliothecam inſtruxit. Quod idem poſt ipſum præſtiterunt Placidus Buchauer & Alexander Straſſer, Abbates; qui cùm literas & literatos impenſiori curâ complecterentur, Bibliothecam eximiis, ac non obviis voluminibus, Latinis, Græcis, Hebraicis, Chaldaicis, Syriacis, Arabicis, Perſicis, ac Æthiopicis locupletârunt. Et quidem typis impreſſi plusquàm 40000. millia numerantur. MSti ad trecentos & ſeptuaginta duos pertingunt, in quibus non levis momenti anecdota ſuperant. Exemplo eſſe poteſt vel unius *Bernardi Norici*, Monachi Cremiſanenſis Codex autographus, in quo ejusdem Opuſcula typis pleraque nondum exſcripta continentur hoc ordine:

I. Brevis Hiſtoria, ſeu Catalogus Laureacenſium & Pataviensium Antiſtitum.
II. Chronicon Bavaricum.
III. Catalogus ſeu rectiùs Chronicon Cremiſanenſium.
IV. Chronicon Auſtriacum.
V. Genealogia Fundatoris Cœnobii Cremiſanenſis.
VI. De origine & cauſa Fundationis Monaſterii Cremiſanenſis.
VII. De Conſtructione Eccleſiæ, & ejusdem deſtructione.
VIII. De Amœnitate Monaſterii Chremsmunſtrenſis ſpirituali, & corporali.
IX. De Monachicis Inſtitutis.
X. De Donationibus Monaſterio factis.
XI. De principatu Epiſcopii.
XII. De principatu Territorii.
XIII. De dignitate Monaſterii Chremsmunſtrenſis.
XIV. De violatione Epiſcoporum.
XV. De dilapitatione Prælatorum.
XVI. De flagellis Dei.
XVII. De lamentatione Prædicatorum.
XVIII. Vita S. Agapiti Martyris, præcipui Monaſterii Cremiſanenſis Patroni ac Tutelaris.
XIX. De inſtitutionibus & obſervantiis Cremiſanenſium.

Ex his omnibus, inquit V. C. Hieronymus Pezius *hactenus recenſitis Bernardi Norici opuſculum unum unicum* Chronicon Auſtriacum, *cùm alia nanciſci nulla ratione, nulliſque*

(h) *Vid. Rettenbacheri Annales Cremiſanenſes.*

ſisque precibus potuerimus, *eo prorſus modo*, *quo in ſæpe laudato codice Cremiſanenſi habetur*, *Lectori nunc exhibemus.* De libris autem impreſſis ita loquitur : *Miſſam facimus editorum omnis ferè generis librorum vim maximam*, *quam inſtructiſſima hujus loci Bibliotheca non ſine multa admiratione contemplati*, *magnâmque partem perſcrutati ſumus.* Unde Abbas Placidus ſupra laudatus in Bibliotheca frequens erat, ut qui dicere conſueverat : *nullum feliciorem*, *quàm cui inter libros aſſiduò verſari liceret.* Magna igitur Bibliothecæ Cremiſanenſis præſtantia & celebritas, longè major adhuc futura, ſi qui [maximè ejuſdem Ordinis Sodales] ex ejuſdem libris, quæ in rem ſuam literariam ſunt, depromere geſtiunt, faciliùs permitterentur.

Garſtenſis.

GARSTENSIS *Monaſterii Bibliothecam* duo præcipuè Abbates Anſelmus & Ambroſius ad magnam cùm ſtructuræ elegantiam tum librorum copiam provexerunt. Sunt verò typis excuſi majorem partem Aſcetici & Juridici, quorum numerus ferè ad decies milleſimum excurrit : Codices verò Mſ.ti ad ducentos conſpiciuntur, ex quibus quidam vetuſti ſunt.

Gottwicenſis. Una ex celeberrimis.

Bibliotheca GOTTWICENSIS *in Auſtria Inferiori.* Celeberrimas inter Eccleſiarum vel Cœnobiorum univerſæ Germaniæ Bibliothecas, quæ quidem codicum ſelectû ſeſe copiáque commendant, non minima ſanè Gottwicenſis eſt. Initia ſua in acceptis refert *Hartmanno*, quem Udalricus Patavienſis Epiſcopus, Monaſterii Inſtaurator primum ex Ordine Benedictino Abbatem an. 1094. præfecit. Erat is poſtulatus è celebri S. Blaſii in Sylva Hercynia Cœnobio, de quo Scriptor vitæ B. Altmanni, Epiſcopi Patavienſis, ac Fundatoris Monaſterii Gottwicenſis teſtatur : *Hic honorem loci libris ampliavit.* In cujus exemplum etiam alios iviſſe Abbates nullum vertitur dubium. Sub *Michaële* autem *Herrlich* (i) Abbate anno 1580. in ipſo Almæ Trinitatis feſto ingens ab incendio damnum accepit, ſubinde tamen magnis reſtaurata impenſis, noſtro ævo quaſi ad faſtigium perducta eſt. Anno iterum 1718. inclytum hoc monaſterium funeſto incendio conflagravit ; Bibliotheca tamen cum Archivo ſingulari *Godefridi* (k) *Beſſelii* eo tempore Præſulis curâ & vigilantiâ erepta fuit. Potiſſima igitur ſi non auſpicia certè quidem augmenta ſummo huic Muſagetæ debet, qui magnam vim librariæ hujus ſupellectilis multo ſtudio, labore, ac induſtria, tum ex coemtis aliorum pluteis congeſſit, tum alinnde paſſim delectus novos conſcribi curavit, ut eam redderet quàm inſtructiſſimam. Nec infelici ſucceſſu : *Ambroſianam* enim, quæ mediolani eſt, omnes Italicas, ſi Vaticanam excipias, ſuperare ſcribunt ; ſed hac Gottwicenſi Bibliotheca, poſt *Auguſtam*, quæ Vindobonæ eſt, Auſtriæ inferioris præſtantiorem, præſertim ſi Muſæum præſtantiſſimum, & Nummophylacium egregium ſpectes, vel numeroſiorem vix invenias, quippe quæ majora indies capit incrementa.

incendio devaſtatur.

inſtauratur.

Ingens hiſtoricorum multitudo.

Hiſtoricorum illa, cumprimis verò *Hiſtoriæ ſacræ*, *Rerum Germanicarum*, & rei Nummariæ ſcriptorum tum copia, tum ſelectu facilè palmam cæteris omnibus præripit. Quorum ultra decem millia voluminum exercitus aſcendit. Interrogatus verò non ita pridem ab Illuſtriſſ. quodam Archipræſule, cui bono tot profani ſcriptores & hiſtorici in Monaſtica Bibliotheca ? reſpondi, doctiſſimo Abbati Gottwicenſi propoſitum eſſe bene de Terra Germanica, patriâ noſtrâ, mereri. Cujus hiſtoria à ſuis Religioſis illuſtrari poſſit, ab eo tantum Scriptorum Rerum Germanicarum apparatum magnis impenſis congeſtum fuiſſe. Quinimò Auguſtiſſimo Imperatori Carolo VI. fidem ſuam obſtrinxiſſe daturum ſe operam, ut ſtudium hoc hiſtoricum per quoſdam ex ſuis Religioſis continuetur. Cui reſponſo Celſiſſimus Archiepiſcopus facilè acquievit. Et verò incongruum foret, monachos de magno librorum apparatu gloriari, nihilque ex eorum poſſeſſione publico comodare. *Magnæ enim verecundiæ pondus eſt*, inquit Caſſiodorus, *habere*, *quod legas*, *& ignorare*, *quod doceas.* Utinam Reverendiſſimus Abbas in tanto, támque ſelecto *Rerum Germanicarum Scriptorum* apparatu *Apoſtolatum* v. g. *Benedictinorum in Germania*, vel *Bibliothecam Scriptorum Hiſtoriæ Germanicæ* à ſuis elaborari juberet. Illuſtre foret opus, utrumque tantâ dignum Bibliotheca, ſa-

cróque

(i) Vid. Chron. Gottvvic. apud R. P. Hier. Pez Script. Rer. Auſtr. Tom. 2. p. 285.
(k) *Ejus auctorum Synopſin vide Part. III. hujus Hiſt. Cap. IV.*

cróque Ordini non minùs honorificum.

Adeſt præterea SS. Patrum claſſis, Græcorum & Latinorum, plurimis, iiſq; ſelectiſſimis, præſertim Benedictinis è Congr. S. Mauri editionibus conſpicua, ut reliquarum, brevitatis ſtudio, forulos taceam. Nec minor eſt MSS. Codd. Latinorum apparatus, ad centenos aliquot aſſurgens, quorum membranacei Sec. XI. XII. & XIII. quàmplurimi adſunt. Unus autem antiquitate, nitore, & ſcripturæ elegantia omnium præſtantiſſimus Seculi IX. Codex, quem Abbas ipſe *Godefridus* deſcripſit, ejúſque ſpecimen exhibuit Gottwicenſis Chronici Tom. I. ſive Prodromo. Dignitate proximus ab illo Codex Auguſtini eſt, quo duæ S. Auguſtini *Gottwicenſes Epiſtolæ* olim ineditæ, imò pro deperditis prorſus habitæ, continentur; quippe quæ ſummô licet ſtudiô innumeris Bibliothecarum forulis & latebris undique ad ſuam præſtantiſſimam Opp. S. Auguſtini editionem excuſſis, à Patribus tamen Congr. S. Mauri nullibi erui vel inveniri poterant. Scilicet ſoli hæc Gottwico inventionis gloria ſervata fuit atque relicta. Eaſdem epiſtolas vidi in Mellicenſis Bibliothecæ mſ.to Codice, quarum notitiam V. C. Bernardus Pezius, celeberrimi Monaſterii Bibliothecarius non habere non potuit, ut qui omnium mſ.torum Codicum catalogum magna induſtriâ & accuratione jam diu ante confecerat; ſed quâ erat ſingulari humanitate, editionis gloriam Ampliſſimo Abbati *Beſſelio* ceſſit. Hic igitur ambas eâdem foliorum formâ, quâ Opp. S. Auguſtini San-Mauriana in lucem prodiit editio, ſuis ſumptibus an CIƆDCCXXXII. publicavit. Sed eâdem formâ Norimbergæ ſequenti ſtatim anno, quin & Lutetiæ Pariſiorum an. 1734. formâ regiâ hoc titulo recuſæ ſunt: *S. Auguſtini Epiſtolæ Gottwicenſes* --- cum notis Hiſtoricis ac Criticis - - ſtudio unius è Congr. S. Mauri Sodalium. Hic fuit *Jacobus, Martin* qui nunc ab obitu Mabillonii & Montfauconii in Congregatione S. Mauri eruditorum familiam ducit.

Manuſc. Codd. Latinorum magnus apparatus.

Ex alio Mſ.to Codice Sec. XII. Lit. A. num. 1. Membranac. in 4. apponere viſum eſt Variantes Lectiones circa Epiſtolam *Piligrimi* Epiſcopi Laureacenſis ad Benedictum Papam VII. cum reſponſoriâ, quæ Tomo I. Germaniæ Sacræ R. P. Marci Manſizii pag. 211. ſeq. occurrunt.

Variantes Lectiones.

Lectio typi Germ. Sac. Tom. I.	*Lectio Cod. Gottwic.*
Pag. 211.	
Pilgrimi Lauriacenſis Præſulis ad Benedictum Papam VII.	Epiſtola Piligrimi Epiſcopi.
Notum fieri dignetur vobis - -	Ordinis ac nominis cariſmate prærogato ſanctæ Romanæ ſedis Univerſali Benedicto Pontifici Piligrimus, ſanctæ Laureacenſis Eccleſiæ humilis ſervitor fidelitatem precum, devotúmque ſervitium.
	Notum fieri dignetur vobis.
quoniam ſolita - - - -	qui ſolita.
Ungarorum - - - - -	Ungrorum.
Canonicóſque presbyteros. - -	Canonicíſque presbyteris.
gratia fructum - - -	gratia ſuis inſtitutionibus fructum.
Inde quoque - - -	Unde quoque.
proprios VII. Antiſtites - -	proprios ſemper antiſtites.
ut mei pontificii parochias - -	ut tot pontificij parochias.
dictæ gentis converſioni - - -	dictæ gentis converſationi.
portitores ad veſtram. - - -	portitores literarum ad veſtram.
munus honoris ab hac ſede - -	munus honoris ex hac ſede.
Pag. 212.	
commiſſi populi gubernationem. -	commiſſam populi gubernationem.
quondam variæ - - -	quoniam variæ.
& origo ipſe eſt - - -	& origo eſt.
nec tamem illud - - -	nec tamen aliud.
generationem accepit. Filium quoque &c. usque ad Filius ergo.	generationem accepit. Filius ergo.

Lectio

Lectio typi.	*Lectio Codicis.*
Spiritum autem ſanctum - -	Spiritum enim ſanctum.
ſed ſimiliter Patris - - -	ſed ſimul Patris.
dico etiam Filium. - - -	dico eſſe Filium.
quippiam operata fuiſſe - -	quippiam operâſſe.
novo ordine aſſumpſit - - -	novo ordine nováque nativitate aſſumpſit.
inviſibilis in Divinitate - -	inviſibilis in Deitate.
de ſepulchro. Hoc ergò - - -	de ſepulchro reſurrexit. Hoc ergò.
Hoc ergò exemplum - - -	Hoc ergò exemplo.
qua nunc ſum - - - -	in qua nunc ſum.
cautus flagito - - - -	cautius flagito.
ſubnixè commendo. Dignam - -	ſubnixè commendatúmque perpetualiter fore inhianter deſidero. Dignam.

Benedicti Papæ VII. Epiſtola ad Gallos & Germanos.	*Epiſtola Benedicti VII.*
Pag. 213. Moguntinæ Eccleſiæ - -	Moguntiæ Eccleſiæ.
Adalgago - - - - -	Adaldago.
Domino Ottoni - - - -	*Domino noſtro Ottoni.*
Bawariorum - - - -	Baunariorum.
ſupplicationum petitionibus nos -	ſupplicantûm petitionibus non ſemper
ſemper faciles & *humiles* - -	faciles & *humanos* exhibere.
ſancta Romana Eccleſia - -	ſancta Romana matre Eccleſia.
duorum presbyterorum - -	duorum videlicet presbyterorum
habetur - - - - -	haberetur Eccleſia.
Invictiſſimus Auguſtinus *Pater Gratiæ* -	*Pater patriæ.*
anctoritativa vel auctorabiliora. - -	auctoritativa.
in hujusmodi conſtitutionibus - -	conſtitutione.
in - atqne Mæſiæ regiones - -	regionibus.
Anglorum Archiepiſcopis - -	Archiepiſcopo.
jam præceptis - - - -	in præceptis.
Pillgrimum - - -	Piligrimum.
Avariæ - - - -	Avariæ & Maraviæ.

Libri à primis inventæ typographiæ initiis.

Plures inſuper SS. Patrum Sec. XI. vel XII. adſunt Codd. egregii, quibus vel inedita quædam Opuſcula continentur, vel cum quibus editiones SS. Patrum optimas ac præſtantiſſimas adhuc conferri operæ ſanè foret pretium. Neque tamen prorſus inſigne illud artis typographicæ cimeliarchion, vel primitiarum typographicarum uberrimus apparatus ſilendus eſt, cùm numero non tantùm ac copia nobiliſſimas hujus generis, celeberrimi Schwarzii, Altorfenſis Profeſſoris, & Uffenbachii Francofurti ad Mœnum, aliorúmqoe collectiones longè ſuperet; verùm etiam ſummè rara quædam, & Manuſcriptis æquiparabilia primitiarum typographicarum cimelia complectatur. Latent hîc SS. Bibliorum theſauri, ínque his Moguntina prima, vel primæva editio, tum Latina illa circa annum 1453. tum vernacula anno 1467. unà cum aliis S. Bibliorum Seculo XV. Auguſtæ, Norimbergæ, alibíque excuſſis pluribus voll. quorum numerus ultra XL. voll. jam excrevit, quotidiéqne augetur. Taceo Decretaliom reliquorúmque Juris tum Civilis, tum Canonici fontium, itémque Gloſſatorum in utroſque uberrimam meſſem. Omitto Lactantium cum reliquis SS. Patrum & Hiſtoricorum primis vel his proximis editionibus Seculo XV. vel ſub initium XVI. impreſſis. Omitto Auctores, quos Claſſicos vocare ſolent, Ciceronem, Terentium, & rell. Verbulum. *Plinius* adeſt, Veneta illa, año CIƆCCCCLXVIII. ſine pari, ſive nitorem, chartæque ſplendorem ſpectes, ſive raritatem.

Longè plura de hac Bibliotheca dici poſſent.

At enim citiùs me tempus deficeret, quàm memorabilium in literaria ſupellectile tam multâ tantáqne dicendorum copia. Utinam cum orbe erudito divitias communicare ſuas (*non Bibliothecæ ſolùm, ſed Muſæi quoque in eo præſertim præſtantiſſimi, quòd rem Nummariam Germaniæ, tum medii, tum recentioris contineat*) dignetur tandem Gottwicum, binósque earum indices formare, *alterum* juxta

Alpha-

Alphabethi ſeriem, ſed eâ tamen fide, ſolertiâ, induſtriâ, curâ, ac ſollicitudine, quâ laborem iſtum olim doctiſſimus *Fontaninus* in Bibliothecæ Cardinalis *Joſephi Renati Imperialis* Catalogo exantlavit; *Alterum*, qui eosdem libros exhiberet, pro variis ſcientiis, ac diſciplinis, ad quas referri poſſunt, diſtinctos. Cui rei, vel Baſilicæ potiùs & huic palatio, ut dignus & idoneus aliquando occurrat Architectus, jure merito optandum.

Quia verò antehac Codices tum in membranis deſcripti, tum chartacei, atque adeò recentioris ævi non pauci diſſipati fuerunt, R.mus Abbas GODEFRIDUS Bullam Pontificiam, ut dicunt, appendi juſſit, quâ ſub anathemate libri inſcio & invito Abbate è Bibliotheca exportari prohibentur. *Ex ſymbolis Cl. V. P. Oliverii Legipont pridem ejus Bibliothecæ Præfecti.*

Melli-cenſis. MELLICENSE celeberrimi nominis Aſceterium, & totius Auſtriæ Inferioris Primarium A. D. 980. à Canonicis ſecularibus inhabitatum, annu autem 1089. ad Benedictinos translatum, à primordiis ſuis habuit Bibliothecam, cujus optimos quosque Codices atrox incendium anoo 1297. cum Monaſterio abſumpſit; nonnullos tamen Monachorum induſtriâ conſervatos, ſalvos, & incolumes fuiſſe conſtat, è quibus ſunt Chronicon Mellicenſe Seculo XII. perquàm eleganter ſcribi cœptum, & ſubinde continuatum. Regula S. P. Benedicti ſi non Seculo X. aut XI. certè XII. exarata; ultima duo folia Codicis occupat vetuſtiſſimus Catalogus Rom. Pontificum usque ad Stephanum VII. incluſivè, Bonifacii VI. ſucceſſorem. Quod veroſimili argumento eſt, hunc Catalogũ Seculo IX. fuiſſe confectum. Codex membranaceus Sec. X. ad cujus calcem habetur Fxhortatio S. Bonifacii Epiſcopi *de Abremuntiatione in baptiſmate* pretioſum ſacræ antiquitatis monumentum, quod Bernardus Pezius in publicam Incem protraxit, & Theſ. Anecd. Tomo V. part. 2. typis excudi curavit. Hiſtoria S. Viti, quæ variat vehementer ab editione Bollandi. Venerab. Bedæ plura Opuſcula mann Seculi IX. Codex memb. In quo ſunt S. Ambroſii libri quinque de excidio urbis Hieroſolymitanæ hac rubrica: *Incipit tractatus Sancti Ambroſii Epiſcopi de hiſtoria Joſephi captivi tranſlatus ab ipſo ex Græco in Latinum. Liber I. incipit. Explicit liber primus. Incipit ſecundus. Explicit liber ſecundus. Incipit tertius. Explicit liber III. Incipit quartus. Finit liber quartus. Incipit liber quintus Antiquitatum Joſephi. Explicit Hieruſalem liber quintus.* Ex quibus omnibus confirmatur doctorum Virornm opinio, qua exiſtimant Opus hoc Egeſippo cuidam attributum, Ambroſio interpreti laxiori, & Joſepho deberi. Manus hujus Codicis eſt Seculi XII. minimùm. Ciceronis ad Herrenium Libri IV. Manus Seculi circ. XI. Miſſale Sec. circ. XII. Legendarium, ſeu multorum Sanctorum vitæ, inter quas quædam egregiæ & ineditæ ſunt, ut S. Eberhardi, auctore Paulo Monacho Fuldenſi. Catalogus Rom. Pontificum à S. Petro usque ad Greg. X. Catalogus Rom. Impp. à Julio Cæſare usque ad Fridericum II. Scriptum, quot & qui ſint Epiſcopatus per univerſum orbem. Vitruvius de Architectura libri X. man. circ. Sec. XIII. Palladii Rutilii de Agricultura libri XIII. Auguſtini duæ Epiſtolæ. 1. Ad Optatum *de Natura & Origine Animæ.* 2. Ad Petrum & Abraham *de Pœnis parvulorum, qui ſine baptiſmo decedunt.* Has Epiſtolas vulgare potuiſſet Bernardus Pezius, Bibliothecarius Mellicenſis, ſed editionis gloriam ceſſit Godefrido Beſelio, Abbati Gottwicenſi, in cnjus etiam Bibliotheca aſſervantur. Commentarii plures in Boëtii Opera. Hildemari inſignis Commentarius in Regulam S. Benedicti. Capite 38. exſtat integra Epiſtola *Hildemari magiſtri ad Urſum prædeſtinatum atque electum Epiſcopum Beneventanæ Eccleſiæ de ratione legendi.* Gilibertus de morbis & eorum remedüs libri VII. notatu digniſſimus Codex membr. elegantiſſimè ſcriptus.

Codices Seculo XIV. ſcripti, aliquot centeni in Bibliotheca numerantur, ex quibus ſelectos noñullos commemorare juvat. Ftiderici III. Pulchri Imp. Rom. Epiſtola ad Rom. Eccl. Cardinales, quâ ad eligendum mortuo Clemente V. Romanum Pontificem eos hortatur. *Datum Wiennæ* 1316. Cod. membr. in 4.to Rudolphi Habſp. Reg. Rom. eum inter & Otokarum Regem Bohemiæ ſententia arbitraria *de pace, concordia, nuptiis filiarum* &c. Lata à Bertoldo Herbipol. Brunone Olomucenſi Epp. Ludovico Comite Palatino Rheni, & Marchione Brandeburg. Indorum Patriarchæ ad Calixtum II. P. R. Relatio de Eccleſia S. Thomæ, Statu Chriſtianorum

P. Ziegelbauer Hiſt. P. I.

in India, & corpore, ac Feſtivitate S. Thomæ. Lectu & editu digniſſima eſt. Fr. Odorici Deſcriptio partium Orientis. Hiſtoria brevis de origine Carthuſianorum, continens ſabulam Doctoris Pariſienſis redivivi. Anonymi Benedictini liber *de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſeu Viris illuſtribus*, à P. Bernardo Pezio in Bibliotheca Mauriana primùm in lucem editus & notulis Chronologico-criticis illuſtratus. Tractatus inſignis *de Computo Eccleſiaſtico.* Inc. *Computus eſt ſcientia conſiderans tempora diſtincta ex motibus ſolis, lunæ &c.* Eſt Johannis à Sacro Buſto. Petri Boerii Gloſſa, ſen Cōmentarius in Reg. S. Benedicti, Acephalus & hic elegantiſſimè ſcriptus & pictus eſt Codex membr. Clementis VI. P. Bulla de ſuſpenſione pœnarum Benedictinarum. Juſtiniani Imp. Codicis lib. 9. cum admodùm antiquis Gloſſis. Hippocratis Aphoriſmi cum Anonymi Cōmentario perpetuo. Marci Poëtæ *de Virtutibus Herbarum.* S. Benedicti Regula cum variantibus lectionibus. Quatuor Evangelia cum verſione Germanica. Ven. Bedæ *Interpretatio nominum Hebraicorum.* Multùm differt ab editis. Stephani Pariſienſis Commentarius in Regulam S. Bened. Maximiani Poëtæ ſeptem Elegiæ de moleſtia ſenectutis. Inc:

Æmula quid ceſſas finem properare ſenectus
Cur & in hoc feſſo corpore tarda venis?

Liber dictus *Facetus* carmine elegiaco. Inc:

Moribus & vita quisquis vult eſſe facetus
Me legat, & diſcat, quod mea, Muſa docet.

Liber quinque clavium, carmine elegiaco. Docet quinque modos in literis proficiendi. Theobaldi Epiſcopi Phyſiologus, ſeu liber loquens de naturis XII. animalium, & quid ſub iis myſticis in ſcripturis ſignificetur. Metro hexametro. Inc:

Tres leo naturas, & tres habet inde figuras &c.

Waltheri Æſopus, ſeu fabulæ morales verſu elegiaco. Opus hoc quingentis plus minus conſtat Diſtichis: & Gemnici habetur in 4to. Theoduli Ecloga cum Commentario. Hoc incipit: *in principio Operis ſunt exquirenda extrinſecus &c.* éſtque Commentarius hic alius ab eo, quem habemus vulgatum Coloniæ à Quentilio an. 1495. in 4.

Codices Seculo xv. ſcripti adſunt copioſiſſimi. Quemadmodùm enim illo Secolo diſciplina Monaſtica Mellicii ſub Nicolao de Mazen Abbate, anno 1418. reſtaurata, ita & literatura refloreſcere cœpit. Sanè iis temporibus tribuendum eſt, quòd Bibliotheca Mellicenſis multitudine manuſcriptorum librorum paucis Germaniæ monaſteriis vivat. Aliquorum ex plurimis Sec. xv. Codicum meminiſſe juvat. Æneæ Sylvii Epiſtola ampla de actis per certos annos in Concil. (Baſil.) per modum epilogi. Inc: *Æneas Petro ſuo ſal.* Scio me tacitus increpans &c. Data *Baſileæ* 1437. 7. *Kal. Julii.* Ejuſdem nomine Imperatoriæ Majeſtatis, Friderici III. Reſponſio data Hungaris, urgentibus auxilium contra Turcas. Habita eſt hæc Oratio in nova Civitate 23. April. anno 1455. Ejuſdem ad Nicolaum V. P. M. Epiſtola de Bello Hungarorum cum Turcis, & clade Hunniadis ab His in Bulgaria accepta. *Ex nova Civitate Auſtriæ* 1448. *VII. Cal. Decemb.* Bartholomæi Epiſcopi Novarenſis Epiſtola ampla ad Albertum Auſtriæ Ducem & Regem Hung. in qua eidem perſuadere conatur, ut electioni ſuæ in Regem Romanorum conſentiat. Inc: *Quid eſt Rex Sereniſſime, quòd imperium renuis &c.* Bonlavillierii Epiſtola ampla ad Johannem Angelomariam Ducem Mediolanenſem de rebus in Francia geſtis Johañæ Puellæ Andegav. Francorum liberatricis. Inc: *Illuſtriſſimo & magnifico Principi & D. D. Johanni Angelomariæ Duci Mediol. &c.* datum xx. Junii 1439. Subſcriptio: *veſter humillimus ſervitor Paranalio Dominus de Bonlavillier Conſiliarius, & Camerarius Regis Francorum & Domini Ducis Bituricenſis Seneſcalnus.* In fine hæc notat Weylhemius Scriba: *ſciendum eſt, quòd prædicta puella Johanna tandem per gentem Anglicorum capta eſt, & faſſa eſt, ſe habere familiarem Dei Angelum, qui judicio literatiſſimorum virorum judicatus eſt, eſſe malignus ſpiritus; per quem ſpiritum velut Magam effectam ipſam ignibus per publicam juſtitiam conſumi permiſerunt, ut ſcribit Mag. Johannes Nider in quinto libro ſui Formicarii cap.* 8. Bernardi de Kreyburg Cancellarii Salzburgenſis. Planctus Civitatis Conſtantinopolitanæ per Turcas captæ, ſeu Epiſtola ampla de illius excidio &c. Burckardi de Monte Syon Deſcriptio Terræ Sanctæ. Caroli IV. Imp. diverſæ ad diverſos Epiſtolæ & reſcripta, à quibus

tamen

tamen notæ chronicæ abſunt. Caphenſis Epiſcopi N. Oratio nomine Patriarchæ & Imperatoris Græcorum coram Imp. Friderico V. habita de clade Conſtantinopoli captæ à Turcis illata. Friderici V. Imp. ad Johannem Hunniad. epiſtola, ne Udalrico Eyzinger, reliquíſque Auſtriæ rebellibus, ut vocat, auxilium præbeat. Data 1452. Henrici Lur Tractatus Epiſtolaris de Gymnaſio & Studio Generali in Germanicis Ordinis Benedictini Monaſteriis erigendo. Hungarorum Epiſtolæ duæ ad ſingulares quaſque perſonas, quas monent de ſuo fideli in Ladislaum Regem, & Ducem Auſtriæ animo, hortantúrque, ne Friderico Imp. adhæreant. Hungarici & Auſtriaci Oratoris oratio ad Papam contra Fridericum V. Imp. pro ereptione Domini Ladislai Regis de tutela ipſius. Johannis de Caſtilio Epiſcopi Papienſis & Ap. Sed. Legati oratio ad Ladislaum Regem Bohem. & Hung. exhortatoria ad bellum in Turcas. Johannis Waradienſis Epiſcopi Epiſtola, qua reſpondet ad Johannis de Caſtilio Ep. Papienſis orationem ſupra relatam, & nomine Ladislai operam omnem adversùs Turcas Pontifici addicit. Johannis de Laſtito vel Caſtito Epiſtola de expugnatione Conſtantinopolis per Turcas, & adventu Equitum Hieroſolymitanorum ad defenſionem Rhodi. Johannis de Huniad Epiſtola ad Ladislaum Reg. Hung. de obſidione Caſtri Nandoralbenſis à Turcis facta. Data in Nandoralba Sabbato proximo ante feſt. B. Jacobi Ap. anno 1456. Ejusdem Salvus Conductus datus Ambaſiatoribus Hungariæ & Auſtriæ, anno 1452. ad Rom. Pontificem, Ladislaum Regem ex poteſtate Friderici vindicaturis datus, cum memoriali eorum, quæ Pontifici in hac cauſa proponant. Inc: *Univerſis & ſingulis Principibus* &c. Subjungitur Oratio Ambaſiatorum Regni Hungariæ & Ducatûs Auſtriæ & Comitum Ciliæ ad Pontificem Rom. Contra Fridericum Regem Rom. Inc: *mandatum pridem ſuſcepti laboris &c.* Ladislai Reg. Hung. & Bohemiæ nomine dicto oratio ab eodem Oratore ad Papam Nicolaum V. Romæ de Clade Conſtantinopolitanæ Urbis captæ, & illius ad auxilium Chriſtianis ferendum promptitudine. Ejusdem ad eundem Papam Epiſtola ejusdem argumenti. data Pragæ 1451. Ejusdem ad Hungaricos Ep. de pace Regni Bohemiæ quotidie creſcente. Ejusdem ampla Epiſtola ad Gubernatorem Hung. (Hunniadem puto) de beneficiis ampliter in eum collatis, & ſuppreſſione Johannis Guskræ, ac Nanckenreütter rebellium Hungariæ. Matthiæ cujusdam Hiſtoria perſecutionis Cleri ab Alberto Marchione in tractu Culmbacenſi circa Sec. xv. excitatæ. Titulus: *Paſſio Dominorum Sacerdotum ſub Domino Marchione ſecundùm Mathiam. In illo tempore dixit Princeps Conſulibus & Miniſtris ſuis: ſcitis, quia poſt biduum Steura fiet, & Clerus tradetur &c.* Tota hiſtoria pertexta eſt ſtylo Evangeliſtarum in deſcribenda Paſſione Domini. In Valerium Maximum Commentarius peramplus ab edito diverſus. Hiſtoria de rebus, quæ in Bohemia contigerunt, Ladislao, Alberti Reg. Rom. & Filio regnum adeunte. Inc: *quoad facta Regni Bohemiæ, poſtquàm de Hungaria huc redii.* Manu coæva à fol. 26?. usque ad 271. Huic narrationi inſerta eſt Bulla ejusdem Bonifacii, qua Monaſterio Zderaſienſi Pragæ conceditur in vigilia Paſchæ cantari Miſſa in occaſu ſolis. Inc: *Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat*, &c. Huic Miſſæ Ladislaus dicitur tum interfuiſſe. Deſcriptio Principum, Ducum, Comitum, & Baronum, qui cum Friderico III. Rom. Imp. electioni Maximiliani Archid. Auſtriæ in Regem Romanorum in Comitiis Generalibus an. 1486. die S. Sebaſtiani interfuerunt. Annexi ſunt ritus, & ceremoniæ, quæ in coronatione Maximiliani mandante Friderico ſervatæ fuerunt. Epiſtola de Civitate Pragenſi continens Lamentationes de actis & factis quondam ab hæreticis (Huſſitis) ibidem commiſſis. Inc: *Verbum mihi ad te, ne moleſtè feras! ô Civitas* &c. Eſt longiſſima, ſed benè notanda; è qua revincitur Carol. Ludov. Beauſobrius Calviniani verbi Miniſter Berolinenſis, de quo egimus in Bibliotheca Bohemica. Libellus de Imitatione Chriſti. Hunc noſtri Patres in Gallia judicârunt eſſe Codicem anni 1421. idque ex folio 280. Ambo autem hi Codices, (nam duo mſ.ti habentur) anno 1667. PP. Gallicanis Benedictinis in cauſa Libelli de Imitatione Chriſti Joannis Gerſen Pariſios miſſi, anno 1687. reſtituti ſunt. Carolina, id eſt Syntagma amplum formularum, Privilegiorum Imperialium, Orationum, Procuratoriorum, & hujusmodi, quæ ſub Carolo IV. Sigismundo Imp. Wen-

ceslao &c. factæ ſunt. Codex dignus excuſſione.

Sub initium decimi ſexti Seculi Joannes eo nomine V. Mellicenſis Abbas Bibliothecæ erigendæ primas quodammodò manus admovit, cui Sigismundus ejus in regimine ſucceſſor faſtigium impoſuit. Ab hoc cùm Beroaldus Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus libros ſelectos petiiſſet; ut eos in Pontificiam inferret, reſpondit, *ſuæ non eſſe poteſtatis ſine ſcitu Principis alienare libros.* Quo audito Beroaldus Mellicio indignans receſſit. At Sigismundus non contentus, ut Bibliothecam cumularet libris, ſed inſuper eximium virum ejus Præfectum eſſe voluit; iſque fuit Stephanus Burkardus, qui exactum Regiſtrum, ſeu Catalogum librorum pulcherrimè conſcripſit.

Cæterùm Bibliotheca in eo ſitu, quo à Joanne Præſule 1503. erigi cœpta eſt, per centum continuos annos ſtetit; quoadusque tandem Valentinus Abbas eandem nimis jam anguſtam & coarctatam in ampliorem locum transferendam curavit. Neque præterea hic Prælatus impenſis ad comparandos præſtantes libros pepercit. Teſtatur id tot omnium diſciplinarum ingenii monumentorum ab eo congeſtorum Catalogus. Hunc Catalogum duobus Voluminibus comprehenſum juſſu ſui Abbatis P. Sigismundus Haringshauſer, tunc temporis Bibliothecæ Præfectus an. 1667. perfecit, poſtea verò Edmundo Abbati multò copioſiorem anno 1678. reddidit. Summa impreſſorum in ſuas claſſes diſtributorum erat 4575.

Verùm enimverò hic numerus, ſi cum iſto, ad quem noſtro præſertim Seculo Bibliotheca Mellicenſis accreverat, comparetur, ter tanto ampliùs ab eo ſuperatur. Quemadmodùm enim, ex quo Bertholdus Mellicio Abbas præſedit (præſedit autem an. 1700. usque 1739.) ſtudiorum literarúmque ratio, ita Bibliothecæ non minùs conditio mirum quantum amplificata eſt. Hoc quippe Præſule Parnaſcus Mellicenſis quà virorum omni liberali doctrina atque eruditione politiſſimorum, quà Bibliothecæ magnificentia talem faciem induit, qualem antea habuerat nunquam. Poſtquàm is totum Monaſterium, Baſilicámque Deo Eccleſiam è ſolo excitavit. Muſis inſuper tam ſplendidum ſacrarium non ad uſum tantùm librorum, ſed ad jucundiſſimam etiam oblectationem aſpectûs (nihil enim eorum prætermiſſum eſt, quæ aſpicientium oculos opere, artificióque tenerent) parare atque exſtruere cœpit, idque quàm plurimis ſelectis libris refertum curâ P. Bernardi Pezii eidem curando præfecti anno 1735. ad id faſtigium perduxit, ut poſt Cæſaream Vindobonenſem Bibliothecam in Auſtria inter celebriora habeatur.

In tantâ autem librorum multitudine, ne qua eſſet confuſio, conſtituendus fuit ordo. Quapropter Bibliotheca in undecim ordines generales diviſa eſt, ſuis ſingulos ſcutis deſuper diſtinctos. In primo ordine SS. *Biblia*, ad quæ etiam referuntur Polyglotta. In ſecundo *SS. Patres*, iique Scriptores, quotquot nomine Patrum cenſentur, ant Græcè aut Latinè, aut Syriacè ſcripſerunt. In tertio *Interpretes S. Scripturæ.* In quarto *Theologia.* Theologiæ autem nomen cùm ampliſſimam habeat ſignificationem, comprehendit doctrinam omnem divinam, dogmaticam, polemicam, moralem. In quinto *jus Canonicum.* In ſexto *Jus Civile.* In ſeptimo *Philoſophia*, *Matheſis*, *Medicina.* In octavo *Hiſtoria Sacra.* In nono Hiſtoria *ſacra & profana.* In decimo *Hiſtoria profana.* In undecimo *Philologia*, ad quam referuntur omnes Auctores Claſſici, Poëtæ, Geographi, Lexica & ejusmodi. Intra librorum ſcrinia quatuor ſunt parva conclavia ad ſtudendum accomodiſſima.

Bibliotheca minor, quam vocant Mellicenſes, majori contigua eſt, quæque ultra 1500. Codices manu exaratos ſuppeditat, eáque propter non illa major, tot picturis artificioſiſſimè ad fallendum oculum elaboratis, tot impreſſis ac ſplendidè compactis libris dulciſſimo ſpectaculo paſcens eruditorum intuentium oculos, animósqua, non, inquam, illa major tam illis cordi eſt, quàm hæc, quæ meros continet manuſcriptos. Hi quantumvis non inaurati, magna etiam ex parte ſemeſi, cum carioſa & damnoſa vetuſtate luctantur, magis tamen ipſos in admirationem abripiunt.

De Globis, Cœleſti & Terreſtri, auctore *Vincentio Cornelli*, Minorita Italo, déque Nummis, eorúmque diſpoſitione vide Hiſtoriam Bibliothecæ Mellicenſis, ex quâ hanc ejus notitiam nos mutuatos eſſe, non diffitemur.

Biblio-

Scotenſis Viennæ celebritas.

Bibliotheca SCOTENSIS Monaſterii Viennæ in Auſtria celeberrimi librorum quà typis impreſſorum, quâ manuſcriptorum copia ac delectu nulli alii poſt Cæſaream olim quondam in tota Provincia cedebat. Et verò ex iſthoc literarum ſacrario multæ opes literariæ, auro gemmiſque longè pretioſiores, in publicum emolumentum depromptæ fuerunt. Sic illuſtris Baro Sebaſtianus de Rotenhan ex Bibliotheca Scotenſi Rheginonis Prumienſis Chronicorum libros II. primus typis vulgavit. Sic Vir Cl. *Joannes Cuſpinianus* ex eadem Bibliotheca Odonis Friſingenſis Chronicon, ſive rerum ab origine Mundi ad ipſius uſque tempora geſtarum libros VIII. primus prœlo ſubiecit. Verùm in celeberrimam hanc Bibliothecam non ſemel Vulcanus ferociter graſſatus eſt. Cùm anno 1480. Monaſterium vix non totum flammis abſumptum fuiſſet, magnam etiam librorum jacturam Bibliotheca perpeſſa eſt. Anno 1529. cùm Vienna à Solymanno, Turcarum Tyranno, obſidione premeretur, intra muros cœnobium expugnatum fuit. Miles enim præſidiarios in monaſterium irrumpens loco hoſtis omnia ſusque deque evertit. Præprimis Bibliotheca raris cùm calamo exaratis libris ditiſſima expilata fuit. In ultima Turcarum obſidione anno 1683. in cineres vix non iterum cum toto monaſterio redacta fuit. Magna tamen MSſtorum Codicum vis, quæ flammis erepta eſt, in Cæſarem Bibliothecam illata eſſe dicitur, ubi hodiedum adſervantur. Superſunt quidem alii adhuc ſat multi, ſed plerique Seculo XV. ſcripti fuerunt. Ex quibus aliqui ſunt Vener. ENGELBERTI Abbatis Admontenſis in Styria, quos *Bernardus Pezius* in noviſſimo Anecdotorum Theſauro in lucem publicam dedit. Utut verò Bibliotheca MSſtorum Codicum magnam fecerit jacturam, poſſidet tamen hodie Scriptores typis excuſos, & eruditione præcipuos, & elegantiâ non contemnendos. Quòd ſi ejus ſacrarium ingrediaris, videbis armaria omnia congeſtis & coarctatis voluminibus referta, ita ut libri non ſolis implendis, ſed foruli capeſcendis libris jam deſint. Adeo R.mus Abbas CAROLUS, cujus fata Muſæ deplorant, nullis pepercerit ſumptibus, quo Bibliothecam indies ſtudio nunquam ſatis prædicando adaugeret, ipſe ob eam, quâ præditus erat, inſignem doctrinam ac eruditionem *animata Bibliotheca* jure nuncupatus. Cæterùm illuſtris hujus Bibliothecæ Præfectum viginti abhinc, & quod excurrit, annis egit Vir clariſſimus P. *Maurus Weimer* Philoſophiæ Profeſſor emeritus, poſtea verò in Eccleſia Scotenſi primarius Eccleſiaſtes, ac verbi divini Præco diſertiſſimus, cujus ſingulari ac innatæ humanitati in acceptis referre multa debemus.

Ex ea illuſtres Scriptores eduntur.

Ejus ab incendiis damna.

Carolus Abbas rei literariæ ſummus cultor.

Monſerratenſis.

MONSERRATENSIS prope Viennam Bibliotheca etſi recentioribus iiſque ſelectis libris abundet, paucos tamen manuſcriptos oſtentat.

Lambacenſis.

LAMBACENSIS *Monaſterii* Bibliothecam ceu optimis omnium generum libris ditatam deprædicant PEZII (1) Codices MSS. in ea ad quadringentos hodie ſuperant, inter quos *Veteres Fructuarienſis Monaſterii*; OTLOHI Seculo XI. Monachi Emmeramenſis *de Miſericordiæ ac juſtitiæ divinæ cum libertate hominis & prædeſtinatione concordia dialogus*; Cujuſdam H. libellus *de Salisburgenſis Eccleſiæ ſub* Friderico I. Imp. *calamitatibus*; & vetus *chronicon Lambacenſe*, notatu digniores cenſentur.

Reliquæ in Auſtria Bibliothecæ.

De *Garſtenſi* prope Stiram, *Seitenſtettenſi*, *Gluniacenſi*, & reliquis in Auſtria Bibliothecis pauca admodùm commemorant *Pezii*. In *Mariæcellenſi* centum præter propter Codices manuſcriptos ſe recenſuiſſe perhibent. De *Altenburgenſi* referunt Codices MSS. dùm ſæviente Suecica procella Cremiſiam ceu ad tutiorem portum deveherentur, in via interceptos hoſtibus prædæ ceſſiſſe, paucis relictis levioris momenti. De *S. Lamberti* & *Admontenſis* in Styria, *Oſſianenſis*, *Arnoldſteinenſis*, & *S. Pauli* in Carinthia, ac etiam *de S. Georgii ad pedem montis* vulgo *Jörberg*, *Mariæ-Montenſis*, & *Merani* in Tyroli monaſteriorum Bibliothecis curatiùs agere, ac ſingularia cujusque in tabulas referre animo quidem nobis conſtitutum inſidebat, ſed deficientibus ſymbolis, nihil memorabile, quod Lectoribus avidis propinemus, nobis ſuppetit.

Rayrhadenſis in Moravia.

Auſtriæ contermina eſt Moravia, in qua unicum ſuperat Ordinis noſtri cœnobium RAYRHADENSE prope Brunam, quod anno 1045. à *Brzetiſlao* Bohemorum Duce & Marchione Moraviæ fundatum legitur. In eo adſervantur non pauci nec ſpernendi

(1) Pez. Diſſert. Iſag. ad Tom. I. Theſ. Anecdot. Tom. I. p. III. n. VI.

nendi Codices MSS. è quibus cum primis notatu dignum occurrit vetus quoddam *Martyrologium* in membranis anno 809. conſcriptum. Initio comparet *libellus de Feſtivitatibus Ss. Apoſtolorum, & reliquorum, qui diſcipuli; aut vicini, ſucceſſoréſque ipſorum Apoſtolorum fuerunt.* Poſt enumeratas Feſtivitates Calendarium

De martyrologiis vide Rollandi Præf. ad Acta. SS. Tom. I. p. 49. & ſeqq.

incipit à vigilia Nativitatis Chriſti. Ad calcem ſubjungitur brevis chronotaxis Imperatorum Rom. hac ſerie: *A Nativitate D. N. J.C. usque ad Tyberium numerantur anni XIIII. à Tyberio usque ad paſſionem Chriſti ſunt anni XVII.* .. In fine: *Inde Domnus* CARLUS *ſolus regnum ſuſcepit, & D.no protegente gubernat usque in præſentem annum feliciter, qui eſt annus regni ejus XLII. Imperii autem VIIII. ſunt autem totius ſummæ ab origine Mundi usque in præſentem annum* $\overline{IIII}$*DCCLXI.* .. Ex quibus Codicis ætas certiſſima eſt. *Alter Codex* venerandæ quoque caniciei compendio exhibet *Vitas Patrum Græcorum* juſſu MARTINI *presbyteri & Abbatis* à *Paſchaſio*, ut creditur, *Dumienſi* in latinum ſermonem translatas. *Tertius Codex* complectitur Statuta Synodalia *Arneſti* ſeu *Erneſti* Pragenſis Archiepiſcopi circa A. 1346. publicata, quæ in Conciliorum collectionibus deſiderantur. Reliqui Codices continent Commentarios in S. Scripturam, varios tractatus ex SS. Patribus depromptos, aliaque Aſcetica, Myſtica, Liturgica, Dogmatica, quæ explicatiùs recenſere non vacat. *Ex Symbolis P. Oliverii.*

§. VII.
De Bibliothecis Bavariæ.

QUæ in Bojoariæ monaſteriis ſuperant Bibliothecæ, eo manuſcriptorum Codicum apparatu ſuperbire dicuntur, ut plerisque Viris doctis ad illas perluſtrandas orexin cierint. Tentârunt id non infeliciter *Pezii* fratres *Bernardus* & *Hieronymus* Mellicenſes in Auſtria Cœnobitæ, Viri in hac tritura verſatiſſimi, qui inſtituto an. 1717. per Bojoariam, vicinasque Provincias itinere literario, forulos omnes & Scrinia eâ curâ ſcrutati ſunt, ut quidquid notatu ipſis dignum occurrit, ſtudioſè in tabulas retulerint. Monaſteria verò

Bavariæ cœnobia.

exemptæ Congregationis Benedicto-Bavaricæ ſub titulo *SS. Angelorum Cuſtodum* ùnita numerantur novemdecim, *principale* nimirùm *ad S. Emmeramum* Ratisbonæ, *Priflingenſe* eidem Urbi vicinum, *Tegurinum*, ſeu *Tegernſeenſe*, *Benedicto-Buranum*, *Weſſofontanum*, *Weichenſtephanenſe*, *Weltenburgenſe*, *Schyrenſe*, *Rottenſe* ad ænum, *Andecenſe*, *Attilenſe*, *Frauencellenſe* ſeu *Cellæ Dominæ* in pede Caſtrorum Prenberg, *Oberaltachenſe*, *Reichenbacenſe*, *Mallerſtorffenſe*, *Thierbauphenſe*, *Ensdorffienſe*, *Alba Augia Nariſcorum* ſeu *Weiſſenavienſe*, *Michaëlis Campus* vulgò *Michelfeldenſe*. Quibus ab unione ſegreges accenſentur *Scotigenæ ad S. Jacobum* Ratisbonæ, *Blankenſtettenſes*, *Nideraltachenſes*, *Mettenſes*, *Donawerthenſes S. Crucis*, *Ettalenſes*, *S. Viticis Rotham*, *Aſpacenſes*, *Varnbacenſes*, *Seonenſes Michaëlburani*, *Salisburgenſes S. Petri, &c.* In his verò vel unius Provinciæ Cœnobiis extantia rei literariæ Cimelia pro merito recenſere, quis ſufficiat? Dabimus tamen in compendio, notitiam.

Bibliotheca S. Emmerami.

S. EMMERAMI Reginoburgi Monaſterium ſoli Romanæ Sedi ac Sacro Romano Imperio ſubjectum, octavi Seculi eſt, ſemperque doctiſſimorum Virorum Seminarium fuit. Ei adjuncta eſt ampla *S. Ruperti Parochia*, quam juris Emmeramenſis eſſe liquidiſſimum reddent authentica hac de re Pontificum Romanorum Diplomata. *Nec exiſtimamus*, inquit Pezius, *ullum in Germania eſſe Monaſterium, in quo tot tamque illuſtria veterum Germaniæ Regum, Ducum, Epiſcoporum, aliorúmque clarorum hominum monumenta extent.* De Bibliothecæ Codicibus tantummodo hîc agendum nobis eſt, quos millenarium excedere perhibent. Eos verò *Mabillonius*, vir ſi quis alius in his peritiſſimus, tanti fecit, ut Regis Galliarum *Ludovici XIV.* nomine pro ſingulis Codicibus ſingula volumina typis excuſa, quanticunque pretii forent Sant-Emeramenſibus promiſerit, ſiquidem illos Bibliothecæ Regiæ cederent. Sed Attalicam hanc conditionem prudenter illi abnuerunt, rati ſuorum Majorum labores quibuscunque opibus & elegantiis præſtare. Indicem porrò nobiliſſimæ hujus & antiquiſſimæ Bibliothecæ ipſe hodiernus Celſiſſ. & R.mus Princeps Abbas JOANNES BAPTISTA conſcribendum, atque in lucem publicam edendum non ſine magno ſuſcepit labore, ut inde provenientes fructus Religioſorum ſuorum deſideriis, commodis

Digitized by Google

modis, atque utilitati eſſent proprii. ejus Catalogus. Catalogus typis Ratisbonenſis exſcriptus hoc titulo eſt:

Bibliotheca Principalis Eccleſiæ & Monaſterii Ord. S. B. ad S. Emmeramum Epiſ. & Martyr. Ratisbonæ Partes IV. in 8. Typis Jo. Bapt. Lang Aulici & Epiſcopalis Typographi 1748.

Singulis Partibus præmiſſa eſt Præfatio, quâ Celſiſſ. Princeps ſuos affatur Religioſos, quorum axioma eſt: *Nullam vigere in Monaſteriis diſciplinam, ubi ſtudia non vigent.* [*Studia Monachis neceſſaria, & ſtatui eorum convenientia.*] Non igitur tam ſtimulos & calcaria ſtrenuè currentibus addit, quàm frœno quaſi cohibet, ne extra orbitam ferantur, atque ad Studia, curioſa, vana, & inutilia, quæ Aſcetas neutiquam decent, ſe abripi patiantur. *Fructus*, inquit, *& utilitas ſcientiæ noſtræ in modo ſciendi conſiſtit: modus autem ſciendi tria juxtà Bernardum includit.* „Ut ſciamus, *quo ordine*, „*quo ſtudio*, *quo fine* aliquid noſſe o„porteat. *Ordine* ſcilicet, ut id priùs „ſciamus, quod maturiùs ad ſalutem: „*ſtudio*, ut ardentius id noſſe labo„remus, quod vehementiùs ad amo„rem: *fine*: ut non ad vanam glo„riam aut curioſitatem, ſed tantùm „ad noſtram vel proximi ædificatio„nem ſcire appetamus.

Dignæ ſanè quatuor Præfationes, quæ ab omnibus etiam doctiſſimis Religioſis, qui fructum ex literarum ſtudiis percipere volunt, non curſim legantur, ſed altè memoriæ imprimantur.

Ex Parte II. quæ Libros potiſſimùm MSſtos complectitur, quosdam in Lectoris gratiam enumerare juvat, quibus etiam aliquando breves Notas & Obſervationes adjicere viſum eſt.

1. Codex SS. Evangeliorum, aureis ſcriptus characteribus, & gemmis ornatus pretioſis, ab Imperatore *Arnulpho* dono datus, de quo legendus eſt Arnoldus, vir nobiliſſimus juxtà & graviſſimus in libro de Miraculis S. Emmerami cap. 5.
2. Biblia Hebraica absque punctis. membr. Codex antiquus.
3. Biblia ſacra compluraSec. XIII. & XIV.
4. Paterii in Cantica Canticor. & alios libros veteris & novi Teſtamenti pars 2. Sec. 12. Alulfus Monachus S. Martini Tornacenſis exeunte Sec XI. in ſuo Gregoriali conqueritur, ſe præter Paterii principium ſuper Geneſim, reliquos ejus libros è nulla eruere Bibliotheca potuiſſe. Conferri igitur meretur Codex cum expoſitione, quæ extat Tom. IV. novæ edit. Opp. S. Greg. M.
5. *Albini*, ſeu *Alcuini* Opera multa, quæ pro nova ejus Operum editione, dudum à viris eruditis exoptata ſervire poſſunt, cumprimis verò Commentarius in Matthæum de quo altum ſilent Bibliographi. *Novam porrò Operum Alcuini editionem Tom. II. jam prelo paratum habet doctiſſ. Vir* Ildephonsus Cathelinot *Congr. S. Vitoni Monachus*, de quo Calmet in Bibl. Lotharing. pag. 247.
6. Magiſtri *Matthæi* de Ratione & Conſcientia in ſumptione Corporis Chriſti. Iſte *Matthæus* natione fuit Pomeranus, cognomine *de Cracovia*, ſive arce Chrocove, Praga cum aliis Germanis à Bohemis Huſſiaſſeclis pulſus. Progreſſu temporis Wormatienſis factus Epiſcopus ſcripſit de *Conflictu rationis & conſcientiæ, de ſumendo vel abſtinendo corpore Chriſti*, ſive, ut in editione Memingenſi an 1491. inſcribitur *Tractatus de eo, utrum deceat Sacerdotes continuare Miſſas, vel Laicos frequenter communicare?* Vid. Schañat de Epiſcop. Wormat. item Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 12. pag. 144.
7. *Joannis Rode* Carthuſiani propè Pragam 1474. Viridarium Clericorum.
8. Liber *Conſentii* de Mendacio membran. Sec. 10. in fine mutilus. Quis iſte ſit *Conſentius*, haud facilè divinavero, niſi forſan is ſit, ad quem *Sidonii* libri VIII. Epiſtola 4.
9. S. Leonis Epiſtolæ Sec. IX.
10. Sulpitii Severi Epiſtola ad ſocrum ſuam Baſſulam de S. Martino membran. Sec. 8.
11. Origenis Opera plura, & quidem ſuper Geneſin & Exodum Sec 8. memb.
12. Eucherii quæſtiones in libr. Reg. Sec. 9.
13. Athanaſii altercatio contra Arium, Sabellium, & Photinum. Sec. 9. membr. alia ejus Opera. An verò Altercatio ſit partus Athanaſii, vel Vigilii Tapſenſis Epiſcopi, vide Tom. III. Opp. S. Athanaſii.
14. S. Hieronymi Opera pleraque; ſed ejus non eſt ſermo de aſſumptione B. V. Mariæ.
15. Ambroſii Opera non pauca.

16. S.

16. S. Auguſtini Opera ferè omnia, è quibus multa Sec. VIII. ſcripta ſunt.
17. Baturici Epiſcopi Epiſtola. Author paucis notus.
18. Oroſii Quæſtiones & Reſponſiones S. Auguſtini, Sec. 9. Neutrius eſſe viri eruditi judicant. In San-Mauriana editione Operum S. Aug. in Tomi VI. appendicem rejiciuntur.
19. S. Gregorii M. Opera pleraque, è quibus aliqua ſunt Seculi 8. & 9.
20. Hrabani Mauri Compotus. Capitula 96. membr. Sec. 9.
21. Candidi Presbyteri de Paſſione Domini. Sec. IX.
22. Dialogus, qui vocatur *ſcrutinium Scripturarum* per D. Paulum de S. Maria &c. 1434. in fine mutilus. Iſte *Paulus* inter Judæos antea *Salomo Levi* dictus, Chriſtianus & Epiſcopus Burgenſis in Hiſpania factus eſt. Ejus Scrutinium Mantuæ, Romæ, Pariſiis & alibi typis mandatum fuit.
23. De decem Nominibus, quibus apud Hebræos Deus vocatur.
24. Ambroſii Autperti presbyteri *ſermo de cupiditate viris ſecularibus utilis valdè* Sec. 10. vel 11.
25. Cæſarii Monachi Liber de Miraculis, neſcio an S. Engelberti, vel ſuæ ætatis. Cod. papyr. Sec. XV.
26. Cæcilii Firmani Libri III. de falſa Prophetia Sec. 11. membr.
27. Liber Junilii ad Beatiſſimum Epiſcopum Primaſium de divinis Scripturis. cap. xv. membr.
28. Iſidori Hiſpalenſis Opera non pauca.
29. Bedæ Opera permulta, ævi antiqui.
30. De Libro I. Hiſtoriarum Oroſii.
31. Prudentii Opera diverſis metris Sec. x. membr.
32. Theobaldi, Epiſcopi incerti, phyſiologus de naturis XII. animalium. Opus typis datum, teſte Hockero in Bibliotheca Hailsbronenſi. p. 274.
33. Auguſtinus Dacus (rectiùs *Datbus*) pro conficiendis Epiſtolis. De ejus Operibus typis excuſis, vide Caveum.
34. Martini ex Abbate Dumienſi O. S. B. Epiſcopi Braccarenſis, de quatuor Virtutibus Cardinalibus ad Mironem Regem. Sec. 10. vel 11.
35. Oratio Dominica latino & veteri germanico idiomate.
36. De Ordine Baptiſmi.
37. Caſſiodorus de ſubſtantia animæ, & ejus virtutibus Sec. 8. vel 9.
38. Libri S. Dionyſii Areopagitæ, interprete Joanne Erigena,
39. Ars Calculatoria Elbrici (*Helperici*) Monachi S. Gallenſis. membr. Sec. 10. vel 11.
40. Sphera Linconienſis Epiſcopi.
41. Boëtii Opera ferè omnia.
42. Liber S. Bachiani de reparatione lapſi. Membr. Sec. 11. Credo, eſſe *Bachiarii* Gennadio c. 24. laudati Epiſtolam ad Januariū de recipiendis lapſis.
43. Æſopi fabulæ gloſſatæ.
44. Liber Job cum præfatione S. Hieronymi, ubi iſta leguntur: *Habeant, qui volunt, veteres libros vel in membranis purpureis auro, argentóque deſcriptos, vel uncialibus, ut vulgò ajunt, literis, onera magis exarata, quàm Codices: dum mihi, meiſque permittant pauperes habere ſchedulas, & non tam pulchros Codices, quàm emendatos.*
45. Apocalypſis S. Joannis cum figuris ſub initium artis typographicæ excuſa.
46. Biblia Sacra, Pentateuchus, Libri Joſue, Judicum. Ruth. Libri quatuor Regum. Membranac. in maximo folio Sec. II.
47. Pſalterium Germanicè.
48. Cantica Canticorum Latinè & Germanicè *verdeutſcht und gedruckt* anno Domini *tauſend vier hundert und mi LXXIX. jars.*
49. Sumā Raymundi abbreviata. i. e. *Raymundi de Croſſis* Summa Dictaminis ſecundùm ſtilum Curiæ Romanæ, quæ reſte *Montfauconio* Bibl. Bibliothecarum Mſs. p. 141. in Vaticana etiam habetur Bibliotheca.
50. Rabani Mauri expoſitio ſupra Librum Machabæorum, Item ſupra Libros Regum.
51. Chriſtiani Druthmari Cōmentarius ſuper Matthæum Sec. XI. vel XII. cui acceſſit ejusdem brevis expoſitio ſuper Lucam. Codex notandus, ad cujus fidem editio *Socerii* Acatholici exigenda.
52. De Schiſmate inter Alexandrum Papam & Fridericum Imperatorem. *Venerando in Chriſto Pat. N. Metenſ. Eccle. Epiſcopo 9. nomine tantùm Epiſcopus* membr.
53. Gloſſæ magno numero ſuper varios libros S. Scripturæ, quarum multæ ſunt veteris ævi in Codd. Sec. 9. & 10.
54. In Cantica Canticorum Opus metricum Seculo 10. in fronte libri adſcribitur charactere Seculi *Wiliramo* Abbari. Sed nota, ſi hoc Opus metricum auctorem habet Abbatem Wille-

Digitized by Google

Willeramum, non Seculo x. ſed xi. elucubratum fuit. Is enim claruit ſub annum 1070. & Eberſpergenſi in Bavaria Monaſterio ex Fulda datus fuit Abbas.

55. Epiſtolæ Henrici contra Papam, & aliæ ejusdem. membr.

56. Paſchaſius Radbertus de Corpore Chriſti. membr. Hic non exprimitur, an Codice iſto contineatur Paſchaſii Liber de Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti, vel ejus Epiſtola ad Frudegardum de Corpore & Sanguine Domini.

57. Canones ex diverſis Conciliis, ubi multæ de Paſchate reflexiones.

58. Petri Abœlardi libri duo de diverſis paginæ ſententiis. membr. in fol. Sec. 13. *Non benè memini, an hi duo libri inter Abœlardi Opera excuſi fuerint; neque jam ut ea conſulam, in promptu ſunt.*

59. Epiſtola Hincmari Remenſis ad Karolum M. i. e. ad *Carolum Calvum*, qui à ſuis quibusdam etiam Magnus appellatus eſt, quamvis hic lepus galeatus inter Magnos recenſeri minimè meruerit. Inter Hincmari Opera à *Sirmondo* edita quatuor habentur Epiſtolæ ab Hincmaro ad Carolum Calvum ſcriptæ; quarum argumenta Parte IV. cap. 2. Sect. 2. §. 6. recenſemus.

60. Quatuor Evangelia cum Præfationibus S. Hieronymi & Concordantia Evangeliſtarum in tabellis. membran. pulcherrimus Codex auro, coloribus nitidiſſimus. Sec. 12. vel 13.

61. S. Effrem de Judicio Domini & Reſurrectione. De Regno Cœlorum, & munditia animarum &c. Sec. 8.

62. Chronicon de Origine Principum Bavariæ Sec. 15. usque ad Henricum ſanctum. variæ hiſtoriæ fragmenta.

63. Thomæ Hibernici Manipulus florum. Placentiæ, Venetiis, Pariſiis ſæpiùs impreſſus.

64. Summa Rolandini. Erat is Bononienſium Notariorum Proconſul, & ſcripſit *Summam artis Notariæ*, quæ Taurini anno 1479. impreſſa fuit.

65. Joannis de Capiſtrano Speculum Clericorum, ſeu Sermo ad Clerum in Synodo Tridentina 1439.

66. Tractatus Samuelis Iſraelitæ, per quem probatur adventus Chriſti, translatus de arabico in latinum per Fr. *Alphonſum* hiſpanum Ord. Prædicat. Iſte Samuel fuit Judæus, patria Feſſanus, licèt vulgò *Marocchianus* cognominatur, Chriſto nomen dedit anno 1085. Ejus Epiſtola de vana Meſſiæ apud Judæos exſpectatione, ſæpiùs typis mandata eſt. Illam verò ſcripſit, cùm adhuc Judæus eſſet, quia in votis habet, ut Majores non minùs caput LIII. Iſaiæ ex divino Codice, quàm JESUM ipſum Nazarenum è medio ſuſtuliſſent. Scripſit etiam Arabico idiomate *Hiſtoriam concertationis cum Albucabelo Mohammedanorum Magiſtro*, quæ in Latinum etiam ſermonem converſa habetur.

67. Fr. Johannis Carthuſienſis apud Franckford de communione ſub utraque ſpecie ad illuſtrem Principem DD. Fridericum Marchionem Brandeburgenſem.

68. Manuale Parochialium Sacerdotum impreſſum Auguſtæ per Hermannum Reſtlin 1484.

69. Tractatus peroptimus de animabus exutis à corporibus editus à Fr. *Jacobo* Doc. Ordinis Carthuſienſis Ertfordiæ impreſſus absque loco & año. Alia tamen Editio, quæ etiam adeſt, locum & annum exprimit, viz. Patavii an. 1482.

70. Sermo ad Clerum Magiſtri Joannis Sebald de Budiſſen in Synodo habitus, *ſed quanam?*

71. Paulus dictus *Kolner* Ratisbonenſ. & Patavienſ. Eccl. Canonicus, de Horis Canonicis. Sec. 15.

72. Epiſtola Decani & Magiſtrorum omnium Theologiæ Univerſitatis Viennenſis ad Archidiaconum in ſuperiori Styria de multis erroribus, qui in his locis, nominatim in Fridenburg (*Judenburg*) circa fidem irrepſerunt, de viginti quatuor Seniorum cum Chriſto reſidentium Judicio M. CCCCXX.

73. Sermo S. Vincentii Ord. Prædicat. de fine mundi, canonizati M. CCCC. LV. impreſſus per Conradum Zeninger civem Nurenbergenſem.

74. Tractatus de Imitatione Chriſti absque mentione Authoris. Sec. 15.

75. Richardus de X. I. Patriarchis, & de Arca Myſtica. impreſſ. MCCCCXCIII. Inter Richardos Scriptores, quos multos apud Fabricium Bibl. med. Lat. lego, nullus occurrit, qui hoc de argumento ſcripſerit; eſtque adeò iſte Richardus mihi incognitus.

76. Lumen Confeſſorum, Andreæ Hiſpani Epiſcopi Sec. 15.

77. Catalogus Virorum illuſtrium Ord. S. Benedicti Sec. xv.

78. De Imperio Karoli Magni & robore.

79. Legendæ Sanctorum. Vita S. Baſilii Epiſcopi. S. Clari Abbatis. Paſſio S. Concordi M. &c. &c.

80. Vitam S. Walburgis in Epiſtolare compendium collectam offert Frater Philippus, Miſeratione divina Epiſcopus Eiſtettenſis Excellentiſſimæ Dominæ ſuæ Ungarorum Reginæ, nec non felicis recordationis Domini Alberti quondam Regis Romanorum filiæ, Membran. in fol. min.

81. Paſſionale Sanctorum. Membran. in fol. Sec. 14. ad finem eſt vita S. Wolfgangi Epiſc. Ratisbon.

82. Vitæ diverſorum Sanctorum. papyr. Sec. 15.

83. Summa de ſanctitate meritorum & gloria miraculorum beati Karoli Magni Imperatoris cum Officio, & de Translatione S. Karoli. Sec. 15. papyr.

84. Hiſtoria Henrici tertii Imperat. membr. Sec. 12. vulgata per Aventinum.

85. Liber Miraculorum S. Emmerami ab *Arnoldo* Monacho San-Emeram. circa an. 1010. in quo Codice inter alia habetur, quòd S. Dionyſius eſt translatus Ratisbonam in Eccleſiam S. Emmerami.

86. Quædam de inventione oſſium S. Dionyſii.

87. Epiſtola cujusdam Presbyteri ad Reginwardum Abbatem Sec. 13. vel 14. membran. de ſancto Dionyſio Areopagita & de ejus Translatione. membr. Sec. 13. vel 14. ubi tota hiſtoria narratur.

Epiſcoporum Ratisbonenſium Catalogi.

88. Catalogus Epiſcoporum Ratisbonenſ. una manu usque MCCCCXXXVII. Alius usque 1465. Alius Paulini usque 1563. Excutiendi ſunt iſti Catalogi, & videndum, an in Serie Epiſcoporum Ratisbonenſium legatur nomen *S. Simperti*, de cujus Epiſcopatu aliqui addubitant. Mabillonius ſedem ſibi ignotam dicit, *Stengelius* in Comentario Rer. Auguſt. part. 2. cap. 9. Auguſtanis annumerat Epiſcopis, quod idem faciunt Hiſtoriæ Literariæ Gallicæ Auctores Benedictini è Congr. S. Mauri, eúmque an. 809. mortuum dicunt. Ejus ſacra oſſa Auguſtæ innumeris clarent miraculis. Hujusmodi CCXL. ſingulari libro patria lingua landatus Carolus Stengelius conſcripſit. Quæ verò ab ejus tempore contigerunt *R. P. Romanus Kiſtler* in Baſilica SS. Udalrici & Afræ in Germanicum ſermonem à ſe translata permulta deſcribit. Certè A. C. MCDC. procurante Petro S. R. E. Cardinale, Epiſcopo Auguſtano, propter aſſidua, quæ narrabantur, & fiebant prodigia, orbis Chriſtiani Pater Nicolaus V. *Simpertum* inter cœlites colendum præcepit. Extat hac de re diploma dicti Cardinalis *Petri* datum Auguſtæ A. C. MCDLXVII. die v. Jan. Pauli II. A. IV. Denique Gregorius XV. P. M. A. C. CIↃ. IↃCXXII. ejus feſtum diem ritu duplici per totam Diœceſim Augnſtanam celebrari præcepit, ut Stengelius l. c. teſtatur. Quis ergò S. Simpertum non pro Epiſcopo habeat Auguſtano? Nihilominus Jo. Georg. Eccardus Rerum Francicarum XXV. 46. 47. ex variis documentis probatum dare conatur, *S. Simpertum Ratisbonenſem fuiſſe Epiſcopum*, & jam anno 791. ex hac vita ad Superos conceſſiſſe ſcribit. Excutiendi ſunt igitur, ut dicebam, Mſ.ti Catalogi, & videndum, an S. *Simperti* nomen inter illos occurrat. Quod ſi deeſt, *Eccardi* ſententia omnino deſerenda, & ſtandum recepta opinione, *D. Simpertum Auguſtanæ Urbis fuiſſe Epiſcopum.*

89. Fundatio Monaſterii in *Walderbach.* Membran.

90. Bulla Leonis IX. de Corpore S. Dionyſii invento. Edita in nupera hac de re diatriba Cel.mi Principis *Joan. Baptiſtæ.*

91. Liber traditionum Monaſterii S. Emerami, in quo diplomata Cæſarea, Regia, ex Originalibus deſcripta ſunt. Membr. Sec. II. editus eſt ille Codex à R. P. *Bernardo Pezio.*

92. Liber traditionum, ubi variæ fidelium oblationes ad S. Emeramum, deſcriptæ ſunt variis characteribus. 8. 9. & 10. Seculi Membr.

93. Fr. Chriſtophori Hoffman Monachi ad S. Emmeramum Hiſtoria de Epiſcopis Ratisbon. & Abbatibus ad S. Emmeramum. Sec. 16.

94. Catalogus Epiſcoporum Ratisbonenſ. & Abbatum Monaſterii S. Emmerami, oblatus *Ambroſio* Abbati ad S. Emeramum à Fr. *Chriſtophoro Hofmano*, Monacho ibidem anno 1531.

95. Deſcriptiones antiquitatum & picturarum in Monaſterio S. Emerami MDLX. Continetur in hoc libello

libello ſtirps Carolina à Carolo Magno usque ad Ludovicum III. Regem Roman. ſepultum in Choro S. Emmerami. Ob. A. D. DCCCCIII.

96. Brevis Chronica de Monaſterio S. Em̃erami ſcripta Sec. 16. Item de Sanctis, qui in Eccleſia ibi requieſcunt: de aliis ſepulturis. Catalogus Abbatum.

97. Rotulus, ſeu Charta membranea ex 20. foliis maximis conſequenter annexis, in quibus foliis Proceſſus de Exemptione Monaſterii S. Em̃erami coram Joanne XXII. habitus deſcriptus eſt.

98. Proceſſus de Exemptione Monaſterii S. Emmerami in papyr. deſcriptus ex priori totulo membraneo longiſſimo 1443.

99. Statuta Provincialia Eberhardi Epiſcopi Salisburg.

100. Liber cenſualis Monaſterii S. Emmerami Ratisbonenſ. continens redditus & proventus, ac jura omnium ac ſingulorum prædiorum & poſſeſſionum Monaſterii anteà dicti.

101. Regula S. Benedicti Germanicè. Sec. 15.

102. Decretum Joañis Grienwalder, Vicarii Friſingenſis, de Reformatione Monaſteriorum Canonic. Regularium in Unterſtorff & Weichenſteffan.

103. Conſtitutiones Benedictinorum Monaſteriorum. Cod. papyr.

104. Variæ Conſtitutiones pro Ordine S. B. membran. Sec. 13.

105. Hiſtoria, ſeu Chronica Ratisbon. usque 1509.

106. Quæſtio: Si Sanctimoniales & Monachi, cùm unam habeant S. B. Regulam, etiam unam habere debeant clauſuræ cuſtodiam membr. Sec. xi.

107. Chronica de fundatione variorum Monaſteriorum.

108. Notæ de Ducibus Wauariæ, pag. 101.

109. *Teutſche Chronic von Anfang der Welt biß auf die Regierung* Pauli II. *Römiſchen Pabſten, ſo* 1464. *auf den Päbſtl. Stuel kommen.* in fol. papyr. continens optimas hiſtorias.

110. Euſebii Cæſar. Eccleſiaſtica hiſtoria Rufino interprete xi. libri in fol. M. Membran. Sec. 12.

111. Andreæ Presbyteri Can. Reg. ad S. Magnum in Præurbio Ratisbonæ Chronicon à Chriſto nato usque ad Martinum V. Membr. Edidit Pezius tom. 4. Anecd. part. 3. pag. 275 - 636.

† *P. Ziegelbauer Hiſt. P. I.*

112. Stainhöwel de claris mulieribus. Dedicatus eſt iſte libellus Eleonoræ Duciſſæ Auſtriacæ. Impreſſus *Ulm von Johann Zamier von Kutlingen.* 1473.

113. Expugnatio urbis Ratisbonenſ. per Carolum Magnum. De fundatione Salisburg. Catalogus Epiſcop. Salisburg. & Chiemſ.

114. Poëma Hexametrum de virtutibus herbarum, ſub *Æmilii Macri* nomine. Membran. Sic frons, titulus & nomen Librorum ſæpè mentitur. Nam *Æmilii Macri* Veronenſis Poëma de ſimili argumento (*viribus herbarum*) dudum in deperditis habetur: Laudavit illud Ovidius; hinc illud intercidiſſe lugendum. Hujus verò *Macri* meminit Sigebertus c. 13. de S. E. & poſt eum Fabricius in Bibl. Latina IV. cap. 12. & in Bibl. med. Lat. l. 12. pag. 3.

115. Notæ, ſeu Commentar. in libros & Opera Ovidii. Membr. Sec. 12.

116. Salluſtius de bello Catilinæ.

117. Marci Tulii Ciceronis Lib. III. de Officiis.

118. Paradoxa Tulii. Membr. In fine rubei coloris characteribus impreſſum legitur, ut ſequitur: *Præſens Marci Tullii clariſſimi Opus, Johannes Fuſt, Moguntinus Civis, non atramento plumali, Canna, neque area, ſed arte quadam perpulchra Petri manu pueri mei feliciter effeci, finitum MCCCCLXV.*

119. Horatii Flacci Lib. II. Epiſtolarum. Membran.

120. Brunelli de tribus animalibus carmen.

121. Ejusdem de diverſis ordinibus carmen.

122. Matthæi Weſenbecii de cruenta ac neſaria laniena Lutetiana à Carolo IX. perpetrata; Carmen 1572.

123. Lucanus Poëta. Membr. Sec. 12.

124. Terentius cum notis. Membran. Sec. 9. vel 10.

125. *Cornutus* in Perſium, ſeu Commentum Cornuti in Perſium. Quis iſte ſit *Cornutus* me præterit. Cangius in Gloſſario cujusdam meminit Magiſtri *Cornuti*, qui Diſticha reliquit.

126. Diploma Friderici Regis Romanorum de Reformatione Imperii data, & ſignata Francofurti 1446.

127. De electione Maximiliani in Regem Romanorum 1486.

128. Expoſitio in Donatum de Grammatica Sec. x.

129. Diomedis Grāmatica, Sec. 8. vel 9.
130. Priſcianus Grāmaticus Sec. xı. cum Commentar. membr.
131. De Orthographia & Ethymologia. Sec. 9.
132. Pauli Diaconi excerpta ex libris Pompeii Feſti de Significatione verborum. Sec. 9. Membr.
133. Alphabetum Hebraicum: Chaldaicum: Siriacum: Arabicum: Ægyptiacum: Gothorum: Sec. 12.
134. Regulæ Collegii Germanici & Hungarici Romæ fundati à Gregorio XIII. Mſ.ti 1662.
135. Æneæ Sylvii Epiſtolæ, & aliorum in fol. papyr.
136. Varia Scripta Poggii.
137. Kalendarium Sec. 9.
138. Julii Solini de ſitu Orbis terrarum. Sec. 12.
139. Statuta: Obligationes Capituli Ratisbonenſis cum notitia ſubditorum. Sec. 15.
140. Belligraphia inter Sereniſſimum Maximilianum Regem ac ligam Suitenſium.
141. Dieta Romani Imperii Ratisbonæ habita ſub Friderico III. per modum tabulæ à *Leonardo Heſſ* Aureatenſi.
142. Chronica Fr. Martini Ord. Prædicat. patria Bohemus de Pontificibus & Imperatoribus. Sec. 15. papyr. Dicitur hic auctor Bohemus, quia natus erat Oppaviæ in Sileſia, Regno Bohemiæ incorporata Provincia. Hunc Codicem notare placuit, quia Leibnitio animo ſederat, Chronicon Martini cum xv. vel xvı. Codicibus collatum in lucem dare.
143. Chriſtophori Hoffman Monachi ad S. Emmeramum. *Böhmiſche* Chronica, propria manu ab ipſo ſcripta. Edidit. Hier. Pezius.
144. *Everhardi Waſenbergii* Ratisbona Politica, Eccleſiaſtica, Monaſtica, tempore Franciſci Wilhelmi Epiſcopi Ratisbon. conſcripta Tomis VI.
145. Cauſa Petri de Remago Canonici Eccl. Ratisbon. contra Epiſcopum Ratisbon. coram Pont. Rom. Bonifacio IX. papyr.
146. Statuta Synodalia, ſive Diœceſana Eccleſiæ Ratisbon. 1512. impreſſa.
147. Chronicon breve *Chriſtophori Hoffman* Monachi ad S. Emmer. de primis Ducibus Bavariæ; Epiſcopis Ratisbon. & de S. Emeramo.
148. Statuta Capitularia Eccleſiæ Ratisbon. in 4. partibus.
149. Statuta Synodalia Ratisbonenſ. ſub Ruperto Epiſcopo 1474.
150. Chronica compilata per Ill. Dom. Andream Dandulo Venetiarum Ducem usque ad annum 1370.
151. Annales Hermanni Contracti ab an. 378. usque 1054.
152. Chron. Aurelii Caſſiodori.
155. Epiſtola *Marini Sanudo* ad Regem Franciæ Philippum de peregrinatione in terram ſanctam 1334. Erat *Sanutus* Patritius Venetus à quinque itineribus, quæ in Palæſtinam ſuſcepit, ac deinde literis mandavit, percelebris. Nomen operi dedit *Secreta fidelium Crucis*, quod Jac. Bongarſius in geſtis Dei per Francos Tomo poſteriore vulgavit. Acta publica inter Rempublicam Venetam, & alios Principes ab anno 1378. usque 1388.
154. Annales Hermanni Contracti ab an. 378. usque 1054. membr.
155. *Vollkommene Nachricht wie Pabſt* Urbanus Ferdinando II. *die Nutznieſſung auf 12. Jahr dern 2. Drittlen von deren in der obern Pfalz gelegenen Clöſteren in* profanos uſus *zu verwenden erlaubt: und wie ſolches* Privilegium *hernach an Herzog Maximilian in Bayern gekommen ſambt denen Abreds-und Vergleichs-Puncten mit denen Herren* Ordinariis.
156. *Vollkomme Nachricht, wie ſolche Clöſter wiederumben von denen Ordens-Geiſtlichen an ſich gebracht, und was Gelder hinaus bezahlt worden; auch wie und auf was Weiß die* Immiſſion *in ſolche Clöſter geſchehen.*
157. Wigulei Hundii ſtemat: Bavaric. Partis III. Tomus I. Ejusdem Partis III. Tomus II.
158. Ordo, quomodo ponunt Codices in Eccleſia Romana: Codex vetuſtiſſimus Sec. 7. vel 8. Membran. ſic incipit: *inprimis in ſeptuageſima ponunt Eptaticum &c.*
159. *Rathſchlag Herzog Wilhelms in Bayren mit dero Landſchafft.* amplum vol. in fol.
160. *Land-Tafel der Fürſtenthumben Ober-und Nider-Bayrn. Darinn begriffen alle Schlos-und Hofmarchen* &c. *in denen vier Rändtämbteren. 2. Folianten. Beſchreibung des Landtags von Herzog Wilhelm in Bayrn, mit dero Land-Stäncke gehalten 1563. 2. groſſe Folianten.*

161.

161. Breviaria quàm plura Sec. 12. 13. 14. & 15. membr.
162. Miſſale, ſeu Cantus pro Miſſa. Membr. in magno folio nitidiſſimis colore & auro ornatis characteribus ſcriptum.
163. Fides & Decreta Concilii Niceni. Membr. Sec. 8. vel. 9.
164. Variæ Pontificum Rom. Epiſtolæ usque ad Seculum VII. Codex in maximo folio, Seculi, ut videtur, decimi.
165. Epiſtolæ variæ Pontificum Innocentii, Siricii, Cœleſtini, Leonis, Symmachi. membr. Sec. 9.
166. Canones Pœnitentiales Sec. 9. Codex prædictus.
167. Concilia Provincialia Salisburgenſia ſub Guidone Cardinale 1268.
168. Statuta Friderici Archiepiſcopi 1360.
169. Statuta Friderici 1281.
170. Conſtitutiones Joannis Tuſculani Epiſcopi. 1280.
171. Conſtitutiones Cunradi Archi-Epi - Salisburg. 1310. de Contractibus matrimoniorum.
172. Concilium ſub Cunrado Archi-Epiſc. *Nos Cunradus Dei gratia* &c.
173. Conſtitutiones Pilgrini Archiep. Salisburg. 1386.
174. Statuta Eberhardi Archi- Epiſc.
175. Canones Conciliorum Arelatens: Nicæni: Gangrens: Valentin: Arelatens: Hilarii: Zenonis PP.
176. Concilium Baſileenſe. Sæc. 15. papyr.
177. Conſtitutiones quædam in Concilio Provinciali Salisburg. an. 1418. in octava B. Martini à D. Ulrico Epiſcopo Seccovienſi factæ.
178. Digeſtum vetus cum Commentario Sec. 13. Memb.
179. Codicis Juſtiniani libri Novem cum Commentar. Membr. fol.
180. Summa Novellarum Conſtitutionum Imperator. Juſtiniani cum aliis Juris Canonici expoſitionibus. Memb. Sec. 13.
181. Bulla Aurea Caroli IV. Membr. Latinè & Germanicè.
182. Cato cum gloſſis Philippi de Bergamo Ord. S. B. an. 1415.
183. Martiani Mrnci Afri libri novem de Scientiis. Sunt ſeptem, ſed ſi duos de nuptiis philologiæ & Mercurii adjicias, erunt novem.
184. Juvenalis Decii Junii Satyræ. Membran.
185. Notæ ſuper Macrobium de Somnio Scipionis. Membr.
186. Tabula Genealogica Regum Franciæ & Bojoariæ Sec. 13.
187. Chronica à Chriſto nato usque 1170.
188. Catalogus Romanorum Pontif. usque ad Pelagium II.
189. Hiſtorica fragmenta Sec. 9. 10. 11. Memb.
190. Epiſtolæ diverſarum materiarum eruditiſſimæ. ſequentia ibi leguntur: *illud in primis mirabile, quod cum Henricorum aut Æinobarbæ temporibus ſcriptæ fuerint, propbanarum hiſtoriarum exemplis ſcateant.* Membr. Sec. 11.
191. Tractatus contra Judæos. MS. in folio papyr.
192. Hiſtoria Monaſterii S. Emmerami de Abbatibus: Juribus: donationibus: Privilegiis: conſuetudinibus &c. ſeu volum. in fol.

Ut majorem de Mſ.tis Codicibus Bibliothecæ San-Emmeramenſis Lector concipiat æſtimationem, quæ- dam ex hiſtoria Itineris Germanici *Joannis Mabillonii*, rei Bibliothecariæ callentiſſimi, exſcribere placuit. en verba: *Redeo ad Sanctum Emmeramum, in cujus Bibliotheca Codices amplius mille habentur, multi optimæ notæ. Unus continet varias Virorum doctorum Epiſtolas tempore Alcuini ſcriptas, quas nobis deſcribi rogavimus. Multa etiam nos ipſi, quantum per quatuor dierum otia licuit, deſcripſimus &c.* reliqua plura legi poſſunt in editione Pariſienſi *Veterum analector.* 1723. pag. 10. ubi agit de hujus Bibliothecæ Manuſcriptis. Ex quibus etiam nonnulla ſuis Commentariis intulit *Schöpflinus*, videlicet, *Ferri benedictionem, & aquæ ferventis conſecrationem ad faciendum judicium.* Plures quoque ac inſignes ex eodem Charto - Phylacio Tractatus publicam in lucem protulit Clar. P. *Bernardus Pezius* Mellicenſis, ut in diverſis ejus Anecdotorum Tomis videre eſt. Reſtare tamen adhuc quamplurima digna omninò quæ dias proferantur in luminis auras aſſerunt, qui hanc ſupellectilem oculis attentiùs luſtrârunt; Quocirca, *inter alias curas* (ſunt verba Celſiſſ. & R.mi Abbatis Principis JOANNIS BABTISTÆ) *mibi incumbentes certè non minima erit, reliquos veterum Monumentorum Collectores, quotquot bucusque comparuerunt, nec in noſtra Bibliotheca ſervantur, ocyùs colligendi, ut iis per-*

Mabillonii de hac ſupellectile ſententia.

perluſtratis innoteſcat, quid è noſtris Manuſcriptis ineditum adhuc deliteſcat, dignúmque ſit, ut in conſpectum producatur. Hanc porrò in ſe provinciam recepit Vir Clar. P. *Frobenius Forſter* p. t. Prior, qui accuratiorem MSS. Codicum recenſionem prelo parat.

S. Jacobi Ratisbo-næ Selec-tiſſima. *Bibliotheca Scotorum Ratisbonæ* inter præcipuas recenſeri jure quodam ſuo meretur. Conclave illius pellucidum eſt, & conſervandis libris omninò comparatum, qui in Claſſes juxta ſuas materias diſpertiuntur.

I. Claſſis in aditu eſt *de literis humanioribus*, quas Galli *Belles lettres* vocitant. Hîc proſtant Dictionatia, Lexica, Grammatici, Poëtæ, Oratores, Comici, Luſus Theatrales, Epiſtolares omnium ferè in Europa nationum & linguarum. Authores, quos appellamus *Claſſicos*, Græci & Latini adſunt penè omnes. Eminent quoque *Juſti Lipſii* Opera in fol. Voll. VI. Antuerpiæ ex officina Plantiniana.

II. Claſſe continentur *Philoſophi*, *Mathematici & Politici*. Præter Opera *Athanaſii Kircherii* conſpiciuntur Opera *Gaſſendi*, *Galilæi*, *Carthefii* ſeu *de Cartes*, & aliorum, qui libertate philoſophandi in magnum rei philoſophicæ, ut ajunt, bonum opportunè uſi ſunt.

III. Claſſis eſt *Medicorum & ſimilium*; ubi præter Scriptores vulgares adeſt magnum *Herbarium Weinmannianum* in fol. Reg. Vol. V. in quo herbæ, plantæ, frutices &c. Æri incisæ nativis ſuis coloribus ad vivum exprimuntur, ac commentariis ſelectis explicantur. Opus ſanè magnificum & numeris omnibus abſolutum, cui non eſt compar in Urbe Ratisbonenſi.

IV. Claſſis complectitur Juridicos utriusque fori: de jure Canonico autem adſunt inſigniores Scriptores omnes. Corpora quoque gloſſata, ut dicunt, & alii de Jure Civili & Feudali Doctores hîc magno numero ſpectantur.

V. Claſſis, & hæc ampliſſima, Hiſtoricorum eſt ad ter mille volumina. Adeſt delectus Scriptorum Eccleſiaſticorum inprimis rariſſimus; item aliorum, omnium ferè Gentium, Populorum, Provinciarum, Civitatum & Familiarum in ſuis promiſcuè linguis & typis.

VI. Claſſis exhibet Bibliotum Sacrorum in 26. diverſis idiomatibus, varias editiones, ultra 117. volumina. Sancti Eccleſiæ Patres omnes, quos Patres noſtri Congreg. S. Mauri hucusque ediderunt, & alii quàm copioſi; item collectio maxima Conciliorum & aliæ Synodi Provinciales, & Diœceſanæ acervatim. Interpretes quoque Biblici abundant. Sed apparatus, in quo continentur Philologi & Critici Sacri à numero & delectu ſpectabilis eſt. Ex his fontibus profluit.

VII. Claſſis Theologorum Scholaſticorum & Moralium, inter quos principem locum obtinent Opera omnia D. Thomæ Aquinatis, fol. Vol. XVI. Opera Jo. Duns Scoti, fol. Vol. XIII. Opera Franc. Suarii, fol. Tom. XXV. & reliqui Theologi Principes omnes, quos recenſere non lubet.

VIII. Claſſis continet Polemicos, qui de Controverſiis fidei cum laude ſcripſerunt; præter Bellarminum Fratres Wallenburgicos, Cocceium, Bozovium, Menillum &c. adeſt magnus apparatus Controverſiarum in lingua Anglicana, & Gallica.

IX. & X. Claſſes ſunt de Theologia Aſcetica ſive Myſtica, & eorum, qui nominantur Concionatores Sacri, de quibus nihil ſingulare dicendum.

Codices MSS. Eſt præterea adjuncta camera, in qua reponuntur Libri antiquarum editionum, & qui locum non merentur in ipſa Bibliotheca; adeſt tamen ſub proprio titulo Claſſis manuſcriptorum Codicum: inter quos ſunt quidam optimæ notæ, ut eſt Codex IV. Evangeliorum à Seculo IX. quô uſus fuit *S. Anſcharius*, Epiſcopus Bremenſis, fol. Autographus Codex B. MARIANI *Scoti*, primi Scotorum apud Ratisbonenſes Abbatis, continet pias conciones & exhortationes ad ſuos Monachos; in fine additur eadem manu: *tertio Calendas Aprilis, fer. quinta anno MLXXXIII. meæ peregrinationis pene ſeptimo, & bujus loci habitationis à Scotis octavo regnante quarto Henrico.* fol. Item Commentarii in Regulam S. Bened. ſeu Concordia Regularum S. Benedicti Abbatis Anianenſis, fol. à Sec. XI. Codex in minore forma Davidis Socii B. Mariani, ex compoſitione interiore & exteriore boni Monachi ab eodem Seculo XI. Codex quoque in fol. papyraceus quidem, ſed optimæ notæ eſt, Hiſtoria Concilii Baſileenſis ab exceſſu Sigismundi Imperatoris usque ad finem ſive diſſolutionem illius; in quo multa ſingularia

laria & ſcitu digna rèperiuntur, quæ à nullo alio Scriptore, quantum nobis conſtat, obſervata ſunt. Codex eſt, & ſcriptura antographus Epiſcopi Lauſanenſis. Adſunt præterea volumina x. recente manu exarata, de rebus Ratisbonenſibus, quæ mandato & impenſis Wilhelmi Franciſci Wartembergii, Cardinalis, & Epiſcopi Ratisbonenſis, congeſta ſunt circa annum MDCLV.

Libri prohibiti.

Sub Cancellis exiſtunt mille circiter Libri prohibiti. v. g. Cornelii Agrippæ de occulta philoſophia, fol. Lugd. 1510. editio genuina, quam ipſe curavit. Opera Nicolai Machiavelli, Italicè vol. v. Caroli Molinæi de Pot. S. P. in temp. Lutheri Opera authentica, id eſt, quæ prodierunt ipſo vivente in 4. vol. xiv. Melanctonis, Calvini, & aliorum Sectariorum.

Quantum verò decus ac ornamentum hæc Librorum cimelia Bibliothecæ Monaſterii ad S. Jacobum acceſſunt, tantum etiam gloriam Reverendiſſimo ejusdem Abbati & Conditori BERNARDO BAILLIO conciliant. Is enim omnium virtutum ac doctrinarũ laudibus ornatiſſimus Præſul in non magnis Cœnobii proventibus nulli tamen pepercit pecuniæ, quo Bibliothecæ ſuæ forulos libris inſtrueret quàm lectiſſimis. Antiſtitem digniſſimum! cujus effigies Bibliothecæ oſtio affigatur, ut quoties Religioſiſſimi Cœnobitæ intro in illam pedem ferunt, grato eam obtutu venerentur.

Priflingenſis.

Ratisbonâ ſesqui-horæ itinere diſtat *Pruveningenſe* ſeu *Priflingenſe* Cœnobium à S. *Ottone* Bambergenſi Epiſcopo conditum, cujus Bibliothecæ Catalogus anno 1347. confectus, atque in ſancti Emmerami chartulario hodiedum adſervatus, tantam hîc veterum librorum vim exhibet, quantum in ullo Monaſteriorum Ratisbonenſium, (quorum librarii indices eodem anno concinnati, eodémque Codice Emmeramenſi concluſi ſunt) reperire eſt. Sed (quod *Mabillonium*, *Pezios*, aliósque Viros curioſos excurſionem eò facientes, non in exiguam admirationem traduxit) unicus ſolummodo Codex membraneus, isque perexigui momenti forulos luſtrantibus occurrit, reliquis omnibus, ut quidem ſuſpicio eſt, Suecicâ clade, aut ruſticorum ſeditione abſumptis. *Sed & ante Suecorum acceſſum*, inquit Pezius, *certiſſimâ gloriâ hoc Monaſterium ſpoliavit* Alexander Braſſicanus, *qui* POTHONIS *Pruveningenſis Monachi libros de ſtatu domûs Dei & de domo ſapientiæ cuidam* Pothoni *Prumienſi Cœnobitæ, qualis nullus unquam fuit adſcripſit, eóque lapſu ſuo omnes eruditos Viros in errorem induxit.* Porrò in eam opinionem *Braſſicanum* nihil aliud adduxit, quàm nominis utriusque Ordinis noſtri Monaſterii affinitas & quædam in veteribus Codicibus ſcripturæ ſimilitudo, dum pro Monaſterio *Pruveningenſi* legit *Prumienſi.* Jam verò ita ſe habere apertè conſtat ex laudato veteri Catalogo librorum Pruveningenſis Bibliothecæ, in quo inter alios diverſorum Doctorum libros enumerantur *Quatuor libri de domo Domini, & de novem Ordinibus Angelorum, in uno volumine, quos fecit P.* (id eſt Potho) *Monachus loci.* Ubi vides libros *de domo Domini &c.* POTHONI Priflingenſi certiſſimè attribui. De eodem *Pothone* agit *Joannes Lapillus* ſeu *Staindel* in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis his verbis: BOTTO *Presbyter & Monachus de Cœnobio Bruvingenſi* (adeo enim diversè nomen hujus Monaſterii effertur) *ab adoleſcentia ſua in ſcribendo & dictando occupatus ſcripſit.*

Pothonis ejus loci Monachi Opera.

Super Evangelia Homilias XXX.
Sermonum libr. 1.
De Domo Domini libr. 1.
De Opere Sanctæ Trinitatis lib. 1.
Commentaria in Jerarchiam Dionyſii libr. 1.
De die Dominica libr. 1.
De Ædificio in monte libr. 1.
De Muſica libr. 1.
De Officio Miſſæ libr. 1.
Super Canonem: Te igitur. *libr.* 1.

Et alia plura. Inter quæ ſine dubio eſt *Liber de Miraculis B. Virginis,* quem ſub *Botonis* Presbyteri nomine in Auſtriæ Bibliotheca S. Crucis & Dorotheanâ reperit *Pezius*, qui ſingularia ex ipſo libro de *Pothone* noſtro excerpta reſcribit in ſua diſſert. Iſagogica *ad Tom* 1. *Theſauri Anecdotor. pag. XLIII.* Cujus tamen opinioni adverſatur *Magnoaldus* noſter Parte III. hujus Operis pag 618.

Alii ejusdem monaſterii illuſtres Viri.

In eodem Priflingenſi Cœnobio *Pothoni* fortè coævus floruit ARNOLDUS *Monachus* auctor *Librorum IV. de Miraculis B. Mariæ Virginis*; quos in diverſis Auſtriæ Bibliothecis manuſcriptos reperit laudatus *Pezius* hoc exordio: *Venerabili & in Chriſto plurimùm dilecto E.* (Eberhardo) *Abbati Cœnobii Provenienſis, ſua, imò totius Congregationis in Chriſto Patri &*

Domi-

Arnold9, *Domino* A. (Arnoldus) *qui videbatur aliquid conſecutus literarum, ſolâ profeſſione Monachus univerſum debitum amoris, ùt Patri, timoris, ùt Domino. Cum incertis & occultis Divinorum judiciorum...* Dubitat *Pezius*, an non ejusdem Prunveningenſis Cænobii Monachus fuerit

Engelhardus, ENGELHARDUS, qui itidem *Librum diverſorum Miraculorum* ad ERBONEM Abbatem ſcripſit. Operi, inquit, præfigitur Erbonis Epiſtola ad Engelhardum hoc initio : *Angelo Domini Sabaoth Domno E. præclaræ virtutis & ſcientiæ Viro, E. pauper & modicus...* Certè in Catalogo Abbatum Priflingenſium duo hoc nomine Abbates Seculo XII. recenſentur, nec Codex Zwetlenſis, in quo hoc opus extat Seculo Chriſti XIII. recentior eſt. Sed ad hæc definienda lux amplior aliunde expectanda eſt.

Melchior Weixer, Monaſterii hujus hiſtoriola à *Melchiore Weixero* erudito ejus loci Monacho anno *1621. Ingolſtadii* publicæ luci expoſita eſt in folio. In eodem Cœnobio hodie præcipuo eruditionis cultu eminet Clar. P.

Veremundus Guſl. *Veremundus Guſl* Tyrolenſis in communi Congregationis Bavaricæ ſtudio Theologiæ, juris Canonici ac Philoſophiæ olim Profeſſor, editis variis Operibus percelebris; noſtríſque Muſis faventiſſimus.

Pruellenſis prope Ratisbonam. PRULENSE ſeu *Pryelenſe* & *Pruellenſe* prope Ratisbonam Monaſterium, quod *Gebbardus I.* Ratisbonenſium Epiſcopus pro Benedictinis anno 997. fundavit, *Albertus* verò Bojoariæ Dux Carthuſianis conſentiente *Innocentio* VIII. Pont. Max. anno 1484. conceſſit, (m) illuſtrem olim habuiſſe Bibliothecam diſcimos ex eodem Sant-Emmeramenſi Catalogo anno MCCCXLVII. conſcripto.

Weltenburgenſis. In *Weltenburgenſi* vetuſtiſſimo Ordinis noſtri ad Danubium in Diœceſi Ratisbonenſi Monaſterio nec quidquam veterum monumentorum præter *Necrologium* à ſexcentis annis conſcriptum ſe reperiſſe ſcribunt *Pezii* in ſuo itinere. Cœnobium hoc cùm ſecularium Proviſorum incuria & oppreſſionibus propè peſſumdatum jam eſſet, tandem Congregationi Benedictino-Bavariæ aſſociatum, curâ & vigilantiâ R.mi D.ni Abbatis MAURI ad tantam repente elegantiam reſurrexit, ut nulli Bavariæ Monaſterio ſeu templi ſplendore, ſeu religioſarum ædium commoditate quidquam concedat. Hoc loco antiquitùs ſita fuiſſe dicitur vetus Romanorum Civitas *Artobriga*, cujus adhuc Patrum memoriâ extabant rudera. Solum illud, cui ad littus Danubii adhæreſcit Monaſterium, cum circumjacente latè agro, marmoreum eſt. Id quod omnes à mille annis latuit, & Deo domui ſuæ providente, à præfato Abbate nihil cogitante, nuperrimè rectum fuit, tanto majori emolumento Cœnobii, quanto ampliùs Weltenburgenſe marmor aliis totius Germaniæ generibus præſtat. Sed hæc præter inſtitutum. Bibliotheca recentioribus aucta Codicibus indies magis magíſque accreſcit. Extat ejus loci hiſtoriola ſub finem Seculi proximè lapſi evulgata in 8. Reliqua monumenta nos latent.

Monacho-Münſterienſis. *Monachomonaſterium* vulgò *Münchsmünſter* in ſuperiori Bavaria & Diœceſi Ratisbonenſi ad Danubium percelebre olim Monaſterium à *Diepoldo* Voburgenſi Margravio, vel ut aliis placet, à *Toſſilone* Bojoariorum Duce fundatum, ditiſſimam habuiſſe dicitur Bibliothecam, in qua duo pretioſa maximè adſervabantur volumina ex cera & arborum cortice compaginata, ac vitas Sanctorum complexa, *Sed peccatis exigentibus, & malis diebus ſupervenientibus, ita defecit ſubſtantia, ut Monachi expulſi, poſſeſſiones distractæ, & omnia intus & foris deſtructa fuerint, ac denique anno 1131. Bambergenſi Eccleſiæ Cathedrali reliqua ceſſerint.* In vita Ottonis Bambergenſis à *Gretſero* editâ *libr. 1. cap. 17.* leguntur ſequentes veteris ſtipulæ verſus de ejus Cœnobii fundatione & fatis :

Taſſilo Dux Bojûm, qui nomine dicitur ipſe
Tertius, ille pius fundat & ædificat
Iſtud Cœnobium Munſter, *quod habere videtur*
A Monachis nomen, utque hodie vocitant.
Anni ſub Domino ſeptingentíque decémque
Luſtra ierant, ſed mox fit ſolitudo iterum.
Princeps ARNOLFUS *ſiquidem Bavarorum, agitatus*
Eumenidum furiis, in cinerem redigit.
Ultrix illicò quem Nemeſis ſequitur, meritáque
Perſolvit pœnam, Sylla velut moriens.
Pòſt Divus veniens Præſul Bambergius OTTO,
Nempe Lotharius ut Induperator erat.
Ædes deinde Monachorum fundavit amœnas:
Sic Fundatorem, Lector amice, tenes.

S.Crucis Werdeæ, In *Donawerthenſi* ſeu *Werdeæ S. Crucis* Bibliothecâ nihil omninò Mſs. Codicum reperiri, quod notatu dignum ſit, memorant *Pezii* in ſuo itinere,

(m) Vid. Aventinus libr. 5. fol. 581. Hundius in Metropoli. Ertl in Atlante Boico. & Mabillon. in Analectis Tom. IV. pag. 58. & 450.

nere, *ut quos*, inquiunt, *Lutherani Ulmenſes publico in foro ignibus concremaverint.* Unum tamen egregium & prelo digniſſimum deprædicant, GEORGII nempè *Crucenſis Monachi* volumen, quo *Annoles Werdeenſes* accuratè & ampliter, ſub medium, ni fallimur, elapſum Seculum proſecutus eſt.

Ensdorffenſis. ENSDORFFENSE apud Nariſcos Cœnobium uno infra Ambergam milliario ad fl. Vilſam ſitum, ab *Ottone IV.* Comite Wiltelpacenſi & Palatino Bojariæ dicto *Sapiente* circa A. 1131. reſtauratum, copioſam olim in manuſcriptis habuiſſe dicitur Bibliothecam, ſed deſtructo per bella & hæreſes Monaſterio theſaurus quoque literarius alio diſperſus eſt, aut penitùs intercidit. Novis tamen opibus literariis ſubinde aucta aliam hodie faciem induit, opem egregiam ferente Clariſſ. P. *Anſelmo Deſing* ejus loci Cœnobitâ doctiſſimo ſimul & laborioſiſſimo, cujus è Divite penu recèns in publicum rediêre. 1. *Larva detracta.* 2. *Jus Naturæ & Gentium.* 3. *Diatribe de Methodo Wolfiana.* 4. *Hypodigma de ratione ſola Mogiſtratibus præcipuè periculoſa.* 5. *Diſquiſitio Libri, cui titulus*: Spiritus Legum. 6. *Præjudicia repræhenſo præjudicio majore.* 7. *Regnum rationis hodiernum nihil præſtare veteri.* 8. *Diſcuſſio quæſtionis*, An opes ſint noxiæ Statui Eccleſiaſtico? *& alia quædam alibi fuſiùs memoranda.*

Tegernſeenſis Bibliotheca. Inter Bavariæ Monaſteria præcipuum obtinet locum TEGERNSEENSE ſeu *Tegurinum*, ſic dictum à lacu, qui unius horarii milliaris longus intervallo, inter Alpium juga valle anguſta fluit. Ampliſſimum eſt, olim Regium, & nunc totius Bajoariæ vulgò princeps monaſterium. In hoc cùm à prima origine multi inſignes Cœnobitæ vixerint, non rei literariæ minùs, quàm pietatis ſtudioſi, eorum cura, ſtudio, ac labore libraria ſupellex tantoperè crevit, ut vel hodie poſt tantas temporum injurias ad 1500. ſuperſint Mſs. Codices, quos inter

Cypriani Opera eleganter ſcripta, ſed ab annis trecentis.

Dionyſii Libri de cœleſti hierarchia, de divinis nominibus, de myſtica Theologia, *quos de novo tranſtulit Frater Ambroſius Ordinis Camalduenſium, & emendavit.*

Vita S. Ruperti Epiſcopi Saltzburgenſis cum veteri nota marginali, quæ *Mabillonio* (n) in Itinere Germanico hanc Bibliothecam perluſtranti viſa eſt ſuam ſententiam de ejus ætate confirmare. *Quantum elici poteſt ex ſucceſſione Regum Francorum ſanctus Rupertus floruit anno Domini DCCIII.* Hæc nota fatente Mabillonio, tantùm ab annis 450. Codex ante ſexcentos.

Martyrologium ampliſſimum, in quo Sanctorum acta fusè referuntur cum præfatione ad unumquemque menſem. Auctor ait, ſe juſſu Patris Erchanpoldi id operis ſuſcepiſſe.

Epiſtolæ variæ Abbatum Tegernſeenſium, ex quibus Joannes Mabillonius & Michaël Germanus præcipuas deſcripſerunt.

Commentatores in Regulam S Benedicti, pleriq; Tegernſeenſes Aſcetæ.

Fratris *Hermanni Gigantis* Ordinis Minorum *Chronicon Mundi* perductum usque ad annum Domini 1349.

Appendix ad idem Chronicon ab anno 1349.

Hiſtoria fundationis Monaſterii Campidonenſis, auctore *Gotfrido de Morſilia*, *Cancellario Pii Ludovici Imperat.* qui in contextu ſe vocat *Gottfridum Kerren nationis de Civitate Marſilia, in Cancellaria Karoli M. minimum Scribarum.* Quis hoc credat, niſi Judæus Apella?

Tractatus Rythmicus de Monaſterio Campidonenſi *& ejus multiplicibus Privilegiis.*

Chronica Abbatum Campidonenſium.

Hiſtoria Genealogica *Domnæ Gertrudis Reginæ Uxoris Chunradi Regis Romanorum Fundatoris Monaſterii Ebracenſis.*

Catalogus Abbatum Wezzoprunenſium.

Epitaphium Wulfhildis Bajoariæ Duciſſæ, ac Monialis Weſſoprunenſis Ord. S. B.

Chronicon Auſtriacum & Bavaricum ab anno 1359. ad 1496.

Carmen *Herimanni*, viz. *Hermañi* Contracti Monachi Augienſis.

Nicolai de Dinckelſpubel Epiſtolaris Tractatus contra omnes hæreticos errores M. *Johannis Huß de Praga.* Hanc Epiſtolam vide typis exſcriptam in Concilio Conſtantienſi V. C. Hermañi *van der Hardt.*

Ja-

(n) vid. ejus Iter German. Analect. tom. IV. pag. 70. vol. edit.

Jacobi de Erfordia: Utrùm una Miſſa efficacior aliâ ad placandam Divinam juſtitiam &c.

Fratris Adæ Romani Epiſtola ampla *de Sacramento Eucharistiæ.*

Ruperti Epiſcopi Olomucenſis *Libellus de his, quæ od pœnitentiam & confeſſionem pertinent.*

Chronicon Mſ.tum ab anno 978. ad an. 1481. dicatum cum arbore Genealogica initio Libri appoſita Alberto ſapienti Duci Bavariæ aſſervatur etiam in Electorali Bibliotheca Monacenſi. Vid. *Palignefius* in Monitis Genealogicis. pag. 117.

Rufini Epiſcopi Sorani *Libri duo de bono pacis ad Petrum* Abbatem Caſinenſem.

Conradi Prioris Domus Throni S. Mariæ in Gemnico Volumen Precum, Rhythmorum & Hymnorum de SS. Trinitate, S. Maria V. & aliis Sanctis. Huic Auctori, judice Cl. Bernardo Pezio, probabiliſſimè tribuitur etiam celebris ille Hymnus de S. Genitrice: *Omni die dic Mariæ &c.* qui vel ideò S. Caſimiri Poloniæ Regis eſſe nequit, quòd adhuc in Carthuſia Gemnicenſi adſervetur Codex S. Caſimiro multis annis antiquior, cui controverſus Hymnus inſertus eſt.

Johannis Keck Tegernſeenſis ante ducentos annos Theologi notabile ſcriptum *de nomine Tetragrammaton.*

Ejusdem plurima alia Opera.

Udalrici de Landau Cœnobitæ Tegernſeenſis ante annos 200. quatuor Scripta contra *M. Johannem Pyrckhamer, aſſerentem, quòd textus Evangeliorum, quæ nunc præ manibus habemus, ſit per S. Hieronymum ſolummodò emendatus, ſed quo interprete de Græco in Latinum ſit translatus, neſcitur.*

Bernhardi de Wabing circa 1450. Prioris Tegernſeenſis Tractatus Epiſtolaris *de forma ſervanda in Excommunicationis ſententia ferenda.*

Ejusdem alia aſcetica.

Euſebii Corradi Mediolanenſis Can. Reg. ad Sixtum IV. P. M. & Cardinales *Annototio in errorem ſcribentium, S. Auguſtinum fuiſſe Heremitam.* Hæc annotatio typis mandata eſt *Paduæ* per *Mag. Matthæum Cerdonis* anno 1484. in 4.

Fulgentii Epiſcopi Aſtigitani *Mythologiæ Libri* in Codice nongentorum annorum.

Capitularia Caroli M. Regis Francorum ejusdem ætatis.

Juvenci Liber quartus Hiſtoriæ Evangelicæ.

Macrobii Saturnalia.

Ciceronis Invectivæ in Catilinam.

Saluſtii Jugurthina & Catilinaria annorum 700.

Bernonis Augienſis Abbatis Liber *de Muſica* ad Piligrinum Archiepiſcopum Moguntinum, manu Seculi duodecimi.

Caſſiodori Commentarius in Pſalmos in membrana characteribus & picturis ad omnium invidiam decorata.

Symmachi Viri Conſularis *Epiſtolæ & Relationes de Republica ad Imperatores.* Cod. annor 800.

Gregorii Turonenſis Liber miraculorum.

Ejusdem Opus *de Gloria Confeſſorum.* Cod. Sec. XII. *Hunc Librum Werinherus Diaconus & Monachus patravit.*

Liber Paſtoralis Curæ. Cod. in 4. Sec. 12. *quem ſcripſit Bernhardus Subdiaconorum ultimus.*

S. Hieronymi Epiſtola de Ordinibus Eccleſiaſticis. *Collationes Caſſiani.*

Celii Firmiani Placidi Lactantii (ita Codex in 4. manu Seculi noni ſcriptus) *Expoſitio in Thebaidem Statii.*

Burchardi Ep. Wormatienſis *Decretum* manu B. Ellingeri Abbatis Tegernſeenſis exquiſitè in folio deſcriptum.

Lectionarium cum *Homiliario* annorum 800.

Theogeri Epiſcopi Metenſis *Liber de Muſica.*

Vita S. Petri Apoſtoli verſu Elegiaco ab Anonymo perſcripta ad quendam Leonem Papam in Cod. membr. 4. manu Seculi minimùm X.

Codicis Theodoſiani Libri VIII. in folio à mille propè annis exarati.

Boetius de Conſolatione Philoſophiæ.

Ejusdem *Liber de Muſica.*

Pauli Diaconi Epitome Librorum Pompei Feſti de ſignificatione Verborum.

Benedictio Cœnæ Paſchalis Judæis uſitata literis Hebraicis in Cod. memb. fol. à trecentis annis cum verſione Latina Anonymi ejusdem ætatis.

Eſt igitur Tegernſeenſis Bibliotheca peregregia, ſi quæ alia, in qua viſuntur ad MD Mſs. Codices, ex quibus nonnulli vetuſtiſſimi ſunt. Quos autem pauciſſimos hîc recenſuimus, *Cl. Bernardus Pezius* in itinere ſuo Literario explicatiùs enumerat. Equidem opera amici Catalogum mſs. Codd. integrum, huic hiſtoriæ noſtræ inſerendum, expetivimus; ſed nihil obten-

obtentum. Petitio noſtra in ea tempora incidit, quibus Bavari Gallis juncti cum Auſtriacis de rerum ſumma acerrimo bello decertârunt. Votis igitur fruſtrati illius recordati ſumus, quod S. P. Benedictus monet in Regula cap. 31. *Horis competentibus dentur, quæ danda ſunt, & petantur, quæ petenda ſunt.*

Weichenſtephenenſis *Bibliotheca* WEICHENSTEPHENENSIS *propè Friſingam.* In hac non plurimi quidem, ſed bonæ notæ ac plerique vetuſti Codices ſuperſunt. Clariſſimi Fratres *Pezii* in Itinere ſuo Literario ſequentes notârunt.

Sacra Biblia vulgatæ editionis, duobus voluminibus majoris modi concluſa ſexcentorum annorum.

Libri Moralium S. Gregorii M. à ſeptingentis annis in fol. Ad calcem hujus Codicis additur Catalogus Librorum, qui ea ætate in Monaſterio Weichenſtephenenſi extabant, non indignus, qui hîc locum ſortiatur.

Hæc eſt notitia Librorum Eccleſiæ S. Stephani.

Inprimis, qui pertinent ad Divinum ſervitium:

Unus Miſſalis cum Graduali & Sequentionario ad Capellam Abbatis.

Duo Miſſales cum Graduali & Sequentiis & Epiſtolis & Evangeliis adſcriptis.

Item unus Miſſalis.

IV. Lectionarii.

Unus Officialis.

Unus Epiſtolaris.

Unum Evangelium.

Duo Nocturnales abſque cantu. Unus ab Adventu Domini usque ad exitum Pentecoſtes. Abhinc usque ad Adventum Domini.

Item Nocturnalis cum Pſalterio & Ymnario & Officiali.

Item dimidius Nocturnalis.

Duo Antiphonaria cum Ymnario - -

Duo Pſalteria in Choro cum Gradali.

Ymnarius unus.

Unus Gradale ad Scholas.

Unum Baptiſterium.

Alii Libri à Fratribus in Capitolio & ad Menſam & ad Collationem legendi.

Collationes Patrum diverſorum in uno volumine.

Quatuor Partes Moralium.

Unum Paſſionarium & unum - - Octarium diverſorum Sanctorum.

Tres Libri Auguſtini. - - -

Omeliam, quam Abbas Agano incœpit, ſed non perfecit.

Vita S. Martini & S. Galli & S. Magni, Item S. Johannis Eleemoſynarii Epiſcopi.

Iſidorus de Summo Bono.

Martinus de honeſtatis Cura cum Omeliis.

XL. Omeliæ.

Sermones - - - S. Mariæ.

Heimo ſuper Cantica.

Translatio S. Dionyſii.

Item alius Liber de nominum interpretatione.

Hieronymi vita S. Gereonis, & Paſſio XI. millia Virginum.

Libellus - - -

De quatuor Partibus Orationis.

Dialectica Ariſtotelis cum Commento.

Arithmetica. Geometria. Item Geometria cum - - Muſicæ duæ.

Yginus ſup. - - - - Mercurii cum commento.

Ovidius & Jugurtinus.

Libellus ſuper abacum.

Fabullarius. - - -

Plinius.

Hereni medicinalis cum Fiſic. - - -

Euticius de - -

Arator.

Alcimus.

Duo Perſii.

Beda.

Chronica Jordanis.

Mappa mundi.

- - - narium S. Stephani.

Damianus de Simoniacis.

Alexander.

Apollonius.

Dareta.

Maximianus.

- - - cella.

Claviculæ.

- - - Medicinalia.

- - Vita S. Os.

Horatii & Virgilii Opera, in quorum fronte effigies Altonis ſeu Alti Abbatis Codicem S. Stephano conſecrantis depicta cernitur. Fuit is Moderator ab anno 1183. ad 1197. Idem Alto dicat S. Michaëli & Stephano Loci Patronis *ſeptem Partes Moralium S. Gregorii Papæ.* Trecentis annis aliquot antiquior eſt ejusdem *Gregorii cura Paſtoralis* in Cod. membr. 8. màj. In alio Codice membraneo quadringentorum annorum habetur

cujusdam *Wulperti*, haud dubiè noſtratis Mooachi *Libellus metricus de Vita clauſtrali* hoc exordio:

Qui cupis immundi vitare pericula Mundi
Teque ſitis Deo tradere ſervitio:
Curſu non pigro clauſtro ſociabere nigro.
Velle relinque tuum, fer Monachale jugum.
Non eſt quippe grave portantibus, imo ſuave.
Nam datur inde quies, perpetuúsque dies.
Ergo Monaſterium pede feſtino pete Dium
Et Monachi ſtudium diſce tenere pium &c.

Sed hæc nihil ſunt ad inſignem illum Codicem membr. in 4. in quo Monaſterli Weichenſtephenenſis *Annales* à primis incunabulis usque ad medium Seculom XIV. à coævis producti ſunt. Huic Operi Calendarium Seculo minimùm decimo ſcriptum adglutinatum eſt, in quo ad IV. Id. Decemb. quædam manus Seculi duodecimi hæc notavit: *Hitto Friſingenſis Epiſcopus, qui in iſto loco primitùs initiavit Dei ſervitium cum uno Præpoſito & ſex Præbendariis, qui & S. Alexandrum, & S. Juſtinum, de Roma huc attulit.* Diſtinctum ab illis Annalibus eſt *Chronicon Weichenſtephenenſe* à Caſpare Fraſio, erudito hujus loci Abbate compoſitum, & usque ad proximum Seculum perductum digniſſimum ſanè, quod Aonalibus vetuſtioribus junctum typis exprimatur. Eodem pertinet amplum Elegiacum carmen *de Timone Comite, ac de miraculo Fontis S. Corbiniani* primi Friſingenſis Epiſcopi, manu Seculi XII. exaratum, quod ita in Codice incipit:

- - - *inſtanti optatus, quæ contigit anno*
- - - *cum Romam ſudor agebat iter* &c.

E quorum verſuum regione eadem manus iſthæc obſervavit: *verſuum iſtorum initium non negligentia vel ignavia eſt relictum, ſed potiùs vetuſtate deletum, in Rotula ſcilicet antiquitus compoſita, unde hæc ſunt tranſcripta.* Symbola Cl. *Bern. Pezii* Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecdot. Noviſſ. n. 43. p. XXIV.

Benedictoburana. BIBLIOTHFCÆ BENEDICTOBURANÆ Codices Mſs. indice eodem PEZIO nequaquam proletarii ſunt, ſed cum totius Bavariæ, ac fortè etiam Germaniæ præſtantiſſimis conferri poſſunt. Cæteris palmam præripiunt, qui dono *Kiſylæ* Reginæ Franciæ ad *Cochalenſe* primum, deinde Buranum Monaſterium pervenêre. In veterrimo Codice Benedictobur. de his libris ſequentia annotata fuerunt.

Deſcriptio Librorum, quos ad Eccleſiam S. Michaëlis Archangeli ad Quechalun tradidit. Kiſyla Monialis reguli Francorum progenie odita pro ſui commemoratione.

Liber I. Geneſis.
II. Regum.
III. Salomon.
IV. Job. infra al. *
V. Prophetiæ.
VI. Actus Apoſtolorum.
VII. Liber Epiſtolatum Pauli.
VIII. Omeliæ beati Gregorii Papæ, in quo titulus iſte habetur, id eſt: XL. Omeliæ.

Huic Codici *Pezius* ſequentem ſubjecit notam. *S. Gregorii M.* Homiliæ XL. in Evangelia *hodiéque extant in Codice Benedictoburano in fol. in quo ſequentia notavimus. Priores viginti Homilias ſcripſit* Engilhart, *ut in calce vigeſimæ ipſius teſtatur his verbis: Ora pro ſcriptore, ſi habeas Deum adjutorem, Hengilhart. Poſteriores viginti Chadold exaravit, ut idem notat ad Operis univerſi finem:* expliciunt Omeliæ beati Gregorii Papæ. Chadold Presbyter ſcripſit iſtas Omelias, qui cum Regina Kiſyla venit ad Monaſterium ſancti Michaëlis Archangeli ad Quohchalun. Obitus Domnæ Kyſilæ Monialis, & Reginæ ſub die Idus Martii.

IX. Major Collect.
X. Sermonarium.
XI. Liber Synonima.

Antiphonaria II. & II. Gradalia, & II. Miſſalia, & II. Lectionarii cum Evangel. Unum Pſalterium, quos per ſuos Capellanos fecit ſcribi Engilhardum, Chadoldnm, Tracholſum Friſingenſis Eccleſiæ Epiſcopum, Rudpertum, Racholſum.

Ad Monaſterium ſancti Benedicti beatiſſimi Confeſſoris Chriſti ſingulariter tradidit libros & pecuniam multam, Curtingam regiam villam cum omnibus pertinentiis ſuis & cum omni jure, quo ſibi ſervivit, tradidit ad eundem Altare Sancti Benedicti, ſuíſqoe ſervitoribus pro commemoratione ſui omniúmque Chriſtianorum. Veſtimenta quoque Monachis præbebat de propriis ſumptibus omne tempus vitæ ſuæ. Sub die Idus Martii migravit de hoc Seculo in pace, Amen.

His nunc ſubjiciemus Catalogom Mſs. Codd. cum eruditis Notis & Ani-

Digitized by Google

Animadverſionibus laudati *Bernardi Pezii.*

CATALOGUS CODICUM MONASTERII BENEDICTO-BURANI CIRCA ANNUM CHRISTI MCCL.

Iſti ſunt Libri Burenſis Eccleſiæ.

Pentatevcum, ubi Liber quilibet ſigillatim gloſſatus.
Ruopertus in Exodum.
Pſalterium gloſſatum.
Apoſtolus gloſſatus.
Liber Prophetarum gloſſatus.
Onorius bis ſuper Cantica Candicôrum.
Haimo ſuper Apocalypſim.
Ruopertus ſuper Cantica Cantic.
Origenes ſuper Cantica Canticorum.
Jeronymus ſuper Danielem. (o)
Moralia Gregorii in duobus voluminibus.
Gloſſæ ſuper Cantica Cant. cum quodam Tractatu de ædificatione Clauſtri materialis.
Gloſſæ ſuper Johannem bis.
Gloſſæ ſuper Lucam.
Gloſſæ ſuper Marcum.
Gloſſæ ſuper Eſaiam.
Gloſſæ ſuper Epiſtolas Canonicas.
Gloſſæ ſuper Apocalypſin.
Auguſtinus ſuper Johannem.
Ambroſius ſuper Lucam.
Beda in Marcum.
Jeronymus ſuper Eſaiam.
Sententiæ Magiſtri Petri.
Iſidorus Etymologiarum (p)
Tractatus Auguſtini de Cœna Domini.
Auguſtinus de Civitate Dei (q)
Flores Auguſtini.
Auguſtinus ſuper tertium quingentale.
Præſens Liber ſuper Pſalterium usque: *Attendite*
Ambroſius ſuper *beati immaculati.*
Jeronymus ſuper Matthæum.
Auguſtinus de Verbis Domini.
Innocentius de Sacramentis.
Joſephus Antiquitatum.
Tres novæ Omeliæ & tres vetuſtæ.
Liber Gratiani.
Liber Inſtitutionum Juſtiniani Imperatoris de Legibus.
Inſtituta Juſtiniani, qui novus Codex vocatur.
Liber de Lege lata Conſtantini Auguſtini.
Leges Tageberti.
Eccleſiaſtica Hiſtoria.
Liber Prophetarum bis.
Liber Regum bis.
Liber Geneſis bis.
Apoſtolus bis.
Quadraginta Omeliæ Gregorii.
Libri Collationum duo. (r)
Abecedarii duo.
Item duæ Omeliæ ex carpaſato per anni circulum.
Libri duo Paſtoralis curæ. (s)
Sententiæ Iſidori.
Item alius Liber Sententiarum.
Regiſtrum Gregorii.
Dialogus Gregorii.
Gregorius ſuper Ezechielem.
Johannes Chryſoſtomus de reparatione lapſi hominis.
Expoſitio Amos Prophetæ. (t)
Liber Conſuetudinum. (u)
Liber Gwidonis de Muſica. (x)

Yyy 3 Libri

(o) *Extat hic Codex adhuc in Bibliotheca Burana, videtúrque Seculo octavo exaratus. Præter Commentarium in Danielem eodem volumine eadem manu etiam Hieronymi vita SS. Pauli Eremitæ ac Malchi Monachi includitur.*

(p) *Bonæ notæ Codex, Seculi minimùm decimo ſcriptus.*

(q) *Hunc Codicem exaravit Seculo XII. Burchardus Monachus, ut ipſe his verbis ad calcem illius adſcriptis teſtatur.*

Quem pro te Chriſte ſcripſi, liber explicit iſte.
Hunc Benedicte bone mihi conſervando repone.
Túque recompenſes, dignum ſi quo modo cenſes.
Quin lector chare, rogo Burchardi memorare.

(r) *Codex hic in fol. optimæ notæ & vix Sec. X. recentior eſſe poteſt.*

(s) *Codex membraneus in 4. Seculo VIII. vel IX. deſcriptus.*

(t) *Quis hujus expoſitionis Amos Proph. auctor ſit, ex Codice qui Seculo XII. ſcriptus eſt, colligere non potuimus. Opus his verbis incipit:* Sapientiam, aperientem ora murorum, diſertáſque facientem linguas infantum ſequor, licèt claudus utcunque poſſum, ad ſe vocantem &c. *Eodem Codice, qui in forma 8. eſt, continetur & Anonymi Tractatus* de Blaſphemia, cujus exordium: De Blaſphemia in Spiritum Sanctum tractaturi, arida corda fluentia Divinæ gratiæ ſupponimus &c.

(u) *Hic* Liber Conſuetudinum *eſt S. Wilhelmi Abbatis Hirſaugienſis, cujus Præfationem Mabillonius Tom. IV. Analectorum edidit. Integrum Opus Buræ, Admontii, in Monaſterio B. Mariæ ad Scotos Vindobonæ, in pluribúſque aliis Germaniæ Cœnobiis adſervatur.*

(x) *Si auctori hujus Catalogi ſermo eſt de integro Libro Guidonis, hic Codex cum pluribus aliis hodie Buræ deſideratur. Nam breve Guidonis ſcriptum* de menſura Monochordi quod incipit: cùm primùm à G. ad finem novem paſſibus Monochordum partiris, primus paſſus terminabitur in A. &c. *excerptum duntaxat ex integro Libro Guidonis videtur. Porrò breve hoc ſcriptum habetur etiamnum in Cod. membr. 8. manu Seculi XII exarato, in quo præterea ſequentia obſervatione digna poſteris relicta ſunt.* Dialogus inter Bern. Abbatem Augienſis Cœnobii & Monachum Gerungum habitus, qualiter quatuor temporum jejunia per ſua Sabbata ſint obſervanda. *Incipit;* licèt in his ſacris &c.

Hunc

Libri XXII. in quibus continentur paſſiones & vitæ Sanctorum. (y)
Item duo Libri veteres ex Civitate Dei.
XXI. Parabolæ Salomonis.
Auguſtinus de Utilitate credendi.
Boëtius Vilofophiæ Conſolationis gloſſatus.
Item alius Boëtius ſine gloſſa.
Lucanus gloſſatus.
Oratius gloſſatus.
Virgilius valde vetuſtus.
Virgilius valde vetuſtus.
Saluſtius. (z)
Prudentius Ymnorum.
Item gloſſæ ſuper Lucanum.
Tullius de Senectute & Amicitia.
Scholaſtica Hiſtorica in duobus Libris.
Ovidius Epiſtolarum.
Ovidius de Ponto.
Arator.
Ovidius Epiſtolarum.
Theodolus.
Prudentius Sicomachiæ. *Pſychomachiæ.*
Macer.
Ovidius de Arte Amandi.
Liber cujuſdam, qui ita incipit: *metrica tyrones.*
Item Liber qui ſic incipit: *quidquid agit varios humana in gente labores.*
Priſcianus magnus.
Item Pars Priſciani in alio libro.
Perſius.
Donatus.
Grammatica Niconis.
Porphyrius.
Comentum Boëtii ſuper Porphyrium.
Item alius Porphyrius gloſſatus.
Liber Ariſtotelis de Sophiſticis Elenchis.

Liber

Hunc ſuo loco integrum dabimus. II. Otkeri Monachi Ratisponenſis Theorema troporum, ſeu Cribrum Monochordi. *Incipit*: Quidam Ratisponenſis Monachus &c. III. Organica diſpoſitio ſecundùm Aribonem. *Incipit*: Organica menſura hoc exigit &c. *De quibus omnibus alibi pluribus agemus. Cæterùm Opuſcula duo Muſica Guidonis, id eſt*: Micrologus, ſeu Liber de Arte Muſica, *&* Libellus de artificio ignotum cantum inveniendi, *quem quaſi* Prologum *in Antiphonarium ſcripſit, integra extant in Cod. membr. 8. manu Sec. XII. in Bibliotheca S. Emmerami Ratispona. Quocirca id poſtremo noto, Guidonis* Epiſtolam ad Michaëlem. *Libello* de Artificio ignoti Cantus *præmiſſam longe hic emendatiorem legi, quam à Baronio & Mabilonio in Annalibus Benedictinis Tomo IV. edita ſit, nec notas illas*: cum D. GR. ML. reverendiſſimo Abbate *explicandas eſſe* de Domno Gregorio Abbate Mediolanenſi &c. *ſed ſic exponendas legendaſque*: cum Domno Grimoaldo reverendiſſimo Abbate, & Domno Petro Aretinæ Eccleſiæ &c. *ut diſertè habet Codex Emmeramenſis. Ex quo uno exemplo liqueat, non ita facile eſſe, ejuſmodi initiales nominum propriorum literas & notas rectè interpretari quàm nuper cuidam viſum fuit.*

(y) *Ex his XXII. voluminibus quædam adhuc extant in Burana Bibliotheca, quorum vetuſtiſſimum eſt in folio, quod puto eſſe illud Paſſionarium, à Kiſyla Regina Eccleſiæ Cochalenſi oblatum. Nobis ſeculo Chriſti VIII. aut minimum IX. ſcriptum videbatur. Aliud inſigne* Paſſionale *eſt in 4. Seculo XI. exaratum: & item aliud in 8. eodem Seculo ſcriptum, quo ſequentia continentur*: I. Paſſiones SS. MM. Tiburcii, Valeriani, Maximi. II. Paſſio S. Hermetis M. III. Paſſio S. Bonifacii Ep. & M. IV. S. Emmerami Ep. & M. V. Vita S. Genovefæ Virg. VI. S. Gertrud. Virg. VII. S. Radegundis Virg. VIII. Vita SS. Confeſſorum Eucharii, Valerii, Materni Epp. IX. S. Vedaſti Ep. & Conf. X. Vita S. Lupi Ep. & Conf. XI Paſſio S. Columbæ V. & M. XII. Paſſio S. Barbaræ V. & M. ac Sororum ejus Julianæ & Candidæ. XIII. Vita S. Walburgæ V. XIV. S. Mariæ Ægyptiacæ. XV. Paſſio S. Chriſtinæ V. & M. XVI. Paſſio S. Reginæ V. & M. XVII. Vita S. Clodoaldi Presbyteri & Confeſſoris. *His vitis in primo Codicis folio hi verſus præmittuntur.*

Nobilitas cujus ſceptrum generoſa coronat,
    Coocinit & geſtis Nominis ordo probis.
Hoc opus, hoc modici clementer quæſo libelli,
    Quod tibi, Rex, humili, ſuſcipe, dedo manu.
Ut tua ſub prona complerem juſſa ſequels,
    Iſtius excerpſi commata parva Libri.
Summa quod omne jubes Perſona, fatebor agendum:
    Raſa tamen textus portio magna patet.
Diſplicet, ut vereor, brevitatis pagioa Regi,
    Quam poſuiſſe tuis cernimur imperiis.
Qui fuerit biois idoli contemptus adelphis
    Arderent zeli qualiter igne Dei.
Diſtinguente meo cunctas ex ordine cauſas,
    Ingenio expreſſum ſufficienter habes,
Ne vacuus tanti conſpectu Principis adſtem,
    Hoc donum Domino do manuale meo.
Hoc animum poterit Regis placare ſereni:
    Conſtat enim ſolido cordis amore dari.
Pluribus incolumis vivas Rex inclyte ſedis:
    Obtineant ſummæ Virginis oro preces.
Gaudeat atque Chorus cœli te cive futuro,
    Sis ubi perſpicui hæres amande Dei.

(z) *Hic Codex, qui etiamnum ſupereſt, continet* Saluſtii Catilinariam, & Jugurtinam, Martianum Capellam de Nuptiis Mercurii & Philologiæ cum veteri Commentario & Perſii Satyras. *Eſt in fol. annorum ſeptingentorum.*

Liber de Suppoſitione terminorum.
Pars gloſſarum Ovidii magni.
Item Gloſſæ Lucani.
Sedulius.
Liber Derivationum.
Regulæ puerorum.
Liber de Proſaico dictamine.
Item vetuſtus Liber de Proſaico dictamine.
Sententiæ Hugonis bis.
Liber de Aſtrolabio.
Iſidorus de Synonimis.
Sermones Oratii.
Liber de ſitu montis Caſſini. (a)
Liber Petri humilis Monachi de Contemptu Mundi.
Libri duo de arte Calculatoria. (b)
Item pars Salluſtii.
Liber de Fonte noſtro Hailprunne. (c)
Liber Decretalium Expoſitionum. (d)
Duo Libri de Phyſica.
Item Gloſſæ ſuper Apocalypſin.
Gloſſæ Lamentationis Ieremiæ.
Item Commentum earundem.
Libellus Scrutinii.
Libri Orationum duo.
Libri Pœnitentialium duo.
Speculum Eccleſiæ.
Duo Sermonaria.
Libri de Ædificio Dei, qui pertinet Puecberg, ubi autem Filo [*Philo*] noſter eſt. (e)
Miracula Sanctæ Mariæ, quæ eſt in Schlechtorf.
Sedecim Choterni de diverſis Libris inchoati.
Item XVI. cotemuli de Monte Caſſino.

Item Pars Matutinalis Libri à Paſcha usque Pentecoſten.
Libri Scintillarum IV.
Alcuinus de VII. Pſalmis.
Gloſſaria duo.
Libellus de Paſſione S. Sixti & Laurentii, & S. Mariæ Ægyptiacæ verſificè.
Item antiquum Sermonarium.
Item antiquus Liber Actus Apoſtolorum.
Tres Ymnarii.
Antiquus Liber de fundatione hujus Eccleſiæ. (f)
Item Libri, quibus non potuimus aſſignare nomina, XX.
Muſicum Antiphonarium, & Muſicum Graduale, & quinque alia Gradualia, & tres Antiphonarii, & quartus magnus cum Graduali.
Item Liber novus de Confeſſione & Pœnitentia.
Regulæ de Abaco.
Liber de Glorificatione Filii hominis. (g)
Liber Chriſti, atque ſub nomine & honore Sanctiſſimi Confeſſoris Chriſti Benedicti Abbatis, Patroni noſtri ſub die IX. kal. Nov. &c.

In fine: hoc Breviarium Dominus *Gothelmus* fieri juſſit. *Breviario huic in Codice membr. deſcripto in 4. ſubiunguntur diverſis ſecundùm ætatem manibus nomina Abbatum Burenſium usque ad D.* MAGNUM, *qui Buræ nunc maxima cum laude præeſt. Porrò hic idem* Gothſcalcus *ſcripſit* hiſtoriam

(a) Hic liber non videtur eſſe diſtinctus à *Leonis Oſtienſis Chronico Caſſinenſi*, quod extat in Cod. 8. manu Seculi XII. exarato. Idem Chronicon habetur in alio Bibliothecæ Buranæ Codice literis Longobardicis ſcripto cum multis Anonymi notis notatu digniſſimis. Deſinit Opus in Friderici Abbatis Caſ. electione his verbis: *ingenti gaudio & exultatione cunctorum de more Monaſterii Abbas electus eſt.* Addit alia manus: anno Domini MLVII.

(b) *Libri duo de arte calculatoria*: id eſt: duo exempla duobus diſtinctis Codicibus comprehenſa Libri de Computo Eccleſ. auctore Helperico Monacho S. Gallenſi, à nobis Tomo II. P. II. hujus Theſauri evulgati. Uterque Codex supereſt. Unus in 4. Seculo XII. ſcriptus hunc titulum præfert: *Helpericus de arte calculatoria*: alter in 8. eadem ætate exaratus eſt, in quo auctor Libri de arte calculatoria *Hilphericus* appellatur ad prioris exempli calcem extat breve Chronicon aut potiùs veteris Necrologii Burani ſpecimen, quod auctor Catalogi noſtri videtur infra *Chronicam* vocaſſe *alligatam arte calculatoria*, id eſt: Helperico de Computo in eodem Codice ſubjunctam & conligatam.

(c) Hanc *Hiſtoriam Fontis Salutis* infrà poſt Epiſtolas ad res Buranas attinentes à nobis editam habes. Plura de hoc Opuſculo vide in Præfatione ad hunc Tomum.

(d) Liber Decretalium Expoſitionum. *Duplicem hodiéque Bura poſſidet Decretorum Collectionem. Prior eſt Burchardi Ep. Wormatienſis, ad cujus calcem hæc in Codice membr. in folio leguntur*: anno Domini Milleſimu, Centeſimo, Octavo, Indict. II. XIII. Kal. April. completus eſt Liber iſte. *Altera extat in Cod. membr. in fol. manu Seculi XIII. deſcripto hoc Titulo*: Sigehardi Summa Canonum. *Incipit*: Diligite juſtitiam, qui judicatis terram. Parum eſt jus eſſe in Civitate, niſi ſint Miniſtri, per quos ordinetur & exerceatur &c. *Finis*: ego verò Sigehardus Cremonæ filius natione, & Mogontinæ Eccleſiæ filius ſpiritalis translatione æmulos patienter ſuſtineo, & mei judicium matris arbitrio derelinquo. *Conſtat univerſum opus tribus partibus, quas Sigehardus* Diſtinctionibus, Cauſis, & Conſecrationi attribuit, Gratiani ferè veſtigiis inſiſtens. Atque hoc poſterius Opus auctor Catalogi deſignare videtur.

(e) *Hic eſt liber* GERHOHI Præpoſiti Reicherſpergenſis de ædificio Dei, *quem II. Tomi parte altera ex Bibliotheca Burana primus in lucem protuli*,

(f) *Plures, eæque maximam partem antiquæ Monaſterii Burani hiſtoriæ nunc quoque in Bibliotheca & Archivo ejusdem loci adſervantur. Primam in Catalogo hic denotari exiſtimamus*, Gotſchalcus *quidam Burenſis Monachus juſſu* Gothelmi *Abbatis ſui, qui anno MLVII. e vivis exceſſit, condidit. Titulus Opuſculi.* De fundatione loci.

(g) *Hic liber haud dubie Gerhohi Opus eſt* de Gloria & honore Filii hominis.

ſtoriam vitæ & translationis S. Anaſtaſiæ V. & M. *Burani Monaſterii Tutelaris.*

Secundo inter Chronographos Burenſes loco commemorandus venit Auctor Rotuli Benedictoburani, qui protenſo in longum membraneo volumine fundationum, geſta Abbotum &c. à loci origine usque ad Gothelmum complexus eſt circa MLIV. Dolendum ſanè initium & finem ab hoc illuſtri antiquitatis monumento abſciſſum eſſe.

Tertia Burani Hiſtoria hobet Auctorem quendam Anonymum Cœnobitam Burenſem, qui medio Seculo duodecimo floruiſſe videtur. Hæc extat in Codice coævo in fol. & in alio Cod. membr. in 4. moi Incipit : anno ab Incarnatione Domini MCCXL. indict. VIII. ſub Zacharia Papa & Rege Karolo, patre Karolomanni & Pippini, tempore, quo ſanctus Bonifacius Mogontienſis Archiep. in Francia, Freſia, Auſtraſia, Bawaria fidem Chriſti ſeminabat, cùm jam Eccleſiæ vel Monaſteria in his partibus conſurgerent &c. *Deſinit in Abbate Waltero, qui præfuit ab anno MCXXXVIII. obiitque MCLXVIII. Ab hac hiſtoria diſtiucta eſt Cronica Burenſis ex Codice Ettalenſi à nobis primo loco inter Monumenta Hiſtoriam Monaſterii Benedictoburani illuſtrantia collocata.*

Denique Antonius Funda, *Cœnobita Benedictoburanus Seculo decimo ſexto ineunte præclarum loci ſui Chronicon à prima origine usque ad annum Domini MDIV. condidit Priorem hujus partem conſtituit Anonymi Burenſis Hiſtoria medio Seculo XII. ſcripta mox à nobis relota, quam Antonius diverſis in locis interpolat. Reliquum Opus à Walthero Abbate usque ad Narciſſum Buræ anno MDIV. Præſulem eſt unius Antonii, qui talem ſuam ex chartis donationum, diplomatum &c. contexit. Codex, in quo hoc Chronicon habetur, eſt chartaceus in fol. ipſum verò opus his verbis incipit:* anno Verbi Dei ex Virgine geniti ſeptingenteſimo, Jndictione Octava ſub Zacharia Papa, Rege Karolo, patre Karolomanni, & Pippini tempore &c.

Liber Bernhardi Magiſtri Dictaminum profeſſionis.

Quinque Miſſales Libri integri ad Sacrarium pertinentes, & unum Collectarium.

Sextus integer in Cocheln, ſeptimus in Parochia, octavus in Puhel.

Ad S. Laurentium Collectarium unum, & Liber alius, in quo continentur Epiſtolæ & Evangelia.

Item ad Sacrarium pertinens Evangelarium, & alius Liber cum Evangeliis & Epiſtolis, & minor Epiſtolarum.

Officialia duo & tertium vetuſtum.

Quatuor Pſalteria, & duo Benedictionalia, & Breviarium unum.

Liber Letaniarum.

Duo Libri Matutinales.

Chronica alligata eſt arte calculatoria.

Item Libellus pro Defunctis & Regula.

Horum ſumma CCXLVII. Libri.

Porrò dum nobis, proſequitur Cl. Pezius, *copia fieret hujus ampliſſimi Monaſterii tum editos, tum ineditos Libros perluſtrandi, præter jam notata etiam alia occurrerunt, quæ Viris eruditis ſcitu nec inutilia nec injucunda videntur. En ea igitur!*

I. Pauli Diaconi Monachi Caſſinenſis Hiſtoria Longobardorum. *Codex membr. 4. manu Seculi circiter XI. In fine*

Hunc, actus veterum ſi ſcire iuvat, lege Librum.
Longobardorum, qui pandit geſta ferorum.
Auctor habet Paulus nomen, Scriptor Ludeuvicus.
Sis Deus amborum merces condigna laborum.

II. Hilduvini Abbas S. Dionyſi Areopagitica. *Cod. membr. 4. manu Sec. XI. Ibidem extat* Paſchaſius de Corpore & Sanguine Domini eadem manu.

III. *Inſignis Liber* Abbatis S. Mathiæ Treviris, qualiter ſe Abbas regere debeat. *Incipit:* quoniam ab alto procedit &c. *Cod. chartac. manu Seculi XV. quo Auctor* Johannes Rhode floruit.

IV. Chuonradi Abbatis Haylsprunenſis (*Fontis Salutis Ord. Ciſterc.*) Sermones Dominicales. *Pars Hyemalis extat in Cod. Chart. fol. cui hic Prologus præfigitur*: Exurge à mortuis &c. Cogitavi mihi, quòd Deum Patrem peccatis meis &c. *Manu Sec. XV. Pars Æſtivalis habetur in Cod. membr. fol. In fine*: finitus eſt iſte Liber anno Domini 1396.

Nomen Scriptoris ſi tu cognoſcere velis,
Wil tibi ſit primum, *hal* medium, *músque* ſit imum.

Id eſt: Wilhalmus,

V. Wern-

V. Wernheri de Friburg revocatio errorum à ſe admiſſorum & ſparſorum. *Cod. chart. fol. Incipit*: Anno Domini 1405. 11. die menſis Februarii in aula Epiſcopi Spirenſis in Oppido Heidelberg Wormatienſis Diœceſis conſtitutus Frater Wernherus de Friburg Ord. S. Aug. Lector ejusdem Ordinis Domûs Laurentii faſſus eſt, prout ſequitur: *Ich Bruder Wernher bekenn offentlich, und tun kunt, und beger aller menlichen zewiſſen, das ich umb ezlich articl, die ich unverſihtlingen gebraydet han &c.*

VI. Anonymi Libellus de Origine gentis Saxonum in Germania. *Inc.* ſuper Origine gentis Saxonum varia opinione, aliis æſtimantibus de Danis Nortmannisque eos originem duxiſſe: aliis verò, quibus & Græci conſentiunt dicuntur &c. *Deſinit in Henrica Imp. & ejus Conjuge S. Mathilde, cujus vitam ibidem Auctor ſubjungit hoc initio:* venerabilis igitur Mathildis Regina illuſtris genere &c. *Cod. in* 12. *man. Sec. XII. Univerſa hactenus memorata non niſi ſeptem, ſi rectè memini, folia implent.*

VII. Nicolai Lackemann Comentarius in Librum I. Sententiarum. *Inc.* Liber iſte dividitur in tres partes principales. In prima præmittit &c. *Codex ch. in* 4. man. Sec. xv. *Fortè hic eſt ille* Nicolaus Lanckmannus, qui Acta Deſponſationis Friderici III. Imp. cum Eleonora Portugall. deſcripſit.

VIII. Roberti de Monte Hiſtoria Hieroſolymitana. *Cod. membr.* 4. *manu Seculi XIII. circiter. In eodem Cod. extat* Solinus de ſitu Orbis terrarum, manu Sec. XII.

IX. S. Pauli Epiſtola ad Laodicenſes. *Cod. membr.* 4. *man. Sec. XIII.*

X. Alani Abbatis S. Mariæ Homiliarium. *In Cod. membr. in* 4. *manu Seculi VIII. vel IX. Opus in duas partes tributum eſt. Prior continet Homilias Patrum ab Adventu Domini usque ad Paſcha: poſterior reliquas usque ad anni Eccleſiaſtici finem. Hoc videtur eſſe* Sermonarium, *quod* in Deſcriptione pecuniæ & Librorum à Kiſyla Regina Eccleſiæ Cachalonenſi *oblatorum recenſetur. Cæterùm hoc idem Opus in æquè antiquo Codice in folio adſervatur in Bibliotheca Tegernſeenſi, ubi Auctor* Alanis *vocatur. Præfatio incipit*: Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti gratia rutilante opacitatis tenebris ab agro legis repulſis, atque mortiferum* virus legis literæ excluſo quaſi quidam Evangelici aratores extiterunt Apoſtoli &c. *Finis præfationis hic eſt.* Hæc enim, & alia, quæ infra tenentur, vel ſequuntur, ego Alanis ultimus omnium Servorum Dei, nomine, non opere vocatus Abba in Cœnobio ſanctæ Matris Domini, intemeratæ Virginis Beatæ Mariæ, ob multorum equidem utilitatem in hoc corpore adgregare curavi.

* *Ita Cod.*

XI. Johannis Miſthelburg Sermones de tempore. *Inc.* erunt ſigna in ſole & luna &c. Quamvis enim unusquisque homo judicatur. *Cod. chart. fol. manu Sec. XV.*

XII. Rudolfi de Lubeck Paſtorale novellum, ſeu Summa Sacramentorum, rituum, vitiorum &c. *verſu Hexametro. Incip.*

Sanctorum ſacra verba Patrum, Decretaque Romæ
Pontificum variis diffusè tradita Libris &c.

Opus perfectum eſt anno 1323. III. kal. Julii ſub Johanne Papa XXII. *Cod. chart. fol.*

XIII. Petri de Pirchenwart Tractatus, *ſeu* Sermo de Corpore Domini. *Inc.* Venite ad me omnes &c. De venerando Euchariſtiæ Sacramento & ejus digna ſumptione &c. *Cod. chart. fol. Auctor floruit Seculo XV, maximè in Univerſitate Wiennenſi, extántque diverſa alia ejus Opuſcula MSS. in Auſtriæ Bibliothecis, de quibus alibi plura.*

XIV. Gebenonis Prioris in Eberbach ſpeculum futurorum temporum, ſive Pentachronon ſanctæ Virginis Hildegardis, hoc eſt, de quinque temporibus, *Compendium Prophetiarum S. Hildegardis. Codex ſcriptus eſt manu Seculi XIV. Incipit Opus:* honorabilibus Viris ſemper in Chriſto diligendis Mag. Raymundo Scholaſtico, & Mag. Remhero Canonicis S. Stephani in Moguntia Frater Seleno dictus Prior in Ebeibach, ſi quid poteſt peccatoris oratio. Sancta Virgo Hildegardis Fundatrix & Magiſtra Monaſterii S. Ruperti &c.

XV. Alberti de Horto Chriſti Charthuſienſis Tractatus de Matrimonio, quem ad inſtantiam Oſwaldi tunc Ducis Erneſti Cancellarii compilavit. *Inc.* ſcribitur ad Hebræos ult. honorabile connubium in omnibus, ſuppleſit &c. *Cod. chart.* 4. *man. Sec. XV. In Codice chart. in* 4. *ejusdem ætatis Bibliothecæ Tegernſeenſis vidimus etiam ejusdem* Sermones Capitulares de Tempore & Sanctis.

XVI. Anonymi, *fortè Monachi Benedicto-*

nedictoburani, Hiſtoria bellorum, quæ inter Chriſtianos & Saracenos interceſſerunt. *Inc.* Hìc agitur de bellis & triumphis Saracenorum & Chriſtianorum per arma corporalia à tempore Mahometi usque in præſens tempus. Sicut enim ante Incarnationem &c. *Deſinit cum anno Domini* 1458. *Cod. chart. fol. Auctor ejusmodi bella centum ſexaginta octo enumerat.*

XVII. Bernhardi de Beching, *ſeu* Waching, Monachi Tegernſeenſis Confeſſionale, *ſive, Tractatus de Confeſſione. Inc.* Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Matth. 18. Ergò per argumentum à ſenſu contrario &c. *Cod. chart.* 4. floruit Author, vir inſignis, circa an. 1460.

XVIII. Johannis Monachi Liber de Miraculis. *Incipit Prologus :* ſæpè hortatus es Nobiliſſime Vir atque Clariſſime Conſul, Domine Pantalee, me infirmum Johannem omnium Monachorum Sacerdotúmque ulrimum, ut aliqua, quæ in Libris, ſeu in Hiſtoriis Græcorum inveniuntur, quæ in Latinis non ſunt, in Latinam convertetem linguam &c. *Codex membr. in* 8. *maj. eſt*, exaratus, ſi non ſallir memoria, circa Sec. XII. Opuſculum ipſum viginri octo foliis abſolvitur.

XIX. Anonymi Carthuſienſis Monachi Tractatus de modo perveniendi ad veram & perfectam Dei & proximi dilectionem. *Inc.* charitatis excellentia ſatis in divino commendatur eloquio &c. *Cod. chart. fol. manu Sec. XV.*

XX. Verba Salvatoris ad Thomam de ſignis ſeptem dierum diem extremum antecedentium. *Inc.* Audi Thomas, quia ego ſum Filius Dei Patris, & ego ſum Pater omnium ſpirituum: audi à me ſigoa, quæ futura ſunt in fine hujus Seculi. *Cod. membr. 4. maj. man. Sec. XI. Non implent hæc verba Salvatoris, niſi unicum folium.*

XXI. Vita S. Marthæ Virg. *in Cod. membr. 4. manu Sec. XIII. Sub finem Opuſculi Auctor hujus vitæ* Sintex *appellatur.*

Ettalenſis. De ETTALENSIS Bibliothecæ Statu pauca admodùm comperta habemus. In hoc Monaſterio illuſtre pridem Nobilium Adoleſcentulorum Gymnaſium condidit R.mus D. *Placidus* Abbas, quod tamen fatali incendio nuper abſumptum ceſſat. Eodem fato intercidiſſe dicitur Bibliotheca cum Archivo. *Cavete poſteri.*

Atilenſis. ATILENSE S. Michaëlis Monaſterium ad Oenum fluvium cenſu quidem tenue eſt, ſed Baſilica R.mi D. Abbatis CAJETANI laboribus eò evecta viſitur, ut elegantioribus Bojoariæ templis accenſeri poſſit. *Bibliotheca* verò admodùm anguſta, nec ullis vetuſtioribus Libris inſtructa eſt. *Necrologium* qnod Codice membraneo in 4. comprehenditur, nonniſi à Seculo decimo quinto collectum eſt. Eodem tempore concinnatus videtur *Codex Traditionum*, ſeu Diplomatum, Donationum, Concambiorum, Privilegiorum Monaſterii Atilenſis, eo nomine magni faciendus, qnòd non Summaria quædam & Epitomas veterum ejusmodi inſtrumentorum, ut in pluribus aliorum Monaſteriorum Codicibus uſuvenit, ſed integras & ad autographorum fidem exactas traditiones propinet. In hoc Monaſterio A. 1696. III. Idus Nov. vitâ functus eſt *R. P. Romanus Schell*, homo adeò tenacis memoriæ, ut quidquid uſpiam toto vitæ tempore legendo didiciſſet, id omne deſignatis Librorum paginis, ſi poſceretur, redderet. Reliquit is *Apiarium*, ut vocat, ſeu ſelectarum ex omnium generum & artium Libris rerum ac ſententiarum volumina V. in fol. elegantibus emblematibus & picturis colluſtrata.

Codex Traditionum.

Apiarium Romani Schell.

Rotenſis ad Oenū. ROTENSE *ad Oenum*, ſeu *Oeno-Rothenſe*, aliàs *Ss. Marini & Aniani* Monaſterium *Atilâ* horæ intervallo diſſitum, Regium olim ſoliúmque Imperii fuit; nunc reliquorum Bajoariæ Monaſteriorum fortunam ſequitur. In ejus loci Bibliotheca Codices veteres perquàm numeroſos extitiſſe ſatis demonſtrat ſyllabus Librorum circa A. 1490. in membrana conſcriptus; hodie pauciores mulro numerantur, ex quibus lectiores ſunt:

1. *Hieronymi de Werde* Monachi Lunælacenſis *Tractatus de univerſis dubiis, quæ in Regula S. P. Benedicti poſſunt occurrere.* Incipit: *Rogatus à Fratre mihi chariſſimo*... Obiit Auctor anno 1475. cujus propè innumera in diverſis Bibliothecis, præſertim verò in *Lunælacenſi*, Opuſcula reperiuntur, inter quæ memorat Pezius *Tractatum de duratione & annis Mundi ab Adamo usque ad Chriſtum*, adverſus Ven. *Johan. de Weilheim* Priorem Mellicenſem.

2. *Johannis de Campidona* Monachi Mariæcellenſis in Auſtria circa annum 1450. conſpicui, *Tractatus de Confeſſione generali*, hoc exordio: *Utrùm confiteri generaliter &c.*

3. Anonymi *Vita S. Rochi* in Codice chartaeo fol.

4. *Ephe-*

4. *Ephemerides Hiſtoricæ* ab anno 1482. ad 1485. quæ quia res Auſtriacas admodùm illuſtrant, ab *Hieronymo Pezio* integrè ſunt deſcriptæ.

5. LAURENTII Epiſc. Ferrarienſis *Pauli II.* in Germaniam Legati *Conſtitutiones adverſus Huſſitas* in Cod. chartaceo in 4.

6. Anonymi Rotenſis, ut videtur Abbatis, lucubratio *de Vita Ss. Marini & Aniani.* .. in Cod. membr. circa A. 1250. exarato, quæ incipit: *Cùm Fides Chriſtiana poſt incarnationem D. N. J. C. magnalia per orbem.* Subjunctus eſt itidem Anonymi *Sermo* de iisdem Monaſterii Rotenſis Tutelaribus, quorum dies feſtus xv. Novembris agitur. Utrumque Opuſculum à Cl. P. *Wolfgango* tunc temporis Bibliothecario ad ſe tranſmiſſum edidit *Pezius.* Editio enim horum monumentorum *à Johanne à Via* A. 1579. Monachii procurata, cùm vehementer à laudato Codice diſcrepet, exiguo aut nulli uſui eruditis Viris eſſe poterit.

7. Codex mille circiter annorum in 8. qui *Apulei Perihermenias*, & *Ciceronem de Amicitia* exhibet.

8. *Chronicon Rotenſis Monaſterii* à DANIELE MOLITORE Helveto Bernenſi, Aſceta Rotenſi ſub finem Seculi proximè lapſi compoſitum, cujus vaſtum volumen in fol. laudant Pezii. Huic Operi conjungendum eſt aliud ejusdem argumenti à laudato P. *Wolfgango* conciñatum hoc titulo: *Menda in Rota Aurifienſi emendanda*, id eſt, *Caſtigationes & emendationes Chronici Rotenſis* à R. P. Daniele *Poſteris relicti.*

Præter MSS. Codices Bibliothecam Rotenſem non paucæ veteres editiones exornant, à *Peziis* etiam accuratè recognitæ. In Archivo ſupereſt *Codex Traditionum*, ſed ævo recentiori conſcriptus. Hanc porrò Bibliothecam, cui nuper eidem præfuit R. P. *Columbanus Prælisauer*, meliorem in formam redegit, *Scrutator*, ut ajunt, *Antiquitatum egregius, phonaſcus, vel ideò meritiſſimus, quia Muſurgus & Compoſitor vix ulli ſecundus, dignus, à quo alii veluti ex Delphino Tripode conſilia caperent, quia judicii fuit planè admirabilis.* Obiit A. 1752. die 23. Octobris ætatis 50.

Weſſofontana. WESSOFONTANA ſeu *Weſſobrunnenſis* S. Petri in Bavaria Monaſterii Bibliotheca, ad 200. ferè Codices manu exaratos oſtentat, inter quos quantivis pretii *Peziis* eos perluſtrantibus fuiſſet quidam chartaceus in folio, *diverſa Hiſtoriæ Auſtriacæ monumenta* complectens, niſi continentibus lituris & lacunis adeò fœdus extitiſſet, ut vix quidquam certi extundere potuerint Viri ſtudioſiſſimi. Luculentus etiam ſine dubio fuerit ille membraneus, qui *vetus Chronicon Weſſobrunnenſe* complectitur; ſed diligenter quæſitus reperiri non potuit, licèt Cœnobitæ plures ſuis ſe eum oculis conſpexiſſe adfirmarent. Inſignis prætereà eſt Codex noni Seculi in 4. continens EUDOXII DIACONI *libellum de Locis ſanctis, ubi Dominus pedibus ambulavit.* Uſui quoque non modico in Hiſtoria literaria fuerit *Anonymi Weſſofontani Collectaneus de Viris illuſtribus*, quem in anteriore ſolio ſe cœpiſſe ait, *die S. Magni anno* 1513. In eo Scriptores ordine alphabetico recenſentur usque ad Lit. G. nec conſtat, an Auctor Opus ſuum usque ad umbilicum perduxerit. Laudem inſuper non vulgarem meretur *Polyhiſtor Solini* à ſeptingentis annis, & *Hieronymus de Viris Illuſtribus* in duodecimi Seculi membrana. *Gennadius* itidem de Viris Illuſtribus. Hieronymus de libero arbitrio. Joſephi Antiquitates & *de bello judaico* in majori folio. *Oroſius ad Auguſtinum* in Cod. Membr. 4. maj. Et *Hieronymus ſuper Danielem* in folio. Decretum Gratiani. Paſſiones SS. Anaſtaſiæ, Chryſogoni, Chryſanthi & Dariæ, Aglaës &c. Vitæ SS. Hieronymi Presbyteri, Pauli Eremitæ, Maximini Epiſcopi, S. Pelagiæ Peccatricis &c. Omnes eleganti *Ludovici* Weſſofontani Monachi manu ſexcentis abhinc annis exarati. Enimverò *Ludovicus* & manûs elegantiâ, & deſcriptorum Codicum copiâ longè ſuperavit Illuſtris & nullo ævo ſatis deprædicanda Virgo DIEMUDIS Weſſoſontana Monialis, de qua *Pezius* plura ſuggerit in Diſſert. Iſagogica ad Tom. I. Theſauri Anecdotorum pag. xx. n. 36. Ubi copioſior texitur Catalogus Librorum ab ea deſcriptorum, *quos*, inquit, *plerosque adhuc ſuperſtites dum ſpectavimus, vix lachrymas ambo continuimus, ut quos ne unius quidem Virginis labores, hactenus æquaſſe puduerit. Qui animorum*, pergit, *noſtrorum æſtus multo acriùs efferbuit, dum noſtri temporis Monialium labores cum* DIEMUDIS, *aliarúmque priſcarum noſtri Ordinis Virginum monumentis componeremus.* Nempe pretioſæ nugæ ipſis viſæ ſunt illarum occupatio-

Libri à Ludovico Monacho deſcripti.

Diemudis Monialis labores.

P. Ziegelbauer Hiſt. P, I.

nes ad harum opera, ex quibus non ligna & ſaxa, veſtes & metalla ad paululum temporis acciperent ſplendorem, ſed literaria ſequentium Seculorum Reſpublica, univerſáque Eccleſia egregiè proficerent. Verùm omiſſis hujuſmodi declamationibus, quæ non ſolùm ætatis noſtræ Monialibus, ſed quibuſdam etiam Religioſis Viris inviſæ ſunt, illud monendum duximus R. P. *Cæleſtinum Leuthner* loci Aſcetam doctiſſimum ampliorem & accuratiorem Cimeliorum hujus Bibliothecæ recenſionem polliceri in eo, quod meditatur, *Chronico Weſſofontano*. De *Diemude* vide à nobis relata Part. III. hujus Hiſt. pag. 495.

Montis ſancti Andechs.

ANDECENSE, aliàs *Mons Sanctus*, vulgò *Heiligen Berg* & *Andechs* dictum Monaſterium, Viros ſpectatæ religionis & eruditionis ſemper aluit, celebratúrque hodie inter præcipua Bavariæ Monaſteria; Sed Bibliotheca perpaucos veteres, nec adeò magni momenti Codices poſſidet manuſcriptos, quos inter recenſetur *Tractatus de pœnis infernalibus*, qui ex recentioris Anonymi conjectura *Bernhardo de Waibing* Priori Tegernſeenſi tribuitur. In Sacrario tamen, quo nullum illuſtrius & locupletius in Bojoaria eſt, Codex membraneus in folio annorum octingentorum adſervatur, qui ob vetuſtas notas & chartas, in foliorum marginibus deſcriptas (*ex quibus allatarum ad Montem ſanctū Andecks præcipuarum Reliquiarum tempus cognoſcatur*) maximo in pretio habendus eſt. In illis porrò eruendis & exſcribendis (*Nam ætas quædam propemodum deleverat*) magnoperè deſudârunt *Pezii* Fratres, cum A. R. P. FRIEPEIS tum temporis Subpriore, qui eruditiſſimus Vir jam diu *Hiſtoriam veteriſ Comitum Andecenſium*, antiquis chartis & monumentis probè inſtructam molitus eſt, in qua etiam *S. Othonem* Epiſcopum Babenbergenſem Stirpi Andecenſi vindicavit adverſus *Bollandiſtas*, qui pervulgatam eam hactenus opinionem nuper admodùm, *ut cætera ferè omnia*, exploſerunt. Jam verò Codicū MSS. in Andecenſi Bibliotheca penuriam facilè reſarcit optimorum & lectiſſimorum typis impreſſorum multitudo, quæ curante *Mabillonio* ſub doctiſſ. Abbate MAURO Græcè ac Hebraicè perito, ad hunc locum allata eſt. *Profectò*, inquiunt Pezii, *nullam in Bajoaria Bibliothecam luſtravimus, in qua tanto Hiſtoricorum veterum & comparatu difficiliorum vis extitiſſet. Quam dum majoribus quotidie acceſſionibus hodiernus Abbas auget, & rem ſe digniſſimam agit, & doctis ſuis Filiis materiam & adminicula congregat, ſingulare quiddā in hoc ſtudiorum genere aliquando præſtandi.* PEZIUS in Diſſert. Iſag. ad Tom. I. Theſ. Anecdot. pag. XXII. De illios Cœnobii fundatione & Reliquiis ſingularis Liber prodiit Seculo XVII. Vid. Arnpeckius, Hundius &c.

Schyrenſis Bibliotheca.

SCHYRENSE in Diœceſi Friſingenſi Monaſterium circa A. 1095. fundatum non inelegantem habet Bibliothecam, cujus Illuſtrator præcipuus extitit *Conradus* cognomento *Philoſophus*, Vir apprimè doctus, & omnium diligentiſſimus, qui teſte *Aventino* (h) plusquam quinquaginta ingentis molis volumina in membranis conſcripſit. Claruit ille ſub *Conrado I.* & *Henrico* Abbatibus ad annum 1241. *Fridericus* ex Priore S. Emerami Ratisbonæ Antiſtes Schyrenſis añō 1281. electus, magnæ Vir ſcientiæ & literaturæ, rem librariam non modicè ampliavit. *Wilhelmus Kieuberger* añō 1449. Abbas conſtitutus multos quoque Libros comparavit. Ejus verò Succeſſor *Georgius Sperl* Codicibus non paucis *pro Fratrum ædificatione & ſtudio* coëmptis Bibliothecam egregiè auxit. Eandem non parùm illuſtravit *Joannes Turbeit* Abbas A. 1537. denatus. Novis, iíſque ſelectis Libris recèns exornavit BENEDICTUS MEYDING *verus*, ut ajunt, *Librorum belluo*, ad quos ipſe evolvendos perdius pernóxque incubuit, Abbas in multis imitandus. Superſunt autem circiter 150. Codices MSS. inter quos majoris ſunt elegantiæ & pretii, quos *Conradus* ſupralaudatus exaravit, ejus verò æquivocus *Conradus Deñelmayr* integro Libro explicatiùs recenſuit hoc ferè ordine:

Conradi Philoſophi Opera.

Volumen *Conradi* primum in membranis & maximâ formâ continet *Matrem Verborum* ſeu *Lexicon* ordine alphabetico digeſtum foliis in quatuor columnas diviſis. In ejus fronte perquàm elegantes ſpectantur figuræ, viz. *Sphæræ mathematicæ*, *Labyrinthus*, *Mappo-mundi*, *Elementorum tabula*, *Microcoſmus*, ſive *Corpus humanum* quatuor elementis aliíſque qualitatibus & affectionibus diſtinctum, ad cujus quatuor partes leguntur hi verſus:

IGNIS

(h) Aventinus initio Libr. VIII. Annal. Boicorum: verùm Schyrenſis index nonnuſi 31. enumerat.

IGNIS *fervorem, viſum dat, mobilitatem.*
AER *huic donat, quod flat, ſonat, audit, odorat.*
Ex TERRA *carnem, tactum trahit & gravitatem.*
Munus AQUÆ *guſtus, humor, cum ſanguinis uſu.*

In averſo folio & ſequenti viſuntur Icones variarum in corpore humano curationum, corpus itidem humanum in ſoas arterias diſtinctum, aliáque ad Chirurgiam facientia. Inde conſpicitur Urbis Hieroſolymæ planisphærium; Tum inſtrumenta Muſicalia cum ſuis Inventoribus depicta, & variis Epigrammatibus exornata, ubi ad organædum *Davidis Regis* icone expreſſum ſubjecti leguntur verſus:

Hujus ab exemplo Dominum laudare memento;
Muſica digna coli, manet hæc tibi gratia ſoli.

Sequuntur picturæ ex veteri teſtamento depromptæ, easque inter imago Beatæ ſemper Virginis Mariæ puerum *Jeſum* in ſinu geſtantis variis in circuitu inſcriptionibus ornata; ad pedes verò *Chonradus* Scriba in prunei ſeu molochini coloris habitu provolutus ita orat:

Virgineus Natus Scriptoris ſolve reatus.

Infra ſubditur hæc Epigtapha.

Accipe ſancta Par- / Semper Virgo man- ens — *Opus hoc noſtrósq; ſud- / Tu compenſare lab-* ores.

Eorumque recenſio.

Has picturas conſequitur relatio *Conradi* de Codicibus à ſe exaratis hunc in modum: *Anno ab humanitate Filii Dei MCCXLI.* GREGORIO *Papa IX. ſub gratia Domini noſtri J. C. & Apoſtolicæ Auctoritatis univerſæ Eccleſiæ Catholicæ feliciter præſidente, Imperatore* Friderico *in faſcibus agente, cùm Sedem Friſingenſem* Chuonradus *Deo dignus Epiſcopus Auctore Deo illuſtrâret, & hoc Schyrenſe Cœnobium ſub regimine & magiſterio* R. P. Heinrici, *Chriſti bono odore longè latéque fragraret, Frater* Chuonradus, *unus ex Confratribus hujus loci, ad hujus Operis laborem, plenum negotii & ſollicitudinis animum induxit, & Deo piis votis ſuggerente effectum ad finem usque perduxit. In hoc ſanè Opere prædictum Fratrem C. qui ſe ſub pii Patris levi jugo pro ſui officii debito devotior impendebat, ſua omnibus nota & grata ſollicitudo commendabat. Denique ut Opus non impediretur, ſed creſceret & compleretur, dum nihil ſibi ſumptum de publico daretur, ipſe, quæ neceſſaria erant, ita undecunq; contulit. Quippe ſolus laboravit, ſolus comparavit ſine omni emolumento & auxilio, ut nemo gravaretur. Revera enim, ut paucis multa concludam, id egit, ut præter ſpem Opus in brevi finiretur, dum quidem in communis Ordinis labore non ultimus inveniretur. Talis itaque illum tanquam vehemens ſollicitudo detinuit: non tamen minus prædicto Scriptori laboris incubuit. Namque perſcriptis Libris per Auctores, qui ſubternotantur, felicis record.* Wilhelmo *videlicet Priore*, Henrico *Cuſtode*, Arnoldo *Scolaſtico*, Heinrito *Cellerario*, Chuonrado *Presbytero, hi hos Libros comparaverunt*; Collectarium, Lectionarium, Officiale, Breviarium, Pſalterium, Graduale, Paſſiones *vel* Vitas Sanctorum in uno volumine, *item* Paſſiones & Vitas Sanctorum in altero volumine, Miſſalem Librum, *item* Miſſalem Librum de Sanctis, & Librum Miſſalem Defunctorum: Item Sermones, quorum initium eſt: *Hodie ſcietis.* Librum Matutinalem, Libros Scolaſticos, Tullium Officiorum, Lucanum gloſſatum, Sermones Oratii. *Abbas Chunradus* Librum Matutinalem *magnum & plenum in uno volumine comparavit. Quem Librum Frater* Chuonradus *laudabili diligentia & ſtudio cum omnibus ſibi attinentibus ad finem usque perduxit, picturis & Lazurio ampliſſimè decoravit, ut nihil decoris vel diligentiæ deeſſe videatur. Abbas vero Heinricus* Joſephi Antiquitates, & judaicum bellum *uno volumine conſcribi fecit, quem* F. Chuonradus *ſæpedictus etiam conſcripſit non ſine magno labore, novit Deus. Hic,* inquam Heinricus, *huic præſidens Cœnobio, & gratia Divina eum comitante locum prædiis auxit &c. Igitur de munere Divinæ Benedictionis, & gratia Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ ſupra notatis Opuſculis à Fratre* Chuonrado *conſumatis, ſubnotatos Libros ſine Auctore comparavit & ſcripſit, & ad honorem Virginis perpetuæ Mariæ feliciter complevit:*

„ I. Collectarium. II. Evangeliarium & Lectionarium in uno volumine. III. Evangeliarium Librum *in quo Evangelia de nocte leguntur: cui & addita ſunt.* IV. Myſteria Divini Officii, & Inſtituta Innocentii Papæ. V. Librum, in quo ſummæ Feſtivitates & Ordo Sacerdotalis. VI. Librum parvum Defunctorum, in quo & Aniverſarii dies. VII. Librum Benedictionum. VIII. Scholaſticam Hiſtoriam. IX. Pſalterium Gloſſatum, & Graduale in uno volumine. X. Librum Regulæ S. Be-

„ nedicti melioravit. XI. Evangelia „ in ſummis Feſtivitatibus legenda au„ ro & argento circumdedit, & ho„ neſtè decoravit. „ Hæc ipſe *Conradus* de ſuæ artis & induſtriæ monumentis in principio hujus Codicis.

Contenta voluminis primi.

Poſt *Matrem verborum*, ut vocat, ejusque Appendicem, ſequuntur *Gloſſæ Veteris & Novi Teſtamenti*, ad quas *Conradus* hos adjunxit verſus:

Laus tibi ſit Chriſte, per quem liber explicit iſte.
Gloria lauſque pia ſit nunc per Sècla Maria,
Qua Codicem ſcriptum conſervet nunc & in ævum.

Tum in eodem Codice duo extant inſtrumenta de S. Cruce & aliis Schyrenſibus Reliquiis, quorum autographa adſervantur in Sacrario; Privilegia itidem ſeu diplomata à Summis Pontificibus & Romanis Imperatoribus Monaſterio Schyrenſi data, quæ anno 1623. in Chronico ſunt edita. Ad calcem ſpectantur quædam Herbarum figuræ ad vivum depictæ, ac de ſingularum virtute adnotationes cum Indice ampliſſimo, & clauſula:

Hic locus eſt meta, Fratres ſine ſine valete!

Alterum Conradi volumen.

Alterum Conradi volumen membraneum in folio majori continet *Hiſtoriam Scholaſticam Magiſtri Petri* cognomento *Comeſtoris*, in cujus anterioribus foliis leguntur *Conradi* verſus de Redemptionis noſtræ Myſteriis hoc initio:

Nectareum rorem terris inſtillat Olympus,
Totam reſpergunt flumina mellis humum...

In quinque ſequentibus paginis depinxit ſeptem Artes Liberales, & ad Aſtronomiam quidem *Ptolomæi* effigies exhibetur aſtra & ſtellas contemplantis ope tubi optici quatuor ductus habentis, eum in modum concinnati, *quo Mabillonius* æri inciſum in ſuo itinere Germanico repræſentat. Cujus tubi uſum *Conradus* jam tum habuiſſe videtur. Sed has inter diverſarum rerum figuras elegantior eſt illa, quæ B. Mariam Virg. in Crypta cum puero Jeſu inter duos Angelos mediam exhibet; ad cujus pedes *Conradus* ſupplex advolutus cernitur in cucullo prunei ſeu caſtanei coloris depictus, cum hac ſuppoſita Inſcriptione: *F. Conradus Peccator, Auctor & Scriptor hujus Operis.* Et infra:

Virgo Dei in Crypta, mea noli ſpernere ſcripta,
Vitia correxi, tu comple, ſi qua neglexi.

Ex quibus, tum etiam ex eo, quod omnia ſua ſcripta ad honorem B. Virginis inchoâſſe & perfeciſſe ubique adnotârit, liquet eum ſingularem ejusdem Magnæ Matris fuiſſe Cultorem. Ex eo autem quod habitu molochini coloris indutus appareat *Conradus*, inferri quidem poſſet Benedictinos eo tempore uſos fuiſſe cucullis ejusmodi coloris, ſed tamen etiam *nigræ veſtis* mentionem facit ipſe in fine Libelli *de his quæ ſpectant ad Pœnitentiam*, in eodem Codice reperibilis, hoc initio: *Cùm ſit ars artium regimen animarum...* Ubi ad calcem leguntur hi verſus:

Ampla corona quidem, nigra veſtis, hota rotunda,
Non faciunt Monachum, ſed mens à crimine munda.

Tertium volumen.

Tertium Conradi volumen in membranis continet *Evangelia & Lectiones per anni circulum.* Primam hujus Codicis paginam exornat Imago B. Dei Genitricis MARIA cum Filio, inter quatuor Evangeliſtas per quatuor Ezechielis animalia deſignatos, ad cujus pedes hos verſus accinit Conradus Scriba:

O Mundi grata ſpes Virgo Maria beata!
Subtrahe me pœnis, & ſedibus inſer amœnis.

Quartum volumen.

Quartum ejusdem volumen grande, complectitur *Joſephi Libros XX. Antiquitatum, & de bello judaïco Libros VII.* In quorum fronte depicta viſitur Genealogia Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Sub finem verò extat ipſius Conradi *Poëma Rhytmicum* 229. *Verſuum* ſuper illud Pſalmi 84. *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi; juſtitia & pax oſculatæ ſunt*, hoc exordio:

Poſt peccatum hominis facta jam ru- ina
Dum vitam deciperet more adulter-
Peccati cottidie creſcente ſent- ina
Viſa eſt Clementia ſic loqui div

Denique ad calcem omnium ſubduntur hi verſus:

Qui Librum ſcripſit, multum ſudavit & alſit.
Propitietur ei Deus, & pia Virgo Maria. Amen.

Quintum ingentis molis.

Quintum *Conradi* volumen, in membranis, formâ atlanticâ, omnium vaſtiſſimum, quod pondere LXII. libras ſuperat, præter *Librum Matutinalem* per anni circulum legendo percurrendum ſequentia exhibet:

1. *Epilogum breviter digeſtum ex Regula Canonicorum & Monachorum*, hoc initio: *Quamquam à Sanctis Patribus ſatis ſit dilucidatum, qualiter Cœnobitæ vel Canonici vivere debeant.*

2. Catalogum Pontificum Romanorum Imperatorum, Regum, qui fuerunt ab initio Mundi usque ad Honorium IV. Pap. Incipit: *Italus primus Rex Italiæ regnavit annos XLI.*

Hoc

Hoc eſt Conradi Chronicon generale, quod ab anno MC. integrè deſcriptum prelo paratum habuit *Pezius.*

3. Tempora Romanorum, & Catalogum Regum Aſſyriorum, Perſarum, Hebræorum, Trojanorum, Græcorum, Ægypti, Antiochiæ, Sitioniæ, Argivorum, Babiloniæ, Francorum, Gothorum & Longobardorum.

4. Verſus, qnòd triginta argentei, quibus à juda venditus eſt Chriſtus, tempore *Nini* Aſſyriorum Regis fabricati fuerint, & de manu ad manum usque ad tempora Chriſti pervenerint, hoc exordio:

Denariis triginta Deum vendit Galilæus,
Quos & Apoſtolus hic deſcribit Bartholomæus..

5. Verſus, quòd lignum S. Crucis natum ſit in Paradyſo, & inde in Libano transplantatum, & Hieroſolymis conſervatum, hoc initio:

Narrat Athanaſius, quoniam Noë Patriarcha,
Filiolos genuit binos egreſſus ab Archa..

Editi ſunt hi verſus à R. P. *Demmelmayr* Schyrenſi in Hiſtoria particulæ S. Crucis ibidem adſervatæ & multis miraculis comprobatæ.

6. Verſus de Henocb & Helia, quomodo & ubi vivant, boc exordio:

Qui legis hic, quòd vivat Enoch, ſi diſcere quæris,
Qualis et requies, quæ vita ſit erudieris...

7. Recenſionem Eccleſiarum, quæ juris ſunt Schyrenſis, cum *breviatione*, ut vocat, *prædiorum & redituum* ejusdem Monaſterii...

8. Picturas varias cum inſcriptionibus ad *Mulierem Apolypticam* alludentibus, quarum prima ita habet:

Flammivomo rore mittens Draco flumen ab ore,
Lege figuratam poſt Matrem, ſicque beatam...

9. Calendarium Eccleſiaſticum, ubi notanter occurrit *Feſtum Conceptionis B. M. V. die VI. Idus Decembris.* Cuique inſuper Menſi verſus præfigitur, quo quid in rebus œconomicis agendum ſit, deſignatur hoc ritu:

JANUARIUS. *Hic edit atque bibit;*	FEBRUARIUS. *Medicinas ille requirit.*
MARTIUS. *Hic fodit & plantat;*	APRILIS. *Aprilis arando laborat.*
MAJUS. *Hic nidos volucrũ;*	JUNIUS. *Lignorum hic geſtat acervũ.*
JULIUS. *Hic ſtudet in fœno;*	AUGUSTUS. *Nec ſegnior iſte metendo.*
SEPTEMPER. *Veſcitur in pomis;*	OCTOBER. *Hic gaudet non minus uvis.*
NOVEMBER. *Hic paſcit porcos;*	DECEMBER. *Hic pingues mactat edendos.*

10. Icones diverſas affabrè depictas, repræſentantes Nativitatem & Paſſiones Chriſti, cum Epigrammatibus.

11. *Librum Matutinalem*, de quo ſupra *Sermones & Homilias Patrum*, variasque Sanctorum legendas complectentem; ad cujus finem hæc leguntur. *Tu autem Domine Chuonradi Scriptoris miſerere! Amen.*

Hic liber hic finit, Scriptoris & hic labor exit;
Sis noſtri memor hic, melliflua qui legis iſthic &c.

12. Sequitur brevis Abbatum Schyrenſium Catalogus ab *Erchinboldo* usqne ad *Chunradum* numero undecimum, qui regere cœpit A. 1206. *Hujus ope*, ſubdit noſter, *& rogatu ego Frater* CHONRADUS *Sacerdos, quamvis indignus, iſtiusmodi Librum conſcripſi ad honorem Dei & Beatæ Dei Genitricis, & Eccleſiæ hujus, & ad Lectorum tam futurorum, quàm præſentium perpetuam utilitatem, intuitu quoque Divinæ retributionis. Precor igitur omnes hujus* Libri *Lectores, ut amore Dei & ſum̃æ charitatis reſpectu benedicant animæ meæ & parentum meorum. Amen.* Atque hæc diffuſiùs ideò proſecuti ſumus, ut Viris eruditis de *Conradi* Codicibus, qui quidem hodie ſuperent, plena perfectáque cognitio eſſet; plenior tamen hauriri poterit ex recenſione Demmelmayriana ſuperiùs laudata.

Alter ejusdem loci ſedulus Librorum Scriptor occurit *Henricus Molitor de Auguſta*, qui *Proſodiam* ſive *Catholicon*, ut vocat, in membranis, formâ atlanticâ anno 1458. exaravit. Ponderat volumen XXXVI. libras. Idem conſcripſit *Vitam Chriſti*, & alia quædam ibidem adſervata.

Inter veteres editos Codices, memorandus omnino venit Liber in 4. omnibus vetuſtiſſimæ editionis characteribus veſtitus, ſine loco & anno typis Gothicis impreſſus, complectens *Sermones* ſeu *Vade mecum Fratris Johannis Decretorum Doctoris & Abbatis Vercellenſis, de tempore & de Sanctis per figuras utiles*; cujus Operis ſpecimen hìc exhibere non erit inutile; ita enim collationem primam de adventu adornat: Joannis Abbatis Vercellenſis Sermones.

Reſpi-

Reſpicite & levate Capita veſtra. Lucæ XXI.

In præmiſſis verbis tria tanguntur, ſcilicet:

Intentio cordis		Deum		affectione,
Elevatio corporis	ad	bonum	cum	occupatione,
Inclinatio capitis		profundum		ſubjectione.

Ut nimirùm,

Cor aſpiciat	intra		credulitatem,
Corpus aſſurgat	extra	per	ſanctitatem,
Caput ſe proſternat	infra		humilitatem.

Quaſi dicat:

Reſpicite	interiùs	per fidei claritatem,
Levate Vos	exteriùs	per vitæ honeſtatem,
Inclinate capita	inferiùs	penſando veſtram fragilitatem.

Hanc artificii methodici ſtructuram vel ideò ſiſtendam duximus, quòd *Methodum Wolfianam* longè ſuperet, ſitque multò fæcundior ac facilior. Authorem verò hujus Operis eundem eſſe credimus cum *Joanne Gerſen Vercellenſi Abbate* Librorum de Imitatione Chriſti genuino parente. Extant hi Libri in eadem Bibliotheca ſine nomine Authoris in Cod. chartaceo deſcripti ante annum 1467. ut patet ex nota in fine addita: *Nihil aliud docet me Divina Scriptura, niſi religionem amare, veritatem ſervare, caſtitatem tenere, charitatem habere &c. Amen. Anno LXVII.*

Libri quindecim *de Conſolatione Theologiæ*, ad cujus Opuſculi calcem hæc leguntur: *Ego Thomas Hamerſtil finivi præſens Opuſculum Deo annuente die ſancti Maximiliani in Tekendorf anno Domini* 1474. Ibidem ſequitur *Exhortatio ad amatores mundi* ex SS. Patribus deprompta hoc exordio: *Videte, quomodo cautè ambuletis.*

Chronica *Othonis Friſingenſis*, cum additionibus usque ad A. 1304. incluſivè. In fine comparet octavus Othonis Liber tractans de Reſurrectione Mortuorum &c. Codex eſt chartaceus optimæ notæ in ſolio deſcriptus anno 1510.

Berthrandus de Turri S. R. E. Cardinalis in Epiſtolas Dominicales à Paſchate usque ad Adventum. Codex eſt membranaceus elegantiſſimè exaratus circa annum 1325. in fol.

Libri *Dionyſii Areopagitæ* Athenienſis Epiſcopi cum Epiſtolis, ex verſione Johannis Ærigenæ deſcripti per *Johannem Laubuogt* de Scheyrn anno Domini MCCCCLXXV. in 4.

Extat ibidem *Chronica Salisburgenſis* vernaculè anno 1577. in fol. conſcripta & prelo parata. Item *Sancti Salisburgenſes* Germanicè an. 1602. in fol. &c.

Recentiores inter Scriptores, qui literariis ſuis monumentis non exiguam Schyræ gloriam pepererunt, haud poſtremum ſibi vendicat locum *Ægidius Rambek* Polygraphus elegans juxta ac eruditus. Laudem quoque ſuam meretur R. P. *Bruno Fehler*, à quo ſuperat in manuſcripto anni 1719. *Schyrenſis glorioſiſſimæ ac sereniſſimæ Domus Bavaricæ Origo, Stirps, & propago cum variis annotationibus juxta ſeriem temporum, ac Majorum omnium ſingulorum maſculinâ, eodémque rectâ lineâ deſcendentium ordinem à duodecim ampliùs Seculis.* Intervenit Fundatio Cœnobii Schyrenſis. Agitur dein de Ss. Cruce ibidem adſervata, ac denique aſſignatur ordo ſucceſionis Abbatum prædicti Monaſterii. Quæ R.mus Abbas *Benedictus Meyding* anno 1722. die IX. Junii defunctus Poſteris reliquit ingenii laborísque indefeſſi monumenta, videlicet: *Opus de auctoritate ſummi Pontificis, Orationes Capitulares, nec non dogmatica quædam & polemica adverſus Quesnellum*, voluminibus decem comprehenſa, digna omnino ſunt, quæ juris fiant publici. Ejus Succeſſor *Maximilianus Reſt* ſummo labore nec minori induſtria concinnavit *Univerſalem O. S. B. monaſteriologiam*, Opus itidem publica luce dignum. Obiit ille 12. April. 1734. Qui hodie rebus præeſt R.mus D. *Placidus Forſter* nullis quoque ſumptibus parcit, ut rem literariam provehat, dignus quem Muſæ vetent mori,

alia Manuſcripta recentioris ætatis.

THIER-

Thierhauptenſis ad Lycum fl. TIERHAUPTANUM Congr. Bavaricæ Monaſterium, unius ferè diei itinere à Schyrenſi Auguſtam verſus diſſitum, talem habet Bibliothecam, in qua nihil propemodùm ſingulare nobis reliquerunt temporum injuriæ. Eo loci viguit antiquitùs non incelebris typographia. Nuper verò floruit R.mus Abbas BENEDICTUS CHERLE vario eruditionis genere, non minùs ac humanitate & præcipuo in bonas artes ſtudio commendatus. De reliquis ſolliciti ſint Poſteri, ne dum ipſi nihil laude memoriáque dignum agunt, alios benè meritos laudari & celebrari ægrè per invidiam ferre cogantur.

Mallerſtorfenſis. MALLERSTORFENSE ejusdem Congreg. ad Laberam amnem Cœnobium, quod etiam *Johannesberg* à S. Joanne Evangeliſta Patrono dicitur, non multa veteris ævi monumenta numerare exinde colligimus, quòd *Mabillonius*, *Pezius* & alii ſolertes rei literariæ ſcrutatores eo perluſtrato, nihil memorabile in tabulas retulerint. Multos tamen viros doctrinâ inſignes protulit hoc Cœnobium, de quibus alibi uberiùs.

Seonenſis. SEONENSE Monaſterium Veteribus *Sewn* ſive *Seuva* quinque circiter horis Salisburgo diſſitum, tennem quoque MSS. Codicum ſupellectilem adſervat. *Pezii* dum omnes Bibliothecæ forulos excuterent, non niſi unum unicum eúmque principio mutilum Codicem charraceum detexêre; quo *Chronicon quoddam Bajoariæ* linguâ vernaculâ ſcriptum continebatur. Perductum id eſt usque ad A. 1469. nec magni admodùm eſt momenti. Inter recentiores libros extant quinque Volumina in fol. WERLINI Cœnobitæ Seonenſis Muſices peritiſſimi *de Rythmorum varietate, typis, exemplis, & modulationibus*, quod vaſtum Opus magnâ curâ & ſtudiô conſcriptum eſt A. 1646. In eodem Cœnobio parentum memoriâ plures doctrinâ præſtantes viri floruère: *Sigismundus* Abbas, ad Cæſareæ Vindobonenſis Bibliothecæ præfecturam evocatus, *Bernardus Ruedorffer*, *Romanus Müller* A. 1671. defunctus, *Wolfgangus* Pezio laudatus ceu *venuſtioris ingenii Vir*, qui ampliſſimum *de Viris illuſtribus O. S. B. Commentarium* collegit &c.

S. Petri Salisburgi. *Bibliotheca* SAN-PETRENSIS Salisburgi multa venerandæ antiquitatis manuſcripta ab annis 900, 700, 500. & 400. aſſervat. Ex hac ſupellectile Viri Clariſſ. *Marcus Velſerus*, *Andreas Brunerus*, *Henricus* Caniſius, *Matthæus Raderus*, *Viguleius Hundius*, *Joannes Stainhauſer*, aliíque Viri eruditi non pauca deprompſerunt. Catalogus MSS. Codicum ante quingentos annos conſcriptus Cl. P. *Bernardo Pezio* ad manum fuit, ex quo ſequentes recenſuit velut notatu digniores.

JOSEPHUS *de Excidio Jeroſolymorum. Hilarius ſuper Pſalterium. Collationes Patrum in duobus voluminibus. Canones Magontini. Honorius de Imagine Mundi. Origines de ſingularitate Clericorum. Cantica Canticorum. paſſio S. Pauli Apoſtoli. Vita Ægidii. Paſſio S. Antonini M. in uno vol. Leges Longobardorum. Beda ſuper Actus Apoſtolorum. Coſmographia. Capitula Canonum Græcorum. Regula S. Benedicti. Placidus de Honore Eccleſiæ* [quod Opus Pezius l. c. foras dedit] *Auguſtinus ad Petrum de Fide. De Moralibus excerptis Liber beatæ memoriæ Eberhardi Archiepiſcopi. Regula Baſilii Ep. Compotus Gerlandi. Quintilianus de Rhetorica. Capitula Canonum Græcorum. Libellus de Aſſumptione S. Johannis Evang. Liber delegationum - - - Hiſtoria de Apollonio Antioceno. Compotus Wicperti. Decretale Gelaſii Papæ. De S. Bonifacio, quomodo Bavvariam diviſerit in quatuor Epiſcopatus &c.* Sed horum notatu digniſſimorum Librorum nullus ampliùs in dicta extat Bibliothecâ.

Eorum etiam inire numerum me non pigeat, qui mihi hinc inde ex diverſorum Auctorum Libris annotati fuerunt.

Codex vetuſtiſſimus, manu Seculi octavi exaratus ſub rubrica *Monachorum defunctorum*, in quo præcipui S. Ruperti Socii *Giſiliarius & Chunialdus* primo loco ponuntur, ac disertè appellantur *Presbyteri & Monachi*, uti *Rupertus* ipſe ibidem ſub Rubrica præcedente *Epiſcoporum & Abbatum defunctorum*, *Epiſcopus*, *& Abbas* vocatur. *Ubi ſanè mirum eſt*, inquit Cl. Carolus Meichelbeck Diſſert. 2. prævia in Hiſtor. Friſing. tom. 1. pag. xi. *quomodo allegatus de* GISILIARIO *&* CHUNIALDO *locus oculos P. Joſephi Mezger effugerit? Certè nos, dum iſta ſcribimus, Codicem illum auro ac topazio pretioſiorem præ manibus ac oculis habemus, ex quo viros, quâ eruditione, quâ nobilitate præſtantes ſæpè exhibemus.*

Codex vetuſtiſſimus, in quo primo loco manu Seculi octavi exhiben-

tur primævæ Societates antiquiſſimi & eo tempore in Urbe Salisburgi Cathedralis Monaſterii S. Petri, in quarum numero accuratè deſignantur primi ſex Friſingenſes Epiſcopi, & inter mortuos quidem *Gurbiniamus* (nempe *Corbinianus*) *Ermpertus*, *Joſeph*, & *Arpio*, nempe *Aribo*. Inter vivos *Atto* & Congregatio ipſius, item *Hitto* Epiſcopus: ac poſteà manibus recentiorum Seculorum ſubjunguntur alii poſteriores Epiſcopi Friſingenſes. Interſeruntur Societates cum variis Monaſteriis, quas enumerare longum foret. Denique in eodem Codice variis ſequentium temporum characteribus variæ donationes Monaſterio illi antiquiſſimo factæ longo ordine recenſentur.

Congeſtum Arnonianum, ſive *Donationum Breviarium* exaratum ab *Arnone*, Epiſcopo, anno, quo Carolus M. Boica regione potitus eſt, idémque deſcriptum *Canſius*, *Gevroldus*, *Duckerus*, & ambo *Mezgeri*, jam evulgârunt. Monumentum hoc Abbas *Beſelius* Prod. Chron. Gottwic. Lib. 1. pag. 36. ait, conſcriptum eſſe in membrana, binis in qualibet facie columnis, liquore atramentario, & in prima pagina ab una tantùm membraneæ facie cylindro, in quo membrana ad normam veteribus uſitatam poſſit circumvolvi; útque hujus *Congeſti* forma, & magnitudo eo accuratiùs intelligatur, menſuram Architectonicam pedis Salisburgenſis eidem appoſuit. *Vid. Acta* Erudit. Lipſ. an. 1734. m. Mart. p. 102.

Commentatio D. Hieronymi ſuper Matthæum. Codex Sec. ix. ex quo Abbas Beſelius l. c. ſpecimen profert.

Ejuſdem S. Hieronymi Commentarius in tres Libros Salomonis.

Conradi I. Archiepiſcopi Saltzburgenſis Vita. Edita à Pezio Theſ. Anecdot. tom. 2.

Joannis Caſtellenſis Expoſitio Regulæ S. Benedicti. Vol. II.

Codex antiquiſſimus ab año 1004. Carmina habet de Juvavienſis Urbis per Attilam Hunnorum Regem excidio.

Manuſcriptum ſub Litera S. ſatis antiquum, quod vaſtationem Juvavii à Valamire Oſtrogothorum Rege factam eſſe perhibet.

Manuſcriptum ſub Litera I. Vitam S. Severini continens, in qua neque Abbas, neque Epiſcopus vocatur, ſed dicitur abſolutè veniſſe in Noricum ex partibus Orientis.

Manuſcriptum A. ex quo intelligi datur, Noricum jam ante S. Ruperti adventum fuiſſe lumine fidei colluſtratum, ſed à S. Ruperto fidem in his partibus collapſam inſtauratam fuiſſe.

Manuſcriptum B. in quo vita S. Ruperti habetur; extat etiam in alio Mſ.^to ſub lit. H.

Chronicon Salisburgenſe manuſcriptum valdè antiquum ſub lit. K.

Vide plures Codices mſ.^tos in Deſcriptione *Eremitorii S. Maximi ad S. Petrum Salisburgi.*

Mihi ſingulari gratia & benevolentia R.^mi Abbatis *Placidi* b. m. ante viginti annos aditus ad nobilem hanc Bibliothecam per plures patuit dies, quibus ſi mens non læva fuiſſet, vel id temporis de Hiſtoria Literaria Ord. S. B. aliquando conſcribenda cogitationẽ ſuſcepiſſem, nullo negotio Mſ.^tos Codices annotare potuiſſem, qui ad 1500. habentur, inter quos quidam vetuſtiſſimi ævi ſunt, pluráque continent hactenus typis non mandata. Sed alio nobis *Trithemio* vel *Pezio* Opus eſt, qui ab his pulverem excutiat. *Confer. Pezii Diſſert. Iſagog. ad Tom. I. Anecdot. pag. V. ſeqq.*

SUPERIORIS ALTACHÆ vulgò *Oberaltaichenſis Bibliotheca*, ad quingentos adhuc Codices, quà membraneos, quà chartaceos obtinet, ex quibus hos nominatim recenſet Pezius. Altachæ Superioris.

1. *Anonymi ampliſſima & inſignis Epiſtola de illicita Clericorum & mulierum cohabitatione à ſexcentis annis ſcripta* hoc exordio: *Emiſeram quidem vobis ante tempus...*

2. CHRISTIANI Abbatis Altachæ ſuper. *Volumen exhortationum Capitularium* in Cod. membr. fol. Incipit prima: *Ex quo Patres & Fratres dilectiſſimi Officium principaliſſimum Abbatis eſt...*

3. Ejuſdem *ampliſſimus in Regulam S. Benedicti Commentarius*, qui tum in hac, tum in aliis Bibliothecis reperitur. Obiit Abbas v. kal. Julii anno 1502.

4. Cura paſtoralis S. Gregorii Papæ à plusquam nongentis annis in Cod. Membr. 4. cujus altero folio legitur:

Me ſancto dedit Sandradus en quoq; Vito. Videtur hic Sandradus eſſe Abbas Emmeramenſis, qui diem ſupremum clauſit anno DCCXXXV.

5. Herrici Monachi Antiſſiodorenſis *Homiliæ de Tempore & Sanctis*, in vaſto ac eleganter exarato volumine mem-

Digitized by Google

membraneo in fol. ſexcentorum annorum, quem *Gerhardus* Abbas Obetaltaichenſis S. Petro in fine obtuliſſe dicitur.

6. *Vita S. Gunthari* ſeu *Guntheri* Eremitæ ex Monacho Altacbenſi. Incipit: *Erat quidam ſenex religioſus...* Codex eſt membraneus in fol. In cujus anteriore folio leguntur hi verſus:

Abbas Popo tibi jubet hunc Librum Petre ſcribi,
Virtutum flores ut carpant hinc ſeniores,
Et juvenum mores ſint ad bona fervidiores.

7. WOLFGANGI *Altahæ Inferioris Monachi* inſignis Codex Epiſtolarum, cui multæ Archiepiſcoporum, Ducum Auſtriæ ac Bavariæ, aliorúmque Illuſtrium Virorum literæ ſunt inſertæ. Floruit is Seculo XIV.

8. *Abbreviatio Magiſtri Bandini de Libro Sacramentorum M. Petri Pariſienſis Epiſcopi fideliter Acta.* Notatu præ cæteris dignus eſt hic Codex Seculo minimùm XIII. in membranis exaratus in 4. Opus verò ex Mellicenſi Codice anno 1519. edidit doctiſſimus Abbas B. Mariæ Virg. ad Scotos Viennæ *Benedictus Chelidonius*, de quo plura Pezius.

Mettenſis. METTENSIS *Bibliotheca*, tametſi Cœnobium à Caroli M. ævo fundatum ſit, non niſi tres Codices MSS. alicujus momenti reliquos oſtentat. In uno, qui membraneus eſt & majoris formæ extat 1. *Plenarium*, id eſt quatuor Evangelia.

2. Opus *Rabani Mauri* de Cruce ſæpiùs editum.

3. *Biblia Mariana* cum figuris aſſymbolicis veteris ac novi Teſtamenti, *Alberto M.* à quibusdam tributa.

4. Variarum rerum & myſteriorum figuræ ac imagines calamo pictæ à quodam Mettenſi Cœnobita, qui Seculo XV. ſub *Petro* Abbate floruit. Ac in hoc quarto Symbolico Anonymi Opuſculo viſitur Imago S. Benedicti cum cruce & ſacris verbis, quæ æneis S. Benedicti Crucibus & numiſmatibus inſcribuntur. Hujus imaginis ecgraphon dedit Pezius *in Diſſert. Iſag. ad Tom. I. Theſ. Anecd. pag. L.*

5. Breve Compendium Librorum veteris ac novi Teſtamenti.

6. Petri Pictavienſis *Compendium Hiſtoriæ utriusque Teſtamenti* hoc exordio: *Conſiderans Hiſtoriæ ſacræ prolixitatem...*

In primo Codicis folio primariâ manu recenſentur Reliquiæ, quæ aſſeribus Codicis quondam incluſæ erant. In fine ſcriptus Codex notatur An. 1415. Eo autem majoris videtur momenti, quòd Crucibus ſeu conſecratis S. Benedicti numiſmatibus, fortiſſimo adverſus Dæmonum & Sagarum præſtigias amuleto, vel originem vel incrementum loménve præbuerit. *Ferunt enim*, inquit Pezius, *Strigas, cùm omnia latè maleficiis & teterrimis artibus Tartari evaſtâſſent, in judicio confeſſas fuiſſe, ideò in Monaſterium Mettenſe ſibi nihil licuiſſe, quod id Crucibus S. Benedicti munitum ac tectum eſſet.* Hæc ille de iſto Codice, ſed reliquos præterit.

Haudquaquam plura, quàm in *Mettenſi* vetera ſuperant monumenta in ALTAHÆ INFERIORIS Bibliotheca, & Archivo. *In illa*, inquit Pezius, *nihil penitùs veterum Codicum, binis, ut ferunt, incendiis exuſtorum, in hoc nonnulla Diplomatum autographa vidimus, quæ inter Ludovici Pii Imp. & S. Heinrici excellent.* In Sacrario duo *plenaria* ſcitiſſimè ſcripta, & affabrè ornata adſervantur, quorum alterum ſeptingentorum, alterum ſexcentorum annorum eſt. Superſunt etiam quorumdam veterum inſtrumentorum apographa; ſed hæc ad infinitum illum theſaurum, quem flammarum aviditas, nullis Monachorum lachrymis ſedanda devoravit, nihil ſunt. Altahæ Inferioris.

VARNBACUM ſeu *Formbacum*, quod celebre eſt ad Oeni ripas Monaſterium, vix duabus horis Pataviâ diſſitum, paulò plures adſervat manuſcriptos Codices, ſed recentiores; nam veteres propè omnes diverſis cladibus & caſibus periêre. Inter ſuperſtites notatu non indignus eſt *Liber de Scriptoribus Eccleſiaſticis* Auctore *Johanne Lapillo* Patavienſi Presbytero, qui Operi finem impoſuit A. 1497. Haud minoris ſunt æſtimationis tria in 4. Volumina chartacea, quibus variæ res Chronicæ Bavariam præcipuè ac Auſtriam ſpectantes continentur. Sunt qui ea ab *Angelo Rumplero* Varnbacenſi Abbate erudito comportata eſſe autument. *Sed malè*, inquit Pezius, *cùm vel ipſe character, quo ſingula exarata ſunt Seculum XV. apertiſſimè referat.* Aliud longè eſt *Chronicon Varnbacenſe* ab *Angelo Rumplero* conſcriptum, & in primo Theſauri Anecdotorum Tomo pag. 425. à *Pezio* publicatum, ubi videsis, quæ in ſuis ipſe obſervationibus præviis, tum de hoc, tum de aliis ejusdem Abbatis Operibus adnotavit, digniſſimis pro- Formbacenſis.

fectò, quæ undecunque conquiſita publici juris fiant. Præfuit *Rumplerus* difficillimis temporibus XII. annis, & relicto maximo ſui deſiderio mortalis eſſe deſiit anno 1513. Præter laudatum Chronicon, aliud in duobus prægrandibus in folio voluminibus à ſe compoſitum Poſteris reliquit eruditiſſimus Vir P. *Clarus Faſmannus* loci Prior ſub annum 1718. conſpicuus. In Archivo inſignis ſuperat *Traditionum Codex* operâ *Engelſchalci* Abbatis, collectus, de qno plura Pezius cit. loc.

De reliquis Bojoariæ Bibliothecis.

Locus hîc eſſet oportunus de *Aſpacenſi, S. Viti cis Rotham, Michaëlburanâ, Blankenſtettenſi*, & reliquis Bojoariæ Bibliothecis aliquid dicendi, ſed quia horum Monaſteriorum inquilini ſcriptis ad eos literis, communicatóque Operis noſtri conſpectu, ad conferendas ſymbolas provocati, nihil ſubmiſerunt, haud ægrè ferent, ſi qui alios benè meritos laudari ineptum purant., ipſi ceu *ventres pigri* (ut D. Pauli verbo utar) *Majorúmque pariter ac ſuæ & Ordinis gloriæ Viliipenſores*, noſtris in tabulis locum non inveniant; itá enim DEUS per Prophetam: *Quia repuliſtis ſcientiam, & ego repellam vos, &c.*

Notantur rei liter. Benedict. incubi.

Verùm omiſſis iis, quæ faſcino depellendo addi hîc poſſent, iſtud pro coronide fortaſſis monuiſſe non erit inutile, exteros rerum noſtrarum procos & compilatores Bibliothecas Bavariæ ſæpiuſculè opibus ſuis literariis & ornamentis ſpoliaſſe. Cujus rei extant quàm plura documenta. An autem ratione nitatur, nec ne, pervulgatus ille de Codicibus MSS. è Monaſteriis ad Collegia Patrum Soc. JESU translatis rumor, nemo quidem certiùs ipſis RR.dis Patribus noverit. *Nobis*, inquiunt Pezii, *Bajoariæ Bibliothecas non paucas perreptantibus nunquam veri viſum ſimile fuit, manu deſcriptos Codices ex iis Monaſteriis, quæ veteribus adhuc Ordinibus mancipata perſtant, ad Patrum S. J. Domicilia commigrâſſe, tametſi non potuerit non evenire, quin illorum Monaſteriorum, quæ quocunque demùm modo Patribus ceſſerunt, ut* Biburgenſe, Eberſpergenſe, Caſtellenſe &c. *Codices in eorundem poteſtatem cum reliquis devenerint...*

Monaſteria quædam à Jeſuitis occupata.

Quam quidem Scriptorum hæreditatem noſtram ipſis Patribus adeò non invidemus, ut potiùs quàm ampliſſimam diſcupiamus, modò ad id animum inducant, ut delectu habito meliora ſaltem Majorum noſtrorum monumenta, eáque præcipuè, quæ veteri ſacrorum Ordinum Hiſtoriæ lucem conciliant, aut ipſi exemplo *Magni Gretſeri* è ſqualore liberent, aut cum aliis ea è ſitu liberare volentibus benevolè communicent. Sed de his hactenus ex *Peziis*, nunc ad Sueviæ Bibliothecas obiter perluſtrandas progrediamur.

§. VIII.

De Bibliothecis Sueviæ.

Sueviæ Monaſteria.

PRæcipua Ordinis noſtri per Sueviam Monaſteria cenſentur, *Campidonenſe, SS. Udalrici & Afræ* Auguſtæ Vindelicorum, *Urſinum* vulgò *Irſee, Ottenbura, Ochſenhuſium, Faucenſe* ſen *Fueſſenſe, Augia Major*, vulgò *Mererau, Augia Dives, Isna, Weingartenſe, Zweyfalta, Wiblinga, Elchinga, Fultenbachum, Neresheimium, Degginga, Anhuſium*, & alia in Ducatu Würtembergico olim florentiſſima, de quorum Bibliothecis ut aliquid jam dicamus, noſtri poſtulat ratio inſtituti. Igitur, ut à Principali faciamus exordium:

Campidonenſis Archiſterii deſcriptio.

CAMPIDONA Veteribus *Chambituna*, Ducalis Nobilium Abbatia ſeſquimilliario horario à montibus Tyrolenſibus ad *Hilaram* fluviolum (*à quo inditum tractui nomen* HILERGOVÆ) ſita eſt propè Urbis Campidonæ muros Ædificiis novis, & ornatiſſimo Templo, ac duplici quadro ampliſſimo integrum conſtat Monaſterium, præter atria & habitacula Miniſtrorum. Unum quadrum Abbatis ædibus, aliud Religioſorum cellis eſt aſſignatum, cum gemina utrumque contignatione. Inferiori ex æquo reſpondet ſolum Eccleſiæ, quæ ad occidentalem Cœnobii plagam in aggere poſita eſt. Capitulum conſtat quatuor & viginti Nobilibus, cum ſex Ephæbis Vitæ religioſæ Candidatis. Loco hodie præeſt magno cum ſplendore Celſiſſimus Princeps ENGELBERTUS ex Baronibus *de & in Sirgenſtein*, Vir, in quo modeſtia, pietas, literarum amor cum aliis virtutibus certant. Intra Monaſterii ſepta habetur Officina typographica & fuſoria omnibus numeris abſoluta. Archivum magnificè inſtructum eſt, ex quo nonulla Imperatorum medii ævi Diplomata, ſua in analecta retulit *Mabillonius*. Bibliotheca multis aliàs manuſcriptis locupletata fuit; variis verò cladibus, ac præſertim ruſtico-

Bibliothecæ fata & inſtauratio.

rum

rum ſeditione A. 1525. miſerè attrita aliquamdiu jacuit. Meliorem tamen in ſtatum cum ipſo Archiſterio reducta ad 10. circiter Codicum millia hodie oſtentat. Indicem illius materialem ordine alphabetico concinnandum ſuſceperunt RR.mi DD.ni Capitulares, negotium dirigente Ill.mo Domino Decano L. B. *de Hornſtein* Viro ad præclara ejusmodi ſtudia nato. Nominalem parat Ill. D. *Epimachus L. B. de Kronegg* p. t. Bibliothecarius, quo nihil in literarios conatus deſiderare propenſius fas fuerit. Extantiora verò illius Bibliothecæ Cimelia ſunt.

Libri MSS. 1. Liber Seculi, ut videtur, noni & decimi continens interpretationem nominum veteris & novi Teſtamenti, ab *Iſidoro* Epiſcopo ad *Honorium* Papam.

2. Alius Codex in 4. hebraicè ſcriptus, in quo babetur S. Scripturæ Commentarius.

3. Iſaiæ Prophetiæ linguâ Hebraicâ in fol.

4. Libellus in membranis Seculo, ut videtur, XIV. exaratus complectens Tractatum quemdam Aſceticum de quatuor noviſſimis cum figuris. *Catonis axiomata* ſermone vernaculo in rythmos redacta, Brevem Dominicæ Orationis elucidationem &c.

5. Libellus in membranis de geſtis & miraculis *S.ta Hildegardæ* Caroli M. uxoris, quæ ibidem ſepulta creditur (*tametſi Mettis ad S. Arnulfum alii ſepultam exiſtiment*) & pro Sancta habetur.

6. *Weſtphaliſche Gericht oder Proceß* de anno 1439.

7. Hiſtoria Concilii Conſtantienſis ſermone teutonico edita Aug. Vind. typis *Antonii Sorg*, figuris & ſymbolis gentilitiis eorum omnium, qui concilio interfuerunt, novíſque auctariis & notis MSS.tis exornata. Cujus ſimile Opus laudat *Mabillonius* in ſuo itinere germanico à ſe viſum in Salemenſi Ord. Ciſt. Monaſterio.

8. Extat ibidem Hiſtoria Monaſterii Campidonenſis, rerúmque in vicinia geſtarum tempore belli Suecici ab anno 1639. usque ad 1670. accurante Perilluſtri Viro R. D. *Bonifacio à Danckersweil* ejusdem Eccleſiæ Capitulari. Sed cumprimis hîc memoranda videtur, *Hiſtoria* GOTFRIDI *de* MARSILIA *Karoli Magni, & de Fundatione Monaſterii in Campidona.* Incipit: *In ſanctæ individuæque Trinitatis nomine Amen. Ut non omnes temporum longinquitates & humanarum mentium debilitates...* Finit: *Feliciter ſcripta ſub caſtro Hylemont in Ludovici Pii Imp. Cancellaria anno Domini octingenteſimo XXXII.* Tandem ad calcem Opuſculi, quod tredecim majoris formæ foliis conſtat, hæc decimi ſexti Seculi librarius notat: *Gotfridus de Civitate Marſilia Cancellarius Pii Ludovici Imp. &c. Exemplar fuit ſcriptum Campidonæ pro liberaria ſuper cortice vilmio caduco in multis paſſibus vetuſtate præ nimia.* Ipſe Auctor in contextu ſe vocat *Gotfridum Kerren nationis de Civitate Marſilia, in Cancellaria Karoli M. minimum Scribarum.*

Codex de Fundatione Monaſterii Campid.

Præcedenti Hiſtoriæ mox attexitur in eodem Codice maximam hiſtoricorum monumentorum vim continente, *Tractatus Rythmicus de Monaſterio Campidonenſi, & ejus multiplicibus Privilegiis*, cujus caput 1. incipit: *Sancta Dei dextra nos protegat intus & extra...* ſub finem agit Auctor de Agreſtium rebellione adverſus Abbatem Campidonenſem anno 1491. Dum de numero & ſucceſſione Abbatum tractat, mentionem injicit *Chronicæ Abbatum Campidonenſium*, affirmátque tum (*ſub finem Seculi XV.*) eam extitiſſe penes quendam *Johannem de Linſter nobilem Benedictinum Campidonenſem.* Adſervatur Codex iſte in Tegernſeenſi Bibliotheca teſte *Pezio* in Diſſert. Iſagog. ad Tom. I. Theſauri anecdotorum num. XXVI. pag. XIII.

Alia Bibliothecæ Cimelia. In eadem Bibliotheca reperitur Numiphylacium locupletiſſimum, cujus deſcriptionem adornat laudatus D. *de Khronegg.* Globus quoque magnæ molis in ære à præſtantiſſimo Coſmographo *Carolo Müller* San-Gallenſi ſub RUPERTO Abbate & Principe Campidonenſi anno 1722. delineatos & ſculptus. Cernuntur alii duo globi è fornice penduli à Cel.mo Principe ENGELBERTO hodie feliciter ad clavum ſedente in vitro artificioſè effigiati. Aliáque ibi ſpectantur curioſa æquè ac erudita, explicatiùs recenſere non vacat. Id unum vovemus, ut perilluſtres ejus Monaſterii incolæ illum ſuis etiam ſtudiis adhibeant modum, quem *Plinius* Cornelio Tacito facetè commendabat Libr. 1. Ep. 6. his verbis: *Ego*, inquit, *Plinius ille quem nôſti, apros tres & quidem pulcherrimos cepi. Ipſe? inquis. Ipſe: Non tamen ut omnino ab inertia mea & quiete diſcederem. Ad retia ſedebam, erant in proximo non venabulum aut*

lancea, ſed ſtylus & pugillares. Meditabar aliquid, enotabámque, ut ſi manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem. Non eſt quòd contemnas hoc ſtudendi genus. Mirum eſt, ut animus agitatione motúque corporis excitetur. Jam undique ſilvæ & ſolitudo, ipſúmque illud ſilentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt. Proinde cùm venabere, licebit, Auctore me, ut panarium & lagunculam, ſic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus, quàm Minervam inerrare. Vale. . . P. Oliverius.

Ottoburana Bibliotheca.

OTTOBURANUM ſeu *Uttemburanum* ſex circiter horarum itinere à Campidona ad Gunzium amnem ſitum Imperiale Monaſterium, utì elegantiſſimâ ædificii architecturâ omnium rapit oculos, ita etiam concinnâ Bibliothecæ ſtructurâ, librorúmque ſelectu & numero eruditorum quorumvis pellicit animos, laudéſque colligit: *Bibliotheca Uttemburana*, inquit Mabillonius, (i) *multis Libris referta eſt etiam mſs. ex quibus nonnulla in noſtros uſus excerpſimus, ex his duas Homilias S. Fauſtini ex Homiliario perantiquo.* In veteri Necrologio de *Totone* ſeu *Tottone* primo loci Abbate hæc legimus *XIII. Kal. Decembr.* TOTO *noſter Abbas, qui corpus ſancti Alexandri huc attulit, & cujus parentes locum iſtum fundârunt.* Tottonis Parentes *Silachus & Ermiſwinda* ſub annum 764. Monaſterium condiderunt. Eccleſia verò dedicata eſt SS. *Alexandro* & *Theodoro* Martyribus, quorum reliquiæ in ea ſervantur. Eorundem thecæ *Mariæ Comitiſſæ ſigillum* ex agathe appoſitum eſt.

Inter præcipnos Bibliothecæ Ottoburanæ inſtauratores merito celebratur *Leonardus Widemannus* Abbas anno 1508. electus, & fatis functus A. 1546. de cujus præcipuis rebus geſtis R. P. *Corbinianus Khamm* in Hierarchia Auguſtana Part. III. pag. 339. fuſius agit. Is plures coëmit Libros præſertim Græcos & Hebraicos, quibus & ipſe & Fratres ejus plurimùm afficiebantur. Recitat hac de re aliquas ejus ad *Capnionem* Epiſtolas *Schelhornius* in Amœnitatibus Hiſtoriæ Eccleſiaſt. Tom. II. pag. 593. ſeqq. eumque à *Mabillonii* inſimulatione, *quâ Ellenbogii ſtudiis inimicè*

Leonardus Abbas literatiſſimus.

adverſatum fuiſſe refert, modeſtè vindicat, laudátque vel ex eo, quòd Gymnaſio trilingui (*cujus ſupra meminimus pag. 97.*) manus porrigentibus vicinis Abbatibus, initium dederit, *jure quodam ſuo inter præſtantiſſimos illius ævi Literarum & Literatorum Mæcenates referendus*; qui talis reipsâ cum eſſet, non defuêre Viri ejus ætatis eruditi, qui lucubrationes ſuas illius nomini in publicum & perenne cultûs ſui teſtimonium inſcriberent; inter quos fuit *Joan. Altenſtaigius* Mindelheimenſis, inter alios linguæ Latinæ in Germania inſtauratores *Burchardo* (k) laudatus, qui elegans de *Amicitia* Opuſculum Hagenoæ A. 1519. editum ipſi dedicavit, eum his affatus verbis: *Non ignoro TE literas amare, colere & ſcire, & præſertim ſacras, quibus poſt negotia incumbis; id quod ex Tua etiam humana & benigna contentione intelligere potui, quando invicem de litteris diſceptabamus. Perpulchrum autem doctrinâ, perpulchrum alios præſtare religione, perpulchrum alios ante ſapientiâ, benignitate & prudentiâ ire quibus conventum tuum egregium devotorum virorum Deo jugiter & ſtrenuè militantium moderaris, gubernas. Omitto tuam Bibliothecam, quam habes multis & pretioſis Libris ornatam, & quidquid Librorum habere poteris, conquiris, nummis non parcens emis, & præſertim Sacrorum Codicum rationem habes & curam &c.* Neque porrò Bibliothecam tantùm, ſed etiam Typographicam in ſuo Monaſterio officinam, characteribus quoque Græcis & Hebraicis ſuperbientem inſtruxit *Leonardus*. Primum illius officinæ ſpecimen fuit *Alcuini Opus de S. Trinitate*, cujus in calce hæc leguntur: *Impreſſum eſt præſens Opuſculum in Uttinpurrha Monaſterio SS. MM. Alexandri & Theodori Ordinis S. Benedicti, anno 1509. Cal. Sept.* Præfationem ſanè memorabilem Operi in fol. typis exſcripto præmiſit ipſe Abbas, quam integram retulimus ſupra pag. 96. eámque etiam lucinâ ſuâ dignam cenſuit Schelhornius, in hæc verba profeſſus (l). *Oppidò ſanè memorabile typographiæ exemplum; digniſſimúmque, quod in Annales referatur! Hîc enim egregio* Leonardi *Abbatis inſtituto ipſi Monachi fuêre typographi, nacti ſic idoneam occaſionem,*

Typographia ibid. inſtituta.

Monachi Typographi.

otium

(i) *Mabillon. in itinere Germ. edit. A.* 1685. *pag.* 43.
(k) Comment. de linguæ lat. fatis Part. II. p. 425.
(l) Schelhorn cit. loc. pag. 606.

otium honeſtiſſimo labore fallendi, ac poſt contemplationes ſacras & officia Divini cultûs peracta ſalutari corporis exercitatione ſartam tectamque conſervandi valetudinem; atque hac ſimul ratione aliorum commodis amplificandis utiliter inſerviendi. Hæc ille. Sed enarrare libet alios in eadem officina Libros typis excuſos, quos quidem oculis luſtravimus noſtris: 1. *Paſſio Ss. Septem Fratrum filiorum S. Felicitatis.* 2. *Translatio S. Alexandri.* 3. *Paſſio S. Theodori.* 4. *Oratio in laudem SS. Septem fratrum F. N. E.* id eſt: *Fratris Nicolai Ellenbogii*, cui tota hæc collectio accepta eſſe referenda videtur. Sed plura habentur in ea, quàm titulus innuit. Ibi enim comparet *carmen de S. Theodoro*, ac *Oratio in ejus laudem.* Enarrantur etiam *ſacra Lipſana* in Ottoburano Monaſterio conſpicua, ac *indulgentiæ* eidem Cœnobio à variis Pontificibus conceſſæ. Ad calcem hæc legas:

Libri ab iis editi.

Edidit ad laudem hanc en Ottinpurra libellum,
Martyr Alexander & Theodore tuam!

Sexto idus Octobris anno undecimo ſupra Milleſimum & quingenteſimum.

Diſtichon ad Lectorem.

Non habet titulus, quæ continet omnia, biblos:
Fautorum precibus addita multa vides.

Vivat Ottinpurra.

Oratio Chriſtophor. Stadion Auguſtæ Epiſcopi.

Hæc ſylloge in forma quadrifariam complicatâ impreſſa eſt, quo etiam formato ex eadem Typographia anno 1518. prodiit, *Oratio Reverendiſſimi Auguſtenſis Eccleſiæ Antiſtitis Chriſtophori Stadion in Synodo ad Clerum habita*, cum ipſius *Leonardi* Abbatis laudatiſſimi ad illum Epiſcopum Præfatione. In fine hæc leguntur: *Finit fauſtiſſimè Reverendi Auguſtani Præſulis Oratio in noſtro Cœnobio Ottinpurrhenſi SS. Alexandri & Theodori Martyrum A. 1518.* Hæc Oratio multis egregiis monitionibus referta eſt, digna quæ conciliorum collectioni inſeratur.

Oratio funebris in Gazæ obitu.

Anno 1543. ex eadem officina prodiit *Oratio funebris in obitum M. Johan. Gazæ Sigmaringenſis Græcar. Lit. in Benedictino Collegio Profeſſoris.* Titulo adjectum eſt ejus Epitaphium ipſi à *Michaële Dornvogel* Mæſskirchio, quem ipſa etiam Oratio Auctorem agnoſcit; poſitum in hæc verba:

En recubat corpus tumulo hoc exangue Johannis
Gazæ multigenâ cognitione Viri.
Venerat ad ſacræ renovatam Palladis arcem,
Quam Benedictini conſtituêre Patres.
Chriſticolis ſed enim ex animo prodeſſe volenti
Diſſecat invisâ ſtamina parca manu.
Illum terrenâ, ut petiit, nunc mole ſolutum
In Patrio Chriſtus collocet ipſe ſinu!

Obiit porrò *Gaza* Ottoburæ V. kal. Maji anno 1543. quo excuſa eſt Oratio, ab Auctore inſcripta *Nicolao Ellenbogio*, quem Mæcenatem ſuum nuncupat. In fine additum eſt in ejusdem *Gazæ* obitum *Stephani Leuzii* Monachi O. S. B. in Werdea Profeſſi Epicedion. Plura Typographiæ Ottoburanæ ſpecimina hactenus videre nobis non contigit.

Nicolai Ellenbogen encomium

Sub prælaudato Abbate Leonardo iſthîc floruit *Nicolaus Ellenbogius* (m), Vir bonarum literarum amantiſſimus, qui anno 1505. Ottenburanorum Cœnobitarum numero adſcriptus latinis literis Græcas & Hebraicas conjunxit, ac tandem Gymnaſio trilingui Ottoburæ inſtituto ludum aperuit A. 1543. favente inprimis *Wolgango* Abbate & Principe Campidonenſi. Commercium ille habuit literarium cum *Eraſmo*, *Reuchlino*, *Eckio*, & aliis ejusdem ætatis hominibus eruditis. Ex novem ipſius Epiſtolarum Libris reſtant duntaxat ſeptem in Bibliothecam Colbertinam illati curâ eruditiſſimi Baluzii, uti perhibet *Mabillonius*. Reliquos autem manu exaratos Codices ſi requiras, trecentos ferè ex quamplurimis hodiernâ adhuc die oſtendunt Ottenburani. Hinc meritò Eminentiſſimus Cardinalis *Quirinus* anno 1748. ocularis teſtis hanc Bibliothecam in ſua ad Ser.mum Haſſiæ Landgravium, & Auguſtanæ Urbis Epiſcopum Epiſtolâ vocat *Selectiſſimam copioſſimamque.* Huic autem purpurato Patri non alia MSS.ta magis arriſere, atque laudati *Nicolai Ellenbogii*, quibus colligendis & diſcribendis magnam impenderat diligentiam Bibliothecæ Præfectus R. P. *Michaël Reichbeck*, ut ea Eminentiſſimo Principi dono offerret, quod ille gratiſſimum habuit. Tragica eſt Epiſtola doctiſſimi *Ellenbogii* de rebus Eccleſiæ ſuo tempore perturbatiſſimis, quam integram dedit *Pezius* in Diſſert. ad Tom. I. Theſ. Anecd. Sed non minùs notatu digna eſt ampliſſima ſimul ac doctiſſima Præfatio, quam R. P. *David Aicheler* ejusdem loci Cœnobita & Bibliothecæ Præfectus Catalogo illius à ſe concinnato præfixit anno 1574. Ita enim

& Epiſtolæ.

Davidis Aicheler relatio de re libraria ad A. 1574.

(m) *Ejus acta videſis fuſius deducta Part. III. pag.* 338.

enim de ipſius rei librariæ diſpoſitione & œconomiâ diſſerit: *Libris tam meis, quàm aliorum Confratrum præcipuis in Bibliothecam, communitatis locum relatis, & cum antiquis permixtis Codices omnes* (ut dilecta mea eſſet quaſi acies ordinata) *de novo in certas claſſes, certámque methodum redegi, atque ordinavi non quod ordo à* R. P. Nicolao Ellenbogen *obſervatus mihi minùs placuerit, ſed quòd ordinem à tam docto Patre conſtitutum, per Sciolos abſque ratione cum dolore animi mei inveniebam confuſum. Præterea autem cujuslibet facultatis & artis volumina ſcriptave ſeorſim poſui, etiam in iisdem ordinandis ut plurimùm duplicem ſecutus ſum methodum, Dignitatis videlicet & Naturæ, habens interim, quoad ejus fieri potuit, & ætatis rationem, ut nimirum in eadem facultate ii Scriptores præcederent, quos ſciebam ſeniores.* Has autem claſſes ſtatuit principales: 1. Sacra Biblia.

ejus coordinatio,

2. Concordantiæ. 3. Commentatores in S. Scripturam. 4. Sancti Patres 5. Theologi Scholaſtici. 6. Libri Parochorum inſtructioni ſervientes. 7. Controverſiſtæ ſeu Polemici. 8. Aſcetici & Myſtici. 9. Homiletici ſive Concionatores. 10. Homiliæ & Sermones SS. Patrum. 11. Canoniſtæ. 12. Civiliſtæ. 13. Theologi Morales. 14. Grammatici; Poëtæ, Rhetores, Hiſtoriographi. 15. Lexica Hebræo - Græco - Latina & Latino-Germanica perplurima. 16. Dialectici, Mathematici, Phyſici. 17. Medici & Botanici. 18. Codices Manuſcripti. &c. quos hìc referre, ne nimium Lectori moleſtus ſim, ſupervacaneum duxi. *Certe*, ſubdit ille, *ſtudioſos adoleſcentes & veros Religioſos diligentiâ & cupiditate diſcendi, vel amore in gratia apud Deum & homines proficiendi, Mercatorum avaritiæ cedere atque ſuccumbere ſummum dedecus eſt, Reip. Chriſtianæ graviſſima pernicies. Ob Lucellum, idque tranſitorium, trajiciunt illi mare, conficiunt longa & periculis plena itinera, noctes inſomnes ducunt, & totis diebus fatigantur, ut pauxillam pecuniam corradant vel augeant & tu Mercator non terrenorum, ſed cæleſtium & æternorum, Tu* MONACHE! *cui ipſi cæleſtis ſapientiæ Theſauri infiniti ſunt promiſſi, & certò certius dabuntur, ſi quad voviſti reddideris, pro iis conſequendis laborem fugies, otio torpeſces, & vel vitioſam vitam inſtitues, vel divitias, quas ſpreviſti, & nummos, quos abjeciſti, amplectêris, omni viſu quæres, & Libris omnibus præponere audebis? Abſit hoc à mente religioſa..*. Ut ergo

& adhortatio.

„vos Fratres, quibus ex vocatione „incumbit, & pro vobis militare, & „aliis mederi, dextrè valeatis diabo„li & hæreticorum machinas diſſipa„re ac animas ſaucibus draconis in„ſernalis eripere, novasque infirmi„tates curare & propellere, veteres „recuſos & novos Catholicos Libros „colligite, emite, honorate, ut nova „& vetera de Theſauro cordis veſtri „per ſcientiam charitate ornatam „proferre poſſitis ad laudem & glo„riam Dei, cujus infinita bonitate ho„die ſcientiæ & artes ferè omnes ita „doctiſſimorum hominum ſcriptis il„luſtrantur, *ut plane vel ipſis ſcientiis injurioſus & ingratus ſit, aut ſupra modum avaritiæ crimine laborare judicari debeat ille, qui vel amore nummorum, vel ex rerum inſcitia hodie Libros novos comparare negligit aut contemnit*... Hæc Vir iſte ſapientiſſimus, qui paulò poſt ad *Fueſſenſis* Cœnobii adminiſtrationem, dein ad *Montis ſancti Andex* Præfecturam evocatus rem literariam utrobique inſigniter auxit & illuſtravit. Anecdota Bibliothecæ Ottoburanæ nuper collegit Doctiſſimus ejusdem Præfectus P. *Michaël Reichbeckius*, qui etiam *Philippi le Cerf* Bibliothecam Maurianam, aliáque plura è Gallico latina reddidit. Sed heterogeneis Concellitarum & Superiorum moribus in tranſverſum actus, ea Vulcano dicavit. Dignum planè eſt, quod hic pro coronide ſumptuoſi, quod Abbas molitur ædificii liberalius admetiar *Clementis Alexandrini* monitum: *Abſurdum*, inquit, *& turpe eſt, unum lautè vivere, cùm multi eſuriant; oculos paſcere & animos negligere; muros erigere, & mores deſtruere. Quantò autem glorioſius multis benefacere, quàm magnificè habitare? quantò prudentius in homines, quàm in lapides & muros, impenſas facere? Quantò honeſtius in ſapientiæ monumenta, quàm in luxûs inſtrumenta ſumptus prodigere?* .. Ex P. *Oliverii* Diſſert. de adornanda Bibliotheca inter editas prima pag. 17. Conſerſis *Schelhornii* Hiſt. Lit. Eccl. Tom. II. verbo *Ottobura*...

Reichbeckii labores.

Ursinensis.

URSINENSIS vulgò *Irſee* imperialis Monaſterii ab Ottoburano ſex circiter leucis diſſiti Bibliotheca, Codices, *ut ajunt* manuſcriptos non paucos numerat, ſed plerosque recentioris ævi

&

& argumenti Scholaſtici. Eam *Paulus* Abbas anno 1533. electus inſtauravit, ut juventutem ad ſtudia ſuo exemplo validiùs excitaret, dicere ſolitus: *Monachum ſine libris & ſtudioſa eorum lectione, eſſe militem ſine armis & exercitatione.* Eminentiſſ. Card. *Quirinus* in ſuo itinere Suevico Urſinum delatus vidit & admiratus eſt *Muſæum Mathematicum*, cui ſimile vix in Italia ſe vidiſſe in primo ingreſſu edixit. Supellex Libraria etſi non adeo ſit copioſa, at certè ſelecta eſt & elegans, Librisque viro ſeriis ſtudiis dedito maximè neceſſariis inſtructa, ut hîc quadrare videatur illud Senecæ Ep. 45. *Librorum inopiam iſtic eſſe quereris? Non refert quàm multos, ſed quàm bonos habeas & utiles.*

Sant-Udalricana Aug. Vindelicor. *Bibliotheca Imperialis ad SS. Udalricum & Afram Auguſtæ Vindelicorum Monaſterii*, ornatiſſima eſt, & Libris tum novis, tum antiquis, ſi quæ alia, maximè referta. Ut de impreſſis & numero & ſelectu egregiis non multa dicam, tacere tamen nequeo, quòd in hac Bibliotheca quædam aſſerventur, quæ non aliis formis æneis excuſa fuerunt, quam ipſius typographei, quod *Melchior de Stanshaim* Sant-Udalricanus Abbas paulò pòſt inventam artem cuſoriam ſuo in Monaſterio erexit, ut jam ſupra diximus. Sunt autem: *Libri Dialogorum S. Gregorii Magni A.* 1474. *Sermones aurei Leonardi de Utino* 1476. *Speculum Hiſtoriale Vincentii in magno fol.* & dubio procul plura, quæ noſtram tamen fugiunt notitiam.

Codices MSS.tos quod attinet, aſſervabantur hîc pridem ad 500. optimæ notæ, ex quibus quantum profecerit *Mabillonius*, teſtantur ea, quæ inde eruit, & ſuis analectis intexuit, videlicet *Fragmentum Epiſtolæ* CANDIDI *Arriani ad Marium Victorinum Urbis Romæ Rhetorem*; & *hujus ad eundem reſponſio. Ordo officii in domo S. Benedicti ante Paſcha &c.* Etſi verò non omnes à R. P. *Symperto Fiſcher* veteri catalogographo memorati Codices ad nos pervenerint, multa tamen adhuc ſunt, quæ Viros eruditos ſuo meritu teneant, videlicet:

Stephani Pariſienſis Comment. in Reg. S. B. 1. *Stephani Pariſienſis* Comentarius ampliſſimus in Regulam S. Benedicti, ad *Rofredum de inſula* S. R. E. Cardinalem & Caſinenſis Archiſterii Abbatem circa annum 1193. conſcriptus, & à P. *Ziegelbauer Hiſt. P. I.* R. P. *Thoma Rieger* Subpriore Sant-Udalricano an. 1495. in membranis deſcriptus in fol. additâ S. Benedicti vitâ iconibus & verſibus expreſſa: cujus ſimile exemplar in Senonenſi Lotharingiæ Monaſterio extare meminit *Rumart* in ſuo per Alſatiam itinere Tom. II. Opp. Poſth. pag. 442. Vide hâc de re à nobis relata hujus Hiſtoriæ Part. III. pag. 23. & ſupra de Senonenſi Lotharingiæ Bibliotheca.

2. *Reginbaldi Möbner* Cœnobitæ Udalricani, Viri utíque rerum Heraldicarum & Genealogicarum longè peritiſſimi Opera ſanè quàm multa, videlicet. I. *Annales Auguſtani* duobus voluminibus in folio. II. *Itinerarium Bavaricum, Auſtriacum, Moravicum, Sileſium, Belgicum &c.* Cod. Chart. in 4... III. *Inſignia & arma Imperatorum, Regum, Ducum, Epiſcoporum &c. Europæ*, elegantibus figuris & picturis ornata. Cod. Chart. in fol. IV. *Series Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum* &c. *Europæ, Genealogicè deducta.* Cod. Chart. in 4. Huic Operi etiam ineſt Genealogia Marchionum & Ducum Auſtriæ tam Babenbergenſis, quàm Habſpurgicæ Stirpis. V. *Inſignia Epiſcoporum, Abbatum, Ordinum, Equeſtrium & Academiarum.* Codex Chartaceus in 4. meris imaginibus & picturis conſtans. VI. *Anhaldiæ Principes, & ex iisdem progredientes Brandenburgiæ Electores, Rectores Saxoniæ inferioris, Duces moderni Lavenburgenſes dicti.* Opus eſt Genealogicum accuratè confectum & deſcriptũ in Cod. Chart. VII. *Genealogia Landgraviorum Haſſiæ* Cod. Chart. in 4. 4 VIII. *Genealogia Fuggerorum* Incipit Opus in Johanne Fugger An. anno 1330. & deſinit cum anno 1614. Addita ſunt & nomina & inſignia Conjugum. XI. *Omnium penè Regnorum, Provinciarum, Regum, Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium arma gentilitia.* Cod. Chard. in. 4. X. *Haſtiludium Genetliacum.* Cod. Chart. in 4. XI. *Inſignia & ſtemmatographia Epiſcoporum, Præpoſitorum, Decanorum, Canonicorum, & Abbatum S. Udalrici in Urbe Auguſtana.* XII. *Ariſtocratia Auguſtana*, id eſt, Recenſio omnium Magiſtratuum Auguſtanorum ab an 1545. ad 1670. XIII. *Patriciorum Auguſtanæ Urbis contuba, & eorum inſignia Chronologico Ordine tractata.* Reginboldi Möhner Opera.

XIV. *Conſules ſeu Duumviri Auguſtani usque ad A.* 1548. cum ſingulorum armis gentilitiis. Cod. Chart. in 8. oblongo. XV. *Opus Stemmatographicum de diverſis Auguſtanæ Urbis Potritiis, puta Rechlingiis, Welſeris, Peutingeris &c. cum eorum Inſigniis Cod. Chart. in* 4.

Clementis Sünderi Hiſtoria.

3. *Clementis Sünder* vel *Sender* loci Cœnobitæ indefeſſi *Chronographia Univerſolis* ab Orbe condito ad annum circiter 1540. conſcripta, & XII. Tomis in 4. comprehenſa, magnum profectò Bibliothecæ Udalricanæ ornamentum conciliat. Sed eheu! ex iſtis XII. voluminibus illud, quo res memoratu digniores ab anno 1315. usque ad 1440. enarrabantur, interiit. Caveant Poſteri, ne ſimili ſato reliqua intercidant. Hæc porrò ipſa eſt *Sünderi* collectio, ex qua ſequens Opus excerptum & Ingolſtadii typis *Georgii Hæulin* A. 1654. in 4. excuſum prodiit hoc Tit: *Relatio de ortu & progreſſu Hæreſum in Germania, præſertim verò Auguſtæ Vindelicorum, ex antiquis Annalibus MSS. cujusdam contemporanei fideliter deſcripta, & nunc publici juris facta A.* 1654.

Sigismundi Maiſterlein Chronicon &c.

4. *Sigismundi Maiſterlein* eruditi pariter ac operoſi Monachi Sant-Udalricani *Chronicon Auguſtanum*, quod inter Rerum Germanicarum Scriptores Piſtorianos prodiit. Opus hoc ſuum ipſe *Sigismundus* Germanicè vertit rogatu *Sigismundi Goſſenprot* Civis Auguſtani, Præceptoris ſui an. 1457. quæ verſio extat in Codice Chartaceo in ſol. Aliud eſt ejusdem *Sigismundi* Opus in tres partes diviſum, quod ipſe *Indicem Monaſterii SS. Udalrici & Afræ in Auguſta Vind.* nuncupat, eſtque Chronicon dicti Cœnobii publica luce dignum.

Anonymi Chronicon S. Udalrici.

5. Aliud *Chronicon Abbatum SS. Udalrici & Afræ, à primo usque ad Marquardum*, qui anno 1316. electus fuit, perductum, in Codice membraneo in 4. hoc exordio: *Abbates Monaſterii SS. Udalrici & Afræ infra muros Civitatis Auguſtenſis ſitum. Primus Abbas Epiſcopus Spiræ electus, ubi & nunc in numero Sanctorum habetur...* Ad annum 1322. hæc referuntur:

Anno milleno ter CCC bis Xque ſecundo,
Quando Wenczlay Clerus canit ac Adonay.
Tunc Rex Ludwicus conflixit cum Friderico;
Quem captivavit, Auſtrales & ſuperavit...

Petrus Wagner de Viris Illuſtr. O. S. Bened.

6. Petri *Wagner Congeſtum Monachorum Illuſtrium*, ſeu *Liber de Viris & Fœminis vitæ ſanctimoniâ & doctrinâ celebribus ex Ordine S.ti Benedicti.* Rubrica recentiori manu Operi præfixa hunc refert Titulum: *R. P. F. Wagner Collectura illuſtrium Virorum, de qua conſule F. Wilhelmi Witwer Catalogum Abbatum hujus loci.* Opus in ſeptem titulos diſtribuitur, cujus primi hoc eſt initium: *Inter hujus calamitoſæ lethalis vitæ erroris nebulas...* Extat etiam in Codice Tegernſeenſi, ubi Auctor *Petrus Abbas Thierhauptanus* diſertè appellatur. Anonymus verò Weſſofontanus in collectaneo ſuo de Viris Illuſtribus, hunc *Petrum* ſui Cœnobii Abbatem ex Monacho Auguſtenſi factum eſſe adfirmat. Hic denique eſt ille *Frater Petrus*, cujus Opus *de Viris Illuſtribus O. S. B.* in Bibliotheca Paulina Lipſiæ adſervari perhibet Catalogus.

Jonnnes Griesherrn de eodem argumento.

7. *Joannis Griesherrn* ejusdem loci Cœnobitæ *Continuatio Collecturæ de Viris Illuſtribus Ord. S. Benedicti.* Egregium hoc Opus integrum adſervari in Cæſarea Vindobonenſi Bibliotheca nos docet *Lambecius* in ejusdem Bibliothecæ Catalogo Tom. II. pag. 933.

Leonardi Wirſtlin Proba Scripturarum.

8. *Leonardi Wirſtlin* aliàs *Wagner de Schwabmenchingen* Monachi Sant-Udalricani *Proba centum Scripturarum diverſarum unâ manu exaratarum* in Cod. membraneo oblongo. Illuſtre omnino eſt hoc monnmentum, in quo omnium ab undecimo Sec. Scripturarum formas & modos, centum ſpeciminibus ſua unius manu ita imitatus eſt *Leonardus*, ut quisque Lector pereat, ni ſuis quæque Seculis exarata eſſe putet. In anteriori folio Scriba *Maximiliano* Imperatori his verbis ſuum Opus inſcripſit:

Rhomanorum Imperatori inviciſſimo, Cæſari Auguſtiſſimo, Glorioſiſſimo, Sereniſſimòque Chriſtianæ Reipublicæ Tutori fauſtiſſimo MAXIMILIANO, *Divæ beatiſſimi Præſulis Udalrici propaginis Germini nobiliſſimo, ſorte infimus Frater* LEONARDUS WIRSTLIN *prænominati Antiſtitis Monaſterii Auguſtæ mancipium*, Scripturarum centum manu unâ exaratarum continentiam *emendandam corrigendámque offert.* Vide Part. II. pag. 516.

9. *Conradi* Abbatis Urſpergenſis Chronicon in Codice chartaceo manu Seculi XV. deſcriptum in folio,

ad

ad cujus fidem examinari poterunt ejusdem Operis repetitæ editiones.

Burchardi Zunck &c. Opera. 10. *Burchardi Zunck* Chronicon Auguſtanum vernaculâ linguâ ſcriptum ab initio Urbis usque ad annum 1538. à quo tempore quidam Anonymus Appendicem adjecit, quâ ejusdem Urbis Hiſtoria usque ad annum 1632. continuatur.

11. Vita S. Onuphrii Eremitæ per Fratrem *Johannem Griesberen de Dillingen* Presbyterum & Conventualem Monaſterii SS. Udalrici & Afræ ejusdem Civitatis, *ipſo die Hilariæ Reginæ & Sociarum ejus anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXVI.*

12. Jacobi Canter *Friſigenæ Oratoris clariſſimi de Solitudine Dialogorum Libri duo* in Codice chartaceo in 4. à trecentis circiter annis exarato. Incip. *Salve ô Hippolite dimidium animæ meæ...*

13. *Viti Bildii Acropolitani* Monachi Udalricani tria diverſorum Opuſculorum volumina, in quorum uno habetur *Brevis Hiſtoria Abbatum Monaſterii Fuldenbacenſis*, conſarcinata anno 1510. In aliis magna vis extat Epiſtolarum, quas vel *Vitus* ad Viros ea ætate claros, vel hi ad illum dederunt, quales extitêre *Nicolaus Ellenbogius* Cœnobita Ottoburanus, *Conradus Peutingerus*, *Joannes Cæſar* Auguſtanus, *Georgius Spalatinus*, *Johannes Denckius*, *Conradus Adelman* ab Adelmansfelden, *Oecolampadius*, *Jonas* &c. Inter *Viti* Epiſtolas duæ ſunt ad *Fridericum* Saxoniæ Ducem, quarum altera data eſt kal. Octobris 1518. ubi ait, ſe Duci mittere horologia vitro inſcribenda &c.

14. *Caroli Stengelii* ex erudito Cœnobita Udalricano Abbatis Anhuſani A. 1663. denati, Opuſcula quædam anecdota. Item vaſta quædam Epiſtolarum à doctis & celebribus ejus ætatis Viris *Gretſero, Radero, Conſtantino Cajetano* & aliis ad eum data uno collectio tribus in fol. voluminibus comprehenſa.

15. *Georgii Stengelii S. J.* Presbyteri antefati Fratris Germani anecdota quædam haud ſpernenda in tribus juſtæ molis voluminibus contenta & alia quamplurima, quorum fuſiorem recenſionem anno 1639. literis conſignavit ejus loci Cœnobita R. P. *Sympertus Fiſcher* Vir doctus, cujus diligentiam utinam imitentur Poſteri, ne comicos ſales colligant, & *eruditionis ſepulchrum*, aut *tinearum Patres & Nutritii* dicantur. *Ex recenſione P. Oliverii.*

Faucenſia. Faucense ſeu *Fieſſenſe* ad Lycum fluvium & alpes Tyrolenſes in Diœceſi ſiſ. Auguſtana ſitum Ordinis noſtri Cœnobium, à S. Magno primitùs conditum, modicam, ſi *Mabillonio* credimus, poſſidet Librorum ſupellectilem, tametſi non deſint manuſcripti quidam Codices, venerandæ omninò vetuſtatis, quos inter *Regula S. Benedicti* circa Seculum VIII. conſcripta. *In folio cujusdam Codicis*, inquit Mabillonius, (a) *inter alia invenitur inſtrumentum nobilis matronæ* Azilæ *de Muſteren, quæ pro remedio animæ ſuæ & Conjugis ſui* Otilonis *dat Eccleſiam de Roderatesboven anno Incarnationis Domini DCCCCXVIIII. ſub Papa* Marino, *ſub Rege* Heinrico, *qui tertius poſt* Ludewicum *fuit, ſub Duce Alamannorum* Burchardo, *ſub Antiſtite Auguſtenſe* Hiltino, *ſub Abbate* Giselone... Quem locum refert Mabillonius propter nomen *Marini* Papæ, quo nomine Pontifex ad Romanæ Eccleſiæ clavum tunc non ſedebat, ſed *Johannes X.* An is & *Marinus* dictus? ſimilis difficultas occurrit in Actis S. Udalrici Epiſcopi Auguſtenſis, qui Romam adiiſſe anno 909. dicitur *Marino* Pontifice. An *Marinus* quidam per illa tempora, quibus indigni plerique Pontifices ſanctam illam Sedem occupabant, pro Pontifice habebatur à Germanis? Fatetur Vir ſummus ſe hærere. Recentiores porrò ejus chartophilacii Codices manuſcriptos ad 600. ſeſe exporrigere perhibent loci incolæ: Sed oculorum fides deſideratur. Brevem Monaſterii Hiſtoriolam condidit *Modeſtus* Abbas. Cætera nos latent.

Wiblingenſis. Wiblingensis propè Ulmam Monaſterii Bibliotheca manuſcriptis Codicibus locuples eſſe dicitur; hic namque circiter quingenti reperiuntur perquàm boni, & qui nonnulla necdum edita contineant. Excerpta ex Catalogo, ut huic Hiſtoriæ inſeri poſſent, petiit noſtro rogatu Vir doctus, rei literariæ Benedictinæ provehendæ ſtudioſus, ac Monaſterii ſui per plures annos Superior; Sed erat canis in præſepi qui latratu ſuo atque inofficioſo reſponſo nos ceu profanes procul abeſſe juſſit. Superi eos ament omnes,

(a) Mabillon. in itinere Germ. Veterum Analect. Tom. IV. editionis Parif. A. 1685. pag. 7.

omnes, qui honeſtos aliorum conatus pro exaugenda Ordinis gloria, ac bonarum artium incremento juvant; Muſæ autem Benedictinæ vultum à barbaris illis & inhumanis Scythis avertant, qui ſe præbent inexorabiles. Aliam ſanè mentem induerat *Cœleſtinus Mayr* illius olim Bibliothecæ Præfectus, quem *Pezius* à diligentia & humanitate plurimùm commendat. Longè etiam aberat ab illo Scytharum ritu MODESTUS Abbas, à quo apertum extat *Templum honoris*, ſive Abbatum Wiblingenſium vitæ integritate & morum honeſtate illuſtrium chronologica deſcriptio ab año 1099. usque ad 1699. cum figuris affabrè æri inciſis Aug. Vind. 1702. in 4. Hæc referre viſum eſt, ad excitandam apud Poſteros majorem in conatus literarios promptitudinem, & venerandæ antiquitatis curam. *Vide Part. II. pag.* 515.

Ochſenhuſana. OCHSENHUSANA Bibliotheca, uti cætera illius Monaſterii ædificia, elegantiſſima eſt, optimíque metalli Libris inſtructa, quos inter reperitur *Andreæ* Bambergenſis S. Michaëlis Abbatis ſyntagma, *de Viris & Fœminis Illuſtribus O. S. B.* Pezio laudatum. Cætera ejus loci cimelia nos latent, nec accuratum eorum ſyllabum ab Inquilinis impetrare potuimus. Quàm parùm verò ad Monaſterii alicujus celebritatem, gloriam & ſplendorem faciant ſumptuoſa ædificia, excelſi parietes, atria longa, inſanæ ſubſtructiones, & pretioſa ex auro argentóque ſupellex, niſi *doctrina*, *eruditio*, &, quæ felicitatis Mater eſt, *Sapientia*, nutríxque *Virtus* ſedem in iis collocaverint, alibi diximus. Quid enim ſunt vel ampliſſima Monaſteria ſine Viris Religione ac Doctrinâ præſtantibus, niſi dealbata vivorum hominum ſepulchra? *Et quid, quæſo!* inquit Trithemius, *miſerabilius religioſo Sacerdote indocto? qui licèt nullum prædicationis officium habeat, ratione tamen ſuſcepti Ordinis ad ſcientiam obligatur Scripturarum.* Sic ſcribit Homiliâ IV. digna quidem, ut tota attentè ab Ochſenhuſanis relegatur.

Weingartenſis. Monaſterium Imperiale *ad Vineas*, vulgò *Weingarten*, uti inter Benedictina Congregationis S. Joſephi in Suevia Monaſteria præcipuum habetur, ita omnium etiam præcipuam habet Bibliothecam. Hæc multùm adhuc illuſtrior foret, niſi vaſtator Vulcanus magnam ejus partem devorâſſet. Audiamus ea de re Gabrielem Bucelinum (o) A. 1578. *luctuoſiſſimo toti poſteritati incendio vaſtatur Imperiale Monaſterium Weingartenſe, ſplendidiſſimo & ampliſſimo, quod paulò antè Joannes Gerwici Succeſſor extruxerat, palatio, cùm ignibus, tum conſequente inde concameratorum ædificiorum ruina abſumpto, in quod paulò antè locupletiſſima magni momenti veterum Manuſcriptorum & incomparabilis raritatis monumetorum Bibliotheca translata eſt, paucis è pergameno Libris, ipſo flammarum impetu per longa aëris ſpatia in patentes campos ejectis & poſteritati conſervatis.* Ab incendio magnam Librorum jacturam ſubit. Superbit tamen hodiedum (utor (p) verbis Cl. Viri J. G. Schellhornii) hocce Monaſterium (cui nuper R.^mi Abbatis Sebaſtiani magnificentiâ novum templum ſplendidiſſimum, veteri diruto, acceſſit, pauciſſima fortaſſis in Germania habens paria) Bibliothecâ Codicibus manu exaratis & maximam quidem partem membranaceis, inſtructiſſima, laudata etiam à Joanne Mabillonio. Adſunt tamen multi adhuc MSſ. Codices. Hæc ille. Ego egregios Codices ſupereſſe non negaverim, ſed non ita numeroſos, ut iisdem Bibliotheca inſtructiſſima ſit. Ex his Mabillonius in Itinere ſuo Germanico ſequentes potiſſimùm laudavit. Hiſtoria veterum *Welfonum*, qui Monaſterii Fundatores habentur. Duo vetera Kalendaria Miſſalia integra à Regina Angliæ donata. Gregorii M. Expoſitio in Ezechielem, ad cujus initium antiquiſſimo charactere legitur: *Oportet Monacho ubicunque exierit, Eucharistiam ſemper ſecum vehat.* Quidam optimus Codex perantiquus continet *vitam ſancti Anſcharii* primi Archiepiſcopi Bremenſis: alius egregius *Juſtini Trogi epitomen. Formulas veteres Andegavenſes*, atque *Prologum* B. Wilelmi Hirſaugienſis Abbatis *in conſuetudines* Monaſterii ſui edidit Mabillonius Analect. Tom. IV.

Præſtantiores typis excuſi. Nec deſunt rariores typis excuſi, è quibus nomino (q) Ciceronis Officia & Paradoxa Moguntiæ per Jo. Fuſt & Petr. Schoeffer A. 1465. membranis impreſſa, ac Clementis V. Pont. Max. Conſtitutiones, ab iisdem in fol. 1460. vulgatas, cujus rariſſimæ editionis cum Cel. Maittaire in Annalibus

(o) In Conſtantia Rhenana pag. 358.
(p) Amœn. Liter. Tom. VII. Differt. Hiſt. de Libris combuſtis. pag. 80.
(q) ſunt verba Schellhornii l. c.

libus Typographicis haud meminerit, ea, quæ ad ejus calcem notata ſunt, huc transferre operæ videtur eſſe pretium. *Præſens Clementis Papæ quinti Conſtitutionum Codex unà cum apparatu Dn. Joh. Ant. ſuis rubricationibus ſufficienter diſtinctus artificioſa adinventione imprimendi, & characterizandi absque ulla calami exaratione ſic effigiatus, & ad Euſebiam Dei induſtriè eſt confirmatus per Joannem Fuſt, civem Moguntinum, & Petrum Schoiffher de Gernsheim Clericum Diœceſ. ejusdem. Anno Domini MCCCC. ſexageſimo XXV. die menſ. Junii.* Exemplar hoc ibidem eſt membranaceum, Bibliothecæ cimeliis accenſendum.

Augiæ Brigantinæ

Augia Major Brigantina Cœnobium in ditione Auſtriaca ſitum primordia ſua debet *S. Columbano*, Abbati primùm Luxovienſi in Burgundia, tum Bobienſi in Italia. Hujus antiquiſſimi juxta ac religioſiſſimi Monaſterii Bibliotheca abundat quidem hodiedum numeroſâ admodum, & perquàm egregiâ omnis generis præſtantium Librorum impreſſorum ſupellectile, at (quod dolenter referendum) manuſcriptos Codices ex repetitis Monaſterii conflagrationibus, ac expillationibus ſibi reſiduos, non niſi paucos & perquam modicos numerat. Ex literis V. C. Aproniani Hueber, Monaſterii Prioris, ab inſigni ſtudio rei literariæ Benedictinæ promovendæ commendatiſſimi, ſequentes recenſere licet.

Manuſcripti Codd. reſidui.

I. Inſtructiones ſeu Sermones tredecim S. Columbani Abbatis ex Codice literis Hibernicis conſcripto deſumpti. Eorum initia ſunt, & quidem 1. *Inſtructionis valdè neceſſariæ curam gerens.* 2. *Divinæ Profunditatis magnitudo.* 3. *Quid in mundo optimum.* 4. *Omnis diſciplina.* 5. *O tu vita quantos decepiſti.* 6. *Donante Domino.* 7. *O te cæcam veſaniam!* 8. *Ecce nunc de fine viæ.* 9. *Adhuc de fine dicamus.* 10. *Multùm nobis de fine timorem.* 11. *Moyſes in Lege ſcripſit.* 12. *Compunctionis neceſſariæ.* 13. *Quotidianæ experientiæ.*

II. Ejusdem Epiſtola exhortatoria in Conventu ad Fratres: incipit: *In Eccleſia Dei.*

Alia Conſolatoria ad ſuos Monachos, à quibus ipſum ſeparavit furor Theodorici & Brunichildis, incipit: *Dulciſſimis ſuis filiis.* Item alia ad Juniorem quendam, incipit: *Cùm jam de moribus.*

III. Ejusdem Inſtructio de octo vitiis principalibus. Initium: *Octo ſunt vitia principalia.* Item Tractatus de Pœnitentia: incip: *Pœnitentia vera eſt.*

IV. Ejusdem Epiſtolæ ad diverſos. 1. ad Bonifacium IV. Papam: *jam diu omnes.* 2. ad eundem: *Pulcherrimo omnium totius Europæ.* 3. ad Patres Synodi Gallicanæ ſuper Quæſtione de Paſcha congregatæ. *Gratias ago Deo meo.* 4. ad S. Gregorium I. Papam itidem de Paſchæ obſervantia: *Domino ſancto & in Chriſto Patri.*

V. Codex optimæ notæ pergameous exhibens vitam S. Galli à Walafrido Strabone conſcriptam in 4.

Martyrologium perantiquum.

VI. Antiquiſſimum Martyrologium pergam. in 4. incipit: *Domino Karolo Regi piiſſimo Hyſwardus.*

VII. Ordo S. Confeſſionis & Pœnitentiæ in Codice pergam. in 4. quem ab Augienſibus communicatum Bernardus Pezius in Tomo 2.do ſui Theſauri Anecdotorum publici juris fecit.

VIII. Codex melioris notæ pergamenus exhibens Evangelium S. Marci cum Expoſitionibus Venerab. Bedæ in fol.

Necrologia veteris ævi.

IX. Duo vetuſtiſſima Necrologia pergamena in fol. in antiquiori nonnulla folia deficiunt.

X. Epiſtolæ Bernonis Abbatis Augiæ Divitis, incip. *Berno gratia Dei, & ſi non merito, tamen officio Abba &c.* in fol.

XI. Expoſitio Evangeliorum Dominicalium Anonymi cum iconibus rudi calamo exaratis, quæ Teſtamentum novum per vetus elucidant in fol. Sec. xv. init. *A Dominica Adventus Domini.*

XII. Speculum Salvationis Authore Anonymo cum picturis myſteria ruditer exhibentibus, ejusdem Seculi in fol. init. *Expediens & utile viſum* &c.

XIII. Hiſtoria de particula Salvificæ Crucis D. N. J. C. quæ in Augia Brigantina aſſervatur; cui annexa eſt Diſquiſitio, an Hugo tertius Comes Tuwinganus, etiam Comes Brigantinus & dictæ particulæ Donator fuerit? Item, an S. Joañes Comes Montfortius Leucoſiæ in Cypro miraculis in Eccleſia Fratrum Minorum coruſcans, Germanus, an verò Gallus fuerit?

XIV. Codex pergamenus in 8. rariſſima canæ vetuſtatis Alphabeta in ſe continens.

XV. Duo Breviaria pergamena in 8. perquàm antiquis characteribus & Iconibus exornata.

XVI. Codex ligneus in Maj. Oct. cui cerâ nigrâ oblito unus & alter character inſculptus adhuc videri poteſt, verbum tamen aliquod integrum aut ejusdem ſenſus exprimi nequit. Inſpexit hunc 1723. Eminent. Card. Paſſionei.

XVII. Capitularia duo 1.mum eſt Ahytonis Epiſcopi Baſileenſis. ejus initium, *primo omnium diſcutiendum eſt* &c. 2.dum Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis. initium: *Obſecro vos Fratres* &c.

XVIII. Anonymi Repertorium Juridicum ordine alphabetico in fol. regal.

XIX. Capitula Novitiorum &c. incipiunt: *Ut nulla in ullis rebus.*

XX. Homiliarum Anonymi in perg. Libri duo. initium primi defuit: ſecundi eſt: *Venite Kariſſimi, venite Patres.*

XXI. Diverſarum modus Pœnitentiarum à S. Benedicto Abbate diſtinctus: incip. *Plurimi nequaquam plenitter intelligentes.*

XXII. Miſſale pergamenum in fol. Antiquis characteribus elegantiſſimè ſcriptum, rarísque figuris exornatum per Venerabilem Dominam Verenam Infeld, Abbatiſſam in Beindt.

XXIII. Epiſtolæ III. Prima eſt Notkeri ad Ruodpertum, incip. *Fratri Ruodperto Notker. de Exilio* &c. Altera de furto in Monaſterio S. Galli. init. *Domino & Abbati noſtro.* Tertia Grimalti & Tattonis ad Reginbertum, init. *præſtantiſſimo & ineffabili.*

Bullariū Monaſterii. XXIV. Bullarium Monaſterii Brigantinenſis in fol. hujus primæ Bullæ Seculo XI. à Gregorio VII. & Urbano II. nec non Seculo XII. ab Innocentio II. datæ, omnimodam Augiæ Majori Brigantinæ Exemptionem indulgent. Ultimæ ſunt Seculi XV.

XXV. Petitio, quam ante votum Monachi quilibet facere debent unà cum ipſa promiſſione. initium: *Domino Venerabili in Chriſto Patri.*

XXVI. Epiſtolæ ad *Albertum Bemſtatt* Decanum Einſidlenſem an. 1404. à variis miſſæ in fol. incipiunt: *Venerando pernobili Viro.*

XXVII. Codex pergamenus in 4. exhibens Regulam Solitariorum, cujus Præfatio incipit: *Dilectiſſimo Patri in Chriſto atque Equivoco meo.*

XXVIII. Epiſtola cum 12. Capitulis quorundam Fratrum ad Auuam directis; initium: *Domino Patri Abbati.*

XXIX. Synopſis Hiſtorica de Ortu & Progreſſu Congregationis Benedictinæ in Suevia ab A. Chriſti 1416. uſque ad annum 1679. incluſivè deducta, Autore Anonymo in fol.

XXX. Anonymi Relatio Hiſtorica de Origine Monaſterii Campidonenſis & ſerie Abbatum abs Andegario ejusdem primo usque ad Romanum Giel de Gielſperg 64. Abbatum Germanicè ſcripta in 4.

XXXI. Sintlacis Augiæ Hiſtorica Epitome per Joannem Egonium Priorem ab anno Chriſti 724. usque ad annum 1627. in fol.

XXXII. Series Abbatum Archiſterii Luxovienſis in Burgundia per Dom. Victorem Perrin ejus loci Subpriorem ab anno 610. (quo S. Columbanus inde pulſus fuit) usque ad annum 1733. ubi redditus Menſæ Abbatialis per Decretum Regis pro reædificanda Cathedrali Eccleſia Archiepiſcopatûs Biſuntini per 9. annos applicari juſſi ſunt, incluſivè deducta.

XXXIII. Breviarium Librorum de Cœnobio S. Galli ex ejusdem Monaſterii Codice, Seculi circiter noni deſumptum, incipit: *De Libris veteris Teſtamenti Bibliotheca una. Eptatici III.*

XXXIV. Tractatus Anonymi ſupra Miſſa cum rubrica interciſus in fol. Sec. XV. initium: *Reverendi Patres & Domini.* Item Tractatus alius Anonymi ſupra X. Præcepta Decalogi in fol. ejusdem Seculi. incip. Scribitur Matthæi 22. *Cum quidam Legis Doctor.* fol.

XXXV. Liber Ægidii de Columna, *Doctoris fundatiſſimi*, ex Ordine Fratrum Eremitarum S Auguſtini Libri III. *de Inſtitutione Principum.* fol.

XXXVI. Expoſitiones Anonymi in Evangelia Adventûs Domini. fol. initium: *Erunt ſigna in Sole & Luna.* Seculi XV.

XXXVII. Sermones Anonymi de Feſtis per annum. fol. incip: *Scribe viſum & explora ſuper tabulam.* Sec. XV.

XXXVIII. Opera plura ab Abbatibus & Monachis Augiæ Brigantinæ cùm præſenti, tum proximè præterito Seculo lucubrata; quæ adhuc in MSS. latent. Alia, non minimo numero typis vulgata indubitatam faciunt fidem, *Studia Monaſtica*, quæque Benedictinos Aſcetas propriè decent, in antiquiſſimo hoc Monaſterio apprimè excoli, ac florere.

Biblio-

Augiæ divitis Bibliothecæ antiquitas.

Bibliotheca Divitis Augiæ. Cùm Schola Augienſis inter Benedictinas Germaniæ Scholas, ſi non omnium antiqoiſſima, certè quidem inter antiquiſſimas habeatur, non minoris ævi Bibliothecam eſſe oportet. Nam *ubi Schola*, ut rectè Launoius ait, *ibi Bibliotheca eſſe debet.* Et verò cùm ſub *Ethone*, Abbate II. qui anno Domini 727. electus piè & prudenter ſeptem annis præfuit ex Monaſterio Augienſi quatuor alia Cœnobia in Alſatia, Bavaria, & Rhetia unà cum ſcholis plantata fuiſſent, ut jam aliàs memoratum à nobis eſt, Etho ex Bibliotheca Augienſi unà cum Magiſtris Libros ſubmiſit. Quod ſanè indicio eſt, non exiguo numero Libros in eadem à primis ſtatim annis adſuiſſe. Majora tamen cœpit incrementa ſub *Waldone*, qui anno 787. Abbas electus & conſtitutus fuit favore Caroli Magni. Is enim (r) curavit ſcribi multos Libros, & ejus tempore venerunt ad Cœnobium multi ex omnibus Germaniæ partibus Monaſticen profeſſuri, qui ſecom afferebant optimos Libbros, quibus Bibliotheca quotidie augmentabatur. Sub *Waldone* autem Abbate, ejúſque tribus Succeſſoribus, ſcilicet, *Heitone*, *Erlebaldo*, & *Rudhelmo*, munere Bibliothecarii functus fuit *Reginbertus*, literarum ſtudioſiſſimus Monachus, qui plurimis veterum Patrum, aliorúmque Scriptorum voluminibus, partim ſuâ, partim aliorum manu deſcriptis Bibliothecam locupletavit. In communicandis autem ex Bibliotheca Libris hanc ſancivit regulam:

Ejus augmenta.

Bibliothecarius induſtrius.

- - nullus cuiquam conceſſerit extra,
Ni prius ille fidem dederit, vel denique pignus,
Donec ad has ædes, quæ accepit, ſalva remittat.

Præter plurimos etiam ab ipſo in membranis laborioſiſſimè conſcriptos Libros, aſſervatur adhuc omnium Librorom in Augienſi Bibliotheca tunc (Seculo IX.) extantium Catalogus, in oblongo volumine, ſive, ut vocant, *Rotulâ*, ab ipſo exaratos, cui etiam Libros à ſe ſub regimine prædictorum Abbatum conſcriptos ſubjunxit. Titulus Catalogi eſt: *Incipit Brevis Librorum, quos ego Reginbertus indignus Monachus atque Scriba in Inſula Cœnobii vocabulo Sindleoz Auua ſub dominatu Waldonis, Heitonis, Erlebaldi, & Ruodhelmi Abbatum, eorum permiſſu de meo gradu ſcripſi, aut ſcribere feci, vel donatione amicorum ſuſcepi.*

Librorũ Sec. IX. Catalogus.

„ *Inprimis Liber I. prægrandis*, in „quo continentur ſuper Orationem „Dominicam nonnullorum Catholicorum explanationes. Deinde ſuper Symbolum Apoſtolorum quamplurimorum orthodoxorum tractationes, cum cæteris de fide tractantibus diverſo modo explanationes. Et „expoſitio de Miſſa, & de ordine eccleſiaſtico Miſſæ, & de ordinibus „eccleſiaſticis, & de ratione Sacramenti Baptiſmatis. Deinde diverſi „Canones, id eſt, Græciæ, Aſiæ, „Galliæ, Hiſpaniæque. Poſtea decretales Epiſtolæ Antiſtitum Romanorum, ac deinceps Canones ex veteri & novo teſtamento compoſiti. „Poſtmodum diverſi Libri pœnitentiarum. „

Epiſtolæ decretales Rom. Pont.

„ *In 2.do Libro* continentur computationes Regum Romanorum, Cæſarum, Conſulúmque. Deinde Libri Grammaticæ artis Donati. Et „de metrica arte Libri Bedæ Presbyteri. Et Libellus de centum metris. „Et Liber de ænigmatibus Symphoſii, & Liber ſabularum Aniani Poëtæ. Et Libri duo Boëtii de arithmetica arte. Et Libri quinque Boëtii de muſica arte. Et Libri Aſtrologiæ Arati. Et Libri Boetii Geometricorum. Et Libri duo Alchuini de Rhetorica & Dialectica arte. „Et Liber Julii Cæſaris de menſione „univerſi orbis. Et Liber Æthici, Hieronymi de Coſmographia, & Libri „duo de architectonica Faventini & „unus Liber Herbarius Apulei „

„ *In 3.tio Libro* habentur Chronica „Euſebii Cæſareenſis Epiſcopi & Hieronymi Presbyteri & Proſperi. Et „Chronica Caſſiodori Senatoris, & „Chronica Jordanis Epiſcopi. Et „Chronica Melliti, Et Chronica Bedæ Presbyteri. Et Chronica excerpta Iſidori Epiſcopi, & Chronica „brevis. Deinde notarum Plinii „ſecundi lib. 1. Et notarum Iſidori Epiſcopi lib. 1. & notarum de „naturis rerum Bedæ Presbyteri Liber excerptus ex diverſis lib. 1. Et „Epiſtolæ Victoris & Dionyſii de ratione Cycli paſcalis. Et de Cyclis „decennalibus Cycli XXVIII. Et verſus diverſi de ſeptem diebus & menſibus & XII. ſignis vocabulis. Et „Martyrologium per anni circulum. „Et mantea de diverſis numeris & figuris. „

„In

(r) Bruſch. in Monaſt. Germ. Chronol. p. 9.

„ *In* 4.[to] *Libro* ſunt Libri Grammaticæ artis Donati majores & minores partes Orationis. Et de arte metrica Libri Bedæ Presbyteri. Et de arte Grammatica Alchuini Libri, & declioationes. Et metrum Juventi & Sedulii ſuper Libros IV. Evangeliorum. Ipſümque Librum Wano Frater meus mihi dedit, & ego illnm præſtavi Nepoti meo Rathetio voto, ut veniat ad alios libros noſtros. „

„ *In* 5.[to] *Libro* continentur Libri Prognoſticorum III. & 4.[tus] Liber Dialogorum. Et Liber Furſei de Viſione ejus; & nonnullæ viſiones excerptæ de Libris geſtorum Anglorum Bedæ, & de viſione Barontis Monachi. Et Liber viſionis Wettini Fratris noſtri, qnem Heito Epiſcopus deſcripſit, & Welahfrid Frater noſter metricis verſibus ſubſequens illum decoravit.

„ *In* 6.[to] *Libro* comprehenduntur diverſi verſus & nonnullorum hymni Sanctorum, & aliorum Epitaphia Sanctorum. Et Martyrologium cum computo & Cyclo & verſus de diebus & menſibus & XII. ſignis, & diverſæ gloſſæ ſuper Hiſtoriam veteris ac novi teſtamenti, & ſuper alios quam plurimos Libros. Et notæ Julii Cæſaris, & monogrammæ diverſæ, & Liber Plinii ſecundi de naturis rerum.

„ *In* 7.[timo] *Libro* conſtat eſſe Liber de hæreſibus & Liber fictus ſub nomine S. Auguſtini ſcriptus de Prædeſtinatione. Et tertius Liber ſanctorum Patrum contra eundem Librum hæreticorum defendendo Catholicè. Et libellus de ratione animæ, & dogma Sancti Gennadii eccleſiaſtica.

„ *In* 8.[vo] *Libro* ſunt Libri V. de Philoſophia conſolationis Boëtii, & admonitiones S. Baſilii Liber neceſſarius. Et in capite Libri pauca de declinationibus.

„ *In* 9.[no] *Libro* continentur paſſiones & vitæ Sanctorum, id eſt, Haimrani, Luntberti, Afræ, Margret, Gregorii, Georgii, Malchi, Euſebii, Fileberti, Hilarii, Potiti, Columbani, Galli Germani, Ambroſii, Servatii, & VIII. Epiſtolæ Hieronymi & Liber Caſſiodori Senatoris.

„ *In* 10.[mo] *Libro* habentur vitæ & paſſiones Sanctorum Hieronymi, Ambroſii, Sixti, Laurentii, Alexandri, Benigni, de obitu Bedæ Presbyteri & ejus Epitaphium, Bonifacii, Vincentiæ.

„ *In* 11.[mo] *Libro* conſtat eſſe vitas & paſſiones Sanctorum Bonifacii, Martialis, Medardi, Sergii, Bacchi, Goaris Presbyteri, Quintini martyris.

„ *In* 12.[mo] *Libello* ſunt vitæ & paſſiones Sanctorum Felicis, Fortunati, Remedii Epiſcopi, Geneſii, Sopatris, Nizephori, Andronici, Chryſanthi, Dariæ, Mami, Agnetis, Eugeniæ, Cæciliæ, Theodoræ cum tribus Filiis ſuis, Perpetuæ & Felicitatis, Chriſtinæ Virginis.

„ *In* 13. *Libello* continentur vitæ & paſſiones Sanctorum Chriſtophori, Clementis, Cyriaci, Largi, Smaragdi, Creſcentiani, Memmiæ, Iulianæ, de miraculis Geneſii, Modeſti, Viti, Creſcentiæ, converſio Juſtinæ.

„ *In* 14. *Libello* habentur vitæ & paſſiones Fauſtini & Jovitæ, Theoctiſtæ, Tubræ & Tabrachum, Mariani, Secundi, Innocentii, Gertrudis Virg. & Pelagiarum duarum.

„ *In* 15. *Libello* ſunt Libri duo de vita & virtutibus S. Galli Confeſſ. & vita S. Longelli Sacerdoris, & Agnafletæ Virg.

„ *In* 16. *Libello* eſt explanatio brevis ſuper VII. Epiſtolas canonicas, & paſſio SS. Dioniſii, Ruſtici & Eleutherii Martyrum, & Homelia pertinens ad ſolemnitatem eorum.

„ *In* 17. *Libello* continentur leges diverſæ, id eſt, lex Alemannorum, lex Ripuaria, lex Salica, lex Theodoſiana, & diverſi Capitular. Pippini, Karoli & Hludovici Regum. Et ordo eccleſiaſticus Romanæ Eccleſiæ, & qualiter Miſſa celebretur, & de Officiis divinis in noctibus à Cœna Domini uſque in Paſcha, & qualiter in ſancta Romana Eccleſia Reliquiæ conduntur, & quomodo in ſancta Romana Eccleſia ordinationes fiunt. Et capitula in omnibus laborandi cura. Leges variæ.

„ *In* 18. *Libello* continentur lex ripuaria, & lex Alemannorum & Capitular. Karoli Regis addenda legibus, & de ſex ætatibus mundi. Et de inventionibus S. Crucis, quem Engilram mihi dedit, & Capitular. tres, in qnibus continentur. HLudovici Imperatoris.

„ *In* 19. *Libello* habetur lex Longobardorum & paſſio Servuli, quem VIII. denariis.

„ *In*

„ *In* 20. *Libello* eſt Regula S. Bene-„ dicti Abb. & hymni Ambroſiani, & „ Epiſtola ad Regem Karolum de Mo-„ naſterio S. Benedicti directa, & Ca-„ pitulares..... de ſtatu Regulæ. Et „ Martyrologium per anni circulum, „ quem Tatto & Crimolt mihi con-„ donaverunt.

„ *In* 21. *Libello* continentur XII. „ carmina Theodiſcæ linguæ formata.

„ *In* 22. *Libello* habentur diverſi „ Pœnitentiarum Libri à diverſis Doc-„ toribus editi, & carmina diverſa ad „ docendum Theodiſcam linguam, & „ de inventione corporis S. Benedicti „ & cætera.

„ *In* 23. *Libello* eſt Antiphonarius „ Ceradalis, Antiphonæ de Litaniis „ vel de quacunque tribulatione. Et „ de inſtitutione Stationum. Et de „ Obſervatione divini officii erga Pſal-„ mos; & de Ordine Librorum, quo-„ modo per anni circulum poni poſ-„ ſunt, quem Tatto & Crimolt mihi „ dederunt.

„ *In* 24. *Libello* continetur Cantus „ gradalis & nocturnalis.

„ *In* 25. *Libello* habentur duo Libri.

„ *In* 26. *Libello* continetur. . . . „ diverſus per anni circulum.

„ 27. *Libello* habetur . . . & hym-„ ni ad diverſ. . . tam dominicis quàm „ privatis diebus, & hymni feſtis die-„ bus per circulum anni, & lectio-„ nes memoriter recitandæ.

„ *In* 28. *Libello* continentur orati-„ ones ſufficientes ad ſepulturam Fra-„ trum, & orationes per ſingulas Offi-„ cinas Monaſterii, & lectiones vel „ tractatus ad vigilias defunctorum „ recitand.

„ *In* 29. *Libello* . . . . . .

„ *In* 30. *Libello* habentur Libri „ tres, quos Arculphus Epiſcopus A-„ damanno excipiente de locis Sanc-„ tis ultramarinis deſignavit, con-„ ſcribend. & 4.tus Liber de eadem no-„ tatione eſt adjunctus; quis autem „ fuerit, ignoramus, quem mihi Wa-„ lafrid Frater me ſupplicante dona-„ vit.

„ *In* 31. *Libello* de arte Medicinæ, „ metris verſibus Jacobus nomine ad „ Karolum Regem ſcribebat compre-„ hendens Capitula LXII. quem mihi „ Frater Colduinus detulit, & donavit.

„ *In* 32. *Libello* Libri duo Iſidori „ de Officiis divinis & diverſis Cleri-„ corum Ordinibus, & de ratione „ Baptiſmi diverſo modo cum Epiſto-„ la Karoli Imperatoris ad Odilbertum „ Archiepiſcopum.

„ *In* 33. *Libro* habentur Epiſtola „ Hieronymi ad Cteſiphontem, & „ tres Libri ejuſdem contra dogma „ Cretoboli pelagiani. Et Liber S. „ Auguſtini ad Conſentium contra „ mendacium, & Epiſtola ejuſdem „ ad Boniſacium. Et ejuſdem de vi-„ ta Chriſtiana ad quandam viduam, „ & altercatio Eccleſiæ & Synagogæ „ duarum matronarum. Et duo Li-„ belli Alchuini ad Uttonem, & e-„ juſdem nonnullæ Epiſtolæ.

„ *In* 34. *Libro* in quo continentur „ Libri quinque Hiſtoriarum gentis „ Winilorum qui & - - - & Liber, in „ quo habetur excidium Trojæ Civi-„ tatis.

„ *In* 35. *Libello* habentur paſſiones „ Sanctorum Martyrum Dionyſii, Ru-„ ſtici, & Elevtherii poſtmodum ho-„ meliæ feſtis Martyrum congruentes. „ Deinde eorum geſta &c. ac dein-„ ceps Libri IV. de Miraculis poſt tran-„ ſitum.

„ *In* 36. *Libro* continentur ſex à mun-„ di principio ætates usque hactenus. „ Poſtea Karoli majoris domus Fran-„ corum, Pippini ſenioris ac filii ejus „ Karoli, & Pipini & Karle filiorum „ Karoli; deinde poſtquàm Pippinus „ ad Regem elevatus eſt, poſtea Ka-„ roli Regis, deinceps geſta HLudo-„ vici Regis ac Imp. ad extremum „ quædam decreta adverſantia.

„ *In* 37. *Libro* habentur excerp-„ tiones de corpore Pſalmorum factæ „ cum hymnis & lectionibus, reſpon-„ ſoriis, verſibus per anni circulum, „ Letania, ac diverſis orationibus.

„ *In* 38. *Libro* continetur Liber „ Pſalmorum cum circumquaque ex-„ poſitionibus, in eo continentibus, „ quem Udalricus quondam Epiſco-„ pus poſt finem vitæ ſuæ mihi ha-„ bendum conceſſit.

„ *In* 39. *Libro* habetur Liber Pſal-„ morum cum diverſis præfationibus „ ac capitulis. Et in fine ejuſdem „ hymni diverſi per diverſas feſtivita-„ tes ac privatis diebus; & nonnulla „ carmina.

„ *In* 40. *Libello* continentur Regu-„ læ S. Pachomii Abbatis, quam dic-„ tante Angelo . . . . quámque Hie-„ ronymus in latinum vertit eloqui-„ um. Et Regula S. Iſidori Epiſcopi, „ cæterorúmque Sanctorum Patrum.

„ *In* 41. *Libello* habentur Expoſitio-„ nes diverſæ ſuper Miſſam, ac Ordo

„ Romanus qualiter Miſſa celebratur, „ ac Walafridi Libellus qualiter Ordo „ Eccleſiaſticus .... & quomodo per „ temporum augmentationes ſit multiplicatus in diverſis.

„ *In 42. Opuſculo* continentur de „ natura rerum Bedæ Presbyteri &c. „ *Et plura alia in eodem Reginberti Catalogo ſequuntur, quæ præ vetuſtate „ legi nullatenus poſſunt.*

Hic idem Reginbertus Auctor Walafrido Straboni fuit, ut præclarum illum de Eccleſiaſticis rebus Tractatum componeret, quod ipſe Walafridus tum in Prologo ejus Libri, tum etiam in Epigrammate præfixo demonſtrat, cujus carminis tale eſt initium:

Hoc Opus exiguum Walafridus pauper, hebéſque,
Collegit, Patrum dogmata ſancta ſequens.
Sed non ſponte ſua tam magnos venit in auſus
Dura Reginberti juſſio adegit eum &c.

Vixit verò Reginbertus ad an. 847. quo feliciter laborum ſuorum prœmia recepturus ex hac vita migravit VII. Idus Maji.

Bibliothecæ detrimenta.

Anno 1006. *Immo* (s) Monachus Gorzienſis, & Abbas Prumienſis, homo ſeverus, & verè ſtoicus ad Augienſis Abbatiæ clavum non quidem electus, ſed ab Imperatore Henrico Claudo, contra Henricum Cœnobitam Augienſi ex Conventu legitimè electum intruſus fuit. Is cùm Tyrannus veriùs eſſet, quàm Abbas, oſórque potiùs Monachorom quàm pater, non rector, ſed vaſtator Monaſterii & expulſor Conventualium, ob hanc ipſam corruptiſſimùrum morum ſuorum petulantiam & importunitatem, poſt biennium mox ab eodem Henrico Rege exauctoratur. Sub hoc extero Abbate, homine immiti, indocto, & turbulento Bibliotheca Augienſis grave in Libris pertulit damnum, quod *Rupertus* Monachus proſa, rythmo, & carmine miſerabiliter deplanxit, *Hermanno Contracto* atteſtante, qui & eundem matris ſuæ Hiltrudis Patruum fuiſſe affirmat. Ejus verba in Chronico ad annum 1007. de Ymmone Abbate hæc ſunt: *Sub cujus crudeli regimine nobile Monaſterium in magnis viris, Libris, & Eccleſiæ theſauris grave pertulit detrimentum.* Damnum tamen Bibliothecæ illatum, ut cætera plura Monaſterio irrogata, reſarcire pro viribus ſtuduit *Berno*, aliis *Bernhardus*, Monachus Cœnobii Prumienſis, qui in locum *Immonis* ab Imperatore Henrico II. ſuffectus fuit.

Reſarciuntur.

Non enim aliunde tantùm comparatis Libris, vel per ſuos Monachos deſcriptis, ſed Walafridi Strabonis exemplo proprio marte elaboratis Bibliothecam reddidit locupletiorem; cujusmodi ſunt: Epiſtola ad Henricum Imperatorem de vera laude Regis: Tractatus de adventu Domini ad Atribonem Archiepiſcopum Moguntinum: Libri tres de Muſica ad Pilegrinum Archiepiſcopum Colonienſem: Liber de jejunio Sabbathi. Liber de jejunio quatuor temporum: Liber de menſura monochordi: Vita S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani: Liber de Officio Miſſæ, & alia plura.

Fridericus Abbas Bibliothecæ curam gerit.

Poſthæc nullus Abbatum usque ad *Fridericum de Wartenberg*, qui ex Conventuali ad S. Blaſium in Sylva Nigra anno 1428. electus fuit, Bibliothecæ curam egiſſe legitur. De hoc enim Bruſchius teſtatur, quod inter cætera præclarè facta etiam Bibliothecam collegerit, cùm Libri ſub prioribus Abbatibus rei literariæ parùm ſtudioſis, non minimam partem diſſipati fuiſſent. Fatendum tamen etiam eſt, ante *Friderici* electionem tantam adhuc Mſ.torum Codicum copiam ſuperfuiſſe, ut plures currus iisdem onuſti Conſtantiam ad Concilium Generale, quod an. 1414. cœptum an. 1418. finitum fuit, ſubmitti potuerint; unde tamen, velut ex ſpecu Caci, ubi *Veſtigia nulla retrorſum*, pauci redierunt. Id quod Pregizerus in Itinerario Helvetico pro luſtrandis Conſtantienſis Concilii Mſ.tis apud Hermannum *van der Hardt* in prolegom. ad Hiſtoriam ejusdem Concilii pag. 13. his verbis vernaculis confirmat: *Wie nun gedachte Bibliothec zu Reichenaw eine der beſten und berühmteſten in gantz Teutſchland vormahls geweſen, alſo hat ſich derſelben das Concilium Conſtantienſe ſehr wohl bedient, als auf welches die beſte Codices manuſcripts aus ſolcher Bibliothec in groſſer Anzahl ſind geführet worden. Wodurch aber hernach dieſe Bibliothec in groſſen abgang kommen iſt, in dem die entlehnte Manuſcripta hin und her diſtrahiert, und nich wieder reſtituieret worden.* Hanc jacturam tantâ curâ, quantâ potuit, reſarcire ſtuduit laudatus Abbas Fridericus, qui complures Libros emit à Domino Marchione de Rotal Fratre Epiſcopi Ottonis III. Epiſcopi Conſtantienſis. Fuerunt verò ſequentes:

In-

(s) Bruſch. l. c. pag. 51.

Innocentii Apparatus. x. florenis.
Novellæ in papyro cum IV.to & V.to Decretalium VIII. flor.
Codex. x. flor.
ff. novum. x. flor.
Inventarium Juris Canonici XII. flor. Berengarii Cardinal.
Speculator. xx. flor.
Katholicon. xxx. flor.
Nicolaus de Lyra ſuper IV. Evangeliſtas. XII. flor.
Novellæ cum ſexto Decretalium. XII. flor.
Repertorium Durandi. VIII. fl.
Franciſcus Petrarcha VII. fl.
Biblia xxx. flor.
Epiſtolæ Petri Bleſenſis VI. fl.
Scriptum Petri Jacobi de Aureliaco VII. flor.
Moralia Gregorii L. fl.
Petrus de Prato VIII. fl.
Liber de Laudibus Beatæ Virginis XII. fl.
Clementinæ XIIII. fl.
Antonii de Butrio Commentarius in 4.tum Decretal. 3. fl.
Ejusdem Repertorium Juris Canonici. v. flor.
Ejusdem Repertorium Juris Civilis. VIII. flor.
Volumen Autenticorum. xx. fl.
Liber Feudorum. 4. fl.
Archidiaconus ſuper 6.to VI. fl.
Volumina duo de Vita Chriſti. *Concordetur, ſicut placet.*
Summa in papyro ſecundùm ordinem alphabeti. v. fl.
Inforciatum. VI. fl.
Roſarius. xx. fl.
Henricus Bohick ſuper Lib. prim. Decretal. IV. fl.
Decretales. xx. fl.
Jeronimianum. v. fl.
Ægidius de regimine Principũ. - fl.
Summa Raymundi. IV. fl.
Summa Gaufredi. IV. fl.
Scholaſtica Hiſtoria. v. fl.
Textus Sententiarum. IIII. fl.
Vincentius ſuper III. Decretal. 1. fl.
Libri B. Ambroſii. IIII. fl.
Rabanus ſuper Pſalterio. 2. fl.
Firmiter credimus. fl.
Lombardica. VIII. fl.
Literatura ſuper prædicabilia. 1. fl.
Allegationes Legum ſuper Titul. Decret. 1. fl.
Manipulus florum. 2. fl.
Hugo ſuper Eccleſiaſten. 2. fl.
Volumina IV. edita ab Epiſcopo Ottone & aliis. xx. fl.
Prima pars rationalis. 2. fl.
Decretum Gratiani, Raphaël Volaterran. Fulgoſus, & aliorum Scriptorum Libri, qui taxantur ad centum fl.

Superſunt igitur hodie in Bibliotheca Augienſi permulti adhuc venerandæ antiquitatis mſ.ti Codices; quorum nonnullos Mabillonius in deſcriptione Itineris ſui Germanici annotavit. Omnium verò Catalogum non ita multis ante annis confecit Cl. *Januarius Sibal* Conventualis Augienſis, Vir indefeſſæ induſtriæ. Paulò pòſt pretioſiſſimus quidam Codex miſerè vitiatus fuit. Autorem ſuſpicari licuit, nominare non libuit. Quæ res mihi in memoriam revocat verba *Joannis Egonii*, Prioris Augienſis, Seculô proximè elapſô, doctrinâ & eruditione conſpicui. *At de quo*, inquit, *ſæpiùs conqueri ſoleo, nihil eſt, quod ægriùs feram, quàm homines quosdam rudes, & planè indoctos ex Bibliotheca noſtra vetuſtiores, & vix uſpiam reperiendos Libros ita ſordidè tractâſſe, nihili duxiſſe, & Bibliopegis minimo pretio, ut aliorum Codicum ligaturæ inſervirent, vendidiſſe.* Nonnihil etiam nocumenti perplures cum manuſcripti, tum impreſſi Codices non ita pridem acceperunt, cùm ædificium pro nova Bibliotheca excitatum corruiſſet. In culpa faber murarius fuit, qui pilas moli ferendæ impares ſubſtruxit. Infra Bibliothecam cella conſpicitur vinaria; unde non ineptè loco inſcribi poſſet: *Sapientia ædificavit ſibi domum, miſcuit vinum.* Autor novæ Bibliothecæ eſt *Maurus Humelius*, Monaſterii Prior; Vir doctus, & rei literariæ perquàm ſtudioſus, cui parſimonia, nequaquam ſordida, & inſignis rei Oeconomicæ peritia pro magno vectigali eſt. In tam modicis enim proventibus, quos ab Abbate Commendatario accipit Conventus, mirum, quòd Vir iſte Clariſſimus non tantùm plures magni pretii Libros v. g. *Acta omnium Sanctorum Bollandiana* &c. coëmat, ſed hoſpites etiam, qui nunquam Augiæ deſunt, ea liberalitate ac humanitate accipiat, quantâ in multis Monaſteriis longè ditioribus, atque opulentioribus haud accipiuntur. Virum egregium, & infulâ Augienſi dignum!

Codd. Mſſ. adhuc multi ſuperſunt.

Cùm verò Catalogus Mſſ. Codicum mecum communicatus fuerit, perlibenter eum hoc loco integrum ſubjicerem, ſi non aliquando loca occurrerent, quæ mendum olere videntur. In his autem corrigendis, niſi Codices ipſi inſpiciantur, ſæpiùs opera

opera luditur. Unde ne novos accumulem errores, paucos recenſebo Codices, prætermiſſis etiam iis, quorum noſcendi deſiderio nemo tenetur; cujusmodi ſunt Poſtillarum ac Lectionalium Scriptores, Commentatores in Ariſtotelem, Interpretes Decretalium &c.

Catalogus MSS.rum Augiæ Divitis.

Biblia Sacra permultis voluminibus membran.

Viſiones Ezechielis cum figuris.

Variorum Gloſſæ in varios Scripturæ Libros.

Auguſtini Opera permulta.

Ambroſii Opera non pauca.

Hieronymi Opera pleraque.

Gregorii Expoſitio in Job, ſive Moralium Libri xxxv. Ejusdem excerptiones in Job Lib. xxxiv. Cod. membran. Non S. Gregorius ſuos Libros, ſed S. Odo Abbas Cluniacenſis excerpſit Libris xxxv. quos vide in Bibliotheca Cluniacenſi f. 315. & in Bibliothecis Patrum.

Primaſius in Apocalypſin. Editus Baſil. apud Rob. Winter 1544.

Bedæ Commentarii in pleroſque Libros Novi Teſtamenti.

Origenes in Epiſtolam Pauli ad Romanos. Cod. Membr.

Ambroſii Autperti Commentarius in Apocalypſin à Libro VI. uſque ad X. incluſivè. Cod. Membr.

Paſchaſius Ratbertus in Threnos.

Rhabanus Maurus in Geneſin & Exodum. Membr.

Idem in Librum Numeri. Membr.

Idem in Regum Libros. Membr.

Idem in Judith & Eſther. Membr.

Ejusdem in Librum Job Comentarius. *Non eſt Rhabani, ſed Philippi Presbyteri ac Diſcipuli S. Hieronymi.*

Ejusdem in Danielem Libri IV. ad Ludovicum Regem.

Ejusdem Commentarius in Evangelium S. Joannis.

Mamotrectus ſuper novum & vetus Teſtamentum.

Alcuini Interrogationes & Reſponſiones in Geneſin.

Ejusdem *Alcuini* Expoſitio ſeptem Pſalm. Pœnitent. cum Præſatione ad Arnonem Epiſcopum, quæ ſic incipit: Sanctiſſimo Patri, & Sumo Pontifici Arnoni Epiſcopo humilis Levita Alcuinus ſalutem. *Dum veſtram venerande Pater.*

Ejusdem Expoſitio Pſalmorum Gradualium. Item initia horum Pſalmorum: *Ad Dominum clamaveram, cùm tribulatus fueram.*

Epiſtola de Confeſſione peccatorum. Incipit: *Dilectiſſimis in Chriſto Filiis; bonæque ſpei adoleſcentulis.*

Patrum Expoſitiones in Orationem Dominicam.

Arnobius in totum Pſalterium ad Laurentium & Ruſticum Epiſcopos. Cod. Membr. 4. *Sed notandum, Commentaria hæc Arnobio falsò adſcribi, de quo legi poteſt Joannis Maldonati Epiſtola ad Franciſcum Turrianum: De Prædeſtinatione cùm agit, cum Semipelagianis ſapit, ut Eminent. Card. Henricus Hiſt. Pelag. Lib. II. c. 15. oſtendit.*

Caſſiodorus ſuper Pſalterio. Membr.

Haimo in Iſaiam Prophetam. Membr.

Joannis Chryſoſtomi Homiliæ ſuper Matthæum. Membr.

Iſidori Quæſtiones ſuper Pentateuchum, & Librum Judicum, ſuper Joſu Nave, Libros Regum &c.

Proſper in Pſalmos à C. usque in finem. Membr.

Walafridi Strabonis Abbatis Augiæ Expoſitio Pſalmorum à I. usque ad LXXVII. incluſivè. Incipit: *Beatus Vir* &c. *omnis Scriptura divinitùs inſpirata.* Membr.

Ejusdem Gloſſa in Epiſtolas Jacobi & Petri: Incipit *Jacobus* &c. Servus Dei & Domini, id eſt, Patris & Filii. In Epiſtolas Petri, ſic: Petrus &c. advenæ Latinè, Græcè proſelyti &c. Membr.

Henricus de Haſſia ſuper varia loca Geneſis. Membr.

Hugo de S. Victore in Eccleſiaſten. Membr.

Juvenci Presbyteri Hiſtoria Evangelica metricè conſcripta. Membr.

Sedulii Opus Paſchale. *Sed quot Libris contineatur* Nobis incompertum.

Nicolai de Lyra Commentarii in Scripturam. Codices multi Membranacei.

Ludolphi Carthuſiani Gloſſa ſuper VII. Pſalm. Pœnit. Cod. Membr.

Anonymi Monateſſeron Evangelicum. *Fortè Perionii?* Pauli Diaconi Homiliarium (de quo Mabill. Annal. Ben. tom. 2. p. 328.) ſeu Sermones & Homiliæ Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi & aliorum Dominicis diebus & Solennitatibus, & præcipuis SS. Feſtivitatibus usque ad Quadrageſimam à Paulo Diacono digeſtæ juſſu Caroli M. Imp. cujus Epiſtola Codici præfixa eſt, longè verò correctior, quàm in editis legitur.

Ser-

Sermones & Homiliæ: ut ſuprà &c. iterùm à Paulo Diacono digeſtæ à Nativitate Domini usque ad Feſtum omnium Sanctorum. In hoc Codice invenitur modus concludendi Lectiones ad modum veterum pro diverſitate Feſtorum v. g. in Epiphania Domini: Tu autem Domine cunctis Stellarum fulgoribus Stella fulgentior miſerere nobis. Membr.

Item Sermones Dominicales & Homiliæ de Sanctorum Natalitiis & eorum Communi, à Feſto S. Laurentii uſque ad Adventum Domini. ab eodem Paulo digeſtæ. Membr.

Homiliæ & Sermones SS. Gregorii, Euſebii, Hieronymi, Bedæ, Leonis, Maximi, Auguſtini, Jo. Chryſoſt. à Sabbatho Sancto uſque poſt Pentecoſten. Item in Vigilia S. Joannis Bapt. in Feſto ejus. In Vigiliis SS. Petri & Pauli. in Feſtivitate eorum, & in Feſto S. Pauli, ſunt integri Sermones, non Pericopæ, ſicut in Homiliario Pauli Diaconi. Membr.

Eorundem SS. Patrum Homiliæ à Paſchate uſque ad Dom. XXIV. poſt Pentecoſten. Membr.

Homiliæ & Sermones SS. Gregorii, Ambroſii, Bedæ, Hieronymi, Maximi, Origenis, Leonis, Fulgentii &c. à Dom. IV. ante Natalem Domini incluſivè, uſque ad diem Paſchæ excluſivè. Membr.

Caroli M. Imp. Epiſtola *de Gratia ſeptiformi ſpiritûs*. edita eſt à Mabillonio in Analectis.

Symbola Fidei variorum Conciliorum & SS. Patrum Athanaſii, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Gregorii, Fauſtini Presbyteri, Iſidori.

Severini Boëtii Tractatus de Trinitate.

Fulgentii Epiſtola de Fide ad Donatum.

Gennadii Epiſcopi Maſſilienſis Fides, vel Dogma Eccleſiaſticum.

Regula S. Benedicti in Codice ab annis ferè octingentis ſcripto, in quo etiam Regula S. Columbani & alia.

Baſilii Abbatis Expoſitio in Regulam S. Benedicti à Cap. XVI. uſque ad finem. Cod. Membr. *Eſt fœtus genuinus Hildemari.* Vide Mabillonii Analecta Tom. IV. edit. A. 1685. pag. 638.

Commentarius in Regulam S. B. *Tres enim ſunt Eccleſiaſticæ diſciplinæ* finit in Cap. XI. Regulæ Cod. Membr.

Evagrii Epiſcopi Proverbia de vitiis ac virtutibus.

Epiſtola S. Columbani: *ô tu vita quantos decepiſti!*

Caſſiani Libri IV. de Inſtitutis Monachorum.

Ejusdem Libri octo de Remediis octo Capitalium vitiorum.

Ejusdem Collationes Patrum.

Eucherius de Interpretatione Hebraicorum nominum. Libri III.

Ejusdem ad Solonium de Quæſtionibus difficilioribus veteris & novi Teſtamenti. Item ad Verranum formulæ ſpiritualis intelligentiæ.

Clementis Romani Pontificis *Itinerarium*. Hoc Itinerarium Apoſtolorum ab Iconoclaſtis venditatum Concil. VII. Act. V. rejicitur.

Ejusdem Epiſtola ad Jacobum Hieroſol. Epiſc. Hanc Epiſtolam nomine Clementis ſcriptam vertit Ruffinus. Epiſtola ſpuria.

Gregorii Nazianzeni Orationes XI.

S. Ambroſii Autperti Sermo ad Monachos Monaſterii S. Vincentii ad Vulturnum in Hypopante. Hunc Sermonem alii tribuunt Autperto Caſinenſi. Extat ad calcem etiam Operum S. Ambroſii Epiſcopi. Stephanus Baluzius ſub Alcuini nomine Tom. I. Miſcell. p. 382. vulgavit.

Epiſtolæ SS. Auguſtini & Hieronymi.

Iſidorus de Sum̃o Bono. plura alia.

Hugonis de S. Victore Soliloquium de Arrha Sponſæ.

Ejusdem Speculum Eccleſiæ. Item VII. Gradus Contemplationis.

Junilii Epiſcopi ad Primaſium Epiſcopum Libri II. Quæſtionum & Reſponſionum *de Partibus Divinæ Legis*, ſæpiùs editi.

Caroli M. Epiſtola Encyclica de Baptiſmo & ejus ritibus ad *Odilbertum* Archiepiſcopum Mediolanenſem; & hujus Tractatus parvus ex Evangelio & SS. Patribus collectus ad eundem Carolum. Edidit Mabillonius in Analectis.

Caſſianus (rectiùs S. Iſidorus Hiſpal. Epiſc.) ad Florentiam ſororem ſuam *de Nativitate Domini, Paſſione, & Reſurrectione, Regno, atque Judicio.*

B. Leonis Tractatus, quos à die ordinationis ſuæ per continuum quinquennium habuit ad populum.

S. Methodii Epiſc. & M. parvus Tractatus, quem Petrus Monachus è Græco in Latinum tranſtulit.

Ruffinus in Origenis Periarcon.

Auguſtini Triumphus de Ancona in Canticum Deiparæ, quod poſt editiones Romanas recudi fecit Petrus de Alva in Bibliotheca Mariana.

Rudolphi Marchſtein Decretalium Doctoris & Ss. Theol. Baccal. Tractatus ſuper Libros IV. Sententiarum ſcriptus rogatu Abbatis Augienſis.

Conradi Soltonis ſeu *Soltow* Quæſtiones primi Libri Sententiarum. *Fuit Author ex Luneburgenſi Ducatu, ad Epiſcopatum Verdenſem evectus ob rerum Theologicarum ſcientiam, anno verò* 1407. *morte ſublatus. Ejus meminit Crantzius XI.* 3. *metropoleos, ſed ſine laude.*

Hattonis Epiſcopi Baſileenſis, & Abbatis Augienſis vitæ Sanctimonia celebris Ordinationes pro Presbyteris ſuæ Diœceſeos.

Henrici de Haſſia Tractatus theologici de Prædeſtinatione, de Contractibus, & plures alii.

Ivonis Carnotenſis Liber Sacrificiorum metricus: Prœmium incipit: Ivo Dei gratia Carnotenſis Eccleſiæ Miniſter Venerabili Cluniacenſi Abbati.

Nicolai de Dünckelſpihl plures Tractatus Theologici.

Petri Lombardi Sententiarum Libri IV.

Raymundi Ord. Præd. Summa.

Petri de Tarantaſia Liber IV. de Sacramentis, de Reſurrectione mortuorum, de Judicio, de Juſtitia Dei, de Anima ſeparata, de Angelis.

D. Thomæ Aquinatis Opera. Codd. Membr.

Walafridi Strabonis Abbatis Augienſis Tractatus de Exordiis rerum & incrementis quarundam in Obſervationibus Eccleſiaſticis rerum.

Wilhelmi Pariſienſis Tractatus de Fide, & Legibus, virtutibus & vitiis.

Joannis de Fonte Ord. FF. Min. Lectoris in Monte Peſſulano Concluſiones Sententiarum Petri Lombardi in ſynopſin redactæ.

Conradi Monapp Ss. Theol. & JU. Doctoris Liber ſcintillarum Theologicarum diviſus in IV. Libros.

S. Bonaventuræ Tractatus complures.

Opera varia Liturgica.

Theodulphus de Emendatione vitæ. Niſi fallor, hoc quidquid eſt Operis, inter Theodulphi Opera à Sirmondo edita, non comparet.

S. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuar. Opera, v. g. De Concordia Præſcientiæ & Prædeſtinationis, nec non Gratiæ Dei cum libero arbitrio. Dialogus de Veritate. De caſu Diaboli. De tribus Waleranni Neuenburgenſis Epiſcopi Quæſtionibus, & Anſelmi Reſponſionibus. De Conceptu Virginali & Originali peccato. Cur Deus homo.

Geñadii Epiſcopi Maſſilienſis Dogma Eccleſiaſticum contra Hæreticos.

Gregorii Nazianzeni Liber I. contra Arianos.

Hieronymi Libri II. adversùs Jovinianum. Item Apologeticus ad Pamachium.

Hilarii Epiſcopi Libri XII. contra Arianos. Cod. Membr.

S. Ambroſii Libri de Patriarchis, de Abraham, de Iſaac, & anima. de Bono mortis, de Fuga Seculi, de Jacob & Vita beata, de Joſeph Patriarcha, & Benedictionibus Patriarcharum.

Ejusdem Tractatus de Pœnitentibus, de Sacramentis, de Bono mortis, & de Paradiſo, & plures alii.

Auguſtini Tractatus, Libri, Sermones, Opera pleraque.

Ejusdem Epiſtolæ ad Hieronymum, & hujus ad Auguſtinum.

Vigilii Libri quinque adversùs hæreſes. Auctor eſt Vigilius Tapſenſis in Africa; ſed Libri aliquoties editi ſub nomine Vigilii Tridentini.

Vitalis & Tonantii Epiſtola ad Capreolum Epiſcopum, & ad conſulta reſponſio.

Anſelmi Diſputatio Judæi cum Chriſtiano. Non eſt S. Anſelmi, ſed Gisleberti ſeu Gilberti Abbatis Weſtmonaſterienſis, & diſcipuli S. Anſelmi.

Opus Sancti Primaſii, diſcipuli Auguſtini de Hæreſibus, numero XC. Hic Codex ante annos DCCCC. ſcriptus fuit ſtudio & labore *F. Regimbaldi*, Monachi Augienſis. Ex eo autem exemplar tranſcriptum fuit, quod in Bibliotheca Cardinalis Barberini aſſervatur. Cujus fidem cùm ſecutus eſſet Lucas Holſtenius, nullus dubitavit, *Primaſium* trium iſtorum Librorum Auctorem fuiſſe. At illum ſua opinione falſum fuiſſe, docuit V. Cl. Jacobus Sirmondus, Epiſtola anno 1644. pridie Nonas Majas ad ipſum data, quæ Operum ipſius Tomo I. legi poteſt, ubi *Prædeſtinatus* typis excuſus habetur. Hunc ipſum Codicem Mabillonius in Itinere ſuo Germanico inſpexit, uti ipſe in ejus deſcriptione fidem his verbis facit „ [Codex ſcrip„ tus eſt ante annos octingentos. Iſi„ dorus Hiſpalenſis Epiſcopus in cap. 9. „ de Scriptoribus Eccleſiaſticis men„ tionem facit de Primaſio Epiſcopo, „ qui *compoſuit Sermone Scholaſtico de* „ *Hæreſibus Libros tres ad Fortunatum*

Epiſco-

„ *Epiſcopum : explicans in eis* , *quod* „ *olim beatus Auguſtinus in Libro hæ-* „ *reſeon imperfectum* , *morte interve-* „ *niente* , *reliquerat* : *in primo oſten-* „ *dens quid hæreticum faciat* : *in ſe-* „ *cundo & tertio digerens* , *quid hære-* „ *ticum demonſtret*. Iſidorus addit , „ eum clarniſſe *Juliano regnante*. Hoc „ *Primaſii* ſpecimen non malè conve- „ nit *Prædeſtinato* vulgato , qui di- „ ſtinctus eſt in Libros tres , ſed abs- „ que Fortunati Epiſcopi appellatio- „ ne ; recenſetque octoginta octo hæ- „ reſes ab Auguſtino allatas in Libro „ ad *quod vult Deum* : quibus duas „ alias addit Neſtorianorum & Præ- „ deſtinatorum [nulla Euthychiano- „ rum facta mentione] Malè igitur de „ hoc Codice meritus eſt , quicun- „ que Criticus nomen *Primaſii* , Au- „ thoris falſi, per oſcitantiam adſcrip- „ ſit. Cùm enim apud Iſidorum in „ Libro de Viris illuſtribus obſervaſ- „ ſet , *Primaſium* , Epiſcopum Afri- „ canum , de hæreſibus Libros tres „ edidiſſe ad Fortunatum Epiſcopum, „ de his tribus *Prædeſtinati* noſtri te- „ merè auguratus , Codicem Augien- „ ſem , ita digeſſit , ut ſingulos Libros „ Primaſii ad Fortunatum titulo præ- „ notaret. Quod abſurdiſſimum fuit , „ cùm toto Seculo poſterior ſit *Pri-* „ *maſius* , & diverſiſſimam utriusque „ Operis rationem fuiſſe Iſidori verba „ declarant.

Symbola Sirmondi.

Peregrini ſermones de tempore & Sanctis. Iſte *Peregrinus* vero nomine vocatur *Conradus*. Fuit Monachus Hirſaugienſis virtute ac doctrina clarus ſub annum 1190. Multa præclara conſcripſit Opuſcula , ſed humilitatis ſtudio ſub nomine *Peregrini* deliteſcere voluit. Vid. Trith. in Chron. Hirſ. Tom. 1. pag. 1166. & Illuſtr. Benedictin. II. 103.

Jacobi de Voragine Sermones de tempore per totum annum.

Mauritii de Praga Sermones II. de Reformatione Eccleſiæ , quos in Concilio Conſtantienſi habuit , ab Hermanno Hardt in Hiſtoria ejusdem Concilii vulgatos.

Philippi Abbatis in Oderburg Memoriale Jeſu & Mariæ, ſive Laus Jeſu & Mariæ ex Canticis , cum Præfatione ad Simonem Abbatem Schonaugiæ.

Conradi Soltonis , ſive de Soltaw Sermones II. de Aſſumptione B.V.M. Marquardi Epiſcopi Conſtantienſis mandatum ad reprimendos & corrigendos Clericorum mores.

Statuta Moguntinenſis Eccleſiæ condita à Petro ejusdem Sedis Archiepiſcopo.

Ottonis Epiſcopi Conſtantienſis Statuta Synodalia an. 1423.

Ejusdem Liber Pſalmorum, quem à ſe collectum nominari voluit *Pſalterium Mariæ*, cui erat devotiſſimus.

Ejusdem Ottonis Marchionis de Hochberg Epiſcopi Conſtantienſis , Tractatus de Contemptu Mundi.

Ejusdem Tractatus de tribulatione & flagello, & bonis ſive ſanctis, & malis, ſive iniquis hominibus.

Ejusdem Tractatus contra Conciliabulum Baſileenſe ad Martinum Bohemum, Medicum.

Petri Bleſenſis Epiſtolæ.

Wilhelmi Durandi rationale divinorum officiorum.

Liber de reformatione Eccleſiæ Collegiatæ montis Belligardi , ſcriptus juſſu Heinnettæ , Comitiſſæ de Wirtenberg & Montis Belligardi viduæ.

Conſultationes contra Huſſitas Francofurti initæ. Germanicè.

Commemoratio de Miraculis S. Geneſii Martyris factis in Schinen, Præpoſitura Monaſterio Divitus Augiæ incorporata.

Paſſionale Sanctorum. Primo loco ponitur paſſio SS. Proceſſi & Martiniani. Cod. Membr.

Varii hymni ad feſta Domini & Sanctorum.

Paſſio S. Januarii Epiſcopi & Martyris, & qualiter ejus Reliquiæ in Augiam delatæ fuerint.

Liber Choralis continens Feſta propria Sanctorum Patronorum Augiæ Divitis , quæ alio , quàm moderno ritu celebrabantur. Cod. Membr.

Breviarium antiquum cum Feſtis propriis Sanctorum Augiæ Patronorum. Membr.

Miſſale antiquum. Membr.

Rituale vetuſtum Augiæ, in quo primò ponitur ordo , & modus profitendi, deinde ordo divini officii per circulum anni.

Codices complures membranacei , utrumque Jus Canonicum ac Civile complexi.

Innocentii IV. apparatus Juris.

Magiſtri Joannis de Deo Breviarium ad omnes materias in Jure Canonico inveniendas.

Epi-

Epiſtolæ Decretales aliorum Summorum Pontificum; prima eſt Siricii Papæ, quæ incipit: Siricius Henrico Epiſcopo Taraconenſi ſalutem directa ad deceſſorem noſtrum. Qui has Epiſtolas deſcripſit, judicium Criticum adhibuiſſe videtur, cùm ſtudio neglexit Epiſtolas Pontificum Decretales usque ad Papam Siricium, quæ maximam partem pro commentitiis habentur.

Canones veterum Conciliorum & Pontificum.

Sermones varii habiti in Concilio Conſtantienſi, & alia in eo geſta.

Item alii Sermones eodem Concilio.

Conſuetudines Feutorum cum gloſſa. fol.

Repertorium Juris. 4.

Vocabularium Juris. 8.

Joannis Bolobammar Tractatus de eſu carnium ad Joannem Abbatem ad Schotten [Scotos] Viennæ. Author vixit. A. 1420. Ejus meminit Trithemius de S. E. his verbis: „*Joannes* „*de Palomar* Barchinonenſis Eccleſiæ „Archidiaconus, Doctor decretorum „inſignis. Ejus eſt Tractatus inſignis „ad Joannem Abbatem Monaſterii „Scotorum Ord. S. B. Viennenſis *De* „*abſtinentia carnium* Lib. I. Inc. Sur„gent in judicio Filii.„ De hoc Authore, *Palomar*, vide plura in Bibliotheca noſtra Bohemica.

Burchardi Monachi Augienſis Poëma de Augia Divite: Eſt diffuſius illo, quod Bruſchius edidit.

Viſio Wetini Monachi Augienſis carminica, quam Mabillonius luce publica donavit.

Objectio eorum, qui negant Corpus S. Mauri Evangeliſtæ in Augia haberi, & reſponſio contra illos.

Declaratio ſeu Determinatio Magiſtrorum Pragenſium ſuper articulos Minzingeri an. 1385. Item declaratio Magiſtrorum Viennenſium ſuper eosdem articulos an. 1386. Utraque declaratio juris publici facta eſt à Jo. Georg. Schelhorn Amoen. Liter. *Pragenſium* Tom. VIII, p. 511. Viennenſium Tom. XI, pag. 222. *Munſigerus*, Scholæ Ulmenſis Rector, hæreſi Berengarii infectus fuit.

S. Ephrem Diaconi Sermo de finibus Seculi.

Joſephi Hiſtoria de Bello Judaico. Cod. Membr.

Gregorii Turonenſis Gloria Martyrum. Membr. Cod. vetuſtiſſimus.

Rheginonis Chronica.

Hermanni Contracti, Monachi Aug. Chronica. Ad calcem ſubjicitur origo Welphonum Fundatorum Monaſterii Weingartenſis. Vita S. Conradi Ep. Conſt. plura alia.

Gotfridi Viterbicenſis Genealogia Regum ac Impp.

Guidonis de Columnis Hiſtoria Trojana.

Martini Poloni Chronicon de Summis Pontificibus.

Petri Comeſtoris Hiſtoria Scholaſtica.

Ruffus Sextus de Geſtis Populi Romani.

Joannis Eginonis Prioris Augiæ Annales Augienſes.

Ejusdem Tractatus de Viris Illuſtribus Augiæ à Bern. Pezio typis vulgatus.

Relatio Symmachi Præfecti Urbis Romæ ad Theodoſium.

Eventus quidam notabiles, & obitus illuſtrium Perſonarum ab anno 1350. usque ad annum 1419.

Faſciculus temporum ab Adamo usque ad annum Chriſti 1439.

Chronica Rythmica ſtylo Germanico.

Necrologium Augienſe ſub Abbate Erlebaldo conſcriptum anno 830.

Chronica Germanica Abbatum Augienſium usque ad annum 1454.

Alia Chronica Germanica Monaſterii Augienſis. Hiſtoria de Translatione pretioſi Sanguinis D. N. J. C. in Augiam. Mabillonius Appendici ad Tom. II. Annal. O. S. B. inſeruit.

Officium Lanceæ & Clavorum Chriſti.

Quædam de Cometa anno 1456. viſa.

Chronica breviſſima ab A. DCCIII. usque ad annum DCCCIII. typis à Baluzio data.

Vita S. Antonii Abbatis ab Athanaſio Græcè ſcripta, & ab Evagrio Latinè reddita.

Severi Sulpitii vita S. Martini.

Walafridi Abbatis vita S. Galli.

Vita S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani à Bernone Abbate Augienſi ſcripta cum ejusdem Epiſtola ad Frideboldum Abbatem SS. Udalrici & Afræ Auguſtæ Vindelicorum.

Aldhelmi Epiſcopi Shirburnenſis Liber de metrorum Generibus & Schematibus. Opus, quod ſciam, anecdotum.

Ægidii de Columna Libri III. de Inſtitutione Principum.

Augu-

Auguſtinus Dathus, Senenſis, Philoſophus & Orator de modo componendi Epiſtolas & Orationes.

Leonardi Aretini verſio Ariſtotelis Libri de moribus ad Endemium.

Boëtii Conſolationum Philoſophicarum Lib. V. cum Gloſſa.

Salluſtius de Conjuratione Catilinæ. Item de Bello Jugurthino.

Ciceronis Libri III. de Officiis.

Donati Grammatici octo partes Orationis, figuræ Rhetorices, Syſtemata, & horum expoſitio.

Martiani Minnei Felicis Capellæ Afri Cartaginenſis Libri IX. fol. Verius fuit Madaurenſis, ac ſcripſit Libros ſeptem de ſeptem diſciplinis, quibus duos de Nuptiis Philologiæ ac Mercurii præmiſit. Quâ ratione novem ſcripſiſſe dici poteſt. Ex hoc Manuſcripto, ſi non frequens olet mendum, novam editionem jam dudum à Viris eruditis optatam Cl. Augienſes adornare poſſunt.

Ovidii Naſonis Epiſtolæ Heroidū.

Perſii Flacci Satyræ.

Plato de Immortalitate animæ.

Vita M. Bruti converſa de Græco in Latinum per Jacobum de Scaparia.

Collutii Pierii Urbano V. & Gregorio XI. ab Epiſtolis & Cancellarii Reipublicæ Florentinæ Epiſtola ad Antonium de Loſchis tunc Cancellarium Ducis Mediolanenſium. Neſcio, an hujus Epiſtolæ copiam habuit V. C. Anſelmus Bandurinus noſter, qui Collutii Epiſtolas junctim edere multis abhinc annis cogitaverat.

Caſperini Bergomenſis, inter literarum inſtauratores celebrandi, Liber de modo componendi.

Leonardi Aretini Comœdia: *Corripio matres gratas* &c.

Poggii Florentini Facetiæ.

Adolphi Magiſtri Polygamus.

Æneæ Sylvii Rhetorica Oratoria-poëtica Illuſtri Principi, ac Domino Joanni Marchioni de Baden Epiſcopo Trevirenſi miſſa.

Leonardi Aretini Verſiones è Græco in Latinum, nempe Oratio Platonica Socratis ad Athenienſes habita: Dialogus Platonis pro Socrate. Dialogorum Libri II.

Ejuſdem Epiſtola ad Nicolaum Bartholomæi de Nicoliſiis.

Servius (incompletus) in Virgilii Georgica.

Priſciani Majoris Libri XVI. de Grammatica.

Priſciani Minoris Libri II. de Ordinatione, ſeu Conſtructione dictionum.

Eberhardi Bituricenſis Expoſitio vocabulorum Latinorum ſecundùm ordinem octo partium Orationis cum Gloſſa: *Eſt Pater hic cura, pater eſt alius genitura.*

Thomæ de Erfordia Compendium Rhetoricæ.

Computus ſignorum duodecim, & intervallorum.

Tabulæ veri motûs Lunæ ab anno 1342. uſque ad annum 1380.

Ariſtoteles de Moribus ad Eudemium. Verſio Latina è Græco per Leonardum Aretinum adornata.

Caſſiodori Senatoris Liber humanarum literarum, qui ſcribitur de artibus & diſciplinis ſecularium ſtudiorum, hoc eſt, de Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Philoſophia, Mathematica, Arithmetica, Aſtronomia, & Muſica. Codex Membr.

Anonymi Commentarius in Virgilii Opera.

Anonymi Libellus de Conſtellationibus.

Anonymi Collectio Aphoriſmorum ex Hippocrate & Galeno.

Anonymi Liber epiſtolaris, ſive modus componendi Epiſtolas.

Anonymi Magiſtri Pariſienſis Libri III. de Anima.

Anonymi Alphabetum variarum Regionum, Provinciarum, Regum, Principum, Civitatum, & aliarum rerum.

Anonymi Libri Sententiarum metricè conſcripti. Incip: Sententiarum Liber primus de Trinitate: *Eſt ſummi natura boni ſuper omnia ſimplex.*

Liber *de Imitatione Christi* anno 1428. exaratus, adeóque Kempenſi apographo antiquior. *Vide Calmet Bibl. Lorraine pag. 581.*

§. IX.

De Bibliothecis Helvetiæ & Vicinis.

Sangallenſis Archiſterii deſcriptio.

EX omnibus Helveticis Cœnobiis priorem locum tenet SANGALLENSE, cujus Abbas S. R. I. Princeps eſt, uti & *Einſidlenſis*, ſed ille ætate & dignitate ſuperior, totiúſque Congregationis Helveto-Benedictinæ veluti vertex. In hoc Archiſterio degunt Religioſi centum præter juvenes religioſæ vitæ Candidatos, qui in omnibus Helveticis Monaſteriis, rectè inſtituuntur ſub babitu ferè monaſtico, præ-

præter cucullam. Primus poſt Abbatem vocatur *Decanus*, quod nomen in ſolis illis obtinet Cœnobiis, ubi Abbas Princeps eſt; alibi vocantur *Priores*, tertius ubique *Subprior.* Ædificia Monaſterii omnia modeſtiam, elegantiam & nitorem ſpirant, maximè *Eccleſia*, cujus Chorus fornicem habet, navis laquear, ut pleræque illarum partium Baſilicæ. Sub altari majori eſt Crypta *Notkeri* pietate celebrata. In occidentali parte viſitur alia Crypta, in qua *S. Othmarus* primùm ſepulturâ donatus eſt. Ad meridiem locatæ ſunt regulares officinæ, adeóque Bibliotheca & Officina typographica numeris omnibus abſoluta. Muſæum, uti in omnibus Sueviæ & Helvetiæ Monaſteriis, ampliſſimum eſt, duplicem habens fornacem ad excitandum in hyeme calorem, diſtinctáſque ſolis aſſeribus cellulas pro Religioſorum numero, ubi per totum fermè diem extra Officia Divina brumali tempore verſantur. Studia ibidem literarum maximè vigent pro Religioſis, quorum multi præter Latinam linguas Græcam & Hebraicam callent. Extat in ipſa Bibliotheca vetus Monaſterii delineatio ante annos octingentos depicta omnes loci officinas adjunctis verſibus apprimè exhibens, cujus exemplum *Mabillonius* in Annalibus Benedictinis inſeruit.

Bibliothecæ præſtantia & illius Conditores.

Sicut autem Sangallenſe Archiſterium inter reliqua Helvetiæ Cœnobia primas tenet, ita etiam illius Bibliotheca inter Germaniæ Benedictinas Librorum tum editorum ſelectu, tum Manuſcriptorum copia velut princeps jure quodam ſuo habetur. Incunabula verò ſua debet, ni fallimur, *Gosberto*, (t) qui anno 816. ſub Ludovico Pio, Caroli M. Filio, à Fratribus in Abbatem electus, fors primus fuit, qui cœpit colligere Bibliothecam, ut erat literarum omnium mirificè ſtudioſus. Poſtmodùm ſub *Grimaldo* anno 841. Abbate ſcripti ſunt multi optimi Libri magnis ſumptibus. Ejus in Abbatiali munere Succeſſor *Hartmotus* erat doctus & amator ſapientiæ, ac rei librariæ, ſtodioſiſſimúsque Bibliothecæ Locupletator. Obiit 883. cùm ab anno 872. præfuiſſet. Juvat huc quædam transferre ex *Ratperti* Sangalienſis Monachi Libro de Origine & diverſis Caſibus Monaſterii S. Galli in Alemannia: (u) *Poſt obitum Grimaldi* (qui teſte eodem contigit A. 872.) *Fratres juxta permiſſam ſibi licentiam protinus cum maximo unanimitatis conſenſu* HARTMOTUM *ſibi elegerunt Abbatem - - -* Hartmotus *vero - optimi ſe Paſtoris perfectione ſtuduit ubique & undique exercere - - - Librorum quoque, quos ille ad communem Monaſterii utilitatem ſuo tempore patravit, hæc ſunt nomina:* Lectiones Evangelii, *quem Librum auro & argento ac lapidibus pretioſis. - - -*

Hartmotus Abbas rei librariæ perquàm ſtudioſus,

„ Alios quoque Libros, proprii cauſâ
„ videlicet uſûs, jocundâ patravit
„ ſcripturâ, quos ſimiliter poſt finem
„ dierum ſuorum S. Galli ſervitio per-
„ petualiter contradidit retinendos,
„ imprecans etiam illi non parvæ de-
„ decus confuſionis, ſiquis præſump-
„ ſerit aliquam partem eorum de Mo-
„ naſterio S. Galli abſtrahere, illius
„ ſervitio eos auferre. Nomina verò
„ eorundem Librorũ ſunt hæc: *Quinque Libri Moyſis, Joſuæ, Judicúmque in Vol. I. Regum Libri IV. in Vol. I. Pſalterium de Hebraico tranſlatum, Proverbia Salomonis, Eccleſiaſtes, & Cantica Canticorum. Item Liber Sapientiæ & Jeſu Filii Syrach, & Paralipom. Libri II. Vol. 1. Eſdras, Neemias, & Machabæorũ Libri II. in Vol. 1. Eſaias & Jeremias in Vol. 1. Ezechiel & XII. Prophetæ, & Daniel in Vol. 1. Evangeliorum Volumen 1. Reliquorum Librorum Novi Teſtamenti Volumen unum.*

curat multos deſcribi Libros.

Et hoc, niſi me omnia fallunt, illud ipſum eſt, quod jam Bibliothecam Illuſtris Domini *de Krafft* Conſulis Ulmenſis in Suevia exornat, in quam etiam, neſcio quo caſo, devenit ex Bibliotheca San-Gallenſi *Codex Epiſtolarum Pauli, necnon Catholicarum & Apocalypſeos.* Summariis enim Epiſtolæ ad Romanos hi ſubjiciuntur verſus:

quorum aliqui ad alienas manus devenerunt.

Iſte Liber Pauli retinet documenta ſereni,
Hartmotus *Galloquem contulit Abba beato.*
Siquis & hunc ſumit de culmine Galli,
Hunc Gallus Paulúsque ſimul dent peſtibus atris.

Hi verſus ab alia itidem antiquiſſima, & ſine omni dubio, uti *Schellhornio* (x) videtur, ipſius *Hartmoti* manu ſunt exarati, ac ipſe Codex, atque adeò is ipſam fortè *Hartmoti* ætatem ſuperat.

Abbatia ab Hunnis vaſtata.

Sub Abbate *Engelberto* multas difficultates perpeſſa eſt Sangallenſis Abbatia, quæ & ab Hunnis vaſtata eſt

anno

(t) Confer Bruſchius in Monaſt. Germ. pag. 113.
(u) In Goldaſti rer. Aleman. Script. Tom. I. Part. I. pag. 9.
(x) Schellhorn. Amœnit. Lit. Tom. III. pag. 8. ſeq.

Digitized by Google

Libri ſalvantur.

anno 925. Sed tamen Abbas in Helvetiæ Alpes avehi curârat è Monaſterio Bibliothecam, & alia quæ erant pretioſiora & Monachis chariora. At enim cum Seculo XIII. & XIV. Mars potiùs quàm Apollo Sangallenſes Abbates exercuiſſet, Libros manu exaratos non eum ſortitos fuiſſe locum, quem eorum merebatur præſtantia teſtem oculatum habemus *Poggium* Florentinum, qui Romæ ſub octo ſupremis Pontificibus ab INNOCENTIO ſcilicet VII. uſque ad *Nicolaum V.* conſcribendis Epiſtolis præfuit, Virum Græcè inprimis & Latinè doctiſſimum. Is dum *Conſtantiæ* Concilium haberetur, ea in Urbe agens, animum appulit ad perſcrutandos manuſcriptos Codices, qui in illarum partium Cœnobiis, ſeu aliis Bibliothecis, cum pulvere ac tineis luctabantur. Felicem, qui ejus diligentiæ reſpondit, eventum ipſemet deſcribit in Epiſtola ad *Franciſcum Barbarum* (ut Eminent. Card. *Quirino* (y), ex quo hæc tranſcribimus, videtur) ſcriptâ. In hac *Poggius* primùm M. Fabii Quintiliani ſortem deflet, *qui, apud nos* (inquit) *Italos dico, ita lacerotus erat, ita circumciſus culpa, ut opinor, temporum, ut nulla forma, nullus habitus hominis in eo recognoſceretur. Tute vidiſti hominem hactenus*

Poggius de Quintiliani Libro à ſe reperto.

> *Lacerum crudeliter ora,*
> *Ora, manúsq; ambas, populatáq; tempora, raptis*
> *Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.*

Mox ſibi gratulatur ob ſubſidium eidem allatum, quin ob eundem, jamjam interiturum, non tantùm ab exilio, ſed ab ipſo penè exitio in avitam patriam revocatum: *Mæſtus ſiquidem ipſe erat, ac ſorditatus, tanquam mortis rei ſolebant, ſquollentem barbam gerens, & concretos pulvere crines, ut ipſo vultu, atque habitu fateretur, ad immeritam ſententiam ſe vocari. Videbatur manus tendere, implorare Quiritium fidem, ut ſe ab iniquo judicio tueretur, poſtulare, & indignè ferre, quòd qui quondam ſua ope, ſua eloquentia ſolutem multorum conſervâſſet, nunc neque patronum quempiam inveniret, quem miſereret fortunarum ſuarum, neque ſuæ conſuleret ſaluti, aut ad injuſtum ſupplicium rapi probiberet.* Demùm literarii illius theſauri adinventionem *Poggius* ita narrat: *Sed quum temerè perſæpè eveniant, quæ non audeas optare, ut ait Terentius noſter, fortuna quædam fuit cum ſua tum maximè noſtra, ut, quum eſſemus Conſtantiæ otioſi, cupido inceſſerit viſendi ejus loci, quo ille recluſus tenebatur. Eſt autem Monaſterium S. Galli propè Urbem hanc millia paſſuum viginti. Itaque nonnulli animum laxandi, & ſimul perquirendorum Librorum copiam, quos longum eſſet recenſere,* QUINTILIANUM *comperimus adhuc ſalvum, & incolumem, plenum tamen ſitu & pulvere refertum. Erant enim non in Bibliotheca Libri illi, ut eorum dignitas poſtulabat, ſed in teterrimo quodam, & obſcuro carcere, fundo ſcilicet unius turris, quo ne vita quidem damnati detruderentur. Atque ego pro certo exiſtimo, ſi eſſent, qui hæc barbarorum ergaſtula, quibus hos detinent Viros, recognoſcerent more Majorum, ſimilem fortunam reperturos in multis, de quibus jam eſt conclamatum. Reperimus præterea Libros tres primos, & dimidiatum quarti C. Valerii Flacci Argonauticon, & Expoſitiones, tanquam themo quoddam, ſuper octo Ciceronis Orationibus Q. Aſconii Pediani eloquentiſſimi Viri, de quibus ipſe meminit Quintilianus.* Hæc Poggius, qui theſauri hujus à ſe detecti mentionem facit etiam in Libello de Infelicitate Principum, & in Oratione funebri in Nicolaum Nicolium, Florentinum.

in Sangallenſi Bibliotheca.

Adfuit verò *Poggio* in ea Germanica peregrinatione Vir alius doctiſſimus, *Cincius* videlicet Romanus, cujus Epiſtolam ſanè quàm elegantem, ſed hactenus ineditam pariter juris publici fecit Eminent. Card. QUIRINUS (z), ex qua, quæ ad Bibliothecæ San-Gallenſis Mſ.tos Codices, eorúmque notitiam pertinet, prætermiſſis aliis delibamus. „In Germania, „*inquit Cincius*, multa Monaſteria „ſunt Bibliothecis Librorum Latino„rum referta: quæ res ſpem mihi at„tulit, aliquos Librorum Ciceronis, „Varronis, Livii, aliorúmque doctiſ„ſimorum Virorum, qui extincti pe„nitus eſſe videntur, in lucem ventu„ros, ſi accurata inveſtigatio adhibe„retur. Nam cum his proximis die„bus ex compoſito, ſama Bibliothe„cæ allecti, unà cum Poggio, atque „Bartholomæo Montepulciano ad op„pidum S. Galli deveniſſemus, Bib„liothecam ingreſſi Jaſonis Argonau„ticon à C. Valerio Flacco editum „carmi-

Cincii Romani Epiſtola de Sangallenſi Bibliotheca.

(y) in Diatriba Prælim. ad Franc. Barbari Epiſtolas Part. cap. 1. §. 1. pag. 2. Confer. Jacobi Burckhard de linguæ Latinæ fatis Tom. II. pag. 141. & 324.
(z) loc. cit. pag. 9.

„carminibns luculentis atque gravi-
„bus à majeſtate metrica minimè ab-
„horrentibus invenimus: deinde ar-
„gumenta quædam ſoluta Oratione
„confecta ſuper aliquot Ciceronis
„Orationibus, ex quibus multi cauſa-
„rum ritus, multæque veteris inſtitu-
„ti paritates apertè cognoſci poſſunt.
„Repertus eſt etiam Liber quidam vo-
„lumine parvus, magnitudine autem
„eloquentiæ, prudentiæque excel-
„lentiſſimus, Lactantius ſcilicet de
„utroque Homine, ubi planè refellit
„ſenſa eorum, qui humanam condi-
„tionem belluarum ſtatu humiliorem,
„dejectiorémque eſſe aſſeverant. In-
„ter quos Vitruvius de Architectura,
„atque Priſcianus Grammaticus quæ-
„dam Virgilii carmina commentans

Liber ex arborum corticibus.

„inventi ſunt. Erat prærereà in illa
„Bibliotheca Liber quidam ex corti-
„cibus arborum: qui cortices Latino
„ſermone Libri vocantur, unde, quem-
„admodùm apud Hieronymum eſt,
„Libri ſuum nomen adepti ſunt. Is
„quanquam non admodùm bonarum
„Scripturarum refertus, plenúsque
„eſſet, tamen propter illam ſanctam
„incorruptámque vetuſtatem ſumma
„cum devotione complexus ſum. Ho-
„rum quidem omnium Librorum ex-
„empla habemus; ſed ubi turrim ſa-
„cræ. Ædis S. Galli contiguam, in
„qua innumerabiles Libri, utpote cap-
„tivi, detinentur, diligentiùs vidi-

Bibliothecæ facies Sec. XIV.

„mus, Bibliothecámque illam pul-
„vere, tineis, fuligine, cæteríſque
„rebus ad obliterationem Librorum
„pertinentibus, obſoletam pollutám-
„que, vehementer collacrymavimus,
„per hunc modum putantes linguam
„Latinam maximum ornatum, maxi-
„mámque dignitatem perdidiſſe. Hæc
„profectò Bibliotheca, ſi per ſeipſa
„loqueretur, magna voce clamaret:
„ne me Viri linguæ Latinæ amantiſ-
„ſimi finite per hujusmodi negligen-
„tiam funditùs deleri; eripite me ab
„hoc carcere, in cujus tenebris tan-
„tum Librorum lumen apparere non
„poteſt. Erant in Monaſterio illo
„Abbas, Monachíque ab omni lite-
„rarum cognitione alieni. O barba-
„riem Latinæ linguæ inimicam! ô
„perditiſſimam hominum colluvio-
„nem! ſed quid ego ob hujusmodi
„literarum incuriam hanc barbaro-
„rum gentem deteſtor; cùm Romani
„linguæ Latinæ parentes majus vul-
„nus, majorémque contumeliam in
„noſtram patriam linguam, omnium
„aliarum principem attulerint? ve-
„niunt mihi in mentem innumerabi-
„les Bibliothecæ Latinorum, Græco-
„rúmque Librorum Romæ collapſæ,
„quæ à Majoribus noſtris ſummâ dili-
„gentiâ conſtitutæ, partim ignora-
„tione, partim negligentia, partim
„ut divina Veronicæ facies pingere-
„tur, deletæ ſunt.„

De Codice ex Cortice.

Quod de Libro ex Corticibus arborum confecto habet *Cincius*, diligenter eſſe animadvertendum, monet Eminent. QUIRINUS; nam probat, integros Libros non in papyro tantùm & philyra, ſed in arborum quoque corticibus olim conſcriptos fuiſſe, quod ab aliquibus in dubium vocatur; ſed perperàm; Divus námque Hieronymus in ſua ad Nitiam Epiſtola, quæ eſt 42. Tomi I. disertè reſcribit: *Rudes illi Italiæ homines quos* Caſcos *Ennius appellat... ante chartæ & membranarum uſum, aut in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuò Epiſtolarum alloquia miſſitabant.*

De hac itidem Sangallenſi Bibliotheca *Æneas Sylvius* Epiſt. cxx. ita reſcribit: *Inveni apud S. Gallum, quod Suevorum eſt oppidum, in veteri Monaſterio Bibliothecam pervetuſtam, ubi & Libros reperi ornatiſſimè conſcriptos, quorum Auctores fuerunt Teutones...* Vid. Part. 1. Commentarior. pag. 90. & 121.

Cæterùm Mſs. Codices, turri illa, ceu carcere quodam concluſi, ex ea ſub *Udalrico* hujus nominis VIII. Abbate Romæ à PIO II. inaugurato, exempti, & meliore loco repoſiti fuerunt; ſub ejus enim regimine, uti diſciplina Monaſtica, ita res literaria in Monaſterio S. Galli refloruit, ut jam ſupra à nobis expoſitum eſt. Refert verò *Jodocus Mezlerus* Libr. 2. de Viris Illuſtr. S. Galli cap. 50. & 51. quòd DIETHELMUS anno 1530. in Abbatem electus Bibliothecam ampliſſimam à fundamentis erexerit, Libris multis & ſelectis comparatis, quam OTHMARUS ejus Succeſſor, perfecerit, & aliquot Librorum centuriis, quos Pariſus ut plurimùm coëmit, ad usque 5000. florenorum ſummam adauxerit. Adhuc inſtructior foret celeberrima hæc Bibliotheca, niſi variis belli caſibus diſtracta fuiſſet. Adeſt tamen etiamnum præter editos magna veterum optimæ notæ Librorum copia, ex quibus *Mabillonius*, dum iter literarium in Germaniam anno 1683. inſtituit, multa in ſuos

Diethelmus & Othmarus Bibliothecæ Inſtauratores.

uſus

uſus collegit, adjuvante R.P. *Hermanno* Bibliothecario. Hos verò tamquam inſigniores in gratiam ſtudioſorum notavit:

Codices MSS. à Mabillon. notati. 1. *Oroſii Hiſtoria* eleganter ſcripta cum hac ad calcem clauſula: *Plura in hoc Libro fatuitate cujusdam, ut ſibi videbatur, ſcioli, malè ſcripta domnus* Notkerus *juſſit in locis aſſribi.*

2. *Alcimi Aviti poëmata* ab editione Bolonienſi planè diverſa.

3. *Ferrandi Diacon.* Liber ad *Reginum* Comitem.

4. *Proſperi* Opera ferè omnia.

5. *Ruricii* Lemovicenſis Epiſtolæ.

6. *Rabani* Epiſtola ad *Heribaldum* Epiſcopum Alcedronenſem, id eſt Autiſiodorenſem, & alia ejusdem.

7. *Quintiliani* inſtitutiones in Codice perantiquo, quem *Poggius* exſcribendum accepit ex ipſa S. Galli Bibliotheca, non apud *Salſamentarium* reperit, ut Paulus Jovius affirmavit, & ex eo alii.

8. Alcuini nonnulla Opuſcula, in quorum fine hæc leguntur: *Anno DCCCVI. ab Incarnatione Domini indictione XIV. anno XXVIII. regnante Karolo Imperatore, VIII. idus Februarii, die Veneris, diviſum eſt regnum illius inter filios ſuos, quantum unusquisque poſt illum habet: & ego alio die hoc opus perfeci.*

9. Juliani Prognoſticon, ad cujus calcem hæc leges: *Vere feliciter* Spaſſande *Papa! jugiter per Secula longa.*

10. Fragmenta quædam pœnitentialis *Vinniani* & *Cummeani* Abbatis Scoti, qui ſeptimo Seculo floruit, ſcripſitque vitam S. Columbæ Abbatis Hyenſis.

11. Collectanea Flori Presbyteri de voluminibus S. Auguſtini in Epiſtolam Pauli ad Romanos. Quo de Opere *Ratpertus* Monachus de caſibus Monaſterii S. Galli cap. 10. & Mabillonius Analector. Tom.IV. pap. mihi 630. edit. A. 1685.

12. Walafridi Abbatis ſermo in Feſtivitate omnium Sanctorum, qui in aliis Codicibus Rabano, in vulgatis Bedæ tribuitur.

13. Regula S. Benedicti in Codice qui ad annos nongentos accedit, in cujus initio præmittuntur verſus vulgati: *Qui leni jugo*... adſcripta eſt ubique verſio Theodiſca.

14. Epiſtola Theodemari Caſinenſis Abbatis ſcripta ad Carolum M. in membranis ante octingentos annos, quæ à Carolo Cointio impugnata quaſi ſuppoſititia, à Mabillonio vindicata eſt in Præfatione prima ad Seculum IV. Bened.

15. Vita B. Germani Pariſienſis Epiſcopi in optimæ notæ exemplari ab annis ferè octingentis exarato.

16. Vita S. Leodegarii Epiſcopi Æduenſis in Codice ante annos octingentos metricè ſcripta duobus Libris.

17. Vita S. Galli metricè Auctore, ut creditur, *Walafrido Strabo*, &c.

18. Revelationes S. Gertrudis, quæ à vulgatis multum differunt.

19. Trithemii Hiſtoria Hirſaugienſis triplo auctior, quàm in editis à Frehero, jam verò typis Sangallenſibus publici juris facta A. 1690.

20. Præter hos MS.^tos^ Codices à Mabillonio laudatos, Eminentiſſimus Card. *Quirinus* in Epiſtola ad Virum Cl. *Fevelinum* Univerſitatis Göttingenſis Profeſſorem, duos Codices latini Pſalterii celebrat, Quorum unus aureis undique literis rutilat, alter verò pariter præſtantiſſimus diſtichon in fronte præfert:

Hunc præceptoris Harmoti *juſſa ſecutus*,
Folcardus *ſtuduit ritè patrare Librum.*

21. *Calmetus* in ſuo ad Helvetos itinere anno 1748. peracto ſe in Sangallenſi Bibliotheca inveniſſe meminit, Codicem *A.* 1435. *in Vigilia Pentecoſtes per manum Johannis Ottingen de Syeſſen* exaratum, in cujus anteriori folio legitur Index Capitum Libri de imitatione Chriſti hac ſerie:

Sequitur Regiſtrum Brevilogii Virtutum.

1.mo *De Imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum mundi.*

2.do *De humili ſcire ſui ipſius &c.* Abſolvitur Opuſculum viginti quinque capitulis, uti in editis, ſed Liber primus hoc rubro inſignitur: *Incit Brevilogium Virtutum de Imitatione Chriſti &c.*

In alio manuſcripto ejusdem Bibl. primus Liber comparet ſub Titulo: *Tractatus de Imitatione Chriſti & internarum inſpirationum*... deſunt reliqui Libri 2. 3. & 4... nec ullibi Auctoris nomen apponitur. Antiquiora verò eſſe hæc manuſcripta, quàm authographum *Thomæ de Kempis* anno 1441. exaratum ſcitè obſervat Calmet Bibl. Loth. p. 580.

22. Adſervantur præterea in eadem Bibliotheca aliquot manuſcripta Emin. Cardinalis *Sfondrati* S. Galli Ab-

 batis

batis & Principis, videlicet: *Tractatus de probabilitate contra morum corruptelas, & nimiam ſentiendi laxitatem. Hiſtoria Atheiſmi. Diſſertationes contra peſtilentem Librum Heiddeggeri Tigurini. Commentaria in Jus Canonicum Tom. III.* & alia quædam imperfecta Opuſcula.

Einſidlenſis Bibliotheca. EINSIDLENSE ſeu *Eremitanum* Principale apud Helvetos Monaſterium, quod latino nomine *Eremus Deiparæ* appellatur, celebre omninò eſt, & Fidelium ad Thavmaturgam concurſu, & Religione Monachorum, qui ibi numero centum degunt. Majori templo incluſum eſt primarium B. Mariæ Sacellum, S. *Meginhardum* Auctorem habens, quod voti causâ undique frequentatur. Uti verò inſignis eſt ibi ſacra ſupellex, ita non minus locuples ac ſelecta res libraria habetur. *In Bibliotheca*, inquit Mabillon. (a) *multi ſunt exquiſiti Codices, ex quibus non pauca excerpſimus.* In hoc quippe Architterio & Monachis & Abbatibus de virtutum juxta ac literarum ſtudio nulla fere non ætate atque Seculo magna cura fuit. Unde Bibliothecam quàm multis tam ſelectis Libris continuò ampliârunt.

Ejus clades Hæc verò ſeculo XVI. ingentem tulit cladem, quam *Chriſtophorus Hartmannus*, Monaſterii Chronographus, his verbis deplorat: „Anno ſeptuageſimo ſeptimo, poſt milleſimû, & quingenteſimum, VIII. kal. Maj. feria v. „circiter meridiem ortum ex fornace „tegularia incendium pauciſſimis horis non modò vicum univerſum, ſed „etiam Monaſterium abſumpſit, ſolo „Sacello Virgineo, & utraque Baſilica reſervatis, & paucis admodùm „è ſacra ſupellectile ornamentis, & „omnibus tamen ſacris Reliquiis. De „tantæ cladis Auctore dubitantibus „diu ſuſpicio in Tegulario hæſit, aliàs „Tigurino, & ſub ipſum ſtatim incendium profugo. Poſtea Rbineci, „& Pfulloduri capitali ſupplicio adſecti homines ſceleratiſſimi, tam „infame & impium facinus in ſe transtulete, acceptâ ab Capitaneo *Stærero* Biſchoffcellenſi, homine hæretico, & omnibus bonis infeſto, pecuniâ, eam operam pollicitos, auſósque, abſtruſis ſecretò per vici plures „domos ignium fomentis, qui ex tegularia deinde flammis excitatis, in „vicum univerſum, & Monaſterium „ſpargerentur, & utrumque funditùs abolerent. Sed idem qnoque „*Stærerus* ſuæ impietatis, & ſcelerum brevi pariter pœnas exſolvit. „Curiæ enim Rhetorum uſtulatus „paulò poſt, & ferro laceratus, fractis artubus, rotæ incubuit.

Hoc verò incendio Bibliotheca damnum irreparabile paſſa eſt: corruptis, aut penitus abſumptis, pulcherrimis nobiliſſimorum Scriptorum exemplaribus, tantæ & tam exquiſitæ, & eousque ſumma cura deductæ, & propagatæ antiquitatis memoria ſimul poſtremo cum hoc incendio exſtincta, & omnibus propè priſcæ eruditionis, ſtudii, & diligentiæ, & diſciplinæ monumentis uno pene momento in miſerabiles cineres diſperſis & collapſis.

Auguſtinus Rheding ejus Inſtaurator. AUGUSTINUS hujus nominis Abbas XXIX. Princeps Imperii vigeſimus ſecundus, an. 1600. electus ſummam pro- meretur laudem, quòd ſuper alia præclara ædificia etiam Bibliothecam locupletiſſimam, & exquiſitiſſimâ magno ſumptu, & ſtudio exædificarit, eique, ceu nobiliſſimo corpori librarias opes magnas ac raras, veluti animam omnium pulcherrimam infuderit. Qua re illud conſecutus eſt, ut cùm aliorum ædificia, monumenta & Opera finem fortè metuere poſſint, ipſius memoria unà cum literis immortalitatem promeruerit, atque adepta ſit.

Inter Mſ.tos Codices, qui Vulcani manus evasêre in hac Bibliotheca ſequentes aſſervari, apud laudatum Chronographum annotavi.

Cimelia quæ ſuperant. 1. *Salomonis III.* ex Abbate S. Galli Conſtantienſis Epiſcopi Epiſtola ad *Dadonem*, quo orbitatem & miſeriam Germanici Imperii ſuo tempore poſt *Arnulphi* Imp. obitum deplorat.

2. *Vita B. Wiboradæ*, Virginis incluſæ, & Martyris, ab Hunnis interfectæ, Auctore Hepidano.

3. *S. Conradi* Epiſcopi Conſtant. Liber *de Secretis Secretorum*, vel potiùs tantum fragmentum, quo Ceremonias Sacelli Eremitani B. V. cœlitùs conſecrati enarrat.

4. *Martini Pœnitentiarii* Liber. Hic verò Delio Urinatore Opus eſt, ex quo intelligas, cujus argumenti ſit iſte Liber, & quo ſcriptus Auctore. Illud non neſcio, *Martinum*, vulgari cognomento, *Polonum* fuiſſe complurium Pontificum, Clementis IV. Gregorii X. Innocentii V. Joãnis XXI. ac denique Nicolai III. majorem Pœnitentiarium. Nihil verò celebrius ejus Chronico Summorum Pontificum.

5. *Thiet-*

(a) Mabillon in Itinere Germ. Tom. IV. Analect. p. 28.

5. *Thietlandi* Abbatis Eremitani Sec. X. Commentaria in Epiſtolas D. Pauli.

6. Liber *de rebus geſtis S. Gebehardi*, Ep. Conſtantienſis.

7. *Acta Murenſia*. Item *Acta Martyrum authentica*, à Mabillonio laudata.

8. *Frowini* (b) ex Monacho Eremitano Abbatis Engelbergenſis Volumen de libero arbitrio in Libros VII. diſtributum, quod velut *egregium Opus* laudat Mabillonius.

9. Ejusdem Commendatio in Orationem Dominicam.

10. Berchtoldi, Abbatis Eremitani, Liber contra errores Abbatis S. Joannis in Turana Valle.

11. *Werneri*, Abbatis Eremitani, eximia virtute & prudentia, an. 1210. vita functi, *Leges ſumptuariæ ad victum & amictum Monachorum ſui Cœnobii ſpectantes.*

12. *Rudolphi* juventutis in Schola Eremitana Magiſtri duo Libri carminum, quibus Monachorum captivitatem, atque Monaſterii hujus vaſtitudinem, ab Hervetis Suitenſibus A. 1314. tunc hoſtibus, hodie protectoribus, illatam deſcribit.

13. Calmetus in Bibl. Lotharingiæ pag. 581. memorat ſe anno 1748. in eadem Bibliotheca vidiſſe MSS. Codicem Sec. XV. ſub Tit. *Internæ Conſolationes Sancti Auguſtini*. . . Capitulum 1. *De Imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum mundi*, pluribus ipſe velut notatu dignum deprædicat.

14. Sed unus præ reliquis *Mabillonio* placuit membraneus Codex, ante annos octingentos ſcriptus, ex quo deſcriptionem Regionum Urbis Romæ edidit Tomo IV. Veterum Analectorum editionis Pariſ. A. 1685. pag. 481. Impreſſorum porrò Librorum copia & ſelectus eo magis ſpectatorum oculos animosque rapit, quod Abbates & Monachi Eremitani, proprio eos marte & ingenio (*quæ ſumma laus*) elucubraverint.

Murenſis. *Bibliotheca Murenſis*. Seculum labebatur undecimum, cùm inclytum, hodie etiam Principale Monaſterium *ad Muros* in Helvetia & Diœceſi Argentina conditum fuit. Fundatores erant piiſſimi juxtà ac illuſtriſſimi conjuges RADEBOTO Comes ab Habsburg, & IDA Duciſſa à Lothatingia, cum *Wernhero* Argentinenſis Epiſcopo primis Monaſterii Abbatibus *Reginboldo* & *Burchardo* inter cæteras curas illa de Libraria ſupellectile non poſtrema fuit. Sciebant enim Monachis opus eſſe Libris, quibus cùm in Choro ad officia divina ritè peragenda, tum in cella pro lectione, deinde etiam in ludo literario pro inſtituenda juventute uterentur. Jam tum enim à prima Monaſterii fundatione apud Murenſes Schola erat nobilium puerorum. Antiquiſſimum Bibliothecæ Catalogum habemus à Monacho Anonymo, qui Acta ſui Munaſterii; *Librum Fundationis* vocant, literis mandavit, vixítque ante annos ſexcentos. In hoc ſequentes Libri recenſentur.

1. Totum vetus Teſtamentum eſt hîc. In uno quippe Libro ſunt quinque Libri Moyſis, & Joſuæ, & Liber Judith & Ruth, deinde Prophetæ, id eſt, Iſaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, & Liber duodecim Prophetarum. In alio autem Libro ſunt quatuor Libri Regum, & Job, & Tobias, & Judith, & Heſther, & duo Libri Machabæorum, & Paralipomenon & Eſdras. Item in alio Libro ſunt Parabolæ Salomonis, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, Liber ſapientiæ, Liber Jeſu Filii Syrach. Deinde de novo teſtamento ſunt hic duo plenaria, unum ab invicem eſt diviſum. Item in alio Libro ſunt Sermones Sancti Auguſtini & alia quædam, & Actus Apoſtolorum & Apocalypſis, Epiſtolæ Pauli, & VII. Canonicæ Epiſtolæ. Item in alio Libro habentur paſſiones Apuſtolorum, id eſt, Petri & Pauli, Andreæ, Joannis, Jacobi, Bartholomæi, Thadæi, Simonis, Philippi, Jacobi, Marci. Item in alio Libro ſunt, vita Sancti Sylveſtri, Gregorii minoris, Mauritii, & alia quædam.

2. Tractatus Sancti Auguſtini in Epiſtolam Joannis, Sermo in Exaltationem S. Crucis; vita S. Martini, Briccii, Galli, Otmari, Verenæ, Nicolai, Goaris, Victoris, & Urſi, Felicis, Regulæ, Pelagii, Sermones in Aſſumptionem & in Nativitatem Sanctæ Mariæ. Item in alio Libro continentur vita Sancti Panli primi Heremitæ, Antonii, Hilarionis, Malchi, & alia, Dialogus S. Gregorii, vita Sancti Meginradi & alia. Item in alio volumine ſunt, vita Sancti Udalrici, translatio Sancti Benedicti, inventio Sancti Stephani, vita Sancti Sebaſtiani, Auguſtini, Januanii, Chriſtophori,

(b) *Florebat Frowinus ante ſexcentos annos.*

phori, Baſilii, Praxedis, vita Sancti Eutharii Paulini. Item vita Sanctorum Patrum. Item in alio Libro ſunt, vita Sanctæ Luciæ Virginis, Ottiliæ, Abraham heremitæ, de Nepti ejus Maria, de Sancta Afra, de Sancta Maria Ægyptiaca, ordo de Miſſa, Paſchaſius. Item in alio volumine ſunt, vita Sancti Blaſii, Agnetis, Vincentii, Agathæ, Valentini, Alexandri Papæ, Viti, Joannis & Pauli, Sixti, Cyriaci, Laurentii, Cornelii, Cypriani, Leodegarii, Dionyſii, Cæciliæ, Clementis, Alexii, Etymologiæ verborum, vita Sancti Martialis. Item major vita Sancti Gregorii Papæ. Item in alio Libro ſunt, vita Sancti Euſtachii, Leonhardi, Gangolfi. Item Liber miraculorum, & in ipſo Romanus ordo, qui vocatur Micrologus, & verſus de Sancta Maria Ægyptiaca. Item diadema Monachorum, & vita Sancti Johannis eleemoſynarii. Item Omeliarum Liber major. Item minor. Item Omeliæ Sancti Gregorii ſuper Ezechielem, moralium Liber primus, qui continet tres partes. Secundus qui continet duas. Tertius in quo eſt ultima. Item Hieronymus ſuper Epiſtolam ad Hebræos, & in ipſo Libro expoſitio Bedæ ſuper ſeptem Epiſtolas, & ſuper Actus Apoſtolorum, & ſuper Apocalypſin. Item expoſitio Hieronymi ſuper Pſalterium. Item Ambroſius de Principio. Item Epiſtolæ Pauli, & VII. Epiſtolæ Canonicæ. Item Auguſtinus ſuper Joannem. Item Expoſitio Auguſtini ſuper Pſalterium. Item Auguſtinus de verbis Domini, & de verbis Apoſtolorum, & phyſiologus. Item Auguſtinus de Sermone Domini in monte habito. Item Auguſtinus de pœnitentia, & alia. Item occupationes Hugonis & Auguſtini Epiſtola ad Comitem. Item Iſidorus ſuper quinque Libros Moyſis. Item magnus Iſidorus. Item Liber Iſidori, qui incipit ſummum bonum, & ipſe Cyprianus de duodecim abuſivis Seculi. Item Synonima Iſidori. Item Omeliæ Cæſarii. Item Paterius. Item Martyrologium & Liber Effren in volumine. Item aliud Martyrologium & nomina defunctorum. Item Liber Regulæ.

3. Sunt & hic Miſſales Libri V. ex iis tres pleniter ſcripti ſunt, quartus verò habet Graduale cum orationibus, quintus tantùm orationes habet: & duo Lectionarii, unus cum lectionibus habet & Evangelia. Eſt & Evangelicus Liber, & quatuor Gradualia, ex his unus Muſicen vocatum eſt, & duo Libri cum verſibus Offertoriorum, ex his unus Muſice notatus eſt. Et tres Antiphonarii, ex quibus unus Muſice notatus eſt, & decem Sequentiarii. Et tredecim Pſalteria, duo ex his habent hymnos. Sunt & hic quinque nocturnales Libri, quorum primus habet tantum lectiones ab Adventu Domini usq; ad Paſcha, ſecundus autem à Paſcha usque ad Adventum Domini, tertius verò habet tantum lectiones de Sanctis per circulum anni, alii duo pleniter ſcripti ſunt. Sunt & duo Curſinarii, & tres benedictionales Libri. Ex his unus habet obſequium mortuorum, & unus Breviarius. Item duo pœnitentialia, expoſitio ſuper Evangeliſtas, ordo Epiſcopi, duo Libri de conſuetudine Monachorum, Liber Job cum gloſſis, gloſſa ſuper Epiſtolas Pauli, gloſſæ ſuper Apocalypſin & Cantica Canticorum, gloſſæ ſuper Matthæum, gloſſæ ſuper Priſcianum, Priſcianus, duo Libri Prudentii, & in uno ex his pſitomachia, Sedulius in uno volumine, tres Libri Aratoris, Proſper &c.

4. Sunt adhuc hic multa alia Opuſcula libellorum ſatis utilia, quæ oportet ſervare & meliorare, & non deſtruere, quare nos non potuimus nec voluimus ea hic ſigillatim deſcribere. *Libros autem oportet ſemper deſcribere, & augere, & meliorare, & ornare & annotare cum iſtis, quia vita omnium ſpiritualium hominum ſine Libris nihil eſt.*

Monita hæc Abbates Murenſes ſurdâ aure minimè prætericrunt. Eorum cura atque ſollicitudine magna Librorum ſupellex partim pretio coempta, partim Monachorum calamo ac deſcriptione comparata fuit. Verùm cùm anno 1551. Monaſterium à Bernatibus odio Religionis ita ſolo æquatum fuit, ut vix rudera relinquerint, quivis animo ſecum exiſtimare poteſt, Bibliothecam ingentem mſs. Codicum jacturam fuiſſe paſſam. Superſunt tamen hodie non omnino nulli, quos cùm *Mabillonius* in Itinere ſuo Germanico excuſſiſſet, præ cæteris ſequentes laudavit.

5. *Acta fundationis*, ſive *Origines Murenſis Monaſterii*, *cum Genealogia Principum Fundatorum*; quod Opus typis vulgatum eſt anno 1618. Inde

verò

verò A. 1651. prodiit vera *Origo & Genealogia Comitum Habsburgenſium*, Auctore DOMINICO erudito iſtius loci Abbate contra recentium Auctorum fabulas. Priorem libellum tanti fecit eximius *Peireskius*, ut magna contentione repetitíſque ad *Vicum* Regis in has partes Legatum literis obtinuerit authenticâ formâ Actorum ejusmodi exemplum, quod poſſet inferri in Chartophylacium Regium. *Adeo verebatur*, inquit Gaſſendus, *ne autographo ſiniſtri quidpiam contingeret.* Quin etiam re jam in tuto collocatâ procuravit ſollicitè iteratam editionem tum Actorum omnium, tum maximè ejus Genealogiæ, quam ne unâ quidem ſyllabâ additâ vel demtâ, redegit in perſpicuum ſchema. Plura videſis apud eundem *Gaſſendum* de iſtorum Actorum utilitate ad refellendum *Verneri*, *Guillimanni*, & *Pieſpordi* commentum de ſtemmate domûs Auſtriacæ; probandúmque Principes Auſtriacos ſerie duntaxat femineâ, non virili, ut illi fingunt, ad Habsburgicam familiam, maſculâ verò ad Tierſteinicam pertinere. *Ita Mabillonius.*

6. Chronicon Reginonis cum continuatione Hermanni Contracti, & Berchtholdi ejus diſcipuli. Deſinit Reginonis Chronicon ut in editis, annóſque Chriſti adſcripſos habet, contra quam nonnulli de hoc Chronico opinantur, exiſtimantes annorum calculum adjectitium eſſe. Id quod Mabillonius in itinere Germanico notat p. 25.

Martyrologium ante annos ferè ſeptingentos ſcriptum.

Regula S. Benedicti fœminis accommodata, ejusdem ævi. Pingitur initio Sanctus Benedictus ſedens, cum pedo in manu atram habens brevem cucullam, togam, ſeu tunicam albam, & calceos ſubnigros.

Necrologium Sanctorum Calendario permiſtum, in quo multarum illuſtrium perſonarum obitus recenſentur.

Necrologium aliud, in quo Habsburgenſis familiæ inſigniores perſonæ notantur. *Hactenus Mabillonius.*

7. Quod ad Libros attinet impreſſos, inſignis adeſt hodie apparatus. Cùm enim laudatiſſimus Abbas *Placidus zur Lauben* ex Liberis Baronibus *de Thurn & Geſtellenburg* Monaſterium à fundamentis novum exſtruxiſſet, in adornanda etiam Bibliotheca induſtriam ſuam collocatam eſſe voluit. Neque enim alius ferè quispiam Abbatum Bibliothecas Libraria ſupellectile magis augere ſolet, quàm qui ipſe lucubrandis Libris calamum habet occupatum. Scripſit verò Abbas Placidus, inſignis Aſceta *Spiritum duplicem humilitatis & Obedientiæ per varias Exhortationes ſpirituales præſentatum. Conciones Panegyrico Morales.* Illuſtrem Abbatem, & dignum planè, qui ab Auguſtiſſimo Romanorum Imperatore *Leopoldo* in S. R. J. Principem, gratia in ſucceſſores perpetuanda, anno 1701. delectus fuerit.

Fiſchingenſis. FISCHINGENSE Monaſterium vulgo *Fiſchingen*, primitùs *Piſcina*, itemque *Augia S. Petri*, appellatum, ſanctam *Itam* ſeptimo Seculo conditricem agnoſcit. Situm eſt ad radicem montis Hoërlini, in Comitatu Toggenburgenſi, non procul ab antiqua arce cognomine. Ibi pauca admodum rei literariæ monumenta ſuperſunt. Hæc tamen ex veteri quodam inſtrumento nobis ſuppeditat Mabillonius in ſuo itinere Germanico: *Anno MCXXXVIII. venerabilis Presbyter* Waltrammus *Petrishuſenſis Monachus in Patrem & Abbatem electus eſt, atque conſecratus ab* Udalrico *reverendo Conſtantienſi Epiſcopo ſecundo ad locum Augiæ ſanctæ Mariæ, Fiskine dictum. Ipſum ergo novum atque tenuem locum, ſed habilem, utilem & ſpiritualibus hominibus ſatis congruum adiens Dei fretus adminiculo, Baſilicam Sanctæ Mariæ à fundamentis cæpit ædificare, & ſex annis piè conſummans fecit dedicare. Domicilia tria Fratribus, Sororibus, ac Hoſpitalem ædificavit.* Libros verò, Miſſalem, Evangeliarium, Lectionarium, Officialem, Benedictionalem, Antiphonarium, Pſalterium, Regulam &c. comparavit. *Ita omnia infra octo annos regiminis ſui patravit & acquiſivit. Multi piâ ejus admonitione ad converſionem venerunt, ex quorum dationibus multipliciter pænè viginti manſibus locum locupletavit.*

Fabarienſis. FABARIENSE in Rhætia, finibus Helvetiæ ſitum Ordinis noſtri non incelebre Monaſterium, priſcis *Favarienſe* & *Favarias* dictum, Bibliothecam habet pluribus Libris quà impreſſis, quà manuſcriptis ſtipatam. Eo in loco ſub initium Seculi XVII. floruit *Auguſtinus Stoklinus* Murenſis primùm, dein Fabarienſis Decanus,

poſtmodum Abbas, qui an. 1628. compoſuit Opus inſigne *de Antiquitatibus Fabarienſibus*, in quo teſte *Mabillonio*, multa ſcitu digna referuntur. Plura alia ſcripſit eleganter & accuratè Abbas ille digniſſimus, quem imitentur Poſteri.

Murbacenſis in Alſatia MSS. Codicum ingens copia. MURBACENSIS Imperialis in Alſatia Monaſterii Bibliothecæ theſaurus præcipuus in MſC^tis Codicibus conſiſtit, qui tantus eſt, quantus vix in ulla invenitur. Inſpexerunt illum non ſine admiratione Viri doctiſſimi è Congregatione S. Mauri, *Theodericus Ruinart*, *Edmundus Martene*, & *Urſinus Durand.* Et prioris quidem verba in itinere ſuo literario hæc ſunt: *Murbacenſis Bibliotheca inter celebriores Ordinis noſtri in Germania merito referenda eſt, propter MSS. Codicum inſignem abundantiam, quorum non pauci ſub prima Regum noſtrorum ſtirpe literis majuſculis aut Franco-Gallicis deſcripti ſunt.* Ex his eſt *Pſalterium Græcum literis uncialibus ſcriptum.* Cui ab annis circiter 800. interpretatio interlinearis aliquot locis adjecta eſt. Alius Codex Epiſtolas beati Pauli continet ab annis circiter 900. deſcriptas. Non minùs antiqui ſunt Codices, in quibus novum Teſtamentum cum Præfatione S. Hieronymi, Prudentii Opera, Commentarius in Job, cui initium & finis deſunt, carmen Paſchale Sedulii, carmen Aldhelmi de virginitate, ubi de Sancto P. Benedicto habetur: *Qui noſtræ* &c. Cyclus Paſchalis Victorii cum prævia Epiſtola ad Hilarium Papam, Collectio Canonum Auctore Dionyſio Exiguo, ſed imperfecta. Ad calcem alterius Codicis, in quo Sancti Hieronymi Epiſtolæ, ſic legitur: - - - VICUS *hunc Librum ſcribere Abba rogavit anno III. Childerici Regis, quicunque legerit obſecro, ut pro ipſo & obedientiam implentibus orare dignetur.* Ejuſdem ſaltem antiquitatis eſt Codex literis partim maiuſculis, partim Franco-Gallicis exaratus, in quo quæſtiones Oroſii ad Auguſtinum, Vincentianæ objectiones, Proſper contra hæreticos de Prædeſtinatione & Gratia, Auguſtini excerpta, ex Libro ad Marcellinum de perfectione juſtitiæ, ad Dardanum contra Donatiſtas &c. Item alios Codex Merovingico charactere deſcriptus, in quo Paſtorale Sancti Gregorii, beati Auguſtini Homiliæ &c.

„ Sunt & alii Codices optimæ notæ, in quibus Sacræ Scripturæ Libri, Interpretum, & SS. Patrum Opuſcula ab annis 800. quos ſingulatim recenſere longius eſſet. In his Tertulliani Apologeticum, Caſſiani Collationes Patrum, S. Paulini Opera, Alcuini Epiſtola ad Carolum M. de Baptiſmo, Hexameron S. Baſilii ab Euſtathio translatum, Concordia Conciliorum & Canonum, Auctore Criſconio. Epiſtola Manſueti, Epiſcopi Mediolanenſis, ad Conſtantinum Imperatorem, cum expoſitione fidei. Rufini hiſtoria, quam ſequitur Epiſtola Sancti Clementis ad Jacobum, in cujus fine: *Explicit Epiſtola, ut putatur S. Clementis.* Codex annorum 600. in quo Commentarii in Job, cum prævia Epiſtola Philippi Presbyteri & commentatoris ad Nectarium Epiſcopum. Recentiores ſunt Hiſtoria & Translatio trium Regum Coloniam; Tractatus de ſcrutinio Scripturarum Johannis Buchler, Rectoris Scholarum in Morbach, an. 1466. quo tempore floruiſſe ſtudia apud Morbacum ſub Bartholomæo de Andolo Abbate collegimus ex variis Codd. mſſ. quos ipſe dedit, aut antiquitate detritos reparare curavit, uti ex hac clauſula diſcimus, quæ in his omnibus ferè legitur: *Orent legentes pro Domno Bartholomæo de Andolo, Abbate Morbacenſi, cujus juſſione reparatus eſt Liber iſte.* Liber ceremoniarum Morbacenſium annorum circiter 500. In vetuſto Martyrologio, quod an. 900. præferre videtur, celebratur duplex cathedra S. Petri, una Romæ xv. kalend. Februarii, altera apud Antiochiam VIII. kalend. Martii, & v. Idus Julii legitur: *Depoſitio S. Abbatis, id eſt, translatio S. Benedicti de Monte Caſſino.*„ Hæc Ruinartus. A Clariſſimo autem Edmundo Martene ſequentes MſC^ti Codices præ cæteris celebrantur. Morbaci florent ſtudia.

Libri Morales S. Gregorii Literis exarati Merovingicis, magnæ antiquitatis. Aliud exemplar *Moralium*, quibus S. Auguſtini nonulli adhærent Sermones, exhibetur: Character ad annum centeſimum ſupra milleſimum pertinere videtur. Pompejus Donatus, atque alius Gramaticus eandem præ ſe ferunt ætatem. Duo volumina Concordantiæ in Evangelia mille circiter annorum. Homiliæ Origenis unà cum Rufini de *Benedictionibus XII. Patriarcharum* mille annorum. Quæſtiones Vincentianæ & variæ S. Auguſtini

guſtini Quæſtiones. Opera Donati, Tractatus de ponderibus, quædam S. Eucharii, & Collectio Canonum, IX. Seculorum. Pompeii Grammatica Magna ejusdem ætatis. Comentarius in Evangelia unà cum tractatu Alcuini de Catechumeno, Carmina Prudentii 800. annorum. Ciceronis Liber de Officiis ejusdem ætatis. Vitæ SS. Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi, Gregorii, Eccleſiæ Patrum, ejusdem etiam temporis, Elegantiſſimum Mſ.tum Novi Teſtamenti literis Saxonicis mille annorum. Pſalterium Græcum literis majoribus ſcriptum, cui eadem ætas haud immeritò attribui poteſt, Paſtorale S. Gregorii & carmina S. Paulini 800. annorum. Mſ.tum, cui Titulus: *Guillelmi de Boldenſele ad Petrum Abbatem Aulæ regiæ Ordinis Ciſtercienſis de deſcriptione Terræ ſanctæ anno 1336. ad inſtantiam Talairandi Petracoricenſis titulo S. Petri ad vincula Presbyteri Cardinalis.* Denique aliud Manuſcriptum, cui præfixus eſt Titulus: *Articuli Huſſitarum cum eorum reformatione*, in quibus plura continentur, quæ ad ſchiſmatis pertinent hiſtoriam. In alio Manuſcripto mille annorum conſignatus eſt Ordo Librorum S. Scripturæ, prout id temporis in Officiis divinis legi conſueverunt: qua de re plura ſuppeditat Cl. P. Edmundus Martene ſuo literario in itinere. Vide plura in Catalogo Mſs. Codd. apud Montfauconium loc. cit.

Miræ elegantiæ Manuſcriptum.

Trutpertina Bibliotheca.

S. THRUTBERTI in Brisgoïa Monaſterium ad fluviolum *Munagam* ſitum, unde aliquando inditum Cœnobio nomen, Diœceſis eſt Conſtantienſis hactenus Ordinis S. Benedicti vulgò *Sant - Hubrecht* appellatum. In eo floruêre complures Cœnobitæ & Abbates non minùs virtutis laude, quàm doctrinæ merito commendati; quos inter maximè celebratur *Erchanbaldus* Abbas, quem Henſchenius *Erganbaldum* ſcribit, à quo Acta S. Thrutperti conſcripta habemus, Tomo 3. Aprilis à Bollandiſtis edita & notis illuſtrata. Extant verò integra non ſolùm in Salemenſi Ciſt. obſervantiæ Monaſterio, ſed etiam in aliis Sueviæ Bibliothecis, at ſine nomine Auctoris, qui tamen in Salemenſi Codice deſignatur his verſibus:

Has Erchanbaldus, Thrutberti Martyris almi
Præſul, poſt cineres renovando ſtruxerat ædes;
Tactus amore Dei venerandos ſcribere ſancti
Actus non piguit; ſed id pro poſſe peregit...

S.Blaſii in Hercinia ſylva.

S. BLASII in Hercinia ſylva & Diœceſi Conſtantienſi celeberrimi & potentiſſimi Cœnobii Bibliotheca eximiam omninò celebritatem, uti priſcis, ita poſterioribus temporibus ſibi vendicavit, tum ab antiquis, raris & copioſis Codicibus manuſcriptis, cùm à recentioribus & ſelectis Libris, quibus exornata ſuperbit. Quòd ſi etiam Bibliothecæ à loco, ſitu, juſtâ earum diſpoſitione, Catalogo in Libros accurato, & denique à Globis, Mappíſque Geographicis, Muſæis, & Numiphylaciis laudandæ veniunt, certè Sant-Blaſiana (*de qua nondum, quod ſciamus, ab ullo Bibliographo ex inſtituto actum eſt*) non parùm ab iis omnibus ſe commendat; id quod ulteriùs à doctiſſimis illius loci Cœnobitis demonſtratum iri confidimus. Ibi ad octo juſtæ molis volumina Commentariorum in Regulam SS.mi Patriarchæ BENEDICTI prelo parata adſervari, certis didicimus Auctoribus, quæ utinam eruditiſſimi Sodales noſtri in uſum publicum aliquando proferant! Cætera nobis incognita ſedulis rei literariæ Cultoribus perſcrutanda relinquimus, atque ut huic capiti coronidem imponamus, id poſtremò, quod bellè monet *Eraſmus* in adagiis, hîc repetendum duximus, *nempe*, inquit ille, *uti ex pyrite crebrioribus ictibus calybi alliſo ignis ſcintillæ exſiliunt, ita Bibliotheca, quò diligentiùs excutitur, eò plus doctrinæ inde elicitur.* Hanc regulam, qui ſecutus fuerit, fieri tandè verè poterit βιβλιοθήκη ἔμψυχος, ſeu *Bibliotheca animata.*

Obtrectatorum de Monaſticis Bibliothecis dicteria.

Scimus equidem *Struvium*, (c) alióſque Viros eruditos præſertim acatholicos conqueri: *Scripta in diverſis Monaſteriis collecta, ob Monachorum ruditatem potiùs ſervari ad interitum, quàm ad uſum.* Addit Lilienthalius Struvii Scholiaſtes. (d) *Pleraſque Bibliothecas in Monaſteriis, Monachorum ignorantiâ obſeptas deliteſcere. Unde* SABINUS *canit de cucullatis hiſce Monachis:*

Haud ſecus ac duro fugitivos carcere ſervat
Veſtra catenatos Bibliotheca Libros.
Quid mirum? ſi nulla viget Doctrina, colendi
Doctrinæ Auctores hic ubi vincla gerunt.

Quæ

(c) Struvius Introd. in notit. rei lit. cap. 2. §. 17. pag. 190.
(d) Lilental. in notis pag. 292. Confer Centur. Magdeburg XI. & XII. cap. 7. Bruſchius de Epiſc. Ger. Tom. I. fol. 23. 146. 210. 211. & 215.

„Quæ tamen (*ſubdit*) de omnibus Mo„nachis haud intellecta velim; quo„niam *Benedictini* propter Bibliotheca„rum curam celebrantur. . . (e) *Imò manca prorſus eſſet & obliterata Germaniæ Hiſtoria, niſi in Monaſteriis fuiſſet ſervata, cùm præcipui ferè Hiſtorici ſint Monachi. Ut taceam, quantam deſcriptione plurium Codicum rei Bibliothecariæ & librariæ opem tulerint Monachi.* Hæc ille. Verùm miſſis hisce ſeu laudibus, ſeu conviciis, ingenuè quidem profitemur nonnullos è noſtris ſcrupuloſiùs, quàm par fuerit, literarias opes ſuas abſcondere, nec id tamen abſque omni cauſa: *Actum enim omninò fuiſſet de pretioſiſſimo Librorum MSS. theſauro, ſi ſedula Majorum pietas non indeſinenter vigilâſſet, ſollicitiúsque illa cimelia occultâſſet, ſalvâſſet, & conſervâſſet ab impiis harpiis & genuinis Diaboli pullis.* (f)

Notantur tenaciores Manuſcriptorũ Poſſeſſores,

Cæterùm uti natura magis ſpeciem, quàm individuum conſervare ſolet, ita qui verè Benedictini ſunt magis totius Ordinis gloriam, quàm Monaſteriorum ſuorum decus reſpiciunt. Neque porrò videmus, cui ornamento Monaſteriis ſit, ſi quas literarum gazas poſſident, quòd eas ab erudito orbe ignorari velint. *Si reconditi*, inquit doctiſſimus Montfauconius, (g) *quieſcant Libri, ſibi, Patronis, orbi literario inutiles ſunt; ſi publico dicentur uſui, Domino, ſibíque nomen acquirunt, rei literariæ lucem, omnibus opem ferunt.* Quod neſcitur, non habet uſum, quod uſu caret, tametſi bonum eſt, bonum eſſe deſinit. Nihil prodeſt theſaurus intra terræ viſcera ſepultus, niſi eruatur, & productus dias in luminis auras mortalium cōmodis ſervire jubeatur. Veſtium ornamenta ſi perpetuis premantur ciſtarum tenebris, quid, obſecro! aliud ſunt, niſi tinearum ac teredinum pabula? Gemmæ & uniones, ut niteant, ex cœcis concharum matricibus liberentur, neceſſe eſt; ſic enim ſcintillantes jaculabuntur ignes, ſic gratiam plauſúmque ab oculo ſpectatore merebuntur. Non diſpar in manuſcriptis Codicibus ratio eſt: Hi ſi lateant, nihil afferunt lucis, utilitatis nihil; ſunt munera data non accepta, ſunt divitiæ pauperes, quia ignotæ, ſunt opes inutiles, quia ſine uſu. Arguta eſt piiſſimi *Iſidori Peluſiotæ* hac de re ſententia; (h) *Plurimos*, inquit, *ut audio, poſſides Libros, atque opinione locuples es tuâ, eorum lectionem ignorans, idémque faciens, quod ii, qui frumentum comprimunt, ac tineas alunt; Nam Libri quoque tinearum Patres ac nutritii ſunt, cùm vinciuntur. Quare aut opibus tuis utere, aut ingentem eruditionem ne læde, nimirùm hìc quoque comicos ſales colligens, dum Librorum corruptor, aut eruditionis ſepulchrum, aut tinearum altor appellaris.*

& ad eos evulgandos excitantur.

Malè igitur ſuis Scriptoribus Poſteríſque conſulunt Bibliothecarum Præfecti, qui ſuperſtitioſâ, neſcio quâ religione manuſcriptos Codices, eorúmque titulos celant & abſcondunt, tum tineis, blattis, muribus, incendiis, aliíſve periculis expoſitos relinquunt. Quoties enim, (*ut rapaces plagiorum manus non afferam*) quoties incerta origine excitatum incendium integra tabularia, Bibliothecas, & chartophylacia hauſit ære nullo reſtituenda? Quoties viâ aliâ incredibili reipublicæ literariæ & ſacri Ordinis damno vetuſtiſſimi Codices peſſum iverunt, aut interciderunt? Quot præclara ingenii monumenta tempus edax abſumpſit, quibus non alia res magis, quàm typus æternitatem præſtare potuiſſet? *Sunt Monaſteria*, inquit Jepeſius, (i) *quorum ſi manuſcriptorum Codicum Catalogos exigas incolæ ſcalpunt aures & tacent. Cauſam ſi rogas; Monaſterium ſemel, bis, ter conflagrâſſe, ab hæreticis direptum, à militibus dilaceratum, Codices cum exteris incautè communicatos, à furibus ſurreptos, à blattis exeſos, in turpes uſus abſumptos, non abſque gemitu, non abſque rubore reſpondent.* Hujusmodi igitur monumenta ſervandi optimus eſt modus (*quis neget?*) mandare typis, quà obeſſe non poſſunt; Nam

Impreſſis nec furta nocent, nec ſecula proſunt;
Soldque non poſſunt hæc monumenta mori.

(e) Melanchton Serm. de Studiis corrigendis Tom. 1. declam.
(f) Weislinger in Præf. Armamentarii Catholici. . .
(g) Montfaucon in Præf. ad Catalog. Bibl. Coislinianæ.
(h) Peluſiota Libr. 1. Epiſt. 327.
(i) Yepes Tom. II. Chron. O. S. B. pag. 431.

SECTIO

SECTIO II.

ARCHIVA BENEDICTINA.

Archiva in Monaſteriis condendi ratio.

Cùm Majores noſtros minimè præteriret, certiſſimos poſſeſſionum & jurium titulos eſſe *Diplomata, Bullas, Privilegiorum Tabulas, Epiſtolas, Chartas Pagenſes, Traditionum ſeu Donationum literas &c.* operam ſibi ſummam eſſe dandam exiſtimârunt, ut pretioſa hujusmodi monumenta omni curâ, ſtudiô, & diligentiâ in ſecretiſſimis ac munitiſſimis Monaſterii locis adſervarentur, & cuſtodirentur. Quæ loca antiquitùs *Tabularia*, hodie *Archiva* vocantur. V. C. *Juſtus Fontaninus* ex Hiſtoriæ monumentis planum reddit, (k) Archiva & Tabularia in plerisq; Monaſteriis ſemper fuiſſe lapideis arcubus, & fornicatis turriculis cuſtodita; tantum abfuiſſe, ut inſtrumenta chartis inſcripta ſúsque déque habuerint, prout *Germonius* perſuadere voluit. Apud Floriacenſes quidem in *Turricula* ex Tortorii Lib. de Miracul. S. Benedicti cap. 27. In Croylandenſi Monaſterio *in Chartaria arcu lapideo per totum contecta*, ex Ingulfi Hiſtoria Croylandenſi: quorum exemplaria pluribus in locis aliquando deponebant, ut videre eſt in Chronici Rameſienſis parte ſecunda cap. 7.

San-Gallenſes ſua diplomata typis exſcribi curant.

San-Gallenſes omnes Monaſterii ſui chartas, omnia diplomata, & inſtrumenta in unum corpus ſuperiore Seculo typis domeſticis redegerunt; cujus collectionis unum exemplum in Archivo Eccleſiæ Romanæ, alia quædam in celebrioribus aliquot Helvetiæ Monaſteriis repoſita ſunt; cætera privatim in ipſo Monaſterio Sancti Galli reſervantur ad documentum Poſterorum.

Idem agunt Einſidlenſes & alii.

Idem præſtiterunt *Einſidlenſes* noſtri: ut ſi quo incendii vel belli caſu ipſa primaria inſtrumenta perire contingat, jacturam utcunque ſarciat hæc collectio. In Monaſterio Fiſchingenſi ejusdem Illuſtriſſimæ Helveto-Benedictinæ Congregationis Archivum non firmiſſimè modò contra Vulcani injurias eſt munitum, ſed ita concinnè inſtructum ac ordinatum, ut aliorum Monaſteriorum Superiores ad ejus normam ſua formari curârint.

Cura Veterum de Archivis.

Nec minorem in his curam adhibuerunt olim providi quique Monaſteriorum Rectores, ut ſimul de loco apto circumſpicerent, in quo ad Poſterorum fidem, & certum ſuimet præſidium univerſa bonorum temporalium, jurium, privilegiorum, ac poſſeſſionum monumenta ſedulò in unum collecta reconderentur. Sic OTTO *Sanctus* Bambergenſis Epiſcopus fortè ſub annum 1115. ex itinere ad deſolatum tunc *Banzenſe* Cœnobium deflectens, unicum duntaxat in eo ſuperſtitem Monachum reperit, quo indicante, varia prædiorum ac poſſeſſionum documenta, *quæ humore lapidum & raſione nimiâ viluerant*, opportunè recuperavit, hísque etiam in Monaſterii inſtaurationem feliciter uſus, ſplendidiorem & tutiorem locum iisdem aptavit. (l) *Quod præclarè factum*, inquit Schannat, *utinam frequentes ac ſedulos ubiq; habuiſſet imitatores, haberêtque etiamnum!* Non jam blattis ac tineis voluptates ſuas invidere cogeremur, nec forſitan inter nos auditum fuiſſet: *Hîc inſigne, ſed malè cuſtoditum Tabularium etiam canibus venaticis patuiſſe; illîc rejectas velut inutiles chartas ac membranas omnes, quotquot earum legi non poterant; iſthîc denique avulſa ab Regiis & Imperialibus Præceptis integra ſigilla, ut ex iis conficerentur candelæ: Magni profectò prætii luminaria! illis condigna candelabris, quæ etiam nuper ex nitidiſſimis Veterum Romanorum Numiſmatibus conflari juſſit ignorantia.*

Horum fata & damna fortuita.

Verùm enim verò, ſi & ipſi homines, ſi ipſa etiam munitiſſima præſidia tot fatis ſubjaceant, quot non pariter caſibus obnoxium reperietur, quidquid humanæ committitur cuſtodiæ? Ut enim intra ſolos Germaniæ noſtræ fines me contineam, tot direptiones, tot fortuita, aliáque etiam interdùm cœlitùs immiſſa incendia, tot hoſtium ac barbarorum incurſiones, tot exterorum bellorum motus, tot denique clades ac diſſenſiones domeſticæ, quibus ab ineunte Seculo VIII. hucusque ferè continuò agitata fuit, quantam non omnis generis documentorum ſtragem ac jacturam pepererunt! Quis enim fornix tam ſo-

(k) In Vindiciis antiq. Diplom. adverſ. Berthol. Germon.
(l) Orig. Banz. apud Ludvv. Script. Germ. Tom. I. *Schannat* Archiv. Fuld. Vind. pag. 5.

lidè elaboratus? quæ concameratio tam firma, quam vis ignium non penetravit, udor pervaſit, aut etiam penitùs deſtruxit? Quæ portæ, qui crates ferrei, quos hoſtium furor non confregit ac perrupit? Lugubres ejusmodi ſcenas paſſim exhibent Annalium Scriptores, *has nempe & illas Baſilicas repentino fulminis ictu conflagrâſſe; terribili exorta tempeſtate ambuſtos parietes, funditùs everſas ædes, omnia chartarum munimina igne concremata, multa exuſta, multa flammis contacta, plura à tineis & blattis exeſa, carie conſumpta &c.* Sic, *Anno* 1010. *ignis de cœlo delapſus oppidum Corbeiam cum Monaſterio exuſſit totum*; Sic *Anno* 1037. *incenſum eſt Hersveldenſe Monaſterium.* Sic & alia plura, quæ piget referre, cùm & ex Seculis inſequentibus ad noſtra uſque tempora nullum ferè occurrat Monaſterium, quod aut incendiorum, aut bellorum, ac tumultuum inteſtinorum expers fuerit.

Damna iisdem aliunde illata.

His caſibus fortuitis ac penè inevitabilibus ſubnecti poſſent damna quàm plurima Monaſteriorum perinde ac variis Eccleſiarum Archivis aliunde illata; quæ enim detrimenta iis non intulit aut turpis ignorantia, aut neglectus ſeu incuria? Quas jacturas ipſæ etiam malefidæ quorumdam Cuſtodum manus non invexêre? Quid habendi cupido, auri ſacra fames, vis, impetigo, & malitia infirmiſſima jurium ac poſſeſſionum monumenta ſubinde non attentavit? & quid denique ipſa malevolorum hominum audacia, & prævalens potentia deteſtando ac præmeditato facinore non perpetravit, quò privilegia, chartas, diplomata diriperet, aut minutatim conſcinderet? Triſtia ſanè quam plurima hujus rei extant exempla, quale eſt illud ab Annaliſta San-Gallenſi *cap. 5. de Caſibus S. Galli* his fere relatum verbis: „ Habuerant hujus Monaſterii Fratres, *firmiſſimum Emunitatis Præceptum*, ipſis à *Pipino* Rege conceſſum; hoc cùm ad propulſandas Conſtantienſis Epiſcopi moleſtationes neceſſe eſſet coram *Magno Carolo* reproduci, cuidam Imperatoris Vaſallo nomine *Engilraño*, in cujus fide multum præſumebant, unicam illam totius ſuæ ſecuritatis ſpem commendaverunt, *qui etiam in Altario S. Galli juravit ſe ipſam Cartam Regi perlaturum, atque ipſis Monachis cautiſſimè eſſe redditurum.* Verùm tam inſigne monumentum, *quod Amalgarius Monachus & Diaconus exemplari tradere propoſuerat, ſed non fecerat*, donis & muneribus à perfido Latore, EGINO Conſtantienſis Epiſcopus extorſit, ac *in favillam redegit.* „ Simili ſpiritu agitatus haud dubiè fuit *Wicelinus* ille Trevirenſis *Vice-Dominus*, qui, teſte *Browero*, poſtquàm ſub annum 941. prædabundâ militum manu Cœnobium *Mediolacenſe* direptionibus ſuis exhauſiſſet, ne quæ etiam ſpes aut facultas revindicandæ ſubſtantiæ ſacris ejusdem loci incolis ſupereſſet, *omnes donationum veteres chartas minutatim conſcidit.* Alias plures hujusmodi cataſtrophas non minùs lugubres ac funeſtas nobis exhibent Scriptores, quas hîc repræſentare piget; De his verò aliísque ejusmodi Stragibus Archivis præſertim Germaniæ illatis conſuli omninò meretur ſingularis *Chriſtiani Gottlieb Buderi* Diſſertatio, præfixa Corpori Dipl. Hiſt. Germ. med. ævi *Chriſt. Schoëttgenii*, Altenburgi recèns edito in fol.

Cur instrumenta refecta,

Atque hæc potiſſima fuiſſe videtur ratio & cauſa, cur illi quorum intererat, vel inſtrumenta donationum & contractuum plura requirerent à Curia, vel deperdita, concremata, ſubrepta privilegiorum ac jurium ſuorum munimina refici, & ab aliis Regibus, Imperatoribus, & Pontificibus inſtaurari, vel de novo confirmari procurarent, *quòd nempe ab ejusmodi chartis omne jus penderet habendi illud, quod datum erat, vel acquiſitum.* (m) Adeò quippè neceſſaria erant hujus generis inſtrumenta, ut niſi illa ſupereſſent, daretur Actori facultas ejerandi contractum, ſibíque rem iterùm vindicandi; quod pariter ediſſerit Lex Allemannica cap. 1. §. 2. his verbis: *Si autem illa* Charta *aut arſerit, aut perdita fuerit, liceat hæredi, cum quinque teſtibus in ipſa Eccleſia jurare, quod Pater ejus nec chartam feciſſet, nec ad illa loca ſancta dediſſet. Et ſi hoc præſumpſerit facere, illas res poſſideat.* Tale infortunium ſubinde expertus *Rathaldus* Argentoratenſis Epiſcopus, poſtquàm anno 876. *ob incuriam Miniſtrorum Eccleſiæ ſuæ, omnia munimina chartarum, quæ inibi haberi videbantur, igne concremata fuiſſent*, hoc ſaltem apud *Ludovicum* Germaniæ Regem efficere conatus eſt, ut nullum exinde in rebus ac familiis ſentiret diſpendium. Sic etiam Friſingenſium

(m) Vid. Oliverii Legipontii Diſſert. de Archiv. pag. 150.

ſium Antiſtes *Waldo* amiſsâ anno 906. *ex fortuita ignium ſuccenſione* Privilegia per *Ludovicum IV.* ſibi ſuæque Eccleſiæ feliciter inſtaurari obtinuit. Eandem autem fuiſſe ſubſequentium Regum ac Imperatorum in his ſimilibúsque caſibus erga loca ſacra pietatem, docent nos diverſa eorum præcepta, quæ paſſim apud veterum Diplomatum Collectores occurrunt.

aut plura ſubinde confecta.

Pluralitatem verò chartarum de re eadem quod attinet, illud appoſitè obſervat *Ludewigius*, (n) jam inde ab ævo Carolingorum minimum quatuor ſubinde exarata fuiſſe cujusque diplomatis exempla. *Unum* in gratiam illius, qui ipſum rogaverat, *alterum* & fortè *tertium* memoriæ causâ, ut aliud reponeretur in loco, ubi Princeps ſupplici libello detulerat; aliud in Urbe vel palatio, ubi illud fuerat ſcriptum & ſigillo munitum; *quartum* fortaſſis & *quintum*, nt aliud ſupereſſet in *Tabulario Cæſareo*, aliud etiam in *Cancellaria*. Potuit verò evenire aliàs, ut præter hæc alia quoque plura curialia ſcriberentur exempla, ſiquidem illa rogârunt ii, quorum videbatur intereſſe. Qua in re Curiæ Imperiales eò fuêre indulgentiores, quòd, ut idem notat, *penes illas ſteterit, quot vellent conficere, cùm Cæſaris neque conſenſu in illis opus eſſet, neque ſubſcriptione.* Eò autem magis ſolliciti circa hæc erant ſupplicantes, qnòd donatio facta vel contractus *per chartam & teſtes*, legalem acciperet firmitatem, & Actori præcluderetur via ejerandi contractum, ſibíque rem iterùm vendicandi; Poſteris verò nulla poſſet ſuboriri dubitatio eorum, quæ geſta fuerant. Cujus quidem rei cauſam prodere ſolent ipſa diplomata his plerumque formulis: *Cùm hominum memoria ſit labilis. . . Cùm à temporum ærugine nihil extet liberum. . . Cùm mors omnibus rebus adferat oblivionem. . . Cum meum & tuum, frigidum illud verbum, multorum ſit cauſa jurgiorum. . . Ne Poſteris ulla poſſit eſſe dubitatio eorum, quæ geſta ſunt. . . Ideò hanc chartam conſcribi ſigillóque muniri &c. curavimus. . .*

Unde ſtupenda Chartarũ Copia Poſteris tradita.

Quæ cùm ita ſint, facilè datur intelligi, quare hodiedum tot unius ejusdémque diplomatis anthentica & publicæ fidei exempla, etiam quandoque in ſubſcriptione, datâ, aut aliis minutiis diverſa reperiantur. In tanta autem Chartarum, Diplomatum, inſtrumentoum authoritate & neceſſitate fieri aliter non potuit, quàm haberi ea maximi ac ſollicitè cuſtodiri, ne quod ex eorum interitu Poſteris obveniret diſpendium. Ex qnibus etiam apparet ratio, cur tam ſtupenda veterum ejusmodi monumentorum copia nobis relicta ſit, ut pleraque hodiedum Archiva, præſertim Benedictina Iisdem quaſi turgida conſpiciamus. Cum verò Poſterorum, qui quidem aliquod pietatis & gratitudinis ſtudium ſovent, maximè interſit laudabilem Majorum curam & ſollicitudinem æmulari, & nôſſe aut diſcere, qui qualesve fuerint illi, quorum opera, ſudoribus, beneficiis & ſavoribus ipſi hodie ſelices vivunt; piaculum fore credimus, ſi tanta inſtrumentorum & documentorum veterum congeries, támque pretioſa & veneranda ſupellex neglecta jaceret, aut confusè incerta ſede vagaretur. Quid enim fortunæ, quid opes, niſi iis utaris? Et quid verò chartæ, privilegia, documenta, ſi ea, dum tulerit uſus, ignoras, aut roganti repræſentare nequeas? Me judice haud malè ſenſit, qui dixit: *Ejusmodi cimelia, ſi lateant, eſſe divitias pauperes, quia ignotæ; eſſe gratias gratis datas, quia neglectæ; eſſe opes inutiles, quia ſine uſu; verbo, eſſe privilegia privilegiis carentia, quia tinearum, glirium & teredinum pabula.*

De Archivi diſpoſitione.

Quapropter, ut quid in Archivo adſervetur commodius celeriúsque reſciri queat, primo neceſſe fuerit, omnia inſtrumenta cujusque ætatis vel argumenti in certas claſſes & ſeparata ſcrinia, ſub titulo dominiorum, jnrium, materiarum, de quibus in iis agitur, ſedulò diſpertiri. Quâ diſtributione factâ ex ſingulis Claſſibus ſeliges antiquiora, & in faſciculos ita rediges, ut recentiora poſtponantur prioribus, & Ordo Chronologicus, quâ fieri potuerit, accuratè ſervetur. In quovis autem faſciculo nonniſi decem, vel quotquot ordo dictaverit rationis, Diplomata compinges. Tum verò unumquemque faſciculum ſcrinii numero, & certâ Alphabeti literâ deſignabis, primum nempe litera A. ſecundum litera B. tertium C. ſicque gradatim. Singulis autem inſtrumentis cujuslibet faſciculi, eundem ſcrinii numerum, eandemque literam adſcribes, addito numero Ordinis quem eo in faſciculo unaquæque charta obtinet hoc ferè modo:

Diploma, vel Præceptum Caroli M. de juribus & privilegiis in N. . . Da-

tum

(n) Ludevvig in Præf. ad reliquias Manuſcriptorum Tom. 1. pag. 29.

tum Aquiſgrani A. 807. *die XI. April.* - - SCRINIO *IV. lit. A. Num.* 3.

Ubi ſic parati fuerint faſciculi, & capſulas digeſti, tum denique ad accuratum indicem conficiendum operas feriò conferes. Eum ad minus duplicem eſſe voluerim. Primum *Materialem*, *& ſpecialem* pro quolibet Scrinio. Alterum univerſalem huncque Chronologicum, in quo ſingula Diplomata juxta annorum ſeriem ſeu *datarum* notas, digeres, ſubjectâ ubíque conteutorum ſynopſi, & ſignis repoſitæ in Scrinio Chartæ indicativis, accuratè adſcriptis, ut ſupra. . . *Hæc Oliverius Diſſert. III. pag.* 152.

Statuta Congreg. Olivetanæ de Archivo & ejus Præfecto.

Quid verò Superiores Congregationis Hiſpanicæ *de Archivo ejusque Præfecto* prudenter decreverint, ex Statutis eorum conjicere licet; ita enim habet caput IX. *de Præfecto Archivi.*

„I. Magni momenti eſt hoc offici-
„um, quòd omnes fortunæ Monaſte-
„rii, nec non Privilegia Imperato-
„rum, Regum, Bullæ Pontificum,
„Tabulæ Fundatorum, & Benefac-
„torum contineantur chartis. Ipſum
„Tabularium firmum eſſe oportet, ac
„undique munitum contra incendi-
„um. Feneſtras habeat mediocres,
„ferro ſpiſſo reticulatim obſeptas.
„Portæ quoque ferreæ ſint, habean-
„túrque duæ claves, quarum alte-
„ram retineat Archivi Præfectus, al-
„tera in arca depoſiti aſſervetur, ut
„in promptu ſit, prima ſi pereat.

II. „Chartæ diligenter per ciſtas di-
„ſponantur, vel erectæ inſcriptioni-
„bus diſtinguantur. Si fuerint char-
„tæ diverſarum Emphytheuſeon, in
„unum librum compingantur, ita ve-
„rò ut jungantur, quæ ad unum lo-
„cum ſpectant. Idem fiat cum aliis
„locationibus. Bullæ Pontificiæ à
„Privilegiis ſeparentur. Ex chartis
„non compactis faſciculi fiant, col-
„lectis ſemper xx. & xx. notíſque Al-
„phabeti diſtinguantur. Præfectus
„Archivi omnes Tabulas, Bullas,
„Privilegia conſignet in Libro, addi-
„tis etiam numeris ac nominibus ci-
„ſtæ, terræ &c. ut ſine mora depre-
„hendi poſſit, quod quæritur. Literæ
„potiùs extendantur, & explicentur,
„quàm complicentur. Si fuerint de pa-
„pyro delicata, cooperiantur. Quan-
„do & quibus hæc literarum monu-
„menta in manus dare poſſit, videat
„Conſtitutiones. Neque Oecono-
„mum, neque Procuratorem litium
„ſcrutari permittat Tabularium, ſed
„ipſe potiùs neceſſaria conquirat, il-
„liſque tradat.

III. „Literas antiquas aut propè
„conſumptas, bona manu deſcribi
„curet, ut ſi opus quandoque fue-
„rit, facilè legi poſſint. Noctu haud
„unquam intret Archivum cum can-
„dela, niſi res gravis incumbat, quæ
„moram non patiatur; tum verò ma-
„jorem in modum cuſtodiat lumen.
„Menſam in Archivo collocet, ac
„ſedes, omnémque ſcribendi ſuppel-
„lectilem. Archivi Præfectus ſit alius
„à Procuratore litium.„ Hæc Congregationis Benedictinæ in Hiſpania Superiores de Archivo, ejusque Cuſtode non imprudenter ſtatuerunt. Plura autem de arte Diplomaticâ & aliis huc ſpectantibus reſcire cupiens, ſitim haud turpem reſtinguere poterit in *Mabillonii*, *Beſelii* & aliorum hujus commatis operibus, quibus recens acceſſit ejusdem argumenti Tractatus ampliſſimus Gallico idiomate à duobus è Congregatione S. Mauri Cœnobitis vulgatus hoc Titulo: *Nouveau Traité de Diplomatique, où l'on examine les fondemens de cet art, on établit des regles ſur le diſcernement des Titres, & l'on expoſe hiſtoriquement les caractéres des Bulles Pontificales, & des Diplomes donnés en chaque ſiecle, avec des éclairciſſemens ſur un nombre conſiderable des points d'hiſtoire, de Chronologie, de Critique, & de Diſcipline, & la refutation de diverſes accuſations intentées contre beaucoup d'Archives celebres, & ſur tout contre celles des anciennes Egliſes...* Nunc quædam ſpeciminis loco Archiva Ordinis noſtri in Italia, Hiſpania, Anglia, Gallia, Germania, pro inſtituti noſtri ratione in medium adducere lubet.

Deſcribitur Caſinenſe Archivum.

I. *Archivum* (o) *Caſinenſe* toto orbe celeberrimum, ac omnium totius Italiæ præſtantiſſimum habetur: ad quod unica porta laminis ferreis obductis valvis ingreſſus patet, tribúſque magnis aulis continetur, quarum quælibet longa eſt palmos quadraginta, & viginti lata, atque in earum ſingulis cœmentitii fornices, & feneſtræ ſingulis cancellis ferreis ac valvis ferro obductis tutæ. Plutei, in quibus monumenta, ſcripturæque aſſervantur, in poſtica parte fortibus, optimíſque lævigatis tabulis pineis cipreſſinis

(o) Eraſm. Gattola in Cœnob. Caſin. deſcriptione, quam Hiſtoriæ ejuſdem Aſceterii præmiſit pag. 7.

preſſinis obducuntur, nuceíſque invicem annexis. Tabulæque, quibus Scripturæ incumbunt, earúmque laterales, cipreſſinæ omnes ſunt, quo teredinũ morſus evadant: Exteriores valvæ, aliaque ornamenta ex optima nuce, atq; omne opus ordinis compoſiti. Tertiæ Aulæ adjacet cubiculũ iiſdem ornamentis elegans. In hoc Archivo ſervantur vetuſtiſſima, recentiáque Diplomata Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Regeſta membranacea, variis de rebus inſtrumenta, Protocolla Notariorum, Chronicæ Caſinenſes Leonis & Petri, aliíque Codices, & innumeræ propemodum Scripturæ autographæ. Inter Codices unus eſt Petri Diaconi cum præfatione ad Seniorectum Abbatem, cujus hortatu id operis aggreſſus eſt Petrus, accedente etiam Roberti Capuanorum Principis interpellatione totum librum in ſex dividit ſectiones pro totidem argumentis, i. e. *Privilegiis, præceptis, oblationibus, libellis, renunciis, & ſacramentis.* Antonius verò à Fractis, etiam Monachus Caſſinenſis, Sacrorum Canonum peritiſſimus, ut Jura & Bona Caſſinenſis Aſceterii, cujus erat amantiſſimus, ſarta tecta haberentur, compoſuit *Polyantheam* ſeu *Repertorium pro Archivo Caſinenſi*, in quo omnia Cœnobii Jura & Bona continentur, Alphabeti ordine diſtinctum. De ſumma verò hujus Archivi fide legendus eſt R.mus Eraſmus Gattola Cajetanus, Abbas S. Matthæi Servorum Dei, & Caſinenſis Archivi Cuſtos, qui ab ipſo illuſtriſſimi hujus Archiſterii principio Diplomata ingenti accuratione aſſervata, adeóque fide digniſſima exinde

Ejus ſumma fides.

probat, quòd ſecum ſaciat S. Rota Romana in deciſionibus factis in contradictorio judicio, atque ſententiis ad hoc latis, tum ex Bullis Gregorii xv. & Urbani VIII. atque ex eruditorum hominum teſtimoniis, quódque plura Diplomata Romanorum Pontificum ac Principum in hoc Archivo exſtent, quibus integra fides in judicando adhibita ſit, quod in eodem Archivo aſſerventur Diplomata, quibus integra ſunt Privilegia Pontificum, Principúmque inſerta, quòd nonnulli Pontifices Romani magni momenti Diplomata in Archivo Caſinenſi aſſervanda poſuerint, & quòd denique Archivum hoc ſummâ diligentiâ ſemper à Monacho maturæ ætatis, rerúmque perito cuſtoditum fuit Ipſe verò D. Eraſmus Gattola, vir Mabillonio nunquam ſatis laudatus, Archiviſtæ munus (p) diligentiſſimè & laudabiliter pluribus annis adminiſtravit ingenti rei Caſin. commodo, & utilitate; Nam omnes penè ſcripturas propriis ſedibus olim avulſas, diſtractáſque integrè admodum ac plenè reſtituit, ſuíſque locis, ordinibúſque aſſignavit.

II. *Cavenſis Monaſterii Archivum* integerrimum eſt, atq; Seculo ſuperiore optimè ordinatum per Auguſtinum Monachum, qui totum opus in quatuor volumioa diſtribuit, varia paſſim erudita documenta interſerendo cum prævia præfatione, in qua nomen ſuum Auctor modeſtiæ causâ reticuit. Manum ad ſcribendum adhibuit Camillus à Capua, loci Monachus. De ſigillo in duobus inſtrumentis Waimarii ſeu Guaimarii, Salernitani Principis, ac Monaſterii Conditoris legi poteſt Mabillonius. (q) Cavenſe.

III. *Placentiæ* (r) in Monaſterio S. Sixti *Archivum* vetuſtis & authenticis noni ac decimi Seculi Imperatorum inſtrumentis refertum, quantâ ferè nusquam locorum apud Italos copia. Sixtinum Placentiæ.

IV. Extra Urbem Ticini (s) viſitur Monaſterium S. Salvatoris, in cujns *Archivo* præter alia ſervantur libelli dotes, tum ipſius Adelaidis, à Lothario primo ejus marito conceſſæ anno DCCCCXXVIII. tum eodem anno, eisdémque verbis Bertæ Reginæ, quam Hugo Italiæ Rex in conjugem duxit. Ticinenſe S. Salvatoris.

V. *Archivum Caſaurienſis*, ſive *Piſcarienſis Abbatiæ*. Eſt autem *Piſcaria Inſula*, quæ vulgò *Sesquaire* vocitatur, in Aprutia ulteriori ad mare Adriaticum ſita, ubi Abbatia S. Clementis à Ludovico II. Imperatore anno Domini 854. condita, ſuis etiamnum ſtat decorata Privilegiis, ſed quæ amandatis hinc omnibus Monachis, qui juxta fundatoris piam voluntatem Deo laudes diu noctúque perſolvebant, uni commendatario Abbati ſubeſt, reditus cunctos ſibi nunc vindicanti. In hac Abbatia ab anno Caſaurienſe.

1169.

(p) Armell. Bibl. Caſin. part. 1. pag. 155.
(q) Ibid. pag. 118.
(r) Ibid. pag. 209.
(s) Ibid. pag. 222.

1169. Archivi Cuſtos erat *Joannes Berardus*, doctrina & pietate inſignis Monachus, ac Præpoſitus, qui ingens volumen, omnes Monaſterii continens chartas annis abhinc propè ſexcentis compoſuit, atque elegantiſimis characteribus Magiſtro Ruſtico exprimendam dedit. Hinc illud *Librum Inſtrumentorum* vocavit, quòd ex inſtrumentis Authenticis Archivi Caſinenſis, ſeu Piſarienſis Monaſterii eum compoſuerit. Cui finem his verſibus (t) impoſuit.

SANCTO CLEMENTI.

Clemens ob lumen ſcriptum tibi tolle volumen,
Hac ut Scriptura tua ſint in lumine jura:
Scriptis noſcantur, quæ ſint tua jura legantur,
Sit Liber gratus, quem ſervulus eſt operatus,
Cui tu ſis clemens, proprio de nomine Clemens.

Poſtquàm Caſaurienſe Monaſterium Abbati Commendatario traditum fuit, Archivi chartæ hinc inde diſtractæ, magnam partem in Regis Galliarum Bibliothecam illatæ fuerunt, è quibus non minimo numero collegit, ordinavit, atque in lucem edidit Lud. Ant. Muratorius Tom. II. Scriptor. Rer. Italic. præmiſſa præfat. Idem Clariſſ. Author in Hiſtoria Italiæ part. v. ad an. 874. plura Ludovici Imp. Privilegia adducit.

Ferrarienſe. VI. *Archivum Ferrarienſe* Monaſterii S. Benedicti copia prædives eſt tabularum, quæ ad celeberrimam Abbatiam Pompoſianam ſpectant, oculari teſte Em. Card. Quirino in Commentario vitæ ſuæ part. 2. l. 1. c. 1. p. 31.

Rhegienſe. VII. *Archivum Rhegienſis Monaſterii.* Ex quibus Benedictus Bachinus chartas in lucem protulit, quibus probatur, Abbati Mutinenſis Monaſterii competere jus in S. Cæſarii feudum. At hac probatione Bachinus Raynaldi, Mutinæ Ducis, animum à ſe avertit. l. c.

S. Mariæ Florentiæ. VIII. *Archivum Abbatiæ S. Mariæ Florentiæ.* Ex hoc Angelus Maria Quirinus pro Benedictino Italiæ Monaſtico multa deſcripſit monumenta, operam collocante Clerico Amanuenſe, quem ad id negotii ex patria Urbe, Venetiis, deduxerat, utiſémque admodùm expertus eſt in Cœnobiis omnibus, quæ Neapolim uſque & ultra percurrit. l. c. p. 49.

S. Severini Neapoli. IX. *Archivum Monaſterii ad S. Severinum* Neapoli veteribus monumentis locuples eſt, in quibus exſcribendis pro dicto Monaſtico plures horas contrivit QUIRINUS l. c. p. 101.

X. *Archivum Farfenſis Monaſterii*, Farfenſe. ita celebre in Italia habetur, ut non aliud ferè magis, ob inſignem veterum Diplomatum, Bullarum, & omnis generis inſtrumentorum copiam. Cùm lis de Comaclenſi Ditione inter Pontificem & Imperatorem ferveret, hoc Archivum à Fontanino & Zacagnio in Pontificiæ aulæ gratiam perluſtratum eſt. Quod deinde majori diligentia etiam fecit Angelus Maria Quirinus pro conſcribendo Italiæ Monaſtico; at quàm irrito conatu, ipſe Em. Cardinalis multis exponit in Commentario vitæ ſuæ l. c. p. 123. & ſeq. Ant. Lud. Muratorius Scripor. Rer. Italic. Tom. 2. part. 2. Antiqut. Itatic. Diſſertatione 67. Hiſtor. Ital. Part. 4. pluribus locis Vetera Documenta Farfenſis Monaſterii allegat, nec parùm ſæpe, ut Imperatorum jura contra Curiam Romanam defendat.

XI. *Archivum* Bobienſis Monaſterii S. Columbani, Bobienſe. ex quo à Palatinis Sociis deprompta, & in lucem edita fuit Tomo II. Scriptor. Rer. Italic. p. 416. *Synodus Ticinenſis* ab Epiſcopis, Regnique Proceribus celebrata pro electione ſeu confirmatione *Widonis* in Regem Italiæ.

XII. *Archivum* Parthenonis, ſeu Ticinēſe. Monaſterii Ticinenſis, quod olim S. Mariæ Theodatæ dicebatur, hodie verò *della Poſterla* vocatur, quia eò loci parva Urbis porta antiquitùs exſtincta erat. Prioris verò appellationis rationem ex Paulo Diacono l. 5. c. 37. affert Cl. Muratorius in Hiſtor. Ital. ad an. 700. ubi Monaſterium hoc inpræſentiarum adhuc maximo eſſet in flore, atque Archivum poſſidere teſtatur, quod antiquiſſimi ævi Diplomatibus, quæ diverſi Imperatores ac Reges conceſſerunt, dives ſit ac refertum. Mihi, inquit, nobiliſſimæ hæ Veſtales ea deſcribendi poteſtatem fecerunt, quæ poſtmodùm ad Sancti hujus loci honorem Antiquitatibus meis Italicis inſerta cum literato orbe comunicavi.

XIII. *Archivum Monaſterii S. Facundi* S. Facundi. in Hiſpania non minùs celebre, quàm antiquum eſt, cujus antiquitatem ac fidem ſtrenuè vindicavit ejuſdem Aſceterii Religioſus, doctiſſimus *Joſephus Perezius*, ſacrarum Linguarū in Academia Salamantina Profeſſor Ordinarius, contra *Hermenegildi* cujus-

(t) Acher. in Spicil. tom. 2. edit. nov. pag. 977.

by Google

jusdam à S. Paulo cavillationes, qui, ut Benedictinos unà cum ſacra ſua Regula ante annum 1030. Hiſpaniæ fuiſſe ignoratos probaret, omnia *San-Facundiani Archivi* Diplomata, & *Privilegia* corrupta eſſe ſtatuit. Vide Perezii Diſſertationes Eccleſiaſticas Salmanticæ anno 1688. typis vulgatas.

Cluniacenſe.

XIV. *Archivum Cluniacenſe* inter præcipua totius Regni Galliarum jure ac merito numeratur. Locatum in aquilonarii atrii turre, chartarum inſtrumenta continet ferè omnia, quæ à Monaſterii conditione confecta ſunt. Locus amplus eſt, tutus, commodus, in varia diſtributus armaria, in quibus Diplomata, cæteráque monumenta ſuis quæque claſſibus accuratè ordinata ſunt. Quæ res Illuſtriſſimi Peliſſonii curæ ac diligentiæ potiſſimùm referri debet accepta. In illis monumentis antiquiora autographa hæc potiora ſunt, nempe Chartæ Warini Comitis de comutatione Cluniaci cum Hildebaldo Epiſcopo facta, Willelmi Ducis de conſtructione Cœnobii Diploma, Rodulfi Regis de villa Cabinienſi cum integro ſigillo.

Præter ſingula inſtrumenta autographa habentur etiam varia chartarum collectanea, quale eſt Chartarium juſſu Odilonis Abbatis quinti concinnatum: in quo chartæ omnes aut ferè omnes anteà conditæ in ordinem ſub unoquoq; Abbate redactæ ſunt. Chartæ ſub præfectura Bernonis Abbatis primi confectæ habentur numero CLVI. ſub Odone CLXXXVIII. ſub Aimando CCLXXVIII. ſub Majolo DCCCLIX. Initio primæ ac ſecundæ partis duo exſtant prologi, in quorum primo Collector, jubente Odilone Abbate, id à ſe ſuſceptum commemorat: in ſecundo compendiosè exponit vitam S. Odilonis, qui *ex pago Cenomannico* ortum dicit, contrà quam alii ſubſequentes exiſtimârunt. In eodem Chartulario habetur Chronicon Cluniacenſe, quale videre eſt in Bibliothecæ Cluniacenſis col. 1617. cujus Chronici à Poſteris aucti prima manus definit poſt articulum anni MXLIX. quo ferè anno Chartarium abſolutum eſt. Secundus Liber continet inſtrumenta ſub Oddone num. DCCXX. ſub Hugone DCCXXXIX. ſub Pontio XLVIII.

At enim, quæ Archivo Cluniacenſi maximam celebritatem conciliant, ſunt Privilegia, ac Diplomata, quæ Imperatores, Reges, aliíque ſupremi Principes Romanæ Eccleſiæ conceſſerunt. (u) Hæc Papa Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi grandi membranaceo in volumine deſcribi juſſit, cui quadraginta hujuſce Concilii Patres ſua appenderunt ſigilla. Quò autem ad memoriam poſteritatis conſervarentur, in Abbatia Cluniacenſi depoſuit, quæ usque ad noſtram ætatem Privilegia illa, velut pretioſiſſimum quoddam monumentum, cujus depoſitaria eſt, magno ſtudio inviolata conſervat.

XV. *Archivum Majoris Monaſterii in Gallia.* Stephani ab an. 1253. ad an. 1284. Abbatis temporibus inſtitutum opinatur Lucas Acherius, (x) ac decretum, quatenus ad Majus Monaſterium Prioratuum, Eccleſiarum, ac locorum eidem Cœnobio ſubditorum chartæ, Privilegia, Imunitates, atque Diplomata deferrentur, velut in arce conſervanda: unde hactenus rabies Calviniſtica, licèt omnia ſusque deque vaſtaverit, illæſa permanſère.

Majoris Monaſt. in Gallia.

XVI. *Archivum Silviniacenſe.* Ganfridus Choleti ex Monacho S. Michaelis in periculo maris ad Cluniacenſes translatus decreto Martini Papæ V. Sylviniaci Prior exſpectativâ lege factus, utì totum ferè Monaſterium inſtauravit, variíſque donis locupletavit, ita etiam *Chartularium,* id eſt, (y) *Archivum decens & honeſtum, Capellæ B. Mariæ contiguum, conſtrui fecit: in quo literas ſeu chartas fundationis hujus Eccleſiæ, aliásque literas iſti Monaſterio, tam Priori & Conventui, quàm Officiis & Prioratibus ac domibus hujus Monaſterii, & ipſi Monaſterio ſubjectis pertinentes, quæ priùs in diverſis locis nimis remiſsè ac negligenter reponebantur, in unum recolligi, ac in armariis in dicto chartulario reponi, ac tutè collocari fecit.*

Silviniacenſe.

XVII. Quid jam dicam de celeberrimo *San-Dionyſiano* Archivo, unde Mabillonius in præclaro Opere de re Diplomatica Autographa magnam partem deprompſit, in ſuſpicionem verò ſubleſtæ fidei adducere non dubitavit *Bartholomæus Germonius*? Argumentum hujus præcipuum fuit, quòd

S. Dionyſii à Germonio in ſubleſtæ fidei ſuſpicionem adducitur.

(u) P. Martene Voyage Literaire pag. 228.
(x) Acher. in Not. & Obſerv. ad vit. V. Guib. Abb. Novigent. pag. 592.
(y) Mabill. in Itin. Burg. quod habetur ejus Opp. poſthum. Tom. II. pag. 21.

quòd Scriptor Anonymus ab *Andrea du Cheſne* editus, qui geſta Dagoberti Francorum Regis conſignavit, omniáque donaria, quibus Baſilicam S. Dionyſii antiqui Reges locupletârunt, ſollicitè recenſuit, adducendo ſubinde Diplomata, ſeu præcepta, quæ largitionum fidem adſtruerent, omiſerit illa, quæ Dubletus in Libro de veteribus Cœnobii San-Dionyſiani monumentis publicavit. Atqui ille non niſi quindecim Dagoberti præcepta protulit, è quibus Dubleti ætate quinque vel ſex ſaltem ſupererant, hic econtrà octodecim inſtrumenta Dagobertina, nova potiſſimùm detexit. Sed Mabillonii felicitatem adhuc magis ſtupuit Germonius, utpote qui è tot chartis Merovingicis, à Dubleto excuſis, quinque tantùm Operi ſuo diplomatico inſeruit, & tamen triginta atque unum Diplomata hujus generis ibidem coacervare potuit. Hujuſcemodi itaque mutationis, quæ Dionyſiano Archivo in melius obtigit, cauſas ſibi exponi poſtulavit, cùm de facili quidem concederet, inſtrumenta vetera ſenſim atteri, & perire potuiſſe, non verò diſpiceret, quo pacto illa indies augeri, temporumque ſucceſſione nova pullulare potuerint; tum quia ſcriniorum cuſtodiæ non nimis anxiè chartis olim invigilaverint, ſcientes quippè, longi temporis poſſeſſionem minimè controverſam, plus auctoritatis apud judices obtinere debere, quàm Diplomata ſcripta; tum denique quia illa loca, è quibus pleraque autographa deprompta, incendiis atque deprædationibus miſerrimè fuerint deformata, ut vel marmora veterum Regum monumenta iis ſuccumbere oportet, adeóque prodigii inſtar fuiſſet, ſi Archivi San-Dionyſiani Diplomata mitiorem ſortem inveniſſent.

Germonii argumenta refelluntur.

Reſpondit Mabillonius (z) inter tot Galliæ Archiva, quæ ſingulari cum cura cuſtodita ait, nullum integrius perſeverâſſe, quàm Dionyſianum. Factum hoc ſi quis forſitan in dubium trahere præſumeret, illum ad allata Diplomata oculos, at peritos, nullóque præjudicio affectos convertere juſſit. Negavit inſuper regalis hujus Monaſterii Archivum à Nortmannis incendio conſumtum, aut membranis ab hoſtibus exſpoliatum, qui gazis unicè inhiabant. Dagobertinæ vitæ Scriptorem non omnia enarrare voluiſſe donaria, ſed conſultò plurima prætermiſiſſe ob faſtidientium Lectorum tœdium. Dubletum contra vel delectum fuiſſe inſtrumentorum illuſtrandæ S. Dionyſii Baſilicæ inſervientium, vel in unum alterúmve Chartularium incidiſſe, vel authentica ipſa legere non valuiſſe putavit. Eum ſanè calumniæ reum ſtatuit, qui poſt Dubletum noviter detecta ulla ratione conficta ſuſpicetur.

Vindiciæ Juſti Fontanini pro Archivo San-Dionyſiano.

V.C. *Juſtus Fontaninus*, ubi in Vindiciis antiquorum Diplomatum adverſùs Bartholomæum Germonium de hujus Anonymi San-Dionyſiani ætate ſermonem inſtituit, cum Hilduino Abbate, qui ſub Ludovico Pio floruit paullò ſeniorem facit, ſimúlque ſupinam ejus oſcitantiam, crebráſque hallucinationes propalat, ut Germonium fruſtra eſſe indigitet, qui dum Anonymum hunc multa Diplomata Dagobertina, à Dubleto & Mabillonio demùm vulgata, prætermiſiſſe jactat, ideò nullum iſtorum in Archivo Dionyſiano illius ætate extitiſſe, nimis præcipitanter affirmat. Sic tora die accidere, ut viri graves magno ſæpè numero moliantur opera, Poſteris tamen largam ſpicas legendi materiam relinquant.

Archiva Ord. Ben. in Lotharingia magis celebria.

Theodericus Ruinartus in deſcriptione Itineris ſui Literarii, quod cum Mabillonio, Magiſtro ſuo, in Alſatiam & Lotharingiam inſtituit, varia celebrat Archiva, v. g. *Virdunenſis Monaſterii*, ex quibus complures chartas deſcripſit. *Monaſterii S. Michaëlis ad Moſam* Archiva compluribus chartis & inſtrumentis, etiam autographis antiquis referta ſunt. Ex his eſt Wulſandi Fundatoris teſtamentum, literis Merovingicis, præ vetuſtate oculorum aciem ferè effugientibus ſcriptum. Hæc omnia non ſolùm viſere, ſed etiam, cùm Ruinarto neceſſaria fuerunt, deſcribere licuit, ſubminiſtraris etiam in opem Scribis, qui eum adjuvarent. *Monaſterii Gregoriani* in Alſatia Archivum multis præclaris Diplomatibus autographis ditatum eſt. In *Monaſterii Murbacenſis* Archivo magna Diplomatum copia aſſervatur, quemadmodùm etiam in Monaſterii S. Manſueti apud Tullum Archivis præclaræ chartæ habentur. In *Monaſterii S. Arnulphi Mettenſis* Archivo complura ſunt Pontificum & Regum Diplomata autographa.

XVIII.

(z) vid. Act. Erud. Lipſ. menſ. Aug. an. 1706.

Corbeienſe ſummè ab Heineccio laudatur.

XVIII. *De Archivo Corbeiæ Novæ*, celeberrimi atque illuſtriſſimi totius Saxoniæ Monaſterii, audiendus eſt V. J. Joan. Michaël Heineccius (a). Is cùm præclarum ſuum Opus de veteribus Germanorum Sigillis ſub manu haberet, Archiva locupletiora ſibi perluſtranda, & ſigilla ectypa inde ſumenda exiſtimavit. Quod inſtitutum tam feliciter, inquit, mihi ceſſit, ut Goslarienſis, & Quedlinburgenſis præpoſituræ, & alia variorum Cœnobiorum tabularia magnum mihi ſigillorum præſtantiorum numerum ſuppeditarent. Quum tamen nullius, quod poſſidebam, ſigilli ætas Seculum XI. tranſcenderet, tantùm abeſt, ut hîc acquieſcendum mihi crediderim, ut potiùs & antiquiora quæſiverim diligenter. Reſtrinxit demùm hanc ſitim meam inclytum & Imperiale Cœnobium Corbeienſe, cujus Illuſtriſſ. & R.mus Abbas, Dn. Florentius, S.R.I. Princeps, aditum mihi ad Archivum ſuum gratioſiſſimè conceſſit. Hem, quantam hîc vetuſtiſſimorum Diplomatum, quantàm ſigillorum elegantiſſimorũ, quantam rerum aliarum præſtantiſſimarum copiam vidi! Non erraverim ſanè, ſi locupletiſſimum hoc antiquitatum Germanicarum Sacrarium dixero. Cui elogio calculum ſuum noviſſimè adjecit V. C. *Daniel Eberhardus Baringius* hiſce verbis: „ *Diplomata* Corbeienſia maximam partem adbuc latent, & pauca ſunt, quæ Lezner, Schatten & Paulini ediderunt, nec Martene omnia vidit: ipſe per tres dies tabularium Corbeienſe perluſtravi: ſuperbit ſanè ſerie Diplomatum Germ. Imperatorum. „ Hæc ille ocularis teſtis *Diſſert. de Hiſtoricis, qui Diplomata exhibent pag.* 64. Rem proinde glorioſo nomine ſuo dignam & Reipublicæ literariæ gratiſſimam præſtitit R.mus ac Celſiſſ. Princeps GASPARUS, dum *Codicem Traditionum Corbeienſium* accurante *Joanne Friderico Falcke* è latebris in lucem edi curavit *Lipſiæ & Guelpherbyti* apud *Joan. Chriſtoph. Meiſnerum* A. 1752. in fol. cum fig. æri affabrè inciſis. Eo in Opere antiquiſſimus Germaniæ, inprimis autem Saxoniæ ſtatus à *Carolo M.* usque ad *Conradum II.* Imp. necnon multarum familiarum illuſtrium origenes exhibentur &c.

Stabulenſe.

XIX. *Archivum Imperialis Monaſterii Stabulenſis*, cujus Abbas illuſtri S. R. I. Principis titulo inſignitur, antiquis chartis ac Diplomatibus prædives eſt, quorum veritatem & authenticam temerè impugnavit D. *Ignatius Rodericus*, è Societate Jeſu, in qua aliquot annos deguit egreſſus. *Cujus cùm Opus evolviſſem*, inquit P. Edmundus Martene, *& malam ejus fidem, Auctorum depravationem, & inſcitiam infinitis in locis redarguiſſem ſingulari Opuſculo*, cui Titulum dedi: *Imperialis Monaſterii Stabulenſis jura propugnata.* Malmudarienſes, *quorum ille cauſam ſuſceperat, æternis ſcriptum ejus tenebris damnaverunt; ſed & ipſe judicis civilis ſententia, ea, quæ de Stabulenſi Monaſterio effutierat, juſſus ignominiosè ex toto revocare, addita & pecuniaria mulcta; quam contumeliam ut declinaret utcunque, ad Cæſarem provocando, continuò fugit Coloniam, ubi ad concupitas nuptias convolavit; ductâ cujusdam typographi viduâ.* At verò ab hac criminatione D. *Rodericius* editâ in lucem Apologiâ ſe vindicavit.

Ejus fides & integritas defenditur.

Si quis verò nôſſe penitiùs deſideret, quænam controverſia Stabulenſes inter ac Malmudarienſes agitetur, cardo illius in eo potiſſimùm verſatur, quòd poſt S. Remaclum Abbates Monaſterii Stabulenſis etiam Malmudarienſi præfuerint. Quæ res inter utriusque Cœnobii Fratres multarum de primatu rixarum ſeges ac materia ſubſecutis Seculis diu fuit. Hanc hujusmodi litem dirimere meum non eſt: illud tamen commemorare licet, omnia Privilegiorum utrique Monaſterio conceſſorum inſtrumenta non in Malmudarienſi, ſed in Stabulenſi Archivo tanquam in principe aſſervari: quam quidem rationem in gratiam Stabulenſium affert Fridericus, Archiepiſcopus Colonienſis in Diplomate, quod P. Martene Tom. II. Collect. Ampl. refert, ubi hæc inter alia: *Ad hoc etiam accedit, quòd omnia Privilegia tam banni leugæ, quàm electionis Abbatum, & quæ de jure Advocati agunt, quæ ab Imperatoribus & Regibus eisdem locis multa collata ſunt, & eadem ab Apoſtolicis Gregorio V. & Leone IX. Apoſtolica Authoritate roborata, quibus jus ſuum utraque Eccleſia tuetur, apud Stabulam recondita ſunt, in quibus illa Stabulenſis Eccleſiæ præeminet dignitas.* Cæterùm præ Stabulenſi Archivo, inquit Cl. Martene, in tota, quàm latè patet, Gallia vix reperies inſtrumentorum copiâ aut nobilitate præſtantius.

(a) *Præf. ad Lect.*

Benedicto-Buranum.

XX. In Bavaria *Archivum Benedicto-Buranum* multa præclara continet (b), im̃ortalibus Præfecti ſui *Caroli Meickelbeck*, Hiſtoriæ Friſingeoſis noſtrâ ætate Conditoris celeberrimi, laboribus ſcitiſſimè ordinatũ. Inter alia legitur etiam Diploma Rudolphi I. Imp. quô Ortolſum Abbatem Buranum cum Succeſſoribus Sacri Romani Imperii Principem creat. Sed hoc integrum iovenies Theſauri Peziani Anecdotorum Tom. III. Part. III. inter Monumenta vetera Benedicto-Burana, inter quæ itidem ampliſſimam præſtantiorum hujus loci Codicum recenſionem reperies Collectoris illuſtratam notis. Sed præſtat evolvere loci Chronicon recens editum Tom. II. in folio.

Memoriale Diploma Rudolphi I.

Attilenſe.

XXI. *Archivi in Attilenſi Monaſterio* mentionem facit Cl. Bern. Pezins in Itinere ſuo Literario, quod an. 1717. in Bojoariam inſtituit: aſſervatur in eo *Codex Traditionum*, ſeu Diplomatum, Donationum, Concambiorum, Privilegiorum, eo nomine magni faciendus, quòd non ſummaria quædam & epitomas veterum ejusmodi inſtrumentorum, ut in pluribus aliorum Monaſteriorum Codicibus traditionum uſuvenit, ſed integras & ad autographorum fidem exactas propinet. Conſcriptus fuit Seculo XV.

Sant-Maximinum Treviris

XXII. *Archivum S. Maximini apud Treviros* quàm pretioſo veterum omnis generis monumentorum theſauro abundet, conſpici datur ex *Zylleſii* celeberrimo Tractatu pro defenſione Abbatiæ S. Maximini. Sigilla, quæ in eo reperiuntur, *Heineccius* id rerum peritiſſimus, in ſuum de Sigillis Librum inſeruit. Diplomata Lunigius in *Archivum Imperiale*, omiſſa tamen Monaſterii defenſione, conſtipavit.

Magnæ eſt celebritatis.

S. Martini Coloniæ.

XXIII. *Archivum S. Martini Maj. Coloniæ* cumprimis illuſtrant Archiepiſcoporum Colonienſium *Brunonis Evergeri*, *Heriberti*, *Annonis*, *Sigewini*, necnon *Adriani Papæ V.* & aliorum Diplomata, quæ ſummo labore nec minori induſtriâ in unnm collegit, & ſuo Chronico Sant-Martiniano inſeruit R. P. *Oliverius Legipont*, ejus loci ſubinde Prior de rebus ſni Monaſterii optimè meritus. Varia tamen fata deinde ſubiit ſupellex Diplomatica ſub *Adriano Valck* fœdum in morem diſperſa & neglecta.

Diſibodibergenſe.

XXIV. *Diſibodibergenſe* vetuſtiſſimum ac omnium, ut creditur, primum O. S. B. in Germania Monaſterium Diœceſis Moguntinæ, ad confluentes Glani & Navæ fluviorum in Spanheimenſi Comitatu ſitum, circa A. 545. vel ut aliis placet 674. erectum, copioſiſſimo pridem ſuperbüſſe chartulario, teſtatur *Chriſtianus Johannis*, qui nuper *Diplomatarium Diſibodibergenſe* juris fecit publici. Ampliorem verò hujus celeberrimi olim Archiſterii notitiam dedit Clar. *P. Oliverius Legipont* ejus loci Præfectus, in *Monaſtico Moguntiaco* Pragæ typis *Julii Gerzabeck* an. 1745. vulgato...

Spanheimenſe.

XXV. *Archivum Monaſterii Spanheimenſis* à proprio ſuo Abbate maximum accepit damnum. Erat is Gobelinns, Monachus S. Diſibodi Ord. Ciſterc. in Abbatẽ verò Spanheimenſem favore ſeu potiùs authoritate Johannis ultimi Comitis de Spanheim, cui à ſecretis fuerat, electus anoo 1431. Duobus poſt annis ex Archivo omnia Privilegia, literas, & monumenta libertatis hujus Monaſterii, citra Conventûs voluntatem, clam abſtulit, ſecúmque in Trauerbach juxta Moſellam ad Curiam Comitis Spanheimenſis, ubi reſidere ſolebat, deportavit, ex quibus plurima ingenti hujus Cœnobii damno perierunt. Nec multis annis expilator ſupervixit. *Vide Trithemii Chron. Spanheim.*

Hirsfeldenſe olim illuſtre

XXVI. *Archivum Monaſterii Hirsfeldenſis.* Regiæ hujus Abbatiæ tabularium olim cùm Pontificüs, tum Cæſaris Privilegiis, Bollis, ac Diplomatibus refertiſſimum erat, quæ verò collapsâ diſciplioâ regulari unà cum ſtudio literarum quàm indignum in modum aſſervata fuerint, ex iis diſcere liceat, quæ *Jo. Trithem.* in Chronico Hirſaugienſi ad annum MDXIII. memoriæ prodidit. „ Anoo, *inquit*, „ Dominicæ Nativitatis præootato „ *Volpertus* Abbas Regalis Monaſterii Hirsfeldenſis, noſtri Ordinis in „ Diœceſi Moguntina, quod *S. Lullus*, Archiepiſcopus Ecelesiæ Moguntinæ ſecundus, Beati Bonifacii „ Succeſſor, olim fundavit tempore „ Caroli Magni, paupertate & inopia „ preſſus, ſimul & indignatione oppidanorum Hirsfeldiæ motus, Abbatiam in manus Romani Pontificis „ Leonis X. reſignavit; ut ferunt, de „ Fra-

(b) Pez. Diſſert. Iſag. in Theſ. Anecd. Tom. I. pag. 17. & Alphonſus Heydenfeld in Meichelbeckii vita Chronico Bened. Bur. præmiſſa num. XI. & XII.

„ Fratrum ſuorum conſenſu, & for-
„ ſitan ad perſuaſionem quorundam,
„ qui Ordinis profectum non quære-
„ bant. Nec dubium eſt mihi, jam
„ ſeriò pœnituit, qui ceſſione ſua in
„ triſtitiam alios mittere cogitavit.
„ Quidquid enim Deus non planta-
„ verit, in fine benedictionis fructu
„ carebit.

Hartmannus ex Burggraviis de Kirchberg, Abbas Monaſterii Fuldenſis, mediante Cæſare *Maximiliano*, ut ferunt, à Papa literas obtinuit, quòd titulum Abbatialem dicti Monaſterii Hirsfeldenſis extinquendum conſenſit, & ipſum locum Cœnobio Fuldenſi conjunxit, univit, & incorporavit. Unde idem Abbas Fuldenſis nonâ die menſis Septembris, anno præſignato, Decanum ſuum, Præpoſitum quoque Montis S. Joannis, & Cancellarium ſuum certis cum aliis Monachis & Equitibus miſit ad Monaſterium Hirsfeldenſe, oppidanis, quid ageretur, neſcientibus. Cúmque miſſi veniſſent ad Cœnobium, Monachos in unum convocant, Decanum antiquum deponunt, novum ex Conventu Fuldenſi conſtituunt, qui vice Domini ſui Abbatis & Monaſterium in poſſeſſionem, & Monachos ad obedientiam ſuſcepit, quibus peractis ad Fuldam redierunt.

Decimâ verò die menſis Septembris anno præſcripto, Fuldenſis Abbas ſæpè dictus, cum aliquot Equitibus per ſe venit ad Caſtellum extra Hirsfeldiam, quod Quercum nuncupant, in quo Abbas Hirsfeldenſis reſidentiam ſuam habere conſuevit; quo in poſſeſſionem ſuſcepto, familiam & quosdam in circuitu villanos in ſuam jurare fidem perſuaſit. Deinde nuntium miſit in oppidum requirens ab incolis ſimile fidelitatis juramentum. At illi nuntium ſine reſponſo rejicientes, portas oppidi poſt eum clauſerunt, apponentes cuſtodiam, ne cui Fuldenſium de cætero pateret ingreſſus. Per multos dies & noctes oppidani muros cuſtodierunt & portas, & nullâ poterant ratione perſuaderi, ut qui Abbatem & Dominum eatenus ſemper habuerunt proprium, nunc Fuldenſem ſuſciperent alienum. Laborat contra eos apud Cæſarem Abbas Fuldenſis, ſed quid obtinuerit in negotio, necdum ſcire potûimus. Prô pudor! quòd nobilis illa Regalis Abbatia per inutilem, ne dicam, inſipientiſſimum Abbatem, quæ tot annis cum principatu floruit in gloria, datur in opprobrium, & in deſolationem perpetuam. Eſſet meo judicio dignus, qui & ipſe perpetuo in carcere cum ſuis Monachis puniretur. Cauſam breviter ſubjiciam. Primæ conſiderationis eſt ratio, quòd Regularis vitæ transgreſſores tam petulanter, tam improbè, & malè vixerunt à multis annis, quòd Monaſterium quondam ditiſſimum in ultimam paupertatem deduxerunt. Deinde ut ſciat poſteritas, quàm juſtè omnis vir bonus talium Abbatum & Monachorum deteſtetur veſaniam. *Quando Abbas Fuldenſis Caſtellum Eich, ut diximus, in poſſeſſionem accepit, Privilegiorum Monaſterii literas quàm plures reperit, in ſtraminibus ante canes projectas, quas partim integras, partim laceratas à canibus juſſit recolligi, & ciſtam plenam deportari in Fuldam. Triginta ſunt tranſacti temporis anni, quando Hirsfeldenſis Monaſterii Bibliotheca & multis & pretioſis adhuc erat voluminibus decorata, ſicuti ex mihi tunc exhibito indice cognovi, quorum hodie pauciſſimi reperiuntur.* Nempe ubi regularis decreſcit diſciplina, ibi nullus viget literarum cultus, cum harum verò neglectu plerumque etiam pereunt & Bibliothecæ & Archiva.

Archivū à malis Monachis peſſimè habitum.

XXVII. *Archivum Monaſterii S. Michaëlis Bambergæ.* Vir illuſtris Joannes Petrus de Ludewig (c) non ipſe tantùm inſpexit, ſed etiam multùm ſuſpexit. „ Omnino, inquit, Poſte-
„ ris meretur commendari, aliíſque
„ præſentibus in exemplum proponi
„ Abbatis, qui nunc vivit, laudabi-
„ le & utile inſtitutum in cura ſacra
„ tabularii. Licèt enim bella & in-
„ cendia multoties paſſum fuerit Ar-
„ chivum: Literarii tamen inferioris
„ ævi theſauri manus effugerunt ra-
„ paces prædonum, & furunculorum.
„ Quare magna veterrimorum Diplo-
„ matum ibi copia & abundantia ad-
„ huc. Cùm verò non cujusvis ſit,
„ ejus generis monumenta legere ſine
„ impeditione, lateántque ideò plu-
„ rima jura, quæ ætatis paulò magis
„ remotæ, obſignata veluti & occlu-
„ ſa: non ſolùm publicis impenſis
„ omnia nuper deſcripta ſunt nitidè
„ elegantérque: ſed etiam relata in
„ majoris formæ Libros plures: imò,
„ pro varietate argumentorum dige-
„ ſta ac diſpoſita in ordinem, ut
„ pretium habeant omninò pulcher-
rimi

S. Michaëlis Bambergæ laudatur à Ludewigio.

(c) Præf. ad Script. Rer. Bamberg. §. XIII.

„rimi rerum divinarum humanarúm„que inſtrumenti. Nunc enim Cæ„ſaris adparent in illis *Codicilli*: nunc „*Bullæ Papales*: nunc *Literæ* ſacrorũ „Antiſtitum domi ac foris: nunc *Re„gum ac Principum* Epiſtolæ: nunc „*Formulæ* rerum juriúmque multipli„cis ævi & argumenti. Fac tamen, „ita conſultum eſſe juribus ac rebus „Cœnobii, in votis certè ponen„dum illud, ut ſelectu facto, mo„mentoſa magis publicam videant „lucem, proſintque literariæ Reipub„licæ, præſertim in Germania. Ac„cedit, quod ita quoque major cœ„nobio celebritas & fama obtingat, „quam illius opes, & amplitudo, re„liquiæ, inſtituta, vetuſtas, cætera om„nia mereri videntur. Noſtram illis o„peram ea in re offerimus, imò ad e„dendum ac promulgandum omni „ſtudio illos excitamus, & noſtris „precibus impellimus, ac rogamus. „Hæc illuſt. Ludewigius. Ampliſſimi verò hujus Cœnobii Diplomata xxx. illud ſpectantia juris publici fecit V. J. Joan. Fridericus Schannat in Collectione prima Vindemiæ Literariæ. Lipſiæ an. 1733. pag. 41-500.

Mellicenſe in Auſtria Inſtrumentis refertiſſimum.

XXVIII. *Archivum Mellicenſe* in inferiore Auſtria omni Veterum monumentorum genere ac copia affluere certiſſimo argumento eſt *Auſtria ex Archivis Mellicenſibus illuſtrata.* Eximii hujus Operis Auctor eſt Cl. Philibertus Hueber Mellicenſis, qui, cùm per triginta ipſos annos Superiorum juſſu in Monaſterii excutiendis, ordinandis, digerendíſque Archivis verſatus eſſet. Quotidie ampliùs & clariùs perſpexit, accuratum, diligentem conſtantémque veterum originariarum chartarum, Diplomatum, aliorúmque antiquorum monumentorum tractationem non ſolùm ſtabiliendis privatis Eccleſiarum juribus maximè neceſſariam & opportuniſſimam eſſe, verùm etiam ampliſſima luce univerſam Hiſtoriam, maximè patriam, perfundere, Genealogias Principum, & illuſtrium virorum nomina reſtituere; Oppida, fluvios, & nobiles olim, ſed lapſu temporum velut intermortuas diverſorum locorum memorias reſuſcitare, aliáque plurima in Rempublicam Literariam commoda inferre, quæ poſt eruditum Mabillonium, Eccardum, Ludewigium, alióſque doctiſſimos viros operoſiùs hîc recenſere non vacat. Itaque cùm hactenus privato Monaſterii ſui commodo duntaxat laboraſſet, omniáque vetera inſtrumenta Archivorum Mellicenſium in plura majoris formæ ac molis volumina contuliſſet, cœpit cogitare de condendo aliquo Opere, quô tot exantlati ſudores in communem etiam totius Provinciæ Auſtriacæ uſum derivarentur. Fecit, elaboravit, ac in lucem brevì poſt emiſit Opus in tres libros diſtributum. Continet id Romanorum Pontificum, & aliarum Nobiliſſimarum Sedium Antiſtitum Diplomata, & Bullas, quibus Eccleſiam Mellicenſem ad maximum ſplendorem provexerunt. Exhibet præterea Auſtriacorum, Marchionum, Ducum, Archi-Ducum, Regum, ac Imperatorum authenticas literas & Decreta, quibus Mellicenſis Monaſterii poſſeſſiones vel fundant, vel cumulant, vel aſſerunt, ac defendunt. Repræſentantur, recenſentúrque hîc Nobiliſſimárum Auſtriæ Familiarum Nomina & Inſignia, ex quibus ſingularum longiſſima ætas, antiqua diverſorum ab iis geſtorum in Auſtria munerum gloria, Avitáque quàm plurima ſtirpium ſuarum decora demonſtrari, & illuſtrari poſſunt.

Atque hoc modo inclytum Mellicenſe Monaſterium, recluſis primùm Tabulariis ſuis, exemplum aliis Monaſteriis idem actitandi præbuit, réque oſtendit, longè certiora, liquidioráque eſſe monaſteriorum jura, quàm ut ſcrupuloſa veterum inſtrumentorum diſſimulatione, ac occultatione defendi neceſſe habeant.

Lunæ Lacenſe.

XXIX. *Archivum Lunælacenſe* in ſuperiore Auſtria, uti hoc celeberrimum Monaſterium, anno 748. fundatum, paucis antiqui ævi cedit gloria, ita Archivi præſtantia pleríſque in terris, Auſtriacis palmam præripit. Potiores Chartas, Inſtrumenta, & Documenta magno publicæ & literariæ rei bono exhibet Chronicon Lunælacenſe anno 1748. in 4. typis vulgatum. In Bibliotheca verò habetur, Liber Mſ.tus Traditionum, Donationum, & Privilegiorum, quotquot à fundatione Monaſterii in Monſee factæ ſunt & conceſſæ. Vid. Catal. Bibl. pag. 391.

Admontenſe.

XXX. *Archivum Admontenſis in Styria Monaſterii* non tam à rerum copia & opulentia, quàm ſuorum Cœnobitarum virtute, pietate & doctrina verè inclyti. Quàm illud à Bullis, Diplomatibus, Privilegiis, aliiſ-

que

Google

que Inſtrumentis non vacuum & inane ſit, teſtatur Codex Diplomaticus à Bernardo Pezio vulgatus Theſauri Anecdotorum Noviſſimi Tomo III. Part. pag. 659 - 807. Diplomata CLVIII.

Prumienſe.

XXXI. *Archivum Monaſterii Prumienſis*, S. R. I. Principatus, inter præcipua Ordinis Benedicti Monaſteria in Germania jure numerari, nemo iverit inficias, qui Defenſionem ejusdem Principatus contra prætenſam cum Archiepiſcopatu Trevirenſi unionem, actu à pluribus jam annis attentatam, à R. D. P. Coſma Knauf. Prumienſi Ampliſſimo juxtà ac Doctiſſimo Priore anno 1716. publici juris factam legerit, in qua adductis vetuſtiſſimis monumentis & Privilegiis libertatem Monaſterii in clariſſima luce conſtituit. *Vid. Hontheimii Hiſt. Diplom. Trevir.*

Campidonenſe.

XXXII. *Archivum Campidonenſe* vel à ſolo *Caroli Magni* Diplomate, quo fundationem Monaſterii ab *Hildegarde* Conjuge anno 773. factam confirmavit, celebre habetur. Hoc Diploma Abbas & Princeps *Wolffgangus à Grienenſtein* Sebaſtiano Münſtero monſtravit, atque eum eo communicavit, qui illud Coſmographiæ ſuæ intexuit, ex qua illud *Cruſius*, & alii plures transſcripſerunt. Sunt verò, qui de illius authentiâ addubitent, his ferè adducti rationibus;

Caroli M. Diploma in dubiū revocatur.

primò quòd in eo Carolus *Imperatorem Auguſtum* ſe nominet, qui per id tempus nondum fuit (d). Epiſcopus *Chrodegangus* Metis jam an. 766. inter vivos eſſe deſierat, & tamen inter deprecatores in hoc legitur Privilegio. Quòd Regina Hildegardis in Eccleſia Monaſterii Campidonenſis primitùs haud ſepulta fuerit, res certa eſt. Inter Caroli Magni Cancellarios id temporis nullus *Lupertus* ceu Archicancellarius, nec *Amalbertus*, ùt Cancellarius reperitur, ſed Archicancellarius vocabatur *Hitherius*, ejúſque Notarii erant *Rado*, *Wigbaldus*, *Gilbertus*, & *Optatus*, uti ex aliorum Diplomatum collatione perſpicuum fit. Illud etiam extra controverſiam eſt, quòd Carolus Imp. in ejuscemodi ordinariis Diplomatibus nullam Chronicam notam à nato Chriſto appoſuerit; multóque magis dubio vacat, quòd annus Chriſtianæ æræ 773. primus annus ejus Imperii minimè fuerit, quod tamen Campidonenſe Privilegium in *Dato* perhibet. Ob has aliáſque rationes *Daniel Papebrochius* & *Erneſtus Tenzelius* hoc Privilegium pro falſo & ſuppoſititio habent. Nihilominus Papebrochius hæc non contemnenda ſubjicit verba: *Nos iſtiusmodi ſuppoſitionibus jam aſſueti, quia intelligimus mente non malâ factas, ad avertenda injuſtiſſima damna, imminentia poſſeſſionibus, reſcripti regii munimine deſtitutis; non tantùm auctoribus ignoſcimus facilè; ſed etiam gratiam debemus aliquam, quatenus nobis ſunt teſtes receptarum, & eatenus continuatarum opinionum, quibus licèt multum ſcoriæ permixtum ſit, ſubeſt tamen plerumque aliquid purioris metalli, quod non totum abiici mereatur.*

Papebrochii de eo judicium.

Mihi cum V. C. *Joanne David Kohlero* (e) nullum dubium eſt, quin Principalis Abbatia Campidonenſis ab Imperatrice *Hildegarde* fundata & à CAROLO M. Privilegio confirmationis donata, & ab eadem Sancta Imperatrice in locum ſepulturæ ſuæ delecta, & quin progreſſu temporis revera eò loci ſepulta fuerit. Fundationis ſiquidem Traditio eſt longè antiquiſſima, cui nemo unquam refragatus eſt. Campidona nullo non tempore ceu Principalis Abbatia maximâ nominis celebritate & authoritate apud omnes floruit; atque de ipſa, ſicut de Herbipoli dici conſuevit: *Campidona ſola judicat enſe ſtola.*

Abbatiæ antiquitas,

Abbas ab antiquiſſimo ævo inter quatuor Cæſarei throni Abbates numeratus fuit. Duces Bavariæ, & Duces Saxoniæ hæreditarios Officiales nactus eſt ad inſtar Epiſcopi Bambergenſis; quod certè non infima dignitas eſt, decus & ornamentum, quo non alia Imperii Eccleſia gloriari poteſt. Tametſi Monaſterium, ab Hunnis penitus everſum, devaſtatum, & per alias temporum ac hoſtium injuriam ſuis vetuſtiſſimis Documentis & Diplomatibus ſpoliatum fuerit, ac ſubinde horum major copia inter tumultus illos atque civilia bella, quæ Seculum XVI. præ reliquis

& prærogativæ.

(d) Verùm non erat profectò, cur cenſor iſte tantoperè adverſum reclamaret: ſi enim in legendis & evolvendis veterum rerum Scriptoribus quandoque fuiſſet attentior, obſervâſſet haud dubiè, uti Imperatoribus *Regis* nomen, ſic *Imperatoris* Regibus plus ſemel tribui: Notat id Cl. Schannat in Archivo Puldenſi vindicato pag. 12.

(e) Münz-Beluſtigung Part. 2. pag. 204.

quis agitârunt, perierit. Iis tamen non obſtantibus adſervat hodiedùm, non ſine ſingulari quodam Dei beneficio, chartas cumplures authenticas, & primaria inſtrumenta tam ad rem ſacram, quàm profanam ac politicam ſpectantia, quæ pulchrè inter ſe ordinata ac per forulos diſtributa, inſignem rerum retro actarum notitiam ſuppeditant, ac etiam jurium & prærogativarum, quibus Campidona ſuperbit, ſeriem oſtendant. Unde facile in lucem protrabi poſſent, modo eſſet, qui ea ex ſitu & ſquallore eruendi operam ſumeret, atque ab eorum hominum impetigine, *qui quod ignis, Barbari, ac tempus edax intactum reliquit, nunc quaſi conſpiratione factâ, perdere aut pervertere moliuntur* (f) fortiter & eruditè vindicaret.

Codex Diplomaticus. Continet verò hoc chartophylacium præter autograpba quàm plurima, Codicem Seculi, ut videtur, undecimi, in quo conſignata ſunt Bullarum & Diplomatum quorundam apographia hoc Ordine:.

1. Bulla *Adriani* Papæ, qua Campidonenſi Monaſterio tradit Corpora SS. Gordiani & Epimachi, atque ſub anathemate prohibet ejus bona diripi. (A. 773.)

2. *Caroli M.* præceptum, quo *Andegarium* Abbatem inveſtit, liberam Abbatis electionem indulget, primævam fundationem, aliaque Privilegia Campidonenſibus confirmat... (A. 773.) Extat in *Francifci Petri* Sueviâ Eccl. pag. 227. & apud alios ſupra citatos.

3. *Carolus M.* concedit *Andegario* Abbati & Conventui facultatem ſibi pro lubitu eligendi Advocatum. (A. 773.)

4. *Henricus* Rex confirmat libertatem eligendi Abbatem &c. --(A. 928.

5. *Ludovicus Pius* concedit Privilegium eligendi Abbatem. Anno regni 26. æræ vulgaris 836. ſub *Tattone* Abb. *Extat hæc charta in Mabillonii Analector. Tom. IV. pag.* 469.

6. *Ludovicus* Rex confirmat idem Privilegium, anno regni 30. Chriſti 840. vel 839.

7. *Otto I.* Imp. confirmat idem Privileginm liberæ electionis. A. 939.

8. *Otto II.* idem laudat ſub Abbate *Rudolpho* circa A. 983. *Hoc Diploma edidit* Mabillonius *cit. loc pag.* 471.

9. *Otto III.* easdem prærogativas corroborat ſub eodem *Rudolpho*. an. 993. apud Mabillonium pag. 473.

10. HENRICUS IV. Otteno Abbati tribuit & confirmat regalia A. 1062. Extat apud eundem Tom. IV. p. 275.

11. *Henricus IV.* Decretum ſancit contra diſſipationem bonorum;& *Conradi Salici* ac *Henrici Nigri* Patris decreta confirmat ſub *Adelberto* (g) Abbate an. regni 20. Chr. 1076.

12. *Ludovicus Pius* Campidonenſibus confirmat Privilegium *Caroli M.* circa deſenſionem & immunitatem Monaſterii. Anno Imperii I. æræ vulg. 814.

13. Idem Imperator Campidonenſe Monaſterium in ſuam protectionem recipit, ſub *Tattone* Abbate A. Imp. 20. Chr. 834.

14. Ipſus quoque eximit Campidonenſe Monaſterium ab exſtructione pontium & aliorum ædificiorum publicorum, necnon ab expeditionibus bellicis ſub *Tattone* Abb. A. Imp. 21. Chr. 835.

15. *Ludovicus Pius* donat Campidonenſibus & *Tattoni* Abbati cellam in *Stettwang* anno Imperii 18. æræ vulgaris 832.

16. Idem donat eidem Abbati & Conventui cellam *Aldricicel* in Algoia; Abbas verò concedit *Ratulfo* dictam cellam poſſidenti Beneficium in pago *Kettenſtein*, in loco *Hrodoldisbofen*, & cellam in *Herliscell.* ad dies vitæ. an. Imp. 26. Cbr. 840. vel 839. Extat Diploma in Mabillonii Analectorum Tomo IV. pag. 470.

17. *Ludovicus* Rex concedit *Tattoni* Abbati, ut ſingulis annis ſex carras ſalis Halâ ſine vectigali Campidonam abducere queat, anno regni 4. æræ vulg. 817.

18. Idem *Ludovicus Rex* concedit *Erchanberto* (b) Friſingenſi Epiſcopo, & Abbati Campidonenſi ſingulis annis tres naves ſalis abſque telonio... A. regni 26. Chr. 840. vel 839.

19. *Arnolphus* ſeu *Arnulphus* Rex concedit *Waldoni* Epiſcopo Friſingenſi Abbati Campidonenſi, ut ſingulis annis ſex carras ad accipiendum ſalem dirigere Halam poſſit abſque telonio, portatico, pontico &c. A. 889..

20. *Otto II.* Imp. indulget *Giſelfrido* Abbati & Conventui Campidonenſi Privilegium, abducendi vinum ex

(f) Mabillon. in Suppl. ad rem. Dipl. cap. 2.
(g) Ejus nominis Abbas nullus extat ex tempore in Catalogo *Franciſci Petri.*
(h) Franciſco Petro dicitur *Adalbertus*...

ex Comitatibus *Lobintungeuve, Creixbeve*, & *Cartkeuve* absque telonio in in ſuum monaſterium. A. 973.

21. *Ludovicus Pius* donat Monaſterio Campidonenſi decimam partem tributorum & proventuum ex Comitatibus *Ottonis* in *Bertoldesbara* ſub Abbate *Tattone*, Imperii anno 18. Chr. 832.

22. Item Ludovicus Imperator confirmat Contractum inter *Tattonem* Abbatem Campidon. & *Waningum* Comitem, quo Abbas Comiti ceſſit omnia jura in *Plezza*, *Pazinbova*, *Hoorwanc*, & *Sundheim*, excepta marcâ ſylvæ, & curtili, & pratis *Gundilenſtec*, & *Cuttinwanc*. Waningus verò tradidit ſua bona & jura in villa *Reoda*, in loco *Eitraba* &c. Æ. Imp. 25. Chr. 839.

23. *Henricus Auceps* confirmat donationes Abbati *Irminbardo* & Conventui Campidon. factas à duobus Nobilibus in villa *Buoſenboſen*, in pago *Kelenſtein*, in *Huſa* &c. anno 930.

24. *Otto Magnus* donat Monaſterio Campidonenſi ſua bona in *Tueningbouve* & *Tuzinbuſa*,.. Anno 942.

25. *Ludovicus Pius* confirmat Abbati *Tattoni* Proventus à *Carolo Mag.* donatos & hac chartâ expreſſos A. Imp. 19. Chr. 833.

26. *Arnolfus* donat Capellano ſuo *Elolfo* Campidonenſi cellam in *Nuſplinga* A. 889.

27. *Arnolfus* donat *Diotkero* decem manſos in locis *Fortzheim*, *Zutzcilinga* & *Hugesbuſa* . . anno 890.

28. *Otto I.* confirmat donationem *Worringæ* & *Piurræ* per Presbyterum *Paldimunt* Monaſterio Campidonenſi factam A. 940.

29. Inſtrumentum, quo S. *Udalricus* Auguſtanus Epiſcopus Monaſterium Campidonenſe per duos Monachos vice ſua adminiſtrari procuravit, & quomodo *Irminbardus* ex iis unus Eccleſiam fundaverit, ſub Ottone M. circa A. 945.

30. *Otto I.* ad Petitionem *S. Udalrici* Monaſterio Campidonenſi omnia confirmat Privilegia à ſuis Anteceſſoribus conceſſa, præſertim illud de libera electione Abbatis. Anno 963. *Sanctus* porrò *Udalricus* Epiſcopus Auguſtanus Adminiſtratoris Campidon. Titulo & munere utiliſſimè perfunctus ad Cælos migravit an. 973. die IV. Julii.

Tametſi verò Codex iſte Seculum XI. non excedat, & ipſe, quæ ſuperant, autographorum membranæ ſigillis fœdè confractis, vel laceræ violentas hoſtium manus, aut cuſtodum incuriam accuſent; Habet tamen Campidona in his aliiſque ſufficienter, quo tantis utrobique munita præſidiis, ſua jura, ſuas poſſeſſiones, ſua decora, ſuas denique etiam prærogativas validè tueri, & accuratiorem rerum geſtarum hiſtoriam in publicum proferre poſſit, modò ſolertior manus, induſtria, laborque aliis monumentis huc & illuc diſperſis in unum comportandis, digerendis & illuſtrandis accederet; quod ſanè boni omnes vehementer optant.

Libellus de S. Hildegarda.

In eodem præterea chartulario adſervatur libellus quidam in membranis terſiſſimè ſcriptus variiſque picturis & iconibus in fronte exornatus, in quo recenſentur geſta & miracula S. *Hildegardæ* Caroli M. conthoralis, quæ licet ab initio in Cæſareo Regiæ domûs Carolinæ ſepulta fuerit, poſtea tamen, ut ſupremæ ejus voluntatis ratio haberetur, oſſa ipſius in Sueviam, *terram*, ut ferunt, *patriam*, translata, & in Campidonenſi Eccleſiâ ab ipsa fundatâ repoſita fuerunt; Cujusmodi translationum exempla mediæ ætatis non minimo adduci numero poſſunt. Sub ejus capite hæc verba lapidi inciſa, HYLTEGARDIS REGINA, fuerunt reperta, quo tempore ejus ſepulchrum Seculo X. ſub Abbate *Alexandro* apertum fuit. Imperator *Ludovicus Pius* in Diplomate, quo Conventui Campidonenſi facultatem dedit eligendi è gremio ſuo Abbatem, *quamdiu idoneus ad hoc officium adeſſet*, ſemel atque iterùm matris ſuæ *Hildegardæ ut fundatricis* meminit. Imperator *Otto III.* hoc Privilegium legit & anno 993. confirmavit; idem laudarunt alii Reges, Imperatores, & Pontifices, ita ut de ejus authentiâ minimè dubitandum ſit. *Hermannus Contractus* celeberrimus Sueviæ chronographus atteſtatur Corpora *SS. Gordiani & Epimachi* Roma in Alemanniam translata fuiſſe. Idipſum perhibet Bulla *Hadriani* Papæ I. de anno 773. *Ludovicus* verò *Pius* in dicto Privilegio affirmat, Monaſterium, quod dicitur *Campidona*, eſſe conſtructum *in honore S. Mariæ Virginis & SS. Gordiani & Epimachi Martyrum*; Idem corroborat conſtans & incorrupta ad nos uſque derivata traditio, atque hâc proinde ratione Regia Fundatio, antiquitas & digni-

dignitas Abbatiæ atque Eccleſiæ Campidonenſis ſufficienter probatur & ſtabilitur adverſus quasvis impetigines aut Criticorum cavillationes; Etenim:

Non aquæ manale ſunt tot Diplomata Regum; Sed ſunt ex oleo, nemo lavabit aquis.

Werthinenſ. XXXIII. *Archivum Monaſterii Werthinenſis.* Fundatorem inſignis hæc Abbatia habet S. Ludgerum, Epiſcopum Monaſterienſem, qui illam circa an. 793. condidit in ſaltu Wideburgenſi, ad Ruram fluvium, qui infra Coloniam Agrippinam Rhenum ſubit. Ejus Archivum Privilegiis Regum ac Imperatorum à Carolo M. uſque ad Carolum IV. ita inſtructum eſt, ut majorem eorum vim ac copiam perpauca Monaſteria oſtentare poſſint. Ea primus in lucem protraxit Gabriel Bucelinus in *P. II. Monaſteriologiæ Imperii Germ. p. 306. quæ extat in P. II. Germaniæ topo-chrono-ſtemmatogr.* Non minùs memoratu digna ſunt Emptionum & Traditionum Chartæ LXI. de primis Bonis ac prædiis Monaſterii, quas Iſaacus Voſſius in veteris ævi mſto Codice pergameno, quo vita S. Ludgeri ſcripta continetur, ac calcem adjectas reperit. Has verò Danieli Papebrochio utendas dedit, cui cùm in Commentario prævio de S. Ludgeri Actis Tom. III. M. Martii ad d. xxvi. h. m. præcipuè in Chronologia Vitæ S. Ludgeri §. III. & IV. pag. 630. 635. inſignem uſum præſtitiſſent, eas doctiſſimus Hagiographus cum Leibnitio communicavit, qui ex iisdem *Chartularium Warthinenſe* concinnavit, quod extat Tomo I. Scriptor. Rer. Brunſvic. n. VI. pag. 161.

Egregiè etiam uſus eſt Chartis ſui Monaſterii *Andreas Duden*, ex antiqua & nobili Familia natus, primùm Cellerarius; tum Abbas, ad quam dignitatem obeundam Regalia ab Imperatore Maximiliano II. conſecutus eſt. Vir non minoris prudentiæ, quàm induſtriæ ac ſolertiæ in Oeconomia provehenda multum operæ poſuit; documenta, literas & monumenta excuſſit, quorum adminiculo plurima bona, quæ multo tempore in deperditis habebantur, ſeu alienata fuerant, recuperavit. Tanti eſt, Archivum inſtruere, vel certè quidem ejus non neſcire monumenta.

Cocceijus iniquum ſe Monaſterio Werdinenſi præbet, cùm *in Deductione de Jure Regis Boruſſ. contra Abbatem Werdinenſ. in Conſil. & Reſp. in cauſis illuſtr. num. II. pag.* 118. aſſerit, quòd emptum pro Monaſterio Territorium fuerint bona privata & ruſtica. Quòd ſi *Cocceius*, inquit Cl. *Köhlerus in Münz-Bel. Part. XIII. pag.* 196. Traditiones Werthinenſes accuratiùs inſpexiſſet, facilè pro inſigni ſua rei diplomaticæ notitia advertiſſet, quòd earum quàm plures nullo modo de bonis ruſticis intelligi poſſint, e. g. Num. 46. pag. 115. dicit Liudgerus, Hrodgeri filius, ſe tradere amico ſuo, Sacerdoti Liudgero dimidiam partem paternæ ſuæ hæreditatis. Quis homo ruſticanus auſit Virum nobiliſſimæ proſapiæ, ac dignitatis conſpicuæ Sacerdotem compellare ſuum amicum? *Wracharius* Num. 48. p. 116. de ſe ſcribit: *Tradidi Liudgero Presbytero totam illam terram, quam Sandulfus filius meus, incolebat & proſerviebat: & unum agrum, quem Hildigerus ingenuus homo in meo beneficio ante habuit*, pro agreſti ac vili homine accipi non poteſt, quia colonos, ruſticos, & homines ſendatarios ipſe habuit. In Num. 57. p. 118. tradit Sacerdos Liudgerus Folebrato prædia quædam *in villa Fislau, quam comparavit à Theganbabaldo ingenuo & nobili homine.* Non igitur meri villani, ac ruſticanæ plebis homines fuerunt, quos S. Ludgerus convenit, & quibuſcum egit, ut pro fundatione Monaſterii agros, prata, ſylvas, piſcinas &c. ipſi cederent. Poſito etiam, qnòd prima Monaſterii bona fuerint mera bona privata & ruſtica, progreſſu tamen temporis ab Regibus & Imperatoribus ab omni priore ſuperioritate jurisdictionis eliberata, & in talis eliberationis ſtatu à Fundatore poſſeſſa fuerunt.

In Archivo etiam inſigne habetur Privilegium Regis Ludovici Junioris, quo 1.) liberam Monaſterio Abbatis electionem, 2.) ſubditorum Monaſterii ab omni ſeculari jurisdictione, penſionibus tributariis, indictionibus, & teloniis eliberationem, 3.) eligendi Advocatum Monaſterii, coram quo omnes cauſæ controverſæ decidi debeant, clementiſſimè conceſſit. Rex Arnolphus alio Privilegio anno 888. conceſſit Monaſterio *plenam facultatem regulariter diſpenſandi de bonis Monaſterii, Advocatum pro lubitu eligendi, per eundem controverſa componendi & corrigendi, nec coram alio judice comparandi*; nec non colligendi decimas circa Monaſterium, quas

Epiſco-

Epiſcopi aliàs ſibi vindicabant. Abbas *Folcmarus* obtinuit Privilegium an. 974. ab Imp. Ottone II. fori conſtituendi, & monetæ cudendæ in Werthen & Lindingshauſen. Ordinavit etiam Monaſterii quatuor hæreditaria Officia, viz. hæreditarium Mareſchallum, Dapiferum, Pincernam, & Camerarium, quibus propterea inſignia attribuit feuda. Imperator Rudolphus I. in Privilegiorum, quæ Anteceſſores ſui Monaſterio contulerunt, confirmatione, anno 1291. vocat Abbatem Henricum *Principem noſtrum dilectum*; unde etiam in quodam Diplomate de anno 1361. Abbas ejusdem nominis Henricus hoc Titulo uſus eſt: *HINRICUS, Dei gratia Abbas Monaſterii Werdinenſis Ordinis S. Benedicti, Colon. Diœceſeos, Sacri Imperii Princeps devotus.* Vid. Jo. Andr. Schmittius *in Helmſtadio Sec. XIV. & XV. per Franwenradam valdè afflicto pag.* 9. In ſequentibus tamen & novioribus Cæſareis Literis Inveſtituræ Dignitas & Titulus S. R. I. Principis prætermittitur.

Vide plura apud laudatum *Köblerum* l. c. qui ex Archivi Werthinenſis Documentis, jura & immunitates hujus ipſius Monaſterii contra *Coccejum* pro Rege Boruſſiæ & Comitibus de Marca ſcribentem fundatè, ſolidè, atque more ſuo eruditè defendit; idque facit, nulla conductus mercede, ſed ſolius veritatis amore.

Laureſheimenſe. XXXIV. *Archivum Laureſheimenſis* in ſtrata Montana & Diœceſi Moguntina Monaſterii inſigne olim fuiſſe perhibet ejus loci Chronicon. Magnam tamen negligentiam jam tunc in illud irrepſiſſe, quando necdum annos à ſua fundatione quindecim ſteterat, evidenter probat Præceptum Caroli M. per quod ad inſtantiam *Helmerici* Abbatis in Ordine II. *eo quòd chartæ per diverſa loca Eccleſiæ ſuæ S. Nazarii perditæ fuiſſent & naufragatæ*, rurſum confirmatur, quidquid ſive *per Dationes*, ſive *per Commutationes* cenſebatur eidem legitimè eatenus acceſſiſſe. Codicem Traditionum poſſidet Gottwicum.

San-Gallenſe. XXXV. *Archivum Principalis Monaſterii San-Gallenſis* quamplurimis omnis generis inſtrumentis refertiſſimum habetur. Ille verò mos ſanè laudabilis ab antiquiſſimis temporibus in hoc obtinuit Aſceterio, ut ſi de re ac negotio majoris momenti conficiendum eſſet inſtrumentum, non uni tantùm chartæ conſignaretur, ſed plura ſcriberentur exemplaria, ut uno fors pereunte, aliud ſupereſſet. Docet id nos *Ratpertus* de Caſibus Monaſt. S. Galli c. 8. apud Goldaſt. T. I. Script. Rer. Alem. p. 7. cùm ita loquitur: *Cùm chartæ præſcriptæ eſſent, unam Epiſcopo cum ſuis, aliámque Abbati Monachisque contradidit perpetuæ firmitatis ſine aliqua everſione ita retinendas indicio.* Ejusmodi verò Exemplaria vocari conſueverant *particlæ*, ſeu *pariculæ à pari faciendo.*

XXXVI. *Archivum Principalis Monaſterii Einſidlenſis* in Helvetia, quàm multis, iisque prorſus inſignibus cùm Bullis Pontificiis, tum Cæſareis Diplomatibus refertum ſit, docet *Chriſtophori Hartmanni* Hiſtoria hujus celeberrimi juxtà & antiquiſſimi Monaſterii, cui eorum permulta in extenſo inſeruit, quorum fide ſæpiùs alii Authores in ſuis Libris nituntur. Einſidlenſe.

XXXVII. *Archivum Principalis Monaſterii Murenſis* in eadem Helvetia abundat Pontificiis Bullis, Immunitatibus, Prærogativis, & Confirmationibus, inter quas vetuſtioris ævi ſunt ab Innocentio II. anno 1139. & *Adriano IV.* A. 1159. indultæ. *Alexander III.* A. 1178. ordinavit, ut quivis, ſine ullius impedimento, in hoc Monaſterio ſepulturâ donari poſſit. *Clemens III.* Abbati & Conventui A. 1188. poteſtatem fecit, alium eligendi Advocatum, quotiescunque neceſſitas expoſceret. *Innocentius IV.* Privilegium anno 1247. conceſſit, quòd nulla perſona ſeu Eccleſiaſtica, ſeu ſecularis Monaſterium gabellis, vectigalibus, tributis &c. gravare poſſet; item quòd nulla Capella in Monaſterii Diſtrictu ſine Epiſcopi Diœceſani & Abbatis Murenſis conſenſu fundari & erigi poſſit; & quòd Abbas omnes alienatas & in ſecularium manibus verſantes decimas redimere queat. *Julius II.* A. 1507. uſum Pontificalium Abbati conceſſit; item quòd poſſit Monachis ac Novitiis ſuis quatuor primos Ordines conferre, altaria, campanas, cœmeteria &c. conſecrare. *S. Pius V.* anno 1571. Abbati indulſit, ut eos, qui propter homicidium in Monaſterium confugerint, in foro conſcientiæ abſolvere poſſit &c. Adſunt præterea magno numero Comitum, Principum, Regum ac Imperatorum Privilegia; inter quæ memorabile eſt Privilegium & Diploma in aurea Bulla Leopoldi I. d. d. Viennæ 20. Decemb. A. 1701. Murenſe.

quô Abbatem ad S. R. I. Principis Dignitatem evexit, eíque conceſſit, quod ad exaugendum majorem ſplendorem Principalis Dignitatis quatuor hæreditaria Officia, viz. Mareſchalli, Camerarii, Pincernæ, & Dapiferi erigere, iíſque Equeſtris & illuſtris Familiæ Viros inſeudare poſſit. Idem Auguſtiſſimus Cæſar Eccleſiæ & Monaſterio Murenſi nova contulit Inſignia.

Sant-Emmeramenſe. XXXVIII. *Archivum Principalis Monaſterii ad S. Emmeramum Epiſc. & Martyr. Ratisbonæ.* Poſtquàm S. Emmeramus anno Chriſti 652. pro amore proximi crudeli Martyrio vitam finiit, ejúſque ſacrum Corpus in Capella S. Georgii extra muros Civitatis Ratisbonæ tumulatum ſuit, mirificavit Deus Sanctum ſuum, multáque per ipſius interceſſionem operatus eſt. THEODO BAVARUS Pater *Landberti*, qui Emmeramum ſæviſſimis tormentis occidi juſſit, domum pro Monachis, qui Deum ibi laudarent, poſuit. APOLLONIUS juxtà Monaſterii Hiſtoriam ibidem 697. Primus Abbas conſtitutus fuit. *Theodo* plantavit, *Apollo* (Apollonius) rigavit: Deus autem incrementum dedit. Creſcente magis & magis pietate & devotione erga ſanctum Chriſti Martyrem, Reges, Duces, Imperatores fideles, certatim ſua obtulerunt, ut ibi Monachi Deum in ſancto Em̃eramo diu noctúque laudarent. Sollicitè adhuc in Archivo (ad quod ſoli Abbati acceſſus patet) cuſtodiuntur Chartæ illæ, quibus Chriſti fideles, Reges, Duces, Imperatores, Principes &c. dona ſecerunt, aliáque Privilegia loco, & perſonis in eo habitantibus contulerunt. Vide Tomum II. Bibl. San-Emmeram. ubi à pag. 159. - 435. Bullæ & Diplomata, aliáque præcipua inſtrumenta 88. ſupra ducenta enumerantur. Plura adhuc ſupereſſent, niſi *Henricus* Epiſcopus, ſub *Innocentio III.* Pont. Max. contra Monachos furens multas Bullas, Diplomata, & Privilegia combuſſiſſet; de quo ferali tamen incendio ſubinde graviter doluit, ut *Hartwicus* ejus in Epiſcopatu Succeſſor teſtatur in Charta originali, quæ adhuc ſupereſt. Summo autem Reipublicæ literariæ bono reliqua in lucem dedit Celſiſſimus Princeps *Joannes Baptiſta* hujus Archiſterii Abbas meritiſſimus.

Fuldenſe. XXXIX. *Archivum Eccleſiæ Fuldenſis* unum ſolúmq; quanta Diplomatum, Bullarium, Privilegiorum, Immunitatum, Libertatum, Actorum publicorum, atque omnis generis Inſtrumentorum copia non abundat? Ut enim Abbates Fuldenſes Benedictini Ordinis per Galliam & Germaniam ſunt Primates, útque ſemper apud Pontifices, Reges, & Imperatores ſummâ authoritate, exiſtimatione, & gratia valuerunt, ita hi eorundem Eccleſiam ſummis beneficiis, favoribus, ac gratiis accumulare, honorare atque exornare certatim ſtudebant. Cúmque deinde Archiſterium Fuldenſe, à *S. Bonifacio*, Germaniæ Apoſtolo fundatum, non modò ob ſancti ſui Fundatoris cultum & venerationem, ſed etiam propter Religioſorum ſuorum eximiam virtutem, pietatem ac doctrinam magna ſenſim acquiſivit incrementa. Quæ Donationes, Traditionéſque, ut vocant, Eccleſiæ Fuldenſi à tota Germania ſactæ, antiquis membranis conſignatæ fuerunt: ex his verò in tres Libros digeſtæ, à *Joanne Piſtorio* typis publicatæ fuerunt. Quas ſubinde triplo auctiores recudi curavit D. *Schannat*; ídque ex ipſis vetuſtis membranis Chartíſque, additis Sigillis æri inciſis, & Obſervationibus, atque *Eberhardi*, Monachi Fuldenſis, veterum Traditionum Summariis, quod Opus annis abhinc non multis ſub Titulo: *Corpus Traditionum Fuldenſium* lucem aſpexit publicam. Plurimùm verò, inquit *Struvius*, in Schannati corpore æſtimanda ſunt Sigilla, eadémque antiquiſſima, quæ æri incidi fecit; & quod adjicitur Patrimonium S. Bonifacii, ſive Buchonia vetus, unà cum ſuis confiniis ex Traditionibus Fuldenſibus eruta, aliíſque monumentis aucta & illuſtrata, à temporibus Pipini Regis, ad initium Seculi XIV. quod ad illuſtrationem Geographiæ medii ævi plurimùm conducit. Vid. Struv. in Præfat. ad nov. edit. quæ extat Collect. Piſtor. Script. Rer. Germ. tom. 3. pag. 485.

XL. *Archivum Mediolacenſis* in agro Treverico Monaſterii inſigne olim ſuiſſe perhibet Browerus Annal. Trevir. Tom. I. pag. 454. Verùm malo ſpiritu agitatus *Wicelinus* Trevirenſis Vice-Dominus, poſtquàm ſub annum 941. prædabundâ militum manu Cœnobium direptionibus ſuis exhauſiſſet, ne qua etiam repetendæ aut revindicandæ ſubſtantiæ ſpes aut facultas ſacris ejusdem loci incolis ſupereſſet, *omnes Donationum veteres Chartas* Mediolacenſe.

tas minuatim conſcidit. . . Schannat Archiv. Fuld. Vind. pag. 2.

Brzevnovienſe prædives inſtrumentis.

XLI. *Archivum Regiæ & primariæ in Regno Bohemiæ, Abbatiæ Brzevnovienſis, vulgò S. Margarethæ propè Pragam.* (i) Continentur in eo quàm plurimæ Bullæ Pontificiæ; folius Bonifacii Noni undenæ. Præ cæteris memorabilis eſt Bulla Joañis XV. Chartæ vinciæ ſive ſcirpeæ conſignata, quam Ottocarus III. quod propter attritionem ejusdem Chartæ in quibusdam locis vix literæ apparerent, Regio ſuo Diplomati inſerendam curavit. Præter Pontificum Bullas ingenti numero adſunt Cæſarea, Regia, & Ducalia Diplomata cum ſuis Confirmationibus, Caroli IV. Wenceslai, Sigismundi, Alberti, Ladislai, Rudolphi II. Mathiæ ac Joſephi I. Imperatorum ac Regum Bohemiæ. Plura procul dubio adhuc ſuperarent, niſi Martinus, Abbatiali munere indignus, neſcio quo æſtro vel livore, magnam eorum ſtragem edidiſſet, pluribus Vulcano dicatis, ita ut cera in Bullis liquefacta per pavimentum diffluxerit. Si Balbino fidem habemus, *Archivum Brzevnovienſe totum ſupereſt, cujus Summarium*, inquit, *recitabo ſuo loco.* Vellent Brzevnovienſes ita eſſe, ut Balbinus fidem facit. Sed deperditorum felix oblivio. Non ita vel hodie tamen ab Inſtrumentis, Documentis, & Monumentis Archivum Brzevnovienſe (quod Braunæ in Abbatiali Reſidentia exiſtit) inops eſt, ut ex eo Hiſtoria Bohemica non magnoperè illuſtrari poſſit, vel illud inter celebriora Regni Archiva numerari non mereatur. Adſunt etiam in eo multæ chartæ, & membranæ, quæ ad alia Benedictina in Bohemiæ Monaſteria cum extincta, tum adhuc extantia pertinent, è quibus eorum Hiſtoria ſi non univerſa, certè aliqua, luce non indigna adornari poſſet. Quem laborem, ut ſperamus è doctiſſimis Brzevnovienſibus nonnemo ſuo tempore ſubibit.

S.Georgii Pragæ Monialiũ, præ multis aliis commendari meretur.

XLII. Archivis hactenus commemoratis, quæ ad unum omnia in Monaſteriis virorum Familiæ noſtræ Benedictinæ habentur, vel olim habita fuêre, annumerare hîc liceat Archivum longè præſtantiſſimum, quod extat in ſacro Parthenone, *principali, & primo omnium* in Bohemia Cœnobio ad S. Georgium in Arce Pragenſi, in quo tot regiæ Virgines, Reginæque, tot Nobilitatis, & Sanctitatis puriſſima ſidera effulſerunt. Equidem quod ipſe illud perluſtrârim, gloriari nolim, celebrem tamen legi Scriptorem, cui ejus perſcrutandi facta eſt facultas. Is verò eſt Bohuslaus Balbinus S. J. qui in *Hiſtorica Epitome Rerum Bohemicarum* Lib. II. Cap. IX. p. 125. ita gloriatur: „ Mihi invidenda ætati „ noſtræ & ſuperiori, felicitas obtigit, „ ut, quod nemini conceſſum meminerant, ac legibus cautum eſſe crederatur, ſingulari *Celſiſſimæ ac Venerabilis Virginis Principis Antiſtitæ*; „ *& Sacri Conventûs beneficio*, Antiquiſſimum illud Bohemiæ Archivum pateret, cujus ego vetuſtiſſimas & Originales literas, continuato plurimis diebus labore, ſurſum deorſum pervolutavi, & in ſummam redegi. Inveni innumera „ *Privilegia*, quæ certatim in hoc „ Virginum Cœnobium Duces, Reges, Cæſares, ac Pontifices congeſſerunt; præcipua ſunt: *Principis dignitas Antiſtitæ in perpetuum collata, Coronatio Reginarum ejusdem Antiſtitæ manibus perficienda, Exemptio ab omni Præſulum, & Ordinis Benedictini imperio*, aliáque „ majora. Jam Sanctarum, aut cum „ ſanctitatis fama morientium Virginum nomina, Antiſtitum & Principum ſucceſſiones, Templi & Cœnobii miracula, Virginum ex Procerum familiis dotes, Pontificum „ Epiſtolæ & Munera, & Gratias & „ Indulgentias, & Sanctorum corpora, lectiſſimásque Reliquias, & quædam alia memoriâ Poſterorum digniſſima excerpſi & annotavi, ſed „ in opportuniorem locum reſervo. „ Hæc Balbinus. Feſtivum illud; quòd, cùm eſſent, qui Regii hujus Parthenonis immunitati atque exemptioni impreſſionem facere vellent, Princeps Abbatiſſa pavimentum, per quod Adverſariis tranſeundum erat, Bullis ac Diplomatibus conſterni juſſit; quod ut illi viderunt, in ruborem dati prudentiùs ſe ſacturos exiſtimârunt, ſi pedem referrent, quàm ut tot Pontificum Bullas, Ducum, Regum ac Imperatorum Diplomata conculcarent.

(i) vide Hiſtoriam Monaſterii typis à me an. 1740. in fol. vulgatam.

SECTIO

SECTIO III.

Bibliothecarum & Archivorum Cuſtodes.

Enumerantur quidam Bibliothecarii.

VEteres apud Benedictinos munus cuſtodiendi Libros, ſeu officium Bibliothecarii Præcentori demandari ſolebat, quem propterea *Armarium* ab Armario, in quo Libri recondebantur, appellabant. Illud in Fuldenſi Monaſterio olim exercuit Gerbohus Presbyter ut ex Rabani carmine XVI. ſuperius allato certi ſumus, in quo Gerhohum *clavipotentem* appellat.

Gerhohus.

Egbertus. *Egbertus* Eboracenſis Antiſtes, atque Eadberti Regis Germanus, cùm genere ac dignitate, tum vitæ ſanctimonia illuſtris, duos præ cæteris eximios habuit diſcipulos, Eanbaldum & Alcuinum, quorum alteri, Eanbaldo, paſtoralis dignitatem & curam reſignavit; alteri, Alcuino, Librorum gazas, ipſi ſuper omnia cariſſimas, commendavit, i. e. Eboracenſis Eccleſiæ Bibliothecam, à ſe magna ex parte collectam, in qua ſacrorum Librorum Codices, ſanctorum Patrum Scripta omnia, ac liberalium artium Auctores continebantur, teſtante Poëta, qui de hac partitione Eanbaldo & Alcuino facta ita canit:

His diviſit opes diverſis ſortibus: illi
Eccleſiæ regimen, theſauros, rura, talenta,
Huic Sophiæ ſpecimen, ſtudium, ſedémque, Libróſque
Undique quos clarus collegerat ante Magiſter,
Egregias condens uno ſub culmine gazas.

Greg. II. *Gregorius II.* ante ſummum Pontificatum erat S. R. E. Bibliothecarius in Laterano, cujus opera Juſtinianus Imp. in ſummi momenti negotiis uſus eſt.

Anaſtaſius. *Anaſtaſius*, Abbas S. Mariæ trans Tyberim, & Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius floruit ſub Summis Pontificibus Nicolao I. Hadriano II. & Joanne VIII. cum Anaſtaſio Presbytero Cardinali Tituli S. Marcelli, & Gregorii IV. Bibliothecario, qui à Leone IV. in Synodo Romana exauthoratus eſt, malè confunditur à Voſſio l. 2. de Hiſtor. Lat. c. 35. vid. Alex. Nat. Hiſt. Eccl. Tom. VI. Sec. IX. c. 3. art. 19. pag. 61.

Hilduinus. *Hilduinus* Abbas Seculo IX. non ille S. Dionyſii, qui Areopagitica ſcripſit, ſed alius, qui cum multis aliis Proceribus Eccleſiaſticis ſubſcripſit electioni Caroli Calvi in Imperatorem in Conventu Pontignonenſi an. 876. hoc modo: *Hilduinus Abbas & Bibliothecarius.* Neque enim credibile eſt, Hilduinum Sancti Dionyſii ad ea usque tempora vitam protelâſſe. Bulæ. in Hiſt. Univerſ. Pariſ. p. 604.

Becelinus. *F. Becelinus* in Monaſterio Corbeiæ Novæ Cuſtos Bibliothecæ, intrans in eam circa meridiem IX. kal. Octobr. an. MXCV. videt virum ad menſam ſedentem in habitu noſtro, & volventem Pſalmos Davidis. Horret, aſt ille retroſpiciens bonô eum animô eſſe juſſit. Similis in omnibus erat *Anſgario* noſtro, ut in Conventu depictus babetur. *Ita Annales antiqui Corbeiæ Canonicæ.*

Itherius. *Bernardus Itherius* Monachus & Armarius Monaſterii S. Martialis Lemovicenſis Sec. XIII. compoſuit ſui Cœnobii Cbronicon, quod aſſervatur Mſ.tum in Bibliotheca Colbertina.

Reginbertus. *Reginbertus*, Augiæ Divitis Secu-lo IX. ſub Abbatibus IV. Bibliothecarius à ſtudio augendæ rei librariæ jam aliàs à nobis ſummoperè laudatus.

Amalricus. *Amalricus* fuit Armarius, ſeu Bibliothecarius in Monaſterio S. Martini propè Turonos, quo tempore Lupus Abbas Ferrarienſis ad Orſmarum Epiſcopum Turonenſem literas dedit, quibus eum rogabat, ut ſua authoritate *Commentarios Boëtii in Topica Ciceronis* ab eo ſibi obtineret. Vid. Lup. Ep. XVI. pag. 35.

B. Bertholdus. *B. Bertholdus* I. Abbas Cœnobii Garſtenſis in ſuperiore Auſtria, antea Monachus Profeſſus in Monaſterio ad S. Blaſium in Sylva Hercynia, ubi *Armarii*, ſeu Bibliothecarii officio functus eſt, uti certum habemus ex ejus vitæ Scriptore anonymo, Benedictino Garſtenſi.

S. Majolus. *S. Majolus*, ut Cluniaci Monachum induit, ſingulari præ cæteris virtutum ſtudio excellebat, adeò ut non multò poſt Abbas Aynardus eum Bibliothecæ & ſacræ ſuppellectili præfecerit. Sic in Majoli poteſtate erant Monaſterii res omnium pretioſiſſimæ, ſacra ſupellex, & Libri.

B. Gregorius. *B. Gregorius*, ex Abbate SS. Coſmæ & Damiani ad Micam auream, Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, & S. R. E. Bibliothecarius renunciatus eſt

anno

anno ſalutis 1034. Vir in omni literarum genere, præcipuè ſacrarum, verſatus, Epiſcopis ſui temporis eruditione & ſanctitatis famâ antecellens. *Eggſius Purp. Doct. Lib. 1. pag. 14.*

S. Geraldus. *S. Geraldus*, Toloſani B. Mariæ Monaſterii Aſceta, poſtea Epiſcopus Bracarenſis; qui (quia divinæ Scripturæ pabulô refici magnoperè exoptabat) armarii, in quo Libri divini reponebantur, Cuſtos factus, in ejus officii obedientia multis annis perduravit, inquit Bernaldus in ejus vita n. 1.

Humbertus. *Humbertus*, in Divi Manſueti, primi Leucorum Antiſtitis, Cœnobio, in Tulli ſuburbüs ſito, Vir Græcà & Latinè doctiſſimus, à Leone IX. S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Sylvæ Candidæ creatus, ſub Stephani X. Nicolai II. & Alexandri II. regimine nonnullis annis Bibliothecarii munus exercuit. *Eggs l. c. p. 17.*

Stephanus IX. *Stephanus IX.* Rom. Pontifex, *Junianus Fridericus Gozelo* antea dictus, natione Lotharingus, *Godefredi* Lotharingiæ Ducis Frater, Eccleſiæ Romanæ Archidiaconus, *Bibliothecarius*, Cancellarius, & Cardinalis Titulo S.Chryſogoni, Abbas Caſinenſis. Adhuc Bibliothecarius erat ſub *Leone IX.* cujus nomine Epiſtolam ſcripſit ad Joannem Archiepiſcopum Salernitanum, quæ ita concluditur. *Datum IX. kalendas Aug. per manus* FRIDERICI *Diaconi Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarii & Cancellarii an. Dom. Leonis IX. Papæ tertio Indictione IV.*

Gelaſius. *Gelaſius II.* P. M. ante Pontificatum *Joannes* dictus ſub Paſchali II. deceſſore ſuo S. R. E. Cardinalis & Bibliothecarius fuit. Argumento eſt Bulla Paſchalis II. qua Guidonem Priorem Eremi Camaldulenſis, Generalem totius Ordinis conſtituit; hæc enim data fuit Anagniæ per manum Joannis P. R. E. Diaconi Cardinalis Bibliothecarii II. Nonas Novembris, Indictione 7. Incarnationis anno MCXIV. Pontificatus Domini Paſchalis II. Papæ anno XV.

Leo Marſicanus. *Leo Marſicanus*, Decanus Caſinenſis, Epiſcopus & Cardinalis Oſtienſis à Paſchali II. Papa creatus anno 1101. erat priùs Bibliothecarius Monaſterii Caſinenſis. Cui muneri præfectus cùm miro ſcribendorum librorum deſiderio teneretur, quantùm licuit, perluſtrandis, legendis, excerpendisque Codicibus inſudavit, ac Chronicon Caſinenſe (plauſibile doctis opus) contexuit.

P. Ziegelbauer Hiſt P. I.

Petrus Diac. *Petrus Diaconus*, *Caſinenſis Bibliothecarius*, an. 1153. in Diplomate Innocentii IV. pro confirmatione Abbatis Glanoſolienſis ſe *Archibibliothecarium* Sacri Cœnobii Caſinenſis, tituli amore non intactus nominavit. Vid. Gattol. Hiſt. Caſ. Sec. VI. p. 303.

Maynardus. *Maynardus* ex Monacho Caſinenſi S. Eccleſiæ ſylvæ Candidæ Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius, de quo *Gattola* l. c. pag. 174.

Gualterus. *Gualterus* Abbatiæ S. Albani in Anglia Bibliothecarius circa annum 1180. ſcriptis clarus, quæ Lelandus, Baleus, Pitſeus & Eduardus Mathew recenſent.

Wernerus. *Wernerus* Admontenſis in Styria Cœnobita, officiò armarii functus poſtea Brulenſe Cœnobium ſtrenuè rexit. Claruit Sec. XII. Vid. vit. S. Gebehardi Archiepiſcopi Salisburgenſis apud Henr. Caniſ. Tom. VI. Antiqq. Lect. pag. 1243.

Robertus Dodefordus. *Roberdus Dodefordus* Rameſienſis in Anglia Monaſterii Bibliothecarius ad A. 1270. conſpicuus hebraicæ linguæ peritus, librorum hoc idiomate conſcriptorum diligentiorem præ cæteris curam geſſit, ac quædam conſcripſit, quorum memoriam periiſſe exiſtimat Pitſeus; *ferunt tamen* inquit ipſe, *adhuc extare Poſtillarum in parabolas Salomonis Librum unum &c.*

Guillelmus Gillingham. *Guillelmus Gillinghamus* Cantuarienſis ad fanum Servatoris Monachus & Bibliothecarius circa A. 1390. in vivis conſpicuus, ſcripſit opus inſigne *de illuſtribus Ordinis S. Benedicti Scriptoribus*, teſte Pitſeo & Harpesfeldo cap. 12.

Arnoldus Boſtonus. *Arnoldus Boſtonus* Burienſis apud Anglos celeberrimi S. Edmundi Cœnobii Monachus & Bibliothecarius ineunte Seculo XV. clarus, accurata quadam diligentia Catalogum omnium Britanniæ Scriptorum confecit. Quod ut feliciùs præſtaret omnes Cœnobiorum in Anglia Bibliothecas magnis laboribus & itineribus excuſſit, de cujusque authoris vita breviter egit, quo quisque tempore floruit, initium cujusqua operis, quâ in Bibliotheca Liber quilibet inveniretur, & alia tam accurate imo tam curiosè usque ad minutiora quæque adnotavit, ut *Pitſeus* ſe hominis induſtriam ſatis mirari non potuiſſe fateatur.

Petrus Chriſtiavillanus. *Petrus Chriſtiavillanus* Monachus & Bibliothecarius Beccenſis clar. an

1483. confecit Bibliothecæ ſuæ Indiculum à Gerberonio laudatum.

Petrus Guill.

Petrus Guillelmus, Monaſterii S. Ægidii in Septimania Monachus ac Bibliothecarius. Is Librum de Miraculis S. Ægidii compoſuit ſub hac inſcriptione: *Reverendiſſimo Patri Domno Hugoni, Abbati Monaſterii S. Ægidii, quod in valle Flaviana ſitum eſt, frater Petrus cognomento Guillelmus, ejusdem loci Bibliothecarius, debitum in omnibus, ut filius, famulatum.*

Mauritius Enck.

Mauritius Enck inter recentiores celeberrimæ Biblioth. San-Gallenſis Præfectus primo loco nominari meretur: nam, teſte Jodoco Mezlero, primus Bibliothecam univerſam in ordinem redegit. Fuerat in flore ætatis ſtudiorum cauſa Dilingam ad Patres Societatis miſſus, & Pariſiis Joannis Maldonati auditione in inſignem Theologum evaſit; præter vernaculam, Latinam, Græcam, Hebraicam, Syriacam, Gallicam, & ni fallor, inquit Mezlerus, Chaldaicam aſſecutus, innocentis vitæ exempla omnibus dedit. Senatorem Glaronenſem, virum primarium, abs Zwinglianiſmo ad Catholicam fidem adduxit. Notas in Teſtamentum novum Syriacum, præfationes in quoddam opus Muſicum, & plura alia fecit. Obiit Wilæ anno 1573.

Stephanus Leopolder.

Ineunte Seculo Eccleſiæ XVI. illuſtre inter Bibliothecarios & Archiviarios nomen conſecutus eſt R. P. *Stephanus Leopolder* Monachus & Chronographus Weſſofontanus, cujus lucubrationes & labores literarios fuſè enumerat Cl. P. *Cæleſtinus Leuthner* in Hiſtor. Monaſt. Weſſefontani pag. 389. ubi: *Gratias*, inquit, *immortales debemus Stephano, qui plurima*, velut raptas è naufragio tabulas, *collecta nobis reliquit ex veteribus membranis tranſcripta eo ævo, quo jam imminebant monaſteriis ſcriptores antiquis Codicibus inhiantes, mutua documenta ſumentes, & reſtitutionis immemores.* Obiit vir optimè meritus anno 1532. cùm triginta annos à profeſſione Religioſa Monaſterio & Patriæ egregiè laboraſſet.

Jodocus Mezlerus.

Jodocus Mezlerus, Sacrorum Canonum Profeſſor, & Author *Librorum II. de Viris Illuſtribus San-Gallenſibus*, præfuit Bibliothecæ merito eruditionis ſub annum MDC. & qui excurrunt.

Herman. Schenck.

Hermannus Schenck, Cuſtos Bibliothecæ San-Gallenſis, vir doctus & linguarum ſciens, Latinè, Græcè, Gallicè, Hiſpanicè egregiè doctus, Mabillonio non ſemel laudatus, præſertim ob gratificandi ſtudium, quod Bibliothecarios ſummoperè commendat. Plures Libros vario idiomate latinitate donavit. Eum à Cæſare Leopoldo, tantâ Viri famâ permotô, in Bibliothecarium fuiſſe expetitum, ſcribit *Felix Egger in Idea Ord. Hier. Benedict. Lib. I. Part. 3. Diſſ. 2. pag.* 164.

Mauritius Molitor.

Mauritius Molitor, Bibliothecæ San-Gallenſi eo tempore præfectus fuit, quô Abbas & Princeps Leodegarius ab Helvetiis heterodoxis bellô laceſſitus fuit. Viri facundiam cùm pro concione dicentem in juventute meâ audirem, admiratus, ex ejus ore ſæpiùs pendere optaveram.

J. M. Sandius.

Joſephus Maria Sandius Bibliothecæ S. Juſtinæ diligentiſſimus Cuſtos, laudatus Em. Cardinali Quirino. Miſit ex Italia *Mſs. Librum Ludovici Barbi de Init. & Prog. Congr. S. Juſtinæ* in Germaniam Bern. Pezio quem is typis vulgavit.

Bernardus Franck.

Bernardus Franckius, hodie Abbas & Princeps Monaſterii Diſertinen. curam non multis ante annis geſſit Bibliothecæ San-Gallenſis. Ejus inſignem eruditionem demonſtrat *Diſſertatio Critico-Hiſtorica de Authore Theotiſcæ Paraphraſis Pſalterii*, quâ Schilterianum Antiquitatum Teutonicarum Theſaurum exornavit.

Guill. Somerſet.

Guillielmus Somerſet, Cœnobii Malmesburienſis Monachus & Bibliothecarius, celebris Hiſtoricus, qui, ut verbis utar Henrici Warthon in Præfat. ad Tom. 2. Angliæ Sacræ plurimis ingenii monumentis egregiam ſibi famam comparavit.

Wolfg. Treffler.

Wolfgangus Trefflerus Monachus ad S. Jacobum Moguntiæ non infimæ doctrinæ, vivis exemptus an. 1521. die 26. Julii. Per multos annos Monaſterii ſui Bibliothecæ multis bonis libris refertæ præfectus fuit; quo tempore ejusdem Bibliothecæ indicem exactiſſimum confecit, qui hodiedùm ibi adſervatur MS.

Florian. Treffler.

FLORIANUS TREFFLERUS Benedicto-Burani in Bavaria Monaſterii Profeſſus & Bibliothecæ Præfectus, Vir ſua ætate doctiſſimus & Græci ſermonis apprimè peritus, rem Librariam egregiè promovit & illuſtravit, typísque vulgavit Auguſtæ Vindelicorum anno 1560. *Methodum adornandæ Bibliothecæ*... Quod Opuſculum R.mo

D.

Google

D. OTTONI *S. R. E.* Cardinali, Epiſcopo Auguſtano ac Domino Abbati Elvacenſi inſcripſit. De eo malè ſentit *Struvius* introd. ad Hiſt. lit. pag. 75. Vide plura Part. III. Cap. III. §. XXXIX. hujus Operis pag. 353.

Genebrardus.

Gilbertus Genebrardus, Aqnenſis in Galliis Archiepiſcopus, cùm eſſet priùs in Pariſienſi Univerſitate Hebraicarum literarum Regius Profeſſor, Bibliothecæ Vaticanæ præpoſitus fuit.

Anton. Grimb.

Antonius Grimbertus, Cœnobii Elnonenſis Monachns & Bibliothecarius Seculo XVII. (1602.) ineunte fuit. Paraverat ad prælum Opuſculum *Lupi Ferrarienſis de tribus Quæſtionibus &c.* quæ verò diu ſuppreſſa tandem Jacobus Sirmondus ſub nomine Donati Candidi anno 1648. edidit *Cav. in Hiſt. Lit.*

Eraſmus Gattola.

Eraſmus Gattola (k) inter Bibliothecæ Caſinenſis Præfectos unus omnium doctiſſimus juxtà ac humaniſſimus. Qui cùm eo tempore, quô novis pluteis, egregiíſque cælaturis magnificè exornabatur, eidem præeſſet, Libros omnes, ejus potiſſimùm operâ optimorum Auctorum voluminibus haud parùm auctos, pro materiarum ſerie, concinnè aptéque diſtribuit. MSS. verò Codicum (ſexcentos tranſcendunt) Syllabum valdè accuratum contexuit, in quo quæ inedita, quæve typis tradita, tum quæ præcipua in ſingulis reperiuntur, dilucidè annotavit. Ejus eximiam humanitatem erga illos, qui Bibliothecæ perluſtrandæ deſiderium præferebant, nemo non laudibus celebravit. *Jo. Ciampinus* Romanus, Magiſter Brevium Gratiæ, & utriusque Signaturæ Referendarius, in Diſſertatione *de Vocis Correctione in Sermone VII. S. Leonis M. de Nativitate Domini*, qnam Romæ impreſſam 1693. eidem D. Eraſmo nuncupavit, ſic inter alia eum compellat: „Verùm, nt ingennè fatear, quòd ad „rem præſentem maximè facit, exi„miam cepi voluptatem, tot vetu„ſtiſſimorum Codicum ſcrinia in Bib„liotheca, cujus ipſe cuſtodiæ præes, „aſpiciendo, majorémque procul du„bio, cùm te ſumma facilitate Co„dices ipſos, tot támqne diverſis „characteribus exaratos, expeditiſſimè legentem audirem. Profectò ex „hac ſingulari eruditione factnm pnto, ut toties à me in rebus dubiis „interrogatus, eâ facilitate reſpon„deris, quam exſpectare tantummo„dò poſſumus ab homine in his ſtudiis „diu noctúqne verſato. Neque verò „ita Codicibus manu exaratis addic„tus es, ut vulgatos per typos neg„ligas. Quinimo & in his comparan„dis, quantnm Religioſa diſciplina „permittit, non modicam pecuniæ „ſummam impendiſti, quos Romæ „diligenter emptos, in tuum nobile „Muſæum transtuliſti; in his qnie„tem, in his delicias tuas ſapientûm „more reponens. Hinc factum eſt, „ut nullum tibi acceptius grati ani„mi monnmentum à me tibi offerri „poſſe crediderim, quàm literarium „aliquod munuſculum, & hoc præ„ſertim, quod à te quoddammodò „profectum, jure quodam videtur tibi „reddendum &c.

Ludov. Sombechus.

Ludovicus Sombecbus, Bibliothecæ Gemblacenſis Præfectus, & tum Abbas, ob non vulgarem eruditionem & humanitatem, præſertim inſigne ſtudium literarios juvandi labores *Grammaio* non parùm laudatur.

Lucas Acherius.

Lucas Acberius, Auctor *Spicilegii* toto literario Orbe celebratiſſimi, Bibliothecæ San-Germanenſi, cui præeras, volnmina ordinavit, in Catalogum redegit, eámque recentioribns Libris magnâ curâ collectis plurimùm auxit.

Ant. Beaugendre.

Antonius Beaugendre, depoſitâ Superioris provinciâ, in Monaſterium S. Germani à Pratis ſe recepit, ubi munns Bibliothecarii adminiſtrans, propè finem vita ſuæ occupatus erat in revidendis operibus tum Hildeberti, primò Cenomanenſis Epiſcopi, deinde Turonenſis Archiepiſcopi, tum Marbodi, Redonenſis Epiſcopi, quorum novam editionem in folio cum notis & obſervationibus ab illo accepimus.

Dion. de S. Marthe.

Dionyſius de Sainte Marthe (l). Quô tempore Mabillonium inter & Abbatem Trappenſem controverſia *de Studiis Monaſticis* agitabatur, in publico præter omnem exſpectationem comparuerunt qnatuor Anonymi Epiſtolæ, Coloniæ, ut præfert titulus, impreſſæ anno 1692. in quibus Auctor ingenioſus, acutus, & elegans, itémque doctus ac ſtudiorum Benedictinorum ſtrenuus aſſertor, quidquid humanæ & infirmæ rationis in illuſtri Reformatore deprehendere ſibi viſus

(k) Armell. in Bibl. Caſ. part. 1. pag. 156.
(l) Vid. Hiſtor. Diſſidii Literarii circa ſtud. Mon.

ſus eſt, paſſim carpit, & falſiſſimè exagitat. Parvus hic Liber ceu quoddam fulmen univerſos oppreſſit, quotquot P. Abbatis partes ſequebantur. Nullum itaque non movêre lapidem, ut ejuſdem Auctorem detegerent. Gravis ſuſpicio in D. Dionyſium Samarthanum potiſſimùm cecidit; cui ex publica fama ſummoperè infenſam propterea ſe exhibuit Guiſiæ Duciſſa, totis viribus connitens, ut injuriam amiciſſimo ſibi capiti inflictam ulciſceretur. Adeò illa Superiores ſollicitavit, ut eum Turonis, ubi Cœnobii S. Juliani Prior erat, abducere fuerint coacti, & ad S. Germanum à Pratis translatum Bibliothecæ præfecerint; quæ pœna viſa eſt Duciſſæ levior & ſuavior; cùm exploratum ſit, haud paucos Priores de ſuo gradu libenter decedere paratos eſſe, ut privati Monachi locum in hoc Cœnobio teneant, ne dicam, celeberrimæ Bibliothecæ Præfectum agant. Quod præcipuè verum erat de D. Dionyſio, qui ſtudiis deditus, & à Prioratûs curis plurimùm alienus nullibi verſari poterat jucundius, quàm in eo loco, in quo ſtudendi omnes ſuppetunt commoditates.

Placidus Porcheron. *Placidus Porcheron*, è Congr. S. Mauri, Bibliothecæ S. Germani à Pratis Præfectus, vir modeſtiæ inſignis, nec pietatis inferioris, qui cum Michaële Germano Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis Mſ.tos Codices omnes Latinos excuſſit, atque in Catalogum recenſuit.

Sigiſmundus. *Sigiſmundus*, Abbas Seonenſis in Bavaria Monaſterii, ad Cæſareæ Vindobonenſis Bibliothecæ Præfecturam parentum noſtrorum memoriâ evocatus eſt, quam tamen non acceptavit. Fuit Præſul ingeniô & doctrinâ clariſſimus, nti produnt ea, qnæ procudit Opera.

Jo. Bapt. de Miro. *Joannnes Baptiſta de Miro.* Cùm eximii hujus Viri ſingularem doctrinam & eruditionem Innocentius XII. perſpectam haberet, illum Sac. Indicis Congreg. Conſultorem, ſacræque Inquiſitionis Qualificatorem, ac poſtremò Vaticanæ Bibliothecæ Subcuſtodem elegit. Quod munus cùm pluribus annis præclarè implevisset, aliis pro Congregatione Caſinenſi negotiis procurandis diſtractus ultrò dimiſit. *Armell. Bibl. Caſin. part. 2. p.* 28.

Ildephon. Brandtner. *Ildephonſus Brandtner*, Lambacenſis in Superiore Auſtria Bibliothecæ Præfectus erat, quô tempore Viri Clariſſimi, Fratres Pezii, ejus Mſ.tos Codices perloſtrârunt. Sunt ii ultra octingentos, plerique tamen Seculi XV. licèt etiam non deſint paulò antiquiores & melioris notæ. Bernardus Pezius in relatione Itineris ſui literarii Ildephonſum vocat perdiligentem ac eruditum Bibliothecarium, à quo in iis, quæ ad rem ſuam erant, annotandis adjutus fuerit.

Wolfgangus. *Wolfgangus* N. Monaſterii Rotenſis ad Oennm Bibliothecarius, vir totus ex modeſtia & religione factus Fratribus Peziis Mſ.tos Codices, qui ducenti ferè, ex quibus nonnulli perquàm vetuſti, ſuperſunt, excutientibus, ad eorum ſtudia ſemper præſtò erat.

Georg. Zödl. *Georgius Zödl*, Bibliothecæ in Monaſterio Benedicto-Burano Præfectus, in re Comica ac Poëtica prætereà inſignis, cujus ſtrenuâ operâ non modicis acceſſionibus ſuos Commentarios auctos fuiſſe, Cll. Fratres Pezii deprædicant. Equidem in hac Bibliotheca non multi adeò Codices Mſs. ſpectantur, nec numerus eorum 300. excedit; attamen plerique optimi cõmatis ſunt, & nonnulli Seculo VIII. & IX. conſcripti.

Cœleſtin. Mayr. *Cœleſtinus Mayr*, Monaſterii Wiblingenſis propè Ulmam Bibliothecarius: quem Bernardus Pezius à diligentia cõmendat, quique ipſi Opuſculum Aſceticum ſeu Dialogum *de Conflictu Amoris Dei & Linguæ Doloſæ* cõmunicavit, quod etiam Pezius Bibliothecæ Aſceticæ Tomo I. loco primo inſeruit. In Wiblingenſi verò Bibliotheca habentur circiter 500. Codd. perquàm boni, & qui nonnulla necdum edita contineant.

Andreas Vanhelius. *Andreas Vanhelius*, Blandinienſis in Belgio Monaſterii Bibliothecarius, quem Mabillonius doctum & amicum ſuum vocat, Præfat. II. in Sec. III. O. S. B. n. 48.

Ant. Colbertus. *Antonius Colbertus*, Bibliothecæ Monaſterii S. Michaëlis ad Moſam Præfectus, cum Theoderico Ruinarto Hiſtoriam Mſ. Epiſcoporum Tullenſium gratanti animo communicavit, & alia bene multa, quæ ipſe ab annis aliquot Hiſtoriam Tullenſis Eccleſiæ in publicum edere meditans ſtudioſiſſimè collegit. *Vid. Theod. Ruinart in Itin. Lit. in Alſat. & Lotharing. pag. mihi* 434.

Paulus le Grand. *Paulus le Grand*, Monaſterii Gemblacenſis Bibliothecarius, ab *Edmundo Martene* inter ſtrenuos antiquitatum Scrutatores celebratur.

Con-

Google

Conradus Demmelmayr. *Conradus Demmelmayr* Schyrenſis in Bojoaria Monaſterii Bibliothecæ Præfectus, Vir ſummè induſtrius & operoſus, præter alia præclari ingenii monumenta, quibus rem librariam auxit, accuratam contexuit recenſionem Operum *Conradi Philoſophi* integro Volumine in 4. Vivere deſiit A. 1740.

Douay. *N. Douay*, Monaſterii S. Martini Tornacenſis Bibliothecarius, vir religioſus ac humaniſſimus, qui D. Edmundi Martene rogatu vitam Hugonis Abbatis Marchianenſis (quem nonnulli Scriptores Belgici Titulo *Sancti* donant) ex veteri Codice Bibliothecæ deſcripſit, ac cum eodem cõmunicavit. *Vide Martene Tom. III. Anecdot. pag.* 1710.

Ignatius Gropp. *Ignatius Groppius*, Herbipoli ad S. Stephanum Profeſſus, Ss. Theologiæ Licentiatus, ſui Monaſterii Bibliothecarius, compoſuit Monaſterii Amorbacenſis in Franconia Hiſtoriam, quæ Francofurti ex Officina Weichmanniana an. 1736. in publicum data fuit. Noviſſimè edidit Antiquitates Wirceburgenſes, & alia multa.

Simon Rettenpacher. *Simon Rettenpacher* Cremiſanenſis incluti Monaſterii ſui nobiliſſimæ Bibliothecæ præfici meruit, poſtquàm in Univerſitate Salisburgenſi magna cum laude Ethicum, Hiſtoricum, & Comicum egiſſet: Vir multarum linguarum gnarus, qui & ſuo Marte egregia Opera in lucem emiſit, & Sodalium noſtrorum lucubrationes ex Gallico & Hiſpanico idiomate in Latinum convertit. Fatis ceſſit anno 1706.

Bacchinus. *Benedictus Bacchinus*, Vir eruditionis omni genere præſtans, ſub Seculi proximè elapſi finem Franciſci II. Sereniſſimi Ducis Mutinæ Bibliothecarius eſſe cœpit.

Bandurinus. *Anſelmus Bandurinus* ob ſingularem eruditionem inter membra Regiæ Inſcriptionum Academiæ cooptatus, ab obitu V.C. Antonii Magliabecchii an. 1714. Pariſiis Florentiam evocatus Magni Hetruriæ Ducis præſtantiſſimæ Bibliothecæ Præfectus fuit. Reverſus ſubinde Pariſios, in ea Urbe deceſſit.

Szygielski. *Stanislaus Szygielski*, Tinecie, qnod eſt primarium Ordinis noſtri in Polonia Aſceterium, Bibliothecarius, typis mandavit ejusdem Monaſterii Hiſtoriam an. 1668.

Aicherus. *Otto Aicher à S. Vito*, Congregationis Bavaricæ gratam habet memoriam ab illis, qui Salisburgi Bibliothecam Aulicam vel Academicam inviſere ſolent, cùm pulcherrimum, Librorum ordinem, eorúmque Catalogos Ottonis induſtriæ & laboribus debeant.

Pockius. *Edmundus Pockius*, Ettalenſis Bibliothecæ Præfectus, cujus laudes ſuperiùs à nobis commemoratas hic repetere non vacat.

Munichius. *Sigiſmundus Munich* Admontenſis in Stiria percelebris, nulliſque ſecundi Monaſterii pereruditus Bibliothecarius, multa egregia literaria monumenta cum Fratribus Peziis communicavit, quæ illi poſtmodùm typis exſcribenda curârunt.

Tornamira. PETRUS ANTONIUS TORNAMIRA, & GOTHO (m) natione Siculus, patriâ Alcamenſis, nobilíque Familia ortus, ſed à diuturno incolatu, & monaſticâ profeſſione, quam in Monaſterio S. Martini de Scalis an. 1641. die 27. Decembris iniit, Panormitanus dictus, natus eſt an. 1618. die 7. Febr. A puero ſcientiis humanis, præcipuè Juriſprudentiæ ſtrenuam operam dedit, & admodùm juvenis J. U. lauream conſequutus eſt, an, verò ætatis XXI. *Judex Primarum Apellationum* pro Panormitana Urbe in Regia Curia conſtitutus fuit; quô tempore Seculo valedicens, Monaſticæ diſciplinæ palæſtram ingreſſus ſacrarnm Literarum ſtudiis, ac regularium virtutnm exercitationi ſe penitus devovit. Morum igitur innocentia ac doctrinæ fama conſpicuus à Jacobo de Pallafox, Archiepiſcopo Panormitano Cenſor, ſeu, ut dicimus, *Examinator Synod.* à Fidei Inquiſitoribus *Sancti Officii Conſultor* à Senatu denique Panormitano pro Eccleſiaſtico Ordine deputatus, fuit electus, quæ videlicet munia, quanti ab omnibus fieret, quantáque veneratione apud omnes frueretur, ſatis oſtendunt. Hæc extra; intra verò Monaſterium, Procurator ejusdem, Oeconomus, ſeu, ut vocant, Cellerarius, Decanus, Tyronum Magiſter, *Archivo ac Bibliothecæ Præfectus*, Prior denique Titularis, Monaſterium ipſum, totámque adeò Congregationem; quà induſtria, quà ſcripto pluribus magníſque beneficiis affecit; Pecuniarum enim, quæ ex paterna domo, vel aliunde illi obvenerant, in duo præclara opera, Pietatis unum, Sapientiæ alterum, maximam partem cum Superiorum facultate impendendam curavit. Primum fuit D. Gregorii Magni, Eccleſiæ & Cœnobii S. Martini Con-

(m) Armell. Bibl. Caſ. part. 2. pag. 124.

ditoris, & S. Sylviæ ejusdem Matris Sacellum ferè à fundamentis à ſe conſtructum, locupletatum, annoóque cenſu dotatum, quo in ejus Feſto duodecim pauperes, quorum pedes Monachi abluunt, ad menſam excipiantur, aureóque nummô donentur, in memoriam, ut arbitror, & ob exemplum ejusdem D. Gregorii, qui Peregrinos XII. quotidie ad menſam adhibebat, in quibus & Angelum, & Angelorum Dominum Peregrini ſpecie ſuſcipere meruit. Alterum eſt

Bibliotheca Gregoriana. Bibliotheca tribus millibus, eóque ampliùs Librorum conſtans, inter qoos plurimi Ordinis noſtri Scriptores continentur, maximâ diligentiâ, nec minori ſumptu undique collecta, quam *Gregorianam* appellatam voluit, quæ poſt ejus obitum Bibliothecam S. Martini, cæteroquin voluminibus refertiſſimam, tantâ acceſſione ditavit. Præſidio verò tot Librorum adjutus, plurima ſcripſit, quæ partim typis excuſa fuerunt, partim adhuc in Mſ.tis ejusdem Bibliothecæ aſſervantur.

David Aicheler. DAVID AICHELER Ottoburani in Suevia Monaſterii Bibliothecæ anno 1573. Præfectus, Libris tam ſuis, quam aliorum concellitarum in communitatis locum illatis, & cum antiquis permixtis, Codices omnes de novo in certas claſſes, certámque methodum redegit, non quod ordo à doctiſſimo P. *Nicolao Ellenbogen* obſervatus ipſi minùs placeret, ſed quod ordinem à tam perito Viro inſtitutum per ſciolos inveniſſet confuſum. Eo autem in Opere duplicem ut plurimùm ſecutus eſt methodum *Dignitatis* videlicet, *& Naturæ*, habens interim, quoad ejus fieri potuit, *Ætatis* rationem. Nec ſolùm ipſe Libros quamplurimos, eósque ſelectiſſimos comparavit, & Bibliothecæ intulit, verùm etiam inſtar ſedulæ apis per campos literarum circumvolitans, ex occurrentibos quibusvis Librorum floſculis mel dulciſſimum ſuxit, & collegit in tanta copia, nt plures quàm decem Libros ſcriptitando repleverit, præter epiſtolia, ſyntagmata & alia minora opuſcula, quæ de tebus non planè inutilibus ipſe elucubravit, uti pethibet in prolixa & erudita Præfatione Catalogo à ſe confecto præfixa, ex qua *Oliverius* hæc & alia deprompſit anno 1752. die 7. Octobris.

Billouet. *Philippus Billouet* (n) præclaro ingenio, & diverſis animi dotibus excellens nomen ſuum in Congregatione S. Mauri elaturus fuiſſet, niſi vehementior literarum cupiditas vitam ei ademiſſet. Cadomi in Abbatia S. Stephani linguam Hebraicam anno 1712. & proximè ſequenti Rhetoricam docuit. Hanc ſuam provinciam gnaviter adminiſtrabat, cùm Respublica literaria non minimam fecit jacturam, mortuo Domino *Prouſteau* Jurium Profeſſore in Univerſitate Aurelianenſi. Vir iſte Clariſſimus, ſummúmque ſplendorem eruditione ſuâ conſecutus numeroſam Bibliothecam Benedictinis Aurelianenſibus legavit, tolerabili additâ conditione, ut per tres dies in ſeptimana illam ad poblicum uſum apertam haberent: ad hæc pro augenda re Libraria certam pecuniæ ſummam conſtituit. Superiores in eligendo Bibliothecario nunquam rem ad trutinam juſtis ponderibus meliùs librârunt, atque in perſona D. *Billouet*, qui rationem Officii ſui & optimè intellexit, & ſummâ obire induſtriâ contendit. Conſtitutum illi erat, omni liberali doctrinâ animum excolere, quò iis omnibus, qui ad ipſum accederent conſulturi de univerſo ſcientiarum genete, non ineptè reſpondere poſſet, ſe credens ex equo Philoſophis, Theologis, Jureconſultis, Mathematicis, Hiſtoricis &c. eſſe obſtrictum. Facile eſt captu, quòd vires illius à ſtudio tam pertinaci, támque vario fuerint exhauſtæ. Animam de Re Bibliothecaria bene meritam Deo reddidit anno 1720. annum tertium ætatis & triceſimum egreſſus. Quæ ideò uberiùs nonnihil à me relata fuerunt, ut noſtrûm aliqui intelligant, ad munus Bibliothecarii ritè adminiſtrandum majorem doctrinæ apparatum requiri, atque quem animo ipſi conceperunt. Ut Græci proverbio dicunt, multos eſſe, qui Thyrſum ferunt, ſed paucos Bacchos; ita non omnes Bibliothecarii ſunt, quibus claves Bibliothecæ committuntur. Multiplici eruditione ac doctrinâ opus eſt, ut quis Coſtodis vel Præfecti Bibliothecæ nomen cum dignitate tueatur. Illud verò, etſi ad me nihil attinebat, vix æquo tamen animo ferre potui, cùm virum ornatiſſimæ præpoſitum Bibliothecæ ægrè munus illud ſuſtinere viderem. Neqoe enim priùs Abbati ſuo moleſtus eſſe deſiït, quàm cùm eo ſolutus culinæ præfectus

(n) le Cerf. Bibl. Hiſt. Crit. pag. 22.

tus fuit. Enimverò egregium Archimagirum, qui non magis ſapuit, quàm qui in culina ſunt.

Stephanus Burckard.

Stephanus Burckard ineunte Seculo decimo ſexto Bibliothecarius Mellicenſis ſub Joanne hujus nominis V.to Abbate locupletandæ bonis ac ſelectis Libris Bibliothecæ ſtudioſiſſimo, exactum Regiſtrum, ſeu Librorum Catalogum eleganti conſcripſit charactere.

Haringshauſer.

Sigiſmundus Haringshauſer novum Librorum, qui magno numero à Valentino Abbate coëmpti Bibliothecæ acceſſerunt, Indicem anno 1667. confecit. Vid. Bibl. Mellic.

Conſtant. Cajetanus.

Conſtantinus Cajetanus Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtos à Paulo V. conſtitutus eſt, quo in munere ob ſingularem meritorum præſtantiam ipſum Gregorius XV., Urbanus VIII. & Innocentius X. confirmârunt; apud quos Pontifices magna virtutis & doctrinæ opinione valuit. V. Mongitore in Bibl. Secul. V. *Conſtantinus Cajet.*

Joannes Hörman.

Joannes Hörman, Bibliothecæ Lunælacenſis Præfectus Seculo proximè elapſo, qui eam antiquiſſimam pariter ac locupletiſſimam ex merito vocavit. Vid. Chron. Lunælac.

Gueſnerius.

Claudius Gueſnerius Bibliothecæ San-Germanenſis Præfectus. Is tabulam olim generalem Operum S. Auguſtini contexuerat; poſteà novæ Editioni Gloſſarii Ducangii vacavit.

Chriſtophorus Hartman.

Chriſtophorus Hartmannus Eremitani in Helvetia Aſceterii longè celeberrimi Bibliothecarius, cui Abbas & Princeps hoc nomine I.mus anno 1600. electus provinciam componendi Annales ſui Monaſterii demandavit, quâ ille omninò præclarè functus eſt.

Benedictus de la Rive.

Benedictus de la Rive, Monaſterii Stabulenſis Sacerdos, & Bibliothecæ, tabularúmque publicarum Cuſtos, de quo vid. Acta Sanctorum die 26. Junii in vita S. Papoleni.

Antonius Lancry.

ANTONIUS LANCRY, Monaſterii Aquicinctini, in Belgio Bibliothecarius, cujus Foppenius in Bibliotheca Belgica meminit pag. 285.

Ildephonſus Goetgebuer.

ILDEPHONSUS GOETGEBUER, natione Flander fuit. Benedictina inſtituta in Abbatia Elnonenſi, ſeu S. Amandi in Gallo-Flandria profeſſus fuit. Singularis doctrina & eruditio dignum reddiderunt, cui nobilis Bibliothecæ cuſtodia committeretur. Quo munere cùm fungeretur, in excutiendis pervetuſtis Codicibus aſſiduus fuit. Ab ipſo accepimus Opus antehac incognitum *Jonæ Epiſcopi Aurelianenſis*, cui Titulus: *Via recta & antiqua, ſive qualiter omnes homines vitam Deo placitam ducere oporteat.* Hoc Opus tribus diſtinctum libellis Ildephonſus Bibliothecarius è tenebris in publicam lucem aſſeruit, notis illuſtravit, atque Duaci an. 1645. evulgavit.

Bernard. Pezius.

BERNARDUS PEZIUS, *Bibliothecarius Mellicenſis.* (o) Siquis unquam fuit, qui in exornanda celeberrima Bibliotheca Mellicenſi curam poſuit maximam, Bernardus Pezius is fuit. Nihil hîc dicam, quàm diligenter tabularia antiqua excuſſerit, chartas exeſas curiosè inveſtigârit, & copioſo indice ſuperaddito in ordinem redegerit: illud duntaxat commemorandum puto, quòd, quamdiu Bibliothecæ præfuit, præfuit autem multis annis, necquicquam habuerit antiquius, quàm eam Libris ut inſtrueret ſelectiſſimis. Imò verò quod magis admirandum, eò erga bonos Libros proceſſit amoris, ut de iisdem ipſis pecuniis, quas ad alios honeſtos uſus erogare poſſet, ultra mille florenorum in conquirendos optimos Libros collocaret. Quô factô tot paucorum annorum interventu in quovis diſciplinarum genere præſtantibus & rariſſimis Libris, tótque cimeliis aliis, & ornamentis literariis locupletavit, ut, qui eam hodie intuentur, non ſubciſivarum horarum apparatum, ſed cui accurando vel longævi & diligentiſſimi cujusque ætas vix ſuffecerit, ingenuè fateri cogantur. Effinxerat eum ad hoc munus natura, quam ipſe ſolertia eò uſque provexerat, ut Longino illi ſimilis, viva quædam ac ſpirans Bibliotheca ab æquis rerum arbitris admiraretur: útque non magis frequentes olim Apollinis tripodas conſulentes, quàm Bibliothecas inſtructuri Bernardum viſerent, à quo veluti à cortina Muſarum aurea hujusmodi rerum præcepta domum referrent. Quo minùs verò Bibliothecæ in novam & longè elegantiſſimam aulam translatæ ſupremam manum impoſuerit, mors immatura an. 1735. interceſſit.

Hierony. Pezius.

HIERONYMUS PEZIUS, Bernardi Frater germanus, Vir doctrinâ, eruditione, humanitate, comitate, omni denique virtute demortuo geminus, in præſens curam Bibliothecæ gerit. Nihil ipſo humanius erga eos, qui Bibliothecam Mellicenſem perluſtrare

(o) ex Oratione funebri Auctore Cl. Martino Kropfio, Mellicenſi, eloquentiæ Profeſſore.

luſtrare cupiunt, aut officii plenius, omníque comitate conditius fieri poteſt. Qui verò cum eo rei literariæ curam hodie gerit Cl. P. *Martinus Kropſius*, id inter alia Reipublicæ literariæ comendavit beneficii, quo ejus loci Virorum illuſtrium Notitiam, accuratámque manuſcriptorum Codicum & Cimeliorum recenſionem typis exſcriptum dedit A. 1747. in 4.

Martinus Kropſius.

Oliverius Legipont.

OLIVERIUS LEGIPONT, S. Martini Maj. Coloniæ Agrippinæ Cœnobita, SS. Theologiæ in Alma Ubiorum Univerſitate Licentiatus, ejusdémque ac Philoſophiæ Profeſſor emeritus. Clariſſimo huic Viro *Bernardus Pezius* p. m. author fuit, ut Gottwicum accederet, lectiſſimæ ejus Bibliothecæ præficiendus. Aures præbuit *Oliverius*, atque ineunte Martio anni 1734. Gottwicenſe Monaſterium adiit, ubi copioſiſſimam ejus loci librorum ſupellectilem novum in ordinem redigendam ſuſcepit. Quô in opere totus fuit, usqoe ad finem Octobris anni 1735. Sequenti vere anni 1736. Moguntiam accito, lectiſſimæ perilluſtris familiæ Dalbergicæ Bibliothecæ concinna ordinatio commiſſa fuit, quâ occaſione edidit *Diſcurſum quendam paræneticum ad æquos bonarum artium æſtimatores pro Bibliotheca publica & Societate Eruditorum ſub gratioſis auſpiciis Excell. DD. de Dalberg. in primaria Germaniæ Metropoli Urbe Moguntina feliciter erigendâ, promovenda, & ſtabilienda; ibidem imprimebat Joan. Franckenberg an. 1737. in folio.* Quô in laudabili inſtituto propagando aliquandiu utroque cornu laboravit; ſed in caſſum: Ejuscemodi enim Opera ſunt perardua, *quæ*, ut nonnemo ait, *faciliùs concipiuntur, quàm parturiuntur.* Suis tamen conſiliis id effecit, ut Moguntinenſes Bibliothecâ publicâ jam gaudeant. Prælo autem præter Diſcurſum laudatum, ſanè quàm doctum, tam eruditum, aptata habet, aut affecta, & maximam partem elaborata, varii commatis Opuſcula, inter quæ ad rem Bibliothecariam hæc potiſſimùm ſpectant: I. *Sciagraphia Philoſophico-Bibliographica, in qua de Libris rarioribus, & præſtantioribus, eorúmque raritatis cauſis, & horum ſignis diagnoſticis, nec non de variis iiſque potiſſimùm ad elegantiores literas pertinentibus rebus diſſeritur, & Libri aliquot rariores Ordine Alphabetico deſignantur.* In uſum Bibliothecariorum & Philobiblorum brevi Lucem adſpiciet. II. *Syſtema novum erigendæ, ordinandæ, & ornandæ Bibliothecæ, eiúsque Catalogi conficiendi facilem methodum exhibens.* III. *Syntagma de Bibliothecis Moguntinis, earum origines, incrementa, fata, & cimelia repræſentans.*

Ejus *Diſſertationes Philologico-Bibliographicæ*, typis exſcriptæ prodierunt *Norimbergæ* an. 1746. in 4. Agitur in iis: 1. *De adornanda & ornanda Bibliotheca.* 2. *De Manuſcriptis libríſque rarioribus & præſtantioribus.* 3. *De Archivo in ordinem redigendo, veterúmque Diplomatum Criterio.* 4. *De rei Numariæ, Antiquitatum, & Lithologiæ ſtudio.* 5. *De Muſica ejusque origine, progreſſu, cultoribus, & aliis ad elegantiores literas ſpectantibus argumentis...* Eximium Virum! qui non Bibliothecas tantùm ritè concinnare, ſed de ſuis etiam operibus ac præſtantis ingenii fœtibus locupletare poteſt.

Schmitfeld.

HUGO SCMITFELD S. Blaſii in Hercinia Sylva Bibliothecæ Præfectus perdiligens & induſtrius, anno 1742. meditabatur *Bibliothecam Benedictino-Vitoni-Hydulphianam*, ad normam *San-Maurianæ* à Pezio vulgatæ; quo labore non aliud intendebat, niſi præconceptam de celeberrima Congregatione Ss. Vitoni & Hydulphi exiſtimationem, Virorúmque in ea illuſtrium notitiam ingerere, & de re literaria ſingulare eorum benè merendi ſtudium in diverſas orbis literati oras producere. Ita ipſe in Epiſt. ad Aug. Calmetum data 9. April A. 1742.

La Croze.

MATURINUS VEYSSIERE LA CROZE, Nanetenſis Armoricus, Presbyter quondam Congregationis S. Mauri, Lutetiæ in celebri Monaſterio S. Germani, hoc tempore doctorum hominum feraciſſimo, ob variam Literaturam tanti habitus, ut nobilis illius Bibliothecæ, quæ in hoc loco aſſervatur, cura illi tanquam ordinario Bibliothecario commiſſa fuerit. Anno 1696. relicto Monaſterio, poſtquam Lutetiæ aliquamdiu latuiſſet, Baſileam delatus, in Conſiſtorio Calviniſtarum orthodoxam religionem ejuravit. Inde Berolinum profectus poſt aliquot annos Regiæ Bibliothecæ præfectus fuit. Anno 1731. V. C. Bernardus Pezius ſequentes ad eum (p) literas exaravit.

Cla-

(p) Exhibentur à D. Jordano in vita Crozii Gallicè Scripta pag. 197. ſeq.

Clariſſimo & Eruditiſſimo Viro,
Domino *Vaiſſiere De La Croze* P. Bernardus Pezius, Benedictinus
& Bibliothecarius Mellicenſis.

S. P. D.

„Ingens inclyti nominis tui fama,
„qua Rempublicam Literariam, jam
„dudum implevisti, Vir ſumme, me
„tibi tam arctè pridem conjunxit, ut
„omnem diem infauſtum mihi illu-
„xiſſe crederem, quo dulcis tui memo-
„ria animo non occurreret. Dum
„triennio abhinc cum Auguſtiſſimi
„Cancellario, & ad Conventum *Sueſ-*
„*ſionenſem* Legato, Comite de Sin-
„zendorff, Pariſios veniſſem, Intér-
„que Patres noſtros San-Germanen-
„ſes aliquamdiu ſuaviſſimè vixiſſem,
„de te mihi multo jucundiſſimus ſer-
„mo erat. Id unum cor graviſſimè
„macerabat, nondum apud eos Pa-
„tres res tuas ita comparatas eſſe, ut
„ad eorundem complexum redire vel
„velles, vel poſſes. Porrò cum hoc
„articulo maxima melioris fortunæ
„tuæ pars contineatur, amor erga te
„meus in eo feliciter explicando, me
„non ſinit eſſe ſegnem, præſertim
„cùm ipſa Divinæ Providentiæ ſua-
„vitas novum ad ſtabiliendam ſalu-
„tem tuam adytum his diebus pate-
„fecerit, ad quem ſi te promptè con-
„tuleris, & hanc & alteram vitam
„beatè tranſiges. Res ita ſe habet.
„Reverentiſſimus, Illuſtriſſimus juxta
„& Eruditiſſimus Dominus Abbas
„Famigeratiſſimi Monaſterii Gottwi-
„cenſis Ord. S. Ben. (quod Mellicio
„quatuor ferè horis diſtat) poſtquàm
„ampliſſimam Bibliothecam condidit,
„& ingenio præſtantem Religioſam
„juventutem congregavit, ac à me
„Criticorum ſtudiorum elementis im-
„bui curavit, Virum unicè quærit,
„qui conſtanti domicilio pulcherrimè
„cœpta ad eum, quem ipſe optat,
„apicem perducat. Jam verò cùm
„ad ornandam hanc cum fructu &
„dignitate provinciam, te, Vir Cl.
„nemo aptior & accomodatior, mihi
„unquam viſus fuerit, Reverendiſſi-
„mo ſupra laudato vehemens auctor
„fui, ut te ad ſe quam primum evo-
„care ac invitare dignaretur: id quòd
„conſilium meum tanto clementiùs
„amantiúsque illicò approbavit,
„quanto perſpectior eidem jam du-
„dum fuit exquiſita eruditio tua. Ita-
„que ejusdem juſſu & hortatu hanc
„nunc ad te Epiſtolam do, téque,
„ut porrò feliciſſimus eſſe velis ex-
„hortor. Poteris, ſi volueris, us-
„que ad obitum in egregio hocce
„Monaſterio Deo, Ordini, tuo, &
„& animæ tuæ ſaluti commodiſſimè
„ſervire. Si vincula, quibus Con-
„gregationi tuæ adſtrictus es, obſti-
„terint, propterea ne admodùm an-
„garis, obſecro. Illuſtriſſimus Do-
„minus Abbas Gottwicenſis, ea quâ
„Romæ floret, gratiâ, illa facili ne-
„gotio diſſolvet, téque quaqua verſus
„tutum præſtabit. Gottwici verò poſi-
„tus rebus quibuscunque neceſſariis
„honeſtiſſimè provideberis, atq; à Cho-
„ro reliquisq; Studiorum impedimen-
„tis liber, tibi uni, Sodalibusque tuis,
„gravioribusque quas amas, Muſis va-
„care permitteris. Pluribus, ut te
„alliciam, haud opus eſt puto. Res
„mihi eſt cum viro, cui diu noctúque
„illa Domini verba meditanda ſunt.
„*Quid prodeſt homini, ſi univerſum*
„*mundum lucretur, animæque verò*
„*ſuæ detrimentum patiatur?* memi-
„neris ſemper petræ, unde exciſus
„es, nec differ operari bonum, dum
„tempus & occaſio ſuppetunt. Nos
„te hîc ambabus ulnis, totísque bra-
„chiis complectemur, laudabimús-
„que in te Deum, qui ſperantes in
„ſe nunquam deſerit, ac à fine, us-
„que ad finem, attingit fortiter, &
„diſponit omnia ſuaviter. Ergo jam
„nunc rationes tuas ſerio ſubduc, &
„quæ tibi ſuper hac invitatione mea
„ſtet ſententia, proximè mihi ſigni-
„fica. Si viaticum tibi, in Auſtriam
„deſit, Reverendiſſimus Dominus
„Abbas opportunè tibi aderit, ut-
„pote qui te, Deo, & Sacro Ordi-
„ni noſtro ſervire volentem, dulciſſi-
„mi Filii inſtar ſemper habebit. Vale,
„Vir præſtantiſſime, & relictâ *Ægyp-*
„*to* iſtam terram noſtram lacte & melle
„manantem, quam primum inviſe.
„Gottwici in Auſtria 29. Junii 1731.

Literas tuas ſic inſcribes per Praque à Vienne in den Gottweiger-Hoff.

Ad has Cl. Pezii literas Mr. la Croze ſequens dedit Reſponſum.

Reverendiſſimo & Eruditiſſimo Viro Domino *Bernardo Pezio* Benedictino & Bibliothecario Mellicenſi S. P. D. *Maturinus Veyſſiere La Croze.*

„Literæ tuæ mihi perquàm gra-
„tæ fuerunt, non tamen propter lau-
„des quas mihi tribuis, quibus me

P. Ziegelbauer Hiſt. P. I. Iiii „parum

„ parum dignnm arbitror, ſed prop-
„ ter benevolentiæ tuæ indicia, quæ
„ luculenter animi tui pietatem & a-
„ morem in me tuum ſignificare viden-
„ tur. Jam pridem ſama tua, & doc-
„ tiſſimarum lucubrationum tuarum
„ cognitio me in admirationem nomi-
„ nis tui rapuit, eóque magis accen-
„ dor ad te amandum, & ſuſpicien-
„ dum, quod tu me hominem tanto
„ divortio terrarum à te remotum prior
„ compellare dignatus es, certè præ-
„ ter omnem ſpem meam; nihil enim
„ ejusmodi à te, Vir ſumme, exſpec-
„ taſſem, cùm nequidem tibi me no-
„ tum eſſe arbitrer. Cœterùm cùm
„ videam te præter ſalutandi officium
„ aliquid aliud moliri, non poſſum, quin
„ tibi reſpondeam ea animi devotione,
„ quam tibi approbare velim. Si quid
„ fortè exciderit, quod minimè proba-
„ veris, veniam da quæſo: haud enim
„ ea huc afferre potui, quæ mihi omni-
„ no dicenda cenſebam, quin diſſen-
„ ſus à te mei rationes nonnullas pro-
„ ponerem.

„ Ante omnia tamen Illuſtriſſimo
„ & Reverendiſſimo Domino *Abbati*
„ *Gottwicenſis Monaſterii* gratias habeo,
„ ob ea beneficia & commoda, quæ
„ mihi ultro offert, quibus quo mi-
„ nus utar, impedit conſcientia, quæ
„ eo meticuloſior fit, quod videam
„ brevi mihi eſſe moriendum: nulla
„ enim vitæ diuturnioris ſpes eſſe po-
„ teſt homini ſeptuagenario, & mul-
„ tis morbis obnoxio. Hinc ſæpe ani-
„ mo volvo ea verba, quæ in Epiſtola
„ tua lego: *Quid prodeſt homini, ſi uni-*
„ *verſum mundum lucretur, animæ verò*
„ *ſuæ detrimentum patiatur?* Atque
„ ſi contra conſcientiam meam ali-
„ quid, quod abſit, egero, animæ
„ meæ, quod deprecor, jacturam
„ ſaciam. Vis ſorſan ſcire, quanam
„ in re conſcientiam meam lœderem,
„ ſi parerem conſiliis veſtris? Certè
„ longa oratione opus eſſet ad omnia
„ explicanda, nec id vobis oppor-
„ tunum foret, cùm ſatis ſuperque
„ noverim, quanta vis ſit earum opi-
„ nionum, quas à prima juventute
„ imbibimus. Ea tanum hic attingam,
„ quæ ſilentio præterire non poſſum.
„ *An me vocas ad nuperam illam Con-*
„ *ſtitutionem Pontificiam, quæ Chri-*
„ *ſtianam fidem ab imis fundamen-*
„ *tis ſuccuſſit?* Agnoſcis verba homi-
„ nis tibi noti, piæ & felicis memoriæ.
„ At fortè dices, nemo coget illi *Con-*
„ *ſtitutioni* ſubſcribere, in qua diſer-
„ tis verbis ipſæ Domini noſtri I. C.
„ ſententiæ, & dicta damnantur? Vi-
„ de propoſitionem ſecundam, item
„ 45. qua damnantur *Apoſtoli Joan-*
„ *nis* verba, *Qui non diligit, manet*
„ *in morte.* His damnationibus etiam-
„ ſi fortè ſubſcribere non cogerer,
„ neceſſario tamen communicandum
„ eſſet cum illis, qui numerant inter
„ *Hæreticos* eos homines, qui hujus
„ *Conſtitutionis* Edicta impia & hære-
„ tica arbitrantur. Multa alia gra-
„ viora taceo, ne vos offendam. Ego
„ cum divo Petro, Principe Apoſto-
„ lorum, ita Dominum *Jeſum* allo-
„ qui ſoleo: *Domine, ad quem ibi-*
„ *mus? verba vitæ æternæ habes*: ab-
„ ſit à me, nt à Domino meo diſce-
„ dens, hominibus & eorum decre-
„ tis adhæream. Potes, inquit Auc-
„ tor aurei libri de *imitatione Chriſti*,
„ *citò fugere Jeſum, & gratiam ejus*
„ *perdere, ſi volueris ad exteriora de-*
„ *clinare. Et ſi illum effugaveris &*
„ *perdideris, ad quem tunc fugies? &*
„ *quem tunc quæres amicum?* Lib. II.
„ cap. 8. Nec fruſtra me Chriſtum
„ Dominum inveniſſe cenſeo: nam eas
„ Regulas adhibui, quas ipſe præſcri-
„ pſit: Si in fine temporum, *quis vo-*
„ *bis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut*
„ *illic, nolite credere.* Math. XXIV.
„ 23. & verſ. 26. *Si dixerit vobis,*
„ *Ecce in Deſerto eſt, nolite exire: ecce*
„ *in penetralibus, nolite credere.* Vi-
„ deas velim vocem Græcam, quam
„ per penetralia *Vulgatæ Verſionis*
„ Auctor interpretatus eſt. *S. Lucas*
„ in loco paralello hic addit, *Ecce*
„ *regnum Dei intra vos eſt.* Cap. XVII.
„ v. 21. Ego quæſivi Dominum
„ meum ubi ipſe juſſit, ut eum quæ-
„ reremus, nec operam luſi, nam
„ dicere poſſum cum Sponſa Cantici
„ Canticorum: *Inveni, quem diligit*
„ *anima mea: tenui eum, nec dimittam.*
„ Cæterum nolim credas me aut Lu-
„ thero aut Calvino nomen dediſſe:
„ abſit, uni *Chriſto* adhæreo, eum
„ nunc diligo: ipſi quotidie dico: *Delic-*
„ *ta juventutis meæ & ignorantias meas,*
„ *ne memineris, Domine.* Hæc erant, vir
„ eruditiſſime, quæ mihi neceſſario in
„ medium proferenda judicavi. No-
„ lim ea in malam partem accipias.
„ Scio quidem, & certè ſcio, me pro-
pterea tibi minus charum fore, ſed
„ ſententias meas longo ſtudio, im-
„ ploratâ Dei ope, quæſitas abdica-
„ re non poſſum. Jam per triginta
„ annos, & quod excurrit uni ſtudio
„ *Chriſtianæ Religionis*, operam dedi,
lectio-

„ lectioniqne ſacrarum literarum, an-
„ tiquorum Patrum, Conciliorum &
„ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ primurum
„ Seculorum intentus fui, quo in ſtu-
„ dio multa vera nondum ſatis cogni-
„ ta eruiſſe viſus ſum. Faxit Deus,
„ ut iis omnibus primò ad ejus glori-
„ am utar, deinde ad ſalutem æter-
„ nam adipiſcendam. Alii alia quæ-
„ rant. *Mibi adbærere Deo bonum eſt,*
„ *ponere in Domino Deo ſpem meam.*
„ Verum de his ſatis, ſupérque Sen-
„ tentiarum diverſitas nihil impedit,
„ quò minùs de vobis, & pietate veſ-
„ tra bene ſentiam, méque benevo-
„ lentiæ veſtræ commendem. Illu-
„ ſtriſſimo Abbati Gottwicenſi ſalu-
„ tem plurimam dico cum prolixa
„ gratiarum actione. Idem tibi Vir
„ Reverende & Erudite, dictum pu-
„ ta. Nolite, quæſo, me aſpernari, &
„ odiſſe: Dictum enim *Auguſtini* vo-
„ bis objicerem. *Fratrem odiſti, & ne-*
„ *ſcis.* Valete in Domino mei memo-
„ res. Dabam Berolini die 31. Jul.
„ A. D. N. J. C. 1731.

Poſt ſcriptas haſce literas Mr. *La Croze* vitam usqde ad annum 1739. produxit, quô labente eandem cum morte commutavit. Fuit vir acris Ingenii, ſtupendæ memoriæ, vaſtæ lectionis, atque eruditionis. Doctus erat Græcè, Hebraicè, Latinè, Intelligebat Germanicam, Arabicam Armenicam, Syriacam, Copticá, Græcam, vulgarem, Anglo Saxonicam, pluréſq; alias linguas. Loquebatur Anglicè, Hiſpanicè, Luſitanicè, Italicè magna cum facilitate. Studia literarum tanto támque indeſeſſo labore excoluit, quanto nemo ferè alius. Scripſit permulta, ſed cùm hæc poſt excuſſum Monaſticum jugum literis mandarit, recenſenda non exiſtimo. Cùm adhuc in Congregatione S. Mauri verſaretur, Operibus S. Gregorii Nazianzeni, & Clementis Alexandrini revidendis operam addixit. Autiuritatem SS Patrum magni faciebat, nec eam ab aliis deprimi, aut in contemptu haberi patiebatur. Ubi verò detectum fuit, quòd calamum Heterodoxorum ſcriptis vertendis clam impenderet Præpoſiti non ſolùm de eo minùs ſperare, ſed etiam metuere cœperunt, talem futurum, qualem ex libris Calvini dogmata ſapientibus, in ejus cellula inventis, judicârunt. Unde ut *Voyagè à Jeruſalem*, *Iter Jeroſolymitanum* conficeret decreverunt. Eſt modus loquendi in Galliæ Monaſteriis, cùm quiſpiam carceri mancipandus eſt. Quâ de re admonitus, fugâ ſe proripuit. Videri autem volebat, ſe non aliâ causâ, quàm veritatis ſolius amore, ad Calvini aſſeclas tranſiiſſe. Fuerunt enim, qui dicerent, ipſius religionem fuiſſe generis fœminini, ut qui non ita diu poſt concupitas nuptias cum *Eliſabetha Roſa du Dauphine* elegantis formæ puella celebrarit. Ut ut ſit, in hoc *Mr. La Croze* laudandus eſt, quòd à conſuetudine aliorum apoſtatarum longè abfuerit. Plerúmque enim fit, ut qui à Religioſo inſtituto deficiunt, nihil antiquius habeant, quàm ut in illud ejúſque Sectatores mille effundant convitia; ipſe verò tantùm abſuit, ut hoc faceret, ut etiam illos, qui Religioſis Congregationis S. Mauri obtrectabant, ſcriptis ſtrenuè refelleret. Ad extremum magit ſapuiſſet, ſi ad ſobrietatem ſapere maluiſſet. Sed ſatis de Viro Apoſtata, qui literarum decus, quo inter San-Maurianos Patres erat conſpicuus, ſuâ primùm à fide orthodoxâ, tùm Benedictina familia defectione, nimium quantum obſcuravit. Orationem verò convertamus ad *Bibliothecarium* non Cardinalitia magis dignitate, quæ ad ſummum Pontificis Maximi faſtigium proximè accedit, quàm admirandâ eruditione & doctrina Eminentiſſimum. Atque is eſt

ANGELUS MARIA QUIRINUS, cui in nobiliſſima juxtà & antiquiſſimâ procreato familiâ natales cunas Venetiæ anno 1680. præbuerunt. A paucis tantùm menſibus annos ſeptem exceſſerat, quum Brixiam à parentibus delatus, Patribus Societatis Jeſu in Collegio Nobilium S. Antonii pietatis & literis inſtruendus traditus fuit, eóque in loco novem integros annos tranſegit. Puſthæc vitæ ſanctius traducendæ cupidus, Divi Benedicti Ordinem amplexus ſolemnia vota in Florentino S. Mariæ Monaſterio nuncupavit. A ſacra profeſſione bonas horas, quæ à vitæ aſceticæ muniis ſupererant, literis Græcis & Hebraicis addiſcendis impendit. In Græcis habuit Præceptorem *Antonium Mariam Salvinum*, quem ipſe *Chryſoloram*, ex cujus ſchola ſummæ laudis ingenia, Florentiæ præcipuè, prodierant, ſuum veluti alterum appellare conſueverat. In Hebraicis operâ uſus eſt *Petri Benedicti* in illo ipſo Cœnobio, antequam Societati Jeſu Cardinal. Quirinus.

nomen daret, hoſpitis ac contubernalis. Inſignem earum peritiam teſtatam facit *Oratio de Moſaicæ Hiſtoriæ Præſtantia* ab ipſo recitata pro auſpicandis ſtudiis illis, & quidem *ad Hebraicæ veritatis fontem*, ut præfixus ei Orationi titulus declarat. Non minori laude ſacros Canones & Ss. Theologiæ placita Profeſſor diſcipulis expoſuit. Poſt ſuſcepta itinera literaria, in Gallias præſertim, in Italiam redux, temporis progreſſu, Abbas primùm S. Matiæ Florentiæ, tum à Clemente XI. Sacræ Inquiſitionis Qualificator, Sacrorúmque Rituum & Indicis Conſultor, deinde ab Innocentio XIII. Corcyrenſis Archiepiſcopus creatus eſt. Poſtmodùm cognato ſuo, *Fortunato Moroſino*, in Epiſcopatu Brixienſi Succeſſor datus, à Benedicto XIII. anno 1727. die 26. Nov. Cardinalis Presbyter Tituli S. Mariæ factus, à Clemente verò XII. Vaticanæ Bibliothecæ præfectus fuit. Hanc Ipſe inſigniter auxit, eam tribus ſuis Bibliothecis, quas Brixiæ, Venetiis, & Romæ habuit, donando. Qua munificentiâ Vaticanâ ita locupletata fuit, ut cùm foruli capiendis libris non ſufficerent, novæ Ædes pto Bibliotheca juſſu Pontificis conſtruendæ fuerint. Ante quarum frontem *Clemens* XII. hanc epigraphen à Clariſſimo Præſule, Carolo Majella, Vaticanæ Bibliothecæ primo Cuſtode compoſitam, marmoreáque tabula inciſam collocari juſſit.

CLEMENS XII. P. M. CORSINUS
EXCIPIENDIS ET ADSERVANDIS IMPRESSIS CODICIBUS
TAM PONTIFICIA LIBERALITATE COMPARATIS
QUAM AB ANGELO MARIA QUIRINO
S. R. E. CARDINALI BIBLIOTHECARIO
DONO DATIS
INSIGNI AULÆ HUJUS ACCESSIONE
VATICANÆ BIBLIOTHECÆ SPATIA LAXAVIT
ARMARIA PLUTEOSQUE CONSTRUXIT
ANNO DOMINI MDCCXXXII.

Quàm ſcitè verò & præclarè Eminentiſſimus Cardinalis QUIRINUS Bibliothecarii munus cum Paſtorali Officio per annorum quàm plurium decurſum conjunxerit, hodiéque conjungat, argumento ſunt, quas hîc in gratiam Lectoris ſubjicio

LITERÆ APOSTOLICÆ
CLEMENTIS PP. XII.
De Vaticanæ Bibliothecæ incremento
De nova S. Ephræm Syri Editione ex ejus Codicibus adornata
atque una ſimul
De Paſtoralis ſollicitudinis laudibus.

DILECTO FILIO NOSTRO
ANGELO MARIÆ TIT. S. MARCI
PRESB. CARD. QUIRINO NUNCUP.
S. R. E. BIBLIOTHECARIO
CLEMENS PAPA XII.

Dilecte Fili Noſter Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Circumſpectionis tuæ in graviſſimis Noſtris & hujus Sanctæ Sedis negotiis peragendis prudentia, fides, doctrina, & integritas prometentur, ut præcipua, & quæ Nobis maximè cordi ſunt, ejuſdem Sedis munera Tibi comittamus. Cùm itaque Officium S. R. Eccleſiæ Bibliothecarii, ſeu Protectoris Bibliothecæ Noſtræ Vaticanæ, qood bo. mem. Benedictus ejuſdem S. R. E. Diaconus Cardinalis Pamphilius nuncupatus, dum viveret, obtinebat, per obitum ipſius Benedicti Cardinalis, qui nuper apud Sedem Apoſtolicam debitum naturæ perſolvit, vacaverit, & vacet de præſenti, Nos de prædictis, & aliis eximiis virtutum donis, quibus illarum Largitor Altiſſimus perſonam tuam multipliciter inſignivit, plurimùm in Domino confiſi, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Officium S. R. E. Bibliothecarii, ſeu dictæ Bibliothecæ Protectotis hujuſmodi, ſicut præmittitur, vacans, cum auctoritatibus, facultatibus, honoribus, & oneribus per alios Cardinales Bibliothecarios, ſeu dictæ Bibliothecæ Protectores ante Te haberi, & exerceri ſolitis, & conſuetis, ac etiam à fel. rec. Paulo Papa V. Prædeceſſore Noſtro per ſuas in ſimili forma Brevis die prima Julii MDCVII. expeditas literas, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, præſcriptis, & quibus illi uſi ſont, ſeu uti potuerunt, vel etiam debuerunt, tenore præſentium ad tui vitam concedimus, & conferimus, Téque in locum prædicti Benedicti Cardinalis, quoad Officium Bibliothecarii, ſeu Protectoris Bibliothecæ hujuſmodi ſubſtituimus & ſubrogamus, Mandantes dilectis Filiis Cuſtodibus, Scriptoribus, & Miniſtris dictæ Bibliothecæ, cæteríſque, ad quos ſpectat, ut

Te

Te ad prædictum Bibliothecarii Officium eâ, quâ decet, reverentiâ recipiant, & admittant, tuíſque juſſibus, monitis, & mandatis in his, quæ ad bonam ipſius Bibliothecæ directionem, & proſperum ſtatum pertinebunt, pareant, & obediant. Nos enim Tibi quoſcunque in præmiſſis non obtemperantes cenſuris, & pœnis ad id opportunis compeſcendi, omniáque & ſingula alia Officium Bibliothecarii, ſeu Protectoris Bibliothecæ hujusmodi de jure, vel conſuetudine, ac aliàs quomodolibet concernentia, neceſſariáque, & opportuna gerendi, & exercendi, plenam, & liberam tribuimus facultatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibusvis etſi juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteríſque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IV. Septembris MDCCXXX. Pontificatûs Noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Clemens PP. XII.

Dilecte Fili &c. Cùm Te conſpicuo iſto, tuíſque eruditionis, doctrinæque laudibus aptiſſimo, Apoſtolici Bibliothecarii munere auximus, Præfecturam, operámq; tuam ad publicam Sacrorum Studiorum utilitatem, ac Vaticanæ Bibliothecæ ornamentum ceſſuram eſſe minimè dubitabamus. Atque opinioni Te quidem Noſtræ cumulatiſſimè reſpondere, ſuſcepta jam à Te Operum Sancti Ephrem Syri ex MSS. Vaticanis Codicibus Græcis & Syriacis Editio confirmabat. Quas tamen ad Nos dediſti literas, expectationem Te Noſtram etiam vincere comptobaverunt. Te enim irrevocabili, quam inter Vivos dicunt, donatione Bibliothecam tuam copioſis, ac ſelectis impreſſis Codicibus refertam, unà cum acceſſionibus, quas in poſterum, etiam novis Libris adjectis, ſuſceptura ſit, eidem Vaticanæ Bibliothecæ dono dediſſe ſignificârunt, reſervato tamen Tibi eorundem uſu, quoad vixeris. Iſtam profectò ad bonarum artium, & doctrinarum cultum, ac Bibliothecæ Tibi comendatæ, incrementum, præclaram voluntatem, largitatémque paterna laudatione proſequimur, tuæque virtuti gratulamur, quod perennis extabit tuæ liberalitatis memoria inter monumenta inſignium Virorum, qui de Vaticana Codicum ſupellectile, déque univerſa re literaria egregiè meruerunt. Ut autem pro excipiendis Libris tuis ejusdem Bibliothecæ ſpatia laxarentur, Præfecto Apoſtolici Noſtri Palatii ſedulò mandavimus. Grati intereà, lætíque animi Noſtri ſenſibus Apoſtolicam Benedictionem adjungimus, quam Tibi, Dilecte Fili Noſter, ad Cœleſtis remunerationis auſpicium & pignus peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Maji MDCCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno Primo

Carolus Archiep. Emiſſenus.

Lectu etiam perquàm digna eſt Cardinalis Quirini Epiſtola ad Cardinalem Corſinum Clementis XII. Nepotem data, in qua ad quæſtionem, neſcio à quo Romæ motam, *An Epiſcopi, Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti, curam Paſtoralem ſeu Epiſcopolem proptereà dimiſerint*, negative his verbis reſpondet : Cardinalis Quirini Epiſtola.

Eminentiſſimo & Reverendiſſimo
Domino Nereo S. R. E. Card. Corſino
Clementis XII. ex Fratre Nepoti
Angelus Maria S.R.E. Card. Quirinus Bibliothecarius Apoſtolicus
& Epiſc. Brixien.

Binis Epiſtolis, quas Tibi Cardinalis Præclariſſime, ſuperioribus menſibus dedi, tertiam modò ſubjungo, ut quorundam deſiderio, quod illæ excitârunt, ſatisfaciam. Ex eo enim ſermone, qui poſt illas emiſſas, incertis Auctoribus Romæ vagatus eſt, de Epiſcopali cura à Cardinalibus Bibliothecariis olim dimiſſa, quo ſuſcepti Officii partes implerent, ſciſcitandi à me occaſionem illi ceperunt, num ita reverà contigiſſe ex indubiis monumentis dignoſcatur, an potiùs conſtet, Cardinales ea cura implicitos, minimè illam abdicâſſe, ſed cum Vaticanæ Præfectura conjunxiſſe. Cui quæſtioni non alio modo, quàm literis à Te pariter datis, teſpondendum puto, ac confidenter illicò affirmo, ne unum quidem in ea Cardinalium Bibliothecariorū ſerie, quam ipſorum Icones in veſtibulo ejusdem Bibliothecæ repræſentant, ne unum, inquam, teperiri, de quo verè dici va-

 leat,

leat, Eccleſiæ, quam adminiſtrabat, valedixiſſe, propterea quod ea adminiſtratio non benè cum literario illo Magiſtratu convenire cenſeretur. Ne tamen id à me gratis dictum exiſtimes, Tibi ob oculos ponam, quæ facilè cuivis obvia Ciaconii, & Ughellii volumina de eo argumento complectuntur; quod nusquam pleniùs Cardinalium, &Epiſcoporum res geſtæ, quàm in iisdem, collectæ, atque diſpoſitæ comperiantur, Operæ autem pretium erit, integram illam ſeriem exactè deſcribere, ut hac occaſione eruditis una ſimul ſatisfaciam, ac proinde nec eos Bibliothecarios præterire, qui Paſtoralis curæ expertes Officium illud geſſerunt. Conſulam verò, præter *Alphonſum Ciaconium*, & *Ferdinandum Ughellium*, ubi opus erit, *Angelum Roccam* in Vaticanæ Bibliothecæ Deſcriptione, nec non *Jo. Juſtinum Ciampinium* in Catalogo S. R. E. Bibliothecariorum. Hos ipſos conſului in conſpectu illo ejusdem Bibliothecæ, quem ære inciſum paucis abhinc annis evulgavi, ibidem chronologicas notas ex eorum Scriptorum fide unicè apponendo, quod ita locus poſtularet.

Series Bibliothecariorum Vaticanæ.

I. Primus in ea ſerie conſpicitur HIERONYMUS ALEANDER, Græcarum, Hebraicarúmque literarum doctrina præcellentiſſimus. Hic Vaticanæ Bibliothecæ Præfecturam anno 1519. poſt Zenobii Aciaioli mortem à Leone X. aſſecutus, eandem retinuit usque ad annum 1542. quo ex hac mortali vita diſceſſit, ac proinde Archiepiſcopatu etiam Brundusino, quem anno 1524. accepit, exornatus; idque diſertis verbis adnotatum legimus tam apud Ciaconium, quàm apud Ughellium in hunc modum: *Bibliothecæ Vaticanæ Præfecturam, etſi abſens in Legationibus, & Archiepiſcopatu retinuit, quámque deinceps Pontifices Cardinalibus detulerunt.*

Marcellus Cervinus,

II. Secundum in ea ſerie occupat locum MARCELLUS CERVINUS, & ipſe doctrinæ, literatorū Virorum patrocinio, nec non veterum Codicum colligendorum ſtudio clariſſimus. Neocaſtrenſem primum, deinde Rhegii Lepidi, demùm Eugubinam Eccleſiam rexit, ex qua ad ſupremam Petri Cathedram conſcendit, Eugubinis ſuis maximoperè charus, quemadmodùm marmorea eidem erecta Statua teſtati ſunt.

Robertus Nobilius,

III. ROBERTUS NOBILIUS proximè poſt Cervinum ſpectatur, eximium adeò doctrinæ & ſanctimoniæ in tenera ætate prodigium, ut eum nondum annum quartum decimum attingentem, Vaticanæ Bibliothecæ Præfecturæ dignum exiſtimaverit Paulus IV. quum Purpuram ab Julio II. cujus Pronepos erat, accepiſſet. Utramque verò, antequam ſeptendecim annos excederet, unà cum mortalitatis exuviis depoſuit.

Alphonſus Carafa,

IV. In ea Præfectura ſucceſſorem NOBILIO aſſignavit Paulus IV. ALPHONSUM CARAFAM, egregiæ virtutis adoleſcentem, cui paulò antè & honorem Purpuræ, & Eccleſiæ Neapolitanæ adminiſtrationem contulerat. Obiit verò S. Sedis Bibliothecarius & Neapolitanus Præſul an. 1565. Neapoli poſt Diœceſanam Synodum ibidem celebratam, obitósque continuos, gravésque pro grege labores.

Antonius Amulius,

V. Carafam in eadem Præfectura excepit M. ANTONIUS AMULIUS, Cardinalis non eximia tantùm eloquentia, & ſingulari civilium rerum peritia, ſed & multiplici doctrina magno in pretio habitus à Pio IV. qui eundem propterea, dum Veneta Legatione Romæ fungeretur, ad Purpuram primùm, deinde ad Bibliothecarii Apoſtolici munus adſcivit, collato ei præterea Reatino Epiſcopatu, quem anno tantùm 1570. moriens reliquit.

Guilielmus Sirletus,

VI. GUILIELMUS SIRLETUS Apoſtolici Bibliothecarii munus poſt Amulii obitum accepit à S. Pio V. non ejusdem tantùm virtutum odore, & fragrantia, ſed & incredibili literarum omnium peritia capto. Obtinebat eo tempore Squillacenſem Eccleſiam, quam adhuc per annos quinque retinuit, & poſtea in gratiam Nepotis dimiſit. Quemadmodùm Vaticanæ Bibliothecæ, ita & Indici Librorum prohibitorum, eorúmque expurgationi præfuit.

Antonius Carafa,

VII. ANTONIUS CARAFA, cui *Sirletus* Græcæ linguæ Præceptor obtigerat, dignus fuit, qui eidem in literaria illa provincia ſuccederet; nam & in Græca lingua, cæteriſque doctrinis ita profecit, ut ejus induſtria Editio Septuaginta duorum Virorum, Oecumenica antiqua Concilia tam Græcè quàm Latinè conſcripta, tres Tomi Epiſtolarum Romanorum Pontificum, ea ætate lucem conſpexerint.

Antonius Columna

VIII. Qua ratione Sirletus nonniſi poſt plures annos ab adminiſtrata Bibliothe-

liotheca Paſtoralem curam abdicavit, ita huic nuncium remiſit ante annos plures quàm eam regendam ſuſciperet, M. ANTONIUS COLUMNA, benigniſſimus doctorum hominum Mecænas. Siquidem à Clemente VIII. Bibliothecarius Apoſtolicus renuntiatus ſuit, Archiepiſcopatum autem Salernitanum in gratiam Marci Antonii Columnæ Marſilii ejus Conſobrini anno 1574. abdicavit, ac proinde decem & octo annos antequam Clemens VIII. Pontificatum iniret.

Cæſar Baronius,

IX. CÆSAR BARONIUS, Collegii Cardinalium decus inclytum, præfuit Bibliothecæ Apoſtolicæ poſt M. Antonium Columnam.

Ludovicus de Torres,

X. Mortuo Baronio munus illud delatum fuit LUDOVICO DE TORRES, cujus doctrinam magni faciens idem Baronius, profeſſus eſt in Annotationibus ad Martyrologinm Romannm ſe easdem illi recognoſcendas dediſſe, ut ejus judicii ſtatera examinarentur, antequàm in hominum conſpectum prodirent. Gerebat ille jam à multis annis Montis Regalis in Sicilia Archiepiſcopatum, optimi Paſtoris partes implens, nec illum dimiſit ob demandatam ſibi Vaticanæ Bibliothecæ curam, ſed utroque Titulo inſignis è vita migravit.

Scipio Burgheſius,

XI. SCIPIO BURGHESIUS in eadem ſerie ſubſequitur, quem doctrina etiam excultum fuiſſe declarant Clarorum Virorum Opera eidem inſcripta.

Cobellutius,

XII. SCIPIO COBELLUTIUS, qui *Literis conciliatricibus Purpuram adeptus, eisdem gratiam reddidit perpetuò literatorum patrocinio*, ut legitur in elogio illi poſito à Collegio Viterbienſi Societatis Jeſu, Burgheſio in Vaticanæ Bibliothecæ cura ſucceſſit.

Franciſcus Barberinus,

XIII. FRANCISCUS BARBERINUS, quem virtutis, & literarum amantiſſimum, Virorum doctrina præſtantium nuncupatæ ei lucuorationes demonſtrant, nec non celeberrima Bibliotheca ſuis in Ædibus extructa, Bibliothecarii Apoſtolici Officium ab Urbano VIII. Patruo ſuo aſſecutus eſt.

Antonius Barberinus,

XIV. ANTONIUS BARBERINUS ejusdem Franciſci Patruus, Frater ſcilicet Urbani VIII. Bibliothecarii munere ob egregias virtutes, quibus fulgebat, inſignitus fuit ex ceſſione Franciſci Nepotis facta in manibus Papæ, poſtquàm jam ab aliquot annis Senogallienſem Epiſcopatum abdicâſſet.

Horatius Juſtinianus,

XV. HORATIUS JUSTINIANUS, Vir eximiæ literaturæ, quam typis edita ejus Opera oſtendunt, præfuit Bibliothecæ Vaticanæ primùm Cuſtodis munere fungens, deinde Antonio Barberino Succeſſor datus. Dum eum ad Purpuram evexit Innocentius X. Nucerinam Eccleſiam obtinebat, qnam dimiſit occaſione muneris ſummi Pœnitentiarii ei collatl ab eodem Pontifice, ut diſertè teſtatur ipſius Elogium apud Ciaconium, ibíque ſubditur: *Præfuit Presbyter Cardinalis Eccleſiæ S. Onuphrii in Janiculo, renuntiatus etiam S. R. E. Bibliothecarius.*

Aloyſius Capponius & reliqui Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti,

XVI. ALOYSIUS CAPPONIUS, morum, prudenriæ, & ingenii laude inſignis, Bibliothecam Vaticanam moderatus eſt poſt Horatium Juſtinianum, qui obiit anno 1649. ac proinde poſt depoſitum jam ab annis qninque in gratiam Lucæ Torregiani Pronepotis Archiepiſcopatum Ravennæ, quo potiebatur.

Poſt *Capponium* hoc ordine ſubſequuntur Cardinalium Bibliothecariorum Icones. XVII. FLAVIUS CHISIUS. XVIII. LAURENTIUS BRANCATUS DE LAUREA. XIX. HIERONYMUS CASANATE. XX. HENRICUS NORIS. XXI. BENEDICTUS PAMPHILIUS. Horum nomina recitâſſe ſufficiat, quod nemo ex ipſis Epiſcopalem curam unquam ſuſceperit, quódque inſignia eorum merita ſatis cuique nota reddantur ex temporum vicinitate.

ex quibus colligitur Bibliothecarii munus cum Epiſcopali eſſe compatibile,

Conſtat itaque, Cardinalis Eminentiſſime, ſolis etiam *Ciaconii, Ughelii Rocchæ, Ciampinii* voluminibus conſultis, quæ in manu omnium ſunt, jure à me affirmari putuiſſe, ne unum quidem è Cardinalibus Bibliothecariis reperiri, qui occaſione ſuſcepti Officii, Eccleſiæ, quam adminiſtrabat, nuncium remiſerit. Exſtant quidem, qui nullo unquàm tempore ſacrum illud conjugium admiſerunt, qui diſſolvendum ipſum curârunt ſeu pluribus annis ante Bibliothecam Vaticanam ſibi concreditam, ſeu pluribus annis poſt eandem adminiſtratam, ſeu denique ob Summi Pœnitentiarii munus ſibi collatum; at ne unum quidem (ut tertio id ipſum dicam) laudati Scriptores proferunt, qui Eccleſias ſuas ob demandatum Bibliothecarii Officiũ dimiſerit.

Con-

Nihilque à Majorum inſtituto alienum eſſe in Cardin. Quirino conjungi utrumq.

Conſtat pariter, nihil alienum à Majorum inſtituto *Clementem XII.* patraſſe, dum mihi Brixianæ Eccleſiæ copulato Vaticanæ Bibliothecæ Præfecturam commiſit, dúmque, ne hujus cauſa ab eo vinculo reſilirem optavit. Eam Sanctiſſimi Patrui tui voluntatem meridiana luce clarius Literæ Apoſtolicæ nuper à me evulgatæ demonſtrant. Quæ tamen etiamſi deeſſent, illa ipſa ſatis innotuit Tibi inprimis, & aliis etiam quotquot ſingularis erga me benevolentia ſollicitos effecit, ut eam disjunctionem ab ipſo Pontifice impetrarent, quo Romanæ Sedis ſervitium curas meas, ſtudia mea unicè ſibi vindicaret. Quo pacto Pontifex hujuſcemodi dicta repelleret, tenuitatis meæ, ut mihi videbatur, optimè conſcius; ut autem ipſe dicere ſolebat; I. quod bis ſingulis annis Romanum iter peragere (tres menſes Conciliaris vacationis eidem impendens) in more haberem, ſingulis verò diebus, quibus in Urbe commoror, Bibliothecam Vaticanam ſemel luſtrare; II. quod abſentiæ meæ tempore duorum Præſulum Cuſtodum vigilantia ejuſdem commodis abundè proſpiceret; III. quòd erga illam, etſi procul à Brixiana Urbe disjunctam hujusmodi ſtudium mea inter vivos donatione pateſeciſſem, ut, tenuis licèt, in exemplum cæteris Cardinalibus Bibliothecariis (*abſit verbo invidia*) futura videretur; IV. tandem quòd vel inter Paſtorales curas, ipſius ſupellectilem mei quoque ingenii, pro ejus modulo, fœtibus amplificare ſtuderem: hæc, inquam, omnia & ipſe frequenter ex Clementis XI. ore accepiſti, & alii omnes acceperunt, qui de laribus à me Romæ figendis ſtudioſi, Pontificem in hoc ipſum ſtudium pertrahere ſatagebant.

Epiſtolæ conſcribendæ tempus & occaſio.

Hæc habui, *Cardinalis Præclariſſime!* quibus quæſtioni propoſitæ reſponderem; & quidem in procinctu ſtans, Romano ſcilicet itineri jam paratus, cujus hac anni tempeſtate aggrediendi (*quo Epiſcopale quidpiam redoleat, ut me dicentem ſæpè audiviſti*) auſpicem mihi ſumere conſuevi Divum Remigium; concludendi verò ſeu Roma migrandi, Divum Carolum, aut Divum Martinum, prout Vaticanæ Bibliothecæ negotia, & opera in ſacra Tituli mei Æde ſuſcepta, meam in Urbe moram ſeu breviorem, ſeu diuturniorem requirunt. Quumque & ipſe ad Autumni exitum Romam repetere decreveris, deſinet occaſio ampliùs Tibi obſtrependi hujuſcemodi Epiſtolis, quas ſcilicet Florentinus tuus ſeceſſus elicuit, ac proinde rivos claudam, unde prata ſatis biberunt. „

Cardinalis Quirini Opera.

Poſt allatam Eminentiſſimi Cardinalis QUIRINI Epiſtolam *de munere S. R. E. Bibliothecarii*, cujus partes & numeros omnes præſtantiſſimè implet, illud ſupereſſe videtur, ut ejus ingenii partus & monumenta, quibus non modò Vaticanam Bibliothecam, ſed univerſam propè Rempublicam literariam hactenus locupletavit, enumeremus. Id quod tantò magis à nobis hîc faciendum duximus, quantò rariora, *niſi ſimul comportata* (quod boni omnes exoptant) *in communem uſum recudantur*, ſubinde evaſura prævidemus; Ita enim publica vox: *Les écrits du Cardinal Querini ne ſeront jamais communs, parcequ'il les fait imprimer à ſes depens, & ſe reſerve le plaiſir d'en faire des préſens.* Quocirca celeberrimus D. *Voltaire* officioſû hoc in quibusdá ad Eminentiſſimum literis nuper elicuit votum: *Oh quando Vederò io qualche valente libraio raccogliere tutte le Opere di Voſtra Eminenza già troppo ſparſe!* Foliis tantum ne Carmina manda (q); *maſſono tutti i ſuoi Scritti radunati ad æternam memoriam.* Et iterùm in alia ad eundem Epiſtola: *Bramo di vedere i ſuoi Scritti, id i ſuoi atti generoſi tutti raccolti nelle Breſciane ſtampe, ma tengo un più vivo deſiderio d' inchinarla perſonalmente.* Ea verò, quæ comperta tenemus, ſunt:

Recenſentur.

1. ORATIO *de Moſaicæ Hiſtoriæ Præſtantiâ*, habita Florentiæ in Abbatia Monachorum Caſinenſium, pro auſpicandis ibidem ad Hebraicæ veritatis fontes Sacrarum Literarum ſtudiis: *Ceſenæ* MDCCV. 4. Vide part. IV. hujus Hiſt. pag. 349.
2. De Monaſtica Italiæ Hiſtoria conſcribenda, ORATIO cum Notis. *Romæ per Antonium de Rubeis* MDCCXVII. 8. Inſerta huic noſtro Operi Part. II. pag. 431.
3. CHRONICON FARFENSE, cui paulò poſt Orationem de Monaſtica Italiæ Hiſtoria conſcribenda manum admovit. *Ex Lib. I. Part. II. Commentar.*

4. VE-

(q) Virgil. Æneid. VI. V. 74. *Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.*

4. Vetus Officium Quadrageſimale Græciæ Orthodoxæ recognitum, & caſtigatum ad fidem præſtantiſſimi Codicis Barberini in Latinum ſermonem converſum. *Romæ per Galeatium Chracas* MDCCXXI. 4.

5. Diatribæ ad priorem partem Veteris Officii Quadrageſimalis Græciæ Orthodoxæ.

I. De Eccleſiaſticorum Officiorum apud Græcos antiquitate.

II. De Hymnis Quadrageſimalibus Græcorum, eorumque Authoribus.

III. De aliis Canticis Quadrageſimalibus Græcorum, eorumque Authoribus.

IV. De Dominica Publicani, & Phariſæi.

V. De Dominica Filii Prodigi. *Romæ per Galeatiū Chracas* MDCCXXI. 4.

6. Vita Latino-Græca S. P. Benedicti ex Textu Latino Gregorii M. cum duobus Codicibus MSS. Sublacenſibus nunc primum comparato, exhibitis etiam variantibus veterum Editionum lectionibus; & Verſione Græca Zachariæ Papæ cum Cod. MS. Abbatiæ Florentiæ collata. Accedunt veterum Carmina, Sermones, & Homiliæ de S. Benedicto, & variorum Notæ in eandem Vitam contractæ, & ad examen revocatæ. *Venetiis per Antonium Bartoli* MDCCXXIII. 4.

7. Encheridion Græcorum, quod de illorum Dogmatibus, & Ritibus Romanorum Pontificum Decreta poſt Schiſmatis Epocham edita nunc primum in unum collecta complectitur. *Beneventi* MDCCXXVII. *ex Typographia Archiepiſcopali*. 8.

8. Primordia Corcyræ poſt Editionem Lycienſem A. MDCCXXV. recognita, & multis partibus aucta. *Brixiæ per Jo. Mariam Rizzardi* MDCCXXXVIII. 4.

Appendix, Sacra quædam Corcyræ Primordia repræſentans, ſcilicet recens initam rationem ab Auctore dum ejus Inſulæ Epiſcopatum gereret pro innocue retinenda, quæ ibi viget, inter Latinos, & Græcos in Sacris conſuetudine.

9. Dicta Illuſtrium Auctorum expenſa, & emendata in Libro, cui Titulus Primordia Corcyræ. Auctores quorum Dicta expenduntur, & emendantur, hi ſunt: *Harduinus. Ezech. Spanhemius. Plauti Interpretes. Marmora. Jo. Alb. Fabricius. Interpres Notit. Græcor. Epiſcopatuum. Editores prædictæ Notit. Barneſius. Jacobus Gronovius. Cluverius. Berchelius. Cellarius. Lazius. Joſ. Scaliger. Petavius. Anna Daceria. Meurſius. Dalecampius. Perizonius. Eraſmus. Ald. Manutius. Iſaacus. Nevvtonus. Auctor Indicis Bibliothecæ Coislin. Haym. Emmius. Iſaacus Caſaubonus. Catrou, & Rouillè. Montfauconius, Sponius. Bandurius. Galland.*

10. Epigrammata varia in Libro cui Titulus: *Corona di Componimenti Poëtici di varj Autori Breſciani. Breſcia per Gian-Maria Rizzardi* MDCCXXXVIII. 4.

11. Animadversiones in Prop. 21. Lib. VII. Elementorum Euclidis, cum nova ejusdem Propoſitionis Demonſtratione. Accedit Demonſtrationum Algebricarum Specimen ex Euclidis Exemplari ad id operis artificiosè compacto depromtum. *Brixiæ per Joan. Mariam Rizzardi* MDCCXXXVIII. 4.

12. Specimen Brixianæ Literaturæ, quæ in Urbe Brixia, ejusque ditione paulò poſt Typographiæ incunabula florebat; unde præter Brixiani ingenii gloriam, tam Annalium Typographicorum ſeries, quam Hiſtoria literaria temporis illius, illuſtrantur.

Pars I. Poëtas Latinos aureæ, & argenteæ ætatis, quos Brixiani Scriptores illuſtrârunt, complectitur.

Pars II. complectitur Grammatica, Oratoria, Poëtica, & Philoſophica. *Brixiæ per Joan. Mariam Rizzardi* MDCCXXXIX. 4.

13. Pauli II. Veneti Pont. Max. Vita ex Cod. Angelicæ Bibliothecæ, præmiſſis ipſius Sanctiſſ. Pontificis Vindiciis adverſus *Platinam*, aliosq; obtrectatores. Accedit Appendix, qua comprobatur Pauli II. Pontificatus felicitati deberi optimorum Scriptorum Editiones, quæ Romæ primum prodierunt poſt divinum Typographiæ inventum à Germanis Opificibus in eam Urbem advectum, plerisque omnibus earum Editionum ſeu Præfationibus, ſeu Epiſtolis in medium allatis, cum Obſervationibus ad easdem rei Typographicæ illuſtrandæ valde opportunis. *Romæ per Antonium de Rubeis an.* MDCCXLI. 4.

14. Diatriba Præliminaris ad Franc. Barbari, & aliorum ad ipſum Epi-

Epiſtolas, in duas Partes diviſa.

I. De *Franciſci Barbari* in Latinis, Græcîsque literis præſtantia à doctis Viris ejus ætatis magno in pretio babita.

II. De Pacis, & Belli artibus, quibus idem Rempublicam domi, forisque adminiſtravit. *Brixiæ per Joannem Mariam Rizzardi* MDCCXLI. 4. In hoc Opere Emin. purpuratus noſter res geſtas & merita *Franciſci Barbari* Senatoris eximii non enarrat ſolùm, ſed mirâ ſtyli arte expreſſas ita oculis ſpectandas exhibet, ut Veneti patritii imaginem Virtutis habeât & exemplar numeris omnibus abſolutum, quod pro virili parte ſequi debeant atque imitari. *Ex Epiſt. Andreæ Quirini.*

15. DECAS I. EPISTOLARUM, quas ſub prœlo ſudante *Franciſci Barbari* Epiſtolarum Collectione harum Editor & illuſtrator in lucem emiſit. *Brixiæ per Joan. Mariam Rizzardi an.* MDCCXLII. 4. *In hoc Volumine continentur hæ Epiſtolæ:*

I. Ad Sanctiſſ. D. N. BENEDICTUM XIV. *Brixiæ die 19. Januar.* 1741.

II. Ad Eundem. *Brixiæ die 23. Februar.* 1741.

III. Ad Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Cardinalem ANDREAM HERCULEM DE FLEURY. *Brixiæ die 23. Maij* 1741.

IV. Ad Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Cardinalem NEREUM CORSINUM. *Brixiæ die 24. Julii* 1741. *Ad ejus calcem* SYLLOGE Epiſtolarum Apoſtolicarum CLEMENTIS PP. XII. de vaticanæ Bibliothecæ incremento, de nova S. Ephrem Syri Editione, ex ejus Codicibus adornata, atque una ſimul de Paſtoralis ſollicitudinis laudibus. *Item* ICHONOGRAPHIA Aulæ ab eodem Summo Pontifice Vaticanæ Bibliothecæ adjunctæ.

V. Ad Eundem. *Brixiæ die 27. Auguſti* 1741. *Ad cujus calcem* SERMO Italicus habitus in nova Cathedrali Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia die Aſſumptionis B. M. V.

VI. Ad Eundem. *Brixiæ die 28. Septemb.* 1741. *Ad ejus calcem* ORATIO de Moſaicæ Hiſtoriæ præſtantia, habita Florentiæ an. 1705. iterum excuſa Veronæ an. 1741.

VII. Ad Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Dom. MARCUM FUSCARENUM Equitem, & Procuratorem Divi Marci. *Brixiæ die 19. Martii an.* 1742.

VIII. Ad Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Dom. JOANNEM EMO Procuratorem D. Marci. *Brixiæ die 2. Maji.*

IX. Ad Reverendiſſ. Patrem D. CYPRIANUM BENAGLIA, Præſidem Generalem Congregationis Caſinenſis, aliàs S. Juſtinæ de Padua. *Brixiæ die 14. Junii* 1742. *Ad cujus calcem* Epiſtola Paſtoralis Italico ſermone ad Clerum, Populùmque Brixianum, qua ad gratiarum actiones ſingulari cultu tribuendas Sanctis Brixiæ Patronis Fauſtino, & Jovitæ, ob eorum ſingulare tutamen binis documentis recens detectis certo comprobatum, excitantur.

X. Ad Sanctiſſ. D. N. BENEDICTUM XIV. *Brixiæ die 6. Auguſti* 1742. *Inſeritur in ea Opuſculum cui Titulus:* MONUMENTA literaturæ Epiſcoporum Venetæ ditionis, qui Franciſci Barbari ætate floruerunt. Quo in Opuſculo Præſules hoc ordine recenſentur.

Petrus Æmilianus Præſul Vicentinus.
Hermolaus Barbarus Præſul Veronenſis.
Petrus Monte Præſul Brixianus.
Polydorus Foſcarus Præſul Bergomenſis.
Fantinus Dandulus Præſul Patavinus.
Dominicus de Dominicis Præſul Torcellanus.
Baptiſta de Lignamine Præſul Concordienſis.
Jacobus Zeno Præſul Feltrenſis, & Bellunenſis.
Antonius Corrarius Præſul Cenetenſis.
Theodorus Lælius Præſul Tarviſinus.
Bartholomæus Rovarella Præſul Adrienſis.
S. Laurentius Juſtinianus Præſul Caſtellanus. *Poſtea* Proto-Patriarcha Venetiarum.
Gregorius Corrarius Patriarcha Venetiarum.
Ludovicus Scarampus Patriarcha Aquilejen.
Petrus Donatus, Fantinus Valareſus, Fantinus Dandulus, Philippus Paruta } Cretenſes Archiepiſcopi.
Bartholomæus Zabarella, Laurentius Zane } Spalatini Archiepiſcopi.
Mapheus Valareſus Jaderenſis Archiepiſcopus.
Fantinus Dandulus, Andreas Grittus } Corcyrenſes Archiepiſcopi.
Marcus Condulmerius, Dominicus Michaël } Gradenſes Patriarchæ.
Moyſes Buffarellus Præſul Polenſis.

Hi

Hi omnes ab anno 1430. *usque ad an.* 1455. *Epiſcopales Infulas in Veneta Ditione geſſerunt, binis tantum exceptis, nimirum* Gregorio Corrario, & Theodoro Lælio, *qui tamen intra illud ipſum intervallum Eccleſiaſtici gradus honore jam præfulgebant, ex quo hic Tarviſinam, ille Vicentinam primum, deinde Venetam Cathedram conſcendit.*

16. FRANCISCI BARBARI, & aliorum ad ipſum Epiſtolæ ab an. MCCCCXXV. ad an. MCCCCLIII. Nunc primum editæ ex duplici MS. Cod. Brixiano, & Vaticano uno. Accedit ampla earundem Mantiſſa ex Forojulienſis Bibliothecæ Guarnerianæ MSS. *Brixiæ per Joannem Mariam Rizzardi* MDCCXLIII. 4.

17. DECAS II. EPISTOLARUM, deſumptis plerumque earum argumentis ex Vaticanæ Bibliothecæ MSS. Præmittitur Epiſtola Joan. Paulo Abbati Bignonio Regii Conſilii Decano, ac Regiæ Pariſienſis Bibliothecæ jamdiu Summo Præfecto inſcripta. *Romæ per Nicolaum, & Marcum Palearini an.* MDCCXLIII. 4. *Epiſtolæ, quæ in hoc volumine continentur, ſunt:*

I. Ad Doctiſſ. & Clariſſ. Virum BERNARDUM MONTIFAUCONIUM, Monachum San-Germanenſis Cœnobii Lutetiæ. *Romæ* IV. *Kal. Jan.* 1741.

II. Ad Reverendiſſ. Patrem PRÆSIDEM GENERALEM Congregationis Benedictinæ S. Mauri. *Romæ* VII. *Kal. Februar.* 1742.

III. Ad Doctiſſ. & Clariſſ. Vir. ALEXIUM SYMMACHUM MAZOCHIUM, Canonicum Neapolitanum, & Regium Sac. Scripturæ Interpretem. *Romæ* V. *Kal. Octobr.* 1742.

IV. Ad Doctiſſ. & Clariſſ. Virum CLAUDIUM DE BOZE, Perpetuum Secretarium Gallicæ Regiæ Academiæ Inſcriptionū, & Bonarum Literarum. *Romæ* VI. *Kal. Novemb.* 1742.

V. Ad Doctiſſ. & Clariſſ. Virum ALEXIUM SYMMACHUM MAZOCHIUM, Canonicum Neapolitanum, & Regium Sacræ Scripturæ Interpretem. *Romæ* XVI. *Kal. Decemb.* 1742.

VI. Ad Reverendiſſ. Patrem D. CYPRIANUM BENAGLIA, Abbatem & Præſidem Generalem Congr. Benedictino-Caſinenſis. *Romæ Kal. Decemb.* 1742.

VII. Ad Clariſſ. & Doctiſſ. Virum APOSTOLUM ZENO, jampridem Poëtam, & Hiſtoricum Cæſareum. *Romæ Idibus Decemb.* 1742.

VIII. Ad Doctiſſ. & Clariſſ. Virum ANTONIUM FRANCISCUM GORIUM, Hiſtoriæ in Athenæo Florentino Profeſſorem. *Romæ die* IX. *Januar.* 1742.

IX. Ad Doctiſſ. & Clariſſ. Virum ALEXIUM SYMMACHUM MAZOCHIUM, Canonicum Neapolitanum, & Regium Sacræ Scripturæ Interpretem. *Romæ Kal. Februar.* 1742.

X. Ad Reverendiſſ. Patrem D. JOANNEM CHRYSOSTOMUM TROMBELLI, Canonicum Regular. Congregationis Rhenanæ, & SS. Salvatoris Bononiæ Abbatem. *Romæ* VI. *Kal. Mart.* 1742.

18. DECAS III. EPISTOLARUM, quas ſub prœlo ſudantibus Reginaldi Card. Poli Epiſtolis, harum EDITOR, & ILLUSTRATOR in lucem emiſit. *Brixiæ per Joan. Mariam Rizzardi* MDCCXLIV. 4.

Præmittitur EPISTOLA Doctiſſ. & Clariſſ. Viro ALEXIO SYMMACHO MAZOCHIO, Canonico Neapolitano, & Regio Sacræ Scripturæ Interpreti inſcripta. *Brixiæ die* 27. *Aug.* 1744. *Sequentes in hoc volumine continentur Epiſtolæ:*

I. Ad Sanctiſſ. D. N. BENEDICTUM XIV. *Brixiæ* VII. *Kal. Maji an.* 1743.

II. Ad VIROS Clariſſimos in Regiam Pariſienſem Academiam Inſcriptionum, & Politiorum Literarum Adſcitos. *Kal. Junii in Villa S. Euſtachii* 1743.

III. Ad Reverendiſſ. Patrem D. RENATUM L' ANEAU, Superiorem Generalem Congregationis S. Mauri. *Brixiæ Kal. Auguſti* 1743. Continetur in hoc Epiſtola ea, quam an. 1721. edidit DIATRIBA de Hymnis Quadrageſimalibus Græcorum, & eorum Authoribus.

IV. Ad Doctiſſ. & Clariſſ. Virum NICOLAUM FRERETUM, Perpetuum Secretarium Gallicæ Regiæ Academiæ Inſcriptionum, & Bonarum Literarum. *Brixiæ* X. *Kal. Septemb.* 1743.

V. Ad Doctiſſ. & Clariſſ. Virum CLAUDIUM DE BOZE, Regiæ Pariſienſis Academiæ Bonarum Literarum antea Secretarium, nunc Directorem. *Brixiæ* X. *Kal. Januar.* 1743.

VI. Ad Reverendiſſ. Patrem D. RENATUM L' ANEAU, Superiorem Generalem Congregationis S. Mauri. *Brixiæ* V. *Kal. Aprilis* 1744.

VII. Ad Reverendiſſ. Patrem D. CYPRIANUM BENAGLIA, Abbatem & Præſidem Generalem Congreg. Benedictino-Caſinenſis. *Brixiæ die 23. Jun.* 1744.

VIII. Ad Clariſſ. & Eruditum Virum Comitem, & Balivum PETRUM PAULUM MARCOLINUM. *Brixiæ die 27. Jun.* 1744.

IX. Ad Reverendiſſ. Patrem D. CYPRIANUM BENAGLIA, Abbatem & Præſidem Generalem Congr. Benedictino-Caſinenſis. *Brixiæ die 22. Jul.* 1744.

X. Ad Clariſſ. & Eruditum Virum Comitem, & Balivum PETRUM PAULUM MARCOLINUM. *Brixiæ die 26. Aug.* 1744.

19. COLLECTIO EPISTOLARUM REGINALDI POLI S. R. E. Cardinalis, & aliorum ad ipſum.

VOL. I. Scriptas complectitur ab an. MDXX. ad an. MDXXXVI. Scilicet à primo Regin. Poli Patavium adventu usque ad delatum ei à Paulo III. Cardinalatum. Quibus præmittuntur ANIMADVERSIONES in Epiſt. Jo. Georgii Schelhornii, VITA Cardin. Poli, & quædam hujus Scripta, atque DIATRIBA ad easdem Epiſtolas. *Brixiæ per Joan. Mariam Rizzardi* MDCCXLIV. 4.

VOL. II. Scriptas complectitur annis MDXXXVII. MDXXXVIII. MDXXXIX. Scilicet ab inita Legatione Belgica usque ad deſitam Legationem Hiſpanicam. Quibus præmittuntur ANIMADVERSIONES in Epiſt. alteram Jo. Georg. Schelhornii, DIATRIBA, ac MONUMENTA quædam præliminaria ad easdem Epiſtolas. *Brixiæ per Jo. Mariam Rizzardi.* MCCXLV.

VOL. III. Scriptas complectitur annis MDXL. MDXLI. MDXLII. Scilicet ab exitu Legationis Hiſpanicæ usque ad mortem Card. Contareni. Quibus præmittuntur APOLOGETICA PRÆFATIO bifariam diviſa, DIATRIBA, & plura MONUMENTA ad easdem Epiſtolas. *Brixiæ per Jo. M. Rizzardi* MDCCXLVIII.

VOL. IV. Apparatum complectitur LXV. Epiſtolarum *Reginaldi* è Codicibus Vaticanis erutum. Alia quædam analecta ex manuſcriptis Card. *Marcelli Cervini*, dein Papæ ſub nomine *Marcelli II.* & ex aliis Scriptis Cardinalium ad Concil. Trident. Legatorum comportata. *Brixiæ typis Rizzardi* A. 1753. Ita verò Lipſienſes Eruditi in ſuis Ephemeridibus anni 1747. *Reginaldus Polus doctrinâ, conſiliò, rerum geſtarum magnitudine, virtute, enixiſſimo Eccleſiam Romanam juvandi amplificandique ſtudio, quondam inſignis admodùm, non facilè illuſtriorem nec digniorem laudum ſuarum Præconem, & Scriptorum ſuorum inſtauratorem, quàm quidem Angelum Mariam Quirinum, purpuratum Eminentiſſimum (cujus non minora in Sedem Romanam merita, quàm decora, quibus in orbe literato fulget, exiſtunt) invenire potuiſſet...*

20. IMAGO optimi, ſapientiſſimíque Pontificis expreſſa in Geſtis PAULI III. Farneſii ad primos quinque annos ejus Pontificatus ſpectantibus; quos nimirùm exhibent Monumenta in primo, & altero Card. Regin. Poli Epiſtolarum Collectionis Volumine comprehenſa. *Brixiæ per Jo. Mariam Rizzardi* MDCCXLV. 4. Quo in Opere adeò dextrè tuendis PAULI III. & *Card.* POLI honoribus & meritis incubuit *Quirinus*, ut fatente *Leichio* Lipſienſi Profeſſore publico, *Quotquot in poſterum ex* Burnetii *officina ad detrahendum eorundem memoriæ repetere vellent calumnias, & commenta jam profligata, ſe ipſos omnium ludibrio exponerent...*

21. VITA del Cardinale GASPARO CONTARINI ſcritta da Monſig. Lodovico Beccatello, con alcune aggiunte ſpettanti alla medeſima, indirizzata con Prefazione all' Illmo e Rmo Monſig. Giuſeppe di Thun, Veſcovo di Gurck &c. *Breſcia per Gian-Mar. Rizzardi* MDCCXLVI. in 4.

22. DECAS I. *Epiſtolarum Italicarum hoc Tit:* DECA I. di Lettere Italiane già prima ſeparatamente uſcite alla luce dal meſe di Ottobre dell'anno MDCCXLIV. al meſe di Luglio dell'anno MDCCXLVI. *Breſcia per Gian-Maria Rizzardi in* 4.

Indirizzata con Prefazione all' Illmo Sig. Canonico SALVINO SALVINI, Arciconſolo dell' Accademia della Cruſca. *Epiſtolæ eo in Volumine contentæ ſunt:*

I. LETTERA APOLOGETICA ſcritta al ſuo Clero, e Popolo della Città, e Dioceſi di Breſcia, *Da Roma primo Ottobre* 1744.

II. AL-

II. ALTRA ſu lo ſteſſo argomento. *Da Breſcia 25. Novembre* 1744.

III. ALTRA ſu lo ſteſſo argomento. *Da Breſcia 30. Dicembre* 1744.

IV. ALTRA ſu lo ſteſſo argomento. *Da Breſcia 10. Febbrajo* 1745.

V. ALTRA. *Da Breſcia 8. Giugno* 1745.

VI. ALTRA al ſuo Clero, e Popolo della Città, e Dioceſi di Breſcia ſopra la fondazione della BIBLIOTECA a pubblico benefizio da Sua Eminenza eretta. *Da Breſcia 23. Dicembre* 1745.

VII. All' Illmo ed Eccmo Sig. ANDREA QUERINI ſuo Nipote. *Da Breſcia 9. Marzo* 1746.

VIII. All' Illmo ed Eccmo Sig. ALMORO' BARBARO Provveditor Generale di Palma nuova. *Da Breſcia 4. Aprile* 1746.

IX. Al Medeſimo. *Da Breſcia 4. Giugno* 1746.

X. All' Illmo ed Eccmo Sig. MARCO FOSCARINI Cavaliere, e Procuratore di S. Marco. *Da Breſcia 6. Luglio* 1746.

Lettera all' Illuſtriſſ. e Reverendiſſ. Monſignor BORGIA, Arciveſcovo di Fermo. *Breſcia 15. Dicemb.* 1746.

Altra al Medeſimo. *Breſcia 19. Gennajo* 1747.

Riſtretto delle medeſime. *Breſcia 2. Marzo* 1747.

23. DECAS IV. EPISTOLARUM Latinarum à menſe Julio MDCCXLV. ad menſem Martium MDCCXLVII. exaratarum, *Brixiæ per Jo. Mariam Rizzardi*, 4.

Præmittitur EPISTOLA inſcripta Admodum Reverend. Doctiſſimiſque Benedictinæ Familiæ Patribus in Saliſburgenſi Univerſitate Profeſſoribus. *Brixiæ 17. Auguſti* 1747. *Epiſtolæ, quæ in hoc volumine continentur, ſunt:*

I. EPISTOLA, ſeu DISSERTATIO, qua inſtituitur comparatio inter Brixianam, & Mediolanenſem Literaturam renaſcentium Literarum ætate, ad Virum Clariſſ. JOSEPHUM ANTONIUM SAXIUM, Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectum. *Brixiæ* IV. *Kal. Aug.* 1745.

II. Ad Viros Clariſſimos in Regiam Pariſienſem Academiam Inſcriptionum, & Politiorum Literarum Adſcitos. *Brixiæ Kal. Septemb.* 1744.

III. Ad Viros Clariſſimos Cortonenſis Academiæ Sodales. *Romæ 18. Octob.* 1745.

IV. Ad Doctiſſ. & Clariſſimum Virum ALEXIUM SYMMACHUM MAZOCHIUM, Canonicum Neapolitanum, & Regium Sac. Scripturæ Interpretem. *Romæ 27. Octob.* 1745.

V. Ad Reverendos Admod. & Doctiſſimos Patres Soc. Jesu Ephemeridum Trevoltianarum Scriptores. *Brixiæ 25. Novemb.* 1745.

VI. Ad Virum Clariſſ. HERMANNUM SAMUELEM REIMARUM in Hamburgenſi Lyceo Publ. Profeſſ. *Brixiæ 23. Aug.* 1746.

VII. Ad Eundem. *Brixiæ 14. Decemb.* 1746.

VIII. Ad Sanctiſſ. D.N. BENEDICTUM PP. XIV. *Brixiæ 9. Febr.* 1747.

IX. Ad Clariſſ. & Eruditum Virum Comitem, & Balivum PETRUM PAULUM MARCOLINUM. *E Pago Sajani extremis Bacchanaliorum diebus*, 1747.

X. Ad Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. JOSEPHUM CARD. PUTEOBONELLUM, Archiep. Mediolanen. *Brixiæ 11. Martii* 174.

24. DECAS V. EPISTOLARUM Latinarum à menſe Aprili MDCCXLVII. ad menſem Aprilē MDCCXLVIII. exaratarum. *Brixiæ per Jo. Mariam Rizzardi* MDCCXLVIII. 4.

Præmittitur EPISTOLA Viris Clariſſimis in Regiam Berolinenſem Academiam Scientiarum, & Politiorum Literarum Adſcitis inſcripta. *Brixiæ 20. April.* 1748. *Epiſtolæ, quæ in hoc volumine continentur, ſunt.*

I. Ad Virum Clariſſ. JOAN. RUDOLPHUM KIESLINGIUM, in Lyceo Lipſienſi Publ. Profeſſ. *Brixiæ die 4. Aprilis* 1747.

II. Ad Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. BERNARDUM DE FRANCHENBERGH, Abbatem Monaſterii Deſertinenſis, & S. R. I. Principem. *Brixiæ die 26. Maji* 1747.

III. Ad Catholicum, æquúmque Lectorem ANIMADVERSIONES in Epiſtolam Jo. Rudolpi Kieslingii in Lyceo Lipſienſi Publici Profeſſoris. *Brixiæ die 22. Julii* 1747.

IV. Ad Catholicum, æquúmque Lectorem ANIMADVERSIONES in Epiſtolam Jo. Georgii Schelhornii Memmingenſis Bibliothecarii. *Brixiæ die 9. Decemb.* 1747.

V. Ad Virum Clariſſ. Jo. JACOBUM BREITINGERUM, Linguæ Græcæ apud Turicenſes Profeſſorem. *Brixiæ die 25. Januar.* 1748.

VI. Ad Virum Clariſſ. JACOBUM WILLELMUM FEVERLINUM, Publi-

cum Goettingenſem Profeſſorem. *Brixiæ die* xx. *Febr.* MDCCXLVI. Accedunt Pontificiæ Pauli III. Literæ *De modo concionandi.* 1542.

VII. Ad Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. PHILIPPUM THOMAM Card. de ALSATIA, Archiepiſcopum Melcklinienſem, Belgiique Primatem. *Brixiæ die* VII. *Febr.* MDCCXLVIII. Accedunt quæcunque de Diebus Feſtis non iminuendis Italico Idiomate in publicam lucem eduxerat Eminentiſſ. Autor anno proximè elapſo, nunc in Latinum converſa; ſcilicet Epiſtola prima, & altera ad D. Borgiam Archiep. Firmianum, Compendium utriuſque Epiſtolæ; & excerpta ex Epiſtola ad Card. Puteobonellum Archiep. Mediolanenſem, ex Epiſtola ad D. Franchenbergh, Abbatem Diſertinenſem, & ex Epiſtola altera ad eundem.

VIII. Ad Eundem Epiſtola, ſeu Commentarius in Epiſtolam SS. D. N. BENEDICTI PP. XIV. De Clericis ad clauſtra Regularium tranſeuntibus non petita Diœceſani Epiſcopi licentia, & benedictione. *Ex Oppido Clararum in Cœnobio S. Bernardini poſtremo Bacchanalium die* 1748.

IX. Ad Virum Clariſſimum Jo. MATTHIAM GESNERUM, Publicum Goettingenſem Profeſſorem. *Brixiæ die* 16. *Martii* 1748.

X. Ad Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. ENGELBERTUM ex Baronibus de & in SIRGENSTEIN, Abbatem Monaſterii Campidonenſis, & S. R. I. Principem. *Brixiæ die* 9. *Aprilis* 1748.

In Libro, cui Titulus: *Triplex Triumphus Campidonenſis* in auſpicatiſſimo Adventu Emi & R.mi S. R. E. Principis & Card. D. D. ANGELI MARIÆ QUIRINI &c. in Abbatiali BENEDICTIONE Celſiſſimi ac R.mi S. R. I. Principis ac D. D. ENGELBERTI Ducalis Eccleſiæ Campidonenſis Abbatis &c. nec non in CONSECRATIONE ejuſdem Eccleſiæ Apoſtolico privilegio peracta menſe Majo 1748. *ex Ducali Campidonenſi Typographia per Andream Stadler* 4., extat ORATIO Eminentiſſimi CARDINALIS.

Triumphus Catholicæ veritatis ex PRÆLIMINARIBUS quibuſdam ab Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Principe D. D. CARD. QUIRINO &c. in ſuo ad Campidonam acceſſu ad ſubſcribendum propoſitis docto & celebri Bibliothecario Memmingenſi, & ex hujus ad eam propoſitionem RESPONSO. *Campidonæ per Andream Stadler.* 1748. 4.

25. DECAS VI. Epiſtolarum Latinarum à menſe Junio MDCCXLVIII. ad menſem Januar. MDCCXLIX. exaratarum. *Brixiæ per Jo. Mariam Rizzardi.* Præmittitur Epiſtola inſcripta Incognitorum Literariorum AUSTRIACÆ SOCIETATI. *Brixiæ die* 26. *Mart.* 1749.

I. Ad Sereniſſimum Principem HASSIÆ LANDGRAVIUM, Auguſtanæ Urbis Epiſcopum. *Brixiæ* 12. *Jun.* 1748.

Ex eadem Epiſtola: CONCORS SENTENTIA Romanorum Pontificum Urbani VIII. Succeſſorum de non iminuendo Feſtorum dierum numero, quem idem Urbanus VIII. præhabitis ſuffragiis Cardinalium & Theologorum perpetuo valitura Conſtitutione præſcripſit.

II. Ad Eundem, SPECIMEN HUMANITATIS, qua Eruditi quidam Germaniæ Heterodoxi proſequnti ſunt Suevicum iter à D. CARD. QUIRINO peractum an. 1748.

III. Ad Viros Clariſſ. quotquot florent in Lyceis Lipſienſi, Goettingenſi, Hamburgenſi, & Memmingenſi, ANIMADVERSIONES in Judicium, quod de binis jam vulgatis Tomis Collect. Epiſtolar. Card. Regin. Poli proferunt Acta Lipſienſia.

IV. Ad Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. PHILIPPUM THOMAM CARD. DE ALSATIA, Archiepiſcopum Mechlinienſem, Belgiique Primatem. *Ex Monaſterio S. Quirini Tegernſeenſi die* 25. *Septemb.* 1748.

V. Ad Eundem. *Ex Monaſt. S. Emmerami Ratiſbonæ* 5. *Octob.* 1748.

VI. Ad Pios, Doctóſque Germanos, CONSPECTUS SYNOPTICUS. *Tridenti die* 29. *Octob.* 1748.

VII. Ad Sanctiſſ. D. N. BENEDICTUM PP. XIV. *Brixiæ die* 28. *Novemb.* an. 1748.

VIII. Ad Clariſſ. Virum JACOBUM WILLELMUM FEVERLINUM, Publ. Goettingenſem Profeſſorem. *Brixiæ die* 11. *Decemb.* 1748.

IX. Ad Clariſſ. Virum SAMUELEM FORMEJUM, Regiæ Scientiarum, ac Literarum Academiæ Boruſſicæ Secretarium perpetuum. *Brixiæ die* 30. *Decemb.* 1748.

X. Ad Sanctiſſ. D. N. BENEDICTUM PP. XIV. *Brixiæ die* 7. *Jan.* 1749.

26. La

26. La MOLTIPLICITA' de' Giorni Feſtivi, che oggidì ſi oſſervano di precetto AUTORIZZATA da tutti i Soṁi Pontefici di ducento e venticinque anni in qua, cioè da CLEMENTE VII. a BENEDETTO XIV. o con Decreti da loro pubblicati, o con la Pratica da' medeſimi mantenuata, o finalmente con gl' In-Indulti conceſſi in queſti ultimi tempi. LETTERA agli Illṁi e Rṁi VESCOVI d'Italia. *Breſcia* 14.*Agoſto* 1748. in 4.

27. COMMENTARIUS HISTORICUS de rebus pertinentibns ad ANG. MAR. QUIRINUM S. R. E. Cardinalem.

PARS I. in duos Libros diviſa. *Brixiæ per Joannem Mariam Rizzardi* MDCCXLIX. 8.

PARTIS II. Lib. I. *Brixiæ per eundem* 1749. 8.

PARTIS II. Lib. II. *Brixiæ per eundem* 1749. 8. Quâ quidem in re *Qnirinus* imitari viſus eſt JULIUM CÆSAREM, *qui etiam*, Tullio teſte (r), *Coṁentarios quosdam ſcripſit rerum ſuarum valde quidem probandos.* Uti verò iſtorum magna habetur ratio, ita quoque *Quirinianorum* tanta eſt apud Eruditos exiſtimatio, ut doctiſſimus *Muratorius* eos vix in lucem prolatos admiratus hoc pacto collaudaverit: *Avendo io ricevuto il Tomo II. della ſua Vita, di cui l' incomparabil ſua generoſità mi baſavorito, queſto è ſtato una delizia per me nel preſente mio ritiro. L' bo trovato troppo breve. Difficilmente ſi moſtrerà perſonaggio d' alto affare, che abbia fatta sì onorevol comparſa in tanti paeſi, con sì nobili corriſpondenze, con un corſo sì ben filato di merito, di ſtudj, e d' induſtrie, terminato in sì glorioſa eſaltazione. Ob che belle lettere del Cardinal di Fleury &c.* Hæc ille in literis paulò ante obitum ſuum ad *Quirinum* datis A. 1749. Magis verò gauderet, ſi in vivis adhuc degeret, cernens eosdem Commentarios tanto in pretio ubique haberi, ut Germani, & quidem à Romanis ſacris alieni eos primo recuderint, deinde in vernaculum ſermonem converterint, ac tandem Conſilium ceperint, quòd nuperrimè literæ Lipſiâ miſſæ nuntiabant his verbis: *Commentarios Eminentiſſimi Card.* QUIRINI *ab omnibus ſolidioris & elegantioris doctrinæ Cultoribus ſummo cum plauſu exceptos proximis nundinis Paſchalibus* J.H. Nonnius *in epitomen contractos in charta nitida & alba, elegantibus characteribus, fidâ Eminentiſſimi* CARDINALIS *imagine, aliiſque figuris æri inſculptis ornatos edet, addito exacto Scriptorum Eminent.* Principis *Catalogo cum adnotationibus. Author verſionis eſt* Juſtus Fridericus Breithauptus *Artium Magiſter, Reg. Soc. Teut. Göttingenſis & Ducalis Helmſtadienſis Socius.* Avidiſſimè interim deſideratur Continuatio inſignis Operis, de qno *Fabius Devotus* Poëta Romanus Academicus:

Vix, ait, *utilius, vix commendatius inter*
Inclyta ſcripta tot illius reperire ſit ullum,
Quam Liber ille ſuæ, quo tradidit aurea vitæ
Facta, vices, ſtudia, ingenium, incrementa, labores:
Poſteritas hinc diſcet enim, ſibi quà ſit eundum
Ad ſedem Virtutis & ad Virtutis honores.

28. APPENDIX ad Lib. I. Part. II. Commentariorum de Rebus Card. A. M. QUIRINI; qua recitantur RESPONSA ſeu CONSILIA Præſtantium Medicinæ Doctorum de Morbo, qui Eundem Cardinalem per quinque, & amplius menſes lectulo affixum detinuit. *Brixiæ per Joannem Mariam Rizzardi* 1749. 8.

29. DE VINCULO, quo adſtringuntur Epiſcopi ad defendenda Eccleſiarum ſuarum jura. *Brixiæ per Joan. Mariam Rizzardi* MDCCL. 4. Quo in Opuſculo maximè relucet zelus ille QUIRINI, *cui nullo non tempore in more fuit antiqua jura fortiter tueri, & ab aſſentandi ſtudio, tunc, cum rei ſacræ & divinæ cauſa agitur, ſe longiſſimè removere..*

30. Injuſtæ Seceſſionis ab Eccleſiæ Romanæ ſinu jam damnati in Epiſtolis dogmaricis A. M. CARD. QUIRINI S. R. Sedis Bibliothecarii, Indicíſque Librornm Vetitorum Præfecti, horum temporum Sectarii Lutherani præſertim, nunc ejusdem Cardinalis cura edito earum Epiſtolarum delectu ad Ovile Chriſti revocantur excurrente Anno Jubilæi per SS. D. N. BENEDICTUM XIV. celebrati. Præmittitur CONFUTATIO ſceleſtiſſimi Libelli adverſus ejusdem Jubilæi ſanctitatem Ger-

(r) Cicero in Bruto ſeu de Clariſſ. Orat. n. 261. ubi de Julio Cæſare: *Epiſtola*, inquit, *ejus & Orationes mihi vehementer probantur; Complures autem legi. Atque etiam Commentarios quosdam ſcripſit rerum ſuarum, valde quidem probandos.*

Germanica lingua nuperrimè evulgati. *Romæ per Antonium de Rubeis* MDCCL. 4.

31. DECAS II. *Epiſtolarum italicè conſcriptarum hoc Tit:* DECA SECONDA di Lettere Italiane, già prima ſeparatamente uſcite alla luce dal meſe di Settembre MDCCXLVI. al meſe di Gennajo MDCCLI. *In Breſcia per Gian. M. Rizzardi in* 4. *Epiſtolæ eo Volumine contentæ, ſunt:*

I. Al Reverendiſſ. P. D. GIAN-GRISOSTOMO TROMBELLI, Canonico Regolare, e Abate di S. Salvatore in Bologna. *Breſcia* 17. *Settemb.* 1746.

II. All'Illmõ e Rmõ Monſig. BERNARDO DI FRANCHENBERGH, Abate del Monaſtero di Diſentis, e Principe del S. R. I. *Breſcia* 12. *Luglio* 1747.

III. Al Chiariſs. Sig. Canonico ALESSIO SYMMACO MAZOCHI, Profeſſore di Sagre Lettere nell' Univerſità di Napoli. *Breſcia* 22. *Agoſto* 1747.

IV. Al Nobiliſſ. Sig. Marcheſe CARLO RINUCCINI, Configliere di Stato &c. alla Corte di Toſcana. *Breſcia* 24. *Agoſto* 1747.

V. All'Illmõ e Rmõ Monſig. BERNARDO DI FRANCHENBERGH, Abate del Monaſtero di Diſentis, e Principe del S. R. I. *Breſcia* 21. *Ottobre* 1747.

VI. All'Eminentiſſ. e Reverendiſſ. Sig. FILIPPO TOMMASO CARDINALE D'ALSATIA, Arciveſcovo di Malines, e Primate del Belgio. *Dal Monaſtero di Marienberg.* 29. *Aprile* 1748.

VII. All' Illuſtriſſ. Sig. Conte, e Balì PIETRO PAOLO MARCOLINI. *Roma* 10. *Settembre* 1750.

VIII. Al Reverendiſſ. Padre D. GIROLAMO FEIJO', Religioſo Benedettino nel Monaſtero di Oviedo in Spagna. *Roma* 30. *Settembre* 1750.

IX. All' Illuſtriſſ. e Reverendiſſ. Monſig. GIO: BATTISTA Abate del Monaſtero di S. Emeramo di Ratisbona, e Principe del S. R. I. *Roma* 19. *Decembre* 1750.

X. Altra Medeſimo. *Roma* 23. *Gennajo* 1751.

32. DECAS VII. EPISTOLARUM Latinarum a Menſe Februario MDCCXLIX. ad Menſem Junium MDCCLI. *Brixiæ per Joannem Mariam Rizzardi.* 4. *Epiſtolæ, quæ in hoc volumine continentur, ſunt.*

I. Ad. Eminentiſſ. & Reverentiſſ. D. S. R. E. Cardinalem SIGISMUNDUM DE KOLLONITZ, Archiepiſcopum Viennenſem. *Brixiæ die* 23. *Februar.* 1749. Accedit Opuſculum Card. AUGUSTINI VALERII ad Nicolaum Tomiſcum Polonum, *Quatenus cum iis qui à Sanctæ Matris Eccleſiæ gremio receſſerunt ſit verſandum*, nunc primum ex MS. Veronen. editum

II. Ad Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Præſulem JOSEPHUM ANDREAM Comitem ZALUSCHIUM, ſupremum Regni Poloniæ Referendarium. *Brixiæ die 6. Martii* 1749.

III. Ad Sanctiſſimum D. N. BENEDICTUM PP. XIV. *Brixiæ die* 23. *Aprilis* 1749. Accedit Opuſculum Card. AUGUSTINI VALERII ad Federicum Card. Borromæum Archiepiſcopum Mediolanenſem, *de paterna Caritate Clementis VIII. Summi Pontificis erga ampliſſimum Regnum Galliæ*, nunc primum editum è MS. Biblioth. Ambroſianæ.

IV. Ad Clariſſimum Virum P. HIERONYMUM LAGOMARSINUM Societ. Jeſu *Brixiæ die* 30. *Auguſti* 1749.

V. Ad Virum Clariſſimum SAMUELEM FORMEJUM, Regiæ Scientiarum, ac Literarum Academiæ Boruſſicæ Secretarium perpetuum. *Brixiæ die* 18. *Septembris* 1749.

VI. Ad Virum Clariſſimnm FRIDERICUM OTT. MENCKENIUM, Conſiliarium, Aulicum Regis Poloniæ, & illuſtrem Senatorem. *Brixiæ die* 3. *Decembris* 1749.

VII. Ad Virum Clariſſimum JANUM RUDOLPHUM ISELLIUM, Juriſconſultum Baſileenſem. *Romæ die* 25. *Junii* 1750.

VIII. Ad Virum Clariſſ. FRIDERICUM OTT. MENCKENIUM, Conſiliarium Aulicum Regis Poloniæ, & Illuſtrem Senatorem. *Romæ Idib. Julii an.* 1750.

IX. Ad Reverendiſſ. & Doctiſſ. Patrem D. JOANNEM CHRYSOSTOMUM TROMBELLI, SS. Salvatoris Boniæ Abbatem. *Romæ die* 17. *Auguſti* 1750.

X. Ad Virum Clariſſ. GEORGIUM GUILLELMUM KIRCHMAJERUM, Conſiliarium Regium, & Profeſſ. Publ. in Univerſitate Vittembergenſi. *Brixiæ die* 7. *Junii* 1751.

Duæ hujus Decadis Epiſtolæ I. & III. è Latino in Italicum Sermonem redditæ comparent in Libro, cui Titulus: *Due Lettere dell' Emõ e Rmõ Sig. Cardinale* A. M. QUIRINI *inſieme con le due Operette dal medeſimo la*

la prima volta pubblicate di AGOSTINO VALIERO *Cardinale e Veſcovo di Verona, tradotte dal Latino. In Breſcia preſſo Jacobo Turlino 1749. in 4.*

33. LETTRE au R. P. Valois de la Comp. de Jeſus, Profeſſ. d'Hydrographie, & Directeur de l'Académie Royale de la Rochelle, *in Libro cui præponitur* Diſcours ſur les Bibliotheques Publiques prononcè dans l'Acad. Royale de la Rochelle par le R. P. Valois &c. *A Breſce* 1751. *chez Jean. Marie Rizzardi.* 8.

34. EXCERPTA quædam ex Libro Cardinalis Gabrielis Paleoti Archiepiſcopi Bononienſis *De Conſultationibus Cardinalium*, quæ præmittuntur Editioni ejuſdem Operis Brixianis typis adornandæ juxta exemplar editum à Typographia Apoſtolica Vaticana an. 1592. *Brixiæ per Joannem Mariam Rizzardi* MDCCLI. 4.

35. SERMONI ſopra la Fabbrica del Nuovo Duomo, pubblicati per Decreto degl' Illuſtriſſimi Signori Deputati alla detta Fabbrica; cioè

SERMONE detto da S. EM. nel Nuovo Duomo *inter Miſſarum ſolemnia* il giorno di Paſqua di Riſurrezione l' an. 1737. in 4.

Altro SERMONE detto come ſopr. il giorno di Paſqua di Riſurrezione l' an. 1739. in 4.

Altro SERMONE detto come ſopra il giorno della Solennità dell' Aſſunzione di M. V. l' anno 1741. in 4.

36. Raccolta di LETTERE PASTORALI in più occaſioni dall' inceſſante ſuo Zelo dirette al ſuo Clero, e Popolo della Città, e Dioceſi di Breſcia, ſopra tutta ciò che appartiene al peſo del Paſtoral Miniſtero, e benefizio di queſto ſuo Gregge.

37. Di più, ſopra l' intelligenza del Breve Apoſtolico concernente gli Oratori privati, e ſopra l' amminiſtratione dell' Eucariſtia da farſi più toſto *intra Miſſam*, che *poſt Miſſam*; come ancora ſopra l' oſſervanza del Digiuno Quareſimale, con la ſpiegazione della mente del SOMMO PONTEFICE nel Breve Apoſtolico emanato ſopra la ſteſſa materia; e più recentemente ſopra l' acquiſto del Santo Giubileo.

38. In oltre, ſopra la Fabbrica del Duomo, ſopra la Fondazione del Moniſtero delle Saleſiane nel luogo di Darſo in Val Camonica, ſopra la Cappella delle Santiſſ. Croci, ſopra il Collegio Eccleſiaſtico da' fondamenti fatto eriggere per prova della capacità, e coſtumi di chiunque ha da aſſumerſi allo ſtato Clericale, e molto più d' avanzarſi al Sacerdotale. Coſa fuor di modo mirabile è il vederſi il noſtro PASTORE così pronto oggidì a soddisfare a tutti i doveri Veſcovili, come ſe aveſſe l' iſteſſa lena di venticinque anni prima, allorchè aſſunſe il governo di queſta ſua Chieſa, e come ſe non riſiedeſſero quì in Breſcia due Veſcovi ſempredíſpoſti a ſuffragarlo nelle ſue fatiche. Ne' giorni paſſati per il Sabbato delle quattro Tempora tenne Egli ſteſſo una Ordinazione di duecento e più Chierici, reſiſtendo a quattr' ore di ben laborioſa funzione; anzi la maggior parte di eſſi Chierici, cioè i Candidati della Tonſura, e del Sudduaconato volle S. E. eſaminare a parte da ſe ſteſſa, come ſe non aveſſe Vicario Generale, o Eſaminatori.

39. TIARA ET PURPURA Romæ ante annos viginti penicilli opificio adumbrata in Aula majori Ædium Cardinalis Tit. S. Marci, appoſitis tantum nominibus Pontificum, & Cardinalium Venetorum, nunc aucta iſtorum Elogiis ex Ciaconiano Opere depromptis, novíſque ad hæc Adnotationibus in publicum prodit. Decas Prima & Secunda. *Romæ Anno Jubilæi* MDCCL. *per Antonium de Rubeis* 4.

Decas Tertia, & Quarta Opus complebunt.

40. ATTI Spettanti alla Fondazione, e Dotazione della BIBLIOTHECA QUIRINIANA a pubblico benefizio eretta in Breſcia dall' Emo e Rmo Sig. Cardinale A. M. QUIRINI, &c. Veſcovo di eſſa Città, pubblicati per Decreto degl' Illuſtriſſimi Signori Deputati Pubblici di Breſcia. *In Breſcia per Gian-Mariam Rizzardi* MDCCXLVII. *in* 4.

41. Ad Virum Clar. *Abrahamum Gottbelf. Kaeſtnerum* Math. publ. Profeſſ. Lipſiæ Epiſtola, ubi multa & ſapida de rerum humanarum inſtabilitate. *Brixiæ* 29. Januar. 1752. in 4.

42. Epiſtolæ quædam Hortatoriæ tum ad *Æmilianum Jordanum*, cùm ad *Gregorium Rothfiſcherum* ex Monachis Benedictinis ad Proteſtantium

caſtra transfugas, & in Helmſtadienſi Academia cathedræ admotos &c. *Brixiæ* 1752. typis exſcriptæ; quibus aut damnanda priorum Studiorum ſuorum gloria *Rothfiſchero*, & nihil præſidii, præſtigiarum verò plurimum in methodo docendi *Wolfiana*, quam deperierat eſſe fatendum, aut canendum receptui, fortiter oſtendit.

43. Lettera Paſtorale dell' Emin. Signore Card. Querini delle RR.Madri Saleſiane di Salò, dopo il triduo delle ſunzioni celebrate per la Beatificazione della Fundatrice del loro ordine. *Breſcia* 17. Maggio 1752.

44. Eſtratti de diverſe Lettere di Apoſtolo zeno Ricavati dall' edizione delle Lettere di lui fatta in Venezia in tre Volumi nel corrente anno 1752. in 8. Majori.

45. Lettera Paſtorale dell' Emin. Card. QUERINI Veſcovo di Breſcia al ſuo Clero e Populo della Città e Dioceſi -- *Brixiæ* 1753. in 4. Paſtorali huic ejus Epiſtolæ ſubnectuntur odæ & Carmina de Spectaculorum theatralium periculis &c. Ita verò ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ Brixianus. In binas Verſiones, ſcilicet Latinam, & Italicam, Gallici Carminis, cui Titulus: *Le danger des Spectacles.*

Qui legis hæc. lauris exornatúmq; QUIRINUM
Conſpicis Aonios, FLACCO *duce*, *ſcandere montes*,
An dubites, CHRISTI *radiatum lumine eundem.*
Atque AUGUSTINI *veſtigia ſancta prementem*,
CÆLI *aque ire viam, mira nempe arte peritum*
Aisonias CHARITES *ſtudiis conjungere ſacris?*

46. Epiſtolæ tres ad nobilem Virum *Andream Quirinum* Senatorem Venetum, ex Italico Idiomate in Latinum converſæ. *Brixiæ* 1753. in 8.

47. Ad Virum Clariſſ. *Abrahamum Gotth. Kæſtnerum* Math. publ. Profeſſ. in Academia Lipſienſi. *Brixiæ* die 30. April. 1753. in 4.

48. Ad *Georg. Guil. Kirchmajerum* Conſiliarium Regium & Prof. publ. in Univerſitate Wittembergenſi Epiſtola. *Brixiæ* die 5. Maji 1753. in 4.

49. Ad Ampliſſ. Virum Flaminium Cornelium Senatorem Venetũ Epiſtola, in qua agit de colligendis ſuis Epiſtolis Polemicis, & Lipſienſium animadverſiones in volumen III. Epiſtolarum Card. Reginaldi Poli caſtigat. *Brixiæ* 18. Julii 1753. in 4.

50. Altera ad eundem Epiſtola, in qua idem proſequitur argumentum, *Brixiæ* Kal. Septembr. 1753. in 4.

51. Ad Sanctiſſ. D. N. BENEDICTUM XIV. Epiſtola, quâ Congregationi Indicis conſtituendum de ſuo fundum inſinuat. *Brixiæ* 13. Auguſti 1753. in 4.

52. Ad Reverendiſſimum D. *Bedam* Abbatem Weſſoſontanum, & Congreg. Bened. Bavaricæ Præſidem Epiſtola, quâ contendit S.mi Patriarchæ *Benedicti* corpus nunquam translatum fuiſſe è monte Caſino in Galliam. *Brixiæ* 15. Septemb. 1753. in 4.

53. Ad Keſtnerum Math. Prof. in Academia Lipſienſi. *Brixiæ* 17. Octobr. 1753. in 4.

54. Altera ad Bedam Weſſoſontanum Abb. de translatione Reliquiar. S. Bened. &c.

Alia quædam ejus ære vel ope edita.

Atque hæ ſunt, niſi me quædam prætereant, præcipuæ lucubrationes ab Eminentiſſ. CARDINALE ad hanc usque diem in lucem publicam emiſſæ, quas, vitâ ſuperſtite (*quartum enim ſupra ſeptuageſimum hoc labente anno 1753. agit*) plures, uti Scriptor ſtrenuus & nunquam ceſſans eſt, excepturæ, atque ob ſuam Sermonis elegantiam doctrinæ copiam, & eruditionis præſtantiam, non minùs atque priores typis jam vulgatæ, omnium adplauſus, admirationesque expreſſuræ ſunt. Nequid verò diſſimulem, ejus quoque juſſu, ſeu hortatu vel ære prodierunt ſplendida quædam Opera ætatem omninò latura, videlicet:

I. *Veterum Brixiæ Epiſcoporum S. Philaſtrii, & S. Gaudentii Opera, nec non* B. *Romberti, & Ven. Adelmanni* OPUSCULA, *nunc primum in unum collecta, ad veteres Mss. Codices collata, Notis, aliísque Additionibus illuſtrata, & aucta. Prodeunt juſſu Eñu & Rñu* QUIRINI *&c.* Brixiæ per Joannem Mariam Rizzardi 1738. fol.

II. S.EPHRÆM SYRI *Opera omnia Græce, Syriace, & Latine ad Mss. Codices Vaticanos, aliósque caſtigata, & aucta. Tomi Sex. fol.* Romæ 1732. ſeqq.

III. *Plurimum etiam debere eidem* Eñro QUIRINO *Dionis Caſſii Hiſtoriam luculentiſſimè editam à Sam. Herm.* Reimaro *pub.Hamburgi Profeſſ. gratus teſtatur in Epiſt. Nuncupatoria, & Præf. Vir ille doctiſſimus.*

Nec Libris ſolùm proprio Marte elaboratis, ſed ſuo ære rogatúque cu-

ſis,

Diptychon Quirinianum ſeu Brixianum Boëtii Conſulis.

ſis, ſed prætioſis etiam cimeliis, Numiſmatibus, & Diptychis Vaticanam Bibliothecam ſuâ locupletavit munificentiâ. Inter hæc eſt *Diptychon* ex ebore, quo antiquius eo in genere Antiquariis noſtrorum temporum adhuc nullum innotuit, cujusque expoſitio *Mazochii*, Bozii, *Gorii*, *Stochii*, *Hagenbuchii*, & aliorum ejusmodi Cimeliorum peritiâ maximè inſignium in Italia, Gallia, & Germania Virorum ingenia, labores & ſtudia mirificè exercuit. Hoc verò Diptychon ex poſſeſſione olim *Quirinianum* aut *Brixianum*, nunc ex munere *Vaticanum* appellatur; de quo, præter aliorum Commentarios, circumfertur *Epiſtola Epigraphica auſpiciis, juſſu, & ſumptibus Principis Eminentiſſimi* ANG. MAR. *Tit. S. Mauri Cardinalis* QUIRINI, *Summi* Bibliothe*cæ Vaticanæ Præfecti*, *Epiſcopi* Brixi*ani &c. edita à Jo. Gaſparo Hagenbuchio Profeſſore Turicenſi*, *cum æneis Tabulis.* Turici per Heideggerum, & Soc. MDCCXLIX. fol.

Denique, ut paucis omnia complectar, Emin. Card. QUIRINUS in nobiliſſima *Apoſtolici Bibliothecarii & Præfecti Congreg. Indicis* provinciâ adminiſtrandâ non minùs laboris ſibi ſumit, quàm aliis eandem ſe *Præſide* curantibus imponit, utputa,

Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Pleniùs & meliùs Chryſippo & Crantore dicit.

Diſpoſitio Bibliothecæ Cardin. Quirini

Jam verò, ne quid prætercam, memoranda etiam eſt ipſa Bibliothecæ, *Quirinianæ*, dùm Romæ eſſet, Diſpoſitio. Eam Cardinalis noſter in comparatione conjungit cum fluvio in Paradiſo, qui in alia quatuor diffunditur flumina. Primam eorum partē vocat *Coloniam Vaticanam*, in qua habentur Libri, quos Vaticanæ dono dedit. Altera pars conſtat ex incremento & acceſſione ad Bibliothecam Vaticanam. Tertiæ nomen imponit: *Flos Bibliothecæ Ottobonianæ*. Complectitur Libros, quos Papa *Alexander VIII.* collegit, & à morte ſuâ Nepoti ſuo Cardinali *Ottobono* legavit. Referta eſt rariſſimis editionibus ſacrorum Codicum, & omnium veterum Aothorum cum notis variorum. Pars IV. ab eo appellatur *Merces Germanicæ*, quo nomine veniunt Libri, quos opera ſuorum amicorum Lipſiæ Meningæ, Hamburgi, & Göttingæ in Germania ære ſuo comparavit. Cl. Abbas *Sambuca* in Collectione minorum Operum Cardinalis *Quirini* notitiam tradit de Mſ.tis Codicibus, quos Purpuratus Pater Romæ magnis ſumptibus comparavit, quibúsque novam Bibliothecam locupletavit, quam, ut ſtatim audiemus, Brixiæ ſub nomine *Bibliotheca Quirino-Brixiana*, erexit. His enim Romæ ita conſtitotis, & diſpoſitis poſtea Em. Cardinalis menti occurrit, Bibliothecam ſuam Vaticanæ inſertam proprio ære redimere, atq; Roma in Urbem Brixiam, Sedem ſuam Epiſcopalem transferre, ut in ea non modò Epiſcopis, Succeſſoribus ſuis, uſui eſſet, ſed omni etiam Clero Eccleſiaſtico, & Regolari, atque adeò omnibus Civibus rei literariæ ſtudioſis pateret. Quod ut Purpurato Patri facere liceret, SS. D. N. *Benedictus XIV.* ſequenti Brevi facultatem indulſit.

Quam Româ Brixiam transfert.

P. Ziegelbauer Hiſt. P. I.

Dilecto Filio Noſtro Angelo Mariæ Tit. S. Praxedis S. R. E. Presb. Card. Quirino nuncup. ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica Epiſcopo Brixienſi.

BENEDICTUS PP. XIV.

Aſſuentæ Summo Pont. Benedicto XIV.

„Dilecte Fili noſter! Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Incredibilem ſollicitudinem, curam, ſtudiúmque laudatiſſimorum omni ævo Antiſtitum Eccleſiarum, qui non modò præclara ingenii ſui monumenta ad propriam quisqoe Catholicámque Eccleſiam illuſtrandam tutandámque ediderunt, verùm ad Bibliothecas etiam in earum Eccleſiarum ædibus collocandas, & Libris Codicibúsque inſtruendas adlaborârunt, Tibi, dilecte Fili Noſter non ſine nominis tui laude ſemper æmulanti, ac mirum in modum præſtanti, maximoperè gratulamur. Itaque pergratum Nobis, jucundúmque accidit accipere, poſt Cathedralem Eccleſiam tam affabrè elegantérque de novo à Te inſtauratam ornatámque amplas itidem Ædes, quàm plurimis ſolo æquatis humilibus domibus, ante auguſtæ molis ejusdem Eccleſiæ faciem à fundamentis in ea præſertim horti Epiſcopali parte, quæ omnino inculta jacebat, fuiſſe excitatas, conſtructáſque pro Bibliotheca, quam ad tuorum Succeſſorum Antiſtitum, Cleri, & totius Civitatis Brixienſis commodum & utilitatem

„ingenti Librorum copia locupletare „pergis. Gaudemus prætereà ex Con„tractu inter Te, & Dilectos Filios „Deputatos Publicos Civitatis Brixi„enſis inito, cujus tenorem Nobis „nuperrimè transmiſiſti, ſubmotum „fuiſſe omne periculum, ne Biblio„thecam hujusmodi inde, ubi in præ„ſentia reperitur collocata, inpoſte„rùm quomodolibet amoveri, arque „alibi transferri contingat; quod pro„fectò ut ipſemet Nobis expoſuiſti, „non ſine eorundem Librorum jactu„ra, & accedentium incomodo acci„dere poſſet. Cæterùm perge, Dilecte „Fili Noſter, novis ſemper veræ ſapien„tiæ, omnigénæ eruditionis, ſollicitæ „vigilantiæ, ſacerdotaliſque zeli ar„gumentis ampliſſimo Ordine, Paſto„raliquе charactere Tuo dignis, non „tam Diœceſim iſtam Tuam, quàm „Catholicam Romanam Eccleſiam „augere & cumulare, ut viciſſim ube„rem cœleſtium chariſmatum copiam „à ſupremo Paſtorum Principe Jeſu „Chriſto conſequaris, & noſtram, at„que Apoſtolicæ hujus S. Sedis chari„tarem quà Te proſequimur, ampliùs „obſtringas. Interim Tibi, Dilecte „Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictio„nem peramanter impartimur.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Febr. MDCCXLVII. Pontificatûs Noſtri Anno ſeptimo.

Hanc verò Pontificiam Bullam cum alio Sereniſſimi Ducis Reipublicæ Venetæ Diplomate aureis deſcriptam literis Eminentiſſimus Cardinalis ſupra Bibliothecæ fores affigi curavit, hac ſuperaddita Inſcriptione:

Memoriæ & honoris monumenta.

BIBLIOTHECAM HANC
A FUNDAMENTIS ERECTAM
BRIXIANÆ URBIS COMMODO
DEDICAVIT
ANGELUS MARIA CARDINALIS QUIRINUS
ANNO M.D.CC.XLVII.

Brixianus Senatus, ut tanti beneficii gratum ſe memorémque præſtaret, hanc adjecit Inſcriptionem:

ANGELO MARIÆ QUIRINO
OB BIBLIOTHECAM ISTAM
PUBLICO HUJUS URBIS COMMODO
DESTINATAM, TRADITAMQUE
GRATI ANIMI
CAPTÆQUE POSSESSIONIS MONUMENTUM
SEPTEM-VIRI
P. P.
ANNO M.D.CC.XLVII.

Cùm verò QUIRINUS poſt longam Romæ commorationem ad ſuos redux iterùm *Bibliothecæ à ſe erectæ dotatæque commodo Urbis* Brixienſis, *primario hujus Magiſtratui poſſeſſionem anno Jubilæi MDCCL. contradidiſſet*, Antiſtiti ſuo plaudens Civitas nova quædam amoris ſui monumenta ſtatuit, ac cuſis etiam numis exprimi curavit, in quorum uno ſpectatur Eminentiſſimi purpurati ad vivum expreſſa imago cum hac in averſa inſcriptione:

EFFIGIEM
ANTISTITIS SVI
MVNIFICENTISSIMI
MARMORE PRIVS SCALPTAM
TAM IN FRONTE
NOVÆ ÆDIS CATHEDRALIS,
QVAM IN VESTIBVLO
PVBLICÆ BIBLIOTHECÆ
LOCARI,
DEINDE NVMO ISTO
COELARI
BRIXIANA CIVITAS
GRATA DECREVIT
ANNO JVBIL.
MDCCL.

Plenus eſt ſinceræ laudis erga Eminentiſſimum Card. QUIRINUM Libellus, quem hâc occaſione Vir eruditus FRIDERICUS GOTTLIEB FREYTAG, in Lipſienſi Academia Profeſſor publ. *de Statuis honoris causâ poſitis*, hoc ipſo, quo ſcribimus, anno 1752. *Lipſiæ* edidit, & eidem purpurato inſcriptum, Brixianæ Civitati dono transmiſit inſculptâ libelli ejus tegumento deauratis characteribus epigraphe iſtâ:

S. P. Q.
NOBILIS CIVIT.
BRIXIENSIS
HOC
REVERENT. MONVM.
ERGA EMINENTISS. PRÆSVLEM,
SACRVM
ESSE VOLVIT
AVCTOR.

Verùm, *unum è cunctis ſolum numerare Quirinum eſt,*
Cui ſignum fuerit deditum, & abnuerit.

Inſigne factum! cui canendo Brixianus ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ haud unam ſufficere linguam arbitratus, triplici ſumpſit ſibi efferre linguâ, editis Brixiæ A. 1752. verſibus Latinis, Græcis, & Italicis. Sed his aliiſque miſſis libet ipſius Bibliothecæ faciem, prout æri inciſa compareat, explicare. Et quidem ad exterius veſtibuli latus utrumque expreſſa legitur hæc inſcriptio: Ædificii deſcriptio.

ANGE-

Digitized by Google

ANGELUS MARIA QUIRINUS S. R. E. *Cardinalis* Bibliotbecarius, *Brixianorum in primis Antiſtitum, deinde Cleri, univerſæque* Civitatis *commodis conſulturus honoríque,* „ BIBLIOTHECAM ISTAM *à fundamentis erexit altiſſimis, libris undique conquiſitis inſtruxit, perpetuo proventu locupletavit, anno* Brixiani *ſui Pontificatûs* XX.

Facies interior ad meridiē. Interior verò proſpectus has exhibet ſtatuas & inſcriptiones. *In latere ad meridiem* conſpiciuntur, quatuor veteres Eccleſiæ Brixianæ Patres, videlicet *S. Philaſtrius*, *S. Gaudentius*, B. *Rampertus*, *Vener. Adelmannus*, in quorum manibus comparent Libri, quos ſinguli ſcripſerunt: *Philaſtrii* de Hæreſibus, *Gaudentii* Sermones, *Ramperti* de Translatione S. Philaſtrii, *Adelmanni* de Veritate Corporis & Sanguinis Chriſti adverſus Berengarium. Medii inter eos *Ss. Fauſtinus & Jovita* aureis clypeis armati, in quorum uno legitur hoc lemma: *Refulſit ſol in clypeos aureos*; atque in altero: *Et fortitudo gentium diſſipata eſt.* Subditur Epigraphe: *Viſi ab hoſtibus Tutores Ss.mi aureis armis Brixiam tueri, quo miraculo attonitus Nicolaus Picinus Dux fortiſſimus potiundæ Urbis ſpem perdidit.* Fuſcarenus in lit. ad S. Laur. Juſtinianum. . .

In Latere Orientali,

In Latere ad Orientem.

Conſpiciuntur 1. *Franciſcus Barbarus* manu Librum tenens cum Tit: *Fr. Barbari Epiſtolæ.*

2. B. Nicolaus Albergatus.
3. Dominicus de Dominicis
4. Petrus de Monte.
5. Eugenius IV.
6. Nicolaus V.

(in cujuslibet manu, Epiſtolar. Decades.)

7. Imago Antiquitatis, in cujus manu: *Diptychon Quirin. &c.*
8. Imago Brixiæ. In ejus manu Liber, *de Brixienſi Literatura.*

Super Januam meridionalem.

DIO CASSIUS manu Librum tenens cum lemmate: *Animad. in Cod. Vaticanum.*

In Boreali,

In Boreali Latere,

Cernuntur quatuor S. R. E. Cardinales ab Em. QUIRINO illuſtrati, ſcilicet *Reginaldus Polus*, *Gaſpar Contarenus*, *Petrus Bembus*, *Jacobus Sadoletus*, quorum ſinguli manibus præferunt Volumen *Epiſtolarum Card. Poli.*

PAULUS III. Rom. Pont. medius inter illos, geſtat Librum, cui Titulus: *Imago Optimi Sapientiſſimique Pontificis.* Subjungitur hæc Epigraphe: *In ampliſſimum Ordinem aſciti ſunt Sapientiſſimi, Innocentiſſimi, Clariſſimi, & ſummâ auctoritate præditi Viri, evocati, rogati, facti ſunt Cardinales. O præclara Comitia! O bis difficillimis temporibus neceſſaria! O Pauli III. Sapientiam ſingularem!* Lazarus Bonamicus in Epiſt. ad Jacob. Card. Sadoletum.

& Occidentali.

In Latere verſus occidentem.

Spectantur 1. Moyſes manu præferens Librum cum Tit: *De Moſaïcæ Hiſt. præſtantia.*

2. Origenes manu tenens *Hexapla ex Cod. Chiſiano.*
3. S. Ephræm Syrus, in cujus manu Liber cum lemmate: *S. Ephr. Opera Græc-Syr-Latina.*
4. S. Theodorus Studita cum Libro: *Vet-Græc-Officia.*
5. S. Benedictus manu tenens Codicem hoc rubro ſignatum: *Vita S. P. Benedicti &c.*
6. Paulus II. P.M. in cujus manu Liber cum Titulo: *Geſta Pauli II. Vindic.*
7. Euclides oſtentans Librum cum epigrapha: *Demonſtr. Propoſ. 21. Libr. VII.*
8. Imago Corcyræ manu præferens Librum inſcriptum: *Primordia Corcyræ.*

Super Januam Borealem.

Viſitur PLATO manu Librum tenens cum lemmate: *De binis Epiſtol. Vaticanis.*

Atqui hæc eſt nobilis illius ſtructuræ facies, hæc compages & ſimmetria, quæ uti Eminentiſſimi *Bibliothecarii* inſignia in Literas & Literatos merita egregiè commendant, *ita* ipſius *ingenii* monumenta ſcitè repræſentant. De reliquis videri poſſunt Acta illius Bibliothecæ fundationem ſpectantia, *Brixiæ* A. 1747. edita.

Ildephonſus Chathelinot. Inter Bibliotbecarios haud poſtremum etiam locum ſibi vendicat Doctiſſimus P. ILDEPHONSUS CATHELINOT Congregationis S. Vitoni Monachus in S. Manſueti Lotharingiæ Monaſterio die 23. Maji anno 1694. Profeſſus, qui inter alia fœcundi ingenii monumenta plures tum Librorum, cùm Authorum & Materiarum contexuit Catalogos, atque etiam *Methodum ordinandæ Bibliothecæ, & texendi Catalogi* aliis præſcripſit. Ipſus eſt, qui *Supplementum Bibliothecæ ſacræ* condidit inſertum anctario Dictionarii Biblici à *Calmeto* adornati; quâ occaſione

caſione *Cathelinotus* ſolidum deinde impendit quadriennium conciñandæ *auctiori & completiori Bibliothecæ Sacræ*, tribus Voluminibns in folio ad prelum paratæ. Idem contexuit Tabulas Bibliothecæ *D.ni Eliæ Dupinii* Vol. IV. in 4. Diſſertationes itidem in *Petri Baylii* Lexicon, & alia ejusdem Opera. Novam quoque exegit editionem Bibliothecæ Virorum Illuſtrium à *Theveto* adornatæ. Nunc verò ſuas vigilias & operas impendit contexendæ Bibliothecæ univerſali Benedictinæ hoc Titulo: *Hiſtoria Literaria Benedictina in tres partes diviſa, ab ortu Ordinis ad noſtra usque tempora, tribus Voluminibus in folio*, Quod Opus integrum prelo paratum ſe habere, ſuis ad me literis nuper ſignificavit. Alia Viri ſummè induſtrii & operoſi Opera diductiùs recenſet *Auguſtinus Calmet* in ſua Lotharingiæ Bibliotheca Gallicè in fol. Nancæji edita A. 1751. pag. 247.

Benedictus Thiebaut. BENEDICTUS THIEBAUT ejusdem Congregationis Cœnobita in Viſontionenſi S. Vincentii Monaſterio anno 1700. die XI. Julii Profeſſus, jure quodam ſuo ac merito Bibliothecariis accenſeri debet; Is enim ſum̃a cum cura Bibliothecam Benedictinam generalem & ſpecialem adornandam ſuſcepit hoc Titulo: *Bibliotheque genérale & particuliere des Auteurs de tous les Ordres & Congregations, dans lesquelles on pratique la Regle de S. Benoît, avec l' Hiſtoire de leur vie, le Catalogue, la Chronologie, & les differèntes Editions de leurs ouvrages, & à la fin l' etat preſent de l' Ordre de ſaint Benoît, où l' on trouve l' hiſtoire de tous les Ordres, Congregations & Monaſteres de l' un & l' autre Sexe, qui le compoſent.* Septem Voluminibus in 4. Mſc.

Nicolaus Vaillant. NICOLAUS VAILLANT in Moſomenſi Congr. Ss. Vitoni & Hydulphi Cœnobio die IX. Novembr. A. 1708. Profeſſus, poſtquam Philoſophiæ ac Theologiæ profeſſuras aliquamdiu ſuſtinuiſſet, ac dein *Prioris* tum etiam *Viſitatoris* munia cum laude explêſſet, Bellilocenſi demùm Bibliothecæ curis & impenſis R.D. *Antonii l' Archer* Congregationis illius Præſidis benè meriti inſtructæ Præfectus, compoſuit, ſuáque manu conſcripſit ultra XVI. Volumina in fol. quæ accuratam exhibent analyſin omnium Scriptorum & Librorum in eadem Bibliotheca contentorum uti refert *Calmetus* in Suppl. Bibl. Loth. p. 104.

Remigius Cellier. REMIGIUS CELLIER Barroduceus in Medianenſi Monaſterio A. 1705. die 12. Maji Profeſſus ac ſubinde Bibliothecæ Præfectus, *magnæ Vir induſtriæ & eruditionis*, vaſtiſſimum Opus Hiſtoriæ univerſalis Scriptorum Eccleſiaſticorum adgreſſus, jam ultra octodecim Volumina ab anno 1729. ad 1751. in 4. Pariſiis apud D. *Le Mercier* typis exſcripta publico dedit ſub Titulo: *Hiſtoire generale des Auteurs Sacrés & Eccleſiaſtiques, qui contient leur vie, le Catalogue, la Critique, le jugement, la Chronologie, l' Analyſe & le denombrement des differentes editions de leurs Ouvrages; ce qu' ils renferment de plus intéreſſant ſur le dogme, ſur la Morale, & ſur la diſcipline de l' Egliſe; l' Hiſtoire des Conciles tant generaux, que particulieres & les Actes choiſis des Martyrs...* Prioris titulo Flaviniacenſi Cœnobio præerat *Remigius* anno 1751. Ejus verò Laborum ſocius eſt Doctiſſimus P. *Petrus Strobol* S. Michaëlis Profeſſus A. 1714. de quo plura *Calmetus* Bibl. Loth. pag. 910.

Romanus Calame. ROMANUS CALAME è Congreg. SS. Vitoni & Hydulphi, Vir græcè & hebraicè doctus, ac Polyhiſtor penè incomparabilis, in diverſis ſuæ Congregationis Monaſteriis non tantùm Philoſophiam, Theologiam, humanioréſque diſciplinas docuit, ſed etiam Bibliothecarii munus ſumma cum laude, nec minori ad Poſteros fructu aliquando ſuſtinuit, totus qui literis natus, & ad enodandas quæſtiones intricatiſſimas factus, nimiâ ſtudiorum contentione è vivis prætaturè abreptus periit die IV. Septembris A. 1707. Ejus elogium hiſce verbis exprimit Calmetus: *Dom Romain Calame Benedictin de la Congregation de S. Vanne natif de Morteau dans le Comté de Bourgogne, fit profeſſion en l' Abbaye de S. Evre-lés-Toul le 3. Juin 1644. & il eſt mort à Fontaines près Luxeüil le 4. Sept. 1707. C' etoit un eſprit plein de feu, & d' une imagination trés-vive. L' etude étoit ſon aliment; il y étoit ſi appliqué, qu' il en perdoit ſouvent le ſommeil... il ſembloit etre né pour traiter & éclaircir les matieres les plus difficiles. Nous avons de lui un grand nombre d' ouvrages, qui ont merité l' approbation des connoiſſeurs*:

Ejus ingenii partus.

1. Summa temporum ab Orbe condito ad Chriſti in cœlos aſcenſionem deducta... Vol. 5.
2. Opuſcula Chronologica tria, I. *De Natali*

Natali Chriſti, II. *De Die Paſſionis Chriſti*. III. *De Die obitûs S. Benedicti.*

3. Studiorum curſus in ſeptem Tomos diſtributus, quibus Grammatica, Rhetorica, Philoſophia & utraque Theologia, Scholaſtica & Thetica breviter & perſpicuè traduntur.
4. Varia Opuſcula, videlicet: *Anti-Sfondratus, ſive nodus Prædeſtinationis ab Em. Cardin. Sfondrato, neque ex Sacris Scripturis, neque ex Doctrina SS. Auguſtini & Thomæ diſſolutus.* Reliqua enumerat Calmetus Bibl. Lothar. p. 181.

Jo. Trithemii exhortatio de Cuſtodia & Munditia Librorũ.

Poſteaquam verò Bibliothecarios, tametſi pauciſſimos ex innumeris, recenſui, rem non ineptam facturus mihi videor, ſi Joannis Trithemii exhortationem *De Cuſtodia & Munditia Librorum* habenda hîc ſubjiciam. Sic verò Vir & Abbas ille prudentiſſimus Ordinis noſtri Bibliothecarios alloquitur.

„Cùm theſaurus maximus Eccleſe-„ſiæ copia ſit Scripturarum: qui Libros „ſanctos diligenter cuſtodire negligit, „injuriam Eccleſiæ facit. Arma enim, „quibus ſe contra hæreticos muniat, „Libri ſunt: quos qui vel diſtrahi, vel „perire patitur, minùs Eccleſiam di-„ligere comprobatur. Quam ſi ama-„ret, ut debuit, ſuis eam ſpoliari ar-„mis nequaquam permitteret. Ama-„tores itaque Librorum attentiùs ex-„hortamur, ut Bibliothecam ſollici-„tè cuſtodiant, aut talibus commen-„dent armariis, qui nihil ex ea ſurripi „permittunt. Ex Bibliothecis facilè „Monachorum diſciplina cognoſci-„tur: & quid ſtudeant, ex Libris citò „animadverti poteſt. Si ad domum „tuam venero, non eſt opus interro-„gare, quid ſtudeas? Volumina tua „dabont teſtimonium actionibus tuis. „Codices tui honorant te, ſicut à te „honorantur. Si negligis illos, negli-„gent te: ſi contemnis, contemnent „te. Denique, *qui contemnunt me*, „(ait Sapientia) quæ in Libris agno-„ſcitur, *erunt ignobiles*. Si volumina „tua ſcamnis lacera volant, ſi pulve-„ribus operiuntur, ſi maculata intus „& foris incompoſita fuerint, indoc-„tum te, & fuconem proclamabunt, „etiamſi Doctor habearis. Quomodo „doctrinam amare poteris, ſi Libros „informatores tuos contemnis & neg-„ligis? Sicut ſapientia puri cordis ha-„bitaculum & diligit & inhabitat: ſic „Amator ſapientiæ Librorum mundi-„tiam & ornatum amat. Nam qui „domum alicujus lacerat, quòd in-„habitantem non vereatur, manife-„ſtat. Et qui Libros divinarum vel „humanarum Scripturarum negligen-„ter & immundè tractat, contentam „in eis ſcientiam ſe non amare probat. „Philobiblos itaque noſter pro cuſto-„dia & ornatu Librorum ſum̃um im-„pendat ſtudium: ſecundùm materias „vel dignitates ordinet Libros ad pul-„pitum, ut ſtudioſi fratres citiùs in-„venire poſſint, quod quæritant. Nul-„lam de ſua Bibliotheca materiam ab-„jiciendam exiſtimet, præter dogma-„ta hæreticorum: quia nullus Liber „tam exilis eſt, qui non ad aliquam „utilitatem poſſit conducere. Sit Bib-„liotheca ſub tuta cuſtodia: nec paſ-„ſim omnibus pateat, ſed illis dun-„taxat, quos amor & ſtudium Scrip-„turarum commendat. Multa enim „Bibliothecis damna illata cognovi-„mus: eò quòd ſine diſcrimine pate-„rent univerſis. Nec de locis ſuis Li-„bri facilè emittendi ſunt, niſi ſub „fide & certa fiducia. Habeantur „omnium Librorum Bibliothecæ in-„ventaria: ut nihil diſtrahi poſſit, vel „amitti. Zelotes inſuper noſter diſcip-„linarum utilium eos, quos diligit, „Libros noñuñquam viſitet: & quam „rectè ſe habeant, diligentiſſimè ex-„ploret. Deniqoe non ſit parcus &

Bibliothecarius non ſit difficilis ad Librorum uſum concedendum.

„invidus ad communicandum ſtudio-„ſis de Bibliotheca volumina: quia „theſaurus occultus, & ſapientia ab-„ſcondita, velut inutiles, compro-„bantur. Quotieſcunque ergò peti-„tur ad reſcribenda volumina, ſtudio-„ſis libenter accomodet, ſub certa „tamen fidei cautione, quatenus & „ſuum theſaurum Cœnobio cuſto-„diat, & alios ſine ſui diminutione „divites faciat. Quicunque autem „Libros ad ſcribendum ſub fide reci-„pit, caveat diligenter, ne illos aut „fœdet, aut laceret: ſed juxtà ſen-„tentiam Domini faciat aliis, quod „ſibi vult fieri, & benevolentiæ non „ſit ingratus. Fratres etiam, qui „Libros de Bibliotheca ſecundùm Re-„gulam pro ſtudiis accipiunt, caveant, „ne illos maculent, vel deſtruant, „ſed cum devotione & puritate legen-„tes im̃aculatos cuſtodiant. Si quis „autem Codices negligenter & ſordi-„dè tractaverit, ut ſacrilegus, & diſ-„ſipator rerum Monaſterii puniatur: „ita ut ejus emendatio cæteris fiat in „exemplum. Sed quid multis ſuper „Librorum cuſtodia immoramur ſer-

„moni-

„monibus ? Qui illos diligunt, ſine „dubio colunt, & ſervant, etiam no„bis tacentibus: quod imperitis fru„ſtra ſuademns, quia perſuadere non „poſſumus. Stulti enim ſtudia con„temnunt, & volumina non diligunt, „niſi ſuis vanitatibus conſormia. His „igitur omiſſis, ad noſtrorum, qui „Libros & amant, & legunt cohor„tationem, accedamus.„ *Hæc Trithemius.*

Optandum verò, ut Bibliothecarii in Familiæ noſtræ Monaſteriis cùm omnibus Trithemii verbis, tum illis præcipuè aurem accom̃odent: *Non ſit parcus & invidus ad communicandum ſtudioſis de Bibliotheca volumina: quia theſaurus occultus, & ſapientia abſcondita, velut inutiles comprobantur.* Neqne ſine ratione hoc com̃onuit Abbas prudentiſſimus. Sunt enim ex omni ordine, ſtatu, ac conditione aliqui ita moroſi ac difficiles in communicandis Libris, quos ipſi tamen nullo modo evolvunt, ut eos à blattis ac tineis potiùs corrodi patiantur, quàm eos, non dico, exteris, ſed domeſticis etiam ac ſodalibus utendos exhibeant. Memini me legere in vita *Jacobi le Long*, viri doctiſſimi è Congregatione Gallicana Oratorii, quòd apud ſuos moroſi & difficilis Bibliothecarii nomen indeptus fuerit. Etſi enim Bibliothecam, cui præfectus erat, exteris non humaniter modò patefecerit, ſed ſi quos etiam Libros utendos petierunt, haud gravatim iis conceſſerit; non eâdem tamen facilitate erga domeſticos atque adeò ſodales ſuos utebatur; à quibus etiam vel Librum loco moveri ægrè ferebat. Quam moroſam difficultatem quàm ipſi, in quorum uſum Bibliotheca potiſſimùm condita erat, moleſtè tulerint, nemo eſt, qui non intelligat. Contra verò ſunt alii, quos ut è Monaſterii Bibliotheca Librum tibi commodent, fruſtra rogaveris. De his jam anno 1212. in Concilio Pariſienſi (s), quod à Roberto de Corceone S. R. E. Cardinali, & & Sedis Apoſtolicæ in Galliis Legato, celebratum fuit, gravis orta eſt querimonia. Unde inter alios Canones etiam iſte conditus fuit: Ne viri Religioſi juramentum emittant de non commodandis Libris, *cùm commodare inter præcipua miſericordiæ opera computetur.* Et deinceps Libros tenere ſub anathemate prohibet.

Canon Concilii Pariſ. de Libris commodandis.

Quid jam dicam de Mſ.tis Codicibus, eorúmque Catalogis tecum vel mecum communicandis ? Sunt Bibliothecarii nonnulli, conqueritur (t) V. C. Joannes Cathardus, canibus hand diſſimiles, qui fœno incubantes, cùm ipſi non edant, nec alios quoque edere, vel etiam propiùs accedere non permittunt, locum dantes proverbio: *Canis in præſepi.* Sic & belli iſti Cuſtodes ærarii Rei Literariæ & Chriſtianæ malunt ſacros priſcorum Patrum Codices blattis ac tineis ſervare, quàm iis commodare, qui eos è ſcriniorum tenebris in lucem aſſerere, & in uſum Eccleſiæ & literatorum convertere poſſunt, & deſiderant. Sed parùm eſt, Opera SS. Patrum, aliorúmque præſtantiorum Auctorum denegari, etiam, quod omnino lepidum videtur, longè minoris momenti, & nullius ferè pretii Opuſcula à viris obſcuri nominis literis mandata denegantur. Petii ego Catalogos Mſ.torum Codicum, qui in Bibliothecis Benedictinis per Germaniam aſſervantur. Sed quid impetravi ? à multis nihil: Fuit, qui reſponſum daret: *Hiſtorias literarias in Germania non magni fieri*: nempe fatua ratio etiam denegandi eſt ratio. Petii à nonnemine per literas, ut in Monaſterii ſui Bibliothecam Libris inſtructiſſimam aditum mihi adomaret. Quid impetravi? nihil, ne reſponſum quidem; ex quo ſilentio hoc tamen commodi retuli, ut expenſis in Itinere faciendis pepercerim. Solatio eſt, Viros & Sodales me longè doctiores id genus repulſas, certè parùm urbanas, ante me tuliſſe. *Cl. Bernardus Pezius* cùm ex Itinere Literario Gallico in Germaniam reverteretur, per quoddam Monaſterium tranſiit, cujus Abbas ut virum brevi hoſpitio exigeret, Bibliothecario negotium dedit, ut diu noctuque nulli parcens labori, quàm citiſſime poſſet, hominem abſolveret. Abiit *Pezius*, Monaſterio nomen *inhoſpitalis Caucaſi* remanſit. Quæ planè ſilentio involuturus fuiſſem, niſi per eam cauſam commemoranda viſa fuiſſent, ut ex iis nemo non intelligat, quàm difficile ac operoſum ſit, Hiſtoriam Literariam Ord. S. Benedicti perfectam, numeriſque omnibus dare abſolutam. Si illa manca, defectuoſa, minúſque concinnè ſcripta publicam aſpiciat lucem, non ſemper culpa in Aucto-

Quorumdam Bibliothecariorum durities & ignavia.

(s) Nat. Alex. Hiſt. Eccl. Tom. VII. p. 165.
(t) In Dedic. Epiſt. S. Iſidori Peluſiotæ.

Auctorem conferenda eſt, ſed quandóque in illos potiùs ſodales, qui cùm adjumento eſſe & poſſent & deberent, nimium quantum hac in re ſuas deſiderari partes patiuntur.

Archivarii recenſentur.

Supereſt, ut, quod in Titulo hujus Capitis promiſimus, aliquos è multis *Archivorum Cuſtodes* recenſeamus, non ullo tamen ordine, aut perſonarum, aut temporum (neque enim res tanti videtur) ſed ut quisque ſub calamum venerit, ejus mentio à nobis fiet.

Walterus.

WALTERUS de MANITOUN, Cuſtos Archivi Glaſtonienſis Monaſterii in Anglia, & deinde Abbas, omnia privilegia à S. Ina Rege huic Monaſterio conceſſa collegit in MSS. Codice, in quo contineri perhibentur omnes copiæ monumentorum Eccleſiæ Glaſtonienſis, & vocatur *Secretum Abbatis*. Videsîs Bolland. Comment. Hiſt. in vitâ S. Inæ Occid. Sax. Regis, §. II. n. 9. extat VI. Febr. p. 907. col. 1.

Gregorius Farſenſis.

GREGORIUS Chartophylax Monaſterii Farſenſis Sec. XI. à quo habemus Hiſtoriam ejusdem Cœnobii. Vide *Card. Quirini* notas ad Diſſert. de conſcrib. Italiæ Monaſt. Hiſt. p. 95.

Berrardus.

JOANNES BERRARDUS, Cuſtos Archivi Caſaurienſis, ſive Piſcarienſis, de quo ſupra.

Honoratus Thotus.

HONORATUS THOTUS è Congr. Caſin. *Repertorium Archivi Monaſterii S. Laurentii de Averſa* labore P. D. *Honorii* à Cava diſpoſitum. Quod idem præſtitit Archivo S. Angeli Cajetæ, cujus *Repertorium* ab Honorio conciñatum exſcripſit nitido pulcherrimóq; charactere D. *Cornelius Roſſeti* à Neap. Sac. Monaſt. Caſin. Profeſſus.

Sulcardus.

SULCARDUS, Monachus, Chronographus, & Archivarius Cœnobii Weſtmonaſterienſis in Angliâ Seculo XI. *Regiſtrum Chartarum Regalium & Pontificalium, privilegiorum, compoſitionum & Confæderationum Epiſcoporum & Abbatum Eccleſiæ beati Petri Weſtmonaſterienſis* confecit, ut ſcribit Oudinus Commentar. de S. E. Tom. 2. pag. 81. Extat illud Regiſtrum in Bibl. Cotton. ſub effigie *Fauſtinæ* lit. A. Cod. 3. n. 2.

Eberhardus Fuldenſis.

EBERHARDUS Fuldenſis Archivi præfectus Sec. XII. ſub *Marquardo* Abbate, ejus Chartarium duobus diſtinctum voluminibus confecit. *Vid. Strv. Tom. 3. S. Rer. Germ. Piſtorianæ Collect. p. 485. Schannat. Hiſt. Fuld. Part. I. §. 2.*

Erlebaldus.

ERLEBALDUS, Germanus frater *Wibaldi*, Abbatis Stabulenſis & Corbeienſis, Leodii apud Benedictinos in Monaſterio S. Laurentii vota monaſtica nuncupaverat, cùm à fratre Stabuletum accitus fuit. Primùm verò ſuum Capellanum inſtituit; deinde verò *Cuſtodem* creavit; ſic Stabulenſes eum appellabant, cui commiſſum eſt Inſtrumentorum Archivum. Neque verò ſanguini deſtinatio hæc in acceptis referatur; cùm jam videretur muneribus primis adoleſcens digniſſimus. Edmundi Marthene non vana eſt conjectura, *Erlebaldum* fuiſſe etiam *Conradi* Regis Cancellarium, qui cum ipſo ad Terræ ſanctæ expeditionem profectus eſt. Vid. vita Wibaldi apud Marthene Collect. ampl. Tom. 2. p. 153.

Petrus Diaconus.

PETRUS DIACONUS, non ſolùm Bibliothecarius Caſinenſis, ſed etiam *Chartularius*, id eſt, Archivi Cuſtos fuit.

Bernardus Campanari.

BERNARDUS CAMPANARI, Archivo Caſinenſi præfectus, ejus tabulas ritè collocavit, atque elucidavit.

Cornelius Margarinus.

CORNELIUS MARGARINUS, Italus, Romanus, S. Pauli de Urbe Monachus, Congregationis Generalis Archivarius ſeu Tabulariis omnibus præfectus (u) Monaſterii ad S. Calixtum Romæ Archivum inſigne ipſe ordinavit, ac diſpoſuit, locupletiſſimo Indice ſeu Rubrica, ad materias quascunque facillimè inveniendas, plurimos in tomos ad Alphabeti & Chronologiæ leges contexto, quod ipſum quibusdam in aliis Monaſteriis præſtitit; ſed præcipuum ejus Opus fuit *Bullarium Caſinenſe*, diutino labore confectus, per annorum ſeriem digeſtum, Summariis & opportunis Indicibus adauctum ac illuſtratum, quod Opus Jurisperitorum manibus quotidie teritur: Illud verò *Sacræ Caſinenſium ac Regularium Univerſitati* his verbis dedicavit. „E tenebris, ac „è ſepulchris diu ſitu ſquallentia, pul„vere, carieque abſumpta, ad lucem „revoco Pontificum Diplomata, Cæ„ſarum, Regúmque favorabiles Ta„bulas. Peſſum Caſini res ibat. In „emortuis ſepultisque membranis, vis, „anima, ac omnis fere Cœnobiticus „ſplendor occiderant. Revixêre Pa„trum noſtrorum juſſu, meóque labo„re, qui omnium Regularium ſaluti „deſudat. Immane Opus aggreſſus, „omnium Congregationis noſtræ ſcriniorum

(u) Armell. l. c. part. 1. 141.

„niorum, Bibliothecarúmque monumenta lectnrus, excuſſurus. A Comitiis Generalibus *Generalis Scriniarius* nuncupatus, panca vix dum „Cœnobia perloſtravi, & ſelectiora „hæc Diplomata, prœlo committen„da delegi. Reciprocas, quæ occurrunt, Privilegiorum Communicationes, Appendicis loco inſtruxi. „Reliqua, Deo auſpice, prodibunt „brevi. Nihil hîc adulterinum, omnia „fidelia, vel apices erunt, prœli lapſus „ſi demas. Quæ chartis impreſſa vi„des, fulgura, voces, & tonitrua „ſunt, quæ à ſacro Petri throno pro„deunt, ad Caſini ac totius Cœno„biticæ Regularíſque Militiæ decus, „tutelam & incrementum. „

Meminit hujus Bullarii Eminentiſſ. Card. *Quirinus in vitæ ſuæ Commentario Part. 2. Lib. 1. c. 14. p. 72.* his verbis: „Quæſivit ex me Ponti„fex, Clemens XI. antequam me à „conſpectu dimitteret, an ſatis am„plam Monaſticæ eruditionis ſege„tem colligere mihi daretur ex Mar„garini collectaneis. Haud diſſimu„lavi ita eſſe, at una ſimul ſubjun„xi, cautè ea à me legi, quod me„moriæ meæ inſideret Mabillonii dic„tum de Caſinenſi illius Bullario, „*Incipit ab inſigni mendacio.* Dictum „hoc mihi non una tantùm vice San„Germanenſes Patres memorârunt.

Marinus Albitrius. MARINUS ALBITRIUS, patria Neapolitanus, nobili genere natus, in Monaſterio SS. Trinitatis apud Cavam Congr. Caſinenſis inſtitutum ſuſcepit anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo die 21. Decembris; cúmque ad Antiquitatum ſtudia valde propenſus eſſet, in illíſque aſſiduè ſeſe exerceret, celeberrimo Tabulario Cavenſi præfectus, eidem illuſtrando, ejúſque uſum commodiorem, utiliorémque reddendo, toto conatu incubuit; vigebat enim florida adhuc ætate, cùm hæc ſcripſerat Abbas Armellinus, anno videlicet milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo, vitæ ſuæ quinquageſimū quartum, annum nondum ſupergreſſus. Scripſit igitur anno milleſimo ſeptingenteſimo Chronologiam IX. Seculorum deſumptam ex ſcripturis & privilegiis originalibus Pontificum, Regum, Imperatorum, Principum Comitum, Ducum, Cardinalium, Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum, ſervatis in præclaro & inſigni Archivo Sac. Monaſt. Caven. ab anno 875. uſque ad annum 1654. Extat MS. in eodem Archivo, Arca II. n. 56. Anno autem 1717. ſcripſit *Dictionarium*, ſive *Inventarium*, ac *Regiſtrationem Armarii* tertii, & magnarum Arcarum primæ & ſecundæ, ubi Cavenſis Archivi monumenta aſſervantur MS.^ta Anno 1718. ſcripſit *Inventarium* aliarum Arcarum ejuſdem Cavenſis Archivi MS. Anno 1719. ſcripſit *Indicem Contractuum pro & contra Monaſterium Cavenſe*, ſummatim extractorum ex *ſchedulis*, *Protocollis*, *Libris*, *Faſciculis*, *Baſtardellis*, *Originalibus*, plurium publicorum Notariorum, ſervatis in præclaro & inſigni Archivo Cavenſi &c. quod Opus, quia valde laborioſum ac prolixum eſt, nondum abſolverat anno 1730. quo nempe hæc literis tradidit Armellinus.

Quid de eo Card. Quirinus. Mentionem præterea facit MARINI ALBITRII Eminent. Cardinalis *Quirinus* in Commentario vitæ ſuæ Part. 2. Lib. I. c. 6. pag. 105. „Si„lentio, inquiens, hoc loco non „præteribo, diligentem pariter Chro„niſtam nactum me fuiſſe in Monaſte„rio Cavenſi, videlicet *Marinum Al„bitrium*, qui quum celeberrimo „ejuſdem Tabulario præfectus foret, „ut idem commodius, utiliúſque red„deret, toto conatu incumbebat. „Exhibuit ipſe mihi laborioſa & pro„lixa Volumina, quibus conſcriben„dis digerendíſque occupatus tum „erat. Antea verò confecerat Chro„nologiam Cavenſem novem ſeculo„rum, ſcilicet ab anno 875. uſque ad „annum 1654. De eo ipſo Tabula„rio inſigniter meritos olim fuiſſe *A„lexandrum de Rodulphis*, & *Au„guſtinum Venerium*, ipſemet Albi„trius ſincerè mihi teſtificatus eſt, af„firmavitq; præterea poſtremum hunc „Salernitanas etiam chartas, & Sanc„tæ Mariæ de Veteri extra Salerni „muros ordinâſſe. Utriuſque laborum oculatum me inſuper teſtem eſſe voluit manibns meis contradens plura volumina ab iiſdem conſcripta.

Romualdus Serra. ROMUALDUS SERRA, Italus, Cæſenas, ibidem in Monaſterio S. Mariæ de Monte Profeſſus anno milleſimo ſeptingenteſimo quarto. Bibliothecæ & Archivi Præfectus, oſtendit eximium erga ſuum Cœnobium amorem; cùm totus ſit in illuſtrandis ejuſdem tum antiquis, tum recentioribus monumentis, compoſito Opere admodùm utili, cui hunc titulum præfixit: *Catalogus Chronologicus* omnium Abbatum ſimúlque

omnium

omnium Scripturarum, Privilegiorum cæterorúmque Inſtrumentorum, quæ in Archivo S. Mariæ de Monte Cæſenæ reperiuntur, quorum tranſumpta recto ordine diſponuntur; additis Notis Chronologicis & Hiſtoricis ad idem Monaſterium ſpectantibus." Exorditur autem ſuum Opus ab an. 1059. quo *Nicolaus II.* Summus Pontifex ampliſſimô Diplomate Monaſterium illud ditavit; perduxítque hactenus usque ad an. 1500. Utitur verò hâc prorſus methodo: Primô locô Abbatis nomen, ſub quo Inſtrumentum illud confectum fuit, ponit: deinde Pontificis Maximi, & Imperatoris eô tempore viventium nomina & annos collocat: Compendium denique, vel Summarium ejusdem Inſtrumenti texit. In margine autem Chriſti Domini annum, tum Indictionem, & diem, quô Inſtrumentum illud celebratum fuit, explicat. Notitias demùm hiſtoricas, quas quidem invenire potuit, quæ rem prædicti Monaſterii concernunt, ſubjungit. „ Utinam, inquit Abbas Armellinus (x) plures eſſent in noſtris Monaſteriis, qui hujusmodi ſtudia pari diligentiâ proſequerentur, quæ quidem variis in Cœnobiis inchoata, in aliis perfecta jam ſunt, in aliis autem adhuc deſiderantur; his enim ſumma utilitas, & decus iisdem Monaſteriis paratur, ſeu potiùs ſaltem ex parte reſtituitur.

Eraſmus Gattola. ERASMUS GATTOLA Cajetanus, Abbas S. Matthæi Servorum Dei, & Caſinenſis Archivi Cuſtos celeberrimus, de quo ſuprà. Vide etiam Commentarium Vitæ Cardinalis *Quirini* Part. 2. L. 1. pag. 101.

Bartholomæus de Alexand. & Platamone. BARTHOLOMÆUS *de Alexandro & Platamone*, (y) Siculus, Paternenſis, Monaſterii S. Nicolai in eadem civitate Alumnus, nobili ſtudio antiquitatis monumenta, & eruditionem è Catanenſi Tabulario, cui plures annos præfuit, ſcrutatus, Chronicon ſui Monaſterii condidit.

Auguſtinus Venerius. AGUSTINUS VENERIUS, (z) patriâ Neapolitanus, in Cœnobio SS. Trinitatis Cavenſis monaſticæ vitæ methodum ſumpſit an. 1595. die 12. Sept. Vir tum doctrina, tum probitate conſpicuus, quem Urbanus VIII. qui illius virtutes optimè noverat, Abbatem, ut dicimus, Titularem eſſe juſſit. Is in antiquitatis ſtudiis verſatiſſimus, Cavenſe Archivum valde inſigne vetuſtiſſimis, iisque aureis monumentis cumulatiſſimè refertum diurna ac nocturna manu verſans, plurimùm illuſtravit, illius abſolutiſſimis atque pulcherrimis Regeſtis compoſitis, quibus hunc Titulum præfixit: *Dictionarium*, ſeu *Index Alphabeticus*, quinq; Mſs. Tomis in fol. diſtinctus, *Privilegia, aliáque innumera monumenta Archivi Cavenſis Monaſterii ſummatim comprehendens.* Opus æquè nobile ac utile.

Camillus Maſſarus. CAMILLUS MASSARUS, Italus, Capuanus, Monachus Cavenſis, ſui Monaſterii Archivo Præfectus, quos Indices Alphabeticos mox laudatus Auguſtinus Venerius compoſuit, ipſe correxit, perpolivit, & optimô charactere ſuâ manu deſcripſit. De eo, ut & de iisdem MSs. loquitur Camillus Peregrinus (a) in Hiſt. Principum Longobard. in Appendice primi Libri pag. 298. edit. Neapolitanæ anni 1643. „ In exitu proximè anteacti menſis „ Octobris, cùm Salernitanæ Urbis „ Archiva, quantùm per eam oppor„ tunitatem licuit, luſtrâſſem, eôdem „ annô ad præclarum Cavenſe Mo„ naſterium me contuleram, quod „ jam olim, ſed verè à limine inſpexe„ ram ad Longobardorum Principum „ nuper à me conceptos Chronicos „ Canones abſolvendos, idoneis char„ tulis refertiſſimum. Eas itaque dum „ ſedulus per biduum ferè illìc ma„ nens, eſſem ſcrutatus, ſcrinia mihi „ reſerante vigilantiſſimo, cultiſſimó„ que ipſorum Cuſtode D. Camillo è „ Capua, in eadem Sacra Æde Mo„ naſticam D. Benedicti Regulam pro„ feſsô, cujus laborioſam, eruditámq; „ diligentiam ſummo nitori, nec minori „ fidei adjunctam in deſcribendis ſuâ „ manu omnibus propemodùm ejuſ„ ce Archivi vetuſtis tabulis deſcrip„ tisque in plura regeſta per tempora, „ pérq; claſſes dirigendas habent præ„ ſentes, habebunt Poſteri multiplici „ cum utilitate acceptiſſimam &c.

Franciſcus Thomas. FRANCISCUS THOMAS (b) è Congr. S. Mauri, celeberrimo Archivo Regiæ Abbatiæ S. Dionyſii in Francia Præfectus, fecit extractum ſatis amplum in modum Inventarii ex omnibus char-

(x) Bibl. Caſin. part. 2. pag. 167.
(y) ibid. part. 1. pag. 72.
(z) Armell. l. c. part. 1. pag. 67.
(a) ibid. part. 2. pag. 210.
(b) Felibien in Hiſtor. Abbat. S. Dionyſii Lib. 8. pag. 524.

chartis, inſtrumentis, ac diplomatibus dicti Monaſterii à primo ſuæ fundationis Seculo uſque ad annum 1500. Præclarum hoc Opus, cui ipſos decem annos inſudavit, eſt fructus incredibilis patientiæ; quem verò ordinem cum magna accuratione conjunctum Autor in opere obſervavit, argumento eſt, ipſum magnô ingenii acumine ac rerum intelligentiâ in re archivaria valuiſſe.

Perardus Caſtell.

Perardus Caſtell Archivarius in Monaſterio S. Benigni Divionenſis magnam inſtrumentorum copiam coacervavit, quam ſibi in ſcribenda Lothatingiæ Hiſtotia uſui fuiſſe teſtatur Abbas Calmet in Catal. Alphab. Scriptor. Hiſtor. Lothar.

Philibertus Hueber, & Carolus Meichelbeck.

PHILIBERTUS HUEBER Mellicenſis in Auſtria, & CAROLUS MEICHELBECK Benedictoburani Archivi in Bavaria, Cuſtudes, ille Auſtriâ ex Archivis Mellicenſibus illuſtratâ, hic Hiſtoriâ Friſingenſis Epiſcopatûs in lucem emiſsâ celeberrimus. Ex prioris quidem encomium (c) *Bernardus Pezius* his verbis contexuit: „ *Philibertus Hueber* Vir diligentiſſimus rei Archivariæ longè peritiſſimus, qui veteres „chartas, diplomata, aliáque id „ genus in ampliſſimo tabulario Mellicenſi recondita monumenta incre„dibili Monaſterii noſtri emolumento „ magno cum labore & diligentia ex „autographis decerpſit, eáque omnia „ad multiplices indices redacta ordi„ne pulcherrimo digeſſit, eóque no„mine digniſſimus eſt, qui à ſera po„ſteritate, nedum à nobis immottali „laude commendetur. „ *De Meichelbeckio plura Part. III. pag.* 458.

Joannes Baptiſta Kraus, Abbas & Princeps S. Emmerami.

Hîc quoque illaudatum ſine piaculo dimittere non poſſumus Celſiſſ. Principem & Abbatem Sant-Emmetamenſem Ratisbonæ JOANNEM BAPTISTAM, Virum utique rei diplomaticæ ſcientiſſimum, qui locupletiſſimum principalis ſui Monaſterii Archivum ſummâ diligentiâ rimatus, tot támque illuſtria veterum Germaniæ Regum, Ducum, Summorum Pontificum, Epiſcoporum, aliorúmque clarorum hominum monumenta aliàs incognita publicam in lucem dedit, ut vix uberior ſeges ex ullo ejus provinciæ chartulario ſperanda ſit. Maximè verò Eruditis probatur *Appendix, quæ ſigilla quædam cupro inciſa, ad Bullas, Diplomata, Chartas, aliàsque notitias ſpectantia, unacum brevi horum ſigillorum deſcriptione exhibet.* Prodiit Opus Ratisbonæ typis *Joan. Viti Rädlmayr* A. 1752. in 4. Idem Celſiſſ. Princeps Parte II. Catalogi Bibliothecæ Sant-Emmetamenſis A. 1748. in 8. editi ſigillatim recenſuit, non ſolùm Manuſcriptos Codices, ſed etiam Bullas, Diplomata, Chartas, &c. juxta ſeriem temporum, dignus qui plures habeat ſui ſtudii Imitatores.

Leander Borinius, & Cardinal. Quirinus.

LEANDER BORINIUS è Congreg. Caſin. laudatur Eminentiſſimo Cardinali QUIRINO, (d) quod Tabularium Cœnobii S. Juſtinæ aptiſſimè diſpoſuerit. Ipſe verò *Quirinus* ante Cardinalitiam Purpuram, cùm calamum Monaſticæ Italiæ Hiſtoriæ conſcribendæ impenderet, *Generalis* quaſi *Inſpector* Archivorum Congregationis Caſinenſis, quæ neceſſariò eum in finem patere ipſi debuerant, futurus erat. Et jam excuſſo Monaſterii *Farfenſis* Archivo manum admoverat *Farfenſium rerum Commentario*, quem tamen temporum acerbitas, vix uno aut altero folio typis conſignato, remorata eſt, quod minimè paſſa ſit, priſcas eas chartas, licèt innocuas publicari. Contra verò *Quirinus* conqueritur, eſſe, qui chartis Farfenſis Archivi in præjudicium Romanæ Eccleſiæ abutantur. „ Notum eſt, in„quit, quantùm Chartario Farfen„ſi, Pompoſiano, aliíſque abuſi fuerint „exteri quidam Scriptores, ut Italo„rum Principum, ac præſertim Ro„mani Pontificis in Civitates & Pro„vincias ſibi ſubditas dignitatem, auc„toritatémque imminutum irent. Do„lemúſque vehementiſſimè, minimè „deeſſe Italos Scriptores, qui ad hunc „eundem ſcopum conſilia, operam, „& ſtudia ſua reſerentes, unâ veluti „cum exteris conſpiratione ad depri„mendam indigenarum Principom, & „potiſſimùm Romanæ Eccleſiæ pote„ſtatem coierunt. Videtint ipſi, quan„tum eorum mens ab Italica origine „diſſideat. Quæcunque ex Farfenſi, „Pompoſiano, aliíſque Monaſterio„rum Regiſtris in hanc rem adducun„tur, non ſupremum in Eccleſiæ Ro„manæ ditionibus Imperatorum do„minium, ſed ſolam Protectionem, „ſolum Patriatum probare, luculen„tiſſimè ſuis locis demonſtrabimus; „Præterquàm quòd fateamur, opor„tet, turbulentiſſima tempora, quæ „aliquando humana, divináq; omnia

„ ſus,

(c) in Obſerv. præv. ad Chron. Monaſterii Mellic. pag. 166.
(d) in Notis ad Diſſert. de contrib. Italiæ Monaſt. Hiſt pag. 95.

„ſus, déque miſcuerunt, quædam à „Romanis Pontificibus extorſiſſe non „legitimæ Imperatorum poteſtatis,ſed „damnati exempli documenta. „

Vitus de Amico. VITUS DE AMICO, Nobilis Catanenſis, S. Nicolai de Arenis Alumnus, poſteà Prior, vir reconditæ eruditionis, & Antiquitatis, præſertim Archivorum, ſtudiis impensè deditus, *Catanam Illuſtratam* tribus Tomis publico exhibuit. *Vid. Armell, Bibl. Caſin.*

Galletus Florentiæ Archiota. PETRUS ALOYSIUS GALLETUS patria Romanus, origine gentis ſuæ Piſanus, in Abbatia B. M. V. Florentiæ Monachus, & Archivo ac Bibliothecæ Præfectus, comportatis undique veteribus monumentis, hiſtoriam diplomaticam tum illius Abbatiæ, tum etiam duorum aliorum Monaſteriorum nunc deſtructorum, quorum alterum eſt *S. Sabini in Piſa* conditum tempore Caroli M. Alterum *S. Gaudentii ad pedem alpium*, concinnavit. Idem ipſe, dum Romæ verſaretur, collegit ultra 5000. inſcriptiones medii & infimi ævi omnium Eccleſiarum Urbis, quas literis quadratis manu ſuâ deſcripſit, & in Claſſes XXXI. ordine Gruteriano digeſſit in quinque magnis voluminibus. Vivit vir induſtrius & eruditus, hoc quo ſcribimus anno 1754. ætatis 33.

Oliverius Legipont Archivū Congreg. Bursfeld. in ordiné redegit. OLIVERIUS LEGIPONTIUS, cujus ſupra inter Bibliothecarios mentio facta eſt, Archivum Congregationis Burſfeldenſis Ill.^mi^ D.^ni^ Præſidis *Servatii Van den Berg* Abbatis Gladbacenſis in Ordinem anno 1730. redigendum ſuſcepit, ejúſque indicem confecit, ac ſubinde in vicinorum quoque Monaſteriorum chartophylacia caput immiſit, unde haud levem veterum Scriptorum & monumentorum ſegetem comportavit. Quæ omnia *Bernardo Pezio* typis quùm evulganda transmiſiſſet, literis ille 18. Decembris A. 1730. ſignatis hæc ad *Oliverium* reſcribebat: *Nuperrimè tandem Vindobonâ* (Vide quorſum theſauri illi Tui ad me miſſi devenerint) *faſcem benè ſpiſſum veterum monumentorum à Te collectorum accepi. O quantas Tibi tota Eccleſia gratias debebit, cùm in lucem prodierint! Ago jam nunc, eáſque Tibi perſolvo quàm cumulatiſſimè poſſum. . . Quotidie amplius video, quàm verè ac rectè de Te olim ſenſerim, Te ſcilicet ſingulari dono Dei ad illuſtranda hæc toti Eccleſiæ utiliſſima ſtudia deſtinatum eſſe. . .* Pezio interim è vivis ſublato, *Oliverii* collectanea hactenus latuere inedita, quæ tamen propitiori affulgente Lucinâ in publicam lucem à Mellicenſiibus profetenda ſperamus. „ *Hæc deme Magnoaldus, in ſuo Conſpectu pag.* 288.

Ipſius Idiobiographia. Quia verò ea paſſim obtinet conſuetudo, ut Bibliographus quiſque editis à ſe hiſtoriis, rerum quoque ſuarum Commentarios attexere ſoleat, non abs re futurum exiſtimavi aliorum veſtigiis inſiſtere, ac vitæ meæ curſum, laboréſque exantlatos ordine temporum ſine fuco vel oſtentatione ſtrictim enarrare, ſpe fretus, fore ut, quando hoc totum Opus Literatis eruditíſque Viris dicatum eſt, labor iſte honori quoque meo deſtinatus, ſi non utilitatis ratione, ſaltem profeſſione charitatis benè ordinatæ, apud æquos rerum æſtimatores vel probetur, aut excuſetur; Nam ut ſcitè Horatius:

Aut labor & virtus doctrináque nomen inane eſt;
Aut decus & pretium rectè petit experiens Vir.

Natales & educatio. 1. Igitur natale ſolum nactus ſum Navicum, qui dicitut *Soyron*, in Ducatu Limburgenſi & Diœceſi Leodienſi ſitum, luci editus anno 1698. die IV. nonas Decembris, parentibus *Oliverio Legipont*, & *Apoloniâ Remacle* honeſtiori genere claris & re familiari, boníſque allodialibus ad congruam familiæ ſuſtentationem benè inſtructis. E decem liberis cùm eſſem natu minimus, indolem à natura nactus docilem, hortantibus loci primoribus à Parente ad ſtudia literarum Verviam miſſus fui, ubi ſub Franciſcanorum diſciplina humanioribus literis operam dedi, eo cum fructu, ut Sodalibus palmam ferè præriperem. Inde Coloniam Agrippinam ad capeſſendas altiores ſcientias anno 1717. digreſſus, in florentiſſimo *Montanorum* Gymnaſio Philoſophiæ ſtudia impendi.

Ingreſſus ad Monaſterium. 2. Tum verò de eligendo ſtatu ſollicitus, hunc in finem Orationes XV. Seraphicæ Matris S. Birgittæ per annum recitandas mihi propoſui. Voto vix expleto, oranti: *Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, ut ſciam, quid acceptum ſit ante Te, & quem ſtatum ad majorem Nominis Tui laudem eligere debeam*, illicò adſtitit quidam è Condiſcipulis, *Pontinus* nomine, inſinuans, ut me Abbati S. Martini in Urbe inter Benedictinos recipiendum ſiſterem. Attonitus ad inopinos ejusmodi affatus, ſupplex ad boni conſilii Matrem B. V. M. con-

fugi, ut hac in re vacillanti aſſiſteret. Ponderatis hinc inde pugnantibus motivis, tandem præfati Cœnobii Abbatem (*is erat* HENRICUS OBLADEN) intrepidus acceſſi, eíque mentem meam candidè aperui; quâ auditâ Abbas ſubjungebat; *Fili mi! ſi tuo fuerit vocatio, non ero contrarius &c.* Grato hoc animatus reſponſo, fervidiùs inſiſtebam propoſito, cúmque tertio me præſentâſſem, admiſſus fui die 26. Decembris A. 1718. Cœnobium verò ingreſſus 14. Febr. 1719. evoluto probationis tyrocinio ſolemnem emiſi profeſſionem die 19. Martii 1720.

Primitiva ejus ſtudia.

3. Studiis deinde admotus Theologicis, plus privatâ lectione, quàm inſiceti Profeſſoris inſtructione profeci, atque abſoluto in ſcholis tractatu *de Actibus humanis, & Conſcientia,* mihi relictus, reliquis materiis Theologicis maximè practicis, & Juri Canonico privatim vigilias conſecravi, ac in me ipſo efformare ſtudii Doctorem & Diſcipulum, concinnato meos in uſus ampliſſimo tractatu *de Jure & Juſtitia*, necnon *de Sacramentis in genere & in ſpecie*... Inde diu noctúque ad ſublimiores diſciplinas feſtinare, ſtudiis acriùs inſiſtere, atque legendis genio meo compoſitis libris enixiùs intendere cœpi, nec ullis peperci laboribus, quò animum concupitis Muſarum deliciis paſcerem. Delectabar tum maximè Poetis & Hiſtoricis, variáque acroamata & epigrammata diverſo metri genere concinna, æquo ſatis uſus Apolline condidi, quæ ſi unà ſimul forent compaginata, juſtæ molis volumen conficerent. Sed ſimiles prurientis ingenii fœtus poſteà deſpexi, ut majoribus cogitationibus locum darem. Amor verò hiſtoriæ fecit, ut volverem Hiſtoricos; ſtudii hujus jucunditas utilitati juncta me ſedulum reddidit, ſedulitas effecit, ut ſine ſenſu laboris laborarem (e), ac demùm mirarer factum, quod vix unquam fieri poſſe ſperabam.

Bibliothecæ præficitur.

4. Presbyter anno 1723. die 22. Maji ordinatus primitias ſextâ Junii Divo *Norberto* ſacrâ, celebravi. Paulò Poſt Bibliothecæ Præfectus eam penitùs confuſam & diſtractis hinc inde Codicibus (f) in arctum ac prope ad nihilum redactam ſedulò comportatis undique Libris in ordinem redegi, novóque Catalogo inſtruxi. Hâc occaſione frequentiùs inter Doctores mortuos verſatus, primùm cœpi ingenium in promptu habere, magíſque utilibus diſciplinis exercere, ac ita per anguſta ad auguſta ſenſim aſſurgere. Inde ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam & Literariam converſis ſtudiis, *Ludovici Elliæ Du-Pin* Commentarios de Scriptoribus Eccleſiaſticis mihi ab Amico commodatos diligentiùs evolvi, inſignémque Adverſariorum farraginem ex iis compilavi. Tum verò comparatâ non ſpernendâ Auctorum notitiâ, quorum ope ſolidior eruditio acquiri queat, totus deinceps in eo fui, ut excuſſo illo ſtudii genere, quod nugas & chimæras in vacuo bombillantes ad nauſeam usque proſequitur, atque à ſublimiorum & utiliorum Scientiarum cultu retrahit, ſolidiores duntaxat diſciplinas excolerem.

Theologiæ Dogmaticæ ſe applicat.

5. Theologiæ itaque *Dogmaticæ* ſeu *Poſitivæ* toto ferè ſequenti biennio me addixi, ac methodicam quamdam ejus in ſcholis tradendæ rationem ipſemet concinnavi hoc Tit: *Introductoria in artem mognoni diſſerendi de Deo rebúsque Divinis, in gratiam eorum, qui Theologiæ Dogmaticæ ſtudio tenentur, adornota*... Cùm verò Doctrinæ ſacræ fundamentum modernis temporibus in Concilii Tridentini Decretis potiſſimùm collocari conſpicerem, ut rerum in ea Synodo geſtarum, difficultatúmque propoſitarum & decidendi rationum notitiam mihi compararem, cœpi varios Scriptores in hoc verſatos argumento attentiùs percurrere, è quibus ſucceſſivè ejus Concilii *Epitomen hiſtoricam* gallico ſermone contexui hoc rubro: *Abregé de l'hiſtoire du Concile de Trente*... Quo Opere completo, aliud ejusdem ferè commatis ex antiquis Eccleſiæ Scriptoribus conflare cœpi, præcipuas materias, quæ ad Dogmata, Ritus & diſciplinam ſpectant, ordine alphabetico digeſtas exhibens hâc epigraphâ: *Recueil des matieres les plus importantes touchant la Doctrine & la Diſcipline de l'Egliſe.*

Scribit Hiſtoriã Concilii Trident.

& Commentarios de Ritibus Eccleſiaſt.

De jure amovendi Parochum S. Brigidæ.

6. Exorto hâc tempeſtate ſumptuoſo & pertinaci Abbatem inter & vicinæ Monaſterio Parochialis Eccleſiæ S. Brigidæ Ædiles litigio, ſuper amotione P. *Auguſtini Speltz ejus plebaniæ Curatoris*, partes non poſtremas pro Abbate meo ſuſcepi, excuſſóque eam ob cauſam Archivo, Pontificias factæ incorporationis ſubjectivæ tabulas è tenebris erui, vix legibiles

(e) Nam non ſentitur ſedulitate labor.
(f) Vid. Martenu & Durand Voyage litteraire.

Digitized by Google

biles exſcripſi, ac denique ex his & aliis ſcriptum quoddam juris amovendi aſſertivum procudi hoc tit. *Jurium Abbatiæ S. Martini Coloniæ legales Vindiciæ adverſus præpoſteras prætenſiones R. P.* AUGUSTINI SPELZ *& ædilium Eccleſiæ S. Brigidæ, in cauſa amovendi Parochum...* Quod Opuſculum in vulgus, ſuppreſſo nomine meo, reſperſum, tanti apud æquos æſtimatores ponderis momentum cauſæ attulit, ut ſpes omnis ex adverſo decollata jacuerit.

Philoſophiæ profeſſor,

7. *Henrico Obladen* Abbate A. 1726. XXIX. Martii vivis erepto, in ejus locum, non ſine gravi animorum ſciſſione, ſuffectus eſt *Adrianus Falck* ſtudiorum amator & promotor præcipuus, qui mox aſſumptis aliquot candidatis, *Joſephum Henſchell* Theologis, me Philoſophis Profeſſorem, præfecit. Decurſo Logicæ ſtadio, editísque an. 1727. Theſibus de more ventilandis, paulò poſt ad capeſſendum in Univerſitate Colonienſi *Licentiæ* gradum præſentatus fui.

& Theol. Licentiatus enunciatur.

Quâ de cauſa ex decreto *S. Facultatis Theologicæ* duo conſueta habui principia, primum, quod *Biblicum* nuncupant, die XI. Decembris, alterum *Sententiarum* XVII. ejusdem menſis & anni. Servatis deinde poblicis Aulæ Theologicæ exercitationibus, demùm unà cum meo Collega *Joſepho Herſchell*, & duobus Carmelitis per Eximium P. VITUM *à Matre Dei Ss. Theol. Doct. & FF. Carmelitarum Provincialem*, die XIII. kal. Febr. 1728. Ss. Theologiæ LICENTIATUS ſolenni ritu inaugurabar, aggratulantibus diſcipulis per *Apophoreta Symbolica* typis exſcripta in folio.

Iteratæ juris amovendi vindiciæ.

8. Latâ interim adverſus Brigidanos ſententiâ, cùm ab opponentibus facta fuiſſet ad *Nuntiaturam* appellatio, novum procudi Scriptum juris amovendi aſſertivum priore fuſius hoc inſignitum rubro: *Clypeus veritatis & juſtitiæ, ſeu iteratæ juris amovendi vindiciæ contra ædiles S. Brigidæ.* Quæ deductio *R.mo D. Joanni Carolo de Antonellis* Sacræ Nuntiaturæ Auditori & judici ad cauſam deputato præſentata, adeo placuit, ut ipſe protinùs in favorem Abbatiæ noſtræ decerneret, ac decidendi rationes maximam partem meo è fonte hauſtas publici juris faceret typis Hildenianis A. 1728. in fol. Idem Scriptum pari cum plauſu excepit Magnificus *P. Franc. Schmier* Univerſ. Salisburgenſis Rector, juris peritiſſimus, qui per nos jam ante latam ſententiam interpellatus ad votum conſultivum, ſua reſponſa meis è vindiciis potiſſimùm conflavit.

Theſes Philoſophiæ.

9. Abſoluto interea curſu Philoſophico Biennii labores literarios in compendium contraxi, & edidi hoc titulo: *Sapientiæ Stadium Benedictino-Philoſophicum... Coloniæ ex officina Hildeniana* 1728. *plag.* 20. *in fol.* Hæ Theſes utut inſontes adeo Patrum S. J. animos torsêre, ut earum inhibitionem coram *Vicario Generali* fortiter urſerint, & exinde ſudes factus ſim in oculis eorum. Id verò opellæ cùm poſtea Clar. P. *Bernardo Pezio* ſubmiſiſſem ad cenſuram, hoc ab eo referebam judicium: *Sapientiæ Stadium à TE adeo glorioſè decurſum ſummoperè placet. Gratulor noſtro ſeculo, quòd invenerit in TE Virum, qui Philoſophiam Scholaſticam à congenita hactenus ſtribligine & barbarie liberare ſtudeat. Perge V. C. necquicquam obgannientes contemne; malis & invidis diſplicere glorioſum eſt...*

Factus Prior jus Can. tradit.

10. Vix hanc expleveram ſpartam, cùm ad *Prioris* munus die IX. Octobris admovebar. Quo in officio ne ſuavioribus Muſis mihi maximè adamatis valedicere viderer, cœpi *Jus Canonicum* meis Concellitis prælegere, iisque Tractatum à me novâ methodo concinnatum tradere. Tunc verò contractâ cum Præfato *Pezio* literariâ conſuetudine, totus deinceps fui in juvandis ejus ſtudiis. Quam ob rem omnes Bibliothecæ forulos operoſiùs excutere, accuratiorem Manuſcriptorum indicem condere, anecdota quædam Opuſcula exſcribere, prelo aptare, illuſtrium hujus Monaſterii Virorum geſta & ſcripta recenſere, ac ſubinde in vicina Chartophylacia caput falcémque immittere cœpi, unde haud levem veterum monumentorum ſegetem meſſui, quæ omnia B. *Pezio* transmiſi evulganda.

Archivū Congreg. Burſfeld. Illuſtrat.

Tunc etiam Archivum Congregationis Bursfeldenſis hîc loci adſervatum, in Ordinem redegi, ejusque Contentorum indicem ampliſſimum confeci ſub tit. *Abbreviatura Diplomatum & Privilegiorum Congreg. Bursfeld.* Exinde poſtea adornavi *Bullarium ejusdem Congregationis, tabulas ſolidè repræſentans*, prælo paratum.

Chronicon Abbatiæ S. Martini,

11. Iſto defunctus labore ad contexendum Monaſterii noſtri Chronicon Studia converti, excuſſisque

hunc

hunc in finem veteribus monumentis, Opus tandem anno 1731. complevi, cujus apographum, quùm poſtea Cl. *P. Pezio* inter *Sinzendorfiana*, quæ tùm pollicebatur, edendum ſubmiſiſſem, horum verò editio, obice neſcio quo, ſufflaminata non prodiret, rem meam repetii & recepi A. 1734. cum hâc doctiſſimi *Pezii* cenſurâ: *Opur egregium condidiſti, prelóque digniſſimum, cui id ipſe jam ſubdidiſſem, niſi tumultus bellici ſub finem proximi anni erumpentes, ſereniora tempora exſpectare me juſſiſſent...* Cùm ergo hoſce Annales *Pezius* magni faceret, eosdem poſtea retractatos & in aliquibus caſtigatos auctósque iterùm deſcripſi, prelóque aptavi. Verùm Opus quod juſtæ molis volumen in ſolio conficit, hactenus manſit ineditum. Continet verò præter Abbatiæ Chronicon, rerum etiam patriarum enarrationem, chartáſque & diplomata, ac reliqua venerandæ antiquitatis momumenta, ad quorum amuſſim exaſciata eſt Hiſtoria.

& Faſtos heroïco carmine condit.

12. Laborioſâ vaſtáque iſtâ lucubratione ad umbilicum perductâ, *Faſtor ejusdem Abbatiæ* heroïco carmine complexus ſum. Quod Opus ſubinde mihi ſubreptum denuo refudi anno 1749. Tum verò initâ cum Clar. Viro *D. Ignatio Roderique* amicitiâ, Epiſtolarem quamdam Diſſertationem ad eum conſcripſi *de Benedictione Abbatis*, quam Doctiſſ. P. *Edmundus Martene* in ſuis pro *Stabulenſibur* adverſus *Rodericum* Vindiciis contendebat ejus eſſe indolis, ſine quâ nulla juriſdictio, nulla virtus, nulláque functio Abbatibus competeret; cùm tamen ex *Ivone Carnotenſi*, & receptâ Canoniſtarum ſententiâ, *Benedictio potiùs cenſeatur de ſolemnitate accidentali, quàm de ſubſtantia rei*, adeo ut electus, etiam ante Benedictionem, uti poſſit baculo paſtorali per Can. 1. *de ſuppl. negl. Prælator.*

De Benedictione Abbatis differit.

Hiſtoriam Congreg. Bursfeld. adornat.

13. Sub finem anni 1729. condendæ Hiſtoriæ Congregationis Bursfeldenſis curas & operas, addixi, Opúſque annis ſubſequentibus perfeci. De hâc verò lucubratione *Martenius* per me conſultus in ſuis ad me literis 29. Novembris A. 1730. ſignatis ita reſcribebat: *Laudo inprimis tuum de publici juris faciendâ inclytæ Congregationis veſtræ Bursfeldenſis Hiſtoria propoſitum. Rem prorsùs facies utiliſſimam omnibus Benedictinæ familiæ alumnis, qui non pauca deinde ſibi hactenur ignota diſcere, atque ad emendandos mores proſicere poterunt plurimùm, maximè ſi, ut polliceris, Hiſtoriæ addas ſtatuta, chartas, & privilegia ejusdem Congregationir. Faxit Deus, ut lucem citiùs videat iſta lucubratio tua! Eam ſi quando ad me ſenem perveniat, avidiſſimè perlegam...*

14. Tot exantlatis inter aſſiduas Prioratûs curas laboribus, cùm ea res, quæ mihi amorem & gratiam conciliare debuerat, apud æmulos & deſides conflaret invidiam (g), cœpi nonnihil à ſtudiis & commercio literario arcum remittere; ac deinde ut ab aliis liberarer moleſtiis, *Prioris* loco ceſſi die IX. April. 1731. Inde tranquillum ac deſideratum nactus otium inter Authores ſapientiæ continuò verſari, nondum inventa quærere, quæſita componere, incepta expolire, majoráque moliri inſtantiùs cœpi. Dùm verò hiſce ſtudiis acriùs inſiſterem, & magnam de me etiam apud exteros opinionem excitâſſem, inopinatò Moguntiam à R.mo D.no Abbate S. Jacobi *Amando Schell* Viro Doctiſſimo ad Theologiæ Profeſſuram perhonorificè invitabar. Quam ſpartam meo genio apprimè commodam velut divinâ virgulâ oblatam lubens in me recepi, rebúsque domi compoſitis, illuc cum bonâ mei Superioris veniâ die VII. Julii A. 1731. ſeceſſi, ubi humaniſſimè exceptus, illicò *Tractatum de Fide, Spe & Charitate*, juſſu Abbatis, junioribus prælegendum ſuſcepi.

Moguntiam acceſſitus,

docet Theologiam.

Pezio adverſaria mittit.

15. Horis verò ſucciſivis inter Manuſcriptos ejus loci Bibliothecæ Codices verſatus, uberrimam ex iis Adverſariorum meſſem comportavi. Quæ collectanea quùm deinde Clar. P. *Bernardo Pezio* ſubmiſiſſem edenda, reſcribebat ille literis 14. Januarii A. 1732. ſignatis, *Multa egregia mihi attulerunt literæ Tuæ*, Clar. Pater! *quas nuper Moguntia (quod vehementer mirabar.) ad me dediſti. Ago pro iis, quas poſſum maximas gratias. Itane imbuit Te Deus inſignibus iis dotibus, quæ ad ornandum Ordinem neceſſariæ ſunt! A Sancto Jacobo ne diſcedas, obſecro, me inconſulto. Si locus diſplicuerit, alium Tibi in ampliſſimo Monaſterio Gottwicenſi impetrabo, ubi habebit ſub Eruditiſſimo Abbate* GODEFRIDO *infinitum rei literariæ apparatum.* R.mus *Præſul S. Jacobi longo tempore ejus favoribus eſt fruitur, qui*

plura

(g) Sic & *pro meritis male tractârunt Agamemnona Graji.*

plura Tibi rogatus narrabit. Itaque res tuas Moguntiæ ſic adorna, ut cum bonore in Auſtriam venire aliquando poſſis.

Spanheimium migrat.

16. Expleto ibidem curſu Theologico, Theſes pro more iconibus impreſſas die XVIII. Septembris A. 1732. publicæ Doctorum ventilationi expoſui, ac deinde poſt autumnales ferias jus Canonicum diſcipulis tradendum ſuſcepi. Fatis interea functo Spanheimenſi Præpoſito *R. P. Friderico Ettingbauſen*, Abbas S. Jacobi ſubjectivam illius Monaſterii unionem à Ser.mo Principe Electore Palatino obtinebat. Cùm autem Religioſos non haberet, quos ad curam animarum ſufficeret, me cum tribus diſcipulis illuc mittere decrevit. Quod quùm intimo meo *P. Pezio* inſinuâſſem, reſcribebat ille literis XII. Aprilis 1733. datis in hanc ſententiam: *Quod de ſpartâ in Monaſterio Sponbeimenſi à Te ornandâ ſcribis, id me longè jucundiſſimè affècit, effecítque, ut mutato conſilio, jam non ampliùs Gottwicenſe boſpitium auſim proponere, ſed etiam atque etiam ſuadeam, ut bunc locum tuâ præſentiâ, doctrinâ atque commoratione inſtaurare, ac velut alter* TRITHEMIUS *illuſtrare rebúſque optimis confirmare velis...* Hiſce monitis excitatus, licet à curâ animarum in me recipiendâ abborreret animus, ex neceſſitate virtutem faciendam ratus Spanheimium die XXVI. Julii A. 1733. adibam, vicinámque parochiam in *Bockenaw* adminiſtrandam ſuſcipiebam.

In Auſtriam Profectus Gottwici Bibliothecæ præficitur.

17. Sed cùm hæc provincia non promitteret abundè, quæ meo genio Muſíſque excolendis faverent, oblatâ mihi aliunde opportunitate adeundi Auſtriam, ſubinde Coloniam reviſi, atque impetratâ à meo Superiore licentiâ, cum Ill.mo Comite *de Strickland* Namurcenſi Epiſcopo iter aggreſſus, Vindobonam, inclinante Decembri, appuli, treſque lectiſſimos adoleſcentes *Comites de Laterman* (quorum intuitu accerſitus fueram) literis & moribus formandos ſuſcepi. Mirum dictu eſt, quibus ſtatim ibidem ab invidis & malevolis interceptus fuerim vexis & obtrectationibus. Sed illicò poſt eclypſes ſerenior affulſit aura, nubeculas diſſipante ſplendidâ Ill.mi Abbatis Gottwicenſis *Godefridi Beſelii* gratiâ, qui audito meo in Auſtriam adventu, exaratis ad me literis 8. Februarii A. 1734. ad ſuſcipiendam ſuæ perinſignis Bibliotbecæ curam prolixè me invitabat in hæc verba præfatus: *Libenter quidem intellexi R. P. V. Viennæ jam adveniſſe; gratius tamen fuiſſet nuntium, ſi eandem nullis adbuc ſervitiis ibidem irretitam inaudiiſſem; banc enim, quam aſſumpſit, ſpartam Virum ſtudiis Theologicis jam clarum non decere exiſtimo...* Rebus itaque bello modo Viennæ compoſitis, & Cl. P. *Magnoaldo Ziegelbauer* in locum meum ſuffecto, circa finem Martii Gottwicum profectus, Bibliotbecæ præfecturam in me recipiebam. Quo in munere nihil prius babui, quàm ut animum diſcendi cupidum exquiſitis Muſarum epulis ibi abundè repertis ad ſatietatem ſaginarem.

Condendæ Bibliographiæ Benedictinæ conſiliũ.

18. defuncto interea Clar. P. *Bernardo Pezio* favitore meo etiam poſt fata æſtimatiſſimo, quùm *Bibliotbecæ Benedictinæ* ab ipſo dudum incoeptæ ad umbilicum deducendæ ſpes decollata jaceret, ſcriptis Viennam ad *Magnoaldum* noſtrum literis eum obnixè interpellabam, ut ſuas mecum operas jungeret ad ejuſdem commatis Opus perficiendum. Votis ille meis pronus annnens, novum condendæ ſuo genio Hiſtoriæ Literariæ O.S.B. conſpectum adornabat, mihiqne ad examen ſubmittebat. Ego viciſſim *Bibliograpbiæ* meo ſenſu adornandæ primas ducebam lineas, comportato inſigni ad tam vaſtum Opus apparatu ex Gottwicenſi Bibliotheca, in cujus condendo Catalogo totus fui usque ad finem Octobris anni 1735. quo rurſùs ex Anſtria Moguntiam, indéque Spanhemium evocatus me recepi. Cùm autem Gallicus miles iis diebus Palatinatum occupâſſet, initâ cum Chiliarchis notitiâ, ad revendicandum eorum ope vicinum Spanhemio Monaſterium *Diſibodibergenſe* curas adpuli. Obtentâ igitur à Præſide Congregationis Burſfeldenſis ad dictam Abbatiam nominatione, meum deinde ſupplex habui perfugium ad Dom. Comitem *de Belle-Isle* Gallici exercitûs Arcbiſtrategum; Cujus interventu & mandato Regio in vim Articuli IV. pacis Riſwicenſis, præfatum Monaſterium penè deſolatum & incolis vacuum meæ feci poteſtatis, atque ipſo Paſchatis die primâ Aprilis A. 1736. divina primùm ſolemni ritu ibidem peragebam, obtentâ deinde à NUNTIO APOSTOLICO confirmatione, ac

Diſibodibergenſis Abbatiæ recuperatio.

etiam manntenentiæ decreto contra quoscunque...

Ejusdem Hiſtoria,

19. Hâc porrò occaſione *Hiſtoriam dicti Monaſterii* pertexui, cujus Synopſin unácum facti juríſque deductione ad illud revindicandum poſtea Coloniæ edidi, magníſque animis negotium deinceps urſi; ſed deficientibus ſubſidiis diſcrimini interim cedendum ratus, ad alia molimina curas & ſtudia converti; atque eo temporis intervallo *Chronicon Spanheimenſe* ab anno MD. ad hanc usque ætatem perduxi. Brevem quoque *Notitiam Monaſteriorum O. S. B. in Palatinatu olim extantium & in uſus promiſcuos hodie converſorum* concinnavi, ac etiam de edendis ſimul operibus Trithemianis conſilium inibam. Evolutâ in hiſce laboribus hyeme, ſequenti vere Moguntiam accerſitus ordinandæ illuſtri Bibliothecæ Dalbergicæ manum admovebam. Ubi campum ſortitus genio meo maximè congruum, quò eum magis excolerem, ac uberiorem inde fructum Reſpublica literaria meteret, illuſtriſſimis ejus poſſeſſoribus Author fui, ut pretioſam hanc librorum ſupellectilem quaſi in tenebris latitantem publico dicarent uſui. Quam ob rem ineunte anno 1737. typis evulgabam *Diſcurſum Paræneticum ad æquos bonarum artium æſtimatores pro Bibliotheca publica & Societate eruditorum Moguntiæ erigendâ.* Cujus Opuſculi honorifica extat recenſio in Actis Eruditorum Lipſienſ. A. 1737. pag. 541.

& continuatio Chronici Spanheimenſis.

Diſcurſus pro erigenda Bibliotheca Moguntiæ.

Varia Opuſcula.

20. Dici vix poſſit, quot ſumptus quantosque labores impenderim, ut ſalubre inſtitutum proveherem; Aſt, *Invitis fruſtra eſt quicquam confidere Divis.* Tunc verò præter ſupplices protrepticósque libellos, & Epiſtolas ad varios, ſequentia conſcripſi Opuſcula hiſce titulis inſignita:

I. *Sciagraphia Philologico - Bibliographica de libris rarioribus & præſtantioribus.*

II. *Syſtema novum erigendæ & ordinandæ Bibliothecæ.*

III. *Syntagma de Bibliothecis Moguntinis, earum origines, fata, incrementa & cimelia repræſentans.*

IV. *Spicilegium Antiquitatum Romanarum in agro Moguntino viciníſque locis repertarum.*

V. *Diſſertatio Iſagogica in artem heraldicam, & Veterum ſigilla ac inſignia.*

VI. *Programma ad rem Genealogicam ex Diplomatibus & antiquis monumentis illuſtrandam.*

VII. *Diatriba de juribus & prærogativis Ser.^{mi} Principis Electoris Moguntini in Imperio.*

VIII. *Diacepſis juridica pro Statu religioſo adverſus novellam* de bonis immobilibus non transferendis ad manus, *ut vocant*, mortuas.

IV. *Diſcurſus in Genealogiam & antiquitatem illuſtriſſimæ Familiæ Camerariorum de Wormatia Dictæ à Dalberg.*

X. *Poëma Epithalamicum in nuptiis Ill. D.* FRIDERICI *L. B. de Dalberg.* editum Moguntiæ in ſol. regali.

XI. *Bibliographiæ Benedictinæ Ichnographia*, ibidem typis exſcripta A. 1738. in 12.

XII. *Vita & Apologia Ven. Joannis Trithemii Abbatis, unácum edendorum ejus operum conſpectu.* Extat in hoc opere Tom. III. pag. 217. ſeqq.

XIII. Hiſtoria Belli Jeſuitici pro eripiendis Benedictinorum Monaſteriis hoc Tit. *Hiſtoire du Demelé des Jeſuites d' Allemagne avec les Benedictins, pour enlever leurs monaſteres...*, MS. in fol.

Alia leviora, quæ tunc in aliorum uſum condidi Synthemata, ne memoranda quidem arbitror; Neque verò ea, quæ retuli, adeo exaſciata ſunt, ut Orbis eruditi conſpectum ſubire audeant.

Coloniã A: 1739. regreſſus.

21. Tot tantíſque apud exteros exhauſtis laboribus, Coloniam ſub finem Julii A. 1739. regreſſus, præconceptæ *Bibliographiæ Benedictinæ* ad umbilicum perducendæ manus aſſiduas & ſtudia in otio dare ſtatueram, cùm rursùs calamum ſeponere compellebar, variis irretitus negotiis, ac *Subprioris* primùm, móxque *Oeconomi* in turbido rerum Statu per Viſitatores admotus miniſterio. Quocirca eo tempore interpellatus ab Eruditiſſimo Abbate *Calmeto* ad præclari ipſius Commentarii in Regulam S. Benedicti è Gallico in Latinum verſionem ſuſcipiendam, operas ſubducere invitus debni, datis ad eum literis, quas ipſe in fronte ſuæ Bibliothecæ Lotharingicæ integras retulit. Pudet verò ac tædet ſingillatim referre, qnàm infandis dirisque & aſperis tùm vexatus fuerim inſanientium ac malevolorum obtrectationibus, injuriis & perſecutionibus etiam ab uno, *Vâh ſcelus!*

Variis jactatur moleſtiis.

prope

prope ad pulverem depulſus (h). Animo tamen imperterritus, & mente ſetenus ab inchoato labore nusquam retroceſſi. Sed ne domeſtica ſimoltas in violationem naturæ tranſiret, *Trithemii* exemplo infeſtos abſceſſu meo declinandos ratus, illuſtriſſimi Sacræ Congregationis noſtræ Præſidis & Viſitatorum annutu in vicinam Flitardienſem parochiam ad Collegam meum R. P. *Joſephum Herſchell* ſeceſſi, quò meæ abſentiæ intervallo ſanaretur conſpirantium malignatio. Tùm verò iniquæ ſortis meæ factâ ad R.mum *D. Godefridum* Abbatem Gottwicenſem relatione, Is pro ſuâ ſingulari in me benevolentiâ confeſtim reſcribebat: *Coloniæ res tuas ita compone, ut brevi ad Nos redeas; dolendum enim foret, ſi eximium talentum tuum intra fatiſcentes monaſterii veſtri ruinas ſepeliri contingeret...*

Scribit de Ara Ubiorum. & De origine Metropoleos Colon.

22. Meo interim in ſeceſſu pinguiori uſus otio, elaborandis variis Opuſculis totus incubui, eóque temporis interjectu condidi *Diſſertationem de Ara Ubiorum* JOANNIS EBERHARDI RAV *animadverſionibus oppoſitam.* Tunc etiam ea, quæ ad illuſtrandam Colonienſem Hiſtoriam faciunt, ſtudioſiùs congerere & certatim componere cœpi; è quibus poſtea conflavi opuſculom hoc Tit. *Sacræ Metropoleos Colonienſis Antiquitas & prærogativæ adverſus illius gloriæ æmulos aſſertæ & propugnatæ...* Me quoque *Bibliographiæ Benedictinæ* perficiendæ ſedulò impendi, aliáque ſchediaſmata, quæ recenſere haud vacat, elucubranda ſuſcepi. Exactâ ruri hyeme A. 1741. ſub finem Februarii ad Lacenſe Monaſterium me contuli, cum R.mo loci Abbate tunc *Viſitatore*, de afflicto Monaſterii noſtri ſtatu præſens collaturus, ac inde cum bonâ ipſius & Superiorum veniâ perluſtratis in agro Treverico aliis cœnobiis & Bibliothecis, in Auſtriam tranſiturus. Dùm hîc loci in evolvendis & recenſendis codicibus manuſcriptis cutas & operas enixè impenderem, inopinatus mihi nunciabatur Abbatis noſtri *Adriani* obitus (i) cum evocatoriis ad novam electionem die IX. Martii peragendam. Confecto itaque ejus loci Manuſcriptorum catalogo, Coloniam pridie electionis, cum moderno Abbate *Franciſco Spix* tunc Monialium in Inſula Rolandi Confeſſario redux, quùm per factiones electio triplici peracta ſcrutinio ceſſiſſet irrita, *me tandem urnam vertente* in Abbatem unanimiter electus eſt prædictus FRANCISCUS, in cujus locum Monialibus præficiebar à conſcientiis futuros arbiter. Sed cùm hæc ſparta genio meo infelicitet cederet, ad Cœnobium regreſſus malui *Martyr* fieri inter Fratres, quàm *Confeſſor* inter Sorotes.

Condit Lacenſis Biblioth. Indicem.

23. Tranquillitati itaque reſtitutus, & meâ ſotte meliorem promeruiſſe contentus, reliquum vitæ, veluti ex turbida quâdam diutináqoe tempeſtate in portum ſubductus procul negotiis, procul etiam inquietiore cœtu, in laboribus literariis tranſigere decreveram. Illud autem *Salluſtii* dictum animo penſiùs revolvens: *Eum demùm vivere & frui anima videri, qui aliquo diſtentus negotio præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit*, grande adorſus ſum Opus hoc titulo inſignitum: *Hierarchia Eccleſiaſtica Colonienſis Opere quadripartito illuſtrata...* Et hunc quidem campum vaſtum ſanè & diffuſum intra tres annos proximos operoſo conſtantique labore decurrebam. Eo etiam tempore præter alia ejusdem ferè commatis Opuſcula, *Selectum Actorum Eccleſiæ Colonienſis* in unum compegi; quo in Opere ſummaria Synodorum in Archidiœceſi Colonienſi viciniſque locis celebratarum notitia exhibetur. Dùm hiſce eroditis & operoſis lucubrationibus ſtodia ſolerter intenderem, recrudeſcente ſenſim æmulorum bile & malignitate, variis iterùm jactatus ſum fluctibus, quibus etiam longiùs ab omni literarum cultu diſtrahebar, donec tandem Dei Virtute patienter ſuperatis malevolorum inſidiis, ad meliora dignioráque mentem revocavi, turpe reputans ſapienti, cùm habeat animum, captare gaudia ex corpore, & in turpi otio ſeneſcere.

Hierarchiam & ſelectum Actorum Eccleſiæ Colonienſ. adornat.

24. Exacto igitur Coloniæ triennio in terram alienigenarum gentium rurſus pertranſii, atque in Bohemiam à R.mo Abbate Brzevnovienſi (k) ad Colle-

Pragam accitus,

(h) Confer. Palingenius in Zodiaco vitæ pag. 226. Ubi: *Non adeo tutum eſt cum multis vivere, & inter ignavos, ſtupidos, rixoſos, ambitioſos &c.*
(i) Obiit 1741. 25. Febr. ætatis 79.
(k) Is erat *Bruno Löbel*, qui diem explevit ſuum 2. Decembr. 1751.

Collegium Nobilium auguſtalibus Reginæ Hungariæ & Bohemiæ auſpiciis Pragæ erigendum evocatus, ineunte anno 1744. emigrabam; ubi cum Clariſſimis Viris P. *Anſelmo Deſing*, *Magnoaldo Ziegelbauer*, & *Udalrico Weis* ad illuſtre inſtitutum provehendum certatim collaboravi, & in rebus agendis pars haud poſtrema fui.

Inde Viennam,

Quippe ſub initium Julii è Bohemia Viodobonam miſſus, Bibliothecæ Kinskianæ in uſum novi Collegii Pragam mittendæ Inventarium ſeu Catalogum confeci, ac negotium cum Clar. P. *Anſelmo Deſing* ibidem, quâ lucuit ſolertiâ, promovi. Tom verò Rege Boruſſiæ rurſus Bohemiam infeſtante, ex Auſtria in Moraviam ad Rayhradenſe Monaſterium me recepi,

mox ad Moravos digreſſus, Scribit varias Diſſertationes.

ibique cùm Cl. *P. Weis* diutiùs hæſi, componendis quibusdam in uſum illuſtris juventutis tractatibus maximè diſtentus... Per id antem temporis elucubravi. 1. *Tractatum de vera Nobilitate generis & animi.* 2. *Introductionem ad ſtudium rei Nummariæ*, quod Opuſculum poſtea typis exſcriptum prodiit Herbipoli 1747. in 8... Rogatu itidem *R.mi D. Matthæi Steblik de Czenkau & Freiſtadt* ejus loci præſulis conſcripſi *Diſſertationes Philologico-Bibliographicas, de adornandâ & ornandâ Bibliothecâ, nec non de Manuſcriptis librísque rarioribus & præſtantioribus, ac etiam de Archivo in ordinem redigendo, veterúmque Diplomatum Criterio, déque Rei Nummariæ ac Muſices ſtudio &c.* Quæ in nſum Bibliothecariorum & Philobiblorum editæ ſunt *Norimbergæ* impenſis Lochneri & Mayeri 1746. in 4.

Pragam redux ſua ſcrinia reperit expilata.

25. Ex Moravia Pragam ineonte anno 1745. cum Collegis redux, ſcrinia mea fœdum in morem expilata comperi. Maximè verò ſubreptum dolui inſigne & laborioſum illud, qnod de *Hierarchia & prærogativis Eccleſiæ Colonienſis* conſcripſeram Opus. Quâ de re exaratis ad Collegam meum P. *Magnoaldum* Vindobonæ agentem literis conqueſtus, hoc ab eo ferebam reſponſum: *Exhorrui, dùm ſcribis, eximium illud Opus tuum MS.* de Hierarchia & dignitate Colonienſis Eccleſiæ, *non reperiri. Reſpondeant illi, qui clavem ad tuum habuerunt conclave. Ego poſt abitum tuum nunquam illud intravi.* Heu! heu! *cum olim* Mureto *notæ in Plautum furto ſurreptæ fuiſſent, exclamavit:* Plautus me excruciat, Plautus me qoieſcere non ſinit... *Quanto juſtiori Tibi dolori eſſe debet jactura tam egregii operis? Dii Deæque hunc furem perdant! Quanto honori Tibi, Collegio Nobilium, atque adeo S. Ordini noſtro hoc Opus typis mandatum futurum fuiſſet? Non eſt leve furtum. Si Author hujus præclari Operis eſſem, mallem mille aureorum, quàm illiùs pati jacturam. Inſta opportunè, importunè ut illud recuperes. Egiſti negotium Collegii, indemnis debes ſervari. Nec reſpondere ſufficit:* Neſcimus cujos culpâ perierit... *Hæc enim culpa in eos redundat, quorum curæ incumbebat Tua ſarta & incolumia ſervare...* Hæc ille, qui Opus evolverat, ejúſque honorificam facit mentionem Parte IV. hujns Hiſtoriæ pag. 367. & 374. Sed quamvis omnem moverim lapidem, ut illud recuperarem, fruſtra tamen fui. Quocirca de telâ ſucciſivis horis retexendâ cogitare cœpi, atque deinceps materiis undique congerendis multum Operæ impendi, magno mihi in lucro reputans, ſi libris in ejus loci Bibliothecâ extantibus uti conceſſum fuiſſet.

Docet Theologiam dogmaticam, & quædam eâ de re conſcribit opuſcula,

26. Paulò poſt iniquior conſecuta eſt rerum viciſſitudo, dum Abbas ipſe Brzevnovienſis, clanculariò impetratâ Collegii ſuſpenſione, accitos Profeſſores, poſt tot ſuperatas difficultates & moleſtias, dimiſit inanes. Me tamen, obtentu neſcio quo, apud ſe retinebat, ac deinde junioribus ſuis Theologiam Dogmaticam tradere juſſit. Quâ occaſione conſcripſi, 1. *Apparatum ad Theologiam poſitivam introductorium.* 2. *Diſcurſum Hiſtorico-Dogmaticum de ortu, progreſſu, viciſſitudinibus & præcipuis cultoribus Theologiæ ab orbe condito ad hanc usque ætatem.* 3. *Compendioſam ad S. Scripturæ Manuductionem...* Eo etiam tempore utroq; quaſi cornu collaboravi in conferendis *Magnoaldo* ſymbolis ad condendam *Bibliothecam Bohemicam*, cui ipſe tunc Viennæ magnis animis incumbebat. Tum quoque

Editque Monaſticon Moguntiacum.

Lexicon adorſus *Germaniæ Monaſteriorum*, ingentem ad id Operis excerptorum congeriem comportavi, ejúsqne lucubrationis ſpecimen publico dedi Pragæ vulgato meis ſumptibus *Monaſtico Moguntiaco*, in quo ſuccincta veterum Monaſteriorum in Archi-

epiſco-

epiſcopatu Moguntino, viciníſque locis extantium aut ſuppreſſorum & in uſus promiſcuos converſorum notitia exhibetur. Quo de Opuſculo videri poteſt *Samlungen von alten und neuen Theologiſchen Sachen* A. 1746. pag. 1103. & *Fama Europæa* Parte CXLVII. an. 1747.

Peregrinatur per Auſtriã,

27. Interatim cùm Patres S. J. limis ſemper oculis res noſtras intuiti, Collegium iſtud Nobilium, quod *Thereſianum* ab Augnſtiſſimæ Patrocinantis nomine nuncupatum volebamus, Viennæ erigendum obtinuiſſent, ac ſpes noſtra de *Pragenſi Academia* penè decollata jaceret, ad alia curas converti, initóque cum Nurimbergenſi Bibliopola conſilio de edendis Trithemii operibus, ſub auſpiciis R.mi ac Celſiſſimi Principis *Caroli de Schönborn* Bambergenſis & Herbipolenſis Epiſcopi cogitare ardentiùs cœpi. Pragâ igitur menſe Sextili A. 1746. relictâ, per Moraviam Gottwicum me contuli commendatitias ad altefatum Principem à R.mo loci Abbate *Godefrido* Mæcenate meo ſingulari ſollicitaturus. Vix eo appuleram, quùm obitus altefati Epiſcopi feralibus nunciabatur ſchedis. Totus inde animo conſternatus ad cellas Marianas in Comitatu R.mi *D. Matthæi* Raybradenſis in Moravia Prælati peregrinationem ſacram peragebam. Inde Mellicum regreſſus poſt octidui moram eſſedo R.mi vectus, ad Garſtenſe prope Styram Monaſterium deflexi, atque perluſtratis reliquis ſuperioris Auſtriæ Cœnobiis & Bibliothecis, tandem per Noricum Ratisbonam ſub initium Octobris perveni; ubi paulò longiori morâ refectis in S.Emmeramo viribus, brevi excurſu Ingolſtadienſes, & Monacenſes Bibliothecas inviſi, indéque ad Reginoburgenſes regreſſus, demùm Norimbergam & exinde Bambergam ſeceſſi, in celeberrimo S. Michaëlis Monaſterio usque ad initium Decembris hoſpitatus, atque congerendis opibus literariis, & conſignandis illius Bibliothecæ manuſcriptis diſtentus.

& varias luſtrat Bibliothecas.

Trithemii Operibus colligendis inſudat.

28. Bambergâ Herbipolim digreſſus in S. Jacobi Scotorum Cœnobio diutiùs ſubſtiti, Trithemianis Operibus colligendis totus incubans. Ineunte Martio A. 1747. ad Schwartzacenſe S. Felicitatis Monaſterium invitatus lectiſſimæ ejus loci Bibliothecæ in ordinem redigendæ curas & operas contuli. Menſe Majo Herbipolim redux, paulò pòſt ſecundo Mœno Moguntiam repetii, ibíque in S. Jacobi Cœnobio aliquamdiu hæſi, ſubinde Spanheimium, tum verò ad meum *Diſibodibergenſe* Monaſterium excurſione factâ. Cùm autem hîc perturbata comperîſſem omnia, ac etiam intellexiſſem *R. P. Xaverium Ulrich* Seligenſtadienſem profeſſum clanculariò laborare, ut ſe in ejus Abbatiæ poſſeſſionem immitteret, rem ego majoris Conſilii aggreſſus Heidelbergam properavi Ill.mi Comitis *Steckenelli* Adminiſtrationis Eccleſiaſticæ Præſidis, aliorúmque Aſſeſſorum & Juriſconſultorum in res noſtras exploraturus animos. Horum porrò ac Clariſſ. Viri *Hauriſii* Hiſtoriæ Profeſſoris conſilio ad *Seminarium Benedictinum* ex reſiduis deſolatorum in Palatinatu Monaſteriorum proventibus in hac Univerſitate erigendum conceptu imprægnatus, omnes nervos in re iſta perficienda deinceps intendi. Hanc ob cauſam ad R.mum Abbatem Gengenbacenſem profectus, indéque peragratâ citeriori Alſatiâ & Brisgoiâ noſtrorum Abbatum opem & operas ad id genus moliminis obnoxiùs interpellavi. Tum perluſtratis hinc inde Monaſteriorum ad Rheni tractum ruderibus, tandem Coloniam redux typis emiſi *Votum Anonymi cum ſubmiſſa Mediorum inſinuatione pro Seminario Benedictino in Univerſitate Heidelbergenſi erigendo, fundando & ſtabiliendo...* Effari porrò verbis vix poſſum, quot labores, quot ſumptus, quantásq; curas impenderim, ut hocce negotium eo perducerem, quò maximè productum cupiebam; ſed obſtantibus Jeſuitis, & Abbatibus ad ſubſidia tardis, conatus noſtri hactenus ceſſerunt irriti. *Vid. ſuperiùs relata cap. 2. §. XV. pag. 282. ſeqq.*

Erigendo Heidelbergæ Seminario curas intendit.

Labores literarii Coloniæ reſumpti.

29. Reſumptis tandem Coloniæ ſtudiis totus deinceps ſui in condendo *Lexico Veterum per Germaniam Monaſteriorum.* Quo Opere ad umbilicum perducto, aliam orſus ſum telam, *Animadverſionibus in* GERARDI ERNESTI HAMMII *Rempublicam Ubio-Agrippinenſem*, teſſellatam. Tum etiam ad Opus mihi furto Pragæ ſublatum rurſus contexendum curas appuli. Multa tamen ad utrumque propoſitum in chartam confeſtim, antequam de diſpoſitione & ornamentis cogitarem ulterioribus, tumultuariâ

ſcriptione, *ne perirent*, conjeci quæ pumice & accuratioris judicii limâ indiguiſſe candidè profiteor. Cùm verò gravem ex tædiis, moleſtiis, & vigiliis contraxiſſem morbum, jámque in ipſos ingenioli mei partus ſævirent malevoli, refectis denique tantiſper viribus, in mentem mihi venit reliqua, ne interciderent, fragmenta colligere, & in unum alterúmve volumen compingere. Majoris itaque expers curæ huic me labori addixi, atque *Epiſtolas*, *Diſſertationes*, *ſchediaſmata*, *minutáque Opuſcula* ſimul compaginavi ſub Titulo: *Analecta Oliveriana*, quorum tria jam extant Volumina in fol... Contractioribus hiſce itidem diebus adornavi *Diſſertationem de ſacra Veterum Liturgia*, *& de Scriptoribus ad eam ſpectantibus*, *cum ichnographia Operis hac de re conſcribendi.* Ea verò quæ luſtratis in itinere Bibliothecis hinc inde ad Hiſtoriam Literariam O. S. B. congeſſeram memorabilia, *Ziegelbauero* Collegæ meo ſubmiſi congruis ſedibus inſerenda.

Eburum Moravorum acerſitus,

30. Hâc occaſione ab eo Olomucium, rogatu Ill.mi Comitis *de Giannini*, invitatus, illuc proficiſci animo conſtitui, neſcius planè earum, quæ mihi à Patribus S. J. parabantur inſidiæ, tum ob veterem in me animoſitatem, cùm maximè ob recenſionem mei Opuſculi *de inſtruenda Bibliotheca* in Actis Eruditorum Societatis literariæ ibidem auguſtalibus auſpiciis recèns erectæ ab Ill.mo ejus Præſide *L. B. de Petraſch* antea factam, (1) & à Lojolitis acerrimè impugnatam. Qua de re *Magnoaldus* in ſuis ad me literis 28. Junii A. 1749. ſignatis ita reſcribebat: *Sudes Tu in oculis Jeſuitarum non ſolùm in Bohemia, ſed etiam in Moravia. Indicia ſuæ erga Te averſionis præterito anno Olomucii patefecêre luculenta. Cùm enim Ill.mus Baro de Petraſch Præſes Societatis noſtræ Opus tuum de inſtituenda Bibliotheca, recenſuiſſet, pro approbatione recenſionem Olomucenſi Diario inſerendam typíſque vulgandam ad Vicarium generalem transmiſit. Eo abſente D. Comitis à* GIANNINI *ceu Conſiliarii Conſiſtorialis fuiſſet, ut recenſionem legeret & approbaret; ſed is fortè aliis occupatus negotiis ad PP. S. J. in Collegium transmiſit, invitiſſimâ Societate noſtrâ Literariâ, atque ægro id animo ferente* PRÆSIDE. *Jam paucis dici non poteſt, quàm indignè Opus tuum iſti Patres habuerint... Sed eorum Cenſura eſt planè inepta, ne dicam aſinina. Illam ego cum notis meis ad Clar. P.* DESING *transmiſi, ut tecum communicaret, quod tamen ab eo factum non eſſe poſteà intellexi...* Hæc ille, quæ Virum minùs conſtantem à propoſito deterrere potuiſſent.

31. Sed quia pectus meum generoſo incoctum honeſto ad artes Jeſuiticas jam prorsùs occalluerat, malíſque & ineptis Cenſoribus diſplicuiſſe glorioſum ducebam, ſpretis obtrectatorum ſpiculis, indéque magis ad ſpartam mihi delatam ſuſcipiendam excitatus, acceptâ tandem Cambiali ad viaticum ſyngraphâ, cum bona mei Superioris venia itineri 14. Auguſti me commiſi, atque Olomucium die XI. Septembris feliciter attigi: ubi ab Ill.mo Comite *de Giannini* humaniſſimè exceptus, grata deinceps hoſpitii pignora apud eum capeſſebam. Iſtîc verò in *Societatis Incognitorum* coronam receptus, atque familiari Virorum tum Illuſtrium, cùm Eruditorum uſus conſortio, quadrimeſtri inter ſacrum ſaxúmque ſubſtiti, ita cum æmulis verſatus, ut obmuteſcerent. Ineunte anno 1750. in Sileſiam ab Ill.mo Comite *de Giannini* deductus, Comitum *de Wengerski* pupillorum curam & Ephoriam mihi à Tutoribus demandatam ſuſcepi, atque cum iis ad Raudenſe Ciſt. obſervantiæ Monaſterium Lycæo inclytum digreſſus, in eorum gratiam & uſum horis ſucciſivis compoſui Tractatum quemdam Gallicum de ſcientiis & artibus ritè diſcendis hoc Tit: *Diſcours ſur les Sciences & les beaux arts, ou l'on enſeigne la methode de les apprendre, & de s'en ſervir, avec une Bibliotheque choiſie pour les Cavaliers.*

illuc proficiſcitur, 14. Aug. 1749.

& Comitum de Wengerski ephoriam ſuſcipit.

32. *Magnoaldo* intereà Olomucii die 14. Junii vivis erepto, de ipſius meáque apud eum relictâ ſupellectile literariâ maximè ſollicitus, literis ad Ill. D. Comitem *de Giannini*, qui illam ſibi vindicârat, exaratis, eum impenſiùs rogitabam, ut Manuſcripta, ceu hæreditatis partem mihi quâ Confratri & laborum Socio præferibiliter debitam reſervaret &c... Nihil proficien-

Quâ dimiſſâ fit Secretarius Societatis Incognitorum.

(1) Vid. *Monatliche Auszüge alt und neuer gelehrten Sachen II. Band, IV. Stuck. pag.* 725. *Olmütz* 1747. in 8.

ficientibus literis, demùm peractis in Sileſia autumnalibus feriis, Eburum repetii, & negotium *de repetundis* fervidiùs urſi. Verùm ipſo Comite nec quicquam ad preces meas moto, id unum ſolertiùs cavi, ut hoc, quod præſens ſiſto *Hiſtoriæ Literariæ O.S.B.* Opus ab Authore Ratisbonam, meo hortatu, miſſum è periculo eriperetur. Tum verò dimiſsâ Comitum *Wengerskiorum* ephoriâ, *Secretarii* munus *in Societate Incognitorum* ſuſcepi; Sed ingentem perſecutionum meſſem inde meſſui, ad aras usque impetitus. Vicit tamen patientia malitiam, tribulos averruncante potentiori manu. Eâ autem tempeſtate præter Ephemerides Literarias & Epiſtolas ad varios, ex Senatûs Academici Decreto conſcripſi *Elogium Hiſtoricum piè defuncti P. Magnoaldi Ziegelbauer*, cujus laborum pars ipſe non parva fueram. In meæ quoque ad Societatem receptionis ſymbolam, compoſui *Itinerarium ſeu Methodum apodemicam peregrinationis nobilis & eruditæ benè inſtituendæ. . .* Quod Opuſculum poſteà magis expolitum & auctum typis exſcribendum dedi *Auguſtæ Vindelicorum* A. 1751. Alia quæ tunc elucubranda ſuſcepi ſynthemata, quia affecta potiùs, quàm perfecta ſunt, prætereo.

Febri obrutus Rayhradium ſe recipit,

33. Hos inter labores malignâ febri obrutus, & auræ Olomucenſis impatiens, ad *Raybradenſe* propè Brunam Monaſterium ſeceſſi, ibíque lecto affixus jacui usque ad Septembrem, quo tandem ſanitati reſtiturus per Bohemiam iter adornavi Ratisbonam, iſtud efflictim contendens, ut *Ziegelbauerianum* Hiſtoriæ Lit. O. S. B. Manuſcriptum apud Sant-Emeramenſes aſſervatum mihi vindicarem edendum, aut ejus loci incolis ſuaderem expoliendum & nomine *Societatis literariæ* evulgandum. Voti tandem damnatus mei Auguſtam me contuli Bibliopolam circumſpecturus, cujus impenſis Opus quàm emendatiſſimum in manus hominum veniret; cúmque è veſtigio pronus occurriſſet Celeberrimus VEITHIUS inito inter nos contractu, Auctor illi fui, ut procul eam illiberalem amoveret parcimoniam, quâ ſolent Bibliopolæ ſibi potiùs, quàm Operi cudendo conſulere. Quod ille monitum quàm egregiè curaret, facto ſtatim à ſecunda Operis Parte impreſſionis exordio, advertimus Manuſcriptum in multis eſſe defectuoſum, ac prelo haud ſatis coopratum. Quocirca ipſe Operi emendando manum curásque protinùs admovi. Et licèt probè ſcirem, quàm maleſida mihi *Auguſtæ* hoſpiti ad hos labores eſſet ſtatio, curtáque ſupellex, animum tamen haud quaquam deſpondi futurum ratus, ut ſi non undique collimatum Opus exhiberem, facilè deprehenderet *Lector candidus* me feſtinanti prelo inſervientem, id tumultuariâ reviſione perficere nequiviſſe, quod majoris otii ſtudium, promptáque ſubſidia & plurium annorum vigilias requireret.

Inde Ratisbonâ,

mox Auguſtam digreſſus Hiſtoriá O. S. B. edendam ſuſcipit.

Quid ab Eo in hujus Operis editione præſtitum.

34. Hâc igitur præſumptâ erectus fiduciâ, & *ſtudio fallente laborem*, præſtiti quod potui, ac primò quidem novâ Operi inductâ facie, factáque illius in quatuor Partes diſtributione, nihil antiquius habui, quàm ut Paratitlas marginales, quæ in MS. deſiderabantur, è regione textûs adjicerem, luxatas aut malè ſibi cohærentes periochas & additamenta ſubinde in ſchedas ſugaces ab Authore rejecta, debitum in ordinem concinniùs redigerem. Tum verò ſudante prelo nonnullas hinc inde obſervationes, additiones, emendationes, per decurſum, ubi res poſtulare, aut ſaltem ferre videbatur, meâ è penu textui obiter quaſi inſperſi, vel notulas in imis paginarum oris ſubjeci, Proëmia quoque & Summaria ſingulis ferè Capitibus præmiſi; integras quandoque Deductiones, Sectiones & Paragraphos intexui; lacunas hiatúsque, ubi telæ ſeries id exigebat, ſupplevi, recentiora addidi, auctaria ſuffeci, parerga & coronamenta appoſui, atque ita Opus ex integro refudi, ut ſi non totum ab interitu vindicatum, certè illud vix non dimidiâ ex parte locupletatum mihi jure merito adſcribere poſſem. Ne tamen vanam aliquam nominis umbram conſectari, vel oſtentationi, quæ Religioſos maximè Viros dedecet, litâſſe viderer, malui primario Operis Architecto laudem integram relinquere, quàm laureolam in muſtaceo quærere. *Sicut autem*, Divo dictante Auguſtino Libr. 2. de Sermone Domini in monte, *Laus bumana non debet appeti à benè faciente, ita è contrario par eſt, ut eadem rectè facientem ſubſequatur.* Sed neque hanc ego pediſſequam opperior, nec affecto;

Aſt

Aſt veniam pro laude peto, laudatus abundè,
Non faſtiditus, ſi Tibi, Lector! ero.

35. Cedo itaque, nec ultra intercedo, dummodò indiligentiæ non accuſer, cujus profectò prudens nemo me bono jure poſſit arguere, ſi non ſingula quæque ad amuſſim exaſciata, non omnia ubique ſuppleta, non omnes nævos erroréſque ſublatos, vel obelo notatos comperiat: Quis enim non videat, quot annorum curas, quot prægrandes voluminum moles, quantam induſtriam, ſagacitatem & conſtantiam exquireret immenſus labor? Ecquis tandem legendi, excerpendi, conciliandi, emendandi, addendi, ſupplendi finis? Dicam liberè, quod ſentio: *Unius tantum hominis quantumlibet docti, operoſi & induſtris, huic oneri ferendo impares humeri videntur.* Quod dum prudens mecum penſitarem, ut ſaltem quâ licuit, auctior & accuratior tanti Operis prodiret editio, exaratis huc illúcque literis alienam opem & diligeotiam obnixiùs imploravi, ac etiam Virorum Eruditorum, qui ſuas mecum ſymbolas conferrent, Sodalitium cogere ſtudui, cujus inſtituti ſyſtema & totius ſeriem facti, quùm jam ſuperiùs à pág. 140. prolixè exhibuerim, *Lectorem* illuc remitto, ídque unum moneo, me apud Campidonenſes prævaleotibus *Pieriſtis* & æmulis, oleum atque operam luſiſſe (m). Num alibi auſpicatior cœptis affulſura ſit Lucina, venturis ſolibus illuceſcens dies dabit. Sodales interim enixiùs obſecro, ut quidquid labor meus aut cura, tum in provehendo nobili Inſtituto impendit, cùm in hoc fœtu non tam lambendo perpolivit, quàm inter anguſtias, adverſitates & viciſſitudines parturiendo effudit, æqui boniq; conſulant, & mecum glorificent Deum, Patrem luminum, cujus honori & gloriæ, res noſtra literaria, non humano faſtui, dicata eſt.

(m) Qua de re plura Tom. I. Ephemeridum noſtrarum.

I. O. G. D.

INDEX

INDEX

Virorum Illuſtrium et Rerum Notabilium in prima parte occurrentium.

Numerus paginam deſignat.

A.

ABBATES Seculo X. Doctrinâ & pietate inſignes. *pag.* 44. *col.* 1. Caſinenſes promovendæ rei literariæ Studioſi. 104. & 197. Burſfeldenſes Studia commendant Sec. XV. *pag.* 91. Pontificalium uſum olim reprobabaot. 261. Cloniacenſes à ſcribendi ſtudio celebres. 60. & 61. In Auſtria, Styria, Suevia, Bavaria, & Tyroli literas ſuis in cœnobiis fovent. 124. & 137. Tinecenſes Cracovienſis Academiæ benefactores. 379. In Gallia *Studentium Priorem generalem* conſtituunt. 106. *col.* 2. Notantur ioferioris Germaniæ Abbates. 127. Docti quidam inrerſunt Concilio Baſileenſi. 78. *col.* 2. Aoaiphabetus riſum movet Patribus. 79. & 80. Abbatum culpâ ſæpè accidit, ut Monachi ſint indocti. 81. *col.* 2. Negligentes in provehendis ſuorum ſtudiis mulctantur. 81. 285. 301. Eorum obligatio ſovendi ſtudia. 302. Laudantur aliqui ſtudiorum promotores. 91. & Literatorum Mæcenates. 373. & 375. Quidam ignorantiæ Patroni notantur. 92. *col.* 1. & 139. Suorum ingenia opprimunt aliqui, & cur. 93. Alii in Germania literas in primis, alii vix in ſecuodis habent curis. 137. Conciliorum & Pontificum decretis obtemperantes ſuos mittunt ad ſtudia. 103. *col.* 1. Vilipendentes pænis & cenſuris ſunt obnoxii. 285. 302. Ex rudibus Monachis electi Abbates idiotæ magno monaſteriorum malo. 94. 95. Amoſorum inertia notatur. 138. *col.* 2. Quorumdam de erigenda Societate Literariâ placita. 163. & tergiverſationes. 182. Eorum tenacitas & avaritia in rebus Ordinis perſtringitur. 84. & 261. *ſeqq.* Eucliones plautinianos vellicat *Ranbeckius.* 390. Nummorum quàm librorum ſtudioſiores ſuo ſale defricat *Tritbemius.* 479. Quorumdam cura de Bibliothecis. 454. De Archivis. 591. Bellicoſi Muſis infeſti. 213. Quorumdam ævi noſtri Abbatum imago. *pag.* 102. *col.* 2.

ASSO Floriacenſis docet in Gallia, eâque de cauſa in Angliam mittitur. *pag.* 37. & 38. Scholæ Floriacenſi præficitur. 234. Ejus encomium & diſcipuli. *ibid.*

ABÆLARDI Libri duo de diverſis S. Paginæ ſententiis MS. 531. *pag.* 58. Vide *Oudinum* Tom. II. *pag.* 1160. ubi integra de eo diſſertatio.

ACADEMIÆ Pariſienſis & Ticinenſis Incunabula. 23. An Pariſienſis à Benedictinis fundata 126. *Dungalus* Ticinenſi præfectus, quis fuerit. 28. Oxonienſis per Benedictinos inſtituta. 33. *col.* 2. Reſtaurata. 241. Primi ejus profeſſores. 34. Lecturæ. 35. Cantabrigienſis fundatio, Profeſſores & diſcipulorum frequentia. 61. Petri Bleſenſis de eâ teſtimonium. 61. *col.* 2. Ejus inſtauratio. 363. Novæ ſecularium Academiæ Sec. XII. erectæ, ad quas laureâ allecti juvenes. 63. Studium generale Benedictinorum in Oxonienſi & Cantabrigenſi Academia. 67. 381. Pariſiis. 68. Controverſia de præfectura in Cantuarienſi collegio. 74. Pariſienſis à Benedictinis Sec. XV. inſtauratur. 82. *col.* 1. Sueviæ Academia Ottoburæ erecta. 97. *ſeqq.* Diſciplinæ in eâ traditæ. 98. *col.* 2. Saliſburgenſis committitur Benedictinis. 119. *col.* 1. Sancti Michaelis ad Moſam, & aliæ in Lotharingia. 120. Linguarum orientalium in Congreg. S. Mauri. 133. Ettalenſis apod Bojos. 272. Cremiſanenſis in Auſtria. 277. Pragenſis Nobilium. 135. Foldenſis. 383. & 385. Cracovienſis. 379. Academiæ non uni, ſed pluribus religioſis ordinibus committendæ. 119. *col.* 2.

ACHERIUS (*Lucas*) Antiquarius & Spicilegii collector plures habuit Mœcenates. 389. 392. 613.

ADALARDUS Abbas S. Martini Coloniæ Sec. XII. *pag.* 58.

ADALARDUS Blandinienſis Sec. X. *Oudin.* Tom. II. *pag.* 522.

ADAMUS Barkingenſis Sec. XIII. *Oudin.* Tom. III. *col.* 8.

ADAMUS *de Domersham* Glaſtonienſis Sec. XIII. *pag.* 68.

ADELARDUS Monachos Anglus diſcendi gratiâ peregrinatur in Arabiam. 408.

ADELBERO Hirſaugienſis ad S. Albaoum Moguntiæ ſcholaſticus. 41. & 229.

B. ADELBERTUS Magdeburgenſis Archiep. 39. 41. & 313. Ejus diſcipuli. 313.

ADELBERTUS S. Mathiæ Treviris Scholaſticus Sec. X. *pag.* 40.

ADELBERTUS Heidenheimenſis Abbas Sec. XII. *Oudin* Tom. II. *col.* 1474.

S. ADELBERTUS Pragenſis Epiſcopus ſcholæ Magdeburgenſis ſub æquivoco alumnus. *p.* 313. In literis & moribus mirè proficit. 314. Inſolentiam quorumdam condiſcipulo-

pulorum vitare non poteſt. *ibid.* Inſigni caſtimoniâ præditus colit B. V. M. 314. *col.* 2.
ADELBOLDUS ſeu *Adelbodus* & *Adelbero* ex Lobienſi Monacho ultrajectinus Epiſcopus Sec. XI.
ADELGERUS Ad S. Albanum Moguntiæ Scholaſticus. Sec. XII. *pag.* 59. *col.* 2.
ADELHARDUS Caroli M. Agnatus & Conſiliarius. 353.
ADELHARIUS Epternacenſis ſcholaſticus chronographus Sec. X. *pag.* 40. *col.* 2.
ADEMARUS Engnliſmenſis Sec. XI. de quo *Oudinus* Tnm. II. *col.* 586.
ADMONTENSE Lycæum 125. Archivum. 602.
ADONIS Viennenſis iter Literarium in Italiam. 406. Cujus fructus Martyrolngium. 407. Lugduni ſubſtitit. *ibid.* Vita Ipſios part. III. *pag.* 86.
ADRIANUS & *Theodorus* Angliæ præceptores Sec. VII. *pag.* 13. & 14. *col.* 2.
ADSO Dervenſis Abbas Sec. X. *pag.* 42. *Oudin.* Tnm. II. *col.* 482.
ÆLBERTUS *ſeu* ALBERTUS Eboracenſisc Sholarcha Italiam peragrat. 406.
ÆLFREDUS *ſeu* ALFREDUS M. Angliæ Rex diſciplinæ Benedictinæ alumnus. 326. Operum quæ compoſuit Catalogus. *ibid.* Studio virtutum excellit. 327. Ejus diſtributio temporis & redituum. *ibid.* Memnrabile effatum. 327. Ejus lecturæ *p.* 35. Literas in Aoglia inſtaurat, & diſcit, erga præceptdres gratiſſimus. 363. Boëtium elucidat. *ibid.*
ÆLFRICUS *Sapiens* Malmesburienſis Abbas ſcholam inſtaurat, & ſcribit Grammaticam. 38. & 39.
ÆLNOTUS Cantuarienſis Eccleſiæ Monachus Sec. XII. *Oudin.* Tom. II. *pag.* 1085.
AFER (*Conſtantinus*) Caſinenſis Monachos artis medicæ peritus Sec. XI. *pag.* 51. *col.* 1.
AGALIENSIS Io Hiſpania cænobii c › literarum ſtudia celebritas Sec. VII. *pag.* 18.
AGATHONIS Pont. Max. Aurea ſententia de ferreo Seculo VII. *pag.* 13.
AGNELLUS (*Andreas*) S. Mariæ ad Blachernas. Sec. IX. *Oudin.*
AGRICOLA (*Joannes*) Abbas Anhuſanus literarum oſnr Sec. XVI. *pag.* 94. *col.* 2. Re oxoriâ perit. *ibid.*
AGUIRRE (*Joſephus Saenz*) S. R. E. Cardinalis Lireratnrum Mæcenas edi curat Biblinthecam Hiſpanam *Nicolai Antonii.* 393. *col.* 1. Vita ipſius part. III. *p.* 420.
AICHELER (*David*) Ottoburanus Bibliothecarius. 99. De re libraria optimè meritus. 561. 562. & 616.
AICHER (*Otto*) Salisburgenſem Bibliothecam ordinat. 615. Ejus vita part. III. *pag.* 435.
AIGLERIUS *Vide*: Bernardus Caſin. & part. III. *pag.* 172.
AIGRAIIUS Fontanellenſis Mooachus Sec. VII. *Oudin.* Tom. I. *pag.* 1671.
AIMOINUS Abbonis In ſchola Flnriacenſi diſcipulus ſcribit Francorum Hiſtoriam. 234. *col.* 2.
AJO Croylandenſis Monachus Sec. X. *Oudin.* Tom. II. *col.* 470.
AISCELINI (*Petrus de monte Acuto*) Collegium fundat Pariſiis Sec. XIV. *p.* 71.
ALANUS Teukesburienſis Abbas. A. 1170.
S. ALBANI Scholæ In Anglia celebres Seculn. XI. *pag.* 53.
ALBERICUS Viceliacenſis S. R. E. Cardinalis Seculo XII. doctrinâ potens & opere. 61. *col.* 1. Ejus vita part. III. *p.* 93.
ALBERTI. (*Petrus*) Cluniacenſis Prior A. 1420. *Oudin.* Tom. III.
ALBERTUS Stadenſis in Archiep. Bremenſi A. 1250.
ALBERTUS Sigebergenſis Monachus Seculo XV. *Oudin.* Tom. III.
ALBERTUS Abbas S. Petri Salisburgi ſtudia egregiè provehit. 120. Suos Laurea Doctorali curat Inſigniri. *ibid.* Literatum mæcenatibus accenſetur. 385.
ALBERTUS ſeu *Abbertus* Gemblacenſis Abbas A. 1210. de quo *Oudinus.* Tom. II. *pag.* 35.
ALBINUS Cantuarienſis Abbas Ven. Bedæ patronus. 387.
ALBINUS (*Flaccus*) Vid. ALCUINUS.
ALBITRIUS (*Marius*) Cavenſis monaſterii Tabulario præfectus, multa ſcribit. 644.
ALBUINI Eremitæ liber de virtutibus ad *Heribertum* Col. Archiep. 503. *p.* 15.
ALCHYMIÆ ſtudium prohibetur In Congr. Bavarica. 122.
ALCUINUS Caroli M. præceptnr, ejos auſpiciis literas inſtaurat in Germania & Francia Seculo VIII. *pag.* 22. Monachos ad reſumenda ſtudia ſtimulst. 25. *col.* 2. Pariſienſem Academiam inſtituit. 26. Ejus diſcipuli & diſcipulæ. 320. *ſeqq.* Opuſcula. 485. 574. 583. Commentarius in Matthæum. 529. *p.* 5. Nnva ipſius Operum editio parata. *ibid.* Plura de eo Part. III. *pag.* 60.
S. ALDHELMI Epiſtola de ſuis literarum ſtudiis. *pag.* 15. *col.* 2. Commendatur à doctrinæ præſtantia. 16. Alia ejus epiſtola ad Adilwaldum diſcipulum. 191. Vita ipſius part. III. *pag.* 43.
ALDRICUS Senonum Archiep. *Lupi* Ferrarienſis Mœcenas. *pag.* 369.
ALEYDIS Monialis io Inſula Rolandi doctiſſima. Sec. XV. *pag.* 504. n. 35.
ALEXANDER II. Papa in Beccenſi ſcbola inſtitutus. 309.
ALEXANDER Celeſinæ Vallis Abbas Seculo. XII. *Oudin.*
ALEXANDER II. Cremiſanenſis in Auſtria Abbas Academiam Nobilium erigir. 602. *col.* 2. & 277.
ALFANUS ſeu *Alphanus* Caſinenſis monachus & Arhiep. ſalernitanus inſignis Orator, Poëta, Philnſophus, Medicus &c. Seculo XI. *pag.* 51.
ALFRICUS Senior Croylandiæ Monachus Sec. VIII. *Oudin.* Tom. I. *col.* 1789.
ALFRICUS *Grammaticus* Seculo X. *Vide.* ÆLFRICUS.
ALGERUS Scholaſticus Corbejenſis, 225. Rectiùs Cluniacenſis. *pag.* 504. n. 38. Vid. *Oudin.* Tom. II.
ALGRINUS (*Joan. Abbavillæus*) Theologiam docet In Univerſitate Pariſienſi. 68. *col.* 1. & 2. *Oudin.* Tom. III.
ALLIOT (*Hiacynthus*) Mediani Monaſterii Abbas rei Literariæ promotnr. 388. *col.* 2. Bibliothecam illuſtrat. 478.

ALLI-

ALLIOTUS (*Hieronymus*) Congr. S. Juſtinæ Abbas de ſtatu rei lit. In Italia Sec. XV. *pag.* 85. Vindicat ſtudia monaſtica. 86. *col.* 1. Inter Mæcenates rei lit. Bened. celebratur. 387. *col.* 1.

ALMERICUS Bursfeldenſis Abbas primus magnæ vir doctrinæ Sec. XII. 57.

ALPHONSUS Weingartenſis Abbas, Univerſitatis Salisburgenſis Mæcenas. 373.

ALTESERRA (*Anton. Dandinus*) Studia literarum in Ordine Bened. ab ejus primordiis exculta perhibet. *pag.* 10. *col.* 2.

ALTMANNUS Antivillaris in diæceſi Catalaunenſi Monachus Sec. IX. *Oudin.* Tom. II. *col.* 404.

ALULFUS S. Martini Tornacenſis Monachus Sec. XI. *Oudin.* Tom. II.

AMALRICUS Bibliothecarius S. Martini prope Turonos. 610.

AMBITUS officii *Prioris Studentium* in collegio Oxonienſi prohibetur ſub pœna excommunicationis. 243. *col.* 1.

B. AMBROSIUS *Autpertus* Caroli M. præceptor & Abbas S. Vincentii ad Vulturnum in Benevento, claruit A. 770. *pag.* 320. *col.* 2. Ejus Commentarius MS. 574. *col.* 1. Vita Part. III. *pag.* 57.

AMELII (*Petrus*) Senior Arhiep. Ebredunenſis & S. R. E. Card. Ord. S. B. claruit. A. 1380. *Oudin.* Tom III. *col.* 1193.

AMICO (*Vitus de*) Catanam dedit illuſtratam. *pag.* 647.

AMORBACENSIS Bibliotheca. *pag.* 499. *col.* 2.

ANASTASIUS primùm Monachus tandémque Abbas, claruit Sec. VII. *Oudin.* Tom. I. *col.* 1662.

ANASTASIUS S. Mariæ trans Tyberim Abbas, S. R. E. Bibliothecarius anno. 870. *pag.* 610. Vid. *Oudin.* Tom. II. *col.* 250. ubi prolixa de eo diſſertatio.

ANDREAS Bambergenſis S. Michaëlis Abbas anno 1480. Scripſit ingens Opus de Sanctis & Viris illuſtribus O. S. B. *pag.* 502. Alia *ibid.* Ex quibus corrigendus *Oudinus* Tom. III. *pag.* 2722. & 2736.

ANDREAS *Deodatus* Collegium Anſelmo-Benedictinum Romæ inſtitui curat A. 1687. *pag.* 262. Rem literariam apud Italos ſtrenuè promovet. 387. *col.* 1.

ANDREAS Parmenſis Abbas Caſin. eximiæ vir doctrinæ, ejusque promovendæ ſtudioſus 198. *col.* 1.

ANGARVILLUS (*Richardus*) ex Monacho regni Angliæ Cancellarius & Epiſcopus Dunelmenſis. 247. Singularis bonarum artium Fautor, Oxonii publicam erigit Bibliothecam, *Philobiblos* dictus. 370. Viros eruditos domi alere ſolebat & librum menſæ prælegi curabat. *ibid.* col. 2. Vid. *Oudin.* Tom. III. *col.* 936.

ANGELOMI Luxovienſis Mon. Expoſitio in IV. libros Regum MS. 502.

ANGILBERTUS Centulenſis Abbas Carolo M. ob eruditionem charus. 352. *col.* 2.

ANGLI an *Galli* academiæ Pariſienſis inſtitutores primi 26. In Caſinenſi Licæo educati doctrinâ illuſtres. 197.

ANGLIA Doctorum ferax Seculo VIII. 19. Reges rei literariæ Bened. Mœcenates 363. Duces ejusdem Fautores. 365. Neglectus in Angliæ monaſteriis Seculo IX. 25. & 32. Reſtituuntur literæ à Gallis Benedictinis. 33. Quis earum ſtatus Sec. XI. 52. *col.* 2. Seculo XIII. 66. Seculo XV. 80. Angliæ Scriptores 82.

ANGLICANÆ Congregationis ſtatutum, ut Benedictini apud Benedictinos ſtudeant. 73. & 127.

ANNO S. Maximini Treviris regiæ ſtirpis ſoboles erudire jubetur ab Ottone. M. *pag.* 39. *col.* 2.

S. ANSCHARIUS in Corbeja nova Athenæum erigit Sec. IX. *pag.* 221. *col.* 1. Ejus primus Magiſter & Doctor. *ibid.* *col.* 2.

ANSCHERUS Centulenſis Abbas Sec. XII. *Oudin.* Tom. II. *col.* 948.

ANSELMIANUM Collegium Romæ Doctorum ſeminarium. 129. Ejus exordia, Confirmatio, Statuta &c. 262. *ſeqq.*

S. ANSELMUS fit Becci Monachus & B. Lanfranci diſcipulus. 288. *col.* 1. Ejusq; adjutor 239. *col.* 1. Eſt fautor rei literariæ. 369. Ejus doctrina à Profeſſoribus in Collegio Anſelmo-Benedictino ex ſummi Pontificis præſcripto tradenda. *pag.* 262. *col.* 2. Vita ipſius part III. *pag.* 99.

ANSELMUS Gemblacenſis Abbas, ſuos Religioſos ſacris literis inſtituit. 50. & 57. *col.* 2. Bibliothecam auget. 479. *Vide Oudinum* Tom. II. *col.* 1131.

ANTONIUS Monachus ſcholam Caſinenſem illuſtrat. 194. *col.* 2.

AQUAVIVA (*Claudii*) Soc. Jeſu Generalis literæ ad Balthaſarem Fuldenſem. 384.

ARCHIVA in Monaſteriis condendi ratio. 591. Cura Veterum de Archivis, horúmque fata. *ibid.* *col.* 2. Damna iisdem illata. 592. De Archivi diſpoſitione. 533. Statuta Congregationis Olivetanæ de Archivo & ejus præfecto. 594. *col.* 2. Deſcribuntur aliqua, nominatim: Admontenſe. 602. Attilenſe. 600. Benedicto-Buranum. 600. Bobienſe. 596. Brzevnovienſe in Bohemia. 609. Campidonenſe. 603. Caſaurienſe *ſeu* Piſcarienſe. 595. Caſinenſe. 594. Cavenſe. 595. Cluniacenſe. 597. Corbejenſe in Saxonia. 599. S. Dionyſii Pariſiis. 597. Diſibodibergenſe. 600. Einſidlenſe. 607. Sant-Emeramenſe. 608. S. Facundi in Hiſpania. 596. Farfenſe. 596. Ferrarienſe. 596. Fuldenſe. 608. San-Gallenſe. 591. & 607. S. Georgii Monialium Pragæ. 609. Hirsfeldenſe. 600. Laureshemenſe. 607. Lotharingiæ 598. *col.* 2. Lunælacenſe in Auſtria. 602. Majoris Monaſterii in Gallia. 597. S. Mariæ Florentiæ 596. S. Martini Coloniæ. 600. S. Maximini Treviris. 600. Mediolacenſe 608. Mellicenſe in Auſtria. 602. S. Michaëlis Bambergæ. 601. Murenſe. 607. Piſcarienſe *ſeu* Caſaurienſe 595. Prumienſe. 603. Rhegienſe. 596. S. Salvatoris Ticini. 595. S. Severini Neapoli. 596. Silviniacenſe. 597. Sixtinum placentiæ. 595. Spanheimenſe. 600. Stabulenſe. 599. Ticinenſe de Poſterla. 596. Virdunenſe & alia Lotharingiæ celebriora. 598. Werthinenſe. 606.

ARCHIVARII officium eſt magni momenti. 594. *col.* 1. Ei leges præſcriptæ à Patribus congr. Olivetanæ. *ibid.* Archivarii quidam recenſentur. *pag.* 643. *ſeqq.*

ARENPECKIUS (*Vitus*) Eberſpergenſis in Bavaria Prior anno 1460. *Oudin.*

INDEX VIRORUM ILLUSTRIUM.

Arithmeticæ, Geographiæ & Geometriæ doctrina utilis. 115.

Armarius olim vocari conſueverat Bibliothecæ præfectus. 610.

Armellinus (*Marianus*) Author Bibliothecæ Scriptorum è Congr. Caſinenſi 268. *col.* 2. Ejus vita Part. III. *pag.* 476.

Arnesti ſeu *Erneſti* Pragenſis Archiep. Synodalia Anno 1346. *pag.* 528.

Arnoldus Altaheoſis in Bavaria Monachus Sec. XI. *Oudin.* Tom. II. *col.* 597.

Arnoldus Abbas Corbejæ novæ fratres Scholares bis in anno examinat. 226.

Arnoldus S. Albani Moguntiæ Monachus Sec. XIV. doctrinâ celebris. 76. *ſeqq.*

Arnoldus Hirſaugienſis Monachus fit ad S. Burchardum Herbipoli Scholaſticus. 230. *col.* 2.

Arnoldus S. Matthiæ Treviris Scholaſticus Sec. XI. 47.

Arnoldus Priflingenſis, cujus opuſcula laudantur. 537.

Arnolfus S. Emmerami Ratisbonæ Seculo XI. *Oudin.* Tom. II. *col.* 536.

Ars *Typographica* quando inventa. *pag.* 83. *col.* 1. Eam exercuère Monachi. *ibid.* & 560. Egregiè promoverunt Benedictini, primùm Moguntiæ, tum in Anglia & Italia. *ibid. col.* 2. Auguſtæ Vindelicorum. 84. Ottoburæ. 96. *col.* 2. & 560. *col.* 2. Libri ibidem ediri. 561.

Artes quænam in Scholis tradendæ 113. & 295. *ſeqq.* Liberalium nomine omnes intelliguntur Scientiæ. 195. *col.* 2.

Asserius Oxoniæ Profeſſor Grammatices Sec. IX. *pag.* 34. *col.* 2. Vid. *Oudin.* Tom. II. *col.* 405.

Atrebatensis Collegii Vedaſtini fundatio A. 1330. *pag.* 77. *col.* 1.

Audebertus (*Bernardus*) Præpoſitus Generalis Congreg. S. Mauri rem literariam in eâ provehit. 369. *col.* 1.

Augia *Brigantina*, vetus Sueviæ Monaſterium, in quo eximius Literarum cultus. 125. Ejus Bibliotheca. 567.

Augiæ *Divitis* celebritas à Literis. *pag.* 214. *col.* 2. S. Wolfgangus Scholæ Augienſis alumnus. 215. Cooringii iniqua cenſura de Augienſi ſchola, revincitur. *ibid. col.* 2. Celebres ejus ſcholæ Magiſtri & diſcipuli. 216. *ſeqq.* In eâ non nobiles tantùm, ſed etiam ignobiles literis inſtituti. 217. Augienſis ſchola Seminarium Epiſcoporum. 219. *col.* 1. Ejus decrementa. *col.* 2. Afflictus Angiæ Status A. 1237. *pag.* 220. Augienſis conventus ex Nobilibus conflatur, quibus ſtudia vileſcunt. *ibid. col.* 2. Augienſis ſcholæ finis 220. *col.* 2. Bibliotheca. 569. *ſeqq.*

S. Augustini Epiſtolæ Gottwicenſes. 521.

Austriæ Palladia Benedictina. 124. Bibliothecæ. 514. & 527.

Autpertus, *Vide.* Ambroſius Antpertus.

Aymericus *de Peyraco* Abbas S. Petri Moiſſiacenſis diœceſis Caterroenſis Sec. XIV. *Oudin.* Tom. III. *col.* 2237.

B.

Bacchinus (*Bened.*) Franciſci II. Mutinæ Ducis Bibliothecarius. 615. Ejus vita Part. III. *pag.* 445.

Baillie (*Bernardus*) de ratione Studiorum in Germania. 138. Ejus elogium. 537. *col.* 1.

Baldewinus S. Remigii Rhemenſis Monachus Sec. XII. *Oudin.* Tom. II. *c.* 1434.

Baldricus Dolenſis in Armorica Archiepiſc. O. S. B. Seculo XII. *pag.* 60. *Oudin.* Tom. II. *col.* 1085.

Balmensis in Borgundia monaſterii conſuetudines Scholaſticæ Sec. IX. *pag.* 31. Ejus ſcholæ celebritas Sec. X. 42.

Balthasar Abbas & Princeps Foldenſis evocat Patres S. J. pro inſtruenda juventute, cujus rei cauſâ grave incurrit odium. 383. Exulare coactus. 384. Reſignat Abbatiam *ibid.* denique reſtitutus moritur. *pag.* 385.

Balthasar Tegernſeenſis Abbas Sec. XVI. Muſarum ſingularis cultor. 383. *col.* 1.

Baluzius (*Steph.*) ævo Caroli M. ignorantiæ notam clericis & Epiſcopis inurit. *pag.* 36. Corrigitur. *ibid.* & *pag.* 19.

Bandini liber de Sacramentis. MS. 557. n. 8.

Bandurus (*Anſelmus*) Ludovicum XIV. Gal. Reg. habet Mæcenatem 367. Coſmum III. Hetruriæ ducem. 386. Cujus Bibliothecæ præficitur. 615. *col.* 1.

Bartholomæus *de Alexandro & Platamone*, Antiquarius. 645.

Bartholomæus Abbas S. Nicolai de Littore Venetiis Sec. XV. de quo *Oudinus.*

Bartholomæus Cluniacenſis Abbas Seculo XIII. *Oudin.* Tom. III. *col.* 45.

Bavariæ Duces S. Ruperti monitu ſcholas in monaſteriis excitant Sec. VIII. *pag.* 18. Bibliothecæ celebriores. 528.

Baudemundus Blandinienſis Abbas Seculo VII. A. 690. *Oudin.* Tom. I. *col.* 1667.

Baugulfus Fuldenſis Abbas literarum ſtudia provehit. *pag.* 200. Caroli M. ad eum encyclica. *ibid.* & *pag.* 24.

Beaugendre (*Antonius*) Bibliothecæ S. Germani à pratis præfectus. 613.

Beccensis *Schola* aperitur à B. Lanfranco. 236. *col.* 2. Eſt omnium celeberrima. 237. Ex ea prodeunt Viri doctiſſimi, ſanctiſſimi Abbates & Epiſcopi, Pontifices maximi. *ibid.* Cum ipſâ vix alia comparari poteſt. 240. *col.* 2.

Becelinus Corbejæ novæ Bibliothecarius. 610. *col.* 2.

Ven. Beda Literarum ſtudia excolit & promovet. 14. Ejus præceptores & diſcipuli. *ibid.* Albinum Abbatem Cantuarienſem ſtudiis ſuis habet faventem. 19. *col.* 2. & 387. Coi grates refert ſcriptâ Epiſtolâ. *ibid. col.* 2. Ejus Vita Part. III. *pag.* 46.

Belgii monaſteria literarum cultu inclyta Sec. XVII. *pag.* 120. Bibliothecæ. 479.

Bellinzonensis Gymnaſii exordia. 124.

Benedictoburana Schola Sec. XI. *pag.* 47. Bibliotheca. 542. & 447. Archivum. 600.

S. Benedictus Patriarcha natus A. 480. *pag.* 3. Relictis ſtudiis in eremum ſeceſſit. *pag.* 4. Apud Sublacum puerorum inſtitutionem ſuſcipit. *ibid. col.* 2. Caſinum petit & Ordinem inſtituit circa A. 529. *ibid. col.* 1. An ipſe ſtudiorum primus inſtitutor fuerit? *pag.* 5. Negantium argutiæ refelluntur. *ibid. col.* 2. In

ſuo

ſuo receſſu literis operam navâſſe oſtenditur. *pag.* 6. *Conringii* & *Bruckeri* topinomata refelluntur. *pag.* 6. 7. *& ſeqq.* Juvenes non moribus ſolùm, ſed literis etiam inſtruxit. *pag.* 5. & 8. Sub ejus diſciplinâ floruêre viri docti. *pag.* 9. & 10. *col.* 2. Curam gerit de Bibliothecis. *pag.* 453. An opera S. Auguſtini in ſuo habuerit librario. *ibid. col.* 1. Neminem ſine ſuo codice in Monaſtices arenam ſe dimittere ſinebat. *ibid.* Commentarii in Reg. S. Benedicti. 589. Plura Part. III. *pag.* 2. *ſeqq.*

Benedictus Anianenſis Abbas Literarum ſtudia in Galliis collapſa inſtaurat Sec. VIII. *pag.* 22. Ejus cura de libris comparandis. 454. *col.* 2. An ipſius ſit liber de Virtutibus? *pag.* 469.

Benedictus *Biſcopus* promotor rei literariæ in Angliæ monaſteriis Sec. VII. *pag.* 14. Ejus cura de inſtruenda Bibliotheca. *pag.* 454. *col.* 2.

Benedictus Claudioceſtrenſis *ſeu* Gloceſtrenſis Sec. XII. *Oudin.* T. II. *col.* 1105.

Benedictus Petroburgenſis Abbas Seculo XII. *Oudin.* Tom. II. *col.* 1275.

Benedictus XII. Conſtitutionem edit de inſtauratione ſtudiorum in Ordine Benedictino. *pag.* 72. *ſeqq.* Renovatur in Concilio Baſileenſi. *pag.* 78. *col.* 2. Aliorum pontificum decreta. 71. 285. & 302.

Benedictus XIII. Scholam Caſinenſem commendat. *pag.* 198. *ſeqq.*

Benedictus XIV. Cremifanenſe Lycæum confirmat. 281. Ejus ad Card. Quirinum Breve Apoſt. 637.

Benedictini Rem Literariam, Scholas, Academias, Bibliothecas, & ſtudia multis ſeculis ferè ſe ſolis ſuſtentarunt. *pag.* 6. 7. & 53. Pueros olim fingebant in omni ſcientiarum genere. 8. & 9. Hæreſes profligant Sec. VII. *pag.* 12. Studia provehunt in Anglia *pag.* 13. Nobiles inſtruunt. 17. Primas erigunt Academias. 23. & 26. Docent in ſcholis Cathedralibus. 29. *col.* 2. Oxonienſem Academiam fundant. 33. Tradunt omnium ſcientiarum diſciplinam, Sec. XI. *pag.* 49. Myſterium SS. Eucharíſtiæ acriter propugnant Sec. XII. 55. Literati in Gallia Sec. XII. 60. Eodem ſeculo docendi pueros munus faſtidire incipiunt. 63. *col.* 2. *&* 69. Ad literarum ſtudia iterùm excitantur Sec. XIV. *pag.* 71. Literis exculti habentur in honore *ibid.* Indecorum Ordini Benedictino, quòd ejus alumni ab exteris inſtruantur. 73. *col.* 2. Benedictinis apud Benedictinos ſtudendum ſtatuunt patres Congr. Anglicanæ A. 1444. *ibid.* & *p.* 127. Item Cluniacenſes. 253. Benedictini artem typographicam promovent in Germania, Anglia, Italia &c. 83. 84. 96. 560. Ipſis de jure docendi Lis, ſed incaſſum, movetur. 119. *col.* 1. Benedictinorum cum Jeſuitis comparatio. 133. *ſeqq.* In Polonia & Lithuania ſtudiorum rationem habent. 134. Item in Bohemia. 76. & 135. In Hungaria. 136. *col.* 2. Eorum in Tyrolenſes merita. 175. *col.* 2. Commendantur à ſtudio rei Bibliothecariæ. 452. 455. 456. 590. Ipſorum cura in Archivis inſtruendis, & aſſervandis inſtrumentis. 591. & 593. Itinera Literaria antiquiſſimis jam temporibus inſtituerunt. 406.

S. Benno Miſnenſis Epiſcopus ſcholæ S. Michaëlis in Hildesheim alumnus. 317.

Benno *Löbel* Brzevnovienſis in Bohemia Abbas Collegium Illuſtrium Pragæ erigendum ſuſcipit. 135. *ſeqq.*

Berardus (*Joan.*) Archivarius Monaſterii Caſaurienſis. *pag.* 596. & 643. *Oudin.* Tom. II. *col.* 1549.

Berchorius (*Petrus*) Literarum humaniorum profeſſor. *pag.* 77. addicit ſe ſtudio S. Scripturæ. *ibid.* plura de eo Part. III. *pag.* 183. V. *Oudin.* Tom. III.

Berengarii errores in Dialectica Lanfrancus retegit. 52.

Berengosus S. Maximini Treviris Abbas Sec. XII. 58.

Bergensis propè Magdeburgum Schola Seculo XI. erecta. 46. Bibliotheca. 513.

Bernardus Caſinenſis cognom. *Aiglerius* fit S. R. E. Cardinalis. 68. *col.* 2. Plura de eo Part. III. *pag.* 172.

Bernardus Ettalenſis Abbas Studium Illuſtrium ſuo in monaſterio fovet, & provehit. 275. *col.* 2.

Bernardus Morlacenſis Cluniac. Monachus Sec. XII. de quo *Oudin.* Tom. II.

Bernardus *Noricus* Cremifanenſis, cujus labores literarii. *pag.* 519.

Bernardus Tegernſeenſis, de illicito eſu Carnium in Ord. Bened. *pag.* 516.

Bernerus S. Remigii Rhemenſis Monachus Sec. X. *Oudin.* Tom. II. *col.* 445.

Berno in Balmenſi & Cluniacenſi Cœnobiis ſtudia promovet. 42.

Berno Augienſis Abbas Bibliothecæ inſtaurator. *pag.* 572. Ejus epiſtolæ. 567. *Vid. Oudin.* Tom. II. *col.* 598.

Bertha *ſeu* Bertrada Vilecenſis Sec. XI. *Vid.* Part. III. *pag.* 496. *Oudin.* To. II.

Bertharius Caſinenſis Abbas Scholam Caſin. ornat. 104. An ſit Author libri *Anticimenon*? 463.

Bertholdi Abbatis Einſidlenſis liber contra errores Abbatis in Turana valle. 585. n. 10.

Bertholdus Garſtenſis Abbas antea Bibliothecarius. 610.

Bertramus S. Godhardi Hildeſii Abbas rei literariæ ſtudioſiſſimus. 489.

Bertramus Corbeienſis. *Vid.* Ratramnus.

Bertrandus Caſæ Dei in Arvernorum montibus Seculo XII. *pag.* 60.

Besselius (*Godefridus*) Abbas Gottwicenſis ornatiſſimam inſtruit Bibliothecam. 520. Typis vulgat duas S. Auguſtini epiſtolas olim ineditas. 521. 523. Ejus Mœcenates 391. Vita Part. III. *pag.* 481.

Bibliothecæ *Benedictinæ*, earúmque origines. 452. Quibus & quàm multis ab initio inſtructæ fuerint libris. 453. *col.* 2. Abbarum cura de adornandis Bibliothecis. 454. *ſeqq.* Conſtitutio Congregationis S. Mauri de Augendis Bibliothecis. 455. Monachi privati eas auxère laboribus ſuis & ſcriptis *ibid. col.* 2. Earum incrementa ex Benefactorum liberalitate 456. Ichnographia perelegantis Bibliothecæ. 457. *col.* 1. Infelicia Bibliothecarum fata. *ibid. col.* 2. Clades earum præ-

præſertim in Anglia. *pag.* 459. & *ſeqq.* Quædam pro ſpecimine recenſentur. *ibid.* à *pag.* 462. Obtrectatorum de monaſticis Bibliothecis dicteria. *pag.* 589.
BIBLIOTHECÆ *celebriores*, quarum origines, fata, & cimelia deſcribuntur Capite VI. per IX. Paragraphos, à *pag.* 462.
Affligemienſis in Brabantia. 480. *col.* 2.
S. Albani Moguntiæ. 489. *col.* 2.
Altachæ Inferioris. *pag.* 557. *col.* 2.
Altachæ Superioris. 556. *col.* 2.
Amorbacenſis in Franconia. 499. *col.* 2.
Andaginenſis S. Hoberti in Ardenna. 482.
Andecenſis in Bavaria. 550. *col.* 1. 448.
Aquicinctina Veter. Codd. inſignis. 482. *c.* 1.
Attilenſis S. Michaëlis ad Oenum. 548.
Augiæ divitis. *pag.* 569. *ſeqq.*
Augiæ Majoris Brigantinæ. 567. *ſeqq.*
Auſtriæ. *pag.* 514. & 527. *col.* 2.
Bavariæ. *pag.* 528. & 558.
Belgii. *pag.* 479. *ſeqq.*
Benedicto-Borana. *pag.* 542. *c.* 1. 447. *c.* 2.
S. Benigni Divionenſis. 471. *col.* 1. & 437.
Bergenſis prope Magdeburg. 513.
S. Bertini in Artheſia. *pag.* 481. *col.* 1.
Blandinienſis. *pag.* 481. *col.* 1.
S. Blaſii in Hercinia ſylva. 589. *col.* 2.
S. Blaſii in Northeim. *pag.* 489. *col.* 1.
Bobienſis in Italia. *pag.* 465. *col.* 2.
Campidonenſis. *pag.* 558. *col.* 2.
Caſinenſis. *pag.* 462. *col.* 1.
Cluniacenſis. 474. *col.* 2.
Corbeiæ novæ Saxonicæ. 487.
Corbeiæ Veteris. *pag.* 471. *col.* 1.
Cremifanenſis in Auſtria. 519.
Cryptæ ferratæ. *pag.* 466. *col.* 1.
Donawerthenſis. *pag.* 538. *col.* 2.
Egmondana in Batavia. 482.
Einſidienſis. 584. & *ſeqq.*
S. Emmerami Ratisbonæ. 528. 449.
Ensdorfenſis apud Nariſcos. 539.
Ettalenſis exuſta. *pag.* 548.
Fabarienſis in Rhucantia. 587.
Faucenſis *ſeu* Fieſſenſis. 565.
Fiſchingenſis. *pag.* 587. *col.* 2.
Floriacenſis in Gallia. 468. *col.* 2.
Formbacenſis ad Oenum. 557. 449.
Fuldenſis. *pag.* 484. *col.* 2.
Galliæ Bibliothecæ. *pag.* 468. *ſeqq.* Earum catalogi MS. Codd. 393.
S. Galli in Helvetia. 579. *ſeqq.*
Garſtenſis in Auſtria. 520.
Gemblacenſis in Brabantia. 479.
Germaniæ Bibliothecæ. 483. *ſeqq.*
S. Germani Antiſſiodorenſis. 472.
S. Germani à Pratis. *pag.* 473. *ſeqq.*
Gladbacenſis, MS. locuples. 511.
S. Gothardi Hildeſii. *pag.* 489.
Gottwicenſis in Auſtria. 520. *col.* 1.
Gregoriana Tornamiræ. 616.
Haſungenſis in Haſſia. 499.
Helvetiæ Bibliothecæ. *pag.* 579.
Herbipolenſes S. Stephani, & Jacobi. 499.
Hiſpaniæ. *pag.* 468.
Hirſfeldenſis. *pag.* 499. *col.* 1.
S. Jacobi Moguntiæ. *pag.* 490. *col.* 1.
S. Jacobi Scotorum Ratisbonæ. 536.
S. Joannis in Rhingavia. 490. *col.* 2.
Italiæ Bibliothecæ à *pag.* 462.
S. Juliæ Brixiæ. *pag.* 465.
Lacenſis in agro Treverico. 502. *ſeqq.*
Lætienſis in Hannonià. 482. *col.* 2.
Lambacenſis in Auſtria. 527.
Laurishamenſis in Strata Montana. 498.
Leodienſes S. Jacobi & Laurentii. 483.
Lotharingiæ. 476.
Lunælacenſis in Auſtria. 514. *col.* 1.
Mallerſtorfenſis ad Laberam 555. *col.* 1.
S. Mariæ Florentiæ. 463. *col.* 2.
S. Mariæ ad Scotos Viennæ. 527.
Marſilienſis, *Vid.* S. Victoris.
S. Martini Coloniæ. *pag.* 506. *ſeqq.*
Mediani in Voſago monaſterii. 477.
Mellicenſis in Auſtria. 523. *col.* 1.
Mettenſis in Bavariâ. *pag.* 557.
S. Michaëlis Bambergæ. 500. *ſeqq.*
S. Michaëlis ad Moſam. 477. *col.* 1.
Monacho-Münſterienſis in Bavaria. 538.
Monſerratenſis propè Viennam. 527. *col.* 2.
Murbacenſis in Alſatia. *pag.* 588.
Murenſis in Helvetis. *pag.* 585. *col.* 1.
Ochſenhuſana Sueviæ. *pag.* 566.
Ottoburana *ibidem pag.* 560. *col.* 1.
Oxonienſis publica. 370.
Padolyronenſis in Italia. 464. *col.* 1.
S. Panthaleonis Coloniæ. *pag.* 560.
S. Petri Arelatenſis. *pag.* 471. *col.* 1.
S. Petri Cabilonenſis. 470. *col.* 2.
S. Petri Saliſburgi. *pag.* 555. *ſeqq.* 447. *c.* 1.
Pompoſiana. *pag.* 467. *col.* 1.
Priflingenſis prope Ratisbon. 537.
Prulenſis prope Ratisbonam. 538.
Quirinianæ *ſeu* Brixianæ facies & diſpoſitio. 404. 637. *ſeqq.*
Rayrhadenſis in Moravia. *pag.* 527.
Remenſis MS. locuples. *pag.* 473.
Remerici-Montis. *pag.* 478. *col.* 2.
Rotenſis ad Oenum. *pag.* 548. *col.* 2.
Schwartzacenſis ad Mœnum. 499.
Schyrenſis in Bavaria. *pag.* 550. 448.
Seligenſtadienſis. *pag.* 499. *col.* 2.
Senonienſis in Lotharingia. 476.
Seonenſis in Bavaria. *pag.* 555.
S. Severini Neapoli. *pag.* 464.
Sigebergenſis in diœc. Colon. 511.
Spanheimenſis apud Cynonotos. 490.
Sueviæ Monaſteria & Bibliot. 558.
Tegernſeenſis in Bavaria. 539. 447.
Thierhauptans ad Lycum. 555.
Trevirenſes neglectæ. *pag.* 40. & 505.
S. Trutperti in Briſgoia. 589. *col.* 1.
Tuitienſis propè Coloniam. 510.
Varnbacenſis *Vide.* Formbacenſis. 557.
SS. Udalrici & Afræ Aug. Vindel. *p.* 563.
S. Vedaſti in urbe Atrebatenſi. 481. *col.* 2.
S. Victoris Marſiliæ. *pag.* 472. *col.* 1.
S. Vincentii Lauduni. 470. *col.* 1.
S. Vincentii Veſontionenſis. 470. *col.* 1. 438.
S. Vitoni Veroduni. *pag.* 477.
Vrſinenſis in Suevia vulgo *Irſee.* 562.
Vttemburana *Vide.* Ottenburana.
Weichenſtephenenſis Friſingæ. 541. *col.* 1.
Weingartenſis ad Vineas Sueviæ. 566.
Weltenburgenſis ad Danubium. 538.
Werdeæ S. Crucis, *Vide.* Donawerthenſis.
Werthinenſis S. Ludgeri. 512. *col.* 1.
Weſſofontans Bavariæ. 549. 448.
Wiblingenſis propè Vlmam. 565.
BIBLIOTHECARIUS olim *Armarius* dictus *p.* 610. Ejus officium 589. 616. & 641. Enumerantur plures Bibliothecarii Benedictini. 610. *ſeqq.* Caſinenſes à facilitate & humanitate laudantur. 463. *col.* 2. Series Bibliothecariorum Vatican. 624.

Bi-

Bildius (*Vitus*) S. Udalrici Auguſtæ Monachus. A. 1510. clarus. *pag.* 565. n. 13.
Billouet (*Philippus*) è Congr. S. Mauri Hebraicè doctus, de re Bibliothecaria benè meritus. 616. *col.* 2.
Birchington (*Stephanus*) Cantuarienſis Eccleſiæ Monachus Seculo XIV. *Oudin.* Tom. III. *col.* 1153.
Birckmannus (*Wilhelmus*) S. Martini Coloniæ. 510. *col.* 2.
Blampin (*Thomas*) Operum S. Auguſtini Conlector & Editor. 392.
Blosius (*Ludovicus*) Lærienſis Abbas Sec. XVI. Virtute & Doctrina celebris. 100. Ejus ſtatuta de ſpiritu inter literarias exercitationes conſervando. *ibid. col.* 2. Elogium. 482.
Boherius (*Petrus*) Juris utriusque ac Theologiæ Myſta Inſignis. 77. *col.* 2. *Oudin.* Tom. III. *col.* 1123.
Bohemiæ & Moraviæ monaſteria literarum cultu inclyta. 134. Docent Cœnobitæ in Aula Regia. *ibid.* Collegium Illuſtrium ſuſciplunt Pragæ erigendum. 135. *ſeqq.* Acciti Profeſſores, & quæ diſciplinæ tradendæ. *ibid. col.* 2. Collegii fata. 136. *c.* 2.
Boldewinus ex Abbate S. Michaëlis Lunæburgenſis Archiep. Bremenſis Sec. XV. doctrinâ illuſtris. 79. *col.* 1.
Boltonus. *Vid.* Utredus.
S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus. Ei laus doctrinæ & eruditionis immeritò adimitur. *pag.* 19. Sagittarii in eum blaſphemia. *ibid.* E ſuo in aliud migrat monaſterium. 20. Conringii de eo cenſura revincitur à Gœbelio. 21. *Vid.* Oudin. Tom. I. & vita ipſius Part. III. *pag.* 54.
Bonifacius IX. In Abbates S. Martini Coloniæ beneficus eos Judices & Conſervatores Univerſitatis Colon. conſtituit. 347.
Borinius (*Leander*) Tabularium S. Juſtinæ illuſtrat. 646. *col.* 2.
Boso B. Anſelmi diſcipulus doctrinarum ſtudiis apprimè inſtructus. 376. *col.* 2. *ſeq.*
Bostonus Burienſis Angliæ Bibliothecas perluſtrat. 82. *col.* 2. 408. *col.* 1. & 611. *col.* 2. ubi *Arnoldus*, alibi *Joannes*. Vid. *Oudin.* Tom. III. *col.* 2235.
Brackelonde (*Joſſelinus*) Burienſis Monachus. A. 1210.
Brandtner (*Ildephonſus*) Lambacenſis in Auſtria Bibliothecarius perdiligens. 614.
Bravonius (*Florentius*) Vigornienſis Monachus Sec. XII. *Oudin.* Tom. II. *c.* 1011.
Brevnovienses in Bohemia Benedictini literarum ſtudiis addicti. *pag.* 76.
Bruckeri (*Jacobi*) Topinomata de ſtudiis in Ordine S. Benedicti. *pag.* 6. revelluntur parerga. *pag.* 7. Ejus de Societate Lit. Germ. Bened. judicium. 172. *ſeq.*
S. Bruno Colonienſis Archiepiſcopus, Ottonis M. frater à Benedictinis inſtitutus. 311. & 224. *col.* 2. In itinere Bibliothecam ſecum velut *arcam benedictam* circumducebat. 312. Opera ei adſcripta. *ibid.*
Bruno Germanus Monachus O. S. B. ſcripſit Sec. XI. *Oudin.* Tom. II. c. 731.
Bruno Signienſis ex Caſinenſi Monacho Epiſcopus Berengarium profligat. 60. *col.* 1. Ejus vita Part. III. *pag.* 129.
Brynton (*Thomas de*) Decretorum Doctor Gregorio XI. in paucis charus. 346.
Buchaver (*Placidus*) Cremifanenſis Abbas ſcholas inſtaurat. 124. *col.* 2.
Buecheri (*Benedicti*) Placitum de Societate Lit. Germ. Bened. 161.
Bulæus (*Cæſar Egaſſius*) quid de ſcholia Benedictinis ſentiat. *pag* 8. & 189. *col.* 1.
Burchardus Wormatienſis Epiſcopus *Olberti* Gemblac. Monachi diſcipulus. 312. Ejus gratitudo erga Magiſtrum. 313. *col.* 1. Fit Henrici Salici Imperatoris Præceptor. 331. *col.* 1. Vid. *Oudin.* Tom. III. *col.* 525.
Burckard (*Stephanus*) Mellicenſis Bibliothecarius Sec. XVI. 617.
Burgo (*Joannes de*) Cantabrigienſis Academiæ Cancellarius Sec. XIV.
Burgundiæ & *Lotharingiæ* Viri Illuſtres Seculo XVIII. 132. Bibliothecæ. 437. 470. & 476.
Buriensis (*Joannes*) vid. *Taxſton.*
Bursfeldensis Congregationis initia & ſtudiorum inſtauratio Sec. XVI. *pag.* 78. 85. & 91. Sacrarum præprimis Literarum ſtudia commendant Burſfeldenſes. 91. Seminarium Coloniæ excitant. 124. Codex privilegiorum. 504. n. 33.
Buthilier (*Armandus*) Abbas Trappenſis Mabillonii Tractatum de Studiis monaſticis impugnat. *pag.* 110. Reſpondet Mabillonius. 111. cui adſtipulantur plures ſummi Viri. 112. Academiam Monaſterii S. Michaëlis ad Moſam immeritò conviciis impetit. *pag.* 120.
Butzbachii (*Joannis Piemontani*) Prioris Lacenſis Hodæpericon. 504. Ejusd. Macroſtroma. 505. Auctarium ad Trithemii Librum de Scriptoribus Eccleſiaſt. *ibid.* Alia Part. III. *pag.* 335.

C.

Cabilonensis S. Petri monaſterii Bibliotheca. *pag.* 471. *ſeq.*
Cajetanus, *vid.* Conſtantinus.
Calame (*Romanus*) è Congr. S. Vitoni Polihyſtor græcè & hebraicè doctus. 640. Ejus ingenii partus. *pag.* 641.
Calmet (*Auguſtinus*) Abbas Senonienſis laudatur. 132. Rei Bibliothecariæ perquàm ſtudioſus. 476. Ejus iter Helveticum. 450. *col.* 2. Ziegelbaueri ad eum epiſtola. 135. Ejus encomium. 136. *col.* 2.
Campanari (*Bernardus*) Caſinenſe tabularium elucidat. *pag.* 643.
Campidonensis Bibliotheca. *pag.* 558. Archivum. *pag.* 603.
Candidus Fuldenſ. Monachus Sec. IX. *Oudin.*
Cantabrigiæ Studium generale Benedictinorum Sec. XIII. 67.
Canter (*Jacobi*) Oratoris Friſingenſis Dialogorum Libri duo. 565. n. 12.
Cantus *figuralis* in cœnobia Sec. XVI. Illatus magno ſtudiorum malo. 94. *col.* 1.
Cardinales docti Seculo XV. ex Ordine S. Benedicti. 82. *col.* 1.
Carolus M. per Benedictinos ſtudia inſtaurat. 24. *ſeqq.* Fuit diſcipulus Ambroſii Aucperti & Alcuini. 320. *col.* 2. Ejus Epiſtola circularis ad *Baugulfum* Abb. Fuldenſem. 200. Ipſo auſpice inſtaurantur literarum ſtudia. 351. 352. In honore habet Viros doctos *Alcuinum*, *Angilbertum* &c. 352.

Paulum Diaconum, ad quem carmina ſcribit. 353. *ſeq.*

CAROLUS *Calvus* Imperator apud Benedictinos educatus, filios iisdem inſtituendos committit. 321. 354. Eorum operâ in literis reſtituendis utitur. 36. *col.* 1.

CAROLUS IV. Imp. *Petri Rogerii* Abbatis Diſcipulus, à quo præcipuè in Divinis Literis inſtitutus fuit. 332. Scribit Ipſe Geſta ſua. *ibid.* *col.* 2. Ejus ſublimis Philoſophia. *ibid.* Magiſtro ſuo Pontificatum vaticinatur. 333. Literatorum Mæcenas. 358. *col.* 2. *Lambertum* Abb. Gengenbacenſem in ſuum Cancellarium eligit. *Ibid.* ad Epiſcopatus varios illum promovet. 359. Ejus Bulla Latinè & Germanicè in membr. 535. n. 181.

CAROLI *Franciſci de Montmorancio* Ducis Luxemburgici In Quirinum comitas. 430.

CARTIER (*Gallus*) De Societate Literaria. 187. Ejus Encyclopædia ſcientiarum. 304.

CASINENSIS Schola antiquiſſima. *pag.* 193. In ea inſtituitur Romana juventus. 194. Educantur *Gregorius II. Leo Marſicanus, Gelaſius II. Petrus Diaconus, Thomas Aquinas*, & alii. *pag.* 194. *ſeqq.* Ejus Profeſſores, *Paulus Diaconus &c. ibid.* Eam illuſtrant Viri doctiſſimi. 195. Artes liberales io ea docentur. *ibid.* Præter Philoſophiam & Theologiam Jus Canonicum. 196. & 198. Laudatur ab Henrico Meibomio. 194. Mabillonii egregium de ea teſtimonium. 198. *col.* 2. Eam *Benedictus XIII.* commendat. *ibid.* Joan. Bapt. Marus vindicat. 199. Bibliotheca. 462.

CASINENSES Abbates rei literariæ promovendæ ſtudioſi. *pag.* 197. Monachi omni eruditionis genere illuſtres. 195. Juris Canonici peritiâ celebres. 196. *col.* 2. Viri docti, qui ſub *S. Benedicto* lo monte Caſino floruerunt. 9. *col.* 2.

CASSIODORUS modum diſcendi Monachis præſcribit. *pag.* 9. Pueros Grammatices præceptis imbuit. 10. Ejus cura de adornanda Bibliotheca. 454. *Oudin.* Tom. I.

CASTELL (*Perardus*) Archivarius S. Benigni Divionenſis ingentem inſtrumentorum copiam colligit. 646.

CASTELLO (*Amandus de*) Marchianenſis Abbas claruit A. 1120. *Oudin.* T. III. *col.* 1014.

CASTRAIUS, vide FIBER. *pag.* 68.

CATHELINOT (*Ildefonſus*) è Congr. Lotharingica ſcribit *Methodum ordinandæ Bibliothecæ.* 639. Hiſtoriam item Literariam O. S. B. 640. Novam Operum Alcuini editionem parat. 529. *col.* 2. n. 5.

CAUDRELIER (*Nicolaus*) S. Vedaſti Abbas Collegium Pariſiis Sec. XV. excitat. *pag.* 77. *col.* 1.

CAVERELLUS (*Philippus*) Abbas Vedaſtinus Collegium Patrum S. J. & Bipartitum pro Benedictinis Anglis & Vedaſtinis Atrebati erigit, &c. *pag.* 386. *col.* 1. Ejus Epitaphium. *ibid.*

CAVEUS (*Guillelmus*) Seculi X. imaginem depingens, corrigitur. 43.

CELLIER (*Remigius*) Flaviniacenſis Prior de Hiſtoria generali Scriptorum Eccleſiaſticorum optimè meretur. *pag.* 132. & 640.

CEOLFRIDUS Literarum ſtudia provehit In Anglia Sec. VII. *pag.* 14. Ejus cura de augenda Bibliotheca. 454. Vid. *Oudin. &c.*

CHARTIER (*Joan.*) S. Dionyſii in Francia Monachus, nobili genere natus claruit. A. 1450. *Oudin.* Tom. III. *c.* 2554.

CHILIENUS *de Inis-Keltra* Monachus O. S. B. in Hibernia floruit anno 740. *Oudin.* Tom. I. *col.* 1792.

CHOLETI (*Gaufridus*) Archivi Silviniacenſis Author. 597.

CHRISTANNUS Brevnovienſis Monachus Sec. X. celebris in Bohemia Scriptor. *pag.* 44. Ejus elogium *ibid.* & *pag.* 458.

CHRISTIANI Altachæ ſuperioris Abb. Liber exhortationum MS. 556. *col.* 2. Ejuſdem Commentarius in Reg. S. B. *ibid.*

CHRISTIAVILLANUS (*Petrus*) Beccenſis Bibliothecarius. 611. *col.* 2.

CHUNIBERTUS San-Gallenſis ſcholas Salisburgenſes Sec. X. inſtaurat. 39. *col.* 1.

CLARENTIUS ſeu *de Clara*, vid. OSBERTUS.

CLARIUS Floriacenſis Monachus, dein Abbas S. Petri Vivi Senonenſis Sec. XII.

CLAUDIUS *Clemens* Seculo VIII. clarus Pariſiis nobiles adoleſcentes juſſu *Caroli M.* diſciplinis inſtituit. 22. *col.* 2.

CLAVENAU (*Ignatius*) Admontenſis in Styria Lycæi inſigne ornamentum. 125. *col.* 1.

CLEMENS VI. Pont. Rom. aliàs *Petrus Rogerius*, ante Pontificatum Proviſor Academiæ Pariſienſis, Theologiam docuit. 77. & 345. Erat literatiſſimus Pontifex & Literatorum Fautor maximus. 345. & 346. Ejus vita Part. III. *pag.* 180.

CLERICI ſeculares quô potiſſimùm ſeculo cœperint ſcholas habere. *pag.* 52. Quales in Anglia fuerint Seculo XI. 52. *col.* 2.

CLUNIACENSES ad bonarum artium ſtudia excitantur. 107. à ſcribendi ſtudio laudantur. 60. & 61. Status rei lit. apud eos Sec. XVI. *pag.* 106. & *ſeqq.* modernus. 254. Bibliotheca Cluniacenſis. 474.

CLUNIACENSIS *Collegii* fundatio Pariſiis pro Benedictinis. *pag.* 77. & 247. Statuta ejus præclara. 248. *ſeqq.* Diu floruit. 254.

COELESTINUS V. Pont. Max. antea *Petrus Moronus* cl. A. 1280.

COLBERTUS (*Antonius*) S. Michaëlis ad Moſam Bibliothecarius. 614. *col.* 2.

COLBERTUS (*Joan. Bapt.*) Regis Galliæ Cancellarius Viros literatos e Congr. S. Mauri beneficiis ornat, præſertim Mabilloniū. 368.

COLLEGIA quædam Benedictina: Anſelmianum Romæ. 129. 262. Atrebatenſe Pariſiis. 77. Auſtriæ. 124. Cantabrigienſe. 61. 67. 365. Cantuarienſe. 74. Dunelmenſe. 75. Elchinganum. 85. & 100. Gloceſtrenſe. 241. Gregorianum Romæ. 254. Hiſpaniæ. 247. Ottoburanum trilingue. 97. Oxonienſe. 67. 241. 365. Pragenſe Illuſtrium. 135. Pariſienſia. 68. Rothwilanum. 123. Sueviæ. 125. Vedaſtinum Duaci. 386. *Vide*: Academiæ.

COLONIENSE Studium generale anno 1388. erectum opem ferente *Theodorico* Abbate S. Martini. *pag.* 76. Colonienſium Archiep. Catalogus. 512.

S. COLUMBANI Geſta Sec. VII. *pag.* 17. & 18. Ejus quædam Opuſcula MS. 567.

CONCILIORUM *Decreta* circa Monachorum ſtudia: Viennenſis in Gallia. 71. Conſtantienſis. 78. Baſileenſis. *ibid.* *col.* 2. Colonienſis. 103. *col.* 1. Tridentini. 285. 301. & 302.

CONCIO

Concio ad populum poſt ſcholas Cantabrigiæ magno animarum fructu haberi ſolita. 61. *col.* 2. Concionatoriæ exercitationes præſcriptæ Studioſis S. Scripturæ. 249.
Congregationes variæ Seculo XVII. erectæ, in quibus ſpecialis ſtudiorum habita ratio. 108. *col.* 2.
- - *Auſtriaca* conſtitutiones de ſtudiis. 124.
- - *Bavarica* erigit commune ſtudium. 120. Hujus ſtatuta 121. & fructus. 123. Laudatur ab Em. Card. Quirino. 137.
- - *Burſfeldenſis. p.* 78. & 85. Sacrarum literarum ſtudia commendat. 91. Seminarium Coloniæ erigit. 124.
- - *Caſinenſis*, aliàs *S. Juſtinæ*, ſtudia inſtaurat & provehit. 85. Ejus hâc de re ſtatuta. 104.
- - *Helvetica* laudatur ob ſtudia. 138.
- - *S. Mauri* in Gallia. 108. In eâ florent omnes Scientiarum diſciplinæ. *ib.* Scholæ & ſtudia ubi habeantur. 109. Monaſteria ſtudiis extraordinariis mancipata. *ib.* In hac non obſunt ſtudia diſciplinæ regulari. 109. *c.* 2. *Graveſonis* eâ de re teſtimonium. *ibid.* Inſignia hujus Congreg. merita. 109. Ratio ſtudendi poſt Profeſſionem. 112. *col.* 2. Inſtitutio illuſtrium. *ibid.* Linguarum orientalium academia. 133. Opera recens edita. *ib.*
- - *Polonica* Sec. XVII. erecta, & in eâ ſtudiorum ratio. 134.
- - *Valliſoletana* ſtatuta de ſtudiis. 127. Viri illuſtres. 128.
Conradus I. Imp. græcè doctus à *Bavone* San-Gallenſi. 322. *col.* 2.
Conradus Brunvillarenſis Monachus Sec. XI.
Conradus Einſidlenſis Abbas Sec. XVI. ſuo monaſterio exiguâ præeſt laude. 94. *c.* 2. *ſeq.*
S. Conradus Epiſcopus Conſtantienſis à B. *Notingo* inſtitutus. 310. Ejus liber de Secretis Secretorum. 584.
Conradus Hirſaugienſis B. *Wilhelmi* Abbatis diſcipulus admodùm doctus. 231. *c.* 2. Ejus opera ſub *Peregrini* nomine. *ib.*
Conradus *Maurulus* Abbas SS. Udalrici & Afræ, Conſiliarius Maximiliani I. 359.
Conradus *Philoſophus* Schyrenſis plures exaravit codices, qui recenſentur *p.* 550. *ſeqq.*
Conringius (*Herman.*) Sectarius laudem Studii & Doctrinæ S. *Benedicto*, ejúsque Ordini adimere conatur. *p.* 6. & 7. Refellitur *ib.* Malè pro ſe *Caſſiodorum* allegat. 9. Quam ignorantiæ notam Sec. VII. inurit, abſtergitur. *p.* 15. *c.* 1. *Bonifacium* Germaniæ Apoſtolum in erigendis monaſteriis nullam habuiſſe literarum curam ſcribit. *pag.* 20. revincitur à *Gœbelio.* 21. Iniqua ejus cenſura de Augienſi ſcholâ refutatur. 215. De San-Gallenſi. 212.
Consilium de excitando Studiorum Collegio in Suevia Sec. XVI. *p.* 97. De Pariſienſi Germanico. 138. De inſtituendâ Societate Literariâ Germano-Benedictinâ *p.* 140. *ſeqq.* De Seminario Benedictino ad excolenda ſolidiora ſtudia. 283. De Germaniæ Religioſis Romam ad collegiũ Anſelmianum mittendis. 270. & Pariſios. 271.
Constantinus *Afer* Caſinenſis Monachus inſignis Medicus & Philoſophus *pag.* 51.
Constantinus Luxovienſis omnium Scientiarum diſciplinis excultiſſimus. 49. *ſeqq.*
Constantinus Scholaſticus Floriacenſis, ad quem extat *Gerberti* epiſtola. 235. *c.* 2.
Constantinus *Cajetanus* Bibliothecæ Vaticanæ cuſtos. *pag.* 617. fundat Collegium Gregorianum Romæ. 254. Cauſæ erectionis, & Bulla confirmationis 255. *ſeqq.* Encyclicæ ad Abbates Germaniæ. 260. *ſeqq.* Ejus vita Part. III. *p.* 379.
Corbeiæ *Saxonicæ* Schola celeberrima. 221. Exordia ſua debet S. Anſchario. *ibid.* Ejus Profeſſores & diſcipuli *p.* 223. & 224. *c.* 2. Examen Scholarium. 226. Scholæ decrementa Sec. XII. *ib. c.* 2. Reſtituitur flori priſtino *ib.* Ejus encomium & finis. 227. Bibliotheca. 487. Archivum. 599.
Corbeiæ *Veteris* Bibliotheca 471. Alexandri Papæ conſtitutio de ea augenda. *ib. c.* 2.
Corbinianus Schyrenſis Abbas rei lit. promotor egregius. 123. *col.* 1.
Cortesius (*Gregorius*) Caſinenſium decus illuſtre Sec. XVI. *p.* 104. & 105. Creator S. R. E. Cardinalis, & ad Concilium Tridentinum mittitur. 106. Ejus vita part. III. *pag.* 339.
Cosmologia quid ſit. *pag.* 298. & 300. *col.* 2.
Cosmus III. Hetruriæ Dux Literatorum Mæcenas præſertim Benedictinorũ. 389. Ejus in Quirinum propenſio. 405.
Costa (*Guillelmus de*) è Congr. Cluniac. Theologiæ Doctor Pariſiis. 77.
Cotton (*Bartholomæus*) Norwicenſis Sec. XIII. *pag.* 68.
Coutant (*Petrus*) editionis Operum S. Auguſtini accurator. 392.
Cremifanense Studium in Auſtria inſtauratur. 124. *c.* 2. Erigitur academia illuſtrium. 102. & 277. Bibliotheca locuples. 519.
Cressy (*Joannes de*) S. R. E. Card. fundat Collegium Pariſiis Sec. XIII. *p.* 68.
Crispinus (*Gilbertus*) Weſtmonaſterienſis Abbas ſcribebat Sec. XI. Ejus Peregrinatio erudita. *pag.* 407.
Crispinus (*Milo*) Beccenſis Cantor Anno 1130. clarus. *Oudin.* Tom. II. *col.* 1112.
La Croze (Maturinus) è Congregatione S. Mauri transfuga à *Pezio* revocatur. 618.
Cuthbertus Ven. Bedæ diſcipulus & Amanuenſis. *p.* 14. *c.* 2. claruit A. 740.

D.

Dagino Archiepiſcopus Magdeburgenſis diſcipulus S. Wolfgangi Ratisbonenſis Epiſcopi. 318. Ejus mores laudatiſſimi. *ibid. col.* 2.
Danckersweil (*Bonifacii*) Campidonenſis Hiſtoria belli Suecici. 559. *c.* 1. *n.* 8.
Damiani (*Petrus*) Scholæ Caſinenſis alumnus. 196. Literatorum ſui Sec. Patronus. 369. *c.* 2. claruit anno 1060. *Vid.* Part. III. 88. *Oudin.* Tom. II. *col.* 686.
Defensor Locociagenſis apud Pictones Monachus. 462. *col.* 1.
Demmelmayr (*Conradus*) Schyrenſis *Conradi Philoſophi* opera recenſet. 550. *col.* 2. Alia. 615.
Desing (*Anſelmus*) de Societate Lit. Bened. 161. Ejus opuſcula. 539.
Desiderius Caſinenſis Abbas rei literariæ promovendæ ſtudio commendatus. 197.
Desiderius *à Curia* Congr. S. Vitoni & S. Mauri parens, cujus opuſcula. *pag.* 477.

DIALECTICA. ab ea exordienda ſtudia præſcribunt Cluniacenſes. 249. c. 1. Præcepta illius accuratè docenda p. 114. c. 1.

DIEMUDIS Weſſinſontanæ monislis Labores literarii. 549. Ejus acta part. III. pag. 494.

DIETHARDUS Hirſaugienſis Scholaſticus. pag. 229. col. 2.

DIETHELMUS San-Gallenſis Abbas Bibliothecæ inſtaurator. 582. c. 2. Religioſos ſcientiis imbui curat. 214.

DIETHELMUS S. Mathiæ Treviris Scholarcha doctiſſimus Sec. X. pag. 40.

DIETHMARUS San-Gallenſis in omni ſcripturarum ſtudio verſatiſſimus. 211. col. 2.

DIOGILO (Odo) Abbas S. Dionyſii in Franciâ claruit A. 1150. Oudin.

DIONYSIUS Exiguus Monachus & Abbas Romanus Sec. VI. A. 540.

DISCIPLINÆ monaſticæ ruina oritur ex neglectu literarum. p. 80. 84. 92. Hinc in omnibus O. S. B. reformationibus cura de inſtaurandis ſtudiis habita. 85. Præſertim in Congregatione S. Mauri. 109. Diſciplina & ſtudia ſe mutuo ſuſtentant. 129. c. 2. Rigidior pueris adhibita diſplicet. 48.

DISIBODIBERGENSIS in Comitatu Spanheimenſi monaſterii chartularium. 600. Fundatio Sec. VII. pag. 12. col. 2.

DISPUTATIONES & Conferentiæ hebdomadariæ in Collegio Cluniacenſi præſcriptæ. 249. Et in Anſelmiano Romæ. 264. c. 1.

DITHMARUS Merſeburgenſis Epiſcopus in ſcholis Benedictinis enutritus. 317.

DOSDANUS primam Bojoariæ academiam erigit in Chiemenſi O. S. B. monaſterio Sec. VIII. pag. 23. col. 2.

DOCÆUS (Joan.) ex Monacho Bened. Laudunenſis in Gallia Epiſcopus opera vulgavit Theologica Sec. XVI.

DOCTORATUS à Doctore Benedictino accipiendos præſcribitur in Gloceſtrenſi Collegio. 242.

DOCTORES Monachi præcedunt alios in Angliæ Monaſteriis. 242. c. 2. Statuta de eorum veſtitu. 243. Doctores Univerſitatis Oxonienſis implorant Abbatum O. S. B. beneficentiam. 381.

DODECHINUS cœnobii S. Diſibodi Abbas Scriptor Hiſtoricus. A. 1201.

DODEFORDUS (Robertus) Rameſienſis in Anglia Bibliothecarius hebraicè doctus. 611.

DOMINICUS Paſſioneus S. R. E. Card. Mabillonianæ diſciplinæ alumnus. 342. col. 2.

DORNBLUET (Auguſtinus) Gengenbacenſis 187. Plura de eo Part. III. pag. 656.

DOUAY (N.) S. Martini Tornacenſis Bibliothecarius. 615.

DROGO, Caroli Calvi filius, Milonis Monachi diſcipulus. 322. Ejus epitaphium. ibid. c. 2.

DROGO Oſtienſis Epiſc. & S. R. E. Cardinalis ex Ord. S. B. claruit A. 1130. part. III. pag. 140.

DRUTHMARUS (Chriſtianus) Corbejæ Veteris Monachus benè doctus, literas alibi docet. 32. col. 2. Sec. IX. Fratrum ſtudia promovet. 225. Commentarius ipſius in Matthæum MS. 530. n. 51.

DUNGALLUS Ticinenſi Gymnaſio à Lothario præficitur. p. 28. Quis fuerit. ibid. col. 2.

DUNSTABLE (Robertus) S. Albani in Anglia Monachus claruit A. 1150.

S. DUNSTANUS cum Ethelwoldo ſtudia apud Anglos Sec. X. reſuſcitat. 38. c. 2.

DURACLUSIUS de Spanheimenſis Bibliothecæ præſtantiâ. 491.

DURAND (Urſinus) in comitem ac laboris ſocium ob præclaras dotes ab Edmundo Martene eligitur. 444. Ejus cum Martenio itinera literaria. ibid.

DURANDUS Fiſcamnenſis primùm Monachus, deinde Troarnenſis Abbas floruit A. 1060. p. 364. ſcripſit contra Berengarium. &c.

E.

EADMERUS ſeu Edmerus Cantuarienſis Monachus cl. A. 1120. pag. 56. Ejus vita Part. III. pag. 140.

EBERHARDUS Foldenſis Archivi Præfectus chartarium conficit. 643. col. 1.

EBERHARDUS de Campis Abbas S. Matthiæ Treviris doctus Sec. XVI. 102. col. 1.

EBERHARDUS de Lainis Salisburgi ſtudia promovet Sec. XV. 80.

EBERHARDUS de Vennlo S. Michaëlis Bambergæ Abbas literarum ſtudia inſtaurat. 91. Quæ ſub ejus etiam ſucceſſoribus florent Sec. XVI. pag. 102.

EBERWINUS ſeu EVERWINUS Tholeienſis ſcholæ Sec. XI. Præfectus dein Abbas, varia ſcripſit. 47. & 48.

ECKARDUS ſive Ekkehardus & Eggehardus primus Abbas monaſterii S. Laurentii in Urangia diœceſis Herbipolenſis, cl. A. 1120.

ECKEHARDUS minor San-Gallenſis Ottonis junioris Præceptor. 329. Vid. Oudin. Tom. III. col. 79. ubi tres ejusdem nominis S. Galli Monachos diſtinguit, & de Minimo ad A. 1220. fuſiùs diſſerit.

EDIIS (Guillelm.) Burtonenſis in Anglia Abbas A. 1210.

EDMUNDUS Cantuarienſis Archiepiſcopus Theologiam Pariſiis cum admiratione docuit Sec. XIII. pag. 68.

EDUARDUS Angliæ Rex confirmat Inſtrumentum fundationis Collegii Oxonienſis pro Benedictinis. 366.

EDUARDUS Stafford, Dux Buckinghamiæ ædificat pro Benedictinis Collegium Cantabrigienſe. 365. col. 2.

EGBERTUS Angliæ Rex ſuos filios Benedictinis erudiendos tradit. 364. col. 2.

EGBERTUS Eboracenſis Antiſtes Alcuino ſuam commendat Bibliothecam. 610. claruit Sec. VIII. ad A. 732.

EGBERTUS Schönavienſis Abbas eruditione clarus Sec. XII. pag. 58.

EGINHARDUS Lotharii I. Moderator. 321. Muſarum Patronus eximius. 375. Filium ſuum Wicelinum Rabano Fuldenſi ſcholaſtico committit erudiendum. 201. Qua de re notabilis ejus Epiſtola. ibid.

EGONII (Joannis) Divitis Augiæ Prioris querimonia de libris malè cuſtoditis. 573.

EGWARDUS Hirſaugienſis Monachus ſanctimoniâ & eruditione conſpicuus, fit Sleſwicenſis Epiſcopus. 230.

S. EIGIL patriâ Bavarus, Fuldenſis monaſterii Abbas IV. vixit anno 820.

ELCHINGENSE in Suevia Lyceum. 85. Ejus fata. 100. Dilingam transfertur. ibid. col. 2.

ELI-

Elias *de Trickingham* Petroburgenſis in Anglia Monachus. Anno 1260.
Elisabetha Schnnavienſis Abbatiſſa clar. anno 1160. *pag.* 58.
Ellenbogen (*Nicolaus*) Ottoburanus vir græcè & hebraicè doctus, Promotor erectionis Collegii trilinguis. 98. Ejus encomium & epiſtolæ. 561. Plura de eo Part. III. *pag.* 330.
Enck (*Mauritius*) San-Gallenſis Bibliothecarius varia ſcripſit. 612.
Engelbertus Admontenſis in Styria Abbas & Scriptor Theologus, Aſceticus & Hiſtoricus Sec. xiv. 76. *Vid.* Part. III. *p.* 175.
Engelbertus Campidonenſis Princeps in Soc. Lit. Bened. Præſidem adlectus. 185. ab inſtituto reſilit, & Pieriſtas fovet. 658. *Confer pag.* 73.
Engelharous Priflingenſis de Miraculis ad Erbonem. *pag.* 538.
Engelhusii Vocabularium Latin. Græc. Hebr. Teutonicum. MS. 504.
Epistolæ diverſarum materiarum eruditiſſimæ Seculo xi. MSS. 535. Variæ Pontificum usque ad Seculum vii. *ibid.* num. 164. & *ſeq.* Aliæ *pag.* 554.
Erchempertus Scholæ Caſinenſis ornamentum. *pag.* 194. *col.* 2. Claruit anno 956.
Erharous *de Lainiz* S. Petri Salisburgi Abbas Sec. xv. Studia promovet. 80. *col.* 2.
Erhardus Corbeiæ novæ Scholarcha perdoctus. 225. *col.* 2. Scripſit commentaria in quinque librus Moyſis. 226.
Erlebaldus Stabuleti Archiota & *Conradi* Regis Cancellarius. 643.
Ermanricus Fuldenſ. Monachus clar. A. 840.
Ermenricus Augienſis ſtudet in Schola San-Gallenſi. 206. & 218. *col.* 2. *Oudin.* T. II.
Ermentarius Trenorchienſis Abbas A. 860.
Ermoldus *Niger*, ſeu *Nigellus* Abbas circa A. 830. *Oudin.* Tom. II. *col.* 78.
Ernaldus ſeu *Arnaldus* Bonævallis in Valle Carnotenſi Abbas O. S. B. anno 1440.
Ernulfus ſeu *Arnulfus* Roffenſis Epiſcopus Ord. S. B. A. 1120. *Oudin.*
Eston (*Adamus*) Anglus Monachus S. R. E. Cardinalis, Oxonienſis Academiæ Doctor trilinguis. 247. Ejus vita Part. III. *p.* 185.
Ethelwoldus Vintonienſis poſteà Epiſcopus ad A. 960. conſpicuus, ſtudia cum *Dunſtano* apud Anglos reſuſcitat. *pag.* 38. *col.* 2.
Ethicæ utilitas & neceſſitas. 114. In ea cumprimis exercenda juventus. *ibid col.* 2. Exhortatio ad Ethicæ ſtudium. 115. *col.* 1. Ei ſubjungenda Oeconomica. *ibid. col.* 2. Servit rectificandæ voluntati. 298.
Etiennot (*Claudius Stephanotius*) è Congr. S. Mauri Iter literarium A. 1673. aggreſſus totam ferè Galliam peragravit, & volumina xlv. Adverſariorũ conſcribit. 415. Fit Procurator Generalis Romæ, ubi vetera indagat monumenta. 416. Obiit. 1699. *ibid.* Plura de eo Part. III. *pag.* 424.
Ettalensis Scholæ in Bojnaria celebritas. 272. Fundator Abbas Placidus. *ibid. col.* 2. Leges pro illuſtri juventute, quæ frequens adeſt. 274. *col.* 2. Ejus fama. *ibid.* Jactatur adverſo caſu. 275. Ex ea prodeunt Viri Illuſtres. *ibid. col.* 2. *Bernardus* Abbas ſtudium fovet. *ibid.* Eam illuſtrát *Pockius.* 276. Ejus hiſtoria ex Meichelbeckio. *ibid.* Incendio perit A. 1744. *pag.* 277. Card. Quirini de ea relatio. *ibid.*
Eucharistiæ Myſterii Benedictini Sec. xii. acriter propugnant. 55.
Everaclus Leodienſis Epiſcopus, fit *Ratherii* Lobienſis diſcipulus. 312.
Everhelmus Altimontis in Hannonia Abbas clar. anno 1050. *Oudin.*
Everistinus (*Joannes*) S. Edmundi Burienſis Monachus. anno 1330.
Exemptiones *Studentium* ab exercitiis vilioribus ex Decreto Concilii Colonienſis. 103. *col.* 1. Parænesis ad Abbates pro exemptione ſtudentium. 104. *col.* 2.
Excitatorium Vitæ ſpiritualis unde exceptus Liber à *S. Ignatio de Loyola.* 474.

F.

Fabri (*Joan.*) Carnotenſis Epiſcopus ex Ord. S. Bened. A. 1380. *Oudin.*
Fange (*Auguſtinus*) Calmeti nepos & coadjutor, ſuum deſcripſit Iter Helveticum, & alia. *pag.* 450. *col.* 2.
Fasitellus (*Honoratus*) Caſinenſis, Cardinalis *Montii* Præceptor, fit Epiſcopus Inſulanus. 342.
Faucensis ſeu *Fieſſenſis* Bibliotheca. 565.
Faucherius (*Dionyſius*) Monialium ſtudia in Taraſcum provehit. 106. Ejus vita Part. III. *pag.* 351.
Faustus Ss.mi P. Benedicti Diſcipulus claruit A. 560. *pag.* 9.
Fauterius (*Henricus de*) Abbas Cluniacenſ. fundat Collegium Pariſiis pro Benedictinis. *pag.* 77. *col.* 1. Quibus leges & ſtatuta præfigit. 248. *ſeqq.*
Fehlea (*Bruno*) Schyrenſis de Genealogia Domûs Bavaræ. 554.
Felix Croylandenſ. Monachus Sec. viii. A. 710.
Felix *Roma* S. Pauli in Urbe Monaſterii alumnus Catanæ Anſelmianam docet Theologiam, & Ss. Canones. *pag.* 342. *col.* 1.
Feraetus (*Joan. Bapt.*) Muſas Lapidarias Ludovico XIV. Galliæ Regi nuncupat. 367.
Feyjoò (*Benedictus Hieronymus*) è Congr. Vallisoletana Auctor *Theatri Critici univerſalis.* 128. c. 2. Recenſentur T. XIII. *ibid.*
Fiber *ſeu* Caſtorius (*Joan.*) Weſtmonaſterienſis Monachus anno 1300. *pag.* 68.
Finardi (*Bonavent.*) eximius Ss. Canonum Profeſſor in Collegio Anſelm. 268. & 269.
Fleury ſententia de impacta Seculo X. ignorantiæ notâ. 43.
Flodoardus & *Flavaldus* vide: Frodoardus.
Florbertus S. Matthiæ Treviris Scholaſticus anno 885. *pag.* 29.
Flörchen (*Angelus*) Hildeſii ad S. Michaëlem Monachus. *pag.* 80. & 187.
Florentina S. Mariæ Bibliotheca Græcis Codicibus referta. 463.
Florentius *Bravonius* Wigornienſis Monachus Hiſtoriographus A. 1118.
Floriacensis *Schola* inſtituitur à S. *Mommolo* Abbate. *pag.* 233. Eam frequentandi Clericis licentiam indulget *Theodulphus* Epiſcopus. *ibid.* Alia fuit interior, alia exterior. *col.* 2. Ingens Studioſorum numerus *ibid.* Magiſtri & diſcipuli illuſtres. 234. *ſeqq.* Celebritas illius. 235. *col.* 1.
Folcardus *Dorobernenſis* Monachus S. Salvato-

vatoris Cantuariæ, ſcribebat Sec. xi. ad annum 1060.

Folcardus Bertinienſis Cœnobita Sec. xi. ad anoum 1050.

Folengius (*Joan. Bapt.*) Abbas S. Mariæ de Pyro ſcribit de Studiis monaſticis Epiſtolam. *pag.* 87. *ſeqq.*

Forster (*Frobenius*) Sant-Emmeramenſis Prior, Societ. Lit. Germ. Bened. provehit. 163. Manuſcriptos Codices Bibl. S. Emmerami accuratiùs recenſet. 536.

Fractura (*Nicolaus*) Abbas S. Vincentii ad Vulturnum Decretorum Doctor inſignis anno 1290.

Francisci I. Galliæ Regis Præceptor *Philippus de Salianis* Benedictinus. *p.* 325. *c.*2.

Franciscus *Thomas* S. Dionyſii Pariſiis chartophylax optimè meritus. 645. *col.* 2.

Franca (*Bernardus*) Diſertinenſis Abbas erudiriſſimus Collegiũ Sondrii erigit. 137. Bibliothecæ Sangallenſis curam gerit. 612.

Franco Affligemienſis Abbas Sec. xii.

Frasius (*Caſpar*) Weichenſtephenenſis Abbas Chroniſta. 542.

Freculphus ex Fuldenſi Monacho Epiſcopus Lexovienſis Sec. ix. ad annum 821.

Fridagodus Anglus Ord. S. Bened. Monachus Sec. x. *pag.* 42.

Fridericus I. Imp. Henrici Abbatis S. Ægidii Brunswicenſis Mœcenas. 357. *ſeq.*

Fridericus *Carolus de Schönborn* Bambergenſis & Herbipoli Epiſcopus Mœcenas *Godefridi* Abbatis Gottwicenſ. 391. *col.* 1.

Fridericus *Comes de Wartenberg* poſtulatus è S. Blaſio Abbas Augiæ Divitis Conventum ex Nobilibus conflat, & literas provehit. 220. Bibliothecam auget. 572. Aſt homines iſti omnia brevi decoxerunt. 220.

Fridericus Gengenbacenſis Abbas miro Virtutum & Literarum amore flagrat. *p.* 101.

Friepeis Andecenſis Bibliothecarius ſcripſit Hiſtoriam Comitum Andecenſium. 550.

Frisingensis Lycæi erectio *pag.* 123. Ejus Fundator primarius *Joan. Franciſcus* ex Baronibus Eckerianis loci Epiſc. 373. *ſeqq.*

Frodoardus Abbas Rhemenſis, quo nullus Sec. X. Poëta & Hiſtor. doctior. 37. *col.* 2.

Frowinus Engelbergenſis. 58. Ejus liber de libero arbitrio MS. 585. Commentarius in Orationem Dominicam. *ibid.*

Frumentarius (*Joan.*) vide: *Whetamſtedus.*

Fulbertus Carnotenſis, *Gerberti* diſcipulus, celebres poſtea ſcholas aperuit. 319. *col.* 2. Claruit anno 1007.

Fulbertus S. Audoëni Rothomagenſis Monachus anno 1080.

Fulco Rhemenſis Archiepiſcopus in Sithienſi Lycæo educatus collapſas Rhemis ſcholas reſtituit. 319. *col.* 1. Benedictinorum operâ in literis inſtaurandis utitur. *ibid.* & *p.* 36.

Fulcuinus ſeu *Fulquinus* ex Sithienſi Monacho Laubienſ. Abbas ſcripſit Sec. X. A. 970.

Fulda Virtutum olim ac Literarum officina. 199. In ea ſcholæ duplices In- & Exteriores. 200. *col.* 2. In exterioribus omne literarum genus tradi conſueverat. *ibid.* & *pag.* 189. Scholarum moderatores dicti *Scholaſtici. pag.* 200. An eo nomine etiam diſcipuli veniant. *ibid. col.* 2. Inter Magiſtros eminet *Rabanus.* 201. Cujus diſcipuli & multi & illuſtres. *ibid. col.* 2. Ingens ad ejus ſcholam accurſus. 202. *col.* 2. Lectorum quorumdam nomina, quos inter præ cæteris laudatur *Rudolphus.* 203. Ex centum quinquaginta Monachis duodecim dicti *Seniores* docebant ex præſcripto Magiſtri Generalis. 202. *c.* 1. Muſæ Fuldâ exulant Sec. xii. 203. Revocantur Sec. xvi. *ibid.*

Fuldense Archivum. 608. Bibliotheca 483. Hujus deſcriptio 484. *col.* 2. Fragmentum veteris Codicum Catalogi. 485. Libri dono oblati, & Bibliothecæ augmenta. 486. *col.* 2. Gymnaſium in Academiam commutatur. 204.

Funda (*Antonius*) Benedictoburanus Chronicon ſui Monaſterii ad A. 1504. conſcripſit. 546.

Furtenbachius (*Benedictus*) Faucenſis Abbas Maximiliano I. ob eruditionem charus. 91. *col.* 1. & 359.

G.

Gabets (*Robertus*) Inſignis è Congr. Lotharingica Philoſophus, cujus ſcripta adſervantur apud Senonienſes. *pag.* 476.

Galletus (*Petrus Aloyſius*) Florentiæ in Abbatia B. M. V. Archiota. 647. *col.* 1. Pignatellum inſtruit. 131.

Galliæ Bibliothecæ. *pag.* 468. Status rei literariæ Seculo vii. *pag.* 17.

S. Galli in Helvetia Schola. 204. Bibliotheca. 579. Archivum. 591. & 607.

Gamuainus (*Eugenius*) beneficiis à Ludovico XIV. ornatur. 367.

Garinus S. Albani Cantuariæ Decretorũ Doctor, & deinde Abbas Sec. xiii. *p.* 66. & 67.

Gaspar Ottoburanus Abbas Seculo xvi. labentem rei literariæ ſtatum erigit. 99. *c.* 1.

Gaspar San-Gallenſis Abbas literis addictus, eo nomine exauctoratur. 213. *col.* 2.

Gattola (*Eraſmus*) Bibliothecarius Caſinenſis, cujus eruditio, facilitas & humanitas deprædicatur. 428. 463. *col.* 1. & 613. Archivi cuſtos. 645. *col.* 1. Mabillonii in eum gratitudo. 388.

Gattus (*Antonius*) de inſtitutione juventutis à S. P. *Benedicto* ſuſceptâ. *p.* 9. *col.* 1.

Gaufredus *Groſſus* O. S. B. in Tironienſi Abbatia Diœceſis Carnotenſis Monachus claruit A. 1130.

Gaufridus Beccenſis Abbas Sec. xv. ſuos literis inſtrui curat. 81. *col.* 2.

Gaufridus Voſienſis in Lemovicis Ord. S. Bened. Monachus A. 1180.

Gaufridus *à Malaterra* O. S. B. in Nortmannia Monachus, claruit A. 1090. *Oudin.*

Gauslinus Archiep. Bituricenſis, Abbonis in Schola Floriacenſi diſcipulus. *pag.* 234. interrogatus, quid pluvia ſanguinea portendat, ſcitè reſpondet. 235.

Gebeno Prior in Eberbach in Rhingavia ciſt. obſerv. ſcripſit circa A. 1220. pentachronon S. Virginis Hildegardis. *pag.* 547.

Geisser (*Georgius*) Villinganus Abbas ſtudiorum Mabillonii fautor ſingularis. 388. Ejus vita Part. III. *pag.* 403.

Gelasius II. P. M. à puero educatus in Schola Caſinenſi, præ aliis in literis excellit. 195. fit Cancellarius Urbani II. *ib.* & 308. S. R. E. Cardinalis Bibliothecarius. 611. Aulæ Romanæ negotia pluribus annis inſigni prudentiâ adminiſtrat. 308. *c.* 2. Eligitur in pontificem. *ibid.*

S. Ge-

S. Geminiano (*Chriſoſtomus à*) Caſinenſis Sec. XVI. Græci ac Hebraici ſermonis peritiâ clarus. 320.

Genebardus (*Gilbertus*) Aquenſis Archiep. Vaticanæ Bibliot. 613. Ejus vita Part. III. *pag.* 361.

Gengenbacenses Abbates literarum cultu Jlluſtres Sec. XVI. *pag.* 101. *col.* 1.

Geofridus (*Joan.*) Cluniacenſis Monachus, S. R. E. Card. Seculo XV. Literatorum decus. 82.

S. Georgii Majoris Venetiis Biblia coptica MS. Tomis V. *pag.* 427.

S. Geraldus Toloſani B. Mariæ monaſterii Armatius. 611.

Gerardus Richenbergenſis Monachus, & Stedarburgenſis Præpoſitus A. 1163. ſcripſit Hiſtoriam ſui Monaſterii. 59.

Gerardus S. Bertini Abbas, & S. Audomari Epiſcopus, fundat Collegium S. J. *pag.* 371. Ejus epitaphium. *ibid.*

Gerardus Sylvæ Majoris Abbas ſcribebat anno 1070. *Oudin.*

Gerbertus *Abbas Scholaris* dictus poſteà Sylvester II. *pag.* 37. & 455. Scholæ Floriacenſi præfectus. *ib.* & 235. plures numerat illuſtres diſcipulos. 236. Præceptor *Roberti* Galliarum Regis, & *Ottonis* poſtea Imperatoris. 329. Hujus ad eum epiſtola. *ib.* cui reſpondet Gerbertus. 330.

Gerhohus Fuldenſis Bibliothecarius. *pag.* 485. & 610.

Germaniæ monaſteria Literarum cultu celebria Seculo IX. *pag.* 29. 32. Seculo X. 39. Rei literariæ facies Seculo XII. 56. decrementa Sec. XIII. 68. Afflictus ſtatus Sec. XV. 80. Refloreſcunt ſtudia 82. difficilia Sec. XVI. 99. Notantur Germaniæ Abbates ſtudiorum neglectores. 127. & 137. Sententia cujusdam Abbatis de ratione ſtudiorum noſtrâ ætate. 138. *c.* 2. Mæcenatum paucitas. 405. Benedictinorum in rem literariâ apud Germanos merita. 484.

Germonius (*Bartholom.*) Jeſuita tabulario San-Dionyſiano infeſtus, refellitur. 598.

Gersen (*Joan.*) Abbatis Vercellenſis libri de Imitatione Chriſti. 421. 466. 525. Sermones de tempore. 553. ubi dicitur *Decretorum Doctor.* Liber de imitatione A. 1428. exaratus. 579. Alii codices. *p.* 509. 510. 515. 516. 525. 531. 583. 585.

Gertrudis & *Mechtildis* Abbatiſſæ Sec. XIII. Sanctitate & doctrinâ illuſtres. 69. *col.* 2. *Vid.* Part. III. *pag.* 510.

Gervasius *Mikelaia* Dorobernenſis ſeu Cantuarienſis Monachus ſcribebat A. 1192.

Gifford (*Joan.*) Baro de *Brimfeld* fundat collegium Oxonienſe pro Benedictinis. 365. Tabulæ fundationis 366. & confirmatio Edwardi Regis. *col.* 2.

Gilbertus Weſtmonaſterienſ. *V.* Grispinus

Gillinghamus (*Guillelm.*) Cantuarienſis ad fanum Servatoris chartophylax. 611.

Gisbertus Gengenbacenſis Abbas literarum cultu inclytus publicam aperit Scholam Sec. XVI. *pag.* 101.

Gisbertus ſeu *Gilbertus* S. Amandi in Pabula cl. Sec. XI. circa A. 1080.

Gisla Caroli M. filia, Alcuini diſcipula. 321.

Gislebertus Beccenſis Monachus in Academia Cantabrig. primus Theologiæ Profeſſor. 61.

Giungi (*Hierony.*) Sant-Emmeramenſis, Congr. Bavaricæ in Urbe procurator poſſeſſionem Collegii Gregoriani revindicat. 261. Media ſuggerit, quibus poſſit retineri &c. *ib.* *c.* 2. Conf. Part. II. *p.* 148.

Godefridus Abbas Gottwic. *Vide.* Beſſelius.

Godefridus S. Pantaleonis Coloniæ Monachus claruit A. 1230. *p.* 506.

Godefridus S. Swithini Wintonienſis O. S. B. Prior ſcribebat Sec. XII.

Goderannus Hildeſienſis S. Michaëlis Abbas primus literarum cultu Sec. XI. cl. 45.

Goebelii animadverſio de cura inſtaurationis literarum habita in omnibus O. S. B. reformationibus. 85. *col.* 1.

Goetgebuer (*Ildephonſus*) Elnonenſis Bibliothecarius *Jonæ* Aureliaoenſis Opus evulgat. 617.

Goldastus de Walafrido Strabone falſè prædicat. 218.

Golscheaus S. Matthiæ Treviris Scholaſticus Sec. XI. celebris biographus. 47.

Gordianus Caſinenſis Monachus SSmi P. Benedicti diſcipulus, claruit A. 540. *pag.* 9. De eo plura *Oudin.*

Gotfridi *de Marſilia* codex fundationis campidonenſis monaſterii. 519. & 559.

Gothelmus Benedicto-Buranus Abbas Sec. XI. ſcholas inſtituit, & Bibliothecam auget. 47. *col* 1.

Goiselinus ſeu *Goſcelinus* S. Berthini in Arteſia Monachus clar. A. 1110. Ejus iter literarium in Angliam. *pag.* 407.

Gotteschalcus Orbacenſis Monachus floruit A. 850. *Vid.* Part. III. *pag.* 104. *ſeqq.*

Göttinganæ Academiæ in Em. Card. Quirinum gratitudo. *pag.* 398.

Gottscheddii (*Joan. Chriſtoph.*) de Societate lit. Germ. Bened. reſcriptum. 171. *col.* 2. Ejus grammatica. 296.

Gradi (*Baſilius*) è Congr. Caſinenſi Stagnenſis Epiſcopus *Folengii* Opus in Pſalmos emendat. 320. *col.* 1.

Græcarum *Literarum* ſtudia apud caſinenſes. 410. & San-Gallenſes. 210. In Corbeienſi Lyceo. 224. In collegio Anſelmiano. 267. in Monaſterio S. Mariæ Florentiæ. 463. Græcâ linguâ imbuendi juvenes 297. Decreta pontificum de eâ in Monaſteriis docendâ. 302.

Grand (*Paulus*) Gemblacenſis Bibliothecarius. 614. *col.* 2.

Gratianus Juris Canonici collector. 62. *c.* 2. cl. A. 1140. *Vid. Oudin.* Tom. II. *c.* 1202. Ubi integra de eo diſſertatio.

Gravesonis teſtimonium de doctis Monachis & Abbatibus Sec. X. *pag.* 44.

Gregorianum Collegium Romæ pro Benedictinis erectum A. 1621. *pag.* 254.

Gregorius M. Rei lit. curam geſſit ſuo in Monaſterio. *p.* 11. Vindicatur ab *Heumanni* conviciis. *ib.* Literas diſcentium patronus. 343. Suos in ſtudiis ſecundaneos promovet. 344. *Vid.* Part. III. *pag.* 34.

Gregorius II. à Benedictinis educatus & eruditus. 194.

Gregorius VII. an Henrici IV. Imp. Præceptor fuerit ? 331. Eſt literatorum maximè Benedictinorum patronus. 344. *c.* 2. & SS. Canonum aſſertor ſtrenuus. *p.* 45.

Gregorius XI. antea *Petrus Rogeri*, fundas

dat collegium pro ſtudioſis Benedictinis in monaſterio Caſæ Dei. 346.

Gregorius XV. collegium Romæ pro Benedictinis anno 1621. erectum confirmat, & prærogativis exornat. 255. ſeqq.

B. Gregorius Cardinalis Epiſcop. Oſtienſis Bibliothecarius. 610.

Gregorius Farfenſis chartophilax Sec. XI. à quo extat hiſtoria ejus monaſterii 643.

Gregorius Mellicenſis Abbas rei literariæ promotor eximius Sec. XVII. 124. c. 2.

Gregorius Ottoburanus Abbas, Salisburgenſis Univerſitatis Mæcenas. 373.

Gregorius Sinueſſanus Epiſcopus ex Monacho Caſinenſi, vir in SS. literis doctus. 60.

Gregorius Terracinenſis Epiſcopus ex Caſſinate Monacho, *columna Eccleſiæ* dictus. 60. & 195. *col.* 2.

Gregorius Sant-Udalricanus Abbas, Ægidii Ranbek Mœcenas. 389. *ſeqq.*

Griesherrn (*Joannes*) S. Udalrici Aug. Vind. cœnobita. Sec. XVI. ſeribit de Viris illuſtribus O. S. B. 564. & 565. n. XI.

Grimaldus Magiſter Scholæ S. Galli Sec. IX. A. 840. *Oudin.*

Grimaldus ſeu *Grimoldus* Abbas S. Galli, ac Ludovici Imp. Archi-Cancellarius Sec. IX. *Oudin.* Tom. II. *pag.* 154.

Grimaldis (*Auguſtinus de*) Graſſenſis Epiſcopus in Lerinenſes Beneficus. 371.

Grimbaldus Sithienſis Monachus in Oxonienſi Academia Sacras docet Literas. 34.

Grimbertus (*Anton.*) Elnonenſis Bibliothecarius. 613.

Grimoardi (*Guillelmus*) Vide: Urbanus V.

Groppius (*Ignatius*) Herbipoli ad S. Stephanum profeſſus, varia ſcripſit. *p.* 187. & 615. *col.* 1.

Grossenprot (*Sigiſmundus*) quem Oudinus Monachum facit SS. Udalrici & Afræ Auguſtæ Vindelicor. civis fuit Auguſtanus *Vid.* Maisterlein. *pag.* 564.

Grundmannus (*Joan.*) Monaſterii S. Thomæ Lipſienſis Monachus & SS. Theol. Licentiatus Sec. XV.

Gualbertus Marchian. Monachus Sec. XII.

Gualdo Corbejæ Franciæ cœnobita. S. XI.

Gualterus S. Albani in Anglia Bibliothecarius. *pag.* 611.

Guesnerius (*Claudius*) Bibliothecæ San-Germanenſis præfectus *Cangii* Gloſſarium illuſtrat. 617.

Gufelius (*Veremundus*) priflingenſis, quid de Societate lit. Bened. ſentiat. 162. Ejus Elogium. 538.

Guibertus S. Mariæ de Novigento Abbas Sec. XII. *Oudin.*

Guibertus (*Martinus*) Gemblacenſis Monachus Anno. 1180.

Guido *Aretinus* Muſices peritiâ inſignis Sec. XI. 54. *col.* 2.

Guido *de Mimo* S. Germani Antiſiodorenſis Abbas Sec. XIII. *Oudin.*

Guidobaldus *comes de Thun* Archiep. & S. R. E. Cardinalis Muſis Salisburg. fovet. 372. *col.* 2.

Guilielmus *Malmesburienſis* præcentor & Bibliothecarius circa A. 1120.

Guilielmus Angliæ Rex Literarum & Literatorum Mœcenas, *Lanfrancum* & alios ad dignitates evehit. 364.

Guilielmus cognomento *Calculus* Gemmeticenſis in Normannia A. 1130.

Guilielmus Croylandenſis Abbas Rameſienſis ad A. 1180.

Guillelmus *Epiſcopi* Abbas S. Germani de pratis jus canonicum publicè prælegit. 82.

Guillelmus (*Petrus*) S. Ægidii in Septimania Bibliothecarius. 612.

Guillelmus Egmondæ procurator ſcribebat Anno. 1330. *Oudin.*

Guillelmus S. Theodorici Rhemenſis Abbas Anno. 1150.

Guillelmus *de Monte Lauduno* Juris Canonici Profeſſor in Univerſitate Toloſana. 77. claruit A. 1340. *Oudin.*

Guillielmus Affligemienſis Prior ad A. 1260.

Guillielmus *Stephanides* S. Salvatoris Cantuariæ Monachus A. 1170.

Guillielmus Andrenſis cœnobii in diœceſi Tharvanenſi O. S. B. Abbas, Scripſit Sec. xiii. A. 1230. *Oudin.*

Guillelmus S. Martini Tornacenſis Monachus A. 1240. *ibid.*

Guitmundus ex monaſterio illiterati Abbatis diſcedit, & fit S. R. E. Cardinalis. *p.* 55.

Gulpen (*Henricus*) Abbas S. Ægidii Norimbergæ vir doctus. 79. *col.* 1.

S. Gunthari ſeu *Guntheri* Eremitæ ex Monacho Altachenſi vita MS. 557. n. 6.

H.

Hadericus S. Gregorii M. Capellanus decorat libros ejus Moralium in Job. 503.

Hadrianus Angliæ Magiſter, *Vid.* Adrianus.

Hadumodæ Gandersheimenſis Abbatiſſæ acta ab Andrea Bambergenſi. 502.

Hadwida Burckardi Sueviæ Ducis Vidua literis latinis ab Eckardo Sangallenſi inſtruitur. 328.

Hauteville (*Joannes de Altavilla*) dictus *Architrenius* ab Opere conſcripto claruit Anno. 1180. *Oudin.*

Hæreses à Benedictinis profligatæ. *pag.* 12.

Hagemannus (*Gerardus*) Werthinenſis Theologus & Juriſta inſignis cauſas reddit, cur nobiles adoleſcentes Ordinem S. Bened. rariùs amplectantur. 64. Methodum in tradendis diſciplinis exponit. 113. *ſeqq.*

Haimblinger (*Romualdus*) Ettalenſis Friſingenſis Lycæi promotor. 374.

Haimo Fuldenſis in Corbejenſi Lycæo inſtructus fit Halberſtadienſis Epiſcopus. 223.

Harigerus, Vide: *Herigerus.*

Harulphus Aldemburgenſis in Flandria Abbas Seculo XI.

Harrach (*Comes ab*) Nitrienſis Epiſcopus de ſtudioſa juventute per Germaniam benè mereri cogitat. 270. *col.* 2. *ſeqq.*

Hartmannus ſeu *Hartmundus* San-Gallen. Monachus Notkeri Balbuli diſcip. A. 980.

Hartmannus (*Chriſtophus*) Einſidlenſis Chronographus. 617.

Hartmotus Sangall. Abbas rei libr. ſtudioſus. 580.

Hatto Augienſis Abbas & Epiſcopus Baſileenſis, cujus opuſcula. *pag.* 576.

Hatto Fuldenſis Abbas rei lit. cultor. 355.

Hayminus S. Vedaſti Atrebatenſis coenobita Anno. 840.

Hed-

Heddius (*Stephan.*) in Anglia Monachus A. 720. ſcriptis clarus. *pag.* 369.
Helgandus Floriacenſis A. 1050. *Oudin.*
Helperi cus Sangallenſ. Decanus. A. 980. cujus Liber *de Arte calculatoria.* 530. & 545.
Helveticæ Congregationis Studia. *pag.* 138. Bibliothecæ. 579.
Henricus II. Imp. à Benedictinis inſtitutus. 330. S. Wolfgangum Præceptorem à morte conſpicuum habet. 331.
Henricus S. Ægidii Brunswic. Abbas cum *Henrico Leone* in Terram Sanctam peregrinatur. 56. Fit Lubecenſis Epiſcopus. 57.
Henricus *de Harcuria* Abbas S. Laurentii Leodii Doctor Pariſienſis. 63.
Henricus *Lur* Plebanus Dillingenſis miſerum rei lit. ſtatum in Suevia deplorat. 84. Abbatum avaritiam perſtringit, eóſque hortatur ad ſtudia inſtauranda. 85. Ejus Tractatus de Gymnaſio generali in Germania pro Benedictinis erigendo. 525.
Henricus S. Udalrici Aug. Abbas doctrina excellens Sec. xii. 59.
Hepidanus Sangallenſis Sec. xi. 205.
Herbordus Hirſaugienſis Scholaſticus virtute & doctrinâ ornatus Sec. xii. 229.
Herembertus Caſinenſis *vid.* Erchempertus. *Oudin.* Tom. II. *col.* 341. & 451.
Hergotti (*Marquardi*) De Societate Lit. Bened. ſuffragium. 162. Ejus encomium. 186. *col.* 2. Opus Genealogicum, & Caroli VI. in eum favor. 362.
S. Heribertus Colonienſis Archiep. in Scholis Benedictinis Inſtitutus. 317. *Albuini* ad eum Liber de Virtutibus. 503.
Heribertus Epternacenſ. Scholaſticus Sec. x. ſcribit Commentarios in S. Scripturá. 40. *c.* 2.
Hericus Antiſſiodorenſis Filiorum Caroli Calvi Præceptor. 321. Ejus Homiliæ de Tempore & Sanctis MS. 556. *col.* 2.
Herigerus ſeu *Harigerus*, Laubienſis in Epiſcopatu Leodienſi Abbas. A. 980. *Oud.*
B. Herluinus Fundator & Abbas Becci in Neuſtria. 236. Quadragenarius literas ſacras diſcit. *ibid. col.* 2. Sub eo receptus *Lanfrancus* Scholam aperit. *ibid.* quæ omnium celeberrima evadit. 237. Ejus in Literatos propenſio. 376.
Heramnnus Altahæ inferioris Abbas claruit A. 1270. Ejus compilatio de inſtitutione Monaſterii Altahenſis. 517.
Hermannus Bergenſis Abbas A. 1450. electus Bibliothecam inſtaurat. *pag.* 513.
Hermannus *Contractus* Scholæ Augienſis decus. 213. & 219. Ejus Chronica MS. 578.
Hermannus Corbeienſis Abbas Sec. xiii. græcè doctus, ſcholas provehit, & Minoritas Huxarium inducit. 227.
Hermannus S. Martini Tornacenſis Abbas anno 1120.
Herveus Burgidolenſis Monachus A. 1130. *pag.* 56. Vid. Part. III. *pag.* 130.
Heumannus (*Chriſtoph.*) Sectarius S. Gregorium velut ignorantiæ monachalis Patronum perperam incuſat. *pag.* 11. Ejus de rei literariæ ſtatu ſub *Ludovico Pio* ſententia rejicitur. 27. Cenſura in Sec. x. & xi. perſtringitur. 53. Pronuntiatum de Benedictinis & Jeſuitis diſcutitur. 133. *ſeq.*
Hermo Hirſaugienſis Prior, vir oppidò doctus, varia ſcripſit opuſcula. 232. *col.* 2.
Hidulfus primus Scholæ Hirſaugienſis Magiſter. *pag.* 228.
Hieronymus Pompoſiani Monaſterii Abbas inſignem condit Bibliothecam. 467. Immeritò eapropter reprehenditur. 468.
Higdenus ſeu Hikeden (*Ranulphus*) Ciceſtrenſis Monachus A. 1350. *pag.* 70. *Oudin.*
Hilarion Ss. Nazarii & Celſi Veronæ in Italia Monachus ſcribebat A. 1460. *Oudin.*
Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus Sec. xii. Theologorum Anteſignanus. 63. *col.* 1. Plura de eo Part. III. 134.
B. Hildegardæ Caroli M. Uxoris geſta & miracula. 559. & 605.
S. Hildegardis Bingenſis in monte S. Ruperti Abbatiſſa oraculis & ſcriptis Sec. xii. conſpicua. 56. & 58. *c* 2. *Vid.* Part. III. 503.
Hildemarus Monachus Gallus, ſcripſit circa A. 830. in Reg. S. B. 574. *Oudin.* T. II. *c.* 46.
Hildesiense S. Michaëlis cœnobium Sec. xi. à literarum & diſciplinæ cultu commendatum. 45. *col.* 2.
Hilduinus Abbas & Bibliothec. Sec ix. 610.
Hilduinus alter S. Dionyſii Abbas in omni ſcientia dives Sec. ix. *pag.* 32.
Hincmarus Rhemenſis Archiep. Sec. ix. cujus epiſtola ad Carolum Calvū Ms. 531. n. 59.
Hirsaugiensis Scholæ initia. 228. *Lutbertus* Abbas I. eam aperit. *ibid.* Ejus primus Præfectus Hidulfus. *ibid.* Alii plures doctiſſimi Viri. 229. E quibus aliò acciti Profeſſores. *ibid.* Monachis in exilium actis, cum ea etiam actum fuit. 230. *col.* 2. Inſtauratur à B. *Wilhelmo* Abbate. 231. De ejus flore *Meibomii* teſtimonium. *ibid. col.* 2. Item Trithemii. 232. Launoius de ipſius extinctione corrigitur. *ibid. col.* 2. Ejus decrementa. 233.
Hispaniæ monaſteria à Saracenis Sec. viii. miſerè attrita. 21. Afflictus in iis literarum ſtatus. *ibid.* Pereſii ea de re teſtimonium. *col.* 2. Præſens earum facies. 127. Collegia. 247. Bibliothecæ. 468. *col.* 2.
Historiarum quanta ſit Utilitas. 113. Studii Hiſtorici methodus. 297. Eccleſiaſtica in uſum juniorum. 304.
Hoffman (*Chriſtoph.*) Sant-Emmeramenſis Hiſtoria de Epiſcopis Ratisbon. &c. 532. n. 93. & *ſeq.* Ejusd. Chronica Bohemiæ n. 143. De Ducibus Bavariæ. n. 147.
Holserus Corbeiæ Saxonicæ Abbas monumentum erigit Witikindo nobili Hiſtorico. 376.
Honestis (*Petrus de*) S. Mariæ de Portu prope Ravennam Abbas A. 1110.
Hontheimii monitum ad Trevirenſes Benedictinos. 40. *ſeq.* & 505. *col* 2.
Hörman (*Joan.*) Luniælacenſis Bibliothecarius. 518. 617.
Hucbaldus S. Amandi Monachus Sec. ix. docet in Eccleſia Rhemenſi. 29. *col.* 2. *Oudin.*
Huctbertus Wiremuthenſis Abbas Sec. vii. doctarum artium Cultor. 14. *col.* 1.
Hueber (*Apronianus*) Augiæ Brigantinæ Prior commendatur. 567.
Hugo Cluniacenſis Abbas floruit ad A. 1048.
Hugo III. Cluniacenſis Abbas A. 1160. De quo *Oudinus* Tom. II. c. 1484.
Hugo Elienſis Epiſcopus, *Flos nigrorum Monachorum & Abbas Abbatum in Anglia* dictus. † 1254.

Hugo Flaviniacenſis in Burgundia Abbas Seculo XII. *pag.* 59. *Oudin.*
Hugo Herbipolenſis Epiſcopus Rei Lit. Beoed. Mæcenas. *pag.* 369. *col.* 2.
Hugo à S. Maria Floriacenſis claruit. A. 1150.
Hugo *Pictavinus* Vezeliacenſis Monachus anno 1425.
Hugo *Menardus* Profeſſor Rhetorices in Collegio Cluniacenſi. 254. *col.* 1.
Hugo Rothomagenſis Archiepiſcopus anno 1160. *pag.* 56. *col.* 1.
Hugo *Witbe* ſeu *Candidus* Petroburgenſis in Anglia anno 1210.
Humbertus Cardinalis doctrinâ Sec. XII. excellit. 54. *col.* 2. Baronii de eo teſtimonii. *ibid.* Fit S.R.E. Bibliothecarius. 611.
Humbertus *Belbowme* Mediani in Voſago Monaſterii Abbas de Hiſtoria & re libraria ſui Monaſterii benè meritus obiit anno 1727. *pag.* 478.
Humelius (*Maurus*) Augiæ Divitis Prior, auctor novæ Bibliothecæ. 573. *col.* 2.
Humilitas Monachis literarum ſtudioſis colenda præcipuè comendatur. 250. *col.* 1.
Hunfridi Gloceſtriæ Ducis cura de ſtudiis Bened. 365. *col.* 1. S. Albani Cœnobitas ad ea ſtimulat. *col.* 2. *Jo mnem Frumentarium* in deliciis habet. *ibid.*
Hungaria. Literarum ſtatus Sec. VIII. 136. *ſeq.*
Hyswardus vid. *Uſuardus.*

I.

Ichamus (*Petrus*) Cantuarienſis in Anglia Monachus, Hiſtoriographus A. 1290.
Idiotæ magno malo in Monaſteria recipiuntur. *pag.* 64. & 94. *col.* 1.
Jesuitæ cum Benedictinis ratione ſtudiorum comparantur. 133. An manuſcriptos Codices cum Monaſteriis ſibi vindicârint. 558. Quàm turpe facinus admittant anferendo aliis Ordinibus Monaſteria. 294. Gymnaſiis & Academiis adeo ſunt obruti, ut vix omnibus ſufficiant. 119. Jeſuitis favent Fuldenſes 385.
Iglacus Lindiſfarnenſis Prælector famâ doctrinæ Sec. VIII. celebris. 25.
Ignorantiæ oota Sec. VII. malè inuritor. *pag.* 15. cum Barbaris è Hiſpania in Gallias ſe effundit Sec. VIII. 21. Removetur à Seculo X. & XI. 37. 43. 53. Ejus Patroni quidam fuerunt Abbates Sec. XV. 92. Quos *Tritbemius* vellicat, & oſtendit eam Monachos peramplius reddere ſuperbos. *ibid. col.* 2.
S. Ildephonsus Agalienſis Monachus Sec. VII. clarus, ex Monaſterio ſtudiorum causâ ad S. Iſidorum ablegatur. 18. *col.* 2. Plura de eo Part. III. *pag.* 39.
Immo Abbas A. 1006. intruſus Bibliothecæ Divitis Augiæ Diſſipator. *pag.* 572.
Inoimberto (*Malachias de*) Ciſterc. Abbas Italus patrocinatur ignorantiæ & ruſticitati. 130. Lipſienſes eruditi & Italiæ Abbates ejus rationes parvipenduot. *ibid. c.* 2.
Inoulfus Croylandenſis Abbas anno 1090.
De Inis-Keltra, vide: *Chilienus.*
Innocentii XI. Breve pro Collegio Anſelmiano Romæ. 262. Ejus obſervantia urgetur. 265.
Innocentius XII. benè de Re Lit. Benedictioa meretur. *pag.* 129.
Joachimus Marchio Brandeburgicus *Trithemii* diſcipulus. 333. Magna ejus cum Magiſtro familiaritas. *ibid.* & 361. Literarum commercium. 333. *col.* 2. Libanium laudat. 334. *col.* 2. Gratulatur Trithemio de oova Abbatia adepta. 336. *Libanii* ſupellectilem literariam eidem commendat, & ejus ad ſe reditum urget. *ibid.* Principi grates refert Trithemius 335. *ſeq.* Alia ipſius in Trithemium beneficia. *pag.* 360. *ſeq.*
Joachimus Sangallenſ. Abbas, *vide* Opseaus.
Joachimus San-Petrenſis Abbas Salisburgenſis Univerſitatis Mæcenas. 373.
Joannes *Abbavillaus*, vid. *Algrinus.*
Joannes *de Altavilla*, vid. *Hauteville.*
Joannes *Altſaxo* docet Philoſoph. & Mathematicam in Academia Oxonienſi. 33. c.1.
Joannes *de Campidona* Mariæcellenſis *de Confeſſione generali.* 548.
Joannes S. Arnulphi Metenſis Abbas, anteà Monachus Gorzienſis A. 980. clarus. *p.* 32.
Joannes Caſtellenſis Abbas, cujus Expoſitio io Regulam S. Bened. *pag.* 556. 515.
Joannes *Erneſtus* Salisburg. Archiep. ſumptuoſum templum Academicum erigit. 373.
Joannes *Erigena* Sec. IX. *pag.* 34. Confer *Oudin*, Tom. II. *col.* 234. ubi integra de eo Diſſertatio.
Joannes *Franciſcus* Friſingenſis Epiſcopus Scholas à ſe erectas Benedictinis committit. 373. & *ſeq.*
Joannes *Geofridus* ex Cluniacenſi Cœnobita S. R. E. Cardinalis Sec. XV. 82.
Joannes *Italus* Cluoiacenſis Monachus floruit Sec. X. A. 930. *pag.* 462. *col.* 2. Vid. *Oudin.* Tom. II. *col.* 434.
Joannes Londinenſis, Monachus Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis ad A. 1360. *Oudin.*
Joannes Majoris Monaſterii Turonenſis Monachus claruit A. 1150.
Joannes Meoevenſis Eccleſiæ Monachus Seculo IX. *pag.* 34. *col.* 2.
Joannes Petriburgenſis Abbas vixit A. 1360.
Joannes *Scotus* Academiam Ticinenſem inſtituit. *p.* 22. Ao idem, qui Erigena? *p.* 34.
Joannes Tinecenſis Abbas Beneficus erga Academiam Cracovienſem. *p.* 379.
Joannes Vercellenſis Abbas Decretorum Doctor, cujus Sermones de Tempore & Sanctis. *pag.* 552.
Joannis Sarisberienſis epiſtola ad Petrum Celleoſem ſuum Mæcenatem. 377.
Joffridus Abbas in Cantabrigienſi Academia ſermooem ad populum habere ſolebat. 61.
Jonas Fontanellæ Monach. floruit. 720. *p.* 13.
Jonas Aurelianenſis Epiſcopus clar. circa A. 821. *Graveſon.*
Jordanus (*Æmilianus*) B. Mariæ - Monaſterienſis in Weſtphalia profeſſus, Göttingæ Miſſionarius. *pag.* 399. Cardinalis *Quirini* in eum Beneficentia. 400. Falſus rumor de ejus ad Proteſtantes tranſitu *pag.* 402. Corrigendus ex certioribus nunciis.
Josephus Prior & Prælatus Gemnicenſ. Carthuſiæ *Bernardi Pezii* ſtudia provehit. 390.
Josselinus, vide: *Brackelonde.*
Irneritus Juris civilis ſtudio exordia dedit anno 1128. *pag.* 51.
Isidorus *Clarus* eruditione clariſſimos Sec. XVI. 106. Plura de eo Part. III. *p.* 344.

Itinera

Digitized by Google

ITINERA *Literaria* Benedictinorum cùm veteris, tum præſertim recentioris ævi. *pag.* 406. *ſeqq.* Eorum utilitas. *p.* 414. & 451.

Ivo Carnotenſis *vid.* Yvo.

JUS *Canonicum* docetur in Monte Caſino. *pag.* 198. *col.* 2. Ubi plures ejus periti. 196. *col.* 2. *Civile* ob confuſionem difficile. 116. Quâ methodo tradi debeat. *ibid. col.* 2. Jurium peritia maximè decet Nobiles. 117. Quinam Canonum ſcientiâ imbuendi. *ibid.* Juris *Feudalis* notitia valde utilis. *col.* 2. Juri *Publico* quando danda ſit opera. 118.

JUSTI *Fontanini* Vindiciæ pro Archivo San-Dionyſiano. *pag.* 598. *col.* 2.

JUVENCI Hiſtoria Soc. Jeſu ſuppreſſa aſſervatur in Bibliotheca S. Germani Pariſiis. 474. *col.* 1.

JUVENCI Presbyteri Hiſtoria Evangelica metricè MS. 574. *col.* 2.

JUVENTUTIS inſtitutio cœpit cum Ordine Benedictino. *pag.* 4. & 5. Ejus utilitas. 65. Viget in Congr. S. Mauri. 112. *col.* 2. Juvenes ineptè inſtruit, qui tricis acuere ſatagit. 114. *col.* 2. Utiliùs in Ethica exerceantur ingenia. *ibid.* In juventutis cultura ſelectus eſt habendus. 125. Quis finis hac in re Benedictinis propoſitus. 192. Inſtituendæ juventutis norma. 295. Illuſtrium Pædagogia. 305.

K.

KECKIUS (*Joan.*) Tegernſeenſis ſcripſit de nomine *Tetragrammaton*, & alia. 540.

KERARDUS San-Gallenſis peſſimæ frugis Abbas. 212. *ſeq.*

KESOLDUS San-Gallenſis Scholæ Magiſter Seculo X. *pag.* 39.

KEUSLIN (*Albertus*) S. Petri Saliſburg. Abbas ſtudia egregiè provehit. 120.

KOPTICK (*Oddo*) ad S. Lambertum in Styria profeſſus, Collegium Nobilium in Hungaria erigere ſtudet. 136.

KRABBEN S. Martini Coloniæ, *vid.* Birckmannus. 510. *col.* 2.

KRAUS (*Joan. Bapt.*) Abbas & Princeps S. Emmerami Ratisbonæ, Indicem edit Bibliothecæ S. Emer. 528. *ſeq.* Vetera Archivi monumenta & documenta. 646. Ejus de Societate Lit. judicium. 105.

KHRONEGG (*Epimachus de*) Campidonenſis Eccleſiæ Capitularis & Bibliothecarius inſtitutum Societ. Lit. promovet. 167. Rei Librariæ & Nummariæ deſcriptionem adornat. 559. Ab eo prelum exſpectat *Campidona Princeps Nummis & Diplomatibus illuſtrata.* . .

KISYLA Monialis regali Francorum progenie nata in Benedicto-Buranos munifica. 542.

KROPFIUS (*Martinus*) Mellicenſis Bibliothecarius de Societ. Lit. Bened. benè meretur. 162. *ſeq.* & 618.

L.

LACKEMANNI (*Nicolai*) Commentarius in I. ſententiarum. MS. 547.

S. LAMBERTI in Styria Abbates Litteras fovent Sec. XVII. 124. *ſeq.*

LAMBERTUS *de Legia* ſeu *de Petra* S. Matthiæ Treviris Scholaſticus. 47.

S. LAMBERTUS Leodienſis Epiſcopus à Benedictinis inſtitutus. 310. *col.* 1. *P. Ziegelbauer Hiſt. P. I.*

LAMBERTUS Gengenbacenſis Abbas *Caroli IV.* Imperatoris Cancellarius. *pag.* 76. Ejus vitæ ſynopſis. 358. *ſeq.*

LAMBERTUS Mediani in Voſago Monaſterii Abbas. 478.

LAMBERTUS Schaffnaburgenſis excellens Hiſtoricus. *pag.* 55. *col.* 1.

LAMFRIDUS Winton. Monachus ad A. 980.

LANCITII (*Nicolai*) Soc. J. Teſtimonium de ſtudio Literarum in Ordine S. B. ab ejus uſque primordiis exculto. *pag.* 8.

LANCRY (*Antonius*) Aquicinctinus Bibliothecarius. 617.

B. LANFRANCUS Scholas aperit in Beccenſi Neuſtriæ Monaſterio. *pag.* 236. Ejus vitæ ſynopſis. 237. Diſcipuli multi & præſtantes. *ibid. & ſeqq.* Berengarium habet æmulum. 238. *S. Anſelmum* adjutorem, & *Herfaſtum* perſecutorem. 239. Epiſcopale onus à ſe deprecatur. 240. Ejus Epitaphium. *ibid.* Plura Part. III. *pag.* 94.

LANGDONUS (*Joan.*) intereſt Concilio Baſileenſi, & de rebus Angliæ ſcribit Sec. XV. *pag.* 78. & *ſeq.*

LANGIUS (*Paulus*) Zwicavienſis Monachus Trithemii ſuaſu Iter Literarium aggreditur A. 1515. *pag.* 413. Contra oblocutores ſe defendit. 414. Ejus de primis Scholaſticis ſententia. 66. *col.* 1.

LASPO (*Benedictus*) Reinhuſanus Chronographus Sec. XIII. *pag.* 68.

LAURENTIUS Dunelmenſ. Monachus A. 1120.

LAURENTIUS S. Laurentii Leodienſis Cœnobita anno 1160.

LEANDER *de Porzia* S. R. E. Cardinalis Collegii Anſelmiani decus illuſtre. *pag.* 268. *col.* 2. In eo docuit ab anno 1708. ad 1719. *ibid.* Fit Abbas S. Pauli in Urbe. 269. Anno 1728. ornatur purpurâ. *ibid.* Ejus elogium ex Card. Quirino. *ibid.* Moritur in Conclavi anno 1740.

LECHNERUS (*Georgius*) Cremiſanii in Auſtria A. 1543. Ludum aperit Sec. XVI. *p.* 102.

LEGIPONTIUS (*Oliverius*) Syſtema inſtituendæ Societatis Lit. Germ. Benedictinæ evulgat. *pag.* 140. Suſcepti conſilii rationes, & facti ſeries. 160. *ſeqq.* Bibliothecæ Gottwicenſis & Dalbergicæ inſtruendæ curam ſuſcipit. 618. Quædã ejus opuſcula ad rem Bibliothecariam. *ibid.* Archivum Congr. Burſfeldenſis in ordinem redigit. 647. Ejus Idiobiographia. *ibid. ſeqq.* Epiſtola ad Em. Card. *Quirinum* de Hierarchia Ord. S. Bened. edita. A. 1754.

LELLIUS (*Alexander*) primus ex Italis Benedictinis Theologiam ad mentem S. Anſelmi exponit. 266. *col.* 2.

LEO *Marſicanus* à teneris in Schola Caſinenſi educatur. *pag.* 195. *col.* 1. Fit Bibliothecarius, tum Decanus, denique Epiſcopus & Cardinalis Oſtienſis. 611. Claruit Sec. XII.

LEO alter Caſinenſis & S. R. E. Cardinalis Sec. XII. Urbani II. *Regeſtum Epiſtolarum* contexuit. . . *Graveſon Tab. Chron. p.* 114.

LEO IX. Pont. Max. ex Ord. S. B. Canonum aſſertor Sec. XII. *pag.* 45.

LEODEGARIUS Abbas & Princeps S. Galli Scholam Rhoſchacenſem abrogat. 123. *c.* 2.

LEONARDUS Ottenburani in Suevia Monaſterii Abbas A. 1507. electus, Typographiam erigit. 96. *col.* 2. Alcuini opuſcu-

lum de Ss. Trinitate edit velut primigenium ſpecimen. *ibid.* & 560. *col.* 2. Conſilium de excitando trilingui collegio egregiè promovet. 97. *ſeqq.* Bibliothecam Libris Græcis & Hebraïcis ornat. 560. *ſeqq.*

Leonius Abbas Lobienſis de re literaria malè meretur. 59. & *ſeq.*

Leopolder (*Stephanus*) Weſſofontanus Bibliothecarius ad A. 1532. rem librariam optimè curat. 613.

Lerinenses Seculo xvi. ſtudia egregiè fovent & provehunt. 105.

Letaldus Miciacenſis Monachus Ord. S. Benedicti floruit anno 990.

Leuthner (*Cæleſtinus*) Weſſofontanus. 160.

Leucander (*Andreas*) Rameſienſis Cœnobii Abbas anno 1020.

Libanius Gallus Trithemii Inſtructor laudatur. *pag.* 334.

Lisatius ad S. Albanum Moguntiæ Sec. x. clarus. *pag.* 41.

Libri Monachis legendi quinam. *pag.* 90. *col.* 2. Profani à Bibliothecis monaſticis non arcendi. 498. Librorum in Monaſteriis pulchra ſemper penus. 483. De eorum cuſtodia & munditia. 641. Diſtributio & cura Librorum in Collegio Cluniacenſi præſcripta. *pag.* 251. *col.* 1. Notantur tenaciores Manuſcriptorum Poſſeſſores. 590. & ad eos evulgandos excitantur. *ibid. col.* 2. Non tribuendi commodato ſine ſyngrapha. 475. & 569. Formula mutuandi. 47. Mos & ritus veterum offerendi libros. 474. *col.* 2. Canon Concilii Pariſienſis de libris commodandis. 642. Librorum multorum oſores refelluntur. 497. Libri ex arborum corticibus. 582. Codices argentei. 458. 473. in Membranis. 489. à primis juventæ typographiæ editi. 512. 522. 561. &c.

Liesheit (*Gabriel*) Weichenſtephanenſis Prior, Soc. Lit. Bened. aſſecla. 168. Ejus ad Kieslinglum epiſtola de bonis operibus, *Friſingæ* edita A. 1754. in 4.

Linguarum Græcæ & Hebraicæ Studia. 104. 210. 224. 267. 285. 297. 302. 463. Vernaculæ cultus. 296.

Literarum *Status* in Europa Seculo V. & VI. *pag.* 3. Sec. VII. 13. VIII. 19. IX. 25. X. 36. XI. 45. XII. 55. XIII. 65. XIV. 70. XV. 77. XVI. 93. XVII. 108. XVIII. 127. *ſeqq.*

Literæ profanæ ac fabuloſæ Monachos dedecent. *pag.* 89.

Longolius (*Chriſtophorus*) ad Lerinenſes accerſitur. 105.

Longus (*Oliverius*) Prior S. Bavonis prope Gandavum ſcribebat anno 1450.

Lotharius I. Imperator apud Benedictinos literis inſtructus, 321. In Italia Rem Literariam provehit. 28.

Lotharius II. Imperator Rei Literariæ Benedictinæ fautor. 358.

Lotharius Caroli Calvi filius *Herici* Antiſſiodorenſis Monachi diſcipulus. 321. Laudatur à Magiſtro ob ingenii præſtantiam. *ibid. col.* 2. Moritur. 322.

Lowczowski (*Joan.*) Tinecenſis in Polonia Abbas in Cracovienſem Academiam beneficus. 379.

S. Ludgerus ſtudet in Monte Caſino. 194. Alcuino Eboraci operam dedit. 310.

Ludovici *Thomaſſini* teſtimonium de ſtudiis in Ordine S. Benedicti. *pag.* 9.

Ludovicus *Pius* immeritò ab Heumanno notatur. 27. *col.* 1. Clerum ac Monachos literis inſtrui curat. *ibid. col.* 2. Ejus Capitularia de ſtudiis. *ibid.*

Ludovicus Germaniæ Rex Literatos Benedictinos, præſertim *Rabanum* & *Rudolphum* Fuldenſes beneficiis ornat. *p.* 354. & *ſeq.*

Ludovicus VI. Galliæ Rex à Benedictinis inſtruitur. 324. *col.* 2. Summa ejus in S. Viaticum reverentia. 325. Profeſſio fidei Catholicæ. *ibid.* Moritur A. 1137. *col.* 2.

Ludovicus XIV. Galliarum Rex, Mæcenas Rei Lit. Benedictinæ. 167. Editionem Operum S. Auguſtini tuetur. *ibid. col.* 2. *Banduriun*, *Gamurinum*, *Syrum*, *Ferretum* &c. beneficiis ornat. *ibid.*

Ludovicus Weſſofontanus inſignis antiquarius Sec. xi. *pag.* 549. *col.* 2.

Luitprandus Cremonenſis Epiſcopus exul Bibliothecæ Fuldenſi præficitur. 487. *c.* 1.

Lupus Ferrarienſis Abbas ſub *Rabano Mauro* literis Fuldæ incumbit. 30. *col.* 1. Ejus acta Part. III. *pag.* 83.

Lur vide : *Henricus Lur*...

Lutbertus primus Hirſaugienſis Abbas ſcholam aperit. 228.

Luthelmus Hirſaugienſ. Scholaſticus. 229.

Lycæa per Germaniam noviter aperta. 137.

Lydgatus, aliàs *Joannes de Lygdato* Burienſis Monachus, celebris Poëta Anglus Seculo xv. Anglicam linguam expolit. 82. *col.* 2. Plura Part. III. *pag.* 194.

M.

Mabillonius (*Joan.*) edit Tractatum de ſtudiis monaſticis. 110. Feſtivo Doctorum applauſu exceptus, Abbati Trappenſi improbatur. 111. *col.* 1. Cui reſpondet Mabillonius. *ibid.* Magna ejus in refutando doctrina, nec minor modeſtia. 112. Quinam ab eo ſteterint. *ibid.* Mabillonii laus. 132. *col.* 2. Votum de ejus effigie in Bibliothecis collocandâ. 139. Inſignes habet diſcipulos. 342. & magnos Mæcenates. 368. Rei literariæ promovendæ ſtudet. *ibid. col.* 2. Ejus Itinera literaria. 416. *ſeqq.* ubi plura de eo. Epiſtolæ quædam Mabillonii à *Gorio* editæ. 395. Unam ad Schilterum extulit Schelhornius; aliæ penes me adſervantur. *Vid.* Part. III. 436.

Mæcenates Rei Literariæ Benedictinæ cùm exteri tum domeſtici, cap. iv. per totum. *pag.* 343. *ſeqq.* Eorum paucitas in Germania, cujus mali cauſa ſit. *pag.* 405.

Mainerii Abbatis S. Victoris Marſiliæ ſtatutum circa Monaſterii Bibliothecam. 472.

Maisterlein (*Sigismundus*) Chronographus Auguſtanus. 564.

Malaterra (*Gaufredus*) O. S. B. in Normannia Monachus claruit A. 1090. *Oudin.*

Malvernæus *ſive* Milvernæus (*Joan.*) Vigornienſis Cœnobita A. 1370. *p.* 70. *c.* 2.

Mamotrectus ſuper novum & vetus Teſtamentum. 515. 574.

Manitoun (*Walterus de*) Glaſtonienſis Archivi cuſtos. 643. *col.* 1.

Marcellus Sangall. Scholaſticus. 207. & 208.

Marcus S. P. Benedicti diſcipulus floruit ad A. 590. *pag.* 9. *Oudin.* Tom. I. *col.* 5173.

Marcus *Sitticus* Archiepiſcop. Salisburg.

Gym-

Digitized by Google

Gymnaſium à ſe erectum Benedictinis committit. 119. *col.* 1. & 371.

Marcwartus Corbeienſis Abbas doctrinæ & pietatis Promotor. 226. Legem facit, ut Novitii Libros Bibliothecæ donent. 488.

Margarinus (*Cornelius*) S. Pauli de Urbe Monachus, Congr. Caſin. Archivarius, evulgat Bullarium Caſinenſe. 643.

Marianus *Scotus* Fuldenſis ſcripſit circa A. 1060. *Oudin.*

Marianus *Scotus* Ratisbonenſis S. Jacobi Abbas literis conſignavit pias exhortationes &c. *pag.* 536. *col.* 2.

Mariconda (*Alphonſus*) ſtudet in Collegio Anſelmiano Romæ. 266. *ſeq.* Florentiæ docet, illuſtres nactus diſcipulos. 267. Creatur Epiſcopus. *ibid.*

Marinus S. Maximini Treviris Scholaſticus Seculo X. *pag.* 39.

Marquardus Epternacenſis Scholaſticus Sec. X. 40. *col.* 2.

Marrier (*Martinus*) Prior S. Martini de Campis, Cluniacenſes ad literarum ſtudia excitat. *pag.* 106. *ſeq.*

Marsollus (*Vincentius*) Præpoſitus Gener. Congr. S. Mauri rem literariam in ea promovet. 363. 397.

Martene (*Edmundi*) in re lit. Mæcenates & Cooperarii. 396. Ejus cum *Urſino Durand* Itinera. 443. *ſeqq.* ubi plura de utroque.

Martin (*Jacobus*) in Congr. S. Mauri nunc familiam ducit. 521. Notis illuſtrat S. Auguſtini Epiſtolas Gottwicenſes. *ibid.* & 523.

S. Martini Coloniæ Bibliotheca. *pag.* 506. Vetus MSS. Cod. Catalogus. *ibid.* Recentior. 509. Archivum. *pag.* 600.

S. Martini in Hungaria Archicœnobii ludus literarius Sec. xi. *pag.* 53.

S. Martini Treviris Anonymos de Corporali Sanguine Chriſti in terris. 510.

Martini V. Pont. Max. Bolla ad Trevirenſes & Colonienſes Abbates pro reformatione diſciplinæ. 78.

Martyrologium vetus de anno. 809. *pag.* 528. Aliud ampliſſimum. 539. 587. 588.

Massarus (*Camillus*) Cavenſis Monaſterii Archiota. 645.

Massuet (*Renatus*) Germaniæ Benedictinos in Franciam ad ſtudia provocat. 271.

Matthæus *Pariſius* ad fanum D. Albani, quod olim *Verolamium* dicebatur, O.S.B. Monachus & Hiſtoriographus percelebris Sec. xiii. *pag.* 66. Artes liberales accuratè calluit. 67. *col.* 2. *Vid.* Part. III. 171.

Matthæus *Vindocinenſis* Abbas S. Dionyſii in Francia A. 1263. Collegium pro Benedictinis Pariſiis excitat. 68.

Matthæus *Florilegus Weſtmonaſterienſis* Angliæ Hiſtoricus ſcripſit circa A. 1300. *p.* 70.

Matthæus *Fernardus à Bilemberg* ſcribit vitam S. Ivani, inde Leopoldi I. Imp. gratiam promeritus. 362.

S. Matthiæ Treviris Schola & Scholaſtici Sec. ix. *pag.* 19. Ejus ſtatus & Scholarchæ Sec. x. *pag.* 40. Sec. xi. *pag.* 47.

Mauritius (*Petrus*) cognomento *Venerabilis* Abbas Cluniacenſis ex nobili Dominorum *de Monte Buxerio* ſtemmate prognatus, claruit A. 1140. Viros doctos inſigni proſequebatur benevolentiâ. 378. Part. III. *pag.* 151.

Mauritius *le Tellier* Archiep. Rhemenſis, Rei Literariæ in Congregatione S. Mauri Mæcenas. 368.

Maurulus, vid. *Conradus Maurulus.* 359.

S. Maurus S. P. Benedicti diſcipulus, ejus exemplo pueros in Gallia inſtituit. *p.* 10.

Maximilianus I. Imp. doctos Abbates Benedictinos honoribus auget. 359. Præcipuè in deliciis habet Trithemium. *ib. c.* 2.

Maximilianus *Gandolphus* Salisburg. Archiep. Rei Lit. Bened. Mæcenas. 372. *c.* 2.

Mayer (*Adamus*) vid. Villicus Abbas S. Martini Coloniæ.

Maynardus è Caſinenſi Monacho Cardinalis Bibliothecarius. 611.

Mayr (*Cæleſtinus*) Wiblingenſis Bibliothecarius. 614. *col.* 2.

Mazen (*Nicolaus de*) Mellicenſis Abbas Sec. xv. Doctrinâ & Virtute inſignis. 80. Plura de eo Part. III. *pag.* 192.

S. Mechtildis Dieſſenſis Abbatiſſa S.tæ Gertrudis ſoror, claruit Sec. xiii. circa A. 1250. *pag.* 69. *col* 1. *Vid.* Part. III. 510.

Mediceæ *Gentis* in Literas & Literatos beneficentia. 367.

Medicinæ ſtudium operâ Benedictinorum in Schola Salernitana refloreſcit. Sec. xi. *p.* 51.

Mediolacensis in agro Treverico Monaſterii Schola Sec. x. celebris. *pag.* 42. Ejus loci Archivum. 608.

Megenfridus ſeu *Meginfridus* Fuldenſis Scholarcha Sec. x. *pag* 203. *col.* 1.

Megenhardus ſeu *Meginhartus* Fuldenſis Sec. ix. clarus.

Meginradus Hirſaugienſis Scholaſticus Sec. ix. celebris. 229.

Megnholdus Corbeienſis in varia literatura A. 998. clarus. 224. & 225. *col.* 2.

Meibomius (*Henricus*) Junior A. C. aſſecla de literarum ſtudiis in Ord. S. Benedicti Sec. ix. *pag.* 192. *ſeq.*

Meichelbeck (*Carolus*) Benedictoburani in Bavaria Archivi cuſtos & illuſtrator. 646. Ejus vita Part. III. *pag.* 458.

Meinwardus S. Michaëlis Hildeſii Sec. xi. Abbas ſcientificus. 46.

Melchior *de Stambeim*, aliis *Stainheim* Monachus primùm Mellicenſis, deinde Wiblingenſis, legum Doctor cùm eſſet, Abbas fit S. Udalrici Auguſtæ. A. 1459. *pag.* 84. Bibliothecam & Typographiam erigit. *ib.* Ad eum literæ *Henrici Lur* de afflicto in Suevia rei literariæ ſtatu. *ibid. col.* 2.

Mellicensis in Auſtria monaſterii elogium. 74. Bibliotheca. 557. Archivum. 602. Schola. 124. *col.* 2.

Menardus vid. *Hugo Menardus.* 254.

Merula (*Georgius*) Polit. lit. Venetiis Profeſſor. 465. *col.* 2.

Metellus Tegernſeenſis in Bavaria Monachus Sec. xii. *Oudin.* Tom. II. *col.* 1446.

Methodus in tradendis diſciplinis. 113. *c.* 1. Studiorum tum humaniorum, cùm ſeveriorum. 294. *ſeqq.*

Meyding (*Bened.*) Schyrenſis Abbas benè doctus varia ſcripſit. 550. & 554.

Mezlerus (*Jodocus*) San-Gallenſis ſcribit de Viris Illuſtribus ſui monaſterii. 612.

Mezlerus (*Thomas*) Zwifalrenſis libros de Imitatione Chriſti Gerſenio vindicat, & elegiacè reddit A. 1645. Libros xii. Carolidos combuſſit &c. *Vid.* Schelhorn. Amœnit. T. VII. 154. & T. XIII. 267.

S. MICHAELIS Cœnobium in Hildesheim à literarum & diſciplinæ cultu commendatur Sec. XI. *pag.* 45. *ſeq.* Ejus loci Abbas analphabetus Sec. XV. *pag.* 79. Viri illuſtres hâc ætate. 80.

MILO S. Amandi Elnonenſis Monachus, Pippini & Drogonis Caroli Calvi filiorum Màgiſter, Seculo IX. *pag.* 322. *Oudin.*

MIMO (*Guido de*) S. Germani Antiſſiodorenſis Abbas, ſcribebat Sec. XIII. A. 1280.

MIRÆI (*Auberti*) honorificum de Scholis Benedictinis teſtimonium. 307.

MIRO (*Joan. Bapt. de*) è Congr. Caſinenſi in Collegio Anſelmiano docet Canones & linguas orientales 267. Multorum inſignium diſcipulorum Magiſter. 342. *col.* 2. Fit S. Indicis Congr. Conſultor & Vaticanæ Subcuſtos. 614.

MODESTUS Abbas Wiblingenſis, à quo *Templum Honoris.* . 566.

MÖHNER (*Reginbaldus*) Cœnobita S. Udalrici Auguſtæ Polygraphus. 563. *ſeq.*

MOLITOR (*Daniel*) Rotenſis ad Oenum Aſceta & Chronographus. 549.

MOLITOR (*Mauritius*) San-Gallenſis Bibliothecarius. 612. *col.* 2.

MOMALIUS, vide *Waſelinus.*

S. MOMMOLUS Abbas Floriacenſis ſcholam in ſuo Monaſterio aperit. 233. *col.* 1.

MONACHI rudes & ignari perampliùs ſuperbiunt 92. Literis debent inſtrui. 72. & 107. Benè meriti honoribus affici. *ibid. col.* 2. Juniores Romam & Pariſios ad ſtudia mittendi. 138. 270. & 271. Eis interdicitur, ne inter ſeculares ſtudeant. 243. *col.* 2. Decreta Conciliorum & Pontificum de Monachorum ſtudiis. 71. *col.* 1. 72. 78. 285. 301. *& ſeqq.* Eorum obligatio gravis. 72. & 302. *col.* 2. Scribendi ſtudium utile Monachis 88. & 108. Reddit in cellis quietos &c. 92. Literæ profanæ Monachos dedecent. 89. Typographiam exercent. 83. 508. 560.

MONASTERIA æruginoſis temporibus Muſarum aſyla. *pag.* 6. Num miſera & imbecillia? *p.* 7. Card. *Quirini* eâ de re ſententia. *ibid. col.* 2. Studiis extraordinariis in Congr. S. Mauri mancipata. 109. Celebriora per Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, Angliam &c. ſtudiorum gloriâ ſuperiori ævo vel noſtrâ ætate inclyta Cap. II. per totum *pag.* 188. Eorum nobilitas non à divitiis, nec ab ædificiis, ſed à Virtutum & Scientiarum ſtudio petenda. *ibid. col.* 1. Non erant meræ ſcholæ, ut volunt Acatholici. 193.

De MONTE ACUTO (*Petrus*) vid. *Aiſcelini.* 71.

De MONTE LAUDUNO (*Guillelmus*) Profeſſor Juris Canonici in Academia Toloſana Sec. XIV. *pag.* 77. Vid. *Oudin.*

MONTFAUCON (*Bernardus de*) Congr. S. Mauri Scriptor celebris, de Literis benè merendi ſtudioſiſſimus. 393. Mœridis Atticiſtæ manuſcriptum *Schägero* non tantum communicat, ſed ſuâ etiam manu deſcribit. 394. Gratus ejuſdem animus in eos, à quibus in re lit. adjutus fuit. *ibid. col.* 2. Nomina eorum, qui ei adjumento fuerunt in nova Chryſoſtomi editione. 394. *ſeq.* Ejus iter literarium in Italiam, ubi de eo plura. 425. Vita Part. III. *pag.* 479.

MOULART (*Matthæus*) Abbas S. Gisleni & Epiſcopus Atrebatenſis. Seminarium in Academia Duacenſi fundat. 386.

MOUISIUS (*Ægidius*) S. Mariæ Tornacenſis Abbas anno 1340.

MUNICHIUS (*Sigismundus*) Admontenſis in Styria Bibliothecarius. 615.

MORBACENSIS Bibliotheca. 588. Miræ in ea elegantiæ MS. 589. Florent ibidem ſtudia.

MURENSIS Bibliotheca. 585. Acta Murenſia. *ibid.* n. 7. & 586. n. 5. Archivum. 607.

MUSARDUS quis & unde dictus. 324. *col.* 2.

N.

NACHTIGALLUS vid. *Othmarus Luſcinius.*

NAISEL (*Æmilianus*) Weichenſtephanenſis, *doctæ non ultima gloria turbæ.* † 1753. *pag.* 168.

NALGODUS Cluniac. Monachus Sec. XI. *p* 60.

De NANGIACO (*Guillelmus de Nangis*) S. Dionyſii in Francia Monachus, Hiſtoricus inſignis Sec. XIII. *pag.* 70. *Oudin. &c.*

NECCHARUS (*Paulus*) Urſinenſis in Suevia Abbas commendat literarum ſtudia, ab ipſis commendatiſſimus. 102. *col.* 1. & 563.

NECKAM (*Alexander*) Exceſtrienſis Abbas ad A. 1210. clarus ambit præfecturam Scholæ S. Albani Cantuariæ. 67. Repulſam fert, & fit Canonicus regularis. *ibid.*

S. NEOTUS Abbas in Oxonienſi Academia docet Theologiam. *pag.* 34. *col.* 1.

NICOLAI *Antonii* Bibliotheca Hiſpana vetus & nova ſumptibus Card. d'Aguirre excuſa. *pag.* 393.

NICOLAUS Duneimenſis Monachus. Sec. XII. ad annum 1170.

NICOLAUS *Maria de Tedeſchis* Romæ in D. Anſelmi Collegio Theol. Profeſſor. 268. Creatur Epiſcopus Liparitanus, tum Archiepiſcopus Apamienſis. *ibid. col.* 1.

NICOLAUS Abbas Panormit. *vid.* TEDESCHUS.

NICOLAUS *Radcliffus* Sant-Albanenſis in Anglia Sec. XIV. *pag.* 71.

NIGELLUS (*Guillelmus de Wirecker*) Cantuarienſis Monachus & Poëta celebris Sec. XII. *pag.* 62. *Oudin.*

NINIANUS Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ Monachus Seculo XIV.

NITHARDUS Centulenſis Abbas floruit circa annum 846.

NOBILES Ephebi curæ à parentibus S. Benedicto commiſſi. *pag.* 5. In ſcholis monaſticis Sec. VII. inſtituti. 17. Multi in Monaſterio Hirſaugienſi cucullum induunt. 232. Cauſa cur his temporibus vitam averſentur monaſticam. 64. Ut nobilis juventus domi inſtituatur, haud boni conſulitur. 65. Ejus inſtituendæ utilitas. *ib. col.* 1. Inſtitutio in Seminariis Congreg. S. Mauri. 112. *col.* 2. Jurium notitia maximè decet nobiles. 117. *ſeq.* Eorum Pædagogia. 305.

NOBILITAS *Monaſteriorum* non à divitiis, nec ab ædificiis, ſed à Virtutum & Scientiarum cultu petenda. 188. *col.* 1.

S. NORBERTUS Præmonſtratenſium Ordinis Inſtitutor, apud Sigebergenſes antea Monachus, *Tanchelinum* impugnat, & fit Archiep. Magdeburg. Sec. XII. *pag.* 58.

NOTKERUS, *Balbulus* à linguæ impedimento dictus, Sant-Gallenſis ſcholæ alumnus claruit A. 870. *pag.* 207. V. *Oudin.*

NOT-

Notkerus ſeu *Natgerus* ex S. Galli Monacho Leodienſis Epiſcopus A. 980. clarus, literarum ſtudia promovet. 46. Ejus illuſtres diſcipuli. 311. quos inter *Otta* II. & III. 329.

Nuceus (*Angelus de Nuce*) Caſinenſis Abbas & Roſſanenſis Archiepiſcopus, Caſini & Romæ multis annis docuit. 198. Plura de eo Part. III. *pag.* 407.

O.

Oddo S. Remigii apud Rhemos Sec. xii. *pag.* 60. *col.* 2.

Odilo S. Crucis Leufredi Abbas illiteratus Monachos Literatos parvipendit. 55. *c.* 2.

S. Odilo Cluniacenſis Abbas Commentarios in D. Pauli Epiſtolas *Henrico Claudo* ſeu *Sancto* nuncupat. 502.

Odilo S. Medardi apud Sueſſionenſes Monachus, ſcribebat Sec. x. ad A. 930. *Oudin.*

Odo Aſtenſis Monachus Sec. xii. ſcribit Expoſitionem in Pſalmos. 60.

Odo Aurelianenſis Scholaſticus, dein Abbas S. Martini Tornacenſis, & Cameracenſis Epiſcopus Sec. xii. *pag.* 60. Ejus vita Part. III. *pag.* 126.

Odo Cantianus. Sec. xii. *pag.* 62.

Odo Cluniacenſis Abbas ſecundus floruit Sec. ix. *Graveſon.*

Odo *Deyil.* Vid. Diogilo.

Odo Giannafolii in Diœceſi Cenomanenſi Monachus, dein Foſſatenſis in agro Pariſienſi Abbas Sec. ix. ad A. 870. *Oudin.*

Odo S. Martini de Ello in Anglia Monachus claruit Sec. xii. *Oudin.*

Odonis *Cambier* Chronicon Affligemienſe. *pag.* 481. *col.* 1.

Odorannus S. Petri Vivi Senonenſis Monachus ſcribebat Sec. xii. *Oud.* T. II. c. 596.

Oeconomica Diſciplina Ethicæ ſubjungenda præſcribitur. *pag.* 115.

Olbertus ſeu *Albertus* Gemblacenſis Abbas IV. ſcripſit Sec. xi. *p.* 42. & 53. Burchardi Wormatienſis ſtudia promovet. *ib.* & 313. Bibliothecam auget. 479. V. *Oud.*

Ontologia quid ſit. 198. Quando & quomodo tradenda. 299. *col.* 2.

Opserus (*Joachim.*) San-Gallenſis Abbas literis excultus ſuos iiſdem excoli curat. *pag.* 101. *col.* 1.

Ordericus *Vitalis* Anglus Uticenſis, ſeu S. Ebrulphi in Normannia Monachus, ſcripſit Sec. xii. A. 1140. *pag.* 62.

Orsati (*Joan. Anton.*) Patavinus in D. Juſtinæ Cœnobio profeſſus variis in locis docet. *pag.* 267. Ejus parænesis ad ſtudia fervidius excolenda. 129.

Orthographiæ Germanicæ cura. 296. *col.* 1.

Osbernus Cantuarienſis Eccleſiæ Monachus & Præcentor Sec. xi. *Oudin.* T. II. c. 756.

Osbertus *de Clara* ſeu *Clarentius*, ita dictus à *Clarentia* pago in Comitatu Suffolcienſi Monachus, & poſtea Prior Weſtmonaſterienſis Sec. xii. ad A. 1130. 62. *Oudin.*

S. Oswaldus *Odonius* ex Floriacenſi Monacho Wintonienſis Epiſcopus, dein Eboracenſis Archiep. ſanctitate & doctrinâ Sec. x. illuſtris, Magiſtros è Floriaco, qui literas in Anglia docerent, accerſit. *pag.* 38. Obiit A. 992.

Oswaldus ſeu *Oſwoldus* Wigornienſis in *P. Ziegelbauer Hiſt. P. I.* Anglia Monachus, celebriora Galliæ & Angliæ monaſteria perluſtravit, ſcripſitque vitam S. Oſwaldi Eboracenſis & alia, denatus anno 1010. *Oudin.*

Otfridus Weiſſenburgenſis, Rabani Mauri diſcipulus cl. ad annum 870.

Othelgrimus Werthinenſis, S. Ludgeri Monaſterienſis Epiſcopi ſocius, vivebat Sec. ix. ad A. 860. *Oudin.*

Othlonus S. Emmerami Ratisbonæ Cœnobita Sec. xi. In exemplum rigidioris diſciplinæ proponitur. 49. Scribit acta S. Bonifacii, & alia *p.* 59. S. Wolfgangi Vitam. 486. *col.* 2.

Othmarus *Luſcinius* Patriâ Argentoratenſis, qui Sec. xvi. aſcetica opera elucubravit à *Graveſone* Benedictinis adſcriptus, Græcas literas docet Auguſtæ. 100.

Otho *de S. Blaſio* Abbas S. Blaſii in Silva Hercinia Sec. xii. celebris Chronographus.

Othricus ſeu *Otbericus* Corbeiæ novæ Scholaſticus magnæ Vir Doctrinæ & Virtutis Sec. x. *pag.* 224. Fit Præceptor *Adelberti* Pragenſis Epiſcopi. 314. *col.* 1.

Otloch Presbyter & Monachus. *pag.* 486. Vid. *Othlonus.*

Otto Banthenſis in Franconia Abbas Leopoldi I. Imp. gratiam colligit. 362.

Otto *Magnus* in eruditos Benedictinos benè propenſus. 357.

Otto junior ab Eckerardo San-Gallenſi inſtituitur. 329.

Otto III. in Gerbertum & Witegovum Augienſem beneficus. *pag.* 357. Ejus ad Gerbertum Epiſtola. 329.

Ottoburanum Collegium trilingue. 97. Bibliotheca. *pag.* 560. Typographia. 96. & 560. Libri editi. 561.

Oudinus (*Caſimirus*) Benedictinos ceu ſuos in re literaria Mæcenates encomiis ornat. 391. & 392. *ſeq.*

Oxenedes (*Joannes*) S. Benedicti de Ulmo Monachus Sec. xiv. ad A. 1340.

Oxoniensis Univerſitas à Benedictinis fundata. 381. Ibidem Studium generale. 67. Fundatur Collegium pro Benedictinis. 241. & 365. Ejus ſtatuta. 241. *ſeqq.* Occupatur ab Acatholicis. 247. Bibliotheca publica. 370.

P.

Pajolus (*Anſelmus*) Caſinenſis Galliam & Hiſpaniam peragrat. 408.

Pandulphus Oſtienſis Epiſcopus in Caſino educatus. 195. Sermones ſcripſit & alia. *ibid. col.* 2.

S. Panthaleonis Coloniæ Bibliotheca & Viri Illuſtres. 506.

Paris Archiepiſcopus Salisburgenſis Gymnaſium in Academiam erigit, & Benedictinis in perpetuū cōmittit. 119. & 372. c. 2.

Parisius ſeu *Pariſienſis.* Vid. *Matthæus.*

Paschasius Dumienſis Abbas Sec. vi. Vitas Patrum Græcorum latinè reddit. 528.

Paschasius *Radbertus* vid. Radbertus.

Patres Seculi viii. ab impacta ignorantiæ nota vindicantur. 19.

Paulus Diaconus, *Warnefridi* dictus, fit Monachus Caſinenſis Sec. ix. *p.* 25. In monaſterio docet literas non tantùm Monachos, ſed etiam Clericos. 194. Ejus Hi-

ſtoria Longobardorum MS. 546. *col.* 2. Excerpta ex libris Pompeii Feſti. 534. n. 132.

Paulus alter Monachus Sec. xii. Scholæ Caſinenſis prodigium. 196. *col.* 1.

Paulus Gengenbacenſis Abbas de erigendo Pariſiis Collegio Benedictino-Germanico tractat. *pag.* 138.

Peregrinus, veriùs Conradus Hirſaugienſis Sec. xii. multa ſcripſit recenſita. *pag.* 231. *col.* 2. & 577. *col.* 1.

Peresius (*Joſephus*) de Statu rei literariæ in Monaſteriis Hiſpaniæ. 21. Ejus elogiũ. 128.

Petit-Didier (*Matthæus*) infallibilitatem Summi Pont. tuetur. *pag.* 132. Plura de eo Part. III. *pag.* 455.

Petri *Bleſenſis* celebre teſtimonium de Cantabrigienſi Academia. 61.

Petrus *Cellenſis* primùm Abbas ad muros Urbis Trecenſis, poſteà Epiſcopus Carnotenſis Sec. xii. Literas & Literatos maximè fovit. 377. Ejus de ſtudiorum neglectu threnodia. 107. *Vid.* Part. III. *p.* 162.

Petrus *Damiani* vid. Damiani.

Petrus *Daniel* Bibliothecæ Floriacenſis expilator. 469.

Petrus *Diaconus* Scholæ Caſinenſis alumnus Sec. xii. 196. *col.* 1. Lothario II. Imperatori perquàm acceptus. 358. Se ſcribit *Archi-Bibliothecarium.* 611. Plura de eo Part. III. *pag.* 143.

Petrus *Lombardus* Magiſter Sententiarum proficit ex Scriptis Ven. Hildeberti noſtri. 63. *col.* 1.

Petrus Pictavienſis, *de Sancta Joanne* cognominatus, Cluniacenſis Monachus Sec. xii.

Petrus *Rogerius* Abbas Fiſcanenſis, tum *Clemens VI.* Pont. Rom. docet Pariſiis Theologiam. 77. Fit Præceptor Caroli IV. Imp. 332. Mutuum utriusque vaticinium. 333.

Petrus S. Udalrici Aug. de quo *Oudin.* Vid. Wagner.

Peyraco (*Aymericus de*) Abbas S. Petri Moiſſiacenſis, Diœceſis Carteroenſis Sec. xv. 82.

Pezius (*Bernardus*) Bibliothecæ Mellicenſis Præfectus. 617. Ejus cum fratre itinera literaria. 446. *ſeqq.* Alia. *pag.* 649. 650. *col.* 2. & *ſeq.* Vita ipſius Part. III. *p.* 466.

Pezius (*Hieronymus*) Mellicenſis. *ibid.* & *pag.* 186. 617. *ſeq.* Ejus de Abbatum in Studioſos favore judicium. 375.

Phileremus (*Joan.*) Elchinganus in Suevia Monachus Sec. xvi. Studia provehit. 100.

Philippi Abbatis in Oderburg *Memoriale Jeſu & Mariæ* MS. 577.

Philippus *de Salianis* Abbas, Franciſci I. Galliæ Regis Præceptor. 325.

Philippus *de Villeta* Abbas S. Dionyſii doctrinâ & eruditione clarus Sec. xiv. *p.* 77.

Philosophia quomodo tractanda. 116. Inutiles ex ea quæſtiones eliminandæ. *ibid.* Biennium philoſophicum novâ methodo propoſitum. 298. *ſeqq.*

Phisiologia quid ſit. 298. *col.* 2. Quomodo & quando tradenda. 300.

Piemontanus (*Joan.*) vid. *Batabachius.*

Pierius (*Oderiſius*) Caſinenſis Monachus Sec. xvii. *Mainotis* ad fidem reducendis inſudat, &c. Part. III. *pag.* 430.

Piesport (*Carolus de*) Fuldenſis Presbyter Theologus. 186.

Pignatelli (*Julius*) Innocentii XII. nepos, & *Galletii* diſcipulus. 131. Ejus ſumma eruditio & eloquentia ac in Literas propenſio. *ibid.*

Pilgrimi Laureacenſis Epiſcopi epiſtolæ ad Benedictum Pont. VII. variantes Lectiones. 521.

Pippinus Caroli M. Pater, in ſcholis ſtudet Benedictinis. 321. *col.* 2.

Pippinus Caroli Calvi filius, *Milonis* Monachi diſcipulus. 322. *col.* 2.

Piscariense ſeu *Caſaurenſe* in Aprutia Archivum. 595. *col.* 2.

Placidus Cremiſanenſis in Auſtria Abbas *vid.* Buchauer.

Placidus Schyrenſis in Bavaria Abbas, rei Lit. Bened. Mæcenas. *pag.* 186.

Placidus *Sautaus* Ettalenſis Abbas, ſcholam Illuſtrium ſuo in Monaſterio excitat. 272. Ejus vitæ ſynopſis. *ibid. ſeqq.*

Pockius (*Edmundus*) Ettalenſis Bibliothecarius docet in Academia illuſtrium. 272. Inſignes Geographiæ tabolas in lucem emittit. 276. Moritur A. 1737. *ibid.*

Poggius de Quintiliani Libro à ſe apud Sangall. reperto. 581. Ejus facetiæ. 579.

Politices Studium in omni ſtatu neceſſarium. 118. Quando & quomodo inſtitui debeat. *ibid. col.* 2.

Ponchartrain Regis Galliæ Cancellarius Mabillonii ſtudia promover. 368. *col.* 2.

Pontisara (*Ægidius de*) Abbas S. Dionyſii in Francia ſcribebat Sec. xiv. ad A. 1310.

Pontius *de Ulmo* Abbas Maſſilienſis, rei lit. Bened. Mæcenas. 378. *col.* 2.

Porcheron (*Placidus*) S. Germani Pariſ. Bibliothecarius. 614.

Porta (*Joſephus*) è Congr. Caſin. inſignis Mathematicus ac Theologus. *pag.* 267.

Porzia (*Leander*) illuſtre Collegii Anſelmiani decus. *pag.* 268. Ejus virtutes & doctrina. 269. Ornatur purpureo Galero. *ibid.* † 1740.

Potho Pethlingenſis, aliis *Botto*, cujus Opera recenſentur. *pag.* 537.

Potho Prumienſis Sec. xii. piis commentationibus maximè delectatus. *pag.* 58. An idem cum Pruveningenſi. 537. *col.* 2.

Prælisauer (*Columbanus*) Rotenſis ad Oenum Scrutator Antiquitatum & Muſurgus. 549.

Præmonstratensis Ordinis Dotes ex *Oudino* 392. *col.* 2.

Pragense Collegium Illuſtrium à Benedictinis aperiendum. 134. *ſeqq.* & 654.

Preradbertus *Vid.* Radbertus. *pag.* 221.

Prier (*Valentinus*) Abbas S. Lamberti in Styria magnus Literatorum Mæcenas. 385.

Principes Rei Lit. Mæcenates. 351. *ſeqq.*

Prumiensis Schola. 29. Archivum. 603.

Psalterium argenteum Sec. vi. *p.* 473.

Psichologia quid. 298. Quando tradenda. 299. *col.* 2.

Puerorum inſtitutio cœpit cum Ordine Benedictino. *pag.* 4. *ſeq.* Variorum eâ de re teſtimonia. 8. *ſeq.* Seculo xi. in monte Caſino abjecta, brevi reſumitur. 48. & 195. Paſſim viguit in omnibus ferè monaſteriis. 193. 284. Quid ſit puer ſcholaſticus. 53. Conſuetudines Balmenſes circa pueros. 31.

Pyrrhus Caſinas Monachus *Martini V.* Pont. Referendarius. 197. *col.* 1.

Q.

Q.

QUADRIVIUM quid? *pag.* 192. *col.* 2. Docetur in Scholis Benedictinis. *ibid.* & *pag.* 15. Sec. VII.

QUIRINUS (*Angelus Maria*) S.R.E. Cardinalis Bibliothecarius, Brixiæ Epiſcopus, Venetiis A. 1680. natus, Benedictinis ſacris in Florentino S. Mariæ Monaſterio adoleſcens ſe addixit. 621. perluſtratis diverſis Europæ provinciis redux, varias gradatim adit Dignitates. 622. Scribit Epiſtolam *de Epiſcopis Vaticanæ Bibliothecæ præfectis.* 623. Alii ipſius ingenii partus, *p.* 626. *ſeqq.* Opera quædam ejus ære vel ope edita. 636. Diptychon. 637. Diſpoſitio Bibliothecæ, quam Româ Brixiam tranſtulit, ejúsque deſcriptio, & monumenta hâc occaſione ſtatuta. 404. 638. *ſeqq.* Ejus in Literatos promptitudo. 397. Munificentia & benignitas. 398. *ſeqq.* Göttinganæ Academiæ in eum gratitudo. *ibid. col.* 2. Miſſionariis benefacit. 400. Zeli ipſius Apoſtolici inſigne exemplum. 402. Ejusdem in juvandis conatibus literariis proclivitas &c. *ibid.* Societatis Lit. Germ. Bened. protectionem in ſe recipit. 164. *ſeqq.* Pontifices ipſius Mæcenates. 350. & 622. Trivoltianorum &c. de eo præconia. 297. 131. & 184. Itinera literaria. 430. *ſeqq.*

R.

B. RABANUS *Maurus* Fuldenſis, fulgentiſſimum Seculi IX. Sydus. *pag.* 29. *col.* 2. Multos & illuſtres habuit diſcipulos. 30. & 201. Ei docendi munus adimit *Ratgarius* Abbas. 31. *col.* 2. Supplicat pro libris ſibi ademptis. 32. Docendi præfecturam ab *Eigile* recipit. *ibid.* & *pag.* 201. Diſcipulos non literis tantùm ſed etiam virtutibus imbuit. 202. Habet ſub ſe duodecim Lectores. *ibid.* Quorum aliqui recenſentur. 203. Bibliothecam Fuldenſem ſuis ſcriptis locupletat. 485. *ſeq.* Plura de eo. *pag.* 223. & Part. III. *pag.* 65. *ſeqq.*

RABUSSON (*Paulus*) Superior Generalis Congreg. Cluniacenſis, doctrinâ excellens. *pag.* 132. *Confer.* Part. III. *pag.* 441.

RADBERTUS ſeu *Ratpertus* San-Gallenſis Scholarcha. 209.

RADBERTUS (*Paſchaſius*) Corbeiæ veteris Abbas, perperàm *Preradbertus* dictus claruit A. 840. *pag.* 222. Ejus Opus de Corpore Chriſti MS. *p.* 531. Commentarius in Threnos. 574.

RADULPHUS Flaviniacenſis in Epiſcopatu Bellovacenſi Monachus Sec. XII. *pag.* 59. *col.* 2. *Oudin.* Tom. II. *col.* 1441.

RADULPHUS *Niger* patriâ Sudovolgius, Hiſtoricus inſignis Sec. XIII. *Oud.* T. III. *c.* 94.

RADULPHUS (*Glaber*) Cluniacenſis Monachus Hiſtoriographus, claruit ad A. 1045.

RAINERUS S. Laurentii Leodii. *Vid.* Reinerus.

RAINERUS Diaconus Pompoſiæ Monachus ſcripſit Seculo XII.

RAMESIENSIS Monaſterii Bibliotheca Libris Hebraicis dives. 459.

RANBECK (*Ægidius*) Schyrenſis Abbatum San-Udalricanorum munificentiâ Calendarium O. S. B. in lucem emittit. 389. Euclíones Plautinianos egregiè vellicat. 390. In MS. reliquit *Criſin Apologeticam*, quâ Libros IV. de imitatione *Joani Gerſen* Abbati Vercellenſi vindicat. Vid. *p.* 554.

RATGARIUS, Abbas Fuldenſis Literarum ſtudia evertit. *pag.* 31. Rabano docendi munus adimit. *ibid.* Deponitur *p.* 32. & 201.

RATGERUS II. Abbas Fuldenſis XXXIX. Sec. XII. Bibliothecam auxit. 486. *col.* 2.

RATHSODO S. Maximini Treviris Scholaſticus Sec. X. *pag.* 39.

RATHBODUS S. Michaëlis Bambergæ Abbas Sec. XI. Scholam inſtituit. *p.* 64. *col.* 1.

RATHERIUS ex Lobienſi Monacho Veronenſis Epiſcopus in mores hominum acriùs invehitur Sec. X. *pag.* 37 & 42. S. Brunonis Colonienſis Archiepiſcopi fit Præceptor. 312. Item *Everacli* Leodienſis Epiſcopi. *ibid. col.* 2. Variis dum viveret, jactatus procellis claruit ad A. 928.

RATHRADA Caroli M. filia Alcuini diſcipula. 321. *col.* 1.

RATRAMNUS ſeu *Bertramus* Corbeiæ veteris in Francia Monachus Sec. IX. Vid. *Oudin.* T. II. *p.* 108. Ubi integra de eo Diſſertatio.

RAULINUS (*Joan.*) ex Regio Naverræ Gymnaſii Magiſtro Cluniacenſis Monachus, obiit 1514. V. Part. III. *pag.* 213.

REGES & *Principes* Benedictinorum alumni. 320. *ſeqq.* Mæcenates. 351.

REGINALDUS Cantuarienſis Eccleſiæ Monachus Sec. XI.

REGINALDUS Dunelmenſis Monachus ſcripſit Sec. XII.

REGINBERTUS Divitis Augiæ Bibliothecarius Sec. IX. plurima deſcripſit recenſita. *pag.* 569. *ſeqq.* Obiit A. 847. *pag.* 571. & 610.

REGINHARDUS Scholæ Hirſaug. Magiſter. 230.

REGINO Prumienſis *vid.* Rhegino.

REICBECKIUS (*Michaël*) Ottoburanus Bibliothecarius. 562.

REIMARUS (*Hermannus Samuel*) Hamburgenſis Profeſſor *Dionis Caſſii* editionem adornat, ſymbolas ferente Em. Card. *Quirino.* 397.

REINERUS S. Laurentii Leodienſis Monachus Sec. XII. Vid. Part. III. *pag.* 166.

REINERUS (*Clemens*) Abbas Lamſpringenſis, Opera ſcripſit haud vilioris metalli. 512. Vid. Part. III. *pag.* 383.

REMBERTUS ſeu *Rimbertus* Bremenſis Sec. IX. clarus, Corbeienſis Scholæ Præfectus. 221.

REMENSIS Scholæ celebritas Sec. X. *pag.* 37. Bibliotheca. *pag.* 473.

REMIGIUS S. Germani Antiſſiodorenſis Monachus Sec. IX. Docet in Eccleſia Cathedrali Remenſi. *pag.* 29.

REMIGIUS Mediolacenſis Abbas Sec. X. Publicam in ſuo monaſterio ſcholá tenuit. 42.

REST (*Maximilianus*) Shyrenſis Abbas concinnavit univerſalem Ord. S. Bened. Monaſteriologiam. 554.

RETTENPACHER (*Simon*) Cremiſanenſis Bibliothecarius. 615.

RHEDING (*Auguſtinus*) Abbas & Princeps Einſidlenſis Bellizonenſe Gymnaſium erigit. *pag.* 124. Bibliothecam inſtaurat. 584. *Confer.* Part. III. *pag.* 415.

RHEGIENSIS Monaſterii Archivum. 596.

RHEGINO Prumienſis Scholarcha doctiſſimus Sec. IX. *pag.* 29. & Sec. X. *pag.* 42. Ejus Chronicon MS. 587. n. 6.

Rhode (*Joan.*) S. Matthiæ Treviris Abbas Sec. xv. *p.* 91. Ejus viridariū Clericorū. 519.

Ribadineira (*Petrus*) S. J. Scriptor de Studiis in Ord. S. Bened. *pag.* 8.

Richardus *de S. Angelo* Caſinenſis Monachos Sec. xiii. de quo *Oudin.* T. III. *c.* 050.

Richardus *de Angerville.* vid. Angarvillus.

Richardus Bardenienſis Monachus Sec. xiii.

Richardus *Ciceſtrius* Weſtmonaſterienſis. Sec. xiv. *pag.* 70. *col.* 2.

Richardus Cluniacenſis, Patria Pictavienſis Seculo xii. *pag.* 60.

Richardus Corbeienſis Monachos in Matheſi inſtruit Seculo xiv. *pag.* 227.

Richardus Diviſienſis, Aſceta Wintonienſis Sec. xii.

Richardus Elyenſis vir haud vulgariter doctus Sec. xii. *pag.* 62.

Richardus S. Matthiæ Treviris Scholæ Præfectus Sec. x. *pag.* 40.

Richardus *Northumbrius* Hagulſtadienſis Prior, Sec. xii. *pag.* 62.

Richardus Abbas de Pratellis in Normannia Seculo xiii.

Richardus S. Vitoni Virdonenſis Abbas Sec. xi. celebrem ſcholam inſtituit. 46.

Richbodo Hirſaugienſis Scholaſticus. 229.

Richerius Senonenſis in Tullenſi Lotharingiæ Diœceſi Monachus Sec. xiii. ad A. 1250.

Rinaldus Caſinenſis Abbas, S. R. E. Card. † 1166. *pag.* 60. *col.* 2.

Rishanger (*Guillelmus*) ad fanum S. Albani Monachus Regum Angliæ Chronographus Sec. xiii. ad. A. 1270.

Rivius (*Benedictus*) Stabulenſ. Archiota. 617.

Robertus *de Dunſtaple.* vid. *Dunſtable.*

Robertus S. Remigii Rhemenſ. Abbas Sec. xi.

Robertus Galliæ Rex Gerberti diſcipulus. 323. Ejus virtutes & fidei Catholicæ ſtudium. *ibid.* Doctrina & eruditio, ac ingenii partus. 324. Vocatur *Muſardus* à Muſarum cultu. *ibid.* Mors ejus piiſſima & encomium. 324. *col.* 2.

Robertus *de Monte* aliàs *de Toriñejo*, Abbas S. Michaëlis in periculo Sec. xii. *p.* 60. & 455.

Robertus *de Tumbalenia* Abbas S. Victoris ad muros Urbis Bajocenſis in Normannia Sec. xi. Vid. *Oudin.* Tom. II. *col.* 768. Ubi integer de eo commentarios.

Robertus Walciodorenſis Abbas Sec. xii. 57.

Rodensero (*Joan. de*) Abbas S. Joannis in Rhingavia Sec. xv. *p.* 91. Ejus opuſculum *Vinea Domini Sabaoth.* 508. Liber de Geſtis & tranſlatione trium Regum. 510. *n.* 28.

Rodulphus *Tortarius* Floriacenſis Monachus Seculo xii. *pag.* 60.

Rodulphus S. Trudonis in tractu Leodienſi Abbas Seculo xii. ſcripſit Chronicon ſui Monaſterii ad A. 1120. *pag.* 57.

Rogerius cognomento *Vacarius* Scholæ Beccenſis alumnus & Monachus Anglos Jus docet Cæſareum. 240.

Rogerius ſeu *Ruggerius* Fuldenſis Monachus Seculo xii.

Rogerius Abbas Fiſcaoenſis, *vid.* Petrus Rogerius.

Rogerus Ciceſtrenſis, Weſtmonaſterii Monachus Sec. xiv. *Oudin.*

Rogerus ſeu *Routgerus* Abbas cœnobii Crucis S. Leufredi in Normannia Sec. x.

Rogerus Croylandenſis Monachus, & poſtea Cœnobii Friſcomenſis Prior Sec. xiii.

Rogerus *de Vendovera* ſeu *Vendoure*, Anglicè *Vendover*, Monachus & Præcentor S. Albani Crotuariæ Sec. xiii.

Röhr (*Sebaſtianus*) Ottoburanus Profeſſor Salisburgi jus & officium docendi Benedictinis vindicat. *pag.* 119.

Romana *Juventus* in Schola Caſinenſi inſtituitur. 194.

Romani *Pontifices* Rei Lit. Benedictinæ Fautores & Promotores. 343. *ſeqq.* Italorum Benedictinorum Mæcenates. 348. *ſeqq.*

Romanus Abbas S. Udalrici Auguſtæ Ægidii Ranbeck in edendo Calendario Benedictino Mæcenas. 389.

Roschacensis in Helvetia Scholæ initia. *pag.* 123. In ea Cardinalis Sfondratus educatur. *ibid.* Abrogavit eam Leodegarius Abbas. *ibid.*

Roschmannus (*Antonius*) Bibliothecæ publicæ, quæ Oeniponti eſt, Præfectus & Pro-Archivarius aulicus, Societ. Lit. Germ. Bened. Socius. *pag.* 175. Ejus in Syſtema noſtrum exegeſis. *ibid.* & *ſeqq.*

Rosenheim (*Petrus de*) Mellicenſis in Auſtria Monachos ad A. 1420.

Roswitha ſeu *Rosweidis* Gandersheimenſis in Germania monialis natalibus & ſcriptis clara Sec. x. *pag.* 503. *Confer.* Part. III. *pag.* 491. *ſeqq.*

Rotgerus S. Panthaleonis Coloniæ Monachus Sec. x. *pag.* 42. *Oud.* T. II. *col.* 472.

Rothfischerus (*Gregorius*) S. Emmerami deſertor. 400. Eminent. Card. Quirini ad eum Epiſtolæ. 401. *ſeq.*

Rottwilani in Suevia Gymnaſii fata. 123.

Rubigallus (*Alexander de Rotenhan*) Banthenſis in Franconia Abbas ſcholam in ſuo monaſterio inſtituit, & Bibliothecam conſtruxit. 382.

Rudaurnus (*Thomas*) Junior dictus, Cathedralis Eccleſiæ S. Swinthini Cœnobita, Angliæ Hiſtoricus Sec. xv. *p.* 82. *col.* 2.

Rudgerus Epternacenſis Scholaſticus. Sec. x. *pag.* 40. *col.* 2.

Rudolphus S. Pantal. Coloniæ Abbas à præclaris ingenii monumentis celebratus. 506.

Rudolphus Einſidelenſis ſcholæ Magiſter ad A. 1314. clarus duos libros carminum de captivitate Monachorum reliquit. *p.* 585.

Rudolphus Fuldenſis Monachus Sec. ix. Hiſtoriographus & Poëta inſignis. 203. *col.* 1.

Ruggerus ſeu *Rogerius* Fuldenſis Sec. xii.

Ruinart (*Theodericus*) Mabillonii Socius. 419. & 598.

Rumplerus (*Angelus*) Formbacenſis in Bojoaria Abbas ad A. 1513. varia ſcripſit. 96.

Rupertus S. Albani Moguntiæ Theologus & Hiſtoricus Græco ſermone inſtructus Seculo x. *pag.* 41.

Rupertus Ginoicenſis Abbas ſtudia promovet. *pag.* 124.

S. Rupertus Noricorum Apoſtolus ſcholas in Germania excitat Sec. viii. *pag.* 18.

Rupertus Ottoburanus in Suevia Abbas Sec. xii. de bonis literis optimè meritus. 59. Pluris virtutem & doctrinam, quàm nobilem proſapiam facit. *ibid.*

Rupertus Tuitienſis Abbas A. 1135. Sacrarum Literarum ſtudia apud ſuos egregiè provehit. 58.

Ruthardus Corbeiæ Saxoniæ Scholaſticus,

tum

ed by Goo

tum Abbas A. 1059. inſigne eruditionis ſpecimen dedit. 226.

Rutharbus Fuldenſis Scholarcha Seculo ix. pag. 203.

Ruthardus Hirſaugienſis Scholæ Præfectus. 228. Quietem monaſticam & ſtudium Scripturarum ampliſſimo Epiſcopatui &c. præponit. pag. 229.

S.

Sacramentarium *Vetus* è tranſmarinis partibus ad Floriacenſes miſſum. *pag.* 469. *col.* 2.

Sainte-Marthe ſeu Sammarthanus (*Dionyſius*) Bibliothecæ S. Germani Præfectus quatuor edit Epiſtolas contra Abbatem Trappenſem. 613. Plura de eo Part. III. *pag.* 451.

Salianis (*Philippus de*) Abbas, Franciſci I. Galliæ Regis Inſtructor. 325.

Salisburgensis Univerſitas Benedictinis committitur. *pag.* 119. & 372. Ejus progreſſus. 120. *ſeqq.* Bibliotheca Aulica & Academica. 615. S. Petri. 555.

Salzburga (*Chriſtianus de*) Prior Tegernſeenſis & dein Abbas in Oberaltaich ſcribit in Regulam S.Bened. 515.

Salomon Conſtantienſis Epiſcopus ejus nominis III. è Schola San-Gallenſi. 310.

Sandius (*Joſeph-Maria*) S. Juſtinæ Bibliothecarius. 612. *col.* 2.

Santfliet (*Cornelius*) S. Jacobi Leodii Monachus Sec. xv. clarus, de quo *Oudinus*.

Sarmiento (*Martinus de*) S. Martini Madriti Theologus, Theatri Feyjoani vindex. *pag.* 129.

Scheckman (*Joan.*) Cœnobitæ S.Maximini Diſſertatio in laudem Eccleſiæ Trevirenſis. MS. *pag.* 510. n. 30.

Schell (*Romanus*) Atilenſis Bibliothecarius, cujus Apiarium. *pag.* 548.

Schenck (*Hermanus*) Cuſtos Bibliothecæ San-Gallenſis, Polyglottus. 612.

Schepseved (*Guilielmus*) Monachus Abbatiæ de Crokysden in Com. Staffordienſi Sec. xiv. *Oudin.*

Schilling (*Leonardus*) Monſeenſis Cœnobita Sec. xvi. *pag.* 516. & 519. *col.* 1.

Schisma Eccleſiæ ineunte Seculo xv. *p.* 77. Multa invexit mala Familiæ Benedictinæ. 78. Schiſmatis inter Alexandrum Papam & Fridericum Imp. deſcriptio. *p.* 530. n. 52.

Schmitfeld (*Hugo*) S. Blaſii in Hercinia Sylva Bibliothecarius A. 1742. *p.* 618. *c.* 2.

Sc[illegible]ckenbergius (*Antonius*) Corbeiæ [illegible]oniæ ad Viſurgim Cœnobita nobilis Sec. xv. Chronographus. 227. *col.* 2.

Scholæ Duplices in monaſteriis, *interiores* pro Monachis, *exteriores* pro ſecularibus. 189. & 208. In his non literis tantùm, ſed etiam virtutibus imbuebatur juventus. 191. & 307. Quæ diſciplinæ in iis traditæ. 192. Docebatur trivium & quadrivium. *p.* 15. & 192. Ex iis præſtantiſſimi quique Viri prodierunt. *p.* 307. *ſeqq.* Maximè SS.mi Germaniæ Epiſcopi. 310. *ſeqq.* Reges & Principes diſciplinæ Benedictinæ traditi. 320. Eruditio & pietas in iis vigebant. 317. Ex Scholis feli- *P. Ziegelbauer Hiſt. P. I.* citas omnis & celebritas monaſteriis obtigit. *p.* 188. 204. & 284. Sec. xi. & xii. deſeri cœptæ & cur? *p.* 48. & 63. *col.* 2. Scholæ quædam celebres Seculo ix. *p.* 29. 32. & *ſeqq.* Seculo x. *p.* 37. 39. 40. & *ſeqq.* Seculo xi. *p.* 45. *ſeqq.* & 53. Plures eriguntur Sec. xvii. *p.* 109. 124. 126. Earum fata. *p.* 102. & 123.

Scholæ *celebriores*, quæ deſcribuntur à *pag.* 193. *Anſelmiana Romæ.* 262. *Augiæ Divitis.* 214. *Beccenſis in Neuſtria.* 236. *Caſinenſis.* 193. *Cluniacenſis.* 247. *Corbeienſis in Saxonia.* 221. *Cremiſanenſis.* 277. *Ettalenſis.* 272. *Floriacenſis.* 233. *Fuldenſis.* 199. *S. Galli.* 204. *Gloceſtrenſis in Anglia.* 241. *Gregoriana Romæ.* 254. *Hirſaugienſis.* 228. *Oxonienſis.* 33. & 241. *Ticinenſis ſeu Papienſis* Sec. viii. *pag.* 23. Sec. ix. *p.* 28. *Vid.* Collegia..

Scholæ *minores* paſſim in decurſu laudatæ, videlicet: S. Albani in Anglia. 53. *col.* 1. S. Albani Moguntiæ Sec. x. *p.* 41. & 189. Antiſſiodorenſis Sec. ix. Balmenſis Sec. ix. 31. Sec. x. 42. Bellinzonenſis. 124. Benedictoburana Sec. ix. 47. Bergenſis Sec. xi. 46. Cathedrales, in quibus docuêre Benedictini Sec. ix. 29. Epiſcopales in Monaſteria translatæ Sec. viii. *p.* 23. Elchingana Sec. xvi. *p.* 100. Epternacenſis Sec. x. 40. Ferrarienſis Sec. ix. Fontanellenſis Sec. ix. Gemblacenſis Sec. ix. Gorzienſis in Lotharingia. 317. Hirsfeldenſis. 189. Lobienſis. 42. Loxovienſis. *ibid.* S. Martini in Hungaria Sec. xi. 53. S. Matthiæ Treviris. Sec. ix. *p.* 29. Sec. x. *p.* 40. S. Maximini Sec. x. 39. Mediolanenſis Sec. x. 42. 189. Mellicenſis. 74. & 124. S. Michaëlis Bambergæ Sec. xi. 47. Hildeſii Sec. xi. 45. inſtaurata Sec. xv. 76. S. Michaëlis ad Moſam Sec. ix. *p.* 32. & 120. Ottoburana trilinguis Sec. xvi. 97. Prumienſis Sec. ix. 29. & 190. Remenſis celebritas Sec. x. 37. Roſchacenſis. 123. Rottwilana. 123. Salernitana Sec. xi. 52. Stabulenſis. 190. Tinecenſis in Polonia Sec. xi. 53. Tholeienſis Sec. xi. 47. & 190. S. Udalrici Auguſtæ. 99. Virdunenſis S. Vitoni Sec. xi. 46. & 120. Weiſſenburgenſis. 189. &c.

Scholarum Moderatores dicti *Scholaſtici.* *p.* 29. & 200. An hoc nomine etiam veniant diſcipuli. 200. *col.* 2. A Chori oneribus abſoluti. 209.

Scholasticæ *Theologiæ* incunabula & progreſſus. 62. 63. 65. & *ſeqq.* Pauli Langii & aliorum de primis Scholaſticis judicium. *pag.* 66.

Scholliner (*Hermannus*) Superioris Altachæ profeſſus, Societ. Lit. Bened. membrum. 187. Scribit adverſus Kieslingium epiſtolam A. 1754. in 4.

Schyrensis in Bojoaria Bibliotheca, ejùsque cimeliorum recenſio. 550. *ſeqq.* & 448. *col.* 2.

Scribendi Studium Abbates decet. 61. Eſt utile Monachis. 86. Reddit in cellis quietos. 92. *col.* 2. & 507. Scribarum copia. 483.

Scripturæ Sacræ laudes. 248. Ejus ſtudium in Collegio Cluniacenſi præſcriptum. 249. & in Concilio Tridentino. *p.* 285. &

& 302. Studioſis illius exercitationes præſcriptæ. 249. *col.* 2.

Sebastianus Caſinenſis Monachus, S. P. Benedicti diſcipulus, ſcriptor vitæ Divi Hieronymi. *pag.* 10.

Seculum VIII. & X. ab impacta ignorantiæ nota vindicatur. *p.* 19. 37. & 43.

Sellingus (*Wilhelmus*) Cantuarienſis Prior rei lit. Fautor. 382.

Seminarium Studii Benedictini Coloniæ erigitur. 124. Duaci. 386. In Seminariis Congr. S. Mauri nobilis juventus inſtituitur. 112. *col.* 2. Conſilium de erigendo communi per Germaniam Seminario Benedictino. *pag.* 282. & 525. Linguarum Seminaria in Congr. Caſin. 104.

Serlo (*Joan.*) Fontanenſis Monaſterii Abbas, *Magiſter* atque *Grammaticus* dictus Sec. xii. ad A. 1150.

Sesra (*Romualdus*) Cæſenas S. Mariæ de Monte Bibliothecæ & Archivi Præfectus, ſcripſit *Catalogum Chronologicum*. 644.

Seulfus Bremenſis Archiep. diſciplinæ Benedictinæ alumnus. 319.

Seuzius (*Placidus*) Ettalenſis Abbas ſcholam eacitat. 272.

Sfondratus (*Cæleſtinus*) Sangallenſis Abbas & S. R. E. Card. 214. Ejus vita Part. III. *pag.* 416.

Sibesti (*Jacobi*) Lacenſis poëma de Libris Bibliothecæ Spanheimenſis: 494.

Sifridus Walbecenſis Comes in Bergenſi Cœnobio Abbas de literis benè meritus Sec. xi. *pag.* 46.

Sigebertus Abbas S. Michaëlis Hildeſii tertius Sec. xi. Doctrinâ & virtute clarus. 46.

Sigebertus Gemblacenſis à morum probitate & ſcientiâ laudatur. 50. Apud Metenſes ſcholam aperit. 57. Docet in aliis Monaſteriis, 191. Scripſit Chronicon, & Librum *de Scriptoribus Eccl.* . .

Sigehardus S. Maximini Scholaſticus Sec. x. *pag.* 40.

Sigismundus Seonenſis in Bavaria Abbas Cæſareæ Bibliothecæ præficitur, 614. & 555. *col.* 1.

Sigismundus *Haringshauſer* Mellicenſis Bibliothecæ A. 1667. Præfectus. 526.

Silviniacense Archivum Gaufridus Choleti inſtaurat. *pag.* 597.

Silvius (*Andreas*) Marchianenſis in Belgio Cœnobii Prior Sec. xii. ſcriptis clarus. *Oud.*

Simon S. Albani in Anglia Abbas Sec. xiii. literas excitat. 66. *col.* 2.

Simon *de Langham* Cantuarienſis Archiepiſcopus Wiclefo ſe opponit. 70. Avitum docendi morem in Ord. S. Bened. retinere ſtudet. 74. *col.* 2.

S. Simpertus Epiſcopus Auguſtanus Sec. ix. Scholas ad D. Virginis templum erigit. *pag.* 24. An idem Morbacenſis Abbas? *ib. col.* 2. Num Ratisbonenſis Epiſcopus? 532.

Simplicius Caſinenſis S. P. Benedicti diſcipulus, ejus Regulam carminibus celebravit. *pag.* 10.

Sixtinum Placentiæ Chartophylacium. 595.

Smaragdus (*Ardo*) Cœnobii Anianenſis Monachus, floruit circa A. 836.

Smaragdus S. Michaëlis ad Moſam Abbas, inſignis Theologus, ſcholas in ſuo Monaſterio aperit Sec. viii. *pag.* 22. Ejus in Regulam S. P. B. Commentarius. 508. Diadema Monachorum. 512. n. 9.

Societatis Literariæ Germano-Benedictinæ Syſtema. *p.* 140. Ejus ſcopus & commoda. 242. De Senatu & membris illius. 146. De Protectore, Præſide, Directore &c. 148. *ſeqq.* De Materiis tractandis. 154. &c. Suſcepti Conſilii rationes, & Conſultorum eâ de re ſententiæ. 160. 164. 173. &c. Negotium Em. Card. *Quirino* commendatur. *ibid.* & *ſeqq.* Exegeſis in ſyſtema. *p.* 175. Abbatum de hoc inſtituto placita & Obtrectatorum Dicteria. 163. & 182. Ejus auſpices & Evergetæ, quibus decreti honores. 184. Aſt &c. 185. Abbates confœderati, & Socii celebriores. 186. Ad urgendũ Opus incitamenta. 187.

Solms (*Comitum de*) elogium, 496. *col.* 1.

Somsechus (*Ludovicus*) Bibliothecæ Gemblacenſis Præfectus. 613. Ejus elogium. *p.* 479. Obiit A. 1609. *p.* 480.

Somerset (*Guill. de*) Malmesburienſis Præcentor & Bibliothecarius, celebris Hiſtoricus Sec. xii. *p.* 56. & 612.

Southraius (*Simon*) S. Albani in Anglia Mon. Sec. xiv. 71. & 74.

Spanheimensis Bibliotheca 490. à Trithemio aucta & illuſtrata. 491. Similem non habuit in Germania. *ibid.* De Libris illius Poëma. 494. Archivum. 600. *col.* 2.

Spottus *ſive* Sprottus (*Thomas*) ad ſanum S. Auguſtini Cantuariæ Monachus, ſcribebat ad A. 1270. *Oudin.*

Stabulanus (*Joan.*) S. Laurentii prope Leodium Abbas ad A. 1450. conſpicuus. *Oud.*

Stabulense Archivum à *Roderico* impetitum defenditur. 599. *ſeq.*

Stadion (*Chriſtophori*) Auguſtenſis Epiſcopi Oratio habita in Synodo Auguſtana. 561.

Stamheim, aliis Stainheim. vid. *Melchior.*

Status rei literariæ ab anno 480. ad 600. *pag.* 3. *ſeqq.* Seculo Eccleſiæ VII. *p.* 11. VIII. 18. IX. 25. X. 36. XI. 45. XII. 55. XIII. 65. XIV. 70. XV. 77. XVI. 93. XVII. 108. XVIII. 127.

Stengelius (*Carolus*) Abbas Anhuſanus, cujus opuſcula quædam anecdota. *p.* 565. Plura de eo Part. III. *p.* 386.

Stephanides (*Guillel.*) Monachus S. Salvatoris Cantoariæ ad A. 1170. *p.* 62.

Stephanotius (*Claudius*) vid. *Etiennot.* 415.

Stephanus Auguſtodunenſis Sec. xii. *p.* 60.

Stephanus IX. Pont. Max. antea *Junianus Fridericus Gozelo*, Caſin. Abbas S. R. E. Card. Bibliothecarius. 611.

Stephanus Cellæ novæ in Gallæcia Sec. xii. *pag.* 60.

Stephanus *Hardingus* Moleſmenſis C… nobita Sec. xii. *p.* 62. fuit Ciſterc.

Stephanus *Heddius*. Vid. *Heddius.*

Stephanus S. Jacobi Leodii Abbas Sec. xi.

Stephanus *de Mureto* Fundator Ordinis Grandimontenſis Sec. xi.

Stephanus Pariſienſis ad A. 1193. clarus Commentarium reliquit in Regulam S. Benedicti. *p.* 476. 563. & 524. *col.* 1.

Stero (*Henricus*) Altachenſis Scriptor Hiſtoricus Sec. xiii. *pag.* 68.

Stock (*Martinus*) S. Martini Coloniæ Monachus arte pictoria excellens. 510. n. 35.

Stocklinus (*Auguſtin.*) Murenſis, tum Fabarien-

Digitized by Google

barienſis Decanus &c. ſcripſit de Antiquitaribus Fabarienſibus. 588.

STONÆUS *ſive* Sronus (*Joan.*) apud Cantuarienſes Monachus Sec. xv. *Oudin.*

STOWUS anglicè STOW (*Joan.*) Norvici Monachus, & Doctor Theologiæ Oxonii, Hiſtoriographus Seculo xv.

STRABO ſeu STRABUS (*Walafridus*) Augienſis Scholæ ornamentum Seculo IX. *p.* 217. Goldaſti de eo narrata notantur. 218. Ejus Tractatus de exordiis rerum &c. *p.* 576. Vita S. Galli. 578. *col.* 2. Expoſitiones in Pſalmos &c. 574.

STROHOL (*Petrus*) S. Michaëlis ad Moſam Cœnobita benè doctus. 640. *col.* 2.

STUDENDI difficultas Seculo IX. *p.* 30. minui cœpit Seculo XII. *p.* 63. Maxima fuit Seculo XVI. *p.* 99.

STUDENTIUM *Prior generalis* in Galliæ Cœnobiis conſtituitur Sec. XIV. *pag.* 106. *c.* 2. Ambitus illius officii ſub pœna excommunicationis prohibetur in Collegio Gloceſtrenſi. *pag.* 243.

STUDIA *Literarum* excoluntur in Ordine Benedictino à primis ejus incunabulis. *p.* 4. Florent in Anglia Sec. VII. *pag.* 13. *ſeq.* In multis etiam Galliæ cœnobiis. 17. præcipuè in Luxovienſi. *ibid.* & in Agalienſi. 18. *col.* 2. In Norico eorum cultum excitat S. Rupertus. *ibid. col.* 1. Miſera eorum conditio in Hiſpania Sec. VIII. *p.* 21. Non abſimilis in Gallia. *ibid. col.* 2. Revireſcunt in Germaniæ cœnobiis. *pag.* 22. *ſeqq.* Magnus illarum neglectus in Anglia. 25. Inſtaurantur. *ibid.* Studiorum ſtatus Sec. IX. *p.* 30. Florent in Germania. 32. Negliguntur in Anglia. *col.* 2. Reſtituuntur à Gallis Benedictinis. 33. Sec. X. excoluntur in Germaniæ Monaſteriis. 39. *ſeqq.* & *p.* 44. *col.* Sec. XI. Plura per Germaniam monaſteria literarum cultu emiuent. 45. *ſeqq.* In Normannia vigent ſtudia. 52. Inſtaurantur in Anglia *ibid. col.* 2. Sec. XII. multi literarum cultores celebrantur. 56. *ſeqq.* Literati in Italia 60. & in Gallia. *ibid. col.* 2. Seculo XIII. Florent in Anglia. 66. Flacceſcunt in Germania. 68. *col.* 2. Sec. XIV. Monachi ad literarum ſtudia excitantur. 71. Conciliorum & Pontificum Decreta de ſtudiis. *ibid.* & *ſeqq.* Sec. XV. Innovantur conſtitutiones de ſtudiis. 78. *ſeqq.* Afflictus literarom ſtatus in Germania. 80. Reflorent. *p.* 82. Qualis ſtudiorum conditio Sec. XVI. *p.* 93. *ſeqq.* Florent in aliquibus Germaniæ Monaſteriis. 96. 99. 100. Eorum apud Cluniacenſes ſtatus. 106. *ſeq.* Seculo XVII. erectis Congregationibus magna in iis ſtudiorum ratio habita, præcipuè in Congr. S. Mauri. 108. Studia non officiunt regulari diſciplinæ. 109. Mabillonii cum Abbate Trappenſi concertatio de Studiis monaſticis. 110. *ſeqq.*

STUDIUM *Generale* Benedictinorum in Collegio Oxonienſi & Cantabrigienſi. 67. In Gloceſtrenſi. 241. In Cluniacenſi. 247. In Congregatione Bavarica. *p.* 120. In Caſinenſi. 262. Commune pro tota Germania. 282. & 147.

SUBLACENSIS monaſterii memorabilia. 428. *ſeq.*

SUEVIÆ Monaſteria & Bibliothecæ. 558. Collegia. 125. Rei Lit. Status. 84.

SUGERIUS S. Dionyſii in Francia Abbas Sec. XII. 56. Plura Part. III. *pag.* 147.

SULCARDUS Weſtmonaſterienſis Monachus Sec. XI. Chronographus. 643.

SÜNDERUS *ſeu* SENDER (*Clemens*) S. Udalrici Auguſtæ Chronographus. *p.* 449. & 564.

SUPERIORES Congregationis S. Mauri egregiè ſuorum ſtudiis favent. *pag.* 369. & 396. *col.* 2.

SYLVERIUS Capucinus author eſt Archiepiſcopo Salisburgenſi, ut Gymnaſium Benedictinis committat. *pag.* 372.

SYLVESTER II. Pont. antea *Gerbertus*, patriâ Aurelianenſis Sec. XI. vide: GERBERTUS. *pag.* 45.

SYLVIUS (*Nicolaus*) Elnonenſis Abbas Seminarium Duaci pro Monachis erigit. 386. *c.* 2.

SYMEON Dunelmenſis Præcentor & Armarius Sec. XII. ſcripſit Hiſtoriam &c.

SYRUS Cluniacenſis Monachus Sec. XI.

SZYGIELSKI (*Stanislaus*) Tinecenſis in Polonia Bibliothecarius. 615.

T.

TABULARIA olim dicebantur Archiva. 591.

TACITI Annalium Libri quinque in Bibliotheca Corbeiæ novæ conſervati. *p.* 488.

TARISSE (*Gregorius*) Studiorum in Congr. S. Mauri præcipuus inſtitutor. 396.

TATTO Augienſis Lycæi Scholaſticus doctrinâ & pietate celebris Seculo IX. *pag.* 216. & 217.

TAYSTER ſive TEXTOR (*Joan.*) Monachus S. Edmundi Burienſis Hiſtoricus Sec. XIV.

TEDESCHIS vide: *Nicolaus Maria de Tedeſchis.*

TEDESCHUS (*Nicolaus*) Abbas Panormitanus, S. R. E. Card. Sec. XV. 82.

TERRA-RUBRA (*Vitalis*) è Congr. Caſinenſi, de quo plura Part. III. *pag.* 413. *ſeqq.*

TERRICUS Monachus in Cantabrigienſi Academia primus Philoſophiæ Profeſſor. 61.

TEULFUS Moriginiacenſis Ord. S. Benedicti Monachus claruit Sec. XII. *Oudin.*

TEUZO S. Mariæ Florentiæ Monachus, ſcripſit commentarium in Reg. S. Bened. 464.

THEOBALDUS Hirſaugienſis Scholaſticus egregiè doctus Sec. X. *pag.* 230. *col.* 2.

THEOBAUDUS Bezuenſis in Burgundia Monachus haud infimæ notæ Scriptor Sec. XII. 59.

THEOCRENUS (*Benedictus* Caſinenſis Corteſii diſcipulus Franciſco I. Galliæ Regi commendatur. *pag.* 105.

THEODEMARUS Caſin. Abbas, cujus epiſtola ad Carolum M. *pag.* 583. n. 14.

THEODERICUS S. Albani Mog. Scholaſticus, Philoſophus, Theologus & Hiſtoricus inſignis Sec. X. *pag.* 41. *ſeqq.*

THEODERICUS Cluniacenſis Congr. natione Germanus Sec. XII. de quo *Oudin.* T. II. *col.* 1695.

THEODERICUS Fuldenſis Trithemii diſcipulus Sec. XV. *pag.* 496.

THEODERICUS Lobienſis in Magiſtrum Scholarum à multis Abbatibus expetitur. 50.

THEODERICUS *de Cornu* Abbas S. Martini Coloniæ Univerſitatis Colonienſis Judex, juriúmque & privilegiorum Conſervator Apoſtolicus à Bonifacio IX. ſtatuitur. *pag.* 76. *col.* 1. & 2.

THEODERICUS S. Matthiæ Treviris Scholaſticus Sec. x. *pag.* 40. *col.* 2. Alter ejus loci Scriptor Sec. xi. De quo *Oudinus* Tom. II. *col.* 726.

THEODERICUS S. Trudonis in Hasbania Monachus Sec. xii. 57. Vid. *Oudin.*

THEODORUS S. Matthiæ Treviris Scholarcha Sec. x. *pag.* 40. *col.* 2.

THEODULPHUS Epiſcopus Clericis indolget liceotiam frequentandi ſcholam Floriacenſem. 233. Ejus Liber de emendatione vitæ MS. 576.

THEOFRIDUS Epternacenſis Abbas claruit Sec. xii. *pag.* 58. *col.* 2. *Oudin.* Sec. xi. Tom. II. *col.* 949.

THEOLOGIÆ *Scholaſticæ* exordia io Beccenſi Schola *pag.* 62. *col.* 2. Prima illius ætas Sec. xii. *pag.* 63. Ætas ſecunda Sec. xiii. *pag.* 65. Tertia Sec. xiv. *pag.* 70. Cathedra Theol. io Gloceſtrenſi Collegio à Profeſſore Benedictino ſemper occupanda. *pag.* 241.

THIEBAUT (*Benedictus*) in Biſuntino S. Vinceotii Monaſterio Bibliothecam Benedictinam generalem adornat. 640.

THIERRA (*Georgius*) Theologiæ Profeſſor in Collegio Anſelm. Romæ. 269. *col.* 1. Ablegatur ad aulam Cæſaream. *ibid. col.* 2.

THIETLANDUS Abbas Eremitanus Sec. x. ſcripſit commeotaria io Divi Pauli Epiſtolas. *pag.* 585.

THOLEIENSIS Schola Sec. xi. 47. & 190. *c.* 1.

THOMAS *de Aquino* literis homanioribus eruditur io Schola Caſinenſi. 63. Eſt inſigne ejus ornamentum. 196. Priùs Caſioenſis, tum Dominicanos ex quorundam ſententia. *ibid. & pag.* 462. De Monachatu Benedictino D. Thomæ extat *Hiſtorica Diſquiſitio Anonymi*, Lugduni apud Fratres *Bruyſet* A. 1724. in 8. edita. *Confer.* Oudin.

THOMAS Dunelmenſis Epiſcopus Collegium octo Monachorum Oxooii fuodat. 370. *col.* 2. Literæ fundationis 75.

THOMAS Elyenſis In Anglia Monachos Sec. xii. Hiſtoricus gravis & diſertos. 62.

THOMAS (*Franciſcus*) è Congr. S. Mauri Archivo S. Dionyſii Præfectus. 645 *ſeq.*

THOMASINUS (*Ludovicus*) de ſtudio Literarum in O. S. B. ab ejus primordiis exculto. *pag.* 9.

THORNE (*Gillelmus*) Cœoobii S. Auguſtini Cantuariæ Monachus Seculo xiv. 704

THOTÙS (*Honoratus*) è Congr. Caſin. varia condidit Archivorum Repertoria. *pag.* 643. *col.* 1.

TICINENSIS Abbatiæ de Poſteria Archivum. *pag.* 596. S. Salvatoris ibidem Tabularium. *pag.* 595.

TINECENSIS Schola apud Polonos celebris Sec. xi. Eam *Aaron* Abbas inſtituit. *pag.* 53. *col.* 1.

TINMOUTH (*Joannes*) S. Albani In Anglia Mnnachos Hiſtoriographus Seculo xiv. *pag.* 70. *Oudin.*

TOSIAS Cantuarienſis Monachus omni diſciplinarum genere perpolitus Sec. vii. 15.

TORNAMIRA (*Petrus Anton.*) Siculus S. Martini de Scalis Monachus, J.U. Doctor, &c. *p.* 615. Archivo & Bibliothecæ Præfectus de re literaria optimè meretur. 616.

De TORRINNEJO, vulgò *Robertus de Monte* Abbas S. Michaëlis io periculo maris Sec. xii. Chronographus. 60. & 455.

TORTARIUS (*Rodulphus*) Floriacenſis Sec. xii. *pag.* 60.

TOTAVILLÆUS (*Guilielmus*) ex Monacho Beoedictino S. R. E. Cardinalis Literarum Pariſiis inſtaurator Sec. xv. 82. *col.* 1.

TOUTTEE (*Antonius Auguſtin.*) è Congr. S. Mauri Scriptor percelebris. *Part.* III. *pag.* 442.

TREFLERUS (*Florianus*) Benedicto - Burani lo Bavaria Monaſterii Bibliothecarius edit *Methodum adornandæ Bibliothecæ. p.* 612. *col.* 2. *Vid.* Part. III. 353.

TREFLERUS (*Wolfgangus*) patriâ Auguſtanus, S. Jacobi Moguntiæ profeſſos, claruit ad A. 1521. Ejus epiſtola de Spanheimenſi Bibliotheca, *p.* 492. *ſeq.* Alia de Ipſo *pag.* 183. 490. & 612.

TREVISENSES Scholæ & Scholaſtici, Sec. ix. *p.* 29. Sec. x. 39. & 40. Sec. xi. 47. Bibliothecæ olim ioſtructiſſimæ, hodie oeglectæ. 40. *col.* 2. & 505.

TRICKINGHAM (*Elias de*) Petroburgenſis in Anglia Monachus Sec. xiii. clarus. 68.

TRITHEMIUS (*Joannes*) Spanheimenſis Abbas Sec. xv. Literas inter Monachos inſtaurat. 91. Reſiſtit Abbatibus ignorantiæ Patronis. 92. Apud moltos oratione ſuâ nihil proficit. 93. Societatem Literatorum per Germaniam promovet. 183. Ejus multi & celebres diſcipoli. *ibid. & pag.* 333. Quos inter facilè Princeps *Joachimus* Marchio Brandeburgicus. *ibid.* Literarum inter eos commercium. 333. *ſeqq.* Calumoiæ in Trithemium adornatæ revincuotur. 338. & 493. Laudes Ipſius. 340. *ſeq.* Eum io deliciis habent Principes & Epiſcopi. *ibid. col.* 2. præcipuè *Joachimus* Brandeburgieus. *pag.* 334. & *Maximilianus I.* Imp. 359. Inter ipſum & Joachimum Electorem magna familiaritas. 333. & 361. Gratulatur amico, quòd habeat Abbatem ſtudiis ſaventem. 375. Favet ipſe doctis Viris. 378. Bibliothecam Spanheimenſem inſtaurat, augétque lucubratiooibus ſuis. 491. Alia Trithemii in rem Literariam merita, & parta inde elogia. 492. Fata 340. & 493. Librorum oſores ipſe refellit. 497. Ejus exhortatio de cuſtodia & munditia librorum. 641. Itinera Literaria. 408. Vita & Apologia. *Part.* III. *pag.* 217. *ſeqq.*

TURBEIT (*Joannes*) Schyrenſis in Bojoaria Abbas iocuote Seculo xvi. ſtudia apud ſuos excitat. 96.

TURGOTTUS Dunelmenſis Abbas & S. Andreæ in Scotia Epiſcopus Sec. xii. eruditionis laude clarus. 62. Vid. *Oudin.* Tom. II. *col.* 949.

TYPOGRAPHIA, quo tempore & loco initium habucrit. *pag.* 83. Eam in ſuis officiois dio exercuère Monachi. *ibid. & pag.* 508. *col.* 2. Egregiè promoverunt Benedictini in Germania, Anglia, Italia, & aliis provinciis. *ibid. col.* 2. Auguſtam invexit Abbas S. Udalrici. 84. In Ottoburam *Leonardus* Abbas. 96. & 560. Monachi ibidem Typographi. 560. *col.* 2. Libri ab iis excuſi. 561. & 97.

U.

VAILLANT (*Nicolaus*) Bellilocenſis Bibliothecæ Præfectus conſcripſit ultra XVI. Volomioa. 640.

VALLISOLETANÆ Congregationis ſtatuta de ſtudiis monaſticis. 128. Collegia iis deputata. *ibid.*

VANHELIUS (*Andreas*) Blaodlnieoſis Chartophylax. 614.

SS. UDALRICI & AFRÆ Auguſtæ Vindel. Schola Sec. XVI. aperta. *pag.* 99. Viri in eodem Cœnobio literis eâ ætate clari. 100. Typographia ibidem excitata. 84. Bibliotheca. 563. *ſeqq.* & 448. *col.* 2.

S. UDALRICUS ſeu *Ulricus* & *Uldericus* ex illoſtri Comitum *de Kilburg* & *Dillingen* ſtemmate, *Hupaldi* & *Diapurga* ſeu *Tietburga* Suevorum Duciſſæ filius, Epiſcopus Auguſtanus Sec. IX. Scholæ San-Gallenſis alumnus. *pag.* 210. *col.* 2. & 310. Vid. *Oudin.* Tom. II. *col.* 247.

UDALRICUS Bambergenſis S. Michaëlis Monachus Sec. XII. ſcriptis & eruditione clsrus. *Oudin.* Tom. III. *col.* 1016.

UDALRICUS Cluolacenſis Monachus Sec. IX. de quo plora *Oudinus* Tom. II. *col.* 861.

UDALRICUS Conſtantienſis Ord. S. Benedicti ſcripſit Seculo XIII.

UDALRICUS *de Landau* Cœnobita Tegernſeenſis varia ſcripſit adverſus *Pyrckhammer.* *pag.* 540.

UDALRICUS San-Gallenſis Abbas ejus nominis VIII. Literarum ſtudia apud ſuos inſtaurat Sec. XV. *p.* 91. *col.* 1.

UDASCALCUS S. Udalrici Auguſtæ Vindel. Monachus, ſcribebat Seculo XII. *Oudin.* Tom. II. *col.* 1013.

VENDOVERA (*Rogerus de*) Præcentor lo S. Albani Cantuariæ Cœnobio Sec. XIII. *p.* 67. *Oudin.* Tom. III. *c.* 96.

VENERIUS (*Auguſtinus*) Caveuſis Archivi Regeſtum quioque Voll. complexos eſt. *pag.* 645.

VESONTIONENSIS S. Vincentii Bibliothecæ ſingularia. 438. & 470. Chifletiorum lucubrationes. *ibid.* *col.* 2.

UFFINGUS ſeu *Uffo* Friſius Werthinenſis Monachus Sec. X. *pag.* 42. *Oudin.* Tom. II. *col.* 534.

UGONIUS (*Alexius*) è Congreg. Caſinenſi Abbas ab eruditione commeodatus Sec. XVI. *pag.* 103.

VICTOR San-Gallenſis Monachus Seholas Argentinenſes reddit celeberrimas Sec. X. *pag.* 39. *col.* 1.

VIGELLIUS (*Placidus*) Augiæ Brigantinæ Abbas Sec. XVII. ſtudia promovet. 125. Ejos elogium Hiſtoricum. Part. III. *pag.* 384.

VILIANUS cognomento *Rhetor* Elyeoſis Monachus docendi munere Sec. XII. inſigois. 62. Senlores inter colloquia inſtruit. *ibid.* *col.* 2. Ejus obitus & viſio. *ibid.*

VILLAGUT (*Alphonſus*) S. Severini Neapoli Cœuobiarcha & Congreg. Caſin. Præſes ſcriptis clarus. *p.* 465. *col.* 1.

VILLETA (*Philip.*) Abbas S. Dionyſii in Fraocia Seculo XIV. clarus. *pag.* 77. Vid. *Oudin.*

VILLICUS vulgo MAYER (*Adamus*) Abbas S. Martini Coloniæ utroque & eruditionis & pietatis nomine Sec. XV. celeberrimus. *p.* 91. Bibliothecam illuſtrat. 506. Ejus quædam ingenii monumenta. 509. Vita ipſius Part. III. *p.* 204. *ſeqq.*

S. VINCENTII Laudunenſis Bibliotheca. 470.

VIRDUNENSIS S. Vitoni Scholæ celebritas Seculo XI. 46. *col.* 1. Bibliotheca Libris impreſſis & MSS.tis referta. 477. Archivum. *pag.* 598.

VIRECKER, *vid.* NIGELLUS.

VIRI *Illuſtres*, qui è Scholis & Magiſterio Benedictioorum prodierant, cap. III. per totum à *pag.* 307.

VISSELBECCIUS (*Petrus*) Huxarienſis ad Dunolam Monachus. Ss. Theol. Doctor Sec. XIV. ſcripſit Huxarienſe Chronicon. 71. Ejus de Literarum neglectu querimonia. *ibid.* & 227.

VISIO cujusdam Monachl ſebricitantis de literarum ſtudiis Seculo XV. *pag.* 86. Ejus interpretatio. 88. *col.* 2.

VITALIS (*Ordericus*) Uticenſis ln Normannia Monachus Hiſtoriographus Sec. XII. *pag.* 62. *Oudin.*

VITINGUS Glaſtonienſis Abbas rei Literariæ Mæcenas. *p.* 382. *col.* 2.

S. VITONI Verodunenſis Bibliotheca 477.

VITUS *de Amico* S. Nicolai de Arenis Archiota Catanam dedit illuſtratam tribus Tomis. *pag.* 647.

UNWANNUS Corbeienſis fit Lector Theol. ad S. Pantaleonem Coloniæ anoo 952. *pag.* 223.

VOLPOLDUS Hirſaugienſis Abbas parum eruditus, ſub quo diſciplina & literarum ſtudia remltti cœperunt Seculo XIII. *pag.* 233. *col.* 1.

URBANUS V. anteà *Guillelmus Grimoardi*, Abbas S. Victoris Marſiliæ, & Decretorum Doctor Sec. XIV. 77. *col.* 1. Literatos maximè Benedictinos fovet. *pag.* 347. Academias erigit, vel auget privilegiis. *ibid.* *col.* 1. De ipſius ſcriptis *Oudinus* Tom. III. *col.* 1113.

URSINUS natione Gallus, Ord. S. Ben. Monachus Sec. VII. de quo *Oudin.* Tom. I. *col.* 1666.

URSIO Altimontis prope Malbodium in Hannonia Abbas ſcribebat Seculo XII. *Oudin.* Tom. II. *col.* 735.

USUARDUS aliàs *Hyswardus*, Ord. S. Ben. in Pratenſi S. Vincentii Cœnobio Pariſiis Monachus circa A. 875. couſpicuus, cujus Martyrologium MS. *pag.* 567. *Confer.* *pag.* 528. & Sollerii Præfatio ad illius editionem Venetam anno 1745.

UTREDUS *Boltonus* Dunelmenſis Monachus doctrinâ & pietate Sec. XIV. clarus. *pag.* 247. *col.* 1.

VÜCHTEN (*Eliphius*) S. Martini Goloniæ Sec. XVI. Pictor & Antiquarius inſignis. *pag.* 510. n. 34.

W.

WACHING ſeu BECHING (*Bernardus*) Tegernſeenſis Sec. XV. ſcripſit *de Confeſſione.* *p.* 548. *col.* 1. De forma ſervanda in excommunicatiooe, & alia aſcetica. *pag.* 540. *col.* 1.

WAGNER (*Petrus*) S. Udalrici Auguſtæ Monachus Sec. xv. ſcripſit *de Viris Illuſtribus Ord. S. Ben. pag.* 564. n. 6.
WALA Corbeiæ veteris Abbas Lotharii I. Pædagogus. *pag.* 321. *col.* 2.
WALAFRIDUS, vid. STRABO.
S. WALBURGIS Vita MS. *pag.* 532. n. 80. *Confer.* Part. III. *pag.* 487.
WALDO Augiæ Divitis Abbas rem literariam apud ſuos egregiè promovet Seculo VIII. *pag.* 216. & 569.
WALLINGFORD (*Joan. de*) S. Albani Cantuariæ Abbas Sec. XII. *pag.* 62. *Oudin.* Sec. XIII. *col.* 180.
WALLINGFORDIUS (*Richardus*) Albanenſis in Anglia Sec. XIV. *pag.* 70.
WALSINGHAMUS (*Thomas*) S. Albani Cantuariæ Monachus ſcripſit de rebus Angliæ Sec. XV. *pag.* 82.
WALTERICUS è Schola Corbeiæ novæ A. 861. in aliud Monaſterium docendi causâ mittitur. *pag.* 223.
WANDELBERTUS Prumienſis Scholarcha magnificè doctus Seculo IX. *pag.* 26. 27. & 29.
WARINUS Corbeienſis Abbas rei lit. cultor ſingularis. *pag.* 222.
WARNEFRIDUS, vid. *Paulus Diaconus*...
WARTENBERG (*Fridericus*) Divitis Augiæ Abbas, Bibliothecam egregiè inſtaurat. *pag.* 572. *ſeqq.*
WARTERTHONUS (*Galfredus*) S. Edmundi in Anglia Monachus Seculo XIV. *p.* 70.
WASELINUS cognomento *Momalius* S. Laurentii prope Leodium Monachus circa A. 1130. *pag.* 57. *Graveſon.*
WEIMER (*Maurus*) Scotenſis Viennæ chartophylacii cuſtos benè meritus. 527.
WEIS (*Mathæus*) Andecenſis Auctor *Lucæ Benedictini. pag.* 119.
WEIS (*Udalricus*) Urſinenſis de Societate Lit. Bened. *pag.* 161. *ſeq.*
WELLIUS (*Joan.*) Rameſeyenſis, Wicleſi malleus, Sec. XIV. *pag.* 71.
WERDEA (*Hieronymus de*) Lunælacenſis in Auſtria Polygraphus. 514. 517. Ejus Tractatus de dubiis in Reg. S. Bened. *pag.* 548.
WERLINUS Seonenſis apud Bojos Muſicus ſcripſit *de Rythmorum varietate &c. pag.* 555. *col.* 1.
WERNERUS Admontenſis in Styria Bibliothecarius Sec. XII. *pag.* 611. *col.* 2.
WERNERUS S. Blaſii in nigra Sylva Abbas ſcriptis clarus ad annum 1210. *Oudin.* Tom. III. *col.* 32.
WERNERUS Abbas Einſidlenſis Sec. XIII. à quo ſuperant *Leges ſumptuariæ pro Monachis.* 585. n. 11.
WESTHINENSIS Bibliotheca. 512. Ulfilæ Codex argenteus. 458. Archivum. 606.
WETTINUS Augienſis Scholæ celebris Magiſter Sec. VIII. *pag.* 216. *col.* 2. Ejus Viſiones. 217. & 578. *col.* 1.
WEYBECK (*Kilianus*) inferioris Altachæ Abbas, cujus Commentarius teutonicus in Reg. S. Bened. *pag.* 515.
WEZELIUS (*Ferdinandus*) Abbas Mariæ-Montanus, Studiorum Promotor egregius. *pag.* 125. *ſeq.*
WHETAMSTEDUS, *ſeu* Frumentarius (*Joan.*) natione Anglus, vir præclarus Sec. XV. *pag.* 365. Ejus vita & ſcripta *Part. III. pag.* 195.
WIBALDUS Stabulenſis & Corbeienſis Abbas Sec. XII. *p.* 57. *Henrici Nigri* Informator à Conrado Imp. 331. & S. R. I. Cancellarius à Lothario II. conſtituitur. *p.* 358. Ejus Vita *Part. III. p.* 155.
WICBOLDUS ſeu *Wicpoltus* Corbeienſis Abbas Sec. XII. bis in Græciam à Friderico I. Aug. mittitur. *pag.* 224. Ejus encomium *p.* 226. Scholam & chorum reſtituit. 227. In exemplum proponitur Abbatibus. *ibid.*
WICLEFUS (*Joan.*) Collegii Cantuarienſis præfecturam appetit, à qua repulſus hæreſin ſpargit Seculo XIV. *pag.* 74. Cui à Noſtris ſtrenuè obſiſtitur. *ibid. col.* 2.
WICTERPUS ex Abbate S. Martini Reginenſis Epiſcopus literis & ſcriptis Sec. VIII. clarus. *pag.* 24.
WICUMBA (*Wilhelm. de*) Lanthonienſis in Cornubis Prior, Seculo XII. *p.* 62.
WIGILA Alveldenſis in Hiſpania Monachus circa A. 976. Canones collegit. *pag.* 468. *col.* 2.
B. WILHELMUS Hirſaugienſis Abbas doctiſſimus Sec. XII. 230. Reformat Ordinem Benedictinum in Germania. 231. Scholas aperit, in quibus ipſe docet. *ibid.* Ex ejus diſcipulis quatuor Epiſcopi & LVIII. Abbates. *col.* 2. Liber ipſius conſuetudinum MS. *pag.* 543.
WILHELMUS Malmesburienſis, aliàs *de Somerſet* Hiſtoricus ad A. 1130. clarus. *pag.* 56. & 612.
S. WILHELMUS Roſchildenſis in Dania Abbas Sec. XII. de quo *Oudinus* T. II. *p.* 1460.
WILIBALDUS Anglo-Saxonum claro genere ortus, Eiſtetenſis Epiſcopus ad A. 760. ſcripſit vitam S. Bonifacii. *p.* 512. n. 9.
WILLERAMUS Fuldenſis primum Monachus, dein Abbas S. Petri Merſeburgenſis Congreg. Cluniacenſis Sec. XI. clarus. 531. n. 94. *Oudin.* Tom. II. *c.* 728.
WILLO Apri-Monaſterii Abbas aurifex Sec. XI. Literis & Literatis infeſtus. *p.* 55.
WILTONUS (*Joan.*) Junior dictus Weſtmonaſterienſis, cujus ſcripta pietatem redolent, Seculo XIV. *p.* 70. *col.* 2.
WIMO Corbeienſis Scholæ Præfectus anno 885. magni ob doctrinam habitus. 223.
WINDOLFUS Corbeiæ Novæ Scholaſticus ad A. 1083. fit Abbas alterius Cœnobii. *pag.* 226.
WINFRIDUS, vid. BONIFACIUS Mog. Archiep.
WIREKER (*Guillelmus de*) vid. *Nigellus.*
WITEGOVUS Augienſis Abbas gratiâ valet apud Ottonem III. Imp. *Os Regis* dictus. *pag.* 357.
WITHE, vid. *Hugo Candidus.*
WITTIKINDUS Corbeienſis Scholarcha & Hiſtoricus Seculo X. *pag.* 224.
WOLBERO S. Pantaleonis Coloniæ Abbas XII. à ſcriptis commendatus claruit A. 1150. *p.* 506. *Oudin.* Tom. II. *c.* 1423.
WOLBODO Ultrajectenſis Monachus, Scholæ Eccleſiaſticæ Magiſter, *Henrico* Auguſto in amoribus eſt, Seculo XI. *pag.* 50. *col.* 2.

WOLF-

WOLFRAMUS S. Michaëlis Bambergæ Abbas IV. congerendæ rei librariæ ſtudioſiſſimus. *pag.* 500.

S. WOLFGANGUS Augienſis Scholæ alumnus. 215. Docendi munus ſuſcipit. 318. Plures nactus illuſtres diſcipulos, quos inter *Dagino* eſt, Archiep. Magdeburg. *ibid.* & Liberi Henrici Bavariæ Ducis. 330. *col.* 2. Felix in diſcipulis Magiſter, maximè in *Henrico Sancto* Imp. *ibid.* Cui imperium è cœlo præſagit. *pag.* 331.

WOLFGANGUS Altahæ inferioris Monachus Sec. XIV. collegit inſignem Epiſtolarum Codicem. *pag.* 557. n. 7.

WOLFGANGUS Rotenſis ad Oenum Bibliothecarius. 614. *col.* 2.

WOLFGANGUS Seonenſis Bibliothecæ anno 1717. Præfectus. *pag.* 447. Scripſit de Viris Illuſtribus O. S. B. *pag.* 555.

WOLSTANUS Præcentor Wintonienſis, Sec. X. *pag.* 42. *Oudin.* Tom. II. *col.* 500.

WOODHILL (*Henricus*) Cantuarienſis Monachus Sec. XIV. contra Wicleſum Collegio Cantuarienſi præficitur. 74. *col.* 2.

WOYTIECHUS ſeu *Adelbertus* Pragenſis Epiſcopus Sanctitate & Doctrinâ illuſtris Sec. X. *pag.* 313. *& ſeq.*

S. WUNIBALDUS Thuringiam in fide Chriſtiana imbuit, & paganiſmi reliquias in Bojnaria exſtirpat &c. † A. 761.

WYDEMAN (*Leopoldus*) Carthuſiæ Gemnicenſis Bibliothecarius *Pezii* ſecundaneus. *pag.* 390. *col.* 2.

Y.

YEPESIUS (*Antonius*) Chronicon Ord. S. Bened. ſcripturus Hiſpaniam peragrat. *pag.* 408.

YSLEP (*Simon de*) fundat Cantuarienſe Collegium pro Benedictinis. *pag.* 74.

YSO San-Gallenſis Scholaſticus A. 860. clarus. *pag.* 205. & 207. Præſagium de ipſius Magiſterio. *pag.* 208.

YVO Carnotenſis B. Lanfranci diſcipulus. *pag.* 240. 319. Ejus Liber Sacrificiorum metricè MS. 576. Liber Ss. Canonum. 502. n. 9. 503. n. 24. & 508. n. 95.

YVO *de Vergi* hujus nominis I. Abbas Cluniacenſis fundat Collegium Pariſiis ad uſum ſcholarium ſui Monaſterii A. 1269. *pag.* 68. & 247. Quod Yvo II. nepos ipſius abſolvit. 248. & 68.

Z.

ZIEGELBAUER (*Magnoaldus*) Ignorantiæ fautores perſtringit D. Hieronymi ſententiâ. *pag.* 139. *col.* 1. Votum elicit de *Mabillonii* effigie in Bibliothecis Bened. collocandâ. *ibid. col.* 2. Ejus ad *Calmetum* Epiſtola pro adſciſcendis Profeſſoribus ad Pragenſe Collegium. 135. *ſeq.* Ejusdem Literæ ad *Pockium* Ettalenſem. 272. Quâ occaſione inierit condendæ hujus Hiſt. Lit. conſilium. 651. *Confer* Ejus elogium hiſtoricum huic Tomo præfixum, & Part. IV. *pag.* 170. *ſeqq.*

ZÖDL (*Georgius*) Benedicto-Buranæ in Bojoaria Bibliothecæ Præfectus, in re comica inſignis. *pag.* 614.

ZUNCK (*Burchardi*) Monachi ad S. Udalricum Auguſtæ Opera MSs. de Urbe Auguſtana. *pag.* 563. n. 10.

ZWIFELIUS (*Jacobus*) Amorbacenſis Abbas vir doctus juxta ac pius, Trithemii cultor præcipuus. *pag.* 499.

F I N I S.

MAG 2023263

Digitized by Google